SUAREZ

Defensio Fidei

1

R. P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

TOMUS PRIMUS



DEFENSIO

FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

CUM RESPONSIONE AD APOLOGIAM PRO JURAMENTO FIDELITATIS, ET EPISTOLAM AD PRINCIPES CHRISTIANOS SERENISSIMI JACOBI ANGLIÆ REGIS

R. P. FRANCISCO SUAREZ

E SOCIETATE JESU

Accuratissima completaque editio à Bibliothecariis VERÆ SCIENTIÆ HISPANÆ *compulsata*

BARCINONE

APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA

IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16

1882

1908

Eccles. super. permisu

SERENISSIMIS

REGIBUS AC PRINCIPIBUS

ROMANÆ ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ FILIIS AC DEFENSORIBUS

FRANCISCUS SOARIUS

É SOCIETATE JESU, TEMPORARIAM ET ÆTERNAM FELICITATEM

Nuper edito libro, Serenissimus Jacobus, magnæ Britanniæ rex, ad religionis suæ communionem quasi amico classico catholicos reges ac principes evocavit. Ut quos ad defensionem Romanæ Ecclesiæ, quam sanguine suo acquisivit Rex Regum, et Dominus Dominantium Christus, suprema armavit potestate, hos ad illius offensionem communicato consilio incitaret. Irrito tamen conatu Serenissimus rex stylum exercuit. Nec enim portæ inferi adversus eam prævalebunt, aut quos in Romana petra fundatos lapis angularis Christus firmissimo veræ pietatis vinculo innectit, frigida Aquilonis procella dimovere poterit. Utinam majorum suorum invictissimorum regum vestigia secutus vobiscum potius ad Catholicæ Ecclesiæ majestatem exornandam conspiraret; ut quibus potestate et imperio par est, veræ pietatis studio inferior non esset; et inter illos reges numerari potius vellet, quos illius

nutritios divina constituit auctoritas, quam inter illos, quos adversus Dominum et adversus Christum ejus impietatis furor inflammavit.

Cum ergo dum librum edidit suæ indicem religionis, nec regali, qua fulget, majestate, nec armorum strepitu, ac potentia (cui sacerdos Christi et religiosus homo obsistere nequit), sed solius humani ingenii et styli acumine Catholicæ Ecclesiæ bellum inferat; proprium mei muneris et instituti existimavi in aciem prodire, non ut tanti regis nomini et splendori officiam, quod nec possum, nec cupio; sed ut nebulæ, a fœtidis Novatorum lacunis exhalatæ, quibus catholicam obscurare nititur veritatem, veræ sapientiæ radiis dissolutæ, in aerem et fumos evanescant; quod ut perficerem, eam a Deo patre luminum obnixe precatus sum lucem, eam sinceræ veritatis cognitionem, quam a Christo Domino per Apostolos traditam, et Sanctorum Patrum vigiliis expositam consectari ille debet, qui rectam vivendi credendique viam tenere cupit. Aspiret incœptis illud numen, in cujus manu sunt corda Regum. Vosque, catholici orbis reges ac principes, qui Serenissimum Jacobum, quales vos estis, talem germano affectu exoptatis, qualecumque opus hoc nostrum in vestrum recipite patrocinium vestra auctoritate defendendum; vestrum enim illud, scitumque est: *Nostra facimus, quibus nostram impertimur auctoritatem;* vestrum igitur opus sit, ut regia vestri patrocinii auctoritate defensum ac ornatum fulgore, et securum in publicum prodeat, et illustre orbi appareat, et regiis oculis indignum non existimetur. Neque enim aliter, nisi vestro sub nomine, libro serenissimi regis noster hic, quo Dei causam tuemur, opponi potest. Hæc enim una me impulit cogitatio, ut vobis laborem hunc nostrum officiosa animi submissione dicarem, qui majorum vestrorum imperii, et pietatis hæredes, Catholicæ Ecclesiæ tutelam religiose suscepistis, constanterque curatis. Aliis pro antidoto inservire potest noster hic labor; vobis antidoto (quæ est summa Dei pietas) opus

non est contra Novatorum furorem, quorum venena ab stygiis hausta rivulis vobis nocere non possunt, qui veræ et catholicæ fidei unitate Christo Domino, ejusque in terris Vicario Romano, ac Summo Pontifici, ceu capiti suo pulcherrima corporis membra, subditi, et innexi in virtute Dei custodimini. In quo dum suprema vestra potestas stabilitur, ad majorem imperii gloriam increscat, et ad æternam proficiat felicitatem.

Conimbricæ, decimo tertio die Junii anni 1613.

CENSURA

ILLUSTRISSIMI

D. D. ALPHONSI A CASTELLO BRACON

Episcopi conimbricensis, comitis arganilensis, Domini cojæ, etc., a consiliis catholicæ Majestatis

Ex commissione Illustrissimi Episcopi D. Petri de Castilho, Lusitaniæ Proregis, et supremi in rebus fidei Inquisitoris, accuratissime legi et censorio evolvi studio Defensionem Fidei Catholicæ adversus Anglicanæ Sectæ errores, cum responsione ad Apologiam et Epistolam ad principes christianos, Serenissimi Jacobi, Angliæ regis, ab insigni Doctore Francisco Soario, e Societate Jesu, in lucem editam. In qua non solum sacræ paginæ auctoritati omnia religiose consonant; Apostolicis traditionibus pie correspondent, OEcumenicis Conciliis, Summorum Pontificum decretis erudite consentiunt, verum tanti auctoris latissime elucet sapientia, e Sanctorum Patrum fontibus plus quam humano studio hausta. Quorum integra fide testimonia ita crebro et apposite inducit, ut illius ore locutos ad defensionem hanc roborandam conspirasse omnes affirmare audeam, magnaque propterea Catholicæ Ecclesiæ utilitate, magno christianæ doctrinæ emolumento in lucem prodituram, cujus lectione multa a Patribus præclare dicta, quæ dudum legeram, in memoriam revocavi; multa etiam magna cum voluptate de-

nuo didici. Utinamque obtusa perfidiæ tenebris hæreticorum acies tantum jubar perferre posset. Facile enim instabilem suarum opinionum vanitatem irriderent, quarum fundamenta hujus operis lectione omnino eversa clarissime cernerent. Quod si Episcopo, qui in theologica adolevit schola, et inter Sanctorum Patrum libros consenuit, Serenissimi Angliæ regis majestatem alloqui præsentem liceret, quod olim augustissima et sanctissima Maria, ejus mater, voce et sanguine testata est, verissime prædicarem: Irenæo, Dionysio, Augustino, Hieronymo, et reliquis Catholicæ Ecclesiæ doctoribus, quorum judicium in hoc libro expressum offerimus, vitæ sanctitatem nemo ignorat, potius credendum esse, quam Luthero, et Calvino, quorum scelera, etiam illorum discipuli, si legant, non possunt non erubescere et damnare; quorum inscitiam inconstans sibique adversa doctrina, et a vera religione aliena satis demonstrat. D. Francisco Soario, humanarum rerum religioso contemptori, et unius pietatis ac religionis fortissimo defensori, quem ego propter eximiam sapientiam tot monumentis approbatam communem hujus ætatis magistrum, et Augustinum alterum existimo, potius cedendum admonerem, quam Angliæ novatoribus, qui ne errasse fateantur, obstinata inconstantia erroribus adhærent, et cupiditatum suarum abducti illecebris circa fidem naufragaverunt, ut Paulus ait. Illud tamen prædico, illud moneo, quod olim Augustinus in simili causa. Non vincant Patres Catholicæ Ecclesiæ Doctores, nec Lutherus, nec Calvinus, impii veræ fidei desertores. Non vincat Soarius, Patrum religiosus discipulus, nec Novatores, Lutheri et Calvini infelices umbræ, sed una vincat veritas, sincera hujus libri commentatione illustrata. Quem ego typis, et omnium oculis, ad communem Ecclesiæ Catholicæ utilitatem, ita dignum censeo, ut etiam ætati nostræ de tanto magistro, Societati Jesu de tali alumno merito gratuler.

Conimbricæ 12 Junii an. 1613.

Episcopus Conimbricensis.

CENSURA.

ILLUSTRISSIMI

D. D. FERDINANDI MARTINEZ MASCAREGNII

Episcopi algarbiensis, a consiliis catholicæ majestatis

Non tantum litteris, quas hac de re ad me misit Illustrissimus D. Petrus de Castilho, Episcopus, et generalis in tota Lusitania Inquisitor, sed ipsa delectatione trahente P. Francisci Soarii, celeberrimi Doctoris, a me perlecta est accurate, et censorio ungue examinata Defensio, qua Fidem Catholicam mira dexteritate propugnat, oppugnatque Anglicanæ sectæ errores; ac Serenissimi Jacobi, regis Angliæ, ad Apologiam quamdam epistolamque respondet. Qua in Defensione nihil plane offendi, quod Fidem Orthodoxam offendat; quæ vero defendant, inveni multa. Hoc enim opus mihi videtur velut alter fatalis clypeus, quem dux Hebræorum ex imperio Dei quondam contra urbem Hai feliciter elevavit. Ita namque fiet, ut hac Defensione, per manus tanti ducis ex Societate Jesu quasi Josue clypeo in altum sublata, armatæ errorum copiæ, quas non regis animus suopte ingenio ad pietatem pronus (utpote a sanctissima matre ac martyre olim educatus), sed quas furia Novatorum nuper in Anglia ad principes christianos classicum canens compulerat, penitus deleantur. Imo vero ipse Serenissimus Angliæ rex (qua pollet ingenii acie, atque exaggerati animi cel-

situdine), omnia, quæ in hac Defensione continentur, suis rationum ponderibus expendens, et ad judicii trutinam librans, prospectaque imprimis illa animi submissione ac modestia, quam semper (ut par est) adhibet doctissimus Pater Soarius, cum Regia Majestate disputans, spes est fore ut, adspirante numinis aura, ad saniora Matris Ecclesiæ consilia animum vere regium appellat; imitatus nempe Clodoveum, illum primum Francorum Regem Christianissimum, qui, proxime moriturus, ipsum Romanum Pontificem, quod sciret unicum esse totius Ecclesiæ visibile caput, corona regia redimivit; quo facto oppignoravit regnum Gallorum in Ecclesiæ Romanæ præsidium, pariterque et obsequium. Corona enim illa ad S. Petri Confessionem regnum nominata fuit. Quo pietatis exemplo, stabili fundamento, nempe in petra ac Petri successore regnum suum egregie firmavit Clodoveus; cujus rex Angliæ si imitetur factum, imitabitur exitus felicissimos. Sed ad libri censuram redeo.

Cum magna Reipublicæ Christianæ utilitate quasi ex feraci fœcundoque solo complura edidit religiosissimus juxta ac gravissimus auctor sui ingenii monumenta, quæ orbis suspicit, miratur, amat. Sed in hac defensione vere palmaria elucent verba electa, grandes sententiæ, rationum momenta plena energiæ ac vigoris. Liber itaque totus, nervus, sanguis, spiritus est. Concurrit in eo cum eruditione, judicium admirabile; cum diligentia, facilitas in scribendo; cum doctrinæ copia, rerum ordo. Opponit memoriæ studium indefessum; Scholasticæ Theologiæ, juris utriusque peritiam; genuinæ juxta antiquos Patres sacræ Scripturæ explicationi, libera, et subrancida ministrorum interpretamenta; sublimiori denique de Deo scientiæ, distinctam temporum seriem, illiusque regni multiplicem chronologiæ notitiam. Quæ libri censura in panegyricam molem exurgeret, nisi obstaret satis nota gravissimi Patris modestia, quæ solet elogia putare jacula, encomia vulnera, hostes credere laudatores. Est igitur quod gratulemur Societati Jesu, quasi optimæ

iparenti, quod, licet ex illius sanctissimo instituto tamquam ex lequo Trojano plures jam religione, litteris ac morum probitate iprincipes viri prodierint, unum tamen habet hac tempestate eminentissimum Doctorem Patrem Soarium, quia ad subitos errorum tumultus sedandos a prælio ad prælium tanquam bellator egregius accurrat alacriter ultra sortem viresque senectæ. Quare censeo præsens opus, a me recognitum et probatum, dignissimum esse quod publicam lucem aspiciat, densissimis eorum tenebris lucem ipsum allaturum.

Farone, die 6 mensis Decembris, anno Domini 1612.

D. FERDINANDUS MARTINEZ MASCAREGNIUS,
Episcopus Algarbiensis.

CENSURA

ILLUSTRISSIMI

D. D. MARTINI ALPHONSI A. MELLO

Episcopi lamecensis a consiliis catholicæ majestati

Perlegi ex commissione Illustrissimi Domini Inquisitoris generalis Defensionem Fidei Catholicæ, adversus Anglicanæ sectæ errores, cum responsione ad Apologiam pro juramento fidelitatis et Epistolam ad principes christianos, Serenissimi Jacobi, Angliæ regis, opus editum a Sapientissimo Doctore Francisco Soario, in Conimbricensi Academia Primario Theologiæ professore. Ardenti fidei zelo auctor clarissimus, et Theologus eminentissimus, valens sapientiæ viribus, pro Ecclesia Dei in Anglia laborante distrinxit calamum contra sævientes in illo regno hæresum pestes. Dimicat contra hæreticorum errores ex Scripturis divinis explicatis, et intellectis in genuino sensu auctoris sacri instituto et textui congruente. Affert ad confirmandas fidei veritates sacrorum generalium Conciliorum, et Summorum Pontificum sanctiones, quarum infallibili auctoritati non obsequentes semper habiti sunt a Christi fidelibus Ecclesiæ perduelles. Utitur aptissimis, et ad rem maxime facientibus, ac selectissimis testimoniis Sanctissimorum Patrum, quorum pietatem et sapientiam semper Ecclesia Dei suspexit et venerata est. Firmissimarum rationum momentis ita cuncta examinat, ut

nihil in silentio relinquat indiscussum, sed perarduas et difficiles quæstiones dilucide pertractat, et omnibus undequaque orientibus difficultatibus occurrit, ut veritas innotescat. Firmis et inconcussis argumentis potestatem Summi Pontificis supernaturalem tuetur, et ostendit per summam injustitiam regem in erroribus versantem spiritualem potestatem sibi arrogare, et per manifestam hæresim ab hæreticis Anglicanæ Sectæ illi attribui. Acute et sapienter detegit errores contra fidem delitescentes in juramento, quod rex Angliæ a subditis exigit; infidelitatem adversus Christum ejusque Ecclesiam, injustitiam erga subditos eo juramento contineri demonstrat, ita ut in juramento præstando cogantur subditi simul fidem catholicam abnegare. Agit hac in re acriter, sed vere et modeste. Opus sane doctissimum, singulari pietate et eruditione plenum, et quod nec ab eo, qui dicendi stylo valeret, posset paribus laudibus et encomiis exornari. Auctoritatibus, et vi rationum ita sunt Anglicanæ Sectæ errores convicti, ut nullum sit adversariis effugium, nullus respondendi locus, nisi forte responsio dicatur inanium verborum contentio, et convitiorum jactatio, apud dementes et furentes homines consueta. Faxit Deus ut, inspecta hac efficacissima et sapientissima defensione fidei (quæ ab initio nascentis Ecclesiæ, ab Apostolis edoctæ, sancita miraculis, et suffulta martyriis, eadem in Catholica et Romana Ecclesia perseverat), Serenissimus Jacobus, Angliæ rex, veritati Catholicæ sibi sufficientissime propositæ attendens, ut dignum est regio ingenio, ipse et subditi Protestantes ad Ecclesiam Catholicam Christi sponsam aggregentur. Ego opus hoc Sapientissimi Doctoris Francisci Soarii dignissimum judico, ut typis mandetur, et in lucem eat, ad fidei nostræ victoriam de hæresibus insignem, et ad totius orbis christiani publicam et communem utilitatem.

Datum Lameci, vigesimo quarto die Novembris. 1612.

MARTINUS, Episcopus Lamecensis.

DEFENSIO
FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

Cum responsione ad apologiam pro juramento fidelitatis, et epistolam ad principes christianos serenissimi Jacobi angliæ regis

PROŒMIUM

1. *Mens auctoris.* — Mallem quidem (1), «ut in causa non dissimili Ambrosius præfatus est», exhortandi ad fidem subire officium, quam de fide disceptandi suscipere onus. «Sed quoniam vel ipsum naturæ jus petit, omnesque leges, tam divinæ quam humanæ postulant, filium, parentem; sacerdotem, Ecclesiam; theologum, religionem; religiosum, sacra; ac denique membrum quantumvis vile, suum caput, quoad possit, a

(1) Ambros., in Præfat. ad lib. 1 de Fide.

quacumque injuria propugnare; ideo novum hoc scribendi genus non detrectare compulsus sum. Jacobus enim, serenissimus magnæ Britanniæ Rex, in Apologia sua, et Præfatione monitoria ad omnes christiani orbis principes, his omnibus vim inferre conatur, dum sectæ suæ, catholicæ ac primitivæ fidei nomen, nostræ vero religioni defectricis dedecus imponit; sibique fidei catholicæ defensoris nomen arrogat, Pontifici autem, omnium fidelium Pastori summo, et sub Christo capiti supremo, tyrannidis, et antichristianæ apostasiæ notam inurit; aliaque quam plurima nostræ fidei mysteria, et sacramenta insectatur; suaque impugnatione piorum corda commovit. Meque post alios doctissimos viros, licet eruditione ac eloquentia valde imparem, ad hoc opus aggrediendum induxit, et in palæstram mihi insolitam descendere coegit. Neque me regiæ dignitatis majestas terruit, sed potius ab eadem impugnata veritas vehementius excitavit, ne forte tanti nominis splendor infirmiorum oculos perturbaret. Maxime, quia regium in hac causa deposuisse videtur splendorem, dum, doctorem potius quam regem agens, usurpatam sibi supremam in ecclesiasticis rebus auctoritatem defendere nititur. In Ambrosio me legisse meminit» (1): Neque imperiale esse, libertatem dicendi denegare, neque sacerdotale, quod sentiat non dicere. Nihil in regibus tam amabile esse, quam libertatem etiam in iis diligere, qui obsequio ipsis subditi sunt; nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam, quod sentiat, non libere pronunciare. Siquidem scriptum est: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar (2). «His ergo divi-

(1) Ambr., lib. 2, ep. 17 ad Theodos.
(2) *Psal.* 118.

nis et sacris verbis permotus, licet proprio ingenio diffisus, causæ tamen confisus, et veritate nixus, libere pro illa loqui non pertimesco (1). Ea tamen proferre tantummodo conabor, quæ excelsum regis animum offendere non possint, nisi lux ipsa veritatem ostendens oculos male affectos offendat. Decrevi enim veritatem catholicam dilucidare ac tueri, non cum regia majestate decertare, sed illi potius, quod opto, in vera et catholica ostendenda fide inservire.

2. *Asserta Serenissimi Jacobi colliguntur.* — «Divino igitur aspirante favore, veritatem fidei a Christo Domino edoctam, ab Apostolis traditam, et a Sanctis Patribus integre illibateque conservatam, circa aliquot præcipua a Serenissimo Jacobo tacta, ostendendam aggrediar. Quo vero apertior dicendis sternatur via, cunctaque facilius percipiantur, regis imprimis scopum ac propositum, deinde vero respondendi ordinem a nobis servandum ob oculos proponam. Attente enim ac sedulo regium opus considerans, facile perpendi illuc præcipue collimare auctorem, ut fidelitatis juramentum, quod sibi a subditis suis exhiberi novissime instituit, totis conatibus tueatur. Et ideo tam Pontificia rescripta, quam Illustrissimi Cardinalis Bellarmini litteras ad Archipresbyterum impugnare conatus est. Postea vero responso de his rebus accepto, lacessitus rex, præfationem ad omnes christiani orbis principes suæ Apologiæ adjunxit, in qua contra Pontificem Summum tanquam contra communem hostem, et juris ac potestatis regiæ usurpatorem, illos nititur irritare, et ad generalem ab Ecclesia Romana defectionem commovere: tum spe majoris libertatis et

(1) Ambr., lib. 2 de Virgin., in princ.

potestatis excellentioris illos alliciendo, tum etiam timorem incutiendo, ne dum nimia (ut ait) et indulgenti lenitate Pontificiam dignitatem in immensum crescere sinunt, regius splendor vel penitus deleatur, vel saltem plus æquo obnubiletur. Et ne bellum hoc in Christi Vicarium movere existimetur, eo progressus est, ut Pontificem, non Christi defensorem, sed ipsum esse Antichristum persuadere moliatur. Ac denique ne veri Ecclesiæ filii, insignem admirati novitatem, eam detestentur, semetipsum ipsius catholicæ fidei defensorem nominat ac profitetur, ut hac ratione, secta, quam defendit, non hæresis, sed sola cum Romano Pontifice discordia esse videatur. Addit denique fidei suæ explicatam confessionem, qua persuadere nititur, primitivæ et antiquæ fidei inhærere, solumque (ut loquitur) novos ac nuperos fidei articulos ab Ecclesia Romana inventos abnegare.»

3. *Quo ordine sint impugnanda.*— «Ut igitur debito doctrinæ ordine procedamus, qui tum claritati, tum etiam utilitati quam in hoc opere intendimus inserviat, illud in sex libros distinguemus, qui prædictis punctis, mutato tantum ordine, respondebunt. In primis enim ostendam schisma illud, quod vel ipse rex suo in libello non inficiatur, nullatenus ab hæresi et infidelitate fidei vere catholicæ prorsus opposita, excusari posse; ac subinde usurpatum a Serenissimo rege defensoris catholicæ fidei titulum, non solum esse sine fundamento assumptum, verum etiam esse rei, quam profitetur, plane contrarium. A quo titulo initium dicendi sumimus, non tantum quia fronti regii operis præfixus, statim in admirationem rapit, sed etiam quia nobis ansam exhibiturus est aliqua stabiliendi principia, ex quibus Anglicanam sectam veræ Chris-

ti fidei fundamenta non habere facile concludi possit, et in hoc primum librum insumemus. In secundo vero, omnes articulos Romanæ fidei, quos Rex oppugnat, antiquos et catholicos esse, oppositosque sine aperta hæresi defendi non posse probabimus. Tertius deinde subsequetur liber, qui Summi Pontificis jus atque primatum pro nostris viribus tueatur. Non quod omnia, quæ de illius excellenti dignitate ac potestate dici poterant, persequenda censeam (sic enim in immensum cresceret opus), sed solum ut ostendam Romanum Pontificem temporalium regum potestatem non usurpasse, sed » supremi tantum sacerdotis dignitatem, a qua (*in inquit Hieronymus*) (1), Ecclesiæ salus pendet, « vindicasse, suumque jus, contra quod portæ inferi nec prævaluerunt, neque unquam prævalebunt, conservasse. Et quoniam sæpius rex in illa Præfatione de clericorum exemptione a temporali potestate, et jurisdictione laicorum, maxime conqueritur, et tertiam subditorum partem (ut ait) temporalibus regibus ademptam esse deplorat, ideo quartum addemus librum, in quo jus immunitatis personarum ecclesiasticarum demonstremus. In quinto deinde libro, non solum conjecturas omnes, quæ de Antichristo afferuntur, esse levissimas, verum etiam Antichristum Sedis Apostolicæ destructionem maxime moliturum, evincere conabimur. Sicque illis potius nomen illud convenire, qui ita sedulo Antichristi præripiunt officium. Nam, ut dixit Hieronymus ad Damasum, epist. 5» : Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est; « et ut ait Bernardus, epist. 124 ad Hildebertum, Turonens. Episcopum, loquens de Innocentio

(1) Hieronymus contra Lucife n.

Papa»: Qui Dei sunt, libenter junguntur ei ; qui autem ex adverso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus. «In sexto denique libro circa fidelitatis juramentum, breviter ostendemus quid in rege exigente sit injustitiæ et injuriæ in Apostolicam Sedem, quidque in illis subditis illud præstantibus, perjurii, vel infidelitatis involvat, diligentius explicabimus.»

4. *Methodus servanda.* — «Denique in procedendi et disputandi modo, stylum et scholasticam methodum tanquam mihi familiarem, et ipsa consuetudine quasi factam connaturalem, non omittam, etiamsi hominibus a nobis in fide dissentientibus minus grata esse soleat ; fortasse quia ad veritatem e tenebris eruendam aptissima est, et ad impugnandos errores efficacissima. Et idcirco quamvis testimoniis divinarum Scripturarum, Conciliorum et Patrum nobis præcipue sit utendum, nihilominus rationum pondera expendemus, et quantum in nobis fuerit, earum vim et efficaciam urgebimus, easque non solum ex prædictis fidei fundamentis, sed etiam ex ipso naturæ lumine, prout occasio postulaverit, colligemus; non quod illis sacrosanctæ nostræ religionis mysteria, quibus defendantur, indigeant, sed quod ostendere non obscure possint, quam longe ab omni prudentia et a ratione ipsa discedant, qui ab Ecclesia Catholica Romana in rebus ad salutem pertinentibus dissentire, seque ab illa segregare non verentur.»

LIBER PRIMUS

QUANTUM ANGLICANA SECTA

A DOCTRINA CATHOLICA DISSIDEAT

Scopus auctoris. — Duo modi ostendendi errorem sectæ Anglicanæ proponuntur. — Proposui demonstrare titulum defensoris fidei catholicæ, quem Serenissimus Jacobus sibi arrogat, ejusdem factis esse contrarium. Hoc enim necessarium duxi, tum propter Catholicos homines, qui sub illius ditione commorantur, ne fortasse illo specioso titulo decipi contingat; tum propter reliquos, qui ejusdem cum illo sunt opinionis, ut illius, in qua manifeste versantur, hæresis moneantur, et, si fieri potest, convincantur. Hic enim est hujus nostri laboris scopus, quem si, Deo juvante, consequi potuerimus, profecto titulum illum vanum esse, et sine re, caputque et protectorem hujus schismatis, Catholicæ fidei adversarium esse, non defensorem, evidens fiet. Duobus autem modis errorem illius sectæ demonstrare possumus: prius generatim ostendendo, in illa veræ fidei fundamentum, et certam ac infallibilem credendi regulam non esse; monstrando deinde singulos ejus errores, quos, rex ipse profitetur, clarissimis argumentis, et certissimis testimoniis confutando. In hoc ergo libro priorem inchoamus viam, in qua non possumus aptius

initium sumere, quam statim ante Anglorum oculos proponendo felicem statum veræ ac catholicæ fidei, quo ante exortum schisma fruebantur. Et idcirco operæ pretium duxi, in primo hujus libri capite de progressu regni Angliæ in christiana religione ab eo tempore, in quo illius lumen accepit, usque ad præsentem diem pauca præmittere.

Nam sicut in moralibus rebus, facti (ut jurisperiti locuuntur) cognitio, ad ferendum de jure judicium, imprimis solet esse necessaria, ita in præsenti causa antiquioris fidei cognitionem, tum ad intelligendam erroris causam et originem, tum etiam ad illius repugnantiam et oppositionem cum fide catholica perspiciendam, necessariam esse judicamus. Siquidem, Cypriano teste, ep. 74, apud religiosas et simplices mentes hæc est compendiosa ratio errorem deponendi, inveniendique, et erudiendi veritatem (1): «Nam si ad divinæ traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus, et sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quidquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionum ratio noscatur, utrum ne, arescentibus venis, in capite unda siccaverit, an vero integra inde et plena procurrens in medio itinere destiterit?» Quod Cypriani consilium maxime collaudans August., lib. 5 de Bapt., c. 26, concludit, «optimum esse, et sine dubitatione faciendum». Tantorum ergo Patrum vestigiis insistentes, rem aggrediamur.

(1) Cardin. Baron., anno 35, num. 5, ex manuscriptis historiæ Anglicanæ quæ in Vaticano habetur.

CAPUT PRIMUM

De fidei catholicæ progressu, et statu Anglicanæ gentis a prima ejus conversione usque ad præsentia tempora

1. *Fides Catholica cœpit in Anglia ab ortu Evangelii.*— Gildas ille, cognomento sapiens, de excidio Britanniæ (quem Polydorus Virgilius, Beda, et alii sequuntur), Britanniam jam inde ab initio orti Evangelii Christianam recepisse religionem testatur; quam rem Polidorus, lib. 2 Historiæ Anglicanæ, sic accidisse describit (1): «Cum Joseph ille, qui teste Matthæo Evangelista, ab Arimathia civitate oriundus, Christi corpus sepeliverat, sive casu, sive consilio, ita volente Deo, cum non parvo comitatu in Britanniam venit; ubi tam ipse, quam ejus socii, cum de Evangelio prædicarent, atque dogma Christi sedulo docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaque fruge baptizati sunt.»

2. *Aucta est tempore Eleutherii Papæ.* — Eamdem postea insulam confirmavit, vel iterum prius ad fidem reduxit Eleutherius, Pontifex Romanus a Petro duodecimus, teste Beda, lib. 1, c. 4: «Misit ad eum Lucius, Britannorum rex, Epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox piæ postulationis consecutus est effectum; susceptamque fidem usque in tempora Diocletiani principis inviolatam, integramque servabant». Nam deinde (teste Gilda, et ex eo Polidoro supra) «ob immanitatem persecutionis, religio ita refrixerat, ut sit pene extincta.»

3. *Gregorii tempore iterum restituta.*—Tandem vero (divina

(1) Baron., anno Christi 183, ex lib. de Roman Pontif., Martyrolog. et aliis.

afflante gratia) anno Christi Domini 590, Mauritii imperatoris anno 11, Gregorius Papa primus, missis in Britanniam Augustino et Mellito, Rege Cantii Ethelberto eorum prædicatione converso, et salutari baptismatis fonte abluto, eamdem idolis servientem insulam restituit Christo. Cujus ultimæ a Romana Sede provenientis conversionis causam, modum, ordinem, et progressum fusius prosequuntur ipsemet Gregor., lib. 5, epist. 10, 58 et 59, et lib. 7, epist. 112, indict. 2; Beda supra, cap. 23; Joan. Diac., in Vita Gregorii, lib. 2, c. 34; Baron., anno Christi 596, n. 9, 10, 11, 12, 13 et 14, et alii, quamvis nonnulla sit in annis computandis discordia, quæ ad præsens institutum nihil refert.

4. *Usque ad Henrici tempora duravit.* — A prædicto vero tempore usque ad annum Domini 1534, et decimum quintum fere annum Henrici regis, ejus nominis VIII, per annos circiter mille, prout ex Anglorum liquet annalibus, non alia viguit apud illos religio, præter illam, quam in hodiernum usque diem communiter vocitant «Antiquam, Catholicam» inquam «Romanam». Adde, quod et ipsemet Henricus VIII, in hoc usque tempus adeo Sedi Apostolicæ fuit devotus, ut in ejus, fideique Romanæ defensionem, justum adversus Lutherum tunc in Petri sedem debacchantem composuerit librum, quem Leoni X, Christi tunc in terris Vicario (ut habetur in ipsa ejusdem Pontificis ad eumdem etiam regem Henricum constitutione 45), examinandum, et auctoritate apostolica approbandum misit. Ubi dum septem asserit Sacramenta, art. 2, sic Romanæ Sedis propugnare conatur auctoritatem: «Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium sacrosanctam Sedem Romanam velut matrem, primatemque recognoscat ac veneretur, quæcumque saltem neque locorum distantia, neque periculis interjacentibus prohibetur accessu: quanquam si vera dicant, qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipsi, tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disjuncti, Romano tamen se Pontifici submittunt. Ergo si tantam, ac tam late fusam potes-

tatem, neque Dei jussu Pontifex, neque hominum voluntate consecutus est, sed sua sibi vi vendicavit, dicat, velim, Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit possessionem; non potest obscurum esse initium tam immensæ potentiæ, præsertim si intra hominum memoriam nata sit.

5. *Henrici VIII lapsus.* — Hæc scripsit rex ille, quo tempore fuit Romanæ Ecclesiæ addictissimus. Postea vero, nimio Annæ Bolenæ flagrans amore, a Sede Apostolica facultate, quam sæpius petierat, non obtenta, et legitima sua uxore Catherina Catholicorum Hispaniæ regum filia repudiata, prædictam Annam, omni reclamante jure, duxit uxorem. Qui, ut impunius (ut sibi videbatur) faceret, seipsum Ecclesiæ Anglicanæ caput constituens, et ab omnibus haberi, dicique decernens, vero Christi in terris Vicario denegavit auctoritatem. Hæc basis, hoc fundamentum, et origo novi nati in Anglia Evangelii. Neque ipsi diffitentur aut erubescunt Protestantes, ut vulgatum est in illius temporiis historiis (1).

6. *Sub Eduardo Zuingliana secta introducitur.* — Post ejusmodi vero illius Ecclesiæ caput ex turpissimis principiis obortum, anno Dominicæ incarnationis 1546, aliud non minus firmum, et regimini ecclesiastico aptum (puer nempe novem annorum, Eduard. VI) utrumque moderaturum corpus, spirituale et temporale, ipse licet alterius indigens regimine, successit. Quem etsi pater in fide catholica (uno dempto primatus Ecclesiæ titulo) educari jusserat, hoc tamen spreto Henrici regis mandato, Zuinglianam Henrico omnium maxime exosam amplexatus est sectam, Pontificiamque exercuit auctoritatem, eo quod (ut in illius rescripto quodam legitur) «omnis juris dicendi auctoritas, atque etiam jurisdictio omnimoda, tam illa, quæ ecclesiastica dicitur, quam secularis, a regia potestate velut a supremo capite manat». Cum plurimæ igitur innovationes

(1) Surius, in Historia nostri temporis. Cochleus in Historia Lutheri. Mauritius Canneus in historia de Martyrio Carthusianorum.

per totum fere septennium fierent, Regius tandem juvenis pridie nonas Julii, ætatis suæ anno 16, regni vero 7, e vivis excessit, eoque extincto, et ipsa itidem Zuingliana secta in Anglia pene extincta est.

7. *Sub Maria fides restituitur.* — Subsecutum est etenim felicissimum illud regnum Mariæ, lectissimæ pariter ac religiosissimæ in omnibus feminæ, quæ post obtentam cœlesti auxilio inexpectatam ab inimicis victoriam, sua sola pietate et religione mota, primatus titulum a patre et fratre usurpatum respuit, et e stylo regio delevit, pristinamque quam semper professa fuerat, catholicam religionem, divina mirifice cooperante potentia, Pontificis interposita auctoritate, per omne suum regnum restituit. Sed ob patris vel subditorum peccata, hoc tanto Romanæ fidei publicæ professionis bono, præclarissimæ reginæ morte, post quinquennium et quatuor menses, privata est Anglia.

8. *Elisabetha Calvinianam sectam in regnum invexit.* — Mariæ in regno successit Elisabetha, tertia Henrici soboles, non vero in pietate ac religione. Nam pro catholica, Calvinianæ sectæ formam statim in regnum induxit. Et quamvis in primo Parlamento non fore caput Ecclesiæ appellandam visum fuerit, quia Calvino nomen illud in patre displicuerat, nihilominus supremæ gubernatricis Anglicanae Ecclesiæ (quod in idem recidit) sibi nomen assumpsit, subditosque ad illud solemni juramento confirmandum compulit, multisque legibus in variis comitiis editis, omnimodam in spiritualibus potestatem regio sceptro annexam esse voluit, decrevit, ac declaravit. Et in hoc statu ac professione religionis, quamdiu Elisabetha vixit, Anglia perseveravit.

9. *Status Angliæ sub Jacobo.* — Illa vero demortua, Serenissimus Jacobus reginæ Scotiæ Mariæ filius, et in regno hæres, sceptrum etiam Anglicani regni consecutus est, neque hoc suo jure contentus, simul cum illo primatum cum suprema spirituali potestate in universam Britanniam usurpavit, sectam au-

em vel Calvinianam, vel parum ab ea diversam profitetur, et a uis subditis totis conatibus recipi et observari studet. Et nihilominus semetipsum non solum Catholicum, sed etiam fidei vere christianæ, catholicæ, et apostolicæ defensorem et propagatorem profitetur. Quantum vero titulus hic a veritate aberret, quantumque facta verbis contraria sint, videndum superest.

CAPUT II.

Sectam anglicanam a fide vera discessisse.

1. *Dilemma efficax proponitur. — Prior pars dilemmatis ostenditur.* — Assertionem hanc evidenti consecutione ex narratione, et rerum mutatione in superiori capite proposita, in hunc modum colligo. Interrogo enim an fides illa, quam per Augustinum, et alios verbi Dei ministros, a Gregorio missos Anglia recepit, et usque ad Henricum VIII retinuit, vera fuerit necne. Nam quidquid horum eligatur, facile, ut existimo, convincemus, eam, quam nunc rex Angliæ profitetur, fidem vere Christianam non esse. Argumentum hoc sumere mihi videor ex Augustino, lib. 2 contra ep. Gaudent., c. 7, ubi Donatistas sic urget: «Dic mihi utrum eo tempore Ecclesia, quando secundum vos, omnium criminum reos recipiebat, etc., malorum contagione perierat, an non perierat, etc.», et infra: «Respondе, utrum Ecclesia perierit, an non perierit? Elige quod puaveris: si jam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autem ot in eam sine baptismo» (utique secundo) «aggregatis perire on potuit, responde, quæso, ut ab ea se tanquam malorum communione devitans, pars Donati separaret, quæ dementia peruasit?» Simili enim modo interrogamus: vel tempore Gregorii Ecclesia perierat, vel non perierat. Si perierat, Anglicanam Ecclesiam quæ genuit? Si non perierat, ut ab ea se Anglia sub

Henrico separaret, quæ dementia persuasit, aut quo modo potest catholica esse, quæ in separatione ab Henrico facta perseverat? Nam imprimis si antiqua illa fides vera fuit, defectio ab illa repugnans est et contraria veræ fidei; at vero secta quam nunc Anglia profitetur, nihil aliud est quam defectio, seu rebellio quædam ab illa fide; quomodo ergo potest vera fides dici aut reputari? «Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli (1)?» Fieri enim non potest, ut contraria simul in idem conveniant: defectio autem a vera fide contraria est ipsi fidei christianæ; ergo non potest secta, introducta per defectionem a christiana fide, ejusdem nomen, nedum veritatem usurpare. Etenim divina fides, qualis christiana est, mutari non potest, neque inconstantiam pati: nam Deus, in cujus veritate nititur, seipsum negare non potest, vel (quod perinde esset) quod semel dixit retractare; ergo secta, quæ per defectionem a divina et catholica fide introducta est, non potest esse divina fides, sed humana adinventio, vanaque opinio.

2. Atque hunc discursum confirmat egregie reprehensio Pauli, quæ non minus in Anglos quam in Galatas convenit: «Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi» (2); id est (exponente Chrysostomo) «sunt aliqui, qui mentis vestræ obtutum opinionibus suis turbant, et subvertere volunt Christi Evangelium, quod unicum est, et præter illud non potest esse aliud.» Ergo omnis doctrina, quæ ab illo unico Evangelio deficit, humana opinio est, et secta veritati divinæ contraria. Nomine enim «Evangelii», ut exposuit August., lib. 3 cont. litter. Petil., c. 6, omnem catholicam doc-

(1) II *ad Cor.*, 6.
(2) *Ad Galatas*, 1.

trinam Paulus comprehendit, de qua subjungit: «Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit.» Quod iterum statim repetit, ut fidei Catholicæ firmitatem et stabilitatem exaggeraret», ait Hieronymus; «quia si fieri posset ut Apostoli et Angeli mutarentur», tamen non esset ab eo, quod semel acceptum fuerat, recedendum;» et latissime Lirinens., cap. integro 12, ubi inter alia inquit: «Tremenda districtio, propter adserendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris coapostolis pepercisse. Parum est, etiam si Angelus», etc. Igitur si prior doctrina Anglis prædicata, et ab eis fideliter recepta, divina fuit, defectio ab illa non potest esse translatio in aliam fidem veram, sed potius est fidei perversio et conturbatio.

3. *Qui negat aliquid fidei totam subvertit.*—Atvertitque eleganter Hieronymus (quod maxime pro sequenti doctrina considerandum est) hæc dici a Paulo, de his qui in eumdem credebant Deum, et easdem Scripturas habebant, proprio tamen spiritu eas interpretabantur, et ita Evangelium novum introducere, seu mutare, antiquare, et in aliud convertere conabantur: «Sed non valent (ait Hieronymus) quia hujusmodi naturæ est, ut non possit aliud esse quam verum est.» Et subjungit: «Omnis, qui Evangelium alio interpretatur spiritu et mente, quam scriptum est, credentes turbat, et convertit Evangelium Christi, ut quod in facie est, post tergum faciat, et ea, quæ post tergum sunt, vertat in faciem.» Chrysostomus tandem, divino quidem, ut apparet, spiritu motus, quasi præsentem schismatis causam, et Ecclesiæ Anglicanæ statum contuitus, advertere nos jubet, dicens: «Audiant quid dicit Paulus, nimirum, illos subvertisse Evangelium, qui paululum quoddam rerum invexerunt. Nam ut ostenderet quod pusillum quoddam perperam admistum, totum corrumpit, dixit subverti Evangelium. Nam sicut qui de moneta regia paululum de impressa imagine amputaverit, totam monetam adulterinam reddit; ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subvertit, in totum corrumpitur, ab hoc initio

semper ad deteriora procedens. Ubi sunt igitur qui nos ut contentiosos damnant, eo quod cum hæreticis habemus dissidium, dictitantque nullum esse discrimen inter nos et illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam?» Sic igitur Serenissimus Angliæ Rex, vel alii, qui ejus schisma et sectam profitentur, fidem catholicam, quæ in regno illo prius vigebat, ne dicant, in parvis, paucis, aut minimis defecisse, aut humanum esse de principatus ambitione dissidium obtendant. Nam quacumque ex causa fidei doctrinæ defuerint, in re quantumvis minima, totam fidem catholicam perturbarunt et amiserunt. Eo vel maxime quod non in paucis nec in minimis rebus, sed in maximis fidei fundamentis, ut mox patefiet, deviarunt. Sit igitur constans et manifestum, si Anglicana fides usque ad defectionem Henrici VIII catholica fuit, sectam, quam ab illo tempore profitetur, fidem veram non esse, sed catholicæ fidei perturbationem aut corruptionem. Atque hæc videntur de priori membro sufficere, nam et res est per se satis clara et evidens, et, quantum ex verbis regis conjicere valeo, tam ipse quam alii Protestantes partem aliam censent esse præhabendam.

4. *Altera pars dilemmatis confirmatur.—Stultissimum hæretici dictum.*—Hanc igitur egregiam rationem defectioni suæ obtendent. Ante regis, nempe Henrici, ejus nominis VIII, tempora, Angliam fidem catholicam amisisse, ac subinde propter mutationem ab Henrico factam, in fide neutiquam aberrasse, sed ad illam potius tunc rediisse, Henricique delictum, Anglorum fuisse salutem, quia per illud, vel occasione illius illuminati sunt, et a tenebris in quibus versabantur, erepti. Neque enim defuit quidam ex illorum pseudoprophetis (1), qui in hunc modum exclamaverit: «O veræ, et non sine divino numine conciliatæ nuptiæ, cœlestique partus ac progenies, quibus patria a servitute et caligine plus quam Ægyptiaca erepta, atque liberata et

(1) Calvinista quidam, lib. 2 de Henrici Matrimonio. Londini edito anno 1583.

ad verum Christi cultum revocata est.» Tanta est enim humanæ mentis infirmitas, ut a Deo derelicta, et suis desideriis tradita, tenebras vocet lucem, et lucem tenebras, sibique persuadeat lumen evangelicæ veritatis inter turpissimas voluptates eluxisse, et (quod absurdissimum est) nefandas nuptias peculiari divinæ providentiæ attribuat. Hæc enim omnia errata in illis continentur verbis. Et præterea ex eisdem conjectare licet, eo tempore jam fuisse in Anglia apud multos introductam eam de antiqua sua fide existimationem, quod falsa fuerit, et non catholica.

5. *Sanderus in Eduardo VI.— Henrici VIII testimonio Angliam ante illum fidem catholicam retinuisse ostenditur.* Verumtamen hic error confutari potest imprimis ejusdem Henrici VIII testimonio, quod apud regem Angliæ necesse est ut auctoritatem habeat, si constanter loqui, et primatum, quem usurpat, aliqua defendere auctoritate velit. Ipse enim Henricus jam moribundus Eduardum filium, quem hæredem relinquebat, in fide catholica, uno tantum excepto primatus articulo, educari voluit et mandavit. Per fidem autem catholicam sine dubio intellexit fidem illam, quam cum Ecclesia Romana ipse prius cum suo regno professus fuerat: hanc enim semper vocavit catholicam, neque ad fidem aliam possunt illa verba referri. Declaravit ergo ille rex et sua confessione confirmavit, fidem, quam præcedentibus temporibus Anglia profitebatur, catholicam fuisse. Cur ergo rex Angliæ in articulo primatus tam libenter ac pertinaciter suum sequitur prædecessorem, et in reliquis articulis, in quibus Henricus veritatem catholicam confessus est, eumdem abnuit imitari? Quod si fortasse respondeat sectam suam ab aliis educatoribus ab incunabulis accepisse, saltem fateatur necesse est, illam novam ac recentem esse; ex quo facile etiam concluditur, illam non posse esse catholicam, sed potius esse a fide catholica defectionem. Verumtamen hunc locum in sequentibus latius prosequemur; nunc satis sit osten-

disse, sine fundamento et inconstanter opinatos illos, qui, in articulo primatus Henrico fidem adhibentes, ejus fidei catholicæ confessionem detestati recusant.

6. *Altera ejusdem partis probatio.*—Sed videamus ulterius, quo sensu Anglicanam fidem ante Henricum VIII non fuisse catholicam, astruant Duobus enim modis id excogitari potest. Unus est, in principio quidem fidem catholicam prædicatam esse in Anglia, et receptam etiam Gregorii tempore, postea vero corruptam et amissam fuisse; alter vero modus erit, si quis sentiat, in ipsamet prædicatione fidei per Augustinum facta, traditam esse Anglis doctrinam fidei jam corruptam, et ab antiqua catholica et Apostolica longe diversam; ostendemus autem utrumque ex his modis esse incredibilem. Et imprimis si prius Anglia tempore Gregorii catholica fuit, qui dixerit postea ante Henricum mutatam fuisse, necesse est ut ostendat quo tempore ea mutatio contigerit, sub quo rege, et sub quo Pontifice Romano, vel sub quibus Prælatis Anglicanis; itemque in quibus rebus vel articulis facta fuerit mutatio; nihil autem horum cum aliquo veritatis aut probabilitatis indicio hactenus monstratum est, vel ostendi potest; ergo hoc ipso talis assertio tanquam voluntaria et temeraria, et illi regno injuriosa rejicienda est.

7. Deinde si attente considerentur quæ Beda et aliæ historiæ Anglicanæ referunt, nullum schisma, nullave hæresis invenietur, quæ post Gregorium totam illam gentem occupaverit. Imo neque legitur mutatio aliqua, vel varietas in his omnibus, quæ nunc novi detestantur hæretici. Nam, ut ex dicendis constabit, eadem fuit sacramentorum religio, eademque sacrosanctæ Eucharistæ fides ac veneratio, idem Sanctorum cultus, ac sacrarum imaginum usus, et, quod caput est, eadem ad Apostolicam sedem obedientia et subjectio: quæ igitur fingi potest defectio a fide catholica, quæ per universum illud tempus in Anglia fuerit? Denique cum Anglia ex tunc eamdem fidem, quam Romana Ecclesia, semper professa fuerit (hoc enim nemo negare potest, qui historias ecclesiasticas legerit), non

potuit eadem Insula catholicam fidem amittere, quin Romana etiam Ecclesia illam amiserit: nam fuit utriusque eadem fides. Ostendemus autem paulo inferius Romanam Ecclesiam post Gregorium a catholica fide non defecisse, imo in universum ab illa deficere non posse; ergo neque in Anglicana Ecclesia mutatio in catholica fide eo tempore facta est.

8. *Rex Jacobus videtur sentire fidem per Augustinum in Anglia prædicatam non esse catholicam.*——Superest ergo ut dicant, licet Anglia non mutaverit fidem a tempore Gregorii usque ad Henricum VIII, nihilominus eo tempore non fuisse catholicam, quia fides, per Augustinum et alios ministros Gregorii prædicata, catholica non fuerit. Ex quo fit ut ante Henricum VIII nunquam in Anglia fuerit catholica fides, saltem in ea parte Britanniæ, quæ usque ad Gregorium Evangelii lucem non recepit. Quod quidem, quantum conjectare possum, non abhorret a Jacobi regis fide, seu opinione, nam ea jacit in Præfatione principia et fundamenta, quibus hæc sententia valde consentanea esse videatur. Ibi enim omnem doctrinam fidei, quam Ecclesia Romana post quingentesimum a Christo annum amplexa est, incertam et suspectam se habere sentit, aliisque suadere conatur. Nam in pag. 43: «Quidquid (ait) quadrigentis post Christum annis unanimi consensu Patres ad æternam salutem necessarium statuerunt, aut cum his ita esse sentiam, aut modesto saltem silentio obmutescam, reprehendere certe non audeo. In quibus verbis dum solis Patribus primorum quatuor sæculorum aliquid auctoritatis defert, totam recentiorem doctrinam suspectam habet, et (quod mirandum est) etiam illis antiquissimis Patribus, unanimi consensu loquentibus, fidem suam non accomodat, sed solum reprehendere non audet; cæteros ergo omnes, qui posterioribus floruerunt sæculis, etiamsi de re ad salutem necessaria, unanimi consensu aliquid statuant, reprehendere audebit, ne dum de eorum fide dubitare. Deinde pag 47 subnectit, non quidquid Romana Ecclesia ante quingentesimum Christi annum de fide credendum docuit, pro fide habendum

esse. Hinc ergo vehemens oritur conjectura, non difficile admissurum esse Jacobum fidem per Augustinum in Anglia seminatam, non fuisse puram et catholicam, sed aliis nævis, imo rebus quas ipse nuperas ac novitias appellat, fuisse permixtam. Cum enim ipse sentiat, a quingentesimo Christi anno Romanam fidem cœpisse deficere, et falsis dogmatibus permisceri; et Augustini prædicatio in Anglia anno 582 post Christum inceperit, teste Beda, lib. 1 suæ Hist., cap 23, quid mirum est, si concedat, vel respondeat fidem ab Augustino prædicatam, neque puram, neque omnino catholicam fuisse?

9. *Fidem ab Eleutherio prædicatam fuisse veram.* — Quanta vero et quam perniciosa dogmata in hoc modo respondendi seu evadendi contineantur, ex altioribus fidei principiis in sequentibus demonstrare conabimur; nunc vero inchoatum discursum prosequendo, responsum illud esse ab omni ratione alienum, et receptissimis historiis contrarium, et ipsimet Anglicanæ genti ignominiosum et injuriosum, ac denique contra Gregorium et Augustinum esse imposturam gravissimam, ostendendum est. Prius vero supponamus, fidem prædicatam in altera parte Britanniæ longe ante tempora Gregorii omnino veram, puram et catholicam fuisse, et in ea per plures annos perseverasse. Quod non existimo, vel Regem Angliæ vel aliquem ex suis ministris negaturum esse. Quia de tempore Eleutherii, et usque ad quadringentesimum, vel quingentesimum Christi annum, rex etiam ipse sentit, in Romana Ecclesia veram Christi fidem, puram et illibatam conservatam fuisse. Cum ergo pars illa Britanniæ fidem per Eleutherium acceperit, et in ea semper cum Ecclesia Romana communicaverit, et hæresibus contra illam insurgentibus, præsertim Arianæ et Pelagianæ restiterit, ut idem Beda per plura capita refert, evidentissimum est, fidem Britannicam in ea parte et illo tempore catholicam fuisse. Atque hujus veritatis præter Gildam, Bedam, et alios historiographos, habemus antiquissimos testes, Tertullianum, Eleutherio vicinum, qui lib. contra Judæos, c. 7, inter Ecclesiæ Catholicæ provincias, et

regna veram Christi fidem profitentia, ponit, «Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita»; et Chrysostomum, qui tom. 5 in Demonstratione contra gentiles, quod Christus sit Deus, col. 14, amplitudinem etiam Ecclesiæ Catholicæ describens ait: «Nam et Britannicæ insulæ extra hoc mare sitæ, et quæ in ipso Occeano sunt, virtutem verbi senserunt, sunt enim etiam illic fundatæ Ecclesiæ, et erecta altaria»; et t. 3, in sermone de Pentecoste, «Hodie nobis, etc.», similiter describens sanctitatem Ecclesiæ Catholicæ, inter alias provincias Britanniam enumerat, dicens: «Ante hoc autem quoties in Britannia humanis vescebantur carnibus, nunc jejuniis afficiunt animam suam.

10. *Idem de fide ab Augustino prædicata concluditur, primo auctoritate.* Ex hoc igitur fundamento ita concludo: fides sub Gregorio in Anglia prædicata, nec contraria nec diversa fuit ab illa quae sub Eleutherio Britannis prædicata est: sicut ergo prior catholica fuit, ita etiam posterior, quia revera in se non fuit prior aut posterior, sed una et eadem, quæ citius vel tardius diversas illius insulæ partes occupavit. Cujus rei testis locupletissimus est Beda, dicto lib. 1 Hist. Angl., c. 22, ubi referens pravos mores Britannorum fidelium, inter alia sic inquit: «Quin inter alia inenarrabilium scelerum facta, quæ historicus eorum Gildas flebili sermone describit, et hoc addebat, ut nunquam genti Saxonum, sive Anglorum secum Britanniam incolenti verbum fidei prædicandum committerent. Sed non tamen divina pietas plebem suam, quam præscivit, deseruit, quin multo digniores genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, destinavit». Et statim c. 23 narrare incipit Gregorii providentiam in mittendo Augustino cum sociis ad fidem Anglis prædicandam, et in c. 26, non solum prædicatores illos Apostolicam doctrinam docuisse asserit, sed etiam vitam fuisse imitatos: «Cæperunt» (inquit) «Apostolicam primitivæ Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis, vigiliis, ac jejuniis serviendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta

hujus mundi velut aliena spernendo», etc. Et infra: «Crediderunt nonnulli, et baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinae eorum cœlestis». En infra subjungit, plures quotidie ad audiendum verbum cœpisse confluere, ac relicto gentilitatis ritu, «unitati se sanctæ Christi Ecclesiae credendo, sociare». In confesso itaque debet esse ex hac Bedæ narratione, eamdem catholicam fidem fuisse Anglis prædicatam, quæ prius fuerat Britannis tradita, et ita illam insulam in unitate fidei, et inter se, et cum aliis christianis populis unitati Ecclesiæ fuisse conjunctam.

11. *Secundo, ex utriusque comparatione.*—Præterea, ex his quæ de modo religionis christianæ utriusque gentis, loci ac temporis, vel in iisdem historiis referuntur, vel per se manifesta sunt, palam est nullam fuisse inter utramque prædicationem doctrinæ diversitatem. Nam imprimis pro comperto habetur, ea dogmata fidei, quæ Protestantes ipsi, et cum eis rex Angliæ antiqua vocat, quæ tum in tribus symbolis continentur, tum in quatuor primis Conciliis explicata ac definita sunt, integra fide et veritate fuisse per Augustinum et socios Anglis prædicata, cum eodem tempore Gregorius decreverit quatuor prima generalia concilia, sicut quatuor Evangelii libros suscipienda, et in veneratione habenda esse, quibus etiam quintum annumerat, lib. 1 Epistolarum, epist. 24. Neque ipsimet Anglicani Protestantes, qui de hac fide antiqua gloriantur, et eam se retinere profitentur (quod quam verum sit, postea videbimus) illam aliunde quam a Gregorio et ab Augustino, ejus ministro, per traditionem et continuam successionem suorum prædecessorum fidelium habuerunt; de his ergo dogmatibus nulla est, quæ ad præsens attinet, controversia.

12. Alia vero, quæ ipsi nunc in Ecclesia Catholica Romana reprehendunt, ut sunt Missæ sacrificium, altaria, Ecclesiæ in honorem Sanctorum ædificatæ, reliquiarum veneratio, Sanctorum invocatio, sanctarum imaginum usus, Ecclesiæ Romanæ obedientia et subjectio, sicut libenter admittimus, fuisse credi-

ta et observata in Anglia a temporibus Gregorii, ita ipsi negare non possunt eadem fuisse credita et observata in Britannia a temporibus Eleutherii ; ergo vel negent fidem primitus in Anglia prædicatam, fuisse catholicam, vel desinant fidem per Augustinum inductam accusare, vel tanquam minus catholicam repudiare. Probatur æquiparatio proposita, nam imprimis Beda, dicto c. 26, refert fuisse in Anglia ecclesiam in honorem S. Martini antiquitus factam, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, nempe ante Augustini prædicationem, et post illam subjungit : «In hac ergo et ipsi primo convenire, psallere, orare, missas facere, prædicare, et baptizare cœperunt, donec rege ad fidem converso, majorem prædicandi per omnia, et ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acciperent.» Et c. 33, refert, Augustinum Ecclesiam quamdam, ibi opera Romanorum antiquorum fidelium antea factam, dedicasse et consecrasse, et ejusdem hortatu factam esse ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quam successor ejus Laurentius consecravit.

13. Simili autem modo Gildas antiquam Britanniæ fidem, et religionem christianam descripsisse videtur in sua historia, seu opusculo de excidio Britanniæ, ubi in col. 4, loquens de tempore post mortem Diocletiani, sic inquit : «Renovant ecclesias ad solum usque destructas, basilicas Sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde oreque conficiunt, omnes exultant filii gremio, ac si matris, Ecclesiæ consorti.» Et inferius col. 8, loquens de tempore cujusdam persecutionis, inquit : «Ita ut cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnesque coloni cum Præpositis Ecclesiæ, ac populo, etc., solo sternerentur.» Et infra : «Et sacra altaria cadaverum frustra, crustis purpurei cruoris tecta velut in quoddam horrendo torculari mista viderentur.» Et paulo inferius iterum mentionem facit «sacrosancti altaris», quod vocat «sacrificii cœlestis sedem » Et inferius deplorat, quod tempore persecutionis non audiebantur Dei laudes, «Canora Christi tyronum voce suaviter

modulante, neque ecclesiasticæ melodiæ»; et paulo inferius, col. 13, mentionem facit nuptiarum, quas «illicitas» vocat, «quia post votum monachi factas. Ac denique in fine illius libri, in ecclesiastico ordine numerat «Episcopos, sacerdotes, et alios clericos.» Quos quidem in alio opere, de Ecclesiasticorum correctione, graviter reprehendit quoad mores, licet statum maximopere veneretur; et inter reprehensiones adhibet, «raro sacrificantes, ac raro puro corde inter altaria stantes.» Et inferius distinguit varios ecclesiasticos gradus, præsertim episcopatum, et presbyterium, et eos graviter reprehendit, «qui non ab Apostolis, vel ab Apostolorum successoribus habent sacerdotia, sed a tyrannis emunt.» Quibus consentanea sunt verba quæ supra ex Chrysostomo retuli, quibus tradit, suo tempore in Britannia fundatas fuisse ecclesias, et erecta altaria. Quæ omnia manifeste ostendunt quam fuerit consona fides et religio illius temporis cum ea, quæ fuit tempore Gregorii, et quam nunc in Ecclesia Romana conspicamur; et e converso quantum ab illa discrepet ea, quæ nunc est in Anglia, non reformata (ut ipsi vocant), sed revera potius deformata religio, quæ cœleste sacrificium non habet, vel per fidem recipit, altaria destruit, sacerdotes detestatur, et templa in honorem Sanctorum dicata non admittit. Igitur nova est hæc et humana inventio; fides autem, tam sub Gregorio quam sub Eleutherio in Anglia prædicata, vera et catholica fuit, semperque usque ad prædictum Henrici regis lapsum permansit.

14. *Tertio, ex sanctitate, et miraculis Augustini et sociorum.* —Possumus hoc præterea confirmare ex modo, quo illa fides per Augustinum et socios Angliæ tradita et persuasa est. Nam imprimis vita illorum prædicatorum quantum Apostolicæ similis fuit, tantum a novis sectariis et eorum moribus discrepabat: nam illi religiosam sectabantur vitam, quam isti abominantur; illi Missas et sacrificia celebrabant, isti tanquam diabolicum commentum effugiunt; illi assiduis vigiliis et jejuniis serviebant, et cuncta hujus mundi spernebant, ut ait

Beda; isti vero voluptatibus corporis dediti, nihil aliud præter humanum honorem quærunt. Denique ait Beda : «Illi non dæmoniaca, sed divina virtute prædiți, veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, littaniasque canentes, pro sua simul, et eorum propter quos et ad quos venerunt, salute æterna, Domino supplicabant.» Atque his armis, divinis potius quam humanis, brevi tempore Regem simul cum regno ad Ecclesiæ unitatem, et Apostolicæ sedis obedientiam reduxerunt.

15. Addit denique Beda id non esse perfectum sine multis miraculis ; sic enim ait c. 26 : «At ubi rex delectatus vita mundissima sanctorum, et promissis eorum suavissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum ostensione firmaverunt, credens baptizatus est», etc. Et cap. 31, refert tot ac tanta signa fuisse per Augustinum facta, «ut Gregorius Pontifex, ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, missa ad eum peculiari epistola, ipsum hortatus sit.» Quæ est 58, libri 9, indict 4, ubi inter alia, hæc ad nostrum maxime facientia propositum superaddit Gregorius : «Scio quia omnipotens Deus, per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit, unde eodem dono cœlesti, et timendo gaudeas, et gaudendo pertimescas.» Item lib. 2, c. 2, Beda refert Augustinum in confirmationem fidei, cæco visum restituisse ; et inferius, cap. 7, de Melito, tertio post Augustinum Cantuariensi Archiepiscopo, insigne miraculum furentem restinguendi ignem adjungit; et Polydor., lib. 4 de eodem (quem Miletum vocat) memorat, «cum bene multa edidisset miracula, post quartum annum, quam sedere cœperat, e vita in cœlum migrasse.» Cujus ergo cogitationem subire potest, fidem sanctitate vitæ Apostolicæ comprobatam, et insignibus, nec paucis comprobatam miraculis, tantoque fructu et efficacia verbi prædicatam, catholicam non fuisse ? Aut quis cogitare audeat, ne dum dicere, omnes Christianos, religiosos, et Apostolicos viros, et reges etiam qui interdum miraculis claruerunt (ut de Eduardo II refert

Polydor., lib. 8, non longe a fine) quis, inquam, credere posset omnes hos catholica fide caruisse, ac sudinde æternam salutem non fuisse consecutos? Quia sine vera fide nemini patet aditus ad æternam gloriam ; vera autem fides non est, quæ catholica non est. Aut quis prudenter sectam a Luthero, Calvino, et similibus hominibus inventam, nullis signis ac miraculis confirmatam, nec vitæ probitate cohonestatam, antiquæ fidei anteponere, et comparatione illius catholicam vocare præsumat? Videat igitur Jacobus rex, quam rationem redditurus sit suæ fidei, quando districte examinandum est, an defensor fidei catholicæ, vel potius oppugnator extiterit?

16. *Ultimo, ratione eadem veritas stabilitur.* — Postremo tandem loco non omittam rationem aliam qua idem confirmem, et fidem per Augustini prædicationem in Anglia introductam, veram et catholicam fuisse ostendam. Nam si illa catholica non fuit, nulla profecto fuit eo tempore fides catholica in mundo, vel saltem nulla erat tunc fides, de qua certe constare posset, an esset catholica, necne. Unde consequenter fit nullam fuisse tunc in orbe doctrinam, quam homines, qui salvari cuperent, tota animi certitudine, ac firma deliberatione, tanquam divinam, et a Christo Domino integre traditam, eligere, amplexari aut retinere possent. Hæc autem omnia tantam sonant impietatem, tantamque absurditatem præ se ferunt, ut si admittantur, alia impugnatione non egeat illa doctrina, ex qua talia dogmata sequuntur ; nam in his errorem, et impietatem suam satis prodit. Superest ergo ut consecutionem probemus, quod non erit difficile consideranti, nullam fuisse tunc in mundo doctrinam fidei, in qua tot testimonia, et signa veritatis, antiquitatis, ac perpetuæ successionis ab Apostolorum prædicatione concurrerent, sicut in illa quam Augustinus in Anglia prædicavit. Illa enim non erat alia quam Romana fides, quæ annuntiata est in universo mundo, et in eo recepta, tunc etiam perdurabat ; ergo si illa catholica non erat, nulla profecto erat in mundo catholica fides. Denique hoc ipsum directe ex ipsiusmet regis confes-

sione comprobatur, quia de sua secta tanquam de fide catholica gloriatur. Necesse est enim ut consequenter fateatur, nullam aliam fidem, a sua secta diversam, esse catholicam, quia fides vera et catholica non est nisi una, teste Paulo, ad Ephes., 4. Ergo fides, quæ fuit ante Henricum VIII, non potest censeri catholica a sectariis, quia eo tempore præsens Angliæ secta non erat in mundo, quæ catholica, ac subinde sola, vera et unica ab eis proclamatur. Hæc quidem ratio gravissima fundamenta nostræ fidei subinducit; quia vero ab adversariis duobus præcipue modis eluditur, ideo fusius stabilienda, et contra hæreticorum subterfugia munienda est.

CAPUT III

Ecclesiam Christi non posse veram fidem amittere ostenditur, et ratio facta roboratur

1. *Proponitur error hæreticorum asserentium fidem in toto Ecclesia defecisse.*—Eo superiori capite discursu rationis deventum est, ut vel sectam Anglicanam non esse fidem catholicam, sed defectionem ab illa; vel e converso ante exortam sectam istam, catholicam fidem in mundo defecisse necessario concedendum sit; ac proinde cogi Jacobum regem, aut titulum defensoris catholicæ fidei deserere, aut affirmare a quingentesimo Christi anno, vel alio simili, usque ad exortum Lutherum, Calvinum, vel quempiam alium ex istis, mundum fide catholica caruisse. Videntes igitur auctores novorum dogmatum vim prædicti discursus, veriti non sunt dicere, ante ipsos veram et puram fidem defecisse in universali Ecclesia Dei, seque fuisse extraordinario modo a Deo missos ad abolitam fidem restituendam. Ita refertur ex Luthero in colloquiis latinis, tom. 2, cap. de Patribus; et Calvino, lib 4 Instit., c. 2 et 3; Melanchthone, et Bullingero, et aliis.

2. Et quantum ex libello regis Jacobi colligere possum, non est ipse alienus ab hac sententia, et vel istismet novatoribus, vel alicui illorum, vel certe sibi ipsi tanquam novo Evangelistæ fidem adhibet. Nam in Præfatione, pag. 33, prius quam referat privata quædam facta quorumdam prædecessorum suorum, hæc verba præmittit: «Ut omnibus inde constet, etiam illis sæculis, quibus crassior cæciorque veritatis ignoratio orbi incubuit, Angliæ reges sæpe pontificium ambitum, gliscentemque tyrannidem non modo non tulisse, sed et illi fortiter restitisse.» Quæ verba quantum spectant ad quæstionem de primatu, in 3 libro expendentur; nunc solam eam partem considero, in qua, ante suum novum evangelium, orbem in veritatis cognitione cæcum fuisse profitetur. Ex quo principio, paulo inferius, pag. 47, subinfert, Doctores Ecclesiæ Romanæ (de his enim sine dubio loquitur), «nova disputandi et philosophandi ratione theologiam corrupisse.» In alio vero ejusdem præfationis loco, principes christianos allocutus, subjungit: «Cum Paulo opto, vos omnes fieri tales hac una in re, qualis et ego sum, imprimis ut velitis Scripturas pervolutare, ex his credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia fidei fundamenta collocare.» In quibus verbis seipsum plane vivam suæ fidei regulam constituit; nam licet corpori Scripturæ, ut sic dicam, seu litteræ ejus aliquid tribuat, sensum autem, qui est anima ejus, sibi reservat, et privatæ suæ intelligentiæ, quam certam scientiam appellat. Et ideo dixi, sibi ipsi tanquam novo Evangelistæ fidem adhibere, contempta, et ut falsa repudiata Ecclesiæ Romanæ doctrina.

3. *Prædictus error priscis hæreticis familiaris fuit: Lucifer apud Hieronymum; Donatistæ, teste Augustino.*—Non est profecto novum homines, a catholica fide deficientes, lapsum suum universalis Ecclesiæ accusatione tegere velle aut excusare. D. Hieron., dialogo contra Luciferianos, refert, Luciferum asseruisse, «universum mundum esse diaboli», et familiare illi fuisse dice-

re, «factum de Ecclesia lupanar.» Augustinus etiam, epist. 48, et lib. de Unit. Eccles., c. 12 et 13, et sæpissime, in Donatistis, hoc reprehendit, generalius in hæreticis, Psalm. 101, concion. 2, dicens: «Sed existunt qui dicant: Jam hoc factum est, respondit ei in omnibus gentibus Ecclesia, crediderunt in eum omnes gentes, sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, nam non est, periit. hoc dicunt (ait Agustinus) qui in illa non sunt. O impudentem vocem! illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis; nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem et detestabilem, præsumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate sullultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, prævidit spiritus Dei, et tanquam contra illos, cum anuntiaret unitatem in conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino», etc. Simili modo Tertull., lib. de Præscriptionibus adversus hæreticos, cap. 7, hunc etiam prætextum hæreticorum notat, eumque impugnat, et inter alia sic irridet c. 29: «Quoquo modo sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quandiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas, et Valentinianos (addo Lutheranos, vel Calvinistas) liberanda veritas expectabat, interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot chrismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata?» Nihil profecto ad confundendos novi Evangelii prædicatores aptius dici poterat; non sufficiet tamen, nisi divino etiam verbo convincantur.

4. *Ex testimoniis sacræ paginæ convincitur fidem in Ecclesia nunquam defuturam. — Supponitur primo Ecclesiam esse unam.* — Ut ergo ex Scriptura sacra, prout ab antiquissimis Patribus intellecta fuit, errorem hunc refutemus, supponimus imprimis sermonem esse de universali Ecclesia Christi, quam ipse peculiari modo, et multo excellentiori quam ante suum adventum Ecclesia fuerat, fundaturum se promisit, Matth., 16: «Super hanc

petram ædificabo Ecclesiam meam», et promissionem postea implevit, paulatim eam congregando, et postea illam acquirendo sanguine suo, Actor., 20, ac tandem illam commendando Petro, illis verbis: «Pasce oves meas», Joan., 21, et præcipiendo Apostolis, ut eam ex omnibus gentibus congregarent, dicens: «Docete omnes gentes, baptizantes eos», etc., Matth., 8. Hæc autem Ecclesia una tantum est: nam unam tantum promisit Christus, cum dixit, «Ecclesiam meam», quia, licet oves plures sint, grex tamen unus est, et unum ovile, et unus pastor, utique in cœlis Christus, et in terris Petrus et sedes ejus, cui Christus omnes oves suas commendavit, licet plures habeat coadjutores Episcopos, «quos Spiritus Sanctus posuit ad regendam Ecclesiam», utique unam. Ideoque hanc unitatem commendat Apostolus, ad Ephes., 4, dicens: «Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma.» Et inferius ait, omnes Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores et Doctores Ecclesiæ datos esse «in opus ministerii ad ædificationem corporis Christi.» Quod non est aliud, nisi Ecclesia, ut exposuit idem Paulus, in cap. 1 ejusdem Epistolæ, dicens: «Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus»: et ad Coloss., 1: «Et ipse caput corporis Ecclesiæ»; et infra: «Pro corpore ejus, quod est Ecclesia»; et 1 ad Corinth., 12, elengantissime describit compositionem hujus corporis ex variis membris, et tandem concludit: «Vos estis corpus Christi, et membra de membro», id est membra invicem connexa et ordinata, sicut in uno corpore unum membrum coaptatur alteri, ut exponunt Latini, vel ut Græci legunt, «membra ex parte», id est, non estis integrum corpus (loquebatur enim ad particularem Ecclesiam), et ideo non estis omnia membra, sed ex parte. Unde rectissime August., de Unit. Eccles., c. 2: «Ecclesia una est, quam majores nostri catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est.» Et infra: «Totum quod annuntiatur de

Christo, caput et corpus est; caput est ipse unigenitus Jesus Christus, Filius Dei vivi, corpus ejus Ecclesia, de qua dicitur, ut exiberet sibi gloriosam Ecclesiam», etc., ad Ephes. 5. Hieronymus etiam contra Luciferianos hanc unitatem Ecclesiæ declarat per unitatem arcæ Noe, quæ fuit typus Ecclesiæ, ut ex 1 Petri sumitur. Neque in hoc puncto, ut existimo, nobis est cum Sectariis controversia, et ideo ad illud supponendum, quantum ad sequentia necessarium est, credimus dicta sufficere; nam exacta hujus unitatis et omnium membrorum Ecclesiæ explicatio, in qua hæretici solent a catholicis dissentire, longiorem postulabat tractatum, sed præsenti instituto necessarius non est.

5. *Unitatem Ecclesiæ perpetuo duraturam esse statuitur.*— Secundo statuo, hanc Ecclesiam in sua unitate perpetuo usque ad diem judicii duraturam esse. Loquimur enim de militante; nam de triumphante nullus remanet ambigendi, aut controvertendi locus. Possetque hæc assertio facile probari de Ecclesia prout fuit a principio mundi usque ad Moysem, et de synagoga, prout fuit a Moyse usque ad Christum; hæc autem intentioni nostræ necessaria non sunt; et ideo illa, sicut et testimonia veteris Testamenti, quæ de duratione synagogæ loquuntur, prætermitto. Loquor ergo de Ecclesia Christi prout in novo Testamento ab ipso esse fundatam declaravi. Et ita ex promissionibus ejusdem Christi in novo Testamento factis hæc proprietas Ecclesiæ probanda relinquitur.

6. *Primum testimonium ex Matth.*, 16, *et expositiones Patrum.*— Tres vero præcipue sunt hujusmodi promissiones. Prima est Matth., 16: «Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prevalebunt adversus eam.» Nam in his verbis promisit Christus Ecclesiæ suæ stabilitatem, et firmitatem, contra quam nec tyranni, nec hæretici, neque quilibet alii Christi hostes potuerunt prævalere. Illi enim omnes per «portas inferni» a Patribus intelliguntur. Specialiter vero Hieronymus ibi: «Vitia et peccata, et hæreticorum doctrinas

per illas portas intellexit», idem etiam Isai., 26; et fere idem Ambros., 1, de Bono mortis, c. 12: «Donatur (inquit) Petro, ne portæ inferi prævaleant ei, portæ inferi istæ sunt terrenæ»: et infra: «Istæ sunt criminum portæ.» Epiphanius vero in Anchorato, quem Euthym. in Matth. sequitur blasphemias hæreticorum, et illorum persecutiones contra Ecclesiam intelligunt. Chrysostomus ad c. 2 Isai., et homil. 4 in c. 6, et homil de Expulsione sua, et in alias supra citata de festo Pentecostes, et in Demonstratione, quod Christus sit Deus, semper exponit de tyrannis, et imperatoribus infidelibus per potentiam oppugnantibus Ecclesiam. Idem vero Psal. 147, in fine, recte id explicat de tota potentia inferni, et omnibus ministris, quibus ad expugnandam Ecclesian diabolus utitur. Et sine dubio est verissimus sensus, quia verba sunt absoluta, et quasi per metonymiam sub portis comprehendunt quidquid in inferno continetur. Unde optime Damasc., Orat. de Transfigur. Domini: «Adversus hanc», inquit, «inferorum portæ, hæreticorum ora, dæmonum organa impetum quidem facient, sed non prævalebunt.» Et infra: «Nam quod nunquam futurum sit ut evertatur, plane confidimus, cum Christus id affirmaverit.» Et in eamden sententiam Euseb., lib. 1 de Præparat. Evangel., cap. 3: «Ecclesia (inquit) hoc nomine a Christo donata radices egit, ac usque ad astra Sanctorum orationibus glorificata, luce, ac fulgore orthodoxæ fidei splendet, neque hostibus terga dat, neque ipsis januis mortis cedit, propter pauca verba quæ ille protulit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non valebunt adversum eam.» Simili modo Athanasius, in Orat. Unum esse Christum, propositis dictis verbis Christi, ait: «Fidelis sermo, et non vacillans promissio, et Ecclesia invicta res est, etiamsi inferus ipse commoveatur, et si qui in inferno sunt mundi principes tenebrarum, tumultum faciant.» Denique August., lib. 1 de Symbolo, c. 6, explicans articulum «Sanctam Ecclesiam», dicit, Ecclesiam esse templum Dei, de quo ait Apostolus, 1 ad Corint., 3: «Templum Dei sanctum est, quod estis vos»; et sub-

jungit: «Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam.» Imo addit Hilarius, canon 16 in Matth., per hæc verba non solum esse promissum Ecclesiæ ut vinci non posset, sed etiam, «ut infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret», ita ut portæ inferni non solum non possint resistere Ecclesiæ ad expugnandam illam, verum etiam nec ad resistendum illi sufficiant. Nam ut frequenter iidem Patres animadvertunt, Ecclesia, per persecutiones tyrannorum, personarum numero et merito sanctitatis aucta est, et per contradictionem hæreticorum in scientia crevit, et in veritatum cognitione magis illuminata est.

7. *In sacra pagina præsentia Dei auxilium importat.*—Secunda promissio Christi Domini fuit Matth. 28: «Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.» Circa quam recte notavit Hieronymus: «Qui usque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum.» Constat igitur promissionem illam non esse factam solis præsentibus Apostolis, vel discipulis, sed templo Ecclesiæ perpetuo mansuro, de quo Paulus dixit: «Quod estis vos.» Unde scite August., lib. 6 Gen. ad litteram, cap. 8: «Omnibus dicebat, quos suos futuros videbat: Ecce ego vosbiscum sum.» Ergo in verbis illis vel supponitur, vel etiam promittitur Ecclesiæ perpetuitas. Nam ut de illa simus securi, præsentiam suam, id est, auxilium et protectionem Christus promittit, ut Hieronym. etiam exposuit, Isai., 41, et Zachar., 2; et Aug., tract. 50 in Joan.: «Secundum majestatem suam» (inquit), «secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.» Et Leo Papa, Epist.

31: «Non deserit Ecclesiam suam divina protectio, dicente Domino: Ecce ego vobiscum sum,» etc.; et ep 92, in princip.: «Confirmans prædicatores Evangelii et sacramentorum ministros, dicit: Ecce ego vobiscum sum,» etc, Et eodem modo intellexerunt hunc locum Chrysost., homil. 91 in Matth.; Beda, et alii expositores ibi; et Prosper., lib. 2 de Vocatione gent., cap. 2. Et est consueta locutio in Scripturis, ut per assistentiam Dei protectio, et singulare auxilium significetur; Act., 7: «Erat Deus cum eo,» alludens ad illud Sapient., 10: «Descenditque cum eo in foveam;» et Jerem., 1: «Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum.»

8. *Discrimen inter adventum Christi et Spiritus Sancti.*— Tertia demum promissio est similis præcedenti: nam, sicut ibi promisit suum peculiarem favorem, etiam secundum humanitatem suam, ita Joan., 14, peculiarem assistentiam Spiritus Sancti, et Patris simul, ac suam pollicetur, dicens: «Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis,» in quibus verbis illud inter alia non parum notandum, promissionem non esse factam solis Apostolis. Nam licet intelligi possit, etiam in personis Apostolorum perpetuo mansisse Spiritum Sanctum postquam illum recepissent, tamen non hoc tantum ibi Christus pollicetur, sed etiam ita fuisse mittendum Spiritum Sanctum ad consolandos, docendos et protegendos fideles, ut non sit amplius ab Ecclesia recessurus in æternum, id est, quamdiu mundus duraverit (hæc est enim in Scriptura usitata illius vocis significatio). Unde tacite subinnuit discrimen inter adventum suum, et adventum Spiritus Sancti, quia ille venit ad fundandam Ecclesiam, quam erat sanguine suo acquisiturus, post mortem ab ea recessurus; Spiritus autem Sanctus datus est Ecclesiæ, ut semper in illa maneat. Quod videtur notasse Chrysost., hom. 74 in Joan. dicens: «Hoc signat, quod neque post mortem abiit.» Et ita intellexit hanc promissionem Cyryll., lib. 9 in Joan., c. 45, dicens: «Quamvis in cœlos postquam e mortuis resurrexit,

Dominus ascenderit, ut Deo pro nobis, juxta Paulum, appareat, adesse tamen semper per Spiritum suum fidelibus pollicetur.» Et eodem modo Tertullian., in Præscrip., cap. 38.

9. Imo sic impleri hanc Spiritus Sancti donationem, aperte docet Paulus ad Ephes., 4, ubi prius dicit, Christum ascendentem in altum dedisse dona hominibus, postea vero addit: «Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.» In quo testimonio expendenda sunt accurate illa verba: «Donec occurramus,» etc. Nam in eis aperte docet Paulus, Ecclesiam in Corpus Christi ædificatam, et variis ministeriis, et gratiis Spiritus Sancti gubernatam, usque ad generalem resurrectionem, et consummationem Sanctorum esse permansuram. Propter quæ testimonia in hoc fidei dogmate conveniunt omnes antiqui Patres Ecclesiæ, ut ex allegatis liquet perspicue, quibus et addi possunt Martialis, epist. ad Burdegal., c. 11, et Cyprian., epist. 55, ad Cornel.; Athanas. orat. Quod unus sit Christus: «Ecclesia (inquit) invicta res est, etiamsi infernus ipse commoveatur:» denique August., exponens de Ecclesia verba illa Psalm. 47: «Deus fundavit eam in æternum, inquit: Sed forte ista civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur; absit; Deus fundavit eam in æternum. Si ergo eam Deus fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?»

10. *Proposita veritas concluditur. — Amissa fide Ecclesia desineret.*— Ex quibus ultimis Augustini verbis possumus gradum facere ad concludendam ex dictis fundamentis præcipuam assertionem, et veritatem intentam, nimirum catholicam et universalem Ecclesiam non posse a vera et divina fide deficere, demonstrandam. Nam firmamentum, et veluti forma conjungens membra hujus Ecclesiæ, et inter se, et cum Christo, est fides;

si ergo Deus fundavit Ecclesiam in æternum, quis timeat quod fides ejus possit in tota illa deficere? Etenim si tota Ecclesia fidem amitteret, eo ipso desineret esse Ecclesia, et inciperet esse synagoga Satanæ. Sicut gentiles sunt extra Ecclesiam, quia fidem ejus non receperunt, et hæretici desinunt esse in Ecclesia, eo ipso quod fidem amittunt, et ideo in hoc gentilibus comparantur ab Hieronymo, Dial. contra Luciferian., in principio. Denique veritatem hanc satis confirmant Symbolum Apostolorum et Nicænum, quibus rex Angliæ fidem se adhibere profitetur. Docent enim Ecclesiam credendum esse Unam, Sanctam et Catholicam; non potest autem esse una, sine unitate fidei; neque sancta sine vera et divina fide, sine qua impossibile est placere Deo; neque catholica sine fide universali, quæ omnia vera dogmata complectatur. Cum ergo Ecclesia non possit desinere esse quandiu mundus duraverit, neque etiam possit existere, quin simul sit fidelis et sancta, fieri etiam non potest ut a vera fide deficiat.

11. *Duplex objectio hæreticorum.—Responsio Augustini.*— Solent autem adversarii contra Catholicæ Ecclesiæ in fide stabilitatem multa objicere, et varios lapsus, seu defectiones Ecclesiæ recensere, tum quia tempore legis veteris tota Ecclesia a fide defecit, quando Synagoga vitulum adoravit, Exod., 33; tum etiam quod Antichristi invalescente persecutione funditus evertetur, dicente Paulo, 2 ad Thessalon., 2: «Nisi venerit discessio primum,» etc.; et Christo, Lucæ, 18: «Cum venerit filius hominis, putasne inveniet fidem super terram?» Ex quibus volunt colligere, potuisse jam deficere, quia jam tempus Antichristi advenit. Quibus cum Augustino unico respondemus verbo: «Credo illa quæ in Scripturis sanctis leguntur, non credo ista quæ ab hæreticis vanis dicuntur.» Ita enim ille respondit Donatistis (lib. de Unitate Eccl., c. 13) dicentibus, suo tempore orbem terrarum apostasse, et in eis solis veram fidem permansisse, variisque exemplis ex Scriptura detortis utebantur, quibus obviat Augustinus dicens, ea se credere quæ in Scripturis legun-

tur, non ea quæ hæretici suis contentionibus persuadere conantur, et concludit: «Isti ergo vel imperite, vel fallaciter agentes, colligunt de Scripturis talia, quæ vel in malos bonis usque in finem permixtos, vel de devastatione prioris populi Judæorum dicta reperiuntur, et volunt ea retorquere in Ecclesiam Dei, ut tanquam defecisse, ac periisse de toto orbe videatur.»

12. *Fidem non defecisse in tota Synagoga, et primæ objectioni satisfit.* — Istius modi profecto sunt, quæ in præsentiarum sectarii objiciunt. Nam peccatum illud populi Judaici pertinet ad pravos mores et duritiem illius populi, non ad Ecclesiæ defectionem. Tum quia Synagoga non erat Ecclesia Christi, de qua tractamus; tum etiam quia non erat Ecclesia universalis, quæ tunc erat in mundo; nam in præputio poterant etiam tunc esse aliqui fideles, et justi; tum maxime quia falsum est, omnes de illo populo fidem tunc amisisse. Nam imprimis Moyses et Josue immunes omnino fuerunt ab illa culpa; deinde Aaron licet graviter peccaverit, cooperando populo in peccato idololatriæ, longe tamen verisimilius est in fide non aberrasse. Nunquam enim Moyses de hoc peccato illum reprehendit, sed solum de altero, ut patet ex illis verbis: «Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum magnum?» Idemque aperte supponit August., q. 141, in Exod., dicens: «Quod jubet Aaron inaures demi ab auribus uxorum atque filiarum, unde illis faceret Deos, non absurde intelligitur, difficilia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret». Nam si hoc ita est, palam fit, Aaron non ex infidelitate pecasse, sed quia populo fortiter non restitit, et ex nimio humano timore illi cessit. Denique plures de populo in fide permansisse constat ex illis verbis Moysi: «Si quis est Domini, jungatur mihi»; non est enim Domini, nisi qui in eum credit; hujusmodi autem inventi multi sunt, qui Moysi juncti fuere ad injuriam Dei vindicandam.

13. *Fidem tempore Antichristi permansuram in Ecclesia, et*

secundæ objectioni fit satis. — Similiter commentitium plane est, et erroris plenum, perituram aliquando, vel omnino defecturam esse Ecclesiam tempore Antichristi. Quamvis enim tunc futura sit tribulatio magna, prædicta a Christo, Matth., 24, quæ multos turbabit, et a Christi fide dejiciet, quam defectionem Paulus nomine «discessionis» præsignificavit, nihilominus Ecclesia Christi non omnino destruetur, neque omnia ejus membra fidem amissura sunt, ut satis Christus indicat, Matth., 24, dicens: «Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi». Et infra, plenius urgens, superaddit: «Ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi». Semper ergo erunt aliqui electi et fideles, in quibus Ecclesia permaneat; imo eo tempore erunt illustrissimi martyres, et fidei catholicæ confessores fortissimi. Quod insuper in fine illius objectionis tangitur, quod jam Antichristus venerit, propter primatum Pontificis ab adversariis est objectum; quam vero falsum sit, imo et ridiculum, in lib. 5 videbimus. Alia denique difficultas, quæ in hac objectione et responsione subest, quo pacto scilicet possit Ecclesia catholica in paucis credentibus perseverare, et quasi in angulo delitescere, in c. 6 declarabitur.

CAPUT IV

Non posse catholicam Ecclesiam etiam per ignorantiam in rebus fidei errare

1. *Evasio superioris argumenti.* — Discursum superiori capite factum posset imperitus vel hæreticus enervare, dicendo, illo quidem recte probari, Ecclesiam non posse in hæresim incidere, per quam fides amittitur; hoc autem non satis esse, neque obstare quominus Ecclesia possit in multis erroribus

versari, saltem per ignorantiam, quæ a culpa hæresis illam excuset, quia, licet illo modo erret, non desinet esse fidelis et sancta, ac subinde non destrueretur. Quod si hoc concedatur, habebunt hæretici vel schismatici excusationem aliquam dissentiendi ab Ecclesia in aliquibus rebus, in quibus ipsam errare contendunt. Nam si id intelligant per solam ignorantiam, et sine hæresi, non videntur tam manifeste loqui contra promissionem Christi. Dixi autem hoc posse proponi a Catholico potius quam ab hæretico, quia hæretici non tam moderate agunt cum Ecclesia Christi, sed illi impudenter tribuunt lapsus et errores Scripturæ contrarios, qui nequeunt ab hæresi excusari, et ideo Ecclesiam veram fidem amisisse, ac subinde contra Christi promissionem e mundo periisse, in suæ hæresis excusationem, eadem impudentia nonnulli obtendunt.

2. *Ecclesiam nec per ignorantiam posse errare.* — Quamobrem dicendum ulterius est, non solum non posse Ecclesiam incidere in hæresim, verum etiam nec posse errare, sive per ignorantiam, sive quocumque alio modo, in aliquo dogmate in quo tanquam in veritate a Deo revelata, et ab omnibus fidelibus credenda, universa Ecclesia conspirat, docet et proponit. Nam hoc etiam in promissionibus Ecclesiæ factis continetur, et ideo nullus Catholicus potest de hoc vero dogmate dubitare. Quod imprimis declaratur ex verbis Pauli, 1 ad Tim., 3: «Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis». Comparatur enim columnæ, tanquam quæ stabilitate ac firmitate sua sinceram ac puram veram veritatem conservat, fidelesque omnes in veritate contra quoscumque ipsius oppressores obfirmat. Si autem ipsa posset errare, quo, quæso, pacto illa fides credentium et veritas credendorum niteretur? Quod autem hæc sit sententia et sensus Pauli, videtur adeo notum ex verbis, ut nulla fere expositione vel persuasione, sed imperturbati tantum animi lectione indigeat. Unde omnes expositores, tam antiqui quam recentiores, dici Ecclesiam columnam veritatis propter

immobilitatem quam in veritate habet, declarant. Firmamentum autem, vel quia habet veritatem firmatam prodigiis et virtutibus, quæ a nullo alio, præterquam ab ipso Deo, fieri possent, ut exposuit Ambrosius; vel quia ab illa firmantur in veritate omnes credentes, ut recte D. Thomas docet, et significavit Chrysostomus dicens: «Columna est orbis Ecclesia, quæ fidem continet, ad prædicationem quippe veritas Ecclesiæ columna et firmamentum est». Et clarius Theodoret.: «Ecclesiam (inquit) appellavit cœtum credentium, quos dixit columnam et firmamentum veritatis, quia supra petram fundati stabiles et immobiles permanent, et rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem». Et Hieronymus etiam ibidem addit, «Ecclesiam dici columnam, in qua nunc sola veritas stat firmata, quæ sola sustinet ædificium». Denique Augustinus, concion. 1 in Psalm. 110, tractans illa verba: «Qui fundasti terram super stabilitatem suam», et per terram interpretans Ecclesiam, exponit: «Non inclinabitur in sæculum sæculi, quia prædestinata est columna, et firmamentum veritatis». Igitur quia a veritate declinare non potest in his, quæ firmiter et tanquam a Deo revelata credit, ideo columna est et firmamentum.

3. Præterea veritatem hanc confirmat promissio Christi supra tractata: «Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, spiritum veritatis», Joan, 14. Non enim sine causa ibi peculiariter spiritum veritatis appellavit, sed ut illum distingueret ab spiritu erroris, per hoc satis significans se promittere Paracletum ut Doctorem veritatis, ut ipsemet Christus declarasse videtur, Joan., 16, dicens: «Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem». Ostendimus autem in superioribus, promissionem illam Spiritus Sancti factam esse Ecclesiæ, ut maneat cum illa in æternum, sicut Christus ipse dixit; ergo Ecclesia semper habet Spiritum Sanctum tanquam rectorem et doctorem, a quo in veritatis cognitione specialiter regitur et illuminatur; et hinc provenit ut circa veritatem eadem Ecclesia errare non possit; et ideo dixit Cyril-

lus, lib. 10 in Joan., c. ult.: «Cum prædixerit Paracletum ad eos venturum, spiritum veritatis eum nominavit (ipse autem est veritas), ut intelligerent discipuli, non alienam a se virtutem missurum». Et infra: «Hic ergo veritatis Spiritus ad omnem veritatem deducet, novit enim exacte veritatem, cujus spiritus est, et eam non ex parte, sed integre revelavit. Nam etsi ex parte in hac vita cognoscimus, ut ait Paulus, non manca tamen, sed integra veritas in hac parva cognitione nobis refulsit». Quæ ultima verba sunt valde notanda, nam ex eis intelligitur necessitas hujus spiritus veritatis in Ecclesia, ut statim declarabo. Denique ob eamdem causam Tertullian., lib. de Præscriptionibus, c. 28, quasi irridens eos qui universali Ecclesiæ errorem circa fidem tribuunt, ait: «Illam non respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius» (id est vicem ejum gerens, et in docendi munere absentiam ejus supplens), «sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat?» quasi dicat hæc esse incredibilia, et a Christi promissione, et ab Spiritus Sancti providentia bonitateque aliena.

4. *Ratione eadem veritas confirmatur.— Præcluditur evasio.* — Denique præter Christi promissionem et Scripturæ testimonia adeo expressa, possumus hanc veritatem persuadere ratione deducta ex principiis fidei. Quia si universalis Ecclesia posset quocumque modo errare in dogmatibus fidei, in nullo illorum posset esse columna et firmamentum veritatis, imo neque aliquid credere tanquam omnino certum, cui falsum subesse non posset, quia semper posset dubitare, et formidare, an per ignorantiam deciperetur. Respondebit fortasse aliquis, posse Ecclesiam, et debere firmiter credere ea quæ in Scriptura continentur, etiamsi in aliis errare posset. Sed hoc non evacuat difficultatem. Tum quia de ipsismet Scripturæ libris dubitare posset, an per ignorantiam erret, credendo aliquem librum

esse canonicum, qui non est, quia non est major auctoritas Ecclesiæ in uno approbando, quam in alio. Tum etiam quia si in aliquo dogmate errare posset, etiam posset errare in intelligentia Scripturam; ergo semper posset dubitare an verum sensum Spiritus Sancti assequatur, ac subinde nihil posset ex Scripturis certo credere. Tum præterea quia Ecclesia non solum debet esse certa de rebus quæ in Scriptura continentur, sed etiam de aliis dogmatibus non scriptis, ut antiquissimi Patres semper docuerunt, ex quibus paucos statim indicabo; nam hoc tantum obiter in præsenti attingimus. Igitur ut dogmata, quæ universalis Ecclesia credit, certa sint, necessarium est ut in nullo eorum errare possit. Unde recte dixit Nazianz., orat 37, circa fin.: «Unum uni cohæret, et ex eis quædam vere aurea et salutaris fit catena»; et ideo si vel unum auferatur, aut reddatur incertum, tota catena disrumpetur, et inutilis fiet, sicut etiam dixit Ambrosius ad c. 9 Lucæ, lib. 6, in fine: «Unum horum si retraxeris, retraxisti salutem tuam, nam etiam hæretici habere sibi Christum videntur, nemo enim Christi nomen negat, sed negat Christum, qui non omnia, quæ Christi sunt, confitetur». Ita ergo totam fidem Ecclesiæ destruit, qui in quocumque dogmate illi errorem imponit.

5. *Responsio hæreticorum.—Rejicitur responsio, et superior conclusio Patrum auctoritate stabilitur.*—Fortasse tamen adversarii hæc omnia facile concedent, nec inconveniens reputabunt admittere, posse Ecclesiam errando, et falsa dogmata tanquam veritates fidei tradendo, ad eum statum pervenire, in quo nihil ex fide divina, et omnino certa, sed omnia ex propria opinione credat. Sed hæc responsio imprimis revolvitur in priorem errorem, quod vera Christi Ecclesia possit perire; nam in eo statu constituta non haberet veram et supernaturalem fidem; ergo non esset vera Ecclesia. Et ita quoad hanc partem hæc responsio sufficienter impugnatur ex dictis cap. præcedente, et fundamento et testimoniis quibus illud confirmatum est. Deinde si universalis Ecclesia ad eum statum pervenire potuisset, in quo

nihil ex divina fide, sed tantum ex humana opinione crederet, ubi tunc inveniretur fides in terra? Profecto nullibi, quia si alicubi est vera fides, ab Ecclesia Catholica manavit; ergo si in ipsa Ecclesia illa fides certa et supernaturalis non est, multo minus extra illam esse potest. Quapropter qui sic respondent, et ita de Ecclesia sentiunt, dum illam infidelem faciunt, se ipsos fide carere ostendunt; unde enim illam habebunt, si per Ecclesiam illam non habent, cum Deus jam non per seipsum, sed per Ecclesiam homines doceat, ut aperte sumitur ex Paulo ad Rom., 10? Tandem qui sic respondent, ideo errant, quia in Ecclesia non distinguunt humanam auctoritatem ab auctoritate Spiritus Sancti, qui eam regit, vel per eam loquitur, quoties dogmata fidei generaliter credit aut docet, juxta promissionem Christi nuper ostensam, et juxta mentem Apostolorum tradentium dogma fidei per illa verba: «Visum est Spiritui Sancto et nobis», Act., 15.

6. Atque ita senserunt de auctoritate Ecclesiæ antiquissimi Patres. Irenæus, libro 3 Contra Hær., c. 3: «Non oportet», ait, «adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ, hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos.» Ambrosius, lib. 3, ep. 25 ad Verselenses: «Nemo (inquit) stat, nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat sui cordis sententiæ. Alibi quoque legimus: Tu autem hic sta mecum; utrumque ad Moysem a Domino dictum est: Ubi tu stas, terra sancta est; et: Hic sta mecum, hoc est, mecum stas, si stes in Ecclesia, ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctitate, et optima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia, sta ubi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Ubi est Ecclesia, ibi firma statio tuæ mentis est, ibi fundamentum animi tui.» Et idem Ambros., lib. 3 de Fide, c. 7, dicens: «Servemus præcepta majorum; nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus.»

7. Et Augustinus, de Utilit. credendi, c. 8, loquens de homine desiderante, et laborante pro veritate invenienda: «Si vis (inquit) finem hujusmodi laboribus imponere, sequere viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, et ab hinc ad posteros manatura est.» Arbitrabatur enim Augustinus, nunquam defuturam illam fidem, neque aliter quam per traditionem et successionem in Ecclesia Catholica ad posteros fuisse perventuram. Unde in cap. 17, cum dixisset, magnum esse adjutorium fidei, communi populorum consensu creditæ et prædicatæ, subjungit: «Hoc factum est divina providentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantumque fructum, profectumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, cum usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam, salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opi auxilioque divino, quam tanto labore prædictæ auctoritati velle resistere.» Hactenus Augustinus, quibus tam luculenter et sapienter discursum factum stabilivit, ut nihil eis addi posse videatur. Et propterea idem Augustinus tantum defert auctoritati Ecclesiæ, ut in lib. contra epistolam fundamenti, cap. 5, sic affirmare non dubitarit: «Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret auctoritas.

8. Denique Hieronymus contra Luciferian., circa medium: «Quale est (inquit) ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?»

Et infra: «Si Ecclesiam per totum orbem diffusam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est.» Ac tandem postquam multa de Ecclesia protulerat, sub finem sic subjecit: «Poteram diem istiusmodi eloquii ducere, et omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare; verum, quia jam multum sermocinati sumus, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hunc durat.» Multaque similia in antiquis Patribus reperiuntur, quæ brevitati studens missa facio; idque lubentius, quod qui hos Patres non audierit, etiamsi plures referantur, non credet, sed vana semper subterfugia excogitabit.

CAPUT V

Romanam Ecclesiam eamdem fidei stabilitatem habere ostenditur quam catholica, et sectariorum evasioni occurritur.

1. *Sectariorum inter Romanam et Catholicam Ecclesiam distinctio.*—Quæ in superiori capite ex divinis Scripturis, ad ostendendam Ecclesiæ Catholicæ in vera fide conservanda, ac perpetuo retinenda, immobilitatem et singularem Dei protectionem, adducta sunt, adeo sunt clara et aperta, ut neque ipsius Ecclesiæ hostes in universum audeant contra Ecclesiam Catholicam aperto marte pugnare. Distingunt igitur inter Ecclesiam Catholicam et Romanam, et de Catholica non audent aperte dicere defecisse, aut veram fidem amisisse, quod tamen de Ecclesia Romana aliquater affirmare non verentur. Et ita videntur sibi eludere omnia Scripturæ testimonia, et Christi promissiones, quia illæ factæ sunt Ecclesiæ Catholicæ, non Romanæ. Et ut alios omittam Protestantes, non idetur ab hac sententia seu distinctione alienus rex Jacobus. Quamvis enim in suo libro eam expresse non

proponat, ex dictis tamen ejus non obscure colligitur; prius enim se profitetur fidei catholicæ defensorem, quam fidem dicit esse veteris ac primitivæ Ecclesiæ : in quo indicat Ecclesiam Catholicam et primitivam non periisse, sed durare, nam ubi fides catholica est, non potest etiam non esse Catholica Ecclesia. Pos tea vero in præfatione, pag. 40, fateri non timuit, se neque esse, neque unquam fuisse in nostra Ecclesia, id est, in Romana; et in pag. 47, plane damnat fidei articulos, «quos Romanæ (inquit) Ecclesiæ officina excudit, ante quingentesimum Christi annum inauditos»; et pag. 48, hæc habet verba: «Schismaticum me dicant licet, et a Romana Ecclesia defecisse, certe hæreticus esse nullo modo possum.» Distinguit ergo defectionem a Romana Ecclesia a defectione a fide catholica, seu ab Ecclesia Catholica, perinde enim est. Pagin. item 54, post hæc et multa similia, subjungit : «Nondum Romanæ religionis arcem attigimus, id est, caput Ecclesiæ, Petrique primatum, nam qui hunc articulum negat, ex Bellarmini sententia catholicam fidem negat.» His ergo et similibus verbis satis insinuavit rex Jacobus, Romanæ Ecclesiæ fidem, durante et perseverante fide catholica defecisse.

2. *Hæc distinctio ab antiquioribus hæreticis fuit inventa.*— Neque est novus hic error, nam Wiclephus, in suo a 37, damnato in Concilio Constant., sess. 8, dixit, Romanam Ecclesiam esse synagogam Satanæ, quod non invenio dictum ab ipso de Ecclesia Catholica, neque fortasse id diceret, ne seipsum, aut in synagoga Satanæ, aut extra Ecclesiam Catholicam constituere videretur, quod quidem periculum omnibus hæreticis commune est. Et antea in eodem errore Pauperes de Lugduno, alias Waldenses, versati sunt, qui neminem in fide Ecclesiæ Romanæ, quæ tempore Sylvestri defecit, salvari posse affirmarunt, ut refert Anton., 4 p. Theolog., tit. 11, cap. 7, § 2; et Æneas Silvius, de Origine Bohemorum, cap. 3. Omnes vero hi vel in privatis opinionibus, et propriis fundantur erroribus, quos cum contrarios esse Romanæ fidei negare non possint, Romanam fi-

dem veram non esse, ac subinde Romanam Ecclesiam a catholica defecisse tandem effutire coguntur.

3. *Fundamenta erroris.* — Vel certe moti sunt quia nihil excellens et universale de Romana Ecclesia credunt, sed illam tantum considerant ut particularem Ecclesiam, seu diœcesim, ac Episcopum ejus tanquam unum ex cæteris, nullam extra illam diœcesim habentem potestatem. Ex quo principio intulerunt, sicut aliæ Ecclesiæ particulares, et earum pastores, etiamsi Primates sint vel Patriarchæ, in rebus fidei labi potuerunt, et reipsa sæpius defecerunt, ita etiam in Ecclesia Romana accidere potuisse, et revera evenisse. Et ita hi duo errores maxime conjuncti sunt, ut Wiclephus supra illos conjunxit, dicens: «Ecclesia Romana est synagoga Satanæ, nec Papa est immediatus et proximus Vicarius Christi.» Et ob eamdem causam videtur dixisse rex Angliæ, arcem fidei Romanæ esse articulum de primatu Petri, quia nos credimus in illo fundari, eo modo quo Christus promisit fundare suam Ecclesiam supra Petram, et ideo rex ipse, negando primatum, coactus est fidem Romanam abnegare, ejusque defectionem sibi suisque persuadere.

4. *Distinctio Romanæ Ecclesiæ in universalem et particularem.* — Quapropter ut impugnationem hujus herroris ab hoc fundamento inchoemus, in Episcopo Romano duo munera, seu duplex pastoralis cura distinguenda est: una particularis, et propria Diœcesis Romanæ, cujus Pontifex est immediatus Episcopus; alia universalis cura totius Ecclesiæ Christi, cujus est universalis Pastor, et supremus Episcopus omnium particularium Ecclesiarum, licet non sit immediatus singularum Episcopus. Et quidem de priori potestate et munere nulla est inter nos et Protestantes controversia. Posteriorem autem potestatem universalem, et supremam jurisdictionem etiam universalem in universam Ecclesiam negant adversarii; nos vero nunc illam supponimus, et articulum ejus ad catholicam fidem pertinere constanter asserimus, illius tamen probationem in librum tertium reservamus, ne propositum ordinem pervertere, et rem,

de qua nunc tractamus, confundere cogamur. Hæc autem duo munera licet possent, sicut in se sunt distincta, ita etiam in personis sejungi, sicut in aliis episcopatibus separantur, nihilominus ex quo in Petro conjuncta fuerunt, nunquam separata inventa sunt, et ex divina ordinatione fortasse nunquam separabuntur; quod nunc non agimus, quia ad præsens institutum non refert, in libro tamen tertio obiter saltem attingemus. Hactenus ergo Romanus Episcopus idem fuit semper Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, ut ab antiquis Patribus sæpe nominatur.

5. Ex quo intelligimus, nomine Romanæ Ecclesiæ duo posse significari. Primo, particularem illam Ecclesiam, quæ intra terminos suæ diœcesis concluditur, et suum habet proprium Episcopum tantum particularem, si præcise spectetur, ut immediatam jurisdictionem in illam exercet. Et de Ecclesia Romana sic sumpta non loquimur, quia constat illam non esse Ecclesiam Catholicam, sed membrum ejus. Ideoque de illa sic spectata dicere non possumus habere Christi promissionem nunquam deficiendi a catholica fide, quia nullibi talis promissio invenitur, neque in promissionibus factis universali Ecclesiæ necessario includitur, quia posset universalis Ecclesia permanere in vera fide, cum obedientia et unione ad Summum Pontificem, ut Pontifex et universalis Pastor est, etiamsi particularis illa Ecclesia a fide deficeret, et suum Episcopum a se per violentiam abjiceret, quod dicimus explicandæ rei gratia, quamvis nunquam Deum id esse permissurum pie credamus.

6. Alio ergo modo illa Ecclesia, quæ veram Christi fidem retinet, solet dici Ecclesia Romana, quia Episcopo Romano paret, licet non uniatur illi ut privato Episcopo, sed ut universali Pontifici, et sic etiam dicitur Romana fides, vel Romana religio, quæ a pontifice Romano, ut Christi Vicario conservata, confirmata, definita, seu approbata est. Atque hoc etiam modo particularis Ecclesia Romana, ut conjuncta suo Episcopo non solum ut particulari Rectori, sed etiam ut universali Doctori totius Ecclesiæ, comparatur Catholicæ in privilegio non errandi

nec deficiendi a fide, quamdiu in illa unione cum suo capite permanserit; nam hoc etiam habet quælibet alia particularis ecclesia sub eadem ratione et unione spectata. Et sequitur ex generali principio, Petrum, videlicet, et Petri fidem esse immobile ecclesiæ fundamentum, in quo quamdiu Ecclesia, licet particularis, fundata fuerit, nunquam a vera fide aberrat. Semper tamen inter universalem Ecclesiam et particulares hoc discrimen considerari potest, quod quælibet particularis potest ab hac petra disjungi et cadere: universalis autem non potest, quia de sola illa scriptum est: «Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.»

7. Sic igitur declarata et intellecta vocum significatione, dicimus fidem Ecclesiæ Romanæ esse catholicam fidem, neque Romanam Ecclesiam ab ea defecisse, nec deficere potuisse, propter Petri cathedram in ea præsidentem. Assertionem hanc ut certam et necessariam in fide Catholica proponimus, et eam ex divina Scriptura in hunc modum colligimus. Fides Petri catholica fuit, et deficere non potest; sed fides Ecclesiæ Romanæ est fides Petri; ergo fides Ecclesiæ Romanæ est fides catholica, a qua nunquam illa sedes potest deficere. Argumentatio legitima est; singulæ vero propositiones in ea assumptæ per partes probandæ sunt. Prima ergo pars per se nota est, scilicet, fidem Petri fuisse catholicam: nam si intelligatur de persona Petri, neque ab hæreticis revocatur in dubium; nam fides Petri est, quæ universo orbi a principio prædicata fuit; et illa maxime est Apostolica et primitiva. Si vero intelligatur etiam de sede Petri, vel ipsi Protestantes confitentur per plures annos durasse eamdem catholicam fidem in eadem sede Petri, testanturque sufficienter Hieronymus et Augustinus usque ad sua tempora; ille in Epistola ad Damasum de nomine hypostasis, hic vero in libro contra epistolam Fundamenti, cap. 4, ubi inter quatuor, quæ in gremio Ecclesiæ Catholicæ ipsum justissime tenebant, hoc numerat: «Ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves

suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum.» Ubi aperte supponit illam fuisse tunc Catholicam Ecclesiam, quæ cum sede Petri erat conjuncta, et oves, quæ Petro fuerant commendatæ, continebat; ac subinde fidem catholicam in ea sede usque ad illud tempus permansisse, quod in puncto sequenti pluribus testimoniis et rationibus a fortiori confirmabitur.

8. *Expenditur in nostram rem locus Lucæ* 22.—Superest ergo ut alteram partem in propositione assumptam comprobemus, nimirum, hanc fidem non posse deficere in Petro, non solum quoad personam, sed etiam quoad sedem, et consequenter non tantum pro aliquo definito tempore, sed simpliciter quamdiu Ecclesia Christi duraverit. Probatur autem præcipue ex verbis Christi, Lucæ 22: «Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.» Nam recte dixit Tertullian., lib. de Fuga in persecut., c. 22, rogasse ibi Christum, ne tantum diabolo permitteretur, ut fides Petri periclitaretur. Quam orationem fuisse efficacem, et obtinuisse quod petebat, satis persuadet ipsius Christi excellentia; exauditus enim est pro sua reverentia in his quæ absolute postulabat, ut in præsenti declaravit per illa verba: «Ego rogavit pro te», magisque declarat, vel potius supponit impetrationem, et infallibilem effectum in illis ultimis verbis: «Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos»; et ideo bene interrogat Leo Papa IX: «Erit quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?» Igitur nulla fere in hac parte est controversia aut difficultas. Esse autem potest in alio puncto, an, scilicet, illa oratio facta sit tantum pro persona Petri, et ideo cum illo finitus fuerit ejus effectus, vel potius facta sit pro sede Petri in persona ejus, et ideo tamdiu duret, quandiu sedes durat; probandum ergo nobis relinquitur hoc posteriori modo esse intelligendam.

9. Quod imprimis probamus auctoritate multorum Sum-

morum Pontificum, qui hanc prærogativam suæ dignitatis ac sedis agnoscentes, ex his verbis Christi illam comprobarunt, qui licet in propria causa loqui videantur, nihilominus fide dignissimi sunt, tum quia antiquissimi et quasi per continuam traditionem hoc docuerunt; tum etiam quia multi eorum sunt sancti et martyres, qui veram et catholicam fidem sanguine suo consignarunt; tum denique quia etiam antiquissimi Patres eumdem honorem deferunt Romanæ Sedi, et fidei. Utuntur ergo illo testimonio ad hanc veritatem confirmandam, Lucius Papa, epist. ad Episcopos Galliæ et Hispaniæ, circa finem, ubi ait, suam sedem, normam Apostolicæ fidei, ut ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus illam percepit, illibatam tenere, secundum Salvatoris nostri divinam pollicitationem. Et refert verba citata. Similia habet Marcus Papa, in ep. ad Athanas., quæ habetur in tom. 1 Ep., p. 1, licet in tomis Concilior. non referatur; et Felix I, ep. 3, ad Benignum; et Agatho Papa, in ep. ad Constantin. imperator., quæ in actione 4 sextæ Synodi lecta est, et in act. 8 probata; et Nicolaus I, in ep. ad Michaelem imperatorem, post medium; et Leo IX, in ep. ad Michaelem, c. 7; et Innoc. III, in c. Majores, de Baptism.; latius vero quam cæteri hoc declaravit Leo Papa, serm. 2, in Natali Petri et Pauli, c. 3, ubi positis Evangelii verbis, subjungit: «Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro Petri fide proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Nam et post resurrectionem suam Dominus beato Petro Apostolo, post regni claves, ad trinam æterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit: Pasce oves meas; quod et nunc procul dubio facit, et mandatum Domini pius

pastor exequitur confirmans nos exhortationibus, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur.» Quæ verba repetit idem Pontifex, in serm. 3 de Assumptione sua, et adjungit: «Juste in ducis nostri meritis et dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi redemptori nostro, Domino Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.»

10. *Confirmatur primo.*—Ex quibus verbis aliquæ colliguntur rationes, quibus hic sensus confirmatur. Una sumitur ex mutatione verborum Christi: nam prius ad omnes Apostolos locutus est, omnes fore tentandos prædicens: postea vero Petro specialiter dicit: «Ego rogavi pro te»; ergo aliquid etiam speciale pro illo impetravit. Personalis autem perseverantia non fuit singularis Petro, nam pro aliis etiam Christus oravit, Joan. 17, dicens: «Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.» Et quamvis eo tempore, quando pro Petro rogavit, nondum illam generalem orationem obtulisset, nihilominus nullus fere peculiaris favor Petri fuisset, nisi aliquod specialius privilegium pro illo postulasset. Christus autem in illo singulari modo vocandi Petrum, ut attenderet, «Simon, Simon» (sic enim habent græca), et orandi pro illo, majorem prærogativam sine dubio significare voluit. Imo si attente res consideretur, in utroque loco pro Petro et omnibus Apostolis, et universa Ecclesia præsente et futura, Christus Dominus oravit, diverso tamen modo: nam apud Joannem prius expresse oravit pro omnibus Apostolis, ex quibus Petrus unus, et præcipuus erat, et in illis virtute Ecclesia continebatur, propter quam præcipue illa oratio fiebat, quam paulo inferius consummavit Christus dicens: «Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint», utique unitate fidei, et catholicæ Ecclesiæ. Apud Lucam vero Christus directe et

expresse oravit tantum pro Petro, indirecte vero, et consecutione quadam oravit etiam pro aliis Apostolis, ut in subjunctis verbis denotavit: «Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur», quemadmodum ex Leone paulo superius retulimus. Atque inde ad totam Ecclesiam oratio illa extenditur, quæ sub nomine fratrum etiam comprehenditur, ut ibi Theoph. indicavit, dicens: «Planus intellectus est, quia te habeo ut Principem discipulorum, postquam, negato me, fleveris, et ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, et fundamentum.» Unde Agatho Papa supra: «Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est agnitum.» Et Leo IX, supra, eumdem sensum indicans, dixit: «A sede Principis Apostolorum, a Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per suos sucessores reprobata, convicta, et expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, neque unquam deficiet, sunt confirmata.

11. *Confirmatur secundo.*—Unde ex his ultimis verbis aperitur magis sensus prioris promissionis, et alia optima ratio prædictæ interpretationis redditur. Ita enim hic jubetur Petrus confirmare fratres suos, sicut Joan., 21, jussus est pascere oves Christi; iidem enim sunt, qui hic vocantur fratres, et ibi oves; sed ibi vocantur oves propter mansuetudinem et obedientiam subditorum, hic vero vocantur fratres, ut ostendatur Ecclesiastici pastoris officium non ese dominari, sed confirmare imbecilliores tanquam fratres, «forma factus gregis ex animo», ut dixit idem Petrus, epist. 1, c. 5. Sicut ergo dictum est: «Pasce oves meas», non Simoni pro illa tantum persona, sed Petro pro munere quod illi conferebatur, ut in successoribus duraret, ita cum illi dicitur: «Confirma fratres tuos», præindicatur præcipua quædam pars illius muneris, quæ est confirmare, et quasi sus-

tentare fratres et Ecclesiam in vera fide; nam licet hoc principaliter fiat virtute divina, tamen hæc utitur homine ut instrumento, ut homines modo hominibus accomodato gubernet. Et quamvis alii Pastores et Doctores Ecclesiæ, docendo et prædicando, ad hoc cooperentur, nihilominus id præstare ex legitima et ordinaria potestate, et certa auctoritate, discernendo falsa a veris, hæreses damnando, et catholicam doctrinam definiendo, illius est proprium, cui dictum est: «Confirma fratres tuos». Unde sicut hoc munus ad veræ fidei conservationem necessarium est in Ecclesia, ita verba illa dicta sunt Petro ratione pastoralis muneris perpetuo in Ecclesiam dimanaturi, in illaque semper duraturi; ergo etiam prior promissio, «ut non deficiat fides tua», facta est non tantum personæ, sed etiam muneri et sedi Petri. Ideo enim pro illo specialiter Christus oravit, illique privilegium illud impetravit, quia munus confirmandi fratres illud auxilium ex parte Dei postulabat; ergo sicut munus futurum erat perpetuum in sede Petri, ita etiam privilegium. Et hoc totum significavit Leo I, in illis verbis: «Pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit»; et in aliis quæ supra retulimus. Et apertius Theoph., postquam dixit: «Quia te habeo ut Principem discipulorum, confirma cæteros», adjungit: «Intellexerit autem quis, non solum de Apostolis dictum, quod confirmati fuerint a Petro, sed de omnibus, qui usque ad consummationem sæculi futuri sunt fideles.» Quod licet ab ipso videatur postea exponi ratione exempli, quod in persona Petri suum delictum flentis præcessit, et in memoriis hominum perpetuo manet, Christus tamen non de exemplo locutus est, sed de confirmatione per verbum fidei, et ideo per sedem Petri id perpetuo fieri melius intelligimus.

12. Atque ita etiam potest hæc veritas, et illius promissionis interpretatio ex collatione hujus loci cum aliis, in quibus primatus Petri fundatur, amplius stabiliri. Quod etiam significavit Leo I in citatis verbis, conferens hæc verba: «Confirma

fratres tuos», cum illis: «Pasce oves meas», quam comparationem jam declaravimus. Unde quamvis hæc promissio tam clara non esset, ex solo munere pascendi oves Christi in doctrina fidei, sufficienter colligeremus esse necessarium hoc privilegium in sede Petri. Quia si in illa sede posset fides vacillare, in tota Ecclesia Christi periclitari posset; tum quia Ecclesia tenetur parere Petro, et successoribus ejus ex cathedra docentibus, ut ex allegatis verbis Christi colligitur, quia primus et maxime necessarius pastus fidelium est vera fidei doctrina; tum etiam quia alias nulla esset in Ecclesia certa ratio veram a falsa doctrina discernendi, et ita non possent fideles firmari, nedum in catholica fide inconcusse confirmari. Quam rationem amplius in sequentibus urgebimus. Et simili modo hanc veritatem confirmat illa promissio Christi: «Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam», illam enim petram esse Petrum, et successores ejus, infra ostendemus. Dicitur autem petra propter firmitatem ad sustentandum ædificium, et ideo sicut Ecclesiæ ædificium perpetuum futurum erat, ita etiam petra, ut ad sustinendum illum ædificium apta esset. Quare sicut Ecclesia perpetua esse non potest, nisi ejus fides deficere non possit, ita nec petra illa esset, nec firmitatem haberet ad sustentandum illud ædificium, si posset in fide deficere. Et ideo recte dixit Origen., tract. 1, Matth.: «Neque adversus petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam, neque adversus ipsam Ecclesiam portæ inferi prævalebunt.» Et Cyrill., in Thesauro (ut in catena D. Thom., Matth., 16, allegatur), dixit: «Secundum hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri (id est Romana) ab omni seductione hæreticaque circumventione manet immaculata, super omnes præpositos, et Episcopos, et super omnes Primates Ecclesiarum et populorum, in suis Pontificibus in fide plenissima, et auctoritate Petri.» Et cum «aliæ Ecclesiæ quorumdam errore sint verecundatæ, stabilita inquasibiliter ipsa sola regnat», etc. Quæ verba licet in Thesauro Cyrilli nunc non inveniantur, ex D. Thomæ auctoritate magnam fidem habent.

CAPUT VI

Stabilitas fidei et Ecclesiæ Romanæ traditione ostenditur

1. *Expenduntur testimonia antiquorum Patrum asserentium fidem Romanæ Ecclesiæ et Catholicæ coincidere. — Primum testimonium.* — Ex dictis in superiori capite, probatum relinquitur fidem Ecclesiæ Romanæ esse fidem Petri, ac subinde esse fidem catholicam, a qua sedes illa deficere nequit. Possumus autem ipso rerum eventu, et Patrum traditione, eamdem veritatem et promissionem confirmare. Nam si Apostolica Sedes in hoc speciale privilegium non haberet, aliquando in fide defecisset, etiam ex cathedra docens, vel hæresim aliquam approbasset, sicut in aliis ecclesiis etiam ab Apostolis inchoatis accidisse videmus; nam hæc est humana fragilitas et conditio, ut in tanta varietate et multitudine personarum facile contingat error, nisi Spiritus Sanctus assistat. Hoc autem in Romana Ecclesia nunquam accidisse, præter allegatos Pontifices, testatur Eusebius Papa, ep. 3 ad Episcopos Tusciæ et Campaniæ, dicens: «Prima salus est, rectæ fidei regulas custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Nec potest Jesu Christi Domini nostri prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata religio». Et Gelasius Papa, in epist. ad Anastasium August.: «Hoc est (inquit) quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus?»

2. *Secundum, Augustini et Hieronymi.*—Neque soli Romani Pontifices, sed etiam alii Patres, tam Latini quam Græci, de Romana Ecclesia, seu cathedra Petri ita senserunt. Retuli jam Augustinum contra Epistolam Fundamenti, c. 4, ubi dum pro signo Catholicæ Ecclesiæ ponit successionem Pontificum Romanorum, satis clare demonstrat, Catholicam Ecclesiam a Pontifice Romano non disjungi, ac subinde fidem Romanam et Catholicam eamdem esse. Unde idem Augustinus, lib. 2 de Grat. Christi et peccato originali, c. 8, de Pelagio ait: «Romanam Ecclesiam fallere minime valuit, recoluit enim beatissimus Papa Zozimus, quid imitandus prædecessor ejus de ipsius senserit gestis. Attendit etiam, quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adversus ejus errorem pro veritate catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat». Et lib. 2 contra duas Epist. Pelagianor., c. 4: «Cum litteris (inquit) venerabilis Innocentii catholicæ fidei clareret antiquitas, profecto Ecclesiæ Romanæ prævaricator esset, qui ab illa sententia deviaret». Ubi (sicut alias sæpe) fidem Sedis Romanæ tanquam Catholicam recipit ac veneratur. Secundo, Hieronym., epist. 57 ad Damasum: «Quoniam vetusto», etc., illa habet verba: «Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus», etc. Ubi aperte eamdem censet esse Catholicam Ecclesiam, quam Romanam. Ex quo etiam in lib. 1 Apologiæ contra Ruffinum, col. 3, sic colligit: «Fidem suam quam vocat? eamne qua Romana pollet Ecclesia? an illam quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam respondet, ergo Catholici sumus»; ubi etiam diserte docet, eamdem esse fidem Catholicam et Romanam. Illam autem etiam esse immaculatam, in libro 3 ejusdem Apologiæ, parum ante medium, testatur ita: «Scito Romanam Sedem Apostolica voce laudatam istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est»; et in Proœmio libri 2 ad Galat., fidem, et religionem Romanorum laudat, concluditque:

«Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod in eis devotio major sit, etc.»

3. *Tertium testimonium, Ambrosii.*—Tertius testis sit B. Ambrosius, qui in libro de obitu Satyri fratris, versus finem, prudentiam et cautionem sui fratris referens, inquit: «Advocavit ad se Episcopum, neque ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret». In quibus etiam verbis unionem cum Ecclesia Romana et cum Catholica eamdem esse, ac individuam sentit. Unde lib. 1, ep. 4, ad imperatores sic scribit: «Totius orbis Romani caput, Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, observanda foret clementia vestra, inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant». Et in epist. 7 ejusdem libri, ad Syricium Papam: «Credatur (inquit) Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, et servat»; et serm. 2 de Sanctis, qui est de Cathedra Petri, et serm. 11, qui est secundus de Petro et Paulo, egregie ad rem nostram declarat, quomodo Ecclesia in Petro fundata sit, et inde habeat perpetuam fidei firmitatem.

4. *Quartum, Cypriani.*—Quartus sit Cyprianus, qui eodem itidem modo Ecclesiam Romanam veneratus est; præsertim vero epist. 55 ad Cornelium, col. 12, de quibusdam hæreticis ait: «Navigare audent, et ad Petri cathedram, atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum». Unde idem Cyprian., epist. 52, in princip.: «Scripsisti (inquit) ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium, collegam nostrum, transmitterem, ut deposita omni sollicitudine, jam sciret te secum, hoc est cum Ecclesia Catholica, communicare.» Ubi aperte sentit, idem esse communicare Ecclesiæ Romanæ et Catholicæ. Et epist. 76 ad Magnum: «Ecclesia (inquit) una est, quæ una et intus et foris esse non potest». Unde infert: «Si apud Novatia-

num est, apud Cornelium non fuit; si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano legitima ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est». Ubi etiam Catholicam Ecclesiam unam cum Romana esse supponit. Idem in epist. 40, circa med.: «Una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata». Et infra: «Quisquis alibi collegerit, spargit». Idem fere repetit lib de Unit. Eccl., non longe a princip., et inter multa alia dicit: «Quia cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?»

5. *Quintum, Irenæi.*—Quintus est Irenæus, libro tertio Contra hæreses, capite tertio: «Quoniam (inquit) longum est omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.»

6. *Sextum testimonium, Athanasii et Episcoporum Ægypti.*—Sexto, addere possumus Athanasium, et Episcopos Ægypti, in epist. ad Marcum Papam, in qua petunt exemplaria Concilii Nicæni, ubi inter alia dicunt: «Optamus ut a vestræ sanctæ sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater et caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem et recreationem fidelium ortodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, quatenus vestra multi auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi a memoratis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris evadere, nobisque commissos eruere valeamus». In quibus verbis manifeste supponit, sanam et integram fidem in Romano Pontifice tunc fuisse, et

præterea in illo esse auctoritatem ad corrigendum hæreticos, et fideles in vera fide confirmandos.

7. *Septimum testimonium, Episcoporum provinciæ Tarraconensis.*—Septimo, adducere hic possumus testimonium Episcoporum provinciæ Tarraconensis, in epist. 2 ad Hilarium Papam, ubi primum recognoscunt privilegium Ecclesiæ Romanæ de primatu Vicarii Christi; deinde subjungunt: «Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur». Et his annumerari potest Ruffinus, in Expositione Symboli, in principio, dicens: «In diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta, in Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, et mos ibi servatur antiquus». Verba etiam supra ex Cyrillo citata veritatem hanc satis confirmant, quæ præter D. Thomam, refert etiam Gennandius, Archiepiscopus Constantinopolitanus, in Defensione Concilii Florentini, c. 5, sect. 12, paulo tamen aliter, videlicet: «Oportet nos tanquam membra caput sequi, id est, Romanum Pontificem, et Apostolicam Sedem, a qua debemus petere, quid credere et sentire debeamus, ac tenere, quia ipsius tantum est confutare, redarguere, confirmare, ordinare, solvere, et ligare». Denique allegari solet Theodoretus, in epist. ad Renat., presbyterum Rom., dicens: «Tenet sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper hæretici fætoris expers permansit». Quia vero hanc epistolam videre non potui, addo, sententiam illam esse valde consentaneam iis, quæ tradit idem Theodoret., in epist. ad Leonem Papam, quæ in secundo tomo Conciliorum habetur, ubi Ecclesiam Romanam maximis laudibus extollit, præcipue autem ait: «Eam insigniter exornat fides, et fide dignus testis divinus Apostolus, qui clamat: Fides vestra annuntiatur in universo mundo». Et de ipsa Sede Roma-

na dicit: «Vobis per omnia primos esse convenit, vestra enim Sedes omnium est maxima, et præclarissima, et quæ præest orbi terrarum». Et infra: «Habet autem communium quoque Patrum, et veritatis Doctorum, Petri et Pauli sepulchra, quæ fidelium animas illuminant». Et infra: «Illorum autem Deus nunc quoque illorum sedem claram, insignemque reddidit, cum vestram sanctitatem in ea collocaverit, quæ radios fidei orthodoxæ emittit.»

8. *Evasio.— Responsio.*— Dicet fortasse aliquis, hæc dicta esse a Patribus, non propter singulare aliquod privilegium Episcopi Romani in fide illibata conservanda, sed solum propter insignem pietatem, et sinceram Romani populi fidem, quæ in initio Ecclesiæ maxime viguit. Hoc enim solum significavit Paulus in verbis illis ad Rom., 1: «Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo». Sicut etiam 1 Thessal., 1, laudat Thessalonicensium fidem, dicens: «Excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti, ita ut facti sitis forma omnibus credentibus, etc.» Respondetur non esse dubium quin Apostolus in dictis verbis Romani populi fidem commendet, et nonnulla verba Sanctorum Patrum eamdem laudem commemorent; nihilominus tamen frequentius Ecclesiam Romanam laudant, quia fidem semel susceptam integram et immaculatam semper custodivit, ut ex allegatis verbis satis constat.

9. *Instantia.—Confutatur.*— At enim instabunt adversarii, hæc dicta fuisse ab his Patribus de Ecclesia Romana ante sexcentesimum Christi annum, quo tempore ipsi etiam fatentur veram ac puram fidem catholicam in Romana Ecclesia ac Sede perdurasse; quod tamen non obstat quominus postea paulatim ac sensim ceciderit, et puritatem fidei amiserit, ut ipsi confingunt. Sed hoc imprimis non enervat dictorum antiquorum Patrum testimonia, quia illi non solum factum narrant, sed etiam jus (ut ita dicam) seu fundamentum illius facti perpetuum esse ostendunt, et ita non solum docent fidem Romanam fuisse suo

tempore catholicam, sed etiam hoc habere ex proprio privile-gio, et prærogativa, quæ perpetuo in illa sede duratura est. Ho-patet imprimis ex illis, qui hoc fundant in promissione Christi «Ut non deficiat fides tua», ut jam satis explicatum est. Deind-eadem est ratio de illis, qui hoc colligunt, «quia super hanc pe-tram ædificata est Ecclesia», ut dixit Hieronymus. Item ex e-quod pro signo certo Ecclesiæ Catholicæ ponunt unionem cun-Ecclesia Romana, ut ex Hieronymo et Ambrosio constat, e-maxime ex Augustino. Quando enim inter signa Catholicæ Ec-clesiæ ponit successionem Episcoporum Romanorum, duo sin-dubio potissimum significat. Unum est, seriem ac successionen illius episcopatus inter tot persecutiones, et sine humana po-tentia, et cum eadem excellentia dignitatis et potestatis, no-esse præcipue ex humana providentia, sed ex divina, et ex illa Christi promissione: «Portæ inferi non prævalebunt adversus eam», quæ semper durat, ut idem Augustinus, in Psal., contra partem Donati, aperte declaravit, dicens: «Dolor est cum vos videmus præcisos ita jacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ». Alterum est, Ecclesiam Catholicam infallibiliter esse conjunctam cum sede Petri, ac subinde eamdem esse utriusque fidem; nam si hoc non supponatur, signum illud fere nullius esset momenti. Colligitur tandem hanc fuisse mentem dictorum Patrum, quia hoc privilegium attribuunt Apostolicæ Sedi, ut necessarium ad munus illi commissum exequendum, scilicet, ad confirmandum subditos in vera fide, et ad auctores hæresum et falsæ doctrinæ ab Ecclesia segregandum, omniaque putrescentia membra jam emortua resecandum. Quam rationem multi ex allegatis Ponti-ficibus indicant.

10. Quod si Protestantes Angli, præter hæc antiqua, no-viora testimonia requirunt, audiant imprimis suum gravissimum historicum Bedam, lib. 3, Histor. Anglican., cap. 25, in fine, seu apud illum, sapientem quemdam presbyterum nomine

Wilfridum, qui, allegatis decretis Romanæ Ecclesiæ ad quamdam de Paschate controversiam definiendam, ita concludit: «Si audita decreta Sedis Apostolicæ, imo universalis Ecclesiæ, et hæc litteris sacris confirmata, sequi contemnitis, absque ulla dubietate peccatis. Et si enim Patres tui sancti fuerunt, numquid universali, quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ, horum est paucitas una de angulo extremæ insulæ præferenda?» His addo testimonia Gregorii, qui usque ad sexcentesimum quartum Christi annum sedit, et de integritate fidei Sedis suæ testatur, lib. 3 Epistolar., indictio. 12, ep. 32, et sæpe alibi. Et ideo ep. 41 ad Bonifac. sic inquit: «Hortor vos, ut dum vitæ spatium superest, ab ejusdem beati Petri Ecclesia, cui claves cœlestis regni commissæ sunt, et ligandi ac solvendi potestas attributa, vestra anima non inveniatur divisa, ne si hic beneficium ejus despicitur, illic vitæ aditum claudat». Et lib. 4, indict. 13, c. 77, ep. 32, contra Joannem, Episcopum Constantinopolitanum, qui nomen universalis Episcopi usurpare ausus fuerat, invehitur imprimis verbis et promissionibus Christi: «Cunctis enim», ait, «Evangelium scientibus, liquet, quod voce Dominica sancto, et omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est; ipsi quippe dicitur: Pasce oves meas; ipsi dicitur: Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; ipsi dicitur: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam». Ex quibus colligere intendit, solum Episcopum Romanum revera esse universalem, licet propter modestiam non soleat ita vocari. Deinde vero addit, Constantinopolitanum Episcopum non posse esse universalem, cum in ea Ecclesia multi Patriarchæ hæresum auctores fuerint, quod absit ab universali Episcopo (ut significat), «quia universa Ecclesia a statu suo corruit, quando is, qui appellatur universalis, cadit». In quo plane sentit, ad firmitatem Ecclesiæ pertinere, ut suprema et universalis sedes in fide immutabilis sit. Quod aperte confirmat lib. 6, indict. 5, c. 291, alias ep. 37, dicens: «Quis

nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claves, etc. et cui rursus dicitur: Confirma fratres tuos». His adjungi potest sententia Leonis IX, in epist. 1, cap. 7, dicentis: «A Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos reprobata, convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, neque unquam deficiet, sunt confirmata». Quæ scripsit hic Pontifex post annum millesimum quinquagesimum, et ea fundat in promissione Christi quoad futurum tempus, quoad præteritum vero etiam in evidentia facti, quod universo orbi notum esse supponebat.

11. Præterea ad eamdem veritatem confirmandam afferre possumus Isidor., in epist. ult. ad Eugenium, Episcopum Toletanum, ubi prius de Petro ait: «Præminet cæteris, et ab ipso Dei et Virginis Filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit»; idque confirmat testimoniis Matth., 16, et Joan., 21, et deinde subjungit: «Cujus dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Antistiti singulari quodam privilegio, velut capiti cæteris membris celsiori, permanet in æternum: qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, a capite sejunctus, Acephalorum schismati se reddit obnoxium, quod sicut illud S. Athanasii, de fide S. Trinitatis, sancta Ecclesia approbat et custodit, quasi sit fidei catholicæ articulus, quod nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit». In quibus verbis, licet non expresse asserat Ecclesiam Romanam non posse deficere a fide, supponit tamen usque ad sua tempora non defecisse, et idem semper esse futurum satis significat, cum dicit privilegium illius permansurum in æternum. Idem tradit Bernardus, qui Ep. 109 ad Innocen., contra novam hæresim insurgentem ejus implorat auctoritatem dicens: «Oportet

ad vestrum referri apostolatum pericula quæque, et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur: Et tu aliquando confirma fratres tuos». In quibus verbis satis comprobat omnia quæ dicta sunt, et promissionum Christi veram intelligentiam. Unde lib. 2 de Considerat., ad Eugenium, c. 8, Pontificem Romanum dicit esse «Principem Episcoporum, et potestate Petrum, et non modo ovium, sed et pastorum omnium pastorem,» et alia multa, quibus eamdem veritatem stabilivit. Et in sermone de Privilegiis S. Joannis Baptistæ, Ecclesiam Romanam dicit esse omnium Ecclesiarum matrem et magistram, cui dictum est: «Et pro te rogavi, ut non deficiat fides tua». Denique B. Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, librum de Incarnat. ad Urbanum Pontificem dedicans, illum vocat universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summum Pontificem, et subjungit in c. 1: «Quoniam divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam et fidem christianam custodiendam, et Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra fidem catholicam oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur», et alia, quæ prosequitur, quibus quid de Ecclesia Romana sentiret, satis declaravit. His addi possunt duo testimonia, quæ ab hominibus Græcis data sunt. Unum est Theodori Studitæ, in Ep. 1 ad Naucratium, quæ est 6 lib. 2, ubi de hæreticis sic ait: «Testor nunc coram Deo, et hominibus, se ipsos avulserunt a corpore Christi, et supremo verticali throno, in quo Christus fidei claves posuit, adversus quem non prævaluerunt unquam, nec prævalebunt usque ad consummationem portæ inferi, ora, scilicet, hæreticorum, sicut pollicitus est qui non mentitur». Et in alio opere, de Cultu imaginum, cujus fragmentum refertur in lib. 3 Bibliotecæ sanctæ, de Romanis loquens, ait: «Tanta

est eorum fides, ut et illic infracta videatur esse petra fidei, nimirum, juxta verbum Domini fundata». Quæ testimonia refert et extollit Gennadius Scholarius, c. 5 Defensionis Concilii Florentini, sect. 12, ubi ipse ait, sect. 17: «Si illa divina sedes non recte sentit, mentitur Christus, cum dicit: Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt; bis enim Ecclesiæ pollicitus est se cum ea fore, et portas inferi non prævaliturας adversus eam». Ubi alia etiam ex Patribus tertiæ et quartæ Synodi adducit. Et alia innumera ex catholicis Theologis recenseri possent; sed quia prolixum esset, et non videtur necessarium, id omittimus.

12. Fortasse tamen Protestantes, qui testimonia antiquorum Patrum pro suis vel nostris temporibus non recipiunt, etiam recentiorum testimonia rejicient, quia (ut ipsi fingunt) post defectionem Ecclesiæ Romanæ scripserunt. Sed qui in tantam incidunt audaciam et temeritatem, satis convincuntur, solo proprio judicio et arbitrio duci in interitum, et contra omnem humanam prudentiam loqui, cum et omnem humanam fidem, et ipsius fidei divinæ credibilitatem despiciant et enervent. Nobis ergo satis est ostendisse secundum Scripturas sacras, prout a Sanctis Patribus intellectæ sunt, et secundum eorumdem Patrum traditionem, Romanam Ecclesiam, ratione Sedis Apostolicæ, et Cathedræ fidei, non esse aliam a Catholica, nec magis defecisse a fide, aut posse deficere, quam Ecclesiam Catholicam. Addimus præterea, si his omnibus non obstantibus, contendunt adversarii Romanam Ecclesiam defecisse, oportere ut designent tempus et annum in quo illa defectio inceperit, et sub quo Pontifice, et in qua materia vel articulo contigerit error; nam si nihil horum ostendere queant, ut revera non possunt, profecto omni fide indigni sunt. Et quidem de singulis temporibus, sæculis, et annis, ac Pontificibus summa diligentia id ostensum est a Cardinali Baronio, in suis Annal.; ideoque in initio anni 700 prudentissime sic alloquitur ad lectorem: «Attende animo, et lustra memoria, si quid inveneris in Ecclesia

Catholica diminutum eorum, quæ in reliquis omnibus superioribus videris sæculis.» Et infra: «Res ipsa id testatur, facta clamant, et mira consensione scripta Sanctorum omnium prædicant, a regia nunquam deflexisse sanctam Dei catholicam Ecclesiam via», etc.

13. *Additur auctoritas et conjectura.*—Quod vero spectat ad materiam defectionis, seu ad errores particulares, quos hæretici Romanæ Ecclesiæ tribuunt, postea pauca dicemus, saltem de his, quæ rex Angliæ attigit; nam in hoc brevi opere omnibus ex professo respondere non possumus, et ab aliis catholicis Doctoribus, et a nobis pro captu nostro, in aliis Theologiæ libris, prout occasio tulit, id factum est. Non omittam autem moralem conjecturam addere, quam mihi præbuit Tertullian., lib. de Præscrip. adversus hæretic., c. 28, dicens: «Quid verisimile est, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus est unus exitus; variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo dicere aliquis, illos errasse, qui tradiderunt»? Est profecto fere evidens conjectura, quam satis evincit tam veterum quam recentium hæreticorum experimentum; statim enim ac ab Ecclesia segregantur, in varias et differentes sectas dividuntur: Ecclesia autem Romana semper unitatem doctrinæ retinuit, consentientibus cum illa aliis Ecclesiis Catholicam fidem profitentibus; ergo evidens indicium est, illam Ecclesiam nunquam a prima et originaria fide descivisse. Et ideo quoties aliqua Ecclesia, vel hominum factio ad aliam fidem declinavit, statim notata est, ut ab Ecclesia tam Catholica quam Romana separata: in Ecclesia autem Romana, seu in sede Petri nunquam similis defectio aut separatio ab antiqua fide, vel ab aliis membris Ecclesiæ Catholicæ notata est; ergo adversariorum evasio et impositio frivola est et incredibilis.

14. *Objiciunt hæretici aliquos Pontifices in hæresim incidisse.*—Maxime vero objicere solent hæretici lapsus quosdam et erra-

ta aliquorum Pontificum Romanorum, vel in personis eorum, vel in doctrina. Et imprimis contendunt aliquos vere hæreticos fuisse, et fidem perdidisse. Unde inferre possunt, verba Christi, «non deficiet fides tua», non in omnibus Romanis Pontificibus vera inveniri ac subinde non fuisse de illis prolata, atque adeo neque privilegium aut promissionem nunquam errandi sortitos fuisse. Deinde objiciunt aliquos Pontifices, qui, licet de hæresi non accusentur, falsam doctrinam per humanam ignorantiam Ecclesiæ tradiderunt. His vero objectionibus in particulari et sigillatim propositis, copiose et erudite satisfecit Illust. Bellarminus, lib. 4 de Summ. Pontifice, et Card. Osius, contra Brentium, et alii nostri temporis scriptores.

15. *Nullus Pontifex, ut caput Ecclesiæ, fidem potest amittere.—Instantia.—Solutio.*—Ideoque breviter circa priorem partem recepta distinctio præ oculis habenda est, de Pontifice, vel credente, ut est privata persona, vel docente, ut Pontifex est. Ad illum enim posteriori modo spectatum, dicimus pertinere Christi promissionem: nam hoc modo est petra, a cujus firmitate pendet in suo genere firmitas Ecclesiæ. Hoc autem modo nullum vestigium hæresis ostendunt hæretici in tota Summorum Pontificum successione. Considerando autem personam Pontificis priori modo, etiam inter Catholicos controversia est, an Pontifex possit esse hæreticus, et adhuc sub judice lis est, an aliquis non præsumptione tantum, sed vere talis fuerit. Hæc autem quæstio non pertinet ad fidei fundamenta, et ideo illam nunc omittimus. Et gratia vitandi controversiam, facile damus non esse necessarium promissionem Christi ad personam Pontificis, ut est unus ex privatis credentibus, extendere. Quod si quis instet, eadem ratione personam Petri ut privatam potuisse a fide deficere, non obstante Christi promissione, respondemus, primo, non esse eamdem rationem de Petro, quia illi immediate facta est promissio, et ideo non tantum facta est muneri, sed etiam personæ, ad alios autem solum per successionem descendit, et ideo solum eis ut successoribus Petri communicatur.

Deinde addimus, Petrum non solum hanc habuisse promissionem sed etiam, alias communes Apostolis; ratione quarum omnes habuerunt personalem (ut ita dicam) confirmationem, tam in gratia, quam in fide et doctrina.

16. *Nullus etiam in rebus pertinentibus ad universalem Ecclesiam potest errare.*—Ad alteram vero partem, de erroribus qui Pontificibus tribuuntur, brevitur dicimus, aliud esse loqui de decretis Pontificum, quatenus per ea aliquid definiunt vel approbant tanquam credendum vel observandum ab universa Ecclesia; aliud de privatis sententiis, opinionibus, aut rationibus Pontificum. In præsenti enim de prioribus decretis tractamus, et in eis nullum falsum dogma invenitur, quod per modum definitionis ab eis traditum sit, et Ecclesiæ ad credendum propositum, ut facile intelliget quicumque legerit ea, quæ auctores allegati, et Cajetanus, lib 6 de Locis, cap. 1 et 8, latius prosequuntur. In privatis autem sententiis, vel opinionibus, vel etiam in rationibus quibus interdum utuntur, sicut non oportet esse fidei certitudinem, ita neque infallibilem veritatem, quia neque hoc est necessarium ad firmitatem vel puritatem fidei universalis Ecclesiæ, neque etiam est eorumdem Pontificum menti et intentioni consentaneum. Nam, eo ipso quod sub opinione vel humana existimatione loquuntur, profitentur se per humanam rationem et sapientiam loqui, non per infallibilem assistentiam Spiritus Sancti. Si quis tamen prudenti et pio animo consideret etiam illa, quæ hoc posteriori modo a Pontificibus traduntur, forte nihil inveniet, quod non sit sapienter traditum, et satis probabili fundamento stabilitum.

CAPUT VII

Excluditur tertia evasio hæreticorum, quam per distinctionem Ecclesiæ visibilis et invisibilis confingunt

1. *Proponitur tertia evasio hæreticorum de Ecclesia invisibili.*—In libro serenissimi Angliæ regis nihil de hac evasione, vel de invisibili Ecclesia expresse dictum invenimus; omittere tamen non potuimus, quin illi occurreremus, tum ut plerisque hujus sæculi hæreticis respondeamus; omnibus enim satisfacere, et veritatem persuadere cupimus; tum etiam ut discursum a nobis incohatum plenius perficiamus, et omnia vana subterfugia præcludantur. Multi ergo ex hæreticis, quamvis propter aperta testimonia Scripturarum negare non audeant. Ecclesiam Christi seu Catholicam perpetuo durare, et in fide vera permanere, ut aliquo modo vim rationis, et lucem veritatis effugiant, duplicem Ecclesiam distinguunt, unam veram et solidam, alteram tantum apparentem; et priorem dicunt esse invisibilem oculis corporeis, posteriorem autem visibilem ese. Qua supposita distinctione, respondent Ecclesiam invisibilem, esse veram Christi Ecclesiam et Catholicam, cui promissum est ut nunquam deficiat, nec portæ inferi contra eam prævaleant. Alteram vero Ecclesiam apparentem et visibilem, licet in hac externa specie perseveret, dicunt in veritate fidei, ac subinde in subsistentia veræ Ecclesiæ posse deficere, et jam defecisse in Ecclesia Romana, cujus formam et speciem ita depingunt ipsi.

2. *Primum fundamentum erroris prædicti.* — Fundamentum autem hujus sententiæ, quatenus supponit Ecclesiam veram esse invisibilem (hic enim tantum est scopus præsentis disputationis), est, formam constituentem veram Ecclesiam esse in se invisibilem, et per nullum signum visibile ita manifestari, ut

in eo possit videri. Ergo talis forma simpliciter est invisibilis. Quidquid enim visibile est, vel in se videri potest, vel saltem in alio tanquam in signo. Si ergo forma constituens Ecclesiam neutro horum modorum videri potest, profecto omnino invisibilis est. Ergo et vera Ecclesia, ut talis est, invisibilis est, quia, licet personæ, ex quibus constituitur, videantur quasi materialiter quoad corpora, vel actiones humanas externas, quatenus tamen constituentes Ecclesiam videri non possunt. Sicut si anima hominis, quæ in se est invisibilis, per opera externa videri non posset, profecto homo invisibilis esset; et si corpus humanum nullum exerceret motum vitæ, qui sentiri possit, profecto ut vivens esset invisibile, etiamsi corpus ipsum materialiter videretur.

3. Superest vero probandum, formam Ecclesiæ esse invisibilem utroque modo supra posito. Et imprimis in omnis sententia, etiam nostra, videtur necessario dicendum, illam formam esse in se invisibilem, sive sit prædestinatio (ut quidam hæretici dixerunt), quæ satis invisibilis est, sive (ut dixerunt alii) sit charitas, sive sit fides, ut Catholici etiam docent, quia non solum charitas, sed etiam fides est spiritualis forma quoad ipsam internam qualitatem, et ita est in se invisibilis. Quod si etiam adjungatur sacramentum fidei, quod est baptismus, etiam hoc non est visibile, ut sacramentum est, quia non videtur intentio necessaria ut sit sacramentum, et consequenter non videtur spiritualis character, qui necessarius etiam est juxta Catholicorum sententiam, ut membrum Ecclesiæ constituat. Quod item hæc forma Ecclesiæ in signis, seu per signa visibilia videri non possit, probatur, quia nulla sunt externa signa charitatis, vel fidei, quæ non possint ficte fieri sine vera interna fide, sive sint opera externa divini cultus, sive obedientia ad Prælatos Ecclesiæ, sive actus regiminis ex parte ipsorum Prælatorum, sive sint opera confessionis, et professionis fidei, denique vel ipsa etiam opera miraculorum; nam hæc etiam adulterari possunt, et ita exterius fingi, ut non sint necessaria

signa veræ fidei; ergo nullum visibile superest, quo vera forma Ecclesiæ visibilis sit. Sola autem externa signa aut opera non sufficiunt ad veram Ecclesiam constituendam; nam sicut particularis persona, si interius non credit, licet exterius se fingat fidelem, verum Ecclesiæ membrum non est, præsertim si characterem baptismi non habeat, ita quælibet congregatio, vel hominum multitudo, etiamsi per opera externa religionis et fidei congregetur, si internam fidem non haberet, vera Ecclesia non esset; ergo cum hæc fides semper sit invisibilis, tam per se quam per aliud, etiam Ecclesia vera invisibilis est. Quod fundamentum maxime habet locum in sententia Protestantium, qui uniuscujusque fidem resolvunt in privatum spiritum, vel propriam revelationem unicuique factam, nam ille privatus spiritus sine dubio invisibilis est.

4. Atque hic discursus videtur potissime attingere et punctum controversiæ, et hæreticorum motivum. Alia vero, quæ afferri ab ipsis solent contra externum cultum, ut probent in Ecclesia tantum esse debere spiritualem, ac subinde invisibilem, neque ab omnibus hæreticis hujus temporis acceptantur, sed in hac re divisi sunt, nec ad præsentem causam quicquam referunt. Quia licet lex gratiæ principaliter sit in spiritu, non excludit opera quæ ab interna charitate procedant; et similiter licet adoratio Ecclesiæ sit in spiritu et veritate, non excludit cultum externum ab interiori procedentem, ut in propriis locis de lege gratiæ, de religione, de sacramentis et sacrificio ostensum est. Alia etiam, quæ adjungi hic solent de Ecclesia interdum propter vim persecutionis ita latente, ut videri non possit, non pertinent ad hunc locum, sed ad alium infra tractandum de Ecclesiæ universalitate. Præter dictum autem fundamentum addunt nonnulla testimonia, quibus respondere necesse est. Primo enim ex Scriptura objiciunt illud Lucæ, 17: «Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut: Ecce illic; ecce enim Regnum Dei intra vos est», nam per regnum Dei ibi Ecclesia intelligitur, quæ alibi dicitur «Do-

mus spiritualis», 1 Petri, 2, et «Civitas Dei viventis», ad Hebr. 12, ubi distingui videtur in hac proprietate Ecclesia Christi a visibili synagoga. Secundo, afferunt verba Symboli: «Credo unam Sanctam Ecclesiam», nam si esset visibilis, non crederetur; si ergo fide credenda est Ecclesia, videri non potest. Addunt denique locum Augustini, 20 de Civit., c. 8, ubi Ecclesiam dividit in prædestinatam et non prædestinatam.

5. Nihilominus dicendum est, veram Ecclesiam, quam Christus super petram fundavit, et cui promissit portas inferi non prævalituras adversus illam, visibilem esse, et consequenter futilem esse adversariorum evasionem; quia si hæc Ecclesia visibilis est, et deficere non potest a vera fide, et ipsi ab ea defecerunt, ut est per se evidens, et ipsi non negant, manifestum est non veram fidem, sed hæresim habere. Propositum autem fundamentum, quod fidei dogma esse credimus, prius simpliciter probandum est ex Scriptura et Patribus. Deinde res ipsa (id est, in quo consistat hæc visibilitas Ecclesiæ) ita explicanda est, ut, ablata verborum ambiguitate et tergiversatione, ex fidei principiis possit ratione convinci.

6. *Ecclesia visibilis ex Scriptura.— Primo ex Isaiæ*, c. 2.— *Duplex expositio.*—Primo ergo Ecclesiam esse visibilem probatur ex illo Isaiæ, 2: «Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.» Quo in loco multi ex Patribus per «montem Domini» Christum intelligunt, qui Danielis 2 dicitur, «Lapis excisus sine manibus, qui crevit in montem magnum», ut patet ex Augustino, tract. 1, in 1 epist. Joan., et Orat. contra Judæos, c. 7 et 8; et ex D. Hieronymo, Isai. 2, Micheæ 4, et Daniel 2; et Tertuliano, lib. contra Judæos, cap. 3. Alii vero per montem Ecclesiam intelligere videntur, ut August., lib. 4 contr. Crescon., c. 58; et Crysostom., Isai. 2; et Cyrill., lib. 1 in Isai., cap. 2. Verumtamen in re non dissentiunt: nam de Christo et

de Ecclesia tanquam de corpore et capite ibi sermo est, et juxta regulam Augustini, quod de corpore dicitur, de capite etiam intelligi potest, et e converso. Unde in alio loco Daniel. 2, de lapide abscisso, qui factus est mons magnus, dicitur: «Et implevit universam terram», scilicet Christus per Ecclesiam suam. Cum autem in loco Isaiæ, mons et domus Domini distincte ponantur, recte per montem, Christum, et per domum, Ecclesiam intelligimus. Unde futurus dicitur «præparatus mons domus Domini», id est, Ecclesiæ, cum suo capite Christo. Prædicitur ergo ibi, sicut Christus visibilis venit in mundum, et per suam prædicationem, signa et miracula omnibus notus et illustris factus est, ita Ecclesiam Christi futuram fuisse visibilem, et ita notam in mundo, ut ab omnibus cognosci posset. Quod satis declarant sequentia verba, quæ sunt gentium omnium dicentium: «Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.» Non enim invitantur homines ut veniant, nisi ad domum, quæ nota et visibilis eis esse potest.

7. Atque ita copiosius quam cæteri explicavit Chrysostomus, dicens: «Res hæc dilucida adeo est, ut nulla deinceps egeat per sermonem interpretatione, ipsa rerum nativa indoles ad eum modum vocem edit, tuba quavis clarius resonantem, exhibens omnibus spectandum decus, ac splendorem Ecclesiæ, non enim iste sol tanto nitore splendescit, non item lux ex ipso emicans illustre adeo jubar effundit, ut res gestæ ab Ecclesia. Etenim domus Dei super montes altissimos collocata est.» Et infra: «Ecclesiæ potestas ipsos pertingit cœlos, et tanquam domus supra verticem montium posita omnibus se exhibet conspicuam, usque adeo ipsa multo etiam amplius omnibus inclaruit.» Similem protulit sententiam Augustinus, lib. 3 contra epist. Parmeniani, ubi dicit, justos esse, «per universam civitatem, quæ abscondi non potest (inquit), quia supra montem constituta est. Montem illum dico Danielis, in quo lapis ille præcisus sine manibus crevit, et implevit universam terram»: et d. tract. 1, in 1 epist. Joan., circa finem: «Nonne (inquit) lapis iste, qui

præcisus est a monte sine manibus, Christus est de regno Judæorum sine opere maritali?» et post pauca: «Numquid digito ostendimus istum montem?» Et infra: «Numquid sic ostendimus Ecclesiam fratris mei? Nonne aperta est? Nonne manifesta?» Et paucis interjectis: «Et cum eis dicitur», utique hæreticis: «Ascendite, Non est mons, dicunt, et facilius illum faciem impingunt, quam illic habitaculum quærunt.» Et inferius proposito loco Isaiæ, interrogat: «Quid tam manifestum, quam mons?» Et statim objicit: «Sed sunt et montes ignoti, ut Olympus», etc. Respondet: «In partibus sunt isti montes, ille autem mons non sic, quia implevit universam terram, quis erraat in hoc monte?» Et infra de hæreticis ait: «Montem non vident, nolo mireris, quia in tenebris ambulant, et oculos non habent, quia tenebræ excæcaverunt eos.

8. *Secundo ex Matth.*—Et in eodem sensu interpretantur multi Patres verba Christi, Matth., 5: «Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita.» Hanc enim civitatem esse Ecclesiam docuit Augustinus, dicto tractat. primo, dicens: «Ecce civitas, de qua dictum est: Hæc est civitas supra montem posita.» Idem, de libro tertio contra Parmen., cap. 5, et lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 32, post illud Psalm. 18: «In omnem terram exivit sonus eorum.» Infra: Hinc fit, ut «Ecclesia vera neminem lateat, unde est illud quod Evangelista dicit: Non potest civitas abscondi supra montem constituta (1), ideoque in eodem Psalmo connectitur: In sole posuit tabernaculum suum», quod ipsemet super eumdem Psalmum exposuit, id est, «in manifestatione, Ecclesiam suam, non quæ lateat.» Et infra: «Quid tu, hæretice, fugis in tenebras?» Et multa similia habet libro de Unitat. Ecclesiæ, et lib. 13 contra Faustum, c. 13, ubi pro signo certo Ecclesiæ Christi ponit, quod «omnibus eminet, et apparet, quia est sedes gloriæ ejus», Je-

(1) Matth., 5.

rem., 17, «et templum Dei sanctum», 1 ad Corinth., 3; et posteæ subjungit locum Matthæi. Idem lib. 6, cap. 17, et lib. 2 contra Cresconium Gramaticum, cap. 36, ubi habet verba notanda: «Extat Ecclesia cuncta clara, atque conspicua, quippe civitas, quæ abscondi non potest supra montem constituta, per quam dominatur Christus a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ.

9. Eodem modo exposuit illum locum Hieronymus, lib. 6, in c. 30 Jeremiæ, ubi etiam verba illa Jeremiæ ad Ecclesiam accommodat: «Ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundabitur. Plenius (inquit Hieronymus) atque perfectius in Domino Salvatore atque Apostolis hoc completum est, quando ædificata est civitas in excelso suo, de qua scriptum est: Non potest civitas abscondi, quæ in monte sita est, et templum juxta ordinem suum, cæremoniasque fundatum, ut quidquid in priori populo fiebat carnaliter complerétur.» Et Amos, 1, verba illa: «Dominus de Sion rugiet, de specula» Ecclesiæ exponit, «quia super montem sita (inquit Matth., 5) latere non potest, de qua cum Dominus dederit per vetus et novum instrumentum, et per Doctores ecclesiasticos vocem suam, et quasi clara buccina insonuerit, tunc doctrina hæreticorum, et circumcisionis siccabitur», etc.; et elegantissime Chrysostomus, homil. 10 in Matth., in Imperfecto, interrogans: «Quæ est hæc civitas?» et respondens: «Ecclesia est Sanctorum, de qua dicit Propheta. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (1); cives autem ejus sunt omnes fideles, de quibus dicit Apostolus: Vos estis cives Sanctorum, et domestici Dei (2)», etc. Et infra: «Hæc ergo civitas posita est super montem, id est, Christum», etc. Et deinde connectens alia verba: «Nec qui accendunt lucernam», etc., inquit: «Per alteram comparationem vult ostendere, quare Sanctos suos ipse Christus manifestat, et non

(1) Psalm. 86.
(2) Ephes., 2.

vult esse absconditos.» Et infra interrogat: «Quod est candelabrum?» Et respondet: «Ecclesia, quæ bajulat verbum vitæ.» Et adducit illud Pauli ad Philippens., 2: «Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.» Denique in eamdem sententiam recte ibi dixit Rupertus (4): «Quam magna, quam ampla civitas.» Et infra: «Non potest abscondi, non patitur ordo, vel ratio judicii, seu consilii divini, ut abscondatur, et incognita sit, quæ ad hoc ædificata est, et ad hoc mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium, ut omnes, qui inter adversarios periclitantur, qui inter judæos, paganos atque hæreticos pro fide agonizantur, recurrere sciant ad civitatem hanc, et in ea communiri, etc.

10. *Prima proprietas ex Matth.*, 16.—*Secunda proprietas ex Actor.*, 20.—Unde possumus tertio ratione sumpta ex proprietatibus, quas Scriptura et Patres Ecclesiæ tribuunt, eamdem veritatem comprobare. Prima conditio Ecclesiæ Christi est, quod super Petrum est fundata, Matth., 16, a quo fundamento dimoveri non potest, ut supra ostensum est, et latius libro tertio dicturi sumus; hoc autem fundamentum visibile est, nam ad gubernandos homines est positum; ergo et Ecclesiam ipsam visibilem esse oportet. Et ideo unum ex potissimis signis ad cognoscendam veram Ecclesiam est successio Episcoporum in pontificatu Petri, ut supra ex Augustino notavimus, et ex Ireneo, lib. 3, cap. 1; et idem sumitur ex Cypriano, epist. 76 ad Magnum. Si autem Ecclesia vera esset invisibilis, non indigeret capite visibili, neque in eo posset fundari. Secunda proprietas huic affinis est, quod Christus talem condidit Ecclesiam, ut per homines regi posset, juxta illud Actorum, 20: «Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.» Ibi sine dubio est sermo de vera Ecclesia a Christo fundata,

(4) Lib. 4 de Gloria et honore Filii hominis, in Matth.

illam enim solam suo sanguine acquisivit, illique de convenienti regimine providit, quod hominibus et Episcopis commisit; ergo necesse est talem Ecclesiam esse visibilem, quam ejus rectores intueri et cognoscere possint.

11. Tertia conditio est, Ecclesiam posse videre sensibiles actiones, et audire humanam vocem, juxta verbum Christi Matth., 18: «Dic Ecclesiæ»; quomodo enim aliquis loquetur Ecclesiæ, quam videre non potest, aut quomodo Ecclesia audiet verbum hominis, si ipsa visibilis non est? Et ideo etiam ait Paulus, 1 ad Cor., 10: «Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei»; possumus ergo videre Ecclesiam, et cavere ne illam offendamus, juxta illud Pauli, 1 ad Timot., 3 «Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi»; quomodo enim poterat Timotheus hoc scire si veram Ecclesiam nesciret? Et infinitæ sunt locutiones similes quæ supponunt certam, ac definitam scientiam Ecclesiæ visibilis, ut est illud 1 ad Cor., 15: «Persecutus sum Ecclesiam Dei» et illud Actor., 5: «Factus est timor magnus in universa Ecclesia.» Et similia videri possunt c. 8, 9, 11, et fere per totum illum librum; et interdum est sermo de tota Ecclesia, interdum de parte ejus, seu particulari Ecclesia visibili: verumtamen eadem est ratio partium, et totius; nam si partes visibiles sunt multo magis totum corpus, ex eis constans, erit visibile.

12. *Responsio pro sententia hæreticorum, et refellitur.*—Fortasse tamen hæretici, his testimoniis convicti, confitebuntur Ecclesiam primitivam, quæ fuit tempore Apostolorum, vel paulo post illud, fuisse visibilem, postea vero discursu temporum illam visibilem Ecclesiam defecisse, et invisibilem factam esse. Ex qua responsione libenter priorem partem accipimus. Et ex illa imprimis contra hæreticos convincimus, veram Ecclesiam posse esse visibilem, quandoquidem aliquando talis fuit. Ex quo etiam obiter ostenditur, rationes hæreticorum ad probandum Ecclesiam esse invisibilem, futiles esse; nam si quid valerent, repugnantiam aliquam ostenderent in Ecclesiæ visibili-

tate, cum tamen factum ipsum probet nullam esse. Deinde, sicut nos ex Scripturis ostendimus Ecclesiam in sua origine, ut sic dicam, fuisse visibilem, ita oportet ut ipsi ex Scripturis ostendant dari Ecclesiam invisibilem, vel in eis prædictum esse, aliquando talem futuram fuisse Ecclesiam. Simili argumento urget Donatistas Augustinus, lib. de Unit. Eccles., c. 17, dicens: «Legant nobis hoc de Scripturis sanctis, et credimus; hoc, inquam, nobis ex canone divinorum librorum legant, tot civitates, quæ usque ad hodiernum diem baptismum, per Apostolos sibi consignatum, tenuerunt, periisse a fide.» Quod argumentum prosequitur c. 18, supponens in principio, Ecclesiam in Scripturis sanctis manifeste cognosci, et postea cap. 19 iterum instat: «Omissis ergo morarum tendiculis, ostendat Ecclesiam vel in sola Africa perditis tot gentibus retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam, et sic ostendat, ut non dicat: Verum est, quia hoc ego dico», etc. Late enim enumerat omnia quæ hæretici confingere solent, et adjungit: «Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum», et postea concludit: «Sed utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant.» Hoc proinde argumentum eo fortius est contra hæreticos hujus temporis, quo ipsi prædicant, nihil esse credendum, nisi quod in Scripturis legitur. Cum igitur ex Scripturis habeamus Ecclesiam visibilem, et mutatio ejus in invisibilem non legatur, neque vestigium ejus in Scriptura inveniri possit, profecto neque consequenter, neque cum fundamento loquuntur Protestantes.

13. *Visibilitas Ecclesiæ perpetuo duratura.*—Ulterius vero ex eisdem Scripturis et Patribus probamus, falsam esse posteriorem partem illius responsionis; nam locutiones Scripturæ, quæ convincunt Ecclesiam fuisse visibilem tempore Apostolorum, idem probant de vera et apostolica Ecclesia quocumque tempore. Primo, quia promissio non deficiendi facta est Ecclesiæ visibili, prout illam Christus super petram fundavit, ut patet ex

illis verbis: «Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam»: nam particula «eam», eamdem visibilem Ecclesiam refert. Item ex Paulo, 1 ad Tim., 3, ubi cum dixisset: «Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi», subjungit, «quæ est columna et firmamentum veritatis»; ostendimus autem priora verba intelligi de Ecclesia visibili, in qua quis conversatur; sed particula «quæ» eamdem Ecclesiam refert; ergo illa eadem visibilis Ecclesia est columna, et firmamentum veritatis, ac subinde perpetua, quia, ut supra ostendi, hæc proprietas nunquam potest a vera Ecclesia separari. Adde nec posse illi convenire, si invisibilis aliquando fiat; est enim columna et firmamentum veritatis, semper et sine defectu veritatem docendo, et errores corrigendo; hoc autem cum auctoritate et efficacia facere non posset, si esset invisibilis; semper enim dubitari posset an sit vera Ecclesia quæ loquitur. Deinde multæ ex adductis locutionibus Scripturæ pro quocumque tempore prolatæ sunt; ergo de omni tempore probant veram Ecclesiam esse visibilem. Assumptum patet, nam Christus, quando monuit: «Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus», non homines tantum qui se audiebant, nec solam Ecclesiam primitivam, sed totam Ecclesiam suam, ut perpetuo duraturam, instruebat; ergo supponebat Ecclesiam suam semper futuram esse visibilem, quæ audiri et audire possit. Et idem argumentum sumi potest ex verbis Pauli proxime citatis; nam consilium illud convenienti modo conversandi in Ecclesia, seu operandi sine offensione ejus, ad omnia tempora extenditur, et omni tempore servandum est: ergo semper Ecclesia talis est, ut videri possit.

14. *Confirmatur primo ex munere docendi.*— Præterea est alia insignis proprietas veræ Ecclesiæ, quæ hanc visibilitatem perpetuo requirit, nimirum, quod extra illam non potest salus conservari aut inveniri, ut est certa veritas fidei, quam tradunt Cyprian., epist. 74, ubi habet illam sententiam: «Non potest

quis habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem»; quam repetit lib. de Unit. Eccles., non longe a princ., ubi inter alia Ecclesiam comparat arcæ Noe, dicens: «Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet.» Et loquitur aperte de Ecclesia fundata in cathedra Petri. Eamdemque doctrinam tradit multis aliis in locis. Item Augustinus, in lib. de Unitat. Ecclesiæ, c. 2 et 19, idem docet, et confirmat, quia «ad salutem, ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum: habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.» Quamobrem ex hac proprietate recte colligitur, Ecclesiam veram omni tempore debere esse visibilem, quia omni tempore est corpus Christi, cui uniri debent omnes, qui per Christum salutem consequi voluerint; et est civitas refugii, ad quam recurrere oportet, qui ab hostibus se tueri et defendi desideraverint. Esset autem contra rectum ordinem, ut jam ex Ruperto retulimus. Ecclesiam, ad hunc finem institutam, in occulto et in tenebris collocare; ergo cum ad eumdem finem perpetuo conservetur, perpetuo etiam debet esse conspicua, clara et visibilis. Et ideo apposite admodum dicit Irenæus, lib. 1 coatra Hæreses, c. 2: «Hanc fidem Ecclesia in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter prædicat, docet, et tradit, quasi unum possidens os.» Et infra subjungit: «Sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.» Quam comparationem imitatus etiam est Cyprian., lib. de Unit. Eccles., dicens: «Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur; quomodo solis multi radii, sed lumen unum, divelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit.» Quem locum citat August., lib. 1 contra Crescon., c. 36, di-

cens: «Hanc (scilicet Ecclesiæ civitatem) B. Cyprianus ita commendat, ut eam dicat Domini luce perfusam, radios suos per orbem terrarum porrigere», etc. Et sic etiam Origen., tractat. 3 in Matth: «Ecclesia plena est fulgore ab Oriente, usque ad Occidentem, et plena est lumine vero, quæ est columna et firmamentum veritatis» Et significant Augustinus et alii, qui, ut supra vidimus, ad illam accomodant illud Psalm.: «In sole posuit tabernaculum suum», et illud Jeremiæ: «Ipsa est sedes gloriæ, quæ exaltata est, et omnibus apparet.» Et propterea etiam ab aliis Patribus comparatur candelabro continenti lucernam, «ut luceat» (ait Chrysostomus), id est, «appareat, et illuminet, qui sunt vel in domo Ecclesiæ, vel in domo omnium mundorum.» Denique propter hanc causam dixit idem Chrysostomus, hom. 4, in cap. 6 Isai., «facilius esse solem extingui, quam Ecclesiam obscurari.

15. *Confirmatur secundo ex visibili successione Pontificum.* —Alio item modo refutare possumus prædictam evasionem hæreticorum, et veritatem catholicam confirmare, sumpto eodem principio ab adversariis concesso, quod Ecclesia Christi in sua origine visibilis et notissima fuit, ut ex Scriptura satis probatum est, et præsertim verba Christi, Actaque Apostolorum ostendunt. Nam hæc Ecclesia ita propagata et conservata est, sicut fuit fundata; ergo sicut in principio visibilis fuit, ita perpetuo conservatur. Et minor quidem propositio quoad propagationem ex eisdem Actibus constat. Prius enim in Jerusalem radices agens, postea per Judæam aucta, deinde ad Samariam extensa, ac tandem per omnes gentes et universum orbem propagata, in omnibus semper locis visibilis fuit. Et ita particulares Ecclesiæ, tanquam notæ et manifestæ, tam in dicta sacra historia, quam in epistolis apostolicis, et in lib. Apocalypsis, proponuntur et nominantur. Quod vero spectat ad conservationem seu durationem, constat etiam sensibili, ut ita dicam, modo, Ecclesiam perseverasse per continuam visibilemque successionem Pontificum, Episcoporum, Doctorum et aliorum fide-

lium, et Ecclesiæ membrorum: et inde etiam colligi potest, eodem modo esse perseveraturam quamdiu mundus duraverit, quia eadem est cujuscumque temporis ratio.

16. In quo discursu solum superest probandum, durationem Ecclesiæ semper fuisse in statu visibili ratione successionis: id autem probari potest imprimis ex doctrina Patrum; Tertullianus enim, de Præscript., cap. 20, sic describit continuatam durationem Ecclesiæ: «Apostoli primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum et Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei apud nationes prædicarunt, et Ecclesias condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinæ aliæ Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc, et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum, omne genus ad originem suam censeatur necesse est.» Et ita concludit ex omnibus Ecclesiis coalescere unam. Quod verum est de Ecclesia, non solum prout est simul in aliquo tempore, sed etiam, ut successive permanet per communicationem, et unionem præsentis cum præterita, et legitimam successionem, quam magis explicat cap. 32, dicens, Ecclesias, quæ se profitentur Apostolicas, oportere ut ostendant ordinem Episcoporum suorum, deducendo illum usque ad Apostolos.

17. *Ecclesia semper ratione successionis visibilis perseverat.* —Eamdem doctrinam late tradit Cyprian., libr. de Unitat. Ecclesiæ, et epist. 76, ubi inter alia ait: «Nec Episcopus computari potest, qui, evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est»; et ita ut Ecclesiæ notam ponit Pontificum successionem. Et epist. 69 dicit, «Episcopum esse in Ecclesia, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus non habentes, obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino

copulata.» Eodem modo hanc Ecclesiæ continuam unitatem declarat Irenæ,, lib. 3 Contra hæres., cap. 2 et 3; et Augustinus idem sentit contra Epistolam Fundamenti, et aliis locis citatis; et Vincentius Lyrinensis, et reliqui supra allegati. Quorum communis sensus est, Ecclesiam perseverasse per continuam successionem in eodem hierarchico ordine, in quo condita fuit, ac subinde in eodem statu visibili, in quo nota et manifesta sit; quoniam alias non posset de continua successione et traditione constare.

18. *Confirmatur ultimo ex Paul., ad Ephes.*, 4.—Postestque merito hic discursus fundari in Paulo, ad Ephes., 4, dicente: «Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.» Nam ex his verbis constat hanc Ecclesiam, quæ per modum unius coporis ex variis membris coalescit, et per mutuam operam, et influxum eorum inter se conservatur (ut idem Apostolus, 1 ad Corinth., 12, docuit), eamdem formam habituram, «donec occurramus omnes in virum perfectum»; ac subinde Doctores et Pastores per continuam successionem in ea duraturos, et sensibili modo recturos, et docturos illam; quod intellegi nullo modo potest, nisi vera Ecclesia semper visibilis, et humano modo (ut ita explicem) tractabilis perseveret; non enim potest caput esse visibile, et corpus invisibile, ut recte dixit Augustinus, ep. 48, ad Vincent., circa medium.

CAPUT VIII

Occurritur adversariorum objectionibus, et quo sensu Ecclesia visibilis sit exponitur

1. *Ultima pro hæreticorum sententia evasio, Ecclesiam esse credibilem intellectui, non tamen notam sensui.*—His ergo modis satis, ut arbitror demonstratum est ex principiis fidei et testimoniis Sacræ Scripturæ, veram Christi Ecclesiam debere esse cognoscibilem, seu notam. Dicere tamen posset aliquis, inde non satis concludi esse visibilem, seu sensibus externis patentem, sed ad summum esse credibilem, ut in Symbolo credenda proponitur. Atque ita esse notam intelleetui, non sensui. Unde possent hæretici eludere omnia quæ adduximus, dicendo suam Ecclesiam, quam invisibilem vocant, habentibus veram fidem satis esse notam. Et præcipue Protestantes Anglicani (apud quos dicitur durare quædam forma hierarchiæ ecclesiasticæ, et episcopatus umbra et ministerii) dicere possunt, in se perseverare Ecclesiam in ea forma externa et sensibili, quam habuit temporibus Apostolorum, et nihilominus non posse sensu discerni illam esse veram Ecclesiam, magis quam Romanam, neque e contrario, ideoque appellare illam invisibilem, non tamen ignotam, quia per fidem suam satis illam cognitam habent.

2. *Vera Ecclesia quomodo fide credenda.*— Hæc est ultima objectio, et evasio quam ex parte hæreticorum cogitare potui, et non censui omittendam, quia per illius solutionem tolletur omnis Protestantium tergiversatio, et efficacia testimoniorum et rationum, quæ adduximus, magis intelligetur, et reliquæ etiam objectiones in principio positæ facilius expedientur. Ut ergo rem aggrediamur, accipimus primo id quod in hac objectione concedi videtur, Ecclesiam veram esse notam seu cognoscibi-

lem saltem per fidem, ut omnia, quæ hactenus adduximus, testantur satis. Et in hoc puncto addimus duo. Unum est, hoc intelligendum esse, non de Ecclesia confuse concepta, seu in universali abstrahendo ab hac vel illa congregatione hominum existentium in mundo, quæ possit illud nomen sibi attribuere, sed intelligendum esse de Ecclesia definite, et in particulari sumpta, ut est in talium hominum fidem Christi profitentium congregatione. Aliud est, hanc Ecclesiam in particulari esse credendam, non quacumque fide probabili aut humana, sed fide divina certissima et infallibili.

3. *Probatur quoad primam partem.*—Utrumque horum potest probari ex Symbolo Apostolorum, in quo profitemur nos credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. Nam hoc intelligendum est de certa et singulari Ecclesia. Cum enim vera Ecclesia Catholica tantum sit una, individua, et particularis, illa locutio, quæ indefinita videtur, æquivalet singulari. Sicut qui dicit se videre solem, statim intelligitur loqui de illo sole singulari, qui solus in mundo est. Atque ita exponit Augustinus, de Fide et Symbolo, cap. 10, et Ruffinus, in expositione Symboli, et omnes. Nam ex vi illius fidei tenemur credere illam esse veram Ecclesiam, in qua sumus, et cujus fidem profitemur, et consequenter tenemur credere, conventicula hæreticorum non esse veram Ecclesiam, sed Synagogam Satanæ, Apocalyp. secundo, vel, ut Ruffinus ait, Ecclesiam malignantium; ergo ut per illam fidem possimus discernere veram Ecclesiam a falsa, necesse est tu sit de tali congregatione in particulari. Denique ex ratione supra facta de necessitate hujus cognitionis, evidenter sequitur hanc fidem esse debere de tali Ecclesia individua, quia nobis necessarium est vel Ecclesiam quærere, in qua justificari possimus, vel cui credamus, vel in qua vera sacramenta cum fructu recipere, et usque ad finem perseverare, ac denique salvari valeamus. Nemo autem potest quærere Ecclesiam in communi, seu in abstracto conceptam, quia hæc non est inquisitio speculativa, sed practica, necessaria ad operationes præcipuas hujus vitæ; ta-

lis autem inquisitio, vel conjunctio, circa particularem Ecclesiam necessario versari debet, quia actiones, ut dixit Philosophus, circa singularia versantur; ergo singularem etiam et individuam Ecclesiam, Sanctam, et Apostolicam cognoscere possumus et debemus.

4. *Confirmatur secunda pars.*— Et hinc facile probatur alterum, quod proposuimus, scilicet, debere nos credere hanc Ecclesiam non tantum fide, et opinione humana, sed maxime fide divina et christiana. Primo, quia quidquid in Symbolo continetur, tenemur hac fide certa et divina credere; sed unum ex credendis in Symbolo propositis est hæc Ecclesia particularis et individua, ut declaravi; ergo est credenda fide infusa, et omnino certa. Secundo, hoc maxime confirmat Augustinus, epist. 28, dicens hanc fidem in ipsa Scriptura fundari, non minus quam fidem hominis Jesu Christi: «Quomodo enim» (inquit) «confidimus accepisse nos ex divinis litteris, Christum manifestum, et non Ecclesiam manifestam?» Unde sæpe ibi Donatistis objicit: «Incerti estis ubi sit Ecclesia», et ad hoc maxime tanquam ad magnum absurdum eos deducere conatur. «Nos autem» (concludit, colum. 13) «ideo certi sumus, neminem se a communione omnium gentium juste separare potuisse, quia non quisque nostrum in justitia sua, sed in Scripturis divinis quærit Ecclesiam, et tu promissa est reddi conspicit.

5. Tertio, idem convincitur ex necessitate cognitionis veræ Ecclesiæ supra declarata; nam fides veræ Ecclesiæ est in suo ordine, et secundum Deum, fundamentum reliquorum quæ creduntur, et omnium actionum necessariarum ad salutem, cum ab ea accipiamus Scripturam Sacram, juxta pervulgatam Augustini sententiam: «Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret», contra epist. Fundamenti, c. 5. Ab eadem accipimus verum sensum Scripturarum, ut capite sequenti attingemus; accipimus symbola, sacramenta, præcepta, consilia, et omnia quæ ad salutem pertinent; ergo si fides de ipsa Ecclesia esset tantum humana opinio, reliqua omnia tan-

tum opinione tenerentur; periret ergo divina fides. Et e converso nulla esset hæreticorum congregatio, quæ non crederetur Sancta et Catholica sufficienti fide, quia unusquisque hæreticus credit suam Ecclesiam esse Sanctam et Apostolicam, credit autem fide humana, quae falsa esse potest; at in hoc differt a Catholico; ergo fides, quam Catholicus concipit de vera Ecclesia, longe altior est, ac subinde prorsus infallibilis et divina.

6. *Ecclesia quomodo visibilis sensibus.*— Atque ex his colligere et addere possumus tertio, quod maxime nostræ intentioni deservit, nimirum, in quo vero sensu hæc Ecclesia dicatur visibilis. Duplici enim ratione reputatur ejusmodi. Primo, quia illa Ecclesia, quam fide credimus esse veram, objectum quoddam est, quod visu videri, et auribus audiri, et manibus quodammodo contrectari potest. Hoc enim satis esse solet, ut objectum aliquod creditum sensibile dicatur, etiamsi de illo credamus aliquod mysterium invisibile: sic sacramenta sensibilia vocantur, quamvis formalis ratio sacramenti aut veritas non sentiantur. Imo etiam Christus Dominus objectum visibile erat, cum in terris ambulabat, et tamen fide divina credebatur a multis tanquam verus Messias, qui recte dicere poterant se videre Messiam, quem sperabant, et quem præsentem credebant, juxta illud Matth., 13: «Multi reges desideraverunt videre, quæ vos videtis», etc. Et post resurrectionem suam dixit idem Christus Dominus Thomæ: «Quia vidisti me, Thoma, credidisti.» Quod declarans Gregor. dixit: «Unum vidit, et aliud credidit»; tamen de illo quem vidit, credidit quod non vidit, et ita fides illa habebat objectum sensibile. Ita ergo dicere possumus de Ecclesia, nam de illa, quam in his personis et locis videmus, credimus esse Sanctam et Apostolicam, quod oculis corporeis non videmus.

7. *Responsio hæreticorum.*—Obviabunt tandem Protestantes, hoc modo etiam suam Ecclesiam esse sibi visibilem, quia suam congregationem, quam vident, credunt esse veram Ecclesiam. Respondemus imprimis, in hoc nullam nobis esse cum

illis contentionem, quia nos nihil moramur, an eorum congregatio visibilis sit, necne: sed ab eis inventum est vocabulum invisibilis Ecclesiæ. Semper tamen intercedit hæc differentia, quod illi congregationem, quam vident, falso credunt esse veram Ecclesiam; nos autem catholicam, seu Romanam Ecclesiam, quam etiam videmus, certa et infallibili fide credimus esse veram Ecclesiam. Deinde est alia differentia: nam adversarii vitare non possunt, quin dicant congregationem suam, seu opinionis suæ cœtum, aliquando vel non fuisse, vel invisibilem fuisse, nimirum, antequam illi essent, quia tunc a nullis videbatur vel agnoscebatur tanquam objectum, de quo crederent esse veram Christi Ecclesiam. Imo propter illud tempus, in quo ipsi non erant, cogitarunt modum illum dicendi de invisibili Ecclesia, ut possent aliquo modo dicere, nunquam defuisse in mundo veram Ecclesiam, licet per plures annos, ut, verbi gratia, a Gregorio Papa usque ad Lutherum, vel Wiclephum, aut alium similem, invisibilis fuerit. Quod etiam pro cerebro solum suo, et sine fundamento astruerunt; nam si omnino ignota et invisibilis erat toto illo tempore vera Ecclesia, unde ostendere possunt alicubi fuisse, vel quis eis revelavit? Nam si id solum colligant ex promissionibus et prædictionibus de perpetuitate Ecclesiæ, fateantur necesse est semper durasse visibilem, id est, in particulari cognitam et notam, quia talis prædicta fuit, et promissa, ut ostensum est, et quia semper fuit ita credita ab orbe christiano, sicut Symbolum apostolicum et Nicænum semper in mundo durarunt, ex quo condita sunt, semperque fuerunt in vera Ecclesia credita.

8. *Ecclesiam visibilem sensui in signis esse ostenditur.*—Altera ratio, ob quam merito potest Ecclesia vera dici visibilis, non solum quoad materialem congregationem hominum, sed etiam quoad internam formam et rationem Ecclesiæ, quamvis non in se, sed in alio, ut loqui solent Scholastici, est, quia signa et effectus visibiles, seu sensibiles, quibus conspicitur, sortita est. Sicut anima equi vel etiam hominis potest dici vi-

sibilis, aliter vero quam corpus: nam corpus videtur in se, anima vero non in se, sed in suis actibus, seu operationibus. Unde corpus dici potest visibile animali modo, id est, mere sensitivo; anima vero rationali modo, id est, adminiculo rationis, adjungendo discursum sensui. Sicut Paulus, ad Roman., 1, dixit, «invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici.» Vel sicut Christus Dominus, interrogatus a Joanne per discipulos: «Tu es qui venturus es, an alium expectamus»? ipse respondit: «Renunciate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant», etc., Matth., 11, ac si diceret: In signis quæ ego facio, videre potestis me esse Messiam; quia illa exhibeo, quæ in Prophetis erant prædicta, Isai., 35 et 6. Et hac ratione idem Dominus dixit, Joan., 15: «Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent», quia nimirum per ipsa propalabatur, ut ei fidem adhibere obligarentur.

9. *Signa Catholicæ Ecclesiæ.*— Ita ergo dicimus Ecclesiam esse visibilem, quia talia semper exhibuit signa, et quasi radios visibiles suæ veritatis, ut in eis, vel per ea videri possit ac debeat. Quod imprimis sumo ex omnibus testimoniis Sanctorum Patrum, quibus supra probavi Ecclesiæ visibilitatem: omnes enim illam explicant per effectus ejus visibiles, quibus orbi propalam evasit. Et specialiter ex verbis Augustini proxime citatis: «Unusquisque nostrum in Scripturis divinis quærit Ecclesiam, et ut promissa est, reddi conspicit.» Promissa enim est Ecclesia habens tales proprietates et signa, in quibus impletis conspici possit. Declaratur hoc ex verbis Christi, Marci ult.: «Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium», ac si diceret: Plantate Ecclesiam, seminando Evangelii verbum, et baptizando; nam ex baptizatis credentibus congreganda est. Et statim subjungit: «Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur»; et ponit quinque sensibilia signa quasi certa suæ Ecclesiæ indicia, quæ postea in Actibus leguntur impleta: non enim illa data sunt ad cognoscendam singulorum credentium

fidem: sed ad cognoscendam congregationem fidelium vere credentium in Christum, quæ est vera Ecclesia.

10. Atque hoc modo per hæc signa ad litteram intellecta, et per alia sanctitatis opera, quæ per illa significabantur (ut Gregorius, homil. 29 in Evangel., et Bernard., serm. 1 de Ascensione, voluerunt), facta est Ecclesia visibilis statim a suo initio, et postea eodem modo, ut supra ostendimus, perseveravit. Non per durationem, et quasi continuationem omnium illorum signorum, sed per continuam successionem, quæ suo etiam modo visibilis est, et hominibus evidens, et hoc modo in illis signis videtur Ecclesia, quæ nunc est, quia eadem est cum illa quæ tunc fuit, quæ unitas ex ipsa successione satis cognoscitur. Unde (ut apposite satis Augustinus, libr. de Utilit. credend., c. 26) : «Facta sunt illa opportunissima, ut his multitudine credentium congregata, atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.» Accedit, «quod ea signa», licet non sint tam frequentia, «ne assiduitate vilescant», ut eodem loco superaddidit idem Augustinus, «vel ne animus semper visibilia quæreret», ut idem quoque, lib. 1 de Vera relig., c. 25, ait, nihilominus non omnino cessarunt in vere Christi Ecclesia, sed temporibus opportunis fiunt juxta divinae providentiæ dispositionem, ut Augustinus etiam notavit supra. et lib. 21 de Civit., cap. 8.

11. *Alia signa a Patribus tradita.—Antiquitas Ecclesiæ.—Firmitas.*—Accedit denique præter illa signa quasi transitoria, quæ in initio nascentis Ecclesiæ magis necessaria fuere, dari alia, quæ permanentia et quasi intrinseca dici possunt, quia in ipsa Ecclesia ita requiruntur, ut semper cum illa durent. Quæ a Catholicis dicuntur notæ veræ Ecclesiæ, quas multi ex illis latissime tradiderunt; nos vero nunc illam provinciam non assumimus; nam præsenti instituto sufficiunt nonnulla signa, quæ attingimus. Unum, et maxime commendatum a Patribus, est antiquitas, quam nomine successionis et originis declaravimus, et in c. 8 de hoc eodem signo redibit sermo. Aliud signum est,

quod maneat Ecclesia fundata in eadem petra, in qua Christus illam fundavit, et quod ea immobilis et fidelis perseveret; et de hac sufficiunt dicta in c. 3 et 4, et quæ in lib. 3 addemus. Aliud signum, quod, lib. de Unitat. Eccles., et in multis aliis, valde commendat Augustinus, contra Donatistas, est localis amplitudo, vel (ut ita dicam) ubiquitas Ecclesiæ Catholicæ per totum orbem diffusæ, sicut promissa est, et de hac addemus aliqua in cap. 10. Hæc ergo omnia signa visibilia sunt, et per ea fit visibilis Ecclesia, non animali modo, sed rationali, et fidei, quia, supposita promisione et prædictione talium isgnorum de vera Christi Ecclesia, videndo illa signa in aliqua congregatione, videtur vera Ecclesia saltem sub generali ratione credibilis, juxta modum loquendi D. Thomæ 2. 2, quæst. 1, art. 4, ad 2 et 3, et art. 5, ad 1, id est, per talia signa videt quilibet prudens, de tali congregatione esse credendum, esse veram Ecclesiam, et non de alia.

12. *Hæc signa nulli hæreticorum conventiculo quadrant.*— Atque in hunc modum explicata Ecclesiæ visibilitate, nullo modo dicere potest aliquis novorum dogmatum sectator, vel Anglicanæ sectæ defensor, congregationem suam esse Ecclesiam visibilem, et veram; idemque de quocumque hæreticorum conventiculo statuendum sentio. Probatur, quia nulla signa exhibent, vel notas habent, quibus Ecclesiæ Christi veritas ita ibi appareat, ut secundum prudentem rationem, credibile sit illam esse veram Ecclesiam, quam Christus instituit, et perpetuo duraturam esse promisit. Non enim habet illa congregatio sub tali secta antiquitatem, ut ex facto supra relato constat. Neque habet originem condignam Ecclesiæ Christi; ut enim in simili, mutatis nominibus, dixit Tertullian., de Præscript., c. 30: «Ubi tunc Lutherus, ubi tunc Calvinus, nam constat illos neque adeo olim fuisse, et in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub pontificatu Leonis X, propter ambitionem et inquietam animorum affectionem venena doctrinarum suarum disseminarunt.» De qua re plura inferius,

c. 12, dicemus. Deinde non habet ille cœtus fundamentum petræ, in qua Christus suam Ecclesiam fundavit, et in qua permansuram esse promisit, ut ostensum est, sed potius directe profitetur defectionem ab illo fundamento, imo vehementi odio illud insectatur. Ad hæc, amplitudinem non habet, sed in quodam terræ angulo latet, et neque totum illud occupat, neque ibi consensionem doctrinæ habet, sed infinitam propemodum varietatem et divisionem. Ut omittam, nulla habere signa supernaturalis virtutis, nec divini luminis, aut veræ sanctitatis, cum Catholicæ Ecclesiæ antiqua lumina, sanctos, inquam, Patres et Doctores tam facile deserat, et quasi contemnat, et eximiæ sanctitatis ac perfectionis viam petulanter irrideat. Quis ergo prudens, his omnibus attente consideratis, cogitare possit, nedum firmiter credere, ibi esse veram Christi Ecclesiam.

13. *Prima hæreticorum evasio.— Confutatur.*— Dicent forasse aliqui ex hæreticis, se habere signa sufficientia veræ Ecclesiæ, quia habent veras Scripturas, ac legitimum earum sensum, et Christi sacramenta, ac vitam bonam et honestam, conformemque Christi præceptis. Sed hæc partim communia sunt, et hæreticis omnibus, et veræ Ecclesiæ Christi, ut habere Scripturam, et aliqua Christi sacramenta, et aliquam speciem virtutis aut religionis, saltem apparentis, et ideo ex his solis non potest visibilis fieri vera Ecclesia in sensu prædicto. Quædam vero sunt falsa, ut nos credimus, et in se sunt obscura, quæ potius credi debent quam videri, et ideo inepte afferuntur ut signa visibilis Ecclesiæ. Tale est quod dicitur de vero sensu Scripturæ: sæpe enim latens est, et potius per veram Ecclesiam definiri debet. Et simile est quod dicitur de numero, veritate, ac legitimo usu sacramentorum. Quod autem spectat ad sanctitatem vitæ, licet in singulis personis occulta, vel incerta sit, nihilominus in professione, et statu perfectionis ejus nihil habet Anglicana secta, quod illam commendet, neque in quo possit cum sanctitate Ecclesiæ Catholicæ comparari. Quapropter rectius adversarii in hoc sensu dicent, suam Ecclesiam esse invi-

sibilem; oportet tamen, ut consequenter fateantur non esse veram: nam vera Ecclesia Christi visibilis est, non solum quia ubi, et in quibus personis visibilibus sit, definite cognoscitur, sed etiam quia sensibus se exhibet, ut evidenter credibilem tanquam veram Christi Ecclesiam, ut declaratum satis et probatum est.

14. *Secunda evasio.— Responsio.* — Scio non defuturos qui dicant, quamvis in sua secta desint illa omnia signa visibilis, seu evidenter credibilis Ecclesiæ, ipsos tamen certos interius reddi ex peculiari spiritu, seu revelatione Dei, apud se esse veram Ecclesiam. Sed hæc evasio ridenda est potius, quam impugnanda; nam, ut recte dixit Augustinus, lib. de Unit. Eccl., c. 2: «Cum inter nos et hæreticos quæstio est ubi sit Ecclesia, quid facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Christi? Puto quod in verbis Christi, qui veritas est, et optime novit corpus suum». Quod late prosequitur, excludens non solum privatum spiritum, sed etiam interpretationem Scripturæ secundum sensum hæreticorum. Unde hæc evasio de privato spiritu communis est ad omnia et singula falsa dogmata illius sectæ, et ideo quoad hanc partem in capite sequenti disputationem hanc plenius absolvemus.

15. *Solvuntur argumenta.*—Nunc solum superest ut rationi dubitandi, et objectionibus in principio positis satisfaciamus, quod quidem ex jam dictis facillimo fiet negotio. Præcipuum siquidem, cui maxime adversarii nituntur, fundamentum solum probat, interiorem formam Ecclesiæ, quæ est vera fides cum charactere baptismali, non esse in se visibilem, seu sensibilem. Non tamen probat non esse visibile corpus humanum et mysticum, de quo certo constet talem formam illi inesse. Item non probat formam illam non esse visibilem in alio, seu in signis quibus sufficienter manifestatur. Quia, licet per hæc signa non ostendatur sufficienter fides vel sanctitas in singulis membris Ecclesiæ, propter fictionem quæ in unaquaque determinata persona esse potest, nihilominus sufficienter ostendunt, in hoc

corpore esse veram Christi fidem, et veram sanctitatem, quia vera Christi Ecclesia sine his esse non potest. Dico autem sufficienter ostendere, non quia illa dona evidenter manifestent, nam supernaturalia sunt et occulta, et per fidem creduntur, sed quia saltem faciunt rem evidenter credibilem, in quo sensu diximus, Ecclesiam veram, quoad hanc partem esse in notis suis et signis visibilem.

16. *Explicatio ex Patribus.* — Ad testimonium Lucæ, 17, respondetur illud sæpe solere objici a Patribus in hac materia contra hæreticos asserentes, Ecclesiam esse latentem, aut occultam. Sic Augustinus, lib. 13 contra Faust., c. 13, exponens similem locum Matth., 24, inquit: «Dominus prævidens ait: Non potest civitas abscondi supra montem posita, etc., ut non audiantur illi, qui ad religionem scissuras traducunt, dicentes: Ecce hic est Christus, ecce illic, etc.» Et infra: «Nec illi audiantur, qui sub nomine quasi secretæ et apocryphæ veritatis, et hominum paucitatis, dicunt: Ecce in cubiculis, ecce in deserto». Et lib. 1 Quæstionum Evangelicar., q. 38, per fulgur, quod exit ab Oriente, et pervenit usque ad Occidentem, intelligit Ecclesiam, quæ velociter totum occupavit orbem; subnectitque: «Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara, atque manifesta, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles, et qui in eum credere voluerunt, ne schismaticis atque hæreticis credant. Unumquodque enim schisma, et unaquæque hæresis, aut locum suum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obscuris atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit». Et in hoc sensu explicat totum Christi sermonem, et ideo ait præmonuisse: «Nolite credere» dicentibus: «Ecce hic, vel illic est Christus». Et idem sensit Origen., tract. 30 in Matth., dicens: «Non eum ostendunt in Ecclesia, quæ plena est fulgore, quæ plena est lumine vero». Eamdemque sententiam insinuavit Hieronymus, Matth., 24, ad illa verba: «Si ergo dixerim vobis, etc.», dicens: «Aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana,

nolite credere». Estque hæc sententia verissima, et virtute contenta in verbis Christi, quamvis non sit ibi præcipue intenta.

17. *Explicatio auctoris.* — In loco ergo Lucæ duæ partes, seu duæ sententiæ Christi distinguendæ sunt. Prior, quæ in objectione refertur, in qua Christus loquitur de regno Dei, ubi regnum Dei sine dubio non significat Ecclesiam, sed ipsum Christum, vel adventum ejus. Interrogaverunt enim Pharisæi Christum: «Quando venit regnum Dei?» id est, veniet. Quia non interrogabant de Ecclesia, sed de regno quod per Messiam obtenturos sperabant, et illud vocabant regnum Dei, non quia aliquid cœleste vel spirituale de illo cogitarent, sed quia ex speciali dono Dei per virtutem et potentiam Messiæ illud sperabant, vel quia Christum ipsum audierant sæpe locuentem de regno Dei, ipsi vero de regno Messiæ nihil nisi temporale, et exterioris potentiæ, et majestatis cogitabant. Et ideo respondit eis Christus: «Non venit regnum Dei cum observatione, nec dicent: Ecce hic, aut ecce illic». Ubi non loquitur de hæreticis, sed excludit expectationem Messiæ per modum adventus regis temporalis, qui expectari solet cum certa temporis observatione, et cum aliis prævíis signis, ex quibus conjectari solet ubi sit, aut quando perventurus sit. Et ut omnino tolleret falsam cogitationem de futuro adventu regni Dei, quasi nondum venisset, addit, Christus: «Ecce enim regnum Dei intra vos est», quia Messiam, quem sperabant, jam inter illos versatum habebant, sine illo licet apparatu regio quem cogitabant. Probabile etiam est interrogasse Judæos de regno Dei, quod Christus prædicabat, quamvis non intelligerent, quale esset; Christum autem respondisse, illud regnum, prout in hac vita obtineri potest, esse spirituale, et ideo non esse quod speretur pro certo tempore aut loco, quia et intra hominem est, et in potestate uniuscujusque est illud intra se habere, si velit per fidem et dilectionem Christum recipere.

18. Altera pars sententiæ Christi adeo est distincta a prima,

ut aliqui censeant non fuisse continenter nec eodem tempore dictas, et saltem est certum ex Evangelio, in priori locutum esse Christum ad Pharisæos, respondendo illis; in posteriori autem locutum esse ad discipulos, et in eis ad omnes fideles, præveniendo illos, et dicens: «Venient dies, etc., et dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic». Et hæc pars sine dubio pertinet ad secundum adventum Christi, et continet prædictionem multorum, qui pseudochristi fingendi sunt, et præsertim Antichristi: contra quorum persecutiones, et deceptiones præmonens fideles Christus præmunivit, ne indicantibus, et dicentibus: «Ecce hic, vel illic est Christus», præberent fidem. Et ita ex illo loco nihil colligitur, quod ad præsentem causam faciat: nam hæc posterior pars potius accommodatur optime contra hæreticos, ut jam superius annotavi. Prior vero intellecta de primo adventu Christi, constat nihil pertinere ad quæstionem de Ecclesia. Imo etiam per illa verba non excluditur, quin primus adventus Christi fuerit sensibilis et visibilis, ita ut in aliquo loco certo quæri posset, et signari, sicut Magi quærebant, «ubi Christus nasceretur», et recte illis responsum est: in «Bethleem Judæ». Utique per signum prophetiæ, nam talia signa data a Prophetis recte observabantur ad expectandum et cognoscendum Messiam, imo per talia signa ipse interdum se manifestabat. Igitur in illis verbis cogitationem humanam excludit, ne putaretur quærendus aut expectandus per signa, et observationes humanas, et cum apparatu regis temporalis, etc. Quod si de spirituali regno animæ illa responsio Christi intelligatur, clarum est illud esse spirituale et internum, et hac ratione non esse visibile, et non esse alligatum certo loco et tempori, prout tale regnum in singulis personis invenitur. Et hoc modo etiam tota Ecclesia potest dici regnum Dei, et civitas Dei viventis, et domus spiritualis, et per se invisibilis, quantum ad sanctitatem, et spiritualia dona, et nihilominus esse visibilis quoad personas in quibus existit, non vero per rationes humanas, neque hic aut illic, sed per certa indicia a Christo et Prophetis data,

et in quocumque loco et tempore, quia et perpetua et universalis est, ut Augustinus observavit.

19. Ad verba Symboli, jam satis declaratum est quomodo Ecclesia sancta et Apostolica videri possit et credi; videtur enim quoad personas ex quibus constat; creditur autem quoad veram fidem, sanctitatem, et alia divina dona, per quæ Christo conjungitur tanquam corpus mysticum ejus. Item videtur per signa visibilia; creditur autem ut in se per spiritualem et invisibilem formam constituitur. Denique videtur in ratione credibilis; creditur autem in ratione veri et supernaturalis objecti. Ad locum Augustini respondeo, Augustinum nunquam distinxisse Ecclesiam prædestinatorum et reproborum tanquam duas Ecclesias, imo nec tanquam duas partes ejusdem Ecclesiæ. Solum enim in principio illius cap. 8, lib. 20 de Civit., loquens de Antichristo ait: «Nunquam ab illo Ecclesia seducetur prædestinata, et electa ante mundi constitutionem»; ubi non distinguit Ecclesiam, sed a potiori parte illam denominat, sicut in cap. 9 dicit, interdum a parte denominari totum. Ostendebat enim Augustinus, in dicto cap. 4, non esse ab Antichristo seducendam Ecclesiam, utique totam, nec quoad præcipuam ejus partem, et ideo vocavit illam prædestinatam, non quia sit aliqua Ecclesia invisibilis ex solis prædestinatis constans, sed ut significaret, quoad præcipuam partem ejus, quæ in electis et prædestinatis existit, decipi non posse, sicut significatum est in verbis Christi: «Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.»

CAPUT IX

Regem Angliæ, cum nec Scripturam integram, nec verbum Dei non scriptum admittat, fidei vere christianæ defensorem non esse ostenditur.

1. Hactenus generatim demonstratum est, in Anglicana secta veram fidem non esse, quia per defectionem a vera fide introducta est. Et hac occasione digressi sumus, ostendendo, fidem, a qua antea defecit (quæ non fuit alia ab Ecclesiæ Catholicæ, Romanæ, ac visibilis fide), veram semper fuisse, semperque indubitanter futuram esse, ut inde certissime constet, in Anglicano schismate veram fidem esse non posse. Et quamvis hinc vel cæcutientibus inclareat, regem Angliæ, qui se caput et protectorem illius schismatis profitetur, defensorem veræ fidei non esse, quia vero ipse tribus præclaris titulis ornat et extollit fidem quam defendit, cum se appellat defensorem «fidei vere Christianæ, Catholicæ et Apostolicæ», ideo operæ pretium duxi, sigillatim per has tres prærogativas fidei discurrere, et ex singulis earum rationibus ostendere, non posse ejusmodi titulum illi, qui Anglicanum schisma defendit, convenire.

2. *Fides cum materiam, tum actum credendi significat.*— Rem igitur a fide vere Christiana aggrediens, animadverto duobus modis denominari posse fidem vere Christianam, scilicet, ex materia credita, et ex ratione credendi. Nam et ipsum nonnen fidei interdum res creditas, seu doctrinam ipsam fidei significat, sicut Athanasius in Symbolo dixit: «Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit». Interdum vero actum, seu virtutem credendi designat, ut est apud Paulum, ad Hebr., 11: «Est au-

tem fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium». Priori sane modo fides vere christiana, quæ vere fuerit a Christo vel Apostolis nomine ejus tradita, appellabitur. Posteriori autem modo assensus ejusdem doctrinæ, non humana opinione vel ratione conceptus, sed prorsus divina, tantaque certitudine et firmitate, ut nullum formidini aut dubitationi relinquat locum, vera fides nuncupabitur, juxta illud Pauli, 2 ad Tim., 1: «Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare». Quæ verba licet fiduciam seu spem certam indicent, illa tamen in certitudine fidei fundatur, et de illa ad litteram loquitur Apostolus, cum dicit se esse certum de omnipotentia Dei, hoc enim non est objectum fiduciæ, sed assensionis. Evidentiora vero sunt verba ad Galat., 1: «Licet nos, aut Angelus de cœlo, etc.» Unde etiam est illud Athanasii in Symbolo: «Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit». Et illud Basilii, hom. de Vera ac pia fide: «Est fides eorum, quæ dicta sunt, assentiens approbatio sine ulla hæsitatione, cum summa animi persuasione de eorum veritate, quæ Dei munere sunt prædicata». Et illud Bernardi, epist. 190: «Nonne si fluctuat fides, inanis est spes nostra? stulti ergo martyres nostri sustinentes tam acerba propter incerta, nec indubitantes sub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium, sed absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid dubia æstimatione pendulum, etc.»

3. *Rex Angliæ non recipit integram fidem christianam.*— De fide igitur pro materia, seu doctrina fidei sumpta, contendit rex Angliæ, se fidem vere christianam retinere, quia Scripturam, Ecclesiæ Symbola, et quatuor prima Concilia generalia amplectitur, eisque fidem habet. Verumtamen licet hæc cuilibet homini vere Christiano necessaria sint, non tamen sufficiunt ad integram christianam fidem; oportet enim hæc credere, et alia non omittere: nam qui in uno offendit, factus est omnium reus. In duobus autem maxime offendit Angliæ rex, primum, quia

multa catholica dogmata nimis acriter insectatur, et, ut ex ipsius præfatione liquet, errores fidei christianæ contrarios profitetur. Quia vero ad hoc demonstrandum necessarium foret singulos errores in medium afferre, eorumque falsitatem ostendere, ideo, ne a proposita controversia digrediamur, in sequentem librum id differimus, ubi, quod nunc supponimus, sectam Anglicanam quoad dogmata non posse dici fidem vere christianam, ostendemus. Quia licet in multis cum illa conveniat, quæ ab illa sumpsit, tamen et in eorumdem dogmatum intelligentia, et in aliorum confessione dissentit plurimum; fides autem vere christiana non dicitur, nisi quæ a doctrina veræ Ecclesiæ, quæ eadem est cum Christi doctrina, nec in re quantumvis minima discrepat.

4. *Fundamentum fidei regis Angliæ.*—Omissa itaque tantisper fidei materia, de modo et fundamento credendi, quatenus ad fidem vere christianam necessarium est, in præsenti sumus acturi. Jacobus enim rex in sua Præfatione ad principes christianos, circa finem, ita loquitur: «Cum Paulo opto, vos omnes fieri tales, hac una in re, qualis et ego sum: imprimis, ut velitis Scripturas pervolutare, ex iis credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia fidei fundamenta collocare». Quibus in verbis suæ fidei fundamentum rex declarat, illudque in solis Scripturis certa quadam scientia propria intellectis constituit. Ex illis ergo duo nos præcipue fundamenta sumemus, ad ostendendum fidem ejus non esse vere christianam, ac proinde non habere unde possit de titulo fidei defensoris gloriari. Primum argumentum nostrum desumetur ex defectu integritatis fidei: nam fides, quæ integra non est, vera esse non potest; in illis autem verbis ostendit rex se non habere integram fidem; et hoc argumentum in hoc capite urgebimus. Aliud vero fundamentum accipimus ab illa scientia peculiari, in qua scientia fidei suæ decit fundamenta; ejusmodi siquidem fides nec divina, nec certa, nec catholica esse potest, ut capite sequenti prosequemur.

5. Quod ergo ad primum attinet, quamvis rex in prædictis verbis non addat particulam excludentem alia fundamenta fidei, attente tamen considerato toto discursu, et variis ejus verbis in dicta Præfatione, hanc fuisse regis mentem, plane colligimus. Nam imprimis paulo ante illa verba, p. 156, in principio, traditiones irridet, dicens: «Non inanibus fluxisque et pravis hominum traditionibus attendentes». Nam, licet de humanis traditionibus loqui videatur, sentit tamen omnem traditionem non scriptam esse humanam, inanem, fluxam, aut pravam; tum quia nunquam mentionem facit traditionis divinæ non scriptæ; tum etiam quia paulo antea indicat verbum Dei non nisi in Scriptura inveniri. Precatur enim, «ut Deus nobis mentem injiciat cogitandi, quid ad Evangelii plantationem, et propagationem, ex conscientia secundum divini verbi præscriptum præstare teneamur, nostri illius veri, ac unici pastoris imperio, ac voci, quam in Scripturis audimus, obtemperantes». Ubi expendenda est illa particula, «quam in Scripturis audimus»; posita enim est ad significandum, non teneri nos obtemperare voci Dei in Scriptura non contentæ. Et quod de «unico pastore» loquitur, licet possit habere verum sensum, vereor tamen esse positum ad excludendam vocem cujuscumque alterius pastoris, etiamsi ab illo Principe pastorum super gregem suum sit constitutus. Et in hoc sensu superius, pag. 47, «Romanæ Ecclesiæ officinam» irridet, et pag. 57, «pernegat terrestrem esse aliquem Ecclesiæ Monarcham, qui infallibilitate spiritus nunquam in suis sententiis errare possit». Quod repetit pag 61 et 62, et ita, præter Scripturam, omnem aliam regulam, et fidei fundamentum evertit.

6. Et quamvis p. 42, 43 et 44, videatur cum Scripturis conjungere tria Symbola, et quatuor prima Concilia generalia, et unanimem consensum Patrum, qui primis quadringentis annis post Christum floruerint, nunquam tamen (quod notandum est) dicit se credere, aut fidem adhibere nisi Scripturis. De Symbolis enim ait, «se in illa juraturum»; et de Conciliis, «ea vene-

rari ac recipere tanquam catholica et orthodoxa», vel «eis adhærere», ut ait p. 62. Significat ergo in his non niti tanquam in fundamentis fidei, sed illa recipere, quia sentit et judicat, vel non continere errorem, vel nihil docuisse ad fidem pertinens, quod in Scriptura non sit. His ergo adhæret, judicando potius (ut sic dicam) Concilia et Symbola, sua certa scientia, quam de Scripturis habet, quam illis utendo, ut regula et norma sui judicii. Quod magis declarat circa unanimem sensum Patrum; dicit enim interdum, «cum illis sentire, aut si non ita sentiat, obmutescere, quia reprehendere non audet»; judicio ergo suo subjicit unanimem consensum antiquorum Patrum, etiam in his, «quæ tanquam necessaria ad salutem statuunt», ita enim expresse loquitur. Solam ergo Scripturam ponit tanquam proximam regulam fidei, eamque non integram, nec quoad omnes ejus partes, prout illam Ecclesia Romana, et Catholica amplexatur: sed a canone excludit libros, quos vocat secundæ lectionis, ac ordinis; illos enim omnes inter apocryphos ponit, quos Bellarminus (1) (quem allegat) in secundum ordinem reponendos existimavit.

7. *Libros sacros tam primi quam secundi ordinis esse canonicos.—Sola Scriptura non est integrum et proximum fidei fundamentum.—Verbum Dei non scriptum eadem fide qua scriptum recipiendum.*—Hoc igitur fundamentum fidei sic acceptum et intellectum neque sufficiens, neque firmum esse potest. Quæ ut ostendam, statuo id in quo inter nos convenit, libros Scripturæ, qui primi ordinis appellantur, et canonicos esse, et quidquid in eis est, verum Dei verbum esse, ac proinde ex se, id est, si debito modo credantur, esse firmissimum fidei fundamentum. Nos autem addimus imprimis non tantum hos libros, sed etiam qui secundi ordinis vocantur, qui ab Ecclesia jam sunt approbati, et in canone recepti, esse fidei fundamentum, et ex hac parte

(1) Bellarm., lib. 1 de Verbo Dei, c. 4.

illud fundamentum, prout a rege accipitur, mutilum esse, et insufficiens. Ad hoc autem probandum sufficit nunc nobis auctoritas Concilii Tridentini, quæ est infallibilis auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, ut cap. 3 et 4 ostensum est, et in puncto sequenti hoc etiam confirmabimus. Addimus deinde, solam Scripturam, prout includit etiam omnes hos libros, non esse integrum christianæ fidei fundamentum proximum, et (ut sic dicam) formale et expressum. Nam, licet in quodam sensu quidquid fides christiana credit, dici possit in Scriptura fundatum, vel proxime, quia in ea formaliter continetur, vel remote, quia in Scriptura approbatur auctoritas, in qua veritates aliquæ fundantur, sive illa sit traditio, sive Ecclesia, juxta modum loquendi Augustini, lib. 1 contra Crescon., cap. 32 et 33, et aliorum Patrum, quos in fine hujus capitis insinuabimus, nihilominus secundum veram et catholicam fidem, negari non potest quin præter Scripturam detur in Ecclesia Christi verbum Dei non scriptum in libris canonicis, quod eadem fide, qua verbum scriptum, suscipiendum sit. Quæ assertio si ex instituto tractanda esset, prolixam peteret de divinis et humanis traditionibus disputationem, sed quia illa non spectat ad præsens institutum, sed solum obiter illam attingimus, ad rem quam intendimus enucleandam, ideo breviter auctoritate et ratione per transennam tantummodo eam confirmabimus.

8. Probatur ergo primo, quia ipsamet Scriptura hoc diserte statuit; in ipsa enim præcipimur tenere verbum Dei non tantum scriptum, sed etiam solo sermone, seu voce traditum, quod vocamus traditionem divinam non scriptam. Quapropter graviter quidem hallucinantur, qui damnant, vel contemnunt vel incertam esse putant omnem traditionem, tanquam humanam. Quamvis enim omnis traditio per homines custodiatur, et a prioribus ad posteriores temporum vicissitudine perveniat, nihilominus verbum ipsum, quod a principio prædicatum est, scriptum quamvis non fuerit, in Ecclesia per traditionem conservatum, potest esse divinum, seu divinam continens institu-

tionem. Assumptum probatur ex illo 2 ad Thessaloni., 2: «Fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram»; in quibus verbis duo maxime sunt animadvertenda, quæ Theophylact. breviter et docte tetigit, dicens: «Vel hinc etiam perspicuum est, quod pleraque etiam sine scriptis per sermonem, id est, viva voce tradiderunt, non solum per epistolam.» Ecce primum; aliud est: «Similiter autem et hæc et illa, fide digna sunt. Itaque et Ecclesiæ traditionem fide dignam existimemus. Traditio est. Noli amplius quærere.» Quæ sumpsit ex Chrysostomo, orat. 4 in eamdem epistolam. Et idem fere habet Theodoret., ibidem, et reliqui expositores, imo pene omnes catholici scriptores hoc potissimo testimonio utuntur ad probandas ex Scriptura sacra non scriptas traditiones. Præter hoc vero sunt alia scripturæ testimonia, in quibus ab Apostolis tradita credere et tenere præcipimur, ut 2 ad Thess., 3: «Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.» Et 1 ad Cor., 11: «Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis», utique verbo, nondum enim de illo mysterio scripserat, et in fine concludit: «Cætera autem, cum venero, disponam.» Et in principio: «Laudo, (inquit), vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.

9. *Ratione confirmantur traditiones.*—Ex quibus, et similibus locis, quæ brevitatis causa omitto, possumus hanc elicere rationem, quia verbum Dei idem est, et ejusdem auctoritatis, sive scriptum sit, sive tantum ore traditum; ergo eadem fide est suscipiendum, si in Christi Ecclesia retentum et conservatum sit. Antecedens non solum certum, sed etiam per se evidens est; nam materiale signum (ut sic dicam) non auget vel minuit veritatem loquentis. Et ideo æqualiter dixit Paulus: «Sive per sermonem, sive per epistolam.» Imo (quod est attente considerandum) Christus non præcepit Apostolis, ut scribe-

rent, sed ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, Marci ult., et subdit: «Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur»; ergo verbum tantum prædicatum, et non scriptum, est vere verbum Dei. Unde Paulus, 1 ad Thess., 2: «Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, suscepistis illud, non ut verbum hominum, sed ut est vere verbum Dei.» Constat autem, «verbum auditus», proprie et in rigore esse verbum vocis, licet scriptum non sit. Hoc ergo verbum in principio evangelizatum est, et signis ac miraculis confirmatum, juxta illud, quod eodem loco subjungit Marcus: «Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.» Quin potius ab hoc verbo sermonis verbum scriptum maxima ex parte derivatum est, ut Lucas in principio sui Evangelii testatur, dicens: «Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, et ministri sunt salutis, visum est et mihi», etc. Est ergo certissimum, verbum non scriptum esse æque divinum, ac subinde æque infallibile ac scriptum, et eadem fide suscipiendum.

10. *Evasio hæreticorum refutatur.*—Respondebunt fortasse hoc quidem habere locum, si constaret aliquod verbum Dei non scriptum permansisse in Ecclesia, nunc autem nullum esse, quod scriptum non sit. Nam verbum sermonis, quod in principio evangelicæ prædicationis ad fidem audientium sufficiebat, ut pro futuris fidelibus conservaretur, divina sic disponente providentia, scriptum est, nihilque necessarium ad salutem, vel plenam fidem relictum est non scriptum; et ideo nunc sola Scriptura est regula fidei. Ut autem hæc responsio alicujus momenti sit, oportet ut hæretici nobis probent id, quod ultimo loco ponunt, nimirum, nullum Dei verbum prædicatum relictum esse non scriptum. Imo, ut consequenter loquantur, necesse est ut ex Scripturis id probent, quia ipsi dicunt nihil esse credendum, nisi quod in Scripturis continetur. Et profecto si ad credendum

Scriptura necessaria esset, maxime petenda esset ad hunc articulum, a quo magna ex parte pendet integritas et soliditas fidei, et propter quem tanta confidentia rejiciuntur omnia, quæ Ecclesia Catholica credit non scripta. At certe adversarii, non dicam ex Scripturis, verum neque ex aliqua historia, aut testimonio fide digno id probare possunt. Nos autem contrarium colligimus ex Scripturis; nam Joannes, in fine sui Evangelii, dicit: «Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros » Et Paulus, 1 ad Corinth., 11, dicit: «Cætera autem, cum venero, disponam», quæ tamen scripta non leguntur. Et Actor., 20, Paulus allegat dictum Christi: «Oportet (inquiens) meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere», quod alibi scriptum non legebatur. Et ita potuerunt etiam multa alia omitti. Unde antiquissimi Patres (1), præter dogmata scripta agnoscunt etiam non scripta. Nam, ut omittam Dionysium, Origenem, Tertullianum, et Clementem, locupletissimus testis est Irenæus, lib. 2 contra Hæreses, cap. 2 et 3; et Basilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, et lib. contra Eunomium; Epiphan., hæresi 61, circa finem; Hieronym., lib. contra Luciferian.; Augustin., Epist. 1, 8 et 11 ad Januar., et 86 ad Casulanum; et Cyprian. in lib. de Cardinalibus Christi Operib., cap. de Ablutione pedum, vel illius operis auctor.

11. Ulterius vero urgere possunt adversarii dicentes, licet verbum Dei non scriptum secundum se spectatum potentissimum sit ad fidem, quia tamen transitorium est, et sua natura labile fluxumque habetur, solum enim in memoria hominum, quæ facile labitur, conservari potest, ideo nisi scribatur, non posse integrum et purum conservari, et ex hac parte non posse ad fi-

(1) Dionys., de Ecclesias. Hierarc., c. 1.—Orig., in princ. Periarchon, et tract. 29 in Matth.—Tertull., in libr. Præscrip., et lib. de Corona milit.—Clemens, in Epistolis.

dem fundandam sufficere. Hæc autem responsio et Ecclesiæ auctoritatem labefactat, dum supponit illam non habere Spiritus Sancti assistentiam ad verbum Dei non scriptum in sua puritate conservandum, et consequenter etiam verbo scripto divinam aufert auctoritatem, et omnia ad humanas revocat conjecturas. Et ut utrumque commonstrem, liceat mihi a rege Angliæ interrogare, an credat hos libros, quos ut canonicos recipit, canonicos esse, verumque et purum Dei verbum continere, idque divina fide et infallibili, vel solum humana, propter circumlatam ubique famam et communem hominum opinionem. Si hoc posterius dicat, totam fidem suam ponit in auctoritate humana, cui sine dubio posset subesse falsum, nisi divina simul intercedat; nam fieri non potest ut majori fide credat ea, quæ in his libris scripta sunt, quam credat, hos libros esse canonicos, id est, esse verbum Dei, cum ipsummet verbum Dei sit ratio credendi cætera. Si autem certa et indubitata fide divina credit, in his libris ese purum verbum Dei, seu hos libros esse canonicos, interrogamus ulterius cur hoc credat; nam hoc non potest credere, quia scriptum sit in ipsis, tum quia vix unquam in illis hoc invenietur omnino dilucide expressum; tum etiam quia, licet inveniretur, de hoc ipso verbo interrogaremus, cur credatur esse divinum, seu Deo dirigente et inspirante scriptum. Ergo necesse est ut fateatur, regulam, et fundamentum credendi saltem hanc particularem veritatem, scilicet, hos libros esse Scripturam divinam, non esse ipsammet Scripturam, ac subinde esse verbum Dei non scriptum in canonicis libris, quod nunc traditionem appellamus.

12. *Ex dictis ipsiusmet regis eadem veritas stabilitur.* — Imo ex verbis ejusdem regis in Præfatione, si constanter loqui placuerit, ad hoc concedendum compelletur. Nam p. 44 prius dicit, Scripturis se habere illam fidem, quæ a christiano homine debetur, et statim subjungit: «Ipsa etiam apocrypha eo loco habeo, quem illis antiquitas tribuit.» Ex quibus verbis colligo, traditionem ex sententia regis potuisse dare illis libris eam auc-

toritatem, quam ejus opinione sunt sortitæ; quid enim est antiquitas, nisi traditio quædam? ergo ratione consimili negare non potest alios libros, quos censet majorem auctoritatem habere, ab antiquitate etiam illam obtinere, quæ fortasse in illis major seu constantior traditio fuit. Verumtamen si hac sola conjectura ducitur ad recipiendum in canone hos libros potius quam illos, non habet satis firmum et inconcussum suæ fidei, quam ita tuetur, fundamentum. Primo, quia etiamsi recepta et indubitata hominum fama vel existimatione, liber aliquis certi auctoris habeatur, semperque ante hominum memoriam sine controversia ita reputatus sit, nihilominus tota hæc auctoritas non excedit fidem humanam, potestque in rigore illi falsum subesse; ergo idem erit in canonicis libris, nisi aliunde eorum antiquitas majorem recipiat certitudinem.

13. Secundo, quia quamvis perspicuum foret, libros illos fuisse conscriptos Spiritu Sancto dictante, non potest sola antiquitas infalibiliter ostendere illos esse puros, sicut a Spiritu Sancto sunt prolati, et non esse decursu temporum corruptos, vel casu, negligentia, aut imperitia, vel malitia hostium fidei, præsertim Judæorum aut hæreticorum temeratos. Tertio, quia ex variis translationibus eorumdem librorum eadem ambiguitas oriri potest, quæ per solam antiquitatem, et conjecturas ejus non posset cum certitudine et infallibilitate auferri, ut experientia ipsa satis ostendit; tanta est enim in lectionibus et versionibus, varietas, et in quibusdam etiam minutioribus partibus controversia, an fuerint in originali Scriptura, necne, ut ex sola antiquitatis fide vix possit perpendi, quid omnino verisimilius sit, nedum quid certum prorsus et indubitatum.

14. *Auctoritas, cui Spiritus Sanctus specialiter assistat, est in Ecclesia necessaria.*—Ex hoc ergo discursu concludimus, necessariam esse in Ecclesia certam aliquam auctoritatem, cui specialiter Spiritus Sanctus assistat, ut possit infallibiliter discernere libros canonicos a non canonicis, et hanc nos dicimus esse in Ecclesia Catholica, quæ licet ad hoc discernendum ne-

cessario uti debeat regula traditionis, ut discursus prior sufficienter probat, tamen quia ipsamet traditio potest esse ambigua, et quia proxime et immediate per manus hominum ad nos descendit, ideo necessarium est ut idem Spiritus Sanctus assistat Ecclesiæ, tum ad custodiendum fideliter Scripturarum depositum sibi commissum, tum etiam ad approbandam cum eadem certitudine eam traditionem, quæ sufficit ad conciliandam quibusdam libris certam fidem, et discernendum illam ab alia minus constante, et minus certa. Aut igitur rex Angliæ admittit hunc infallibilem spiritum in aliquo homine, vel hominum congregatione, vel negat omnino huiusmodi potestatem. Si hoc posterius eligat, omnia reducit ad uniuscujusque privatum judicium; et fidei firmitatem et Ecclesiæ violat unitatem, sicut in ultimo hujus capitis puncto ostendam. Si autem priorem partem eligat, profecto nisi Scripturæ ipsi, et omni prudenti rationi contradicere velit, non nisi Ecclesiæ Catholicæ, vel ejus capiti, hanc Spiritus Sancti assistentiam concedere potest, tum quia illi tantum promissa est, ut capite tertio et quarto ostendimus; tum etiam quia hæc assistentia non debet esse per spiritum privatum, sed publicum, et ad communem utilitatem datum, ut paulo post impensius enucleaturi sumus.

15. *Æquali certitudine observat Ecclesia verbum Dei non scriptum ac scriptum.*—Ecclesiæ igitur commissa est Scripturarum custodia, et illi divinitus datum est, ut fideliter, pure ac sincere illas conservet, verasque a falsis, certas ab incertis, et integras a mutilatis discernat; et ideo Augustinus, in lib. contra Epistolam Fundamenti, cap. 5, pronunciare non veretur: «Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.» Ex quo principio ulterius concludimus quod fuerat propositum, nimirum, non minori auctoritate et fidelitate posse Ecclesiam Dei conservare verbum Dei non scriptum, quam ipsas Scripturas. Tum quia promissio illi facta non est limitata ad verbum Scripturæ, sed simpliciter est enunciatum Ecclesiam esse «columnam, et firmamentum veritatis», et Chris-

tus simpliciter promisit Spiritum Sanctum, qui doceat nos omnem veritatem, utique necessariam, vel convenientem Ecclesiæ. Tum etiam quia conjectura illa de verbo transitorio et permanenti, est parvi momenti, posita Spiritus Sancti assistentia et virtute. Imo differentia est fere nulla, quia, licet verbum non scriptum, semel aut iterum prolatum, transitorium sit, tamen ut sæpius repetitum facile conservatur, et ita contingit in corpore Ecclesiæ per frequentem confessionem, ac celebrationem mysteriorum fidei. Unde dici potest, non solum memoria retineri, sed etiam verbis et factis, seu signis externis fidelium sæpe repetitis conservari; quin etiam, licet hoc verbum non sit scriptum in libris canonicis, semper vel in decretis Pontificum et Conciliorum, vel in Patrum monimentis, manet exaratum. Aliunde vero in conservando verbo scripto in sua puritate non fuisset minor difficultas et contingentia, si sola industria et diligentia humana id agendum esset, quia, ut diximus, facile possunt scripta corrumpi vel mutilari, vel nimium mutari propter varias linguarum translationes, aut exemplarium transcriptiones. Igitur in utroque verbo necessaria est et sufficiens Spiritus Sancti assistentia, ideoque non minus efficax est ad confirmandam fidem verbum Dei non scriptum, quam scriptum, si utrumque per Ecclesiam sufficienter proponatur.

16. *Auctoritate Patrum traditiones firmantur.*—Atque hujus veritatis gravissimi testes sunt. Imprimis Irenæus, lib. 3 contra Hæres., c. 4, sic concludit, ex his quæ de traditionibus dixerat: «Non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones.» Declaransque amplius sufficientiam verbi non scripti, in hunc modum interrogat: «Quid autem si nec Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccle-

sias?» Et in exemplum adducit multas gentium nationes, quæ fidem Christi susceperunt, priusquam scriberetur, et per plures annos sola traditione eam retinuerunt, prius quam Scripturas reciperent.

17. Huic accedat Augustinus, qui in dict. c. 5 contra Epistolam Fundamenti, post verba citata, statim prudentissime interrogat: «Quibus ergo obtemperavi dicentibus: Credite Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi: Noli credere Manichæo?» quod nos mutato nomine dicere possumus: Noli credere Luthero, aut Calvino. Et deinde prosequitur: «Elige quid velis; si dixeris: Crede catholicis, ipsi me monent ut nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum illis credens, nisi tibi non credere. Si dixeris: Noli Catholicis credere, non recte facies me cogere Manichæi fidem, quia ipsi Evangelio, Catholicis prædicantibus, credidi.» Quo argumento sectarios omnes, et eorum sectatores convincit Augustinus, ut vel Evangelio credere non debeant, utique quod Evangelium sit, vel reliqua, quæ Ecclesia Catholica docet, credere debeant, quia negare non possunt quin Evangelium ab Ecclesia habeant, et sine ulla ratione illi præbeant auctoritatem in suscipiendo Evangelio, non vero in aliis quæ docet. Unde subjungit idem Augustinus: «Si dixeris: Recte credidisti laudantibus Evangelium, sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichæum (vel, quod perinde est, Calvinum), usque adeo me stultum putas ut, nulla reddita ratione, quod vis credam, quod non vis non credam?» quod postea late et eleganter prosequitur. Et similem discursum habet lib. de Util. cred., cap. 14.

18. Est etiam insignis locus apud eumdem Augustin., lib. 1 contra Cresconium, cap. 32 et 33, ubi et sua auctoritate, et manifesto exemplo eamdem confirmat veritatem. Agit enim ibi de non rebaptizandis rite ab hæreticis baptizatis, docetque esse dogma fidei, ut revera est, et prius dicit: «Sequimur sane nos in hac re etiam canonicarum auctoritatem certissimam Scripturarum.» Et postea subjungit: «Quamvis hujus rei certe

de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum, etiam in hac re, a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod jam universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sacra Scriptura demonstrat.» In quibus verbis imprimis confirmat Augustinus quod supra dixi, non omnem veritatem de fide credendam, proxime et (ut sic dicam) formaliter in Scriptura contineri, quamvis remote quælibet veritas possit in Scriptura fundari, quatenus ipsa Scriptura auctoritatem traditionis et Ecclesiæ commendat. Deinde testatur hic Augustinus, Ecclesiam esse judicem controversiarum quæ circa res fidei moventur, posseque sua auctoritate confirmare, et certam reddere traditionem, de qua prius fuerat dubitatum. Unde obiter colligo quam inconstanter faciant, qui aliquos libros ut canonicos recipiunt, et alios æque ab Ecclesia probatos a canone rejiciunt, quia olim de illis dubitatum fuit. Unde etiam rex Angliæ, qui in sua præfatione ita loquitur, vel in eadem est inconstantia, vel certe convincitur se non aliqua certa et indubitata regula, sed sola humana conjectura duci ad hos libros admittendos, et illos rejiciendos a canone, et consequenter de neutris eorum, nec de contentis in illis habere certam fidem et vere christianam, sed tantum humanam conjecturam et opinionem.

19. *Exemplis tandem veritas confirmatur.*—Denique ex dictis verbis Augustini habemus veritatem positam optimo exemplo confirmatam. Nam semel rite baptizatum iterum baptizandum non esse, licet prior baptismus ab hæretico datus fuerit, veritas est de fide christiana tenenda, quamvis in Scriptura sacra expressa non sit. Simile exemplum adducere possumus, quod (ut existimo) nec Protestantes Anglicani recusant: nimirum, infantes quoad valorem recte et convenienter baptizari,

quod cum non inveniatur in libris canonicis scriptum, ex traditione per Ecclesiam approbata receptum est, ut sentit August., ep. 28, et l. 4 de Baptis., c. 24, et l. 10 Gen. ad lit., c. 23, et lib. 3 de Peccat. mer., a c. 6; cum Cypr., ep. 59; et Orig., hom. 8 in Levit, et hom. 14 in Lucam Est et aliud exemplum de perpetua virginitate Deiparæ, quod licet multi ex novis hæreticis, seu Protestantibus, fortasse non admittant, rex tamen respuere non videtur, cum illam in p. 45 Præfationis, B. Virginem appellet. Et quicquid alii senserint, nobis satis est dogma illud unanimi consensu a Patribus esse traditum: «Quos», ut alibi dixit Augustinus, «oportet ut populi christiani vestris prophanis novitatibus anteponant, eisque potius eligant adhærere, quam vobis.» Nam, ut inferius addit (1), «quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.» Quo nihil aptius dici potuit, vel ad commendandam auctoritatem traditionum ex origine, vel ad declarandum quomodo communis Patrum consensus cum traditione conjunctus sit. Videri etiam potest idem August., lib 1 contra Julian., c. 2; Hieronym., ep. 50 ad Pammach. pro lib. contra Jovinian., et in lib. contra Helvidi. Atque hæc videntur de hoc puncto satis esse, ut liqueat Scripturam, licet in suo ordine sit magnum fidei fundamentum, non tamen esse per se sufficientem quoad nos, sine adminiculo traditionis et Ecclesiæ, quod magis ex sequenti capite fiet manifestum.

20. *Explicantur aliqui Patres qui videntur parum traditionibus favere.*—Contra hanc veritatem, ex Scripturis vel ratione nihil invenio cui respondere necessarium sit. Ex Patribus autem aliqua notare et exponere oportet; Basilius enim, homil. de Vera ac pia Fide, signum superbiæ certissimum esse dicit, «eorum, quæ scripta sunt, aliquid rejicere, aut eorum, quæ non

(1) August., 2 contra Julian., c. 1 et 10.

scripta, introducere.» Sed vel loquitur de additione in ipsa Scriptura, aliquid apocryphum illi addendo; nam inferius ait prohibuisse Apostolum, «ne quid eorum, quæ in divinis litteris habentur, dematur, aut, quod absit! addatur»; vel intelligit de introductione privata, et facta sine auctoritate in ipsa Scriptura probata. Nam alias constat ipsum Basilium maxime commendare traditionem non scriptam, lib. 2 de Spiritu Sancto, cap. 27 et 28. Et in eumdem sensum referri debet quod ait in Morali, reg 26: «Quidquid dicimus vel facimus, testimonio Scripturæ confirmari debere», utique proxime, vel remote, ut ipse diserte declaravit, in Regul. 1, ex brevioribus.

21. Sic etiam intelligendus est Augustinus, l. 3 contra Petili., c. 6, cum exponens illud Pauli: «Si Angelus de cœlo», etc., addit, «præterquam quod in Scripturis legalibus et Evangelicis acceptis», utique proxime, vel remote; nam ipse alibi exposuit, quod est contra Ecclesiam, esse contra Scripturam. Sic etiam dicit, lib. 2 de Peccator. merit., c. ult., in re obscura nihil esse audendum, non adjuvantibus certis clarisque Scripturæ documentis. Quidquid enim Ecclesia docet, adjuvatur certis Scripturæ documentis. Præterquam quod Augustinus tractat de rebus obscurissimis non definiendis humana præsumptione; quæ autem traditione approbata recipiuntur, nec obscurissima dici possunt, nec humana præsumptione introduci.

22. Allegari præterea solet Hieron., Matth., 23, quia de quadam opinione dicit: «Quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.» Sed ibi loquitur de quadam historia, scilicet, de occisione Zachariæ, Patris Joannis Baptistæ, inter templum et altare, quæ ad traditionem, vel Ecclesiæ definitionem non pertinebat. Solent etiam allegare hæretici Hieronymum, Aggæi 1 dicentem: «Sermo Dei percutit, quæ sine auctoritate et testimonio Scripturarum dicuntur.» Sed Hieronymus, circa id: «Et vocavi siccitatem», etc., contra hæreticos agit, qui absque auctoritate Scripturarum: «Quædam (ait) quasi traditione apostolica sponte reperiunt at-

que confingunt»; ubi potius tacite admittit cum Scriptura traditionem apostolicam, reprehendit autem eos, qui sponte et sine fundamento illam confingunt.

CAPUT X

Ex fundamento et ratione credendi regis Angliæ, ipsum non esse fidei vere christianæ defensorem, ostenditur

1. *Rex Angliæ jacit fundamentum credendi propriam scientiam.*—2 *ad Tim.*, 1 *et* 2, *et indicat Tertull., de Præscrip., et Nazian., orat.* 22, *et optime Vincent. Lyrin., c.* 27 *et sequentibus.* —In hoc capite tractanda est alia pars fundamenti fidei regis Angliæ, qui dum optat alios Principes Christianos esse qualis ipse est, collocantes, scilicet, fundamentum fidei in certa scientia, quam ipsi ex Scripturis accipient, pervolutando illas, certum esse ostendit, a se partam scientiam Scripturæ, pro fidei suæ fundamento jecisse. Ex hoc ergo fundamento, et ratione credendi Scripturis, colligo, eum fidem vere christianam non tenere, nedum defendere. Et imprimis occurrit statim admonitio Pauli ad Timotheum : «O Timothee, depositum custodi» (utique fidei et doctrinæ, ut ipsemet Apostolus, in 2 ad Timoth. epist., declaravit), devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam profitentes, circa fidem exciderunt.» Nam ex prædictis verbis regis collatis cum verbis Pauli, statim apparet hoc regi accidisse, quod Paulus prædixit, nimirum per «falsi nominis scientiam», quam profitetur, a vera fide aberrare. Nam, ut ibi recte Chrysostomus, «quando aliquid propriis cogitationibus gignitur (præsertim in divinis mysteriis, et rebus ad fidem spectantibus), scientia non est»; merito ergo vocatur «falsi nominis scientia», et omnium errorum occasio, propter magnam, quam denotare solet, præsumptionem. Et ideo de istis certam scientiam promittentibus

dixit Augustinus, eadem Apostoli verba in tract. 97 in Joan., circa finem, expendens: «Nihil sic amant isti, quam scientiam promittere, et fidem rerum verarum, quas credere parvuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere. Proinde (in eodem tractatu, circa principium, præmisit prudentissime) cavete, maxime qui parvuli estis, et adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus deceptis ac deceptoribus aurem curiosam præbeatis ad incognita scienda, cum mentes invalidas habeatis ad vera et falsa dijudicanda.» Et infra, vanitatem eorum, qui, cum sint ignari veritatis, promittunt scientiam veritatis, comparat mulieri stultæ et clamosæ, et nihil omnino scienti, de qua dixit Salomon, Proverb. 9: «Sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes, qui est parvulus declinet ad me», etc., eamdemque comparationem late prosequitur.

2. *Temeritas est hanc intelligentiam sibi arrogare.* — Præterea interrogare libet, quid per «certam scientiam» rex intelligat. Non est enim verisimile ut de illa certa scientia more philosophorum loquatur, ut significat claram et evidentem rerum cognitionem, cum per se omnibus pateat, ex lectione Scripturarum, non comparari evidentem congnitionem rerum, seu mysteriorum quæ in eadem Scriptura referuntur, ideoque eademmet Scriptura fidem exigit suæ veritatis, non visionem. Imo ipsamet docet fidem esse de his quæ non apparent, ad Hebr., 11, et ideo Petrus, 2 canonica, c. 1, dixit: «Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat; et Lucifer oriatur in cordibus vestris.» Non potest ergo promitti nec postulari propria, id est, evidens scientia, quæ sit fidei fundamentum. Neque etiam per certam scientiam intelligere rex potuit ipsammet fidem, quæ et certa est, et, quatenus est excellens quædam cognitio, solet interdum nomine scientiæ (generali quadam ratione accepto) appellari, ut 2 Cor. 5: «Scimus quoniam si terrestris domus», etc.; non potuit (inquam) rex in hoc sensu

loqui: nam super hac certa scientia dicit esse fidei fundamentum collocandum; aliud ergo est fides, aliud certa scientia, in qua fundatur. Per certam ergo scientiam certum et indubitatum Scripturæ sensum intelligere videtur. Duo enim accurate distinxit Augustinus, lib. 12 Confess., c. 23, dicens: «Duo video dissensionum genera oboriri posse, cum aliquid a nuntiis veracibus per signa enuntiatur, unum de veritate rerum, alterum de ipsius, qui annuntiat, voluntate»; et c. 24, ponit exemplum in verbis Moysi: «In principio creavit Deus cœlum, et terram», dicens se fidenter dicere, Deum in verbo suo creasse visibilia et invisibilia, non tamen ita fidenter dicere, hoc intendisse Moysem per verba illa. Rex autem Angliæ e contrario significat se certa scientia consecutum esse, quid Moyses vel alius scriptor canonicus scribere voluerit, et in hac scientia fundare certam fidem rerum, quæ in tali scriptura continentur. Et quod mirabilius est, ad hunc modum fidei omnes christianos principes invitat, eisque tacite similem scientiam promittit, si divinas litteras evolvant.

3. Audiat vero Augustinum in dicto lib. 12, c. 25, dicentem ad Deum: «Plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia divini sunt, et in corde famuli tui (id est Moysi) viderunt, quod dicunt, sed quia superbi sunt, nec noverunt Moysi sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est». Et infra: «Ista temeritas non scientia, sed audacia est, nec visus, sed typus eam peperit». Et Vincent. Lirinensis, c. 14, postquam multis verbis depinxerat hæreticos dicentes: «Nobis actoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, relinquite antiquam fidem, etc.», subjungit: «Horreo dicere, sunt enim tam superba, ut ne refelli quidem sine piaculo posse videantur». Sufficit ergo nobis verba Pauli adversus hanc scientiam objicere, dicentis ad Roman., 12: «Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei»: quem locum tractans Irenæus, lib. 5

Contra hæres, cap. 20, legit: «Sed sapere ad prudentiam», censetque ibi contineri admonitionem et cautionem ab hæreticis, de quibus ait: «Qui confitentur semetipsos habere agnitionem boni et mali, et super Deum, qui fecit eos, jaculantur sensus suos impios. Supra igitur sentiunt, quam est mensura sensationis». Sapere igitur ad prudentiam, dicit esse ab his cavere: «Ne manducantes (inquit) illorum agnitionem eam, quæ plus quam oportet sapit, projiciamur de paradiso vitæ», per quem Ecclesiam intelligit, de qua prius dixerat: «Confugere oportet ad Ecclesiam, et ejus sinu educari, et Domini Scripturis enutriri, plantatus est enim Ecclesiæ paradisus in hoc mundo; ab omni ergo ligno paradisi escas manducabitis, ait Spiritus Dei, id est, ab omni divina Scriptura manducate, super elato autem sensu ne manducaveritis, neque tetigeritis universam hæreticam dissensionem». Quis autem elatiorem habet sensum eo, qui præsumit se certa scientia sensum Scripturæ Sacræ, eam tantum pervolutando, acquisivisse?

4. *Sacra pagina non potest absque Doctore germane exponi.* —Interrogo enim ulterius a rege, quo Doctore, quo duce, hanc certam scientiam Scripturæ consecutus sit, et aliis comparandam offerat. Respondebit, ut opinor, quod alius apud Augustinum (1): «Cum legerem, per me ipse cognovi», hoc enim significat, cum ait: «Neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia fidei fundamenta collocare». Sed quid Augustinus? prosequitur et dicit: «Itane est? nulla imbutus poetica disciplina Terentium Maurum sine magistro attingere non auderes, etc. Tum in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen, divinarumque rerum pleni, prope totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, et de his sine præceptore audes ferre sententiam». Est igitur hæc præsumptio a Sanctorum Patrum spiritu aliena, et teste

(1) De Utilit. credendi, cap. 17.

Augustino, in eodem libro, cap. 17, matrem habet superbiam. Verba ejus sunt: «Si unaquæque disciplina, quanquam vilis et facilis, ut percipi possit, Doctorem aut magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare?» Deinde est contra ordinariam Spiritus Sancti providentiam. Ad quid enim Pastores et Doctores Spiritus Sanctus Ecclesiæ providit, si Scripturarum sensus non a Doctoribus, sed proprio ingenio, et industria comparandus est? Aut quomodo illa, quam Paulus requirit, prudentia aut modestia, potest unusquisque fidelium non solum seipsum in intelligentia Scripturæ Doctoribus Ecclesiæ præferre, verum etiam solum suum sensum certam scientiam existimare, et quidquid ab eo diversum est, tanquam incertam hominum opinionem relinquere?

5. Longe quidem aliter de se sentiebat Augustinus, qui, lib. 3 Confession., c. 5, sic inquit: «Institui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem quales essent; et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, et velatam mysteriis: et non eram ego talis, ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus ingressus». Unde D. Basilius, in Regulis brevioribus, in 235, interrogat: Numquid oporteat multa ex Scripturis ediscere?» et in summa respondet, Episcopos, Pastores, vel Doctores Ecclesiæ id maxime curare debere, de cæteris vero ait: «Unusquisque memor verborum Apostoli: Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram, quæ officii sui sunt, studiose discat et persequatur, neque curiose ulterius quidquam inquirat». Atque in eumdem modum exponit dicta verba Apostoli Ambrosius, et inter alia ait: «Neque enim si quis bonæ vitæ est, ex eo sibi etiam doctrinæ prudentiam debebit defendere». Et quidem quando omnis auctoritas deesset, ratio ipsa naturalis et experientia docet, vanum esse omnibus fidelibus,

etiam illitteratis et ineruditis, et negotiis secularibus implicatis, per solam simplicem, licet frequentem, lectionem Scripturarum certam illarum scientiam promittere.

6. Rectius quidem Hieronymus, epist. 103 ad Paulin., Scripturam dicit esse librum signatum sigillis septem, «quem etiam litterati aperire non possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavem David». Ideoque multum laudat modestiam Eunuchi, Philippo interroganti: «Putasne intelligis quæ legis?» respondentis: «Quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi». Et statim magna humilitate de se ipso dicit: «Ego nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior». Et infra ita concludit: «Hæc a me breviter perstricta sunt, ut intelligeres, te in Scripturis Sanctis, sine prævio et monstrante semitam, non posse ingredi». Et postea valde conqueritur, quod in omni arte, etiam utilissima, nemo sine Doctore potest esse quod cupit: «Sola (inquit) Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docet, antequam discant». Quibus verbis hujus temporis sectarios depingere videtur; sed in eis illud magis portentosum, magisque periculosum est, quod a singulis fidelibus illam certam scientiam pro suæ fidei fundamento exigunt. Nam hinc necessario fit, ut quibusdam sit impossibilis fides, qui non solum certam illam scientiam assequi non valent, verum etiam nec probabilis intelligentiæ Scripturarum sunt capaces; aliis vero qui majoris acuminis sunt, occasio datur et se præcipitandi, et alios perturbandi. Et ideo sapientissime monet Augustinus, de Utilit. credendi, cap. 10, necessarium esse ut fides scientiam antecedat, ita ut, «etiam ii, qui valent volare, ne cui sit periculosum invitamentum, paulisper cogantur incedere, qua etiam cæteris tutum est. Hæc est providentia veræ religionis, hoc jussum divinitus, hoc habetis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum; hoc perturbare velle, atque pervertere, nihil est aliud quam ad veram religionem sacrilegam viam quærere. Quod qui

faciunt, nec, si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt pervenire: cujusmodi enim libet excedant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt.»

7. *Dilemma efficax contra certam scientiam a rege præsumptam. — Quam periculosum sit fidei fundamentum in privato spiritu collocare.*—Tandem ut ad privatum spiritum, quem rex indicat, faciamus gradum, de hac eadem scientia, quæ certa dicitur, inquiro qualis sit ejus certitudo, id est, an sit humana, solaque vi et acumine ingenii ex lectione Scripturæ et significatione verborum ejus comparata; vel sit divina ab Spiritu Sancto data per specialem gratiam et donationem. Quidquid horum dicatur, certitudini et unitati fidei repugnat, et gravissima habet incommoda: ergo non potest talis scientia certa esse fidei vere christianæ fundamentum. Prior pars facile ostendi potest. Primo, quia si scientia illa solum habet certitudinem ex humano discursu et conjectura, et illa est fundamentum fidei, non potest fides certior esse, cum non possit ædificium firmius esse, quam fundamentum. Deinde jam non Scriptura Sacra, sed sensus humanus erit fidei fundamentum; nam, ut recte præmonuit Hieronymus, in cap. 1 epist. ad Galat.: «Non est putandum in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis». Unde subinfert: «Tunc Scriptura utilis est audientibus, cum absque Christo non dicitur, absque Patre non profertur, et sine Spiritu non eam insinuat ille qui prædicat, alioqui et diabolus, qui loquitur de Scripturis, et omnes hæreses secundum Ezechielem (1) inde sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubito universæ ætatis». Et tandem concludit: «Grande periculum est in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione perversa ex evangelio Christi fiat Evangelium hominis, vel, quod pejus est, diaboli». Multo ergo majus periculum est, si

(1) Ezech., 13.

unusquisque credentium fundamentum suæ fidei in sua privata interpretatione, in suoque humano sensu ponat, sic enim non solum Evangelium Dei fiet hominis, sed etiam tot erunt Evangelia, Scripturæ totidem, quot sunt capita hominum. Quod ita eleganter explicuit idem Hieronymus contra Luciferianos, in fine Dialogi dicens: «Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cum et diabolus aliqua de Scripturis sit locutus, et Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo, alioqui, si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus in Ecclesia non recipiendos, qui calceati sunt, vel duas tunicas habent.»

8. Denique res ipsa per se spectata etiam impossibilis apparet; qui enim fieri potest ut per solum discursum, et conjecturam humanam, quispiam Scripturam legendo, sensum a Spiritu Sancto intentum certissime assequatur? Nam hæc certitudo, cum non proveniat ex fide divina, ut in hoc membro supponitur, oportet ut in aliqua evidentia fundetur; alioqui non erit certitudo secundum rationem, sed ex sola pertinacia, voluntatisque pervicacia. In tali autem materia evidentia esse non potest; tum quia mens et intentio Spiritus Sancti occultissima, est, et potest esse multiplex; tum etiam quia in ipsorum verborum significatione potest esse ambiguitas; tum denique propter innumeras alias difficultates, quæ in divinæ Scripturæ interpretatione occurrunt. Illa ergo certa scientia hoc modo explicata non est nisi voluntaria quædam pertinacia pro arbitratu effecta, qua unusquisque vult esse certum, quod sibi magis placet, ut acute discurrit et convincit Augustinus, lib. 1 contra Faust., cap. 2, ubi loquitur de hæreticis, qui pro suo arbitrio partem aliquam Scripturæ, quæ pro illis est, admittunt, et aliam, quæ contra illos est, eo ipso respuunt, et canonicam esse negant, et ita se ipsos faciunt regulam veritatis. Eodem autem modo applicari potest ad judicium de vero Scripturæ sensu, in quo, ut cum Hieronymo dixi, vera Scriptura consistit.

9. Superest ut alteram propositi dilemmatis partem discutiamus. Illam enim maxime videntur sectarii intendere, cum dicunt judicium de vero sensu Scripturæ non esse ab Ecclesia sumendum, sed ex propio uniuscujusque spiritu, non humano, sed divino movente unumquemque, ut certe et infallibiliter sensum a Spiritu Sancto intentum attingat, et hunc spiritum, quem privatum vocant, volunt esse regulam fidei. Sed hic etiam error in hoc sensu intellectus non solum divinæ Scripturæ et Patribus, sed etiam rectæ rationi evidenter contrarius est, quod in sequenti capite ex professo ostendendum est.

CAPUT XI

Veræ fidei christianæ fundamentum non esse in privato spiritu ponendum

1. *In controversiis fidei regulam Ecclesiæ tenendam esse, ex Scriptura comprobatur.*—Veritas hæc auctoritate simul et ratione facile demonstrari potest. Primo enim Divina Scriptura duo ubique monet. Unum est, ut in controversiis fidei regulam Ecclesiæ consulamus; alterum, ut privatum spiritum timeamus, præcipue si a communi regula discordaverit. Primum patet, etiam in veteri Testamento, Deuter., 17: «Si quid ambiguum et difficile occurrerit, ascendes ad locum, etc.» Et de sacerdote dicitur, Malach., 2: «Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem Dei requires de ore ejus.» Et Christus Dominus dixit, Matth., 23: «Super Cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi, omnia quæcumque dixerint vobis facite», quod sine dubio multo magis pro sua Ecclesia dixit, et pro Cathedra, quam in sua Ecclesia erecturus erat, juxta superius dicta, cap. 4. Et ita videmus esse ab Apostolis observatum, Act., 15, ubi quæstionem ortam de legalibus, non privato, sed communi spiritu de-

finiendam crediderunt, dicentes: «Visum est Spiritui Sancto, et nobis.» Sic etiam Paulus, quamvis non dubitaret se habere infallibilem Spiritus Sancti directionem, nihilominus ascendit Hierosolymam, ut cum aliis Apostolis, præsertim cum Petro, Evangelium suum communicaret: «Ne forte (inquit ipse) in vanum currerem, aut cucurrissem», id est, ut toti Ecclesiæ per universalem regulam doctrina ejus probaretur, ut ibidem Hieronymus notavit, et ep. 87, quæ est etiam 11 inter Epistolas Augustini; et Tertull., lib. 4 contra Marcionem, cap. 2.

2. *In rebus fidei privatum spiritum cavendum esse, Scriptura ostenditur.— Refert Petrus Soto contra Brentium.— Germana interpretatio.*—Secundum etiam constat ex verbis Joan., 1 canonica, c. 4: «Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.» Quo testimonio abutuntur hæretici ad probandum, uuumquemque Christianum esse debere judicem doctrinæ et Scripturæ. Quod est sufficiens exemplum ad demonstrandum, quantum sit periculi et erroris in hoc privato spiritu, et in usurpando proprio judicio de certo sensu Scripturarum, cum tam facile sit pravo spiritu eadem verba contra intentionem Spiritus Sancti interpretari, ut in hoc loco dilucidatur. Nam Joannes Apostolus in illis verbis monet fideles, ut non facile credant privatis monitionibus, impulsibus, seu cogitationibus sine magna probatione et discretione. Hæc autem probatio non debet esse per eumdem spiritum privatum, nam idem esset in tali probatione periculum; debet ergo esse per aliam notiorem et certiorem regulam. Et omisso spiritu practice movente ad opus (propter quem maxime datur discretio spirituum, de qua loquitur Paulus, 1 ad Cor., 12), loquendoque de probatione spiritus in materia doctrinæ, sola illa quæ fit per regulam Ecclesiæ, qualis est ejusdem Ecclesiæ definitio, sufficiens est. Ideoque quando sensus privatus Scripturæ est contra doctrinam ab Ecclesia definitam, certum est non esse a bono spiritu, sed a malo: quando vero non fuerit contra doctrinam Ecclesiæ, donec ab illa probetur, non erit exploratum qualis sit, sed ex aliis

conjecturis, et præsertim ex majori vel minori consonantia ad doctrinam Ecclesiæ probandus est. Et ita intellexerunt hunc locum sancti Patres, dicentes, præmunire nos his verbis Joannem contra omnes privatos hæreticorum spiritus, et doctrinas Ecclesiæ contrarias, ut late prosequitur Augustinus, id colligens ex verbis sequentibus Joannis, in serm. 30 et 31, de Verb. Apost.; idem suadet Anacletus Papa, ep. 1, ubi cum his verbis conjungit alia ejusdem ep., cap. 2: «Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat»; et infra: «Et sicut docuit vos (utique per Apostolos, et Ecclesiam Catholicam), manete in eo.» Idem tradit optime Athanasius, Orat. contra Arianos, circa princip., ubi tractans hunc locum, inter alia dicit, quod «Dæmon omnium hæresum parens nomen Salvatoris profitetur, Scripturarumque dictionibus amicitur, et verba quidem profert, veram tamen inde sententiam suffuratur, ac deinde intellectu, quem ipse confinxit, dolis inumbrato, erroneorum homicida efficitur.»

3. Hinc etiam Paulus, 2 ad Thessalon. 2: «Rogamus (inquit) etc., ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, etc.» Ubi contra duos deceptores prævenit, spiritum scilicet et sermonem falsorum prophetarum, de quibus, 2 ad Corinth., 11. dicit: «Pseudoapostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi, et non mirum; ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ.» Unde omnia, quæ in Scripturis afferuntur de cavendis falsis prophetis, ut Ezech., 3, et Deuter., 13, 2 Petri, 2, etc., de hoc privato spiritu prolata esse, non immerito existimari possunt. Nam idem esse solet, qui in falsis prophetis loquitur, quando contra doctrinam prius revelatam docent aut prophetant, quos per hanc regulam ejiciendos esse in loco Deuteronomii 13 traditur. Denique idem intendit Paulus, ad Galat., 1, cum dicit: «Si Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit», per quam exaggerationem voluit significare

Paulus, spiritum privatum, sive nova docentem, sive Scripturam exponentem contra catholicam doctrinam prius in Ecclesia receptam, non posse esse spiritum cœlestem, sed vel humanum, vel diabolicum, vel mundanum, juxta distinctionem Bernardi, sermone de Sex vel septem spiritibus, quem locum Patres etiam ita intellexerunt, ut supra cap. 2 retuli.

4. *Privatum spiritum non esse regulam fidei, ex Patribus ostenditur.*— Non potest ergo privatus spiritus esse regula fidei catholicæ, sed potius per hanc regulam ipse discernendus est. Ut passim docent Patres, præsertim August., de Unit. Eccles., c. 11 et 19, et optime in Proœmio de Doctr. Christ., ubi expectare hunc spiritum, dicit esse «tentare Deum», et cavendas esse tales cogitationes, «ut superbissimas et periculosissimas.» Idem Vincent. Lyrinen., cap. 14, late. Denique hoc ipsum est, quod innuit Hieronym., ep. 152 ad Minerium et Alexandrum, circa finem, his verbis, quæ Salvatoris esse dicit: «Estote probati numularii, ut si quis numus adulter est, et figuram Cæsaris non habet, nec signatus moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.» Sola autem Ecclesia Catholica claro lumine cernitur, ut supra ostendi, et ipsa sola publicum habet sigillum ad consignandam veram Scripturam, et verum sensum ejus. Eamdemque sententiam imitatus est Damascenus, lib. 4 de Fide, cap. 18, ubi post sacræ Scripturæ commendationem subjungit: «Illud nobis curæ sit, ut probi numularii simus, verum, nimirum, ac purum aurum aggerentes, adulterinum autem repudiantes.» Ex his igitur satis constat, quam sit hic privatus Spiritus, prout a sectariis extollitur, a Sanctorum Patrum spiritu et sensu alienus, et ex his demum, quæ in sequentibus rationibus afferemus, idem quoque evidentius evadet.

5. *Ratione stabilitur eadem veritas.*—Ratio ergo prima contra prædictum errorem ex proxime dictis sumi potest. Nam fides vere christiana communis est et publica; ergo fundamentum ejus etiam esse debet publicum et commune. Antecedens

per se notum est, quia fides catholica omnibus credenda proponitur, et unitas, et concordia in hac fide omnibus præcipitur; est ergo res communis et publica. Unde recte Augustinus, lib. 11 Confession., c. 25: «Veritas tua (dicit ad Deum) nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum, quos ad ejus communionem publice vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea; nam quisquis id, quod tu omnibus fruendum proponis, sibi proprie vendicat, et suum vult esse, quod omnium est, a communi propellitur ad sua, hoc est, a veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium de suo loquitur (1)». Unde facile probatur prima consequentia: tum quia (ut more philosophorum loquamur) mensura et mensuratum debent esse homogenea: fundamentum autem fidei est regula et mensura fidei, neque ipsum potest esse adæquatum, et commensuratum fidei, si, cum ipsa sit publica et communis, ipsum particulare sit et privatum; tum etiam quia non est consentaneum divinæ providentiæ dirigere et gubernare homines per spiritum privatum, ad eligendam fidem, quæ debet esse communis.

6. *Secunda ratio.— Assistentiam infallibilem Spiritus Sancti non esse singulis fidelibus promissam.* — Quod magis secunda ratione explicatur, quia ut hoc fidei fundamentum firmum sit et infallibile, necessaria est Spiritus Sancti assistentia, seu specialis directio, vel illuminatio in dijudicando vero sensu Scripturæ; hæc autem assistentia non est promissa singulis fidelibus Scripturam volutantibus, et privatim de illius sensu judicantibus, sed est promissa Ecclesiæ, vel Pastoribus ejus, præsertim in iis quæ ad fidem necessaria sunt; ergo non privatum judicium, sed publicum Ecclesiæ debet esse fundamentum fidei. Major satis ex dictis est probata, quia, sublata Spiritus Sancti assistentia, relinquitur spiritus pure humanus, qui frequenter

(1 Joan., 8.

fallitur, ideoque certæ fidei fundamentum esse non potest. Et præterea probatur verbis Petri, dicta Ep. 2, c. 1, ubi cum dixisset: «Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, etc.», subjungit: «Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit», id est, proprio ingenio, quod maxime habet verum de interpretatione certa, quæ non possit a vero sensu Spiritus Sancti discrepare; cujus veritatis rationem subjungit Petrus dicens: «Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.» Quasi diceret, eodem spiritu interpretandam esse Scripturam, quo facta est: «Solus autem spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei; sicut enim, quæ sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis, ita quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei», 1 ad Cor., 2. Minor autem propositio quoad posteriorem partem de assistentia Spiritus Sancti promissa Ecclesiæ, et capiti ejus, probata est a nobis in c. 3 et 4, quia in promissione fidei perpetuæ et indeficientis in Ecclesia, hæc promissio continetur. Præterquam quod Christus etiam promisit et assistentiam suam, et Spiritum Sanctum, qui doceret Ecclesiam omnem veritatem, utique necessariam, vel quovis tempore opportunam, ad quam maxime spectat vera et certa intelligentia Scripturarum in rebus necessariis. Alteram vero partem, in qua abnuimus hanc promissionem factam esse singulis fidelibus, imprimis probamus, aliquem Scripturæ locum petentes, in quo facta sit, quem merito possumus petere ab his, qui negant aliquid esse credendum quod scriptum non sit; nullum autem vel apparentem locum afferre possunt. Nam, licet 1 Joan., 2, dicatur: «Unctio docebit vos de omnibus»; et Joan., 6: «Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei», hæc et similia intelliguntur secundum modum et ordinem congruentem divinæ providentiæ, et in Scripturis sacris significatum. Docet enim Paulus, 1 ad Cor., 12, et ad Roman., 12, et ad Ephes., 4, varia esse dona Spiritus Sancti in Ecclesia,

inter quæ ponuntur donum prophetiæ, interpretatio sermonum, discretio spirituum, et additur, non omnibus convenire actus et ministeria horum donorum, quia «omnia membra corporis non eumdem actum habent. Nam si totum corpus oculus, ubi auditus (1)?» Et similiter dicere possumus: Si omnes scientes, ubi discipuli? Ad quid Doctores?

7. *Vide Aug. in Proœm. de Doctr. Christi.—Quomodo Spiritus Sanctus omnes doceat.* — Docet ergo Spiritus Sanctus omnes ordinato modo, communem videlicet plebem per Doctores, ipsos autem Doctores per Concilia, et maxime per Vicarium Christi. Et in hoc etiam ordo, et modus servatur. Nam Spiritus Sanctus omnibus aliquo modo immediate præbet auxilium ad supernaturalem doctrinam recipiendam, vel tradendam, juxta uniuscujusque munus, seu necessitatem. Et ita omnes fideles juvat, et illuminat interius ad credendum ea, quæ per suos prædicatores docet; nam «fides ex auditu», ut Paulus ait, quia Deus communi lege non docet homines, nisi per homines. Ideo enim interrogat ibi Paulus: «Quomodo credent sine prædicante?» tamen quia «neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus», ideo semper est necessaria interior gratia Spiritus Sancti ad fidem concipiendam, et hoc modo omnes sunt docibiles Dei, ut Augustinus, tum ibi, tum passim contra Pelagianos exposuit. Pastores vero et Doctores Ecclesiæ, per specialiora auxilia et dona docentur a Spiritu Sancto, quantum ad commune bonum Ecclesiæ expedit: et ideo, ut plurimum id non facit per expressas revelationes, neque per judicium infallibile, sed quatenus oportet, et quantum cujusque status et munia postulaverint. Pontifex autem Maximus et Concilia legitima, quando definiunt, docent per singularem assistentiam, ita ut errare non possint, ne omnem Ecclesiam in errorem inducant.

(1) 1 Cor., 2.

8. *Spiritus Sanctus interdum aliquibus ex privilegio specialiter assistit.* — Neque negamus, interdum Spiritum Sanctum privatim docere aliquos de mysteriis fidei, vel de vero sensu Scripturæ, tali modo, ut eos reddat certos de veritate doctrinæ, vel de sensu revelato. Tamen hæc est specialis gratia, quæ non potest omnibus fidelibus generatim attribui; et ideo Paulus, superius allatus, dixit de his donis: «Spiritus dividit singulis, prout vult»; et Petrus, 1 ep., cap. 4: «Unusquisque prout accepit gratiam, illam administrantes.» Et præterea talis privata doctrina seu revelatio prius accurate probanda est, juxta illud 2 ad Thessalon., 4: «Omnia probate; quod bonum est, tenete.» At prima ac præcipua probatio est, ut non sit contra antiquam et receptam Ecclesiæ doctrinam, quia Deus non potest esse sibi contrarius. Et deinde ut sit consentanea bonis moribus, et quæ tantum Doctorem deceat. Ac denique si talis privata revelatio per aliqua certa signa Ecclesiæ non proponatur sufficienter, esse poterit utilis recipienti, non tamen valere poterit ad fidem certam apud alios fideles faciendam, ut Innoc. III sapienter docuit. Quia alias sæpissime fideles manifesto periculo erroris exponerentur. Cum ergo hæretici nec ex Scripturis nobis ostendant illam privatam scientiam sibi, ut fingunt, certam ex infallibili assistentia Spiritus Sancti, neque etiam signis aut virtutibus illam ostendant, cur illis credendum est, præsertim cum ea, quæ per talem scientiam opinantur, ipsi Spiritui Sancto per Ecclesiam loquenti contraria sint? Et mirabile profecto est, ut velint nobis privatum spiritum infallibilem venditare, et persuadere, sine ullo indicio vel testimonio Spiritus Sancti, cum ipsi in publico Ecclesiæ judicio de doctrina fidei certam Spiritus Sancti assistentiam manifeste promissam audeant pernegare.

9. *Tertia ratio.*—Tertia ratio addi potest, quia non est minus necessaria ac sufficiens infallibilis assistentia Spiritus Sancti ad judicandum de veritate ipsius Scripturæ, id est, qui libri ejus sint canonici, discernendo illos a non canonicis, quam ad

judicium certum ferendum de vero sensu Scripturæ, ut supra visum est. Sed Spiritus Sancti assistentia ad prius judicium de legitimis libris non datur singulis fidelibus : nec existimo fuisse hactenus hæreticum hominem adeo superbum, ut sibi arrogaverit spiritum privatum discernendi canonicos libros a non canonicis; neque tam stolidum, vel temerarium, ut dixerit, hoc judicium esse committendum, vel permittendum singulis credentibus, pro uniuscujusque arbitrio, seu somniato spiritu. Illa ergo assistentia quoad hoc judicium ad Ecclesiam, vel eum qui Christi vices gerit in terris, referenda est. Ergo idem dicendum est de spiritu attingendi infallibiliter verum Scripturæ sensum; nam est eadem ratio, eademque necessitas. Atque hanc rationem attigit Augustinus, lib. contra Epist. Fundamenti, cap. 5, et de Utilit. creden., c. 14, cujus sententias jam in superioribus retuli, et in summa continent, «Cui obtemperamus, et credimus dicenti hunc librum esse Evangelium, eidem esse credendum dicenti, hunc esse sensum Evangelii»; quia utrumque non fit certum, nisi per eumdem spiritum, quia (ut sæpe ex Hieronymo dixi) Evangelium magis in sensu consistit, quam in membranis. Unde valde diminuta fuisset providentia Dei circa Ecclesiam suam, si dedisset illi spiritum, quo de sacris libris certa fieret, et non de illorum sensu, cum ad certitudinem fidei parum prosint libri sacri, nisi de sensu etiam illorum similis certitudo habeatur. Merito ergo dixit Irenæus, lib. 4 contra Hæres., c. 25 : «Ubi charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quæ ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id, quod est sanum, et irreprobabile conversationis, et inadulteratum, et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et fidem nostram custodiunt, et Scripturas sine periculo nobis exponunt.

10. *Quarta ratio.—Privatus spiritus est radix hæresum.*— Atque ex his sumitur quarta ratio, moralis quidem, sed efficacissima, et a Patribus multum commendata. Nam hic spiritus privatus non solum esse non potest fidei fundamentum, verum

potius radix est hæresum, et magna schismatum occasio. Nam, ut dixi, hic privatus spiritus aliis non probatur, nec sufficienter ostenditur aut proponitur; ergo hæc scientia privata in unoquoque non est utilis ad fidem in aliis generandam; ergo ex vi talis scientiæ non possunt fideles convenire in una fide; ergo datur occasio hominibus, ut unusquisque pro fide vendat sua somnia, et phantasias, et hinc oriuntur hæreses et schismata. Attigit rationem hanc sapienter Tertull., lib. de Præscript. hær., c. 15 et sequent., ubi docet, non esse cum hæreticis disputandum de Scripturis; et rationem subjungit, c. 17, quia: «Ista hæresis», ait, «non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; et si recipit, non recipit integras; et si aliquatenus integras recipit, nihilominus diversas expositiones commentata, convertit», id est, pervertit; et ideo addit: «Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario nolunt cognoscere ea per quæ revincuntur; his nituntur, quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate cœperunt.» Unde addit, c. 19, «priusquam veniatur ad certamen Scripturarum, stabiliendum esse cujus sint Scripturæ, a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani; ubi enim apparuerit esse veritatem fidei, et disciplinæ christianæ, illic erit veritas Scripturarum, expositionum, et omnium traditionum christianarum.

11. In eodem sensu dixit idem Tertull., lib. de Resurr. carnis: «Hæreses esse non possent, si non etiam Scripturæ male intelligi possent.» Et in idem redit, quod dixit Augustinus in Joann.: «Non sunt natæ hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et, quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur», utique tanquam certum et infallibile, et sibi specialiter a Spiritu Sancto dictatum. Et ideo subdit inferius: «Etiam a me, charissimi, longe sit vana præsumptio, si volo sanus in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis», ubi tacite hanc regulam

præfert omni privato spiritui. Ita etiam dixit Cypr., ep. 55: «Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur», quod repetit Epist. 96, et lib. de Unitat. Eccles., et sæpe alias. Omnes autem hæretici, qui privatum spiritum fingunt, id faciunt, ut judicium Ecclesiæ refugiant, et unusquisque se ipsum suæ fidei regulam faciat, ut indicavit Augustinus, lib. 31 contra Faust., c. 2.

12. *Quinta ratio.*—Præterea hinc sumitur quinta et valde urgens ratio, quia alias nullus potest esse terminus controversiarum in quæstionibus, quæ circa fidem oriuntur; nam unusquisque hæreticorum affirmat se esse illuminatum a Deo, et alios esse delusos; ergo nisi aliquis sit judex, et supra omne privatum judicium, qui a Deo auctoritatem habeat discernendi infallibiliter falsum a vero, impossibile est lites fidei componere, aut unam fidem infallibilem in Ecclesia conservare. Probatur hoc, quia si credendum est privato spiritui, tum per diversos hæreticos contraria pronuntiet, non potest esse uterque verax, quia alter illorum falsum dicit. Et non est major ratio credendi in uno esse spiritum Dei, quam in alio, quia neuter eorum exhibet certum aliquod signum sui divini spiritus; et conjecturæ humanæ, quamvis interdum diversæ esse possint, ad fidem certam non sufficiunt. Fluctuat ergo fides, et plane scinditur, si privatus uniuscujusque spiritus pro fidei fundamento constituatur. Et ideo merito Clemens I, Epist. 5, acriter invehitur in eos, qui controversias fidei proprio judicio definire volunt.

13. Recte etiam Hieronymus, contra Luciferianos: «Si non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata, quot sacerdotes»; et Augustinus, lib. 22 contra Faust., c. 38, ad hæreticos loquens, ait: «Videtis id vos agere, ut e medio tollatur divina auctoritas, ut suus unicuique animus auctor sit, quid in unaquaque reprobet aut improbet.» Et lib. 11,

c. 1, fere similem discursum late prosequitur circa particularem controversiam, an hic liber vel pars ejus canonica sit, necne. Nam si unus dicat esse, alius non esse, neutri propter suum solum testimonium est credendum. Et licet alter conetur plures testes vel coniecturas pro se afferre, ait Augustinus: «Et si hoc facere conaberis, nihil valebis», adjungitque: «Et vide in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas», etc. Perinde autem est de vero sensu Scripturæ, quod de veritate Scripturæ controvertere, quia, ut sæpe dixi ex Hieronymo, Scriptura in sensu consistit, magis quam in litteris. Imo eadem ratio in quacumque alia controversia fidei, quæ in illa particulari, militat. Et ideo generaliter dixit idem Augustinus, lib. 7 de Baptismo, cap. 35: «Nobis tutum est non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata sunt.» Et concludit, securum esse, quidquid est universalis Ecclesiæ consensione roboratum. Et e contrario, in epist. 18, dicit: «Disputare contra id quod universa Ecclesia sentit, insolentissimæ superbiæ est.» Ac denique, lib. 4 de Trinit., c. 6, eleganter satis: «Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturam nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.

14. *Sexta ratio.*—Tandem his affinis est sexta ratio: nam si privatus spiritus esset regula propriæ fidei, nulla esset hæresis, nullusve hæreticus, vel saltem nullus posset ut hæreticus ab hominibus judicari aut damnari, vel ad aliquam communem fidem tenendam cogi, quæ omnia valde sunt absurda, et contraria non solum Scripturæ, et Patribus ac rationi, sed etiam dictis et factis ipsiusmet regis Angliæ; ergo. Sequela probatur: nam hæreticus non est, nisi qui discrepat a regula fidei; at si privatus spiritus est regula fidei, nullus est, dicens se credere Christo, et Evangelio, ac Scripturæ, qui discrepet a regula fidei, quia nullus est qui discrepet a suo judicio, et suo privato spiritu, ut per se manifestum est. Et hinc etiam aperte sequitur, nullam esse propriam hæresim, quia nulla est regula ipsius

doctrinæ secundum se spectatæ, sed in unoquoque homine habet suam regulam, et non potest cum certitudine constare, quis privatus spiritus vera regula sit ; ergo nulla doctrina secundum se sumpta potest hæretica judicari saltem ab hominibus. Unde a fortiori sequitur, nullum hominem posse ut hæreticum damnari, quia et nullus discedit a regula quam sequi tenetur, ut ostensum est, et de nullius doctrina constare potest esse hæreticam, ut etiam est probatum. Ac tandem a fortiori infertur, neminem cogi posse ad aliam fidem, præter eam quam legendo Scripturas, per suam certam scientiam, suumque privatum spiritum consequi dixerit. Probatur illatio, quia si illud est fidei fundamentum, nemo cogi potest ut ab illo dimoveatur; ergo neque ut aliam fidem sequatur.

15. Fortasse non deerunt hæretici qui hæc omnia facile concedant. Nam, ut fertur, jam aliqui dixerunt unumquemque salvari posse per illam fidem, quam sibi interius, aut vere Spiritus Sanctus dictat, aut ipse certo quodam modo existimat, id sibi a Spiritu Sancto dictari. Ex quo principio, et illa quæ diximus, et alia non minus absurda inferuntur, ut, sine vera fide posse aliquem salvari contra apertas Scripturas. Illatio est manifesta, quia ille instinctus, qui putatur esse a Spiritu Sancto, et non est, inducit ad errorem ; ergo non est vera fides ; ergo si illa existimatio sufficit ad salutem, error etiam sufficit, et vera fides non est necessaria. Unde ulterius sequitur, extra Ecclesiam esse salutem, quod etiam est contra Scripturam, et contra omnes Patres, ut supra dixi, et videri potest Cypr., lib. de Unit. Eccles.; et Augustin., in simili libro, fere per totum, et de Fide et Symb., lib. 3, c. 11, et lib. 4, c. 10; et Fulgent., de Fide ad Petrum, c. 37 et 39; et Pacian., ep. 2 ad Sempron. Sequela patet, quia ubi vera fides non est, nec vera Ecclesia esse potest, sicut (teste Paulo) nec Ecclesia potest subsistere sine unitate fidei; ergo si quis posset salvari sine vera fide, posset etiam extra Ecclesiam habere salutem. Denique qui sic sentiunt, non solum contra Scripturam et Patres, sed etiam contra omnem rectam rationem loquuntur;

nam et ab omnibus credentibus auferunt certitudinem fidei, et omnibus schismaticis et hæreticis liberam licentiam tribuunt, et latissimam viam omnibus dissensionibus sternunt, quæ sunt contra rectum ordinem sapientissimæ providentiæ Dei. Non enim præcepisset unitatem, consensionem et securitatem in certitudine suæ fidei; reliquisset vero Ecclesiam sine via aut modo conservandi hanc fidem certam, et ejus unitatem.

16. Non potest ergo negari quin illa, quæ in hac sexta ratione intulimus, absurdissima sint, quale est, vel nullam esse hæresim, vel nullum hæreticum esse damnabilem: utrumque enim repugnat Paulo; nam ad Galatas, 5, inter opera carnis numerat dissensiones et sectas, per quas Patres maxime hæreses intelligunt. Et ad Titum, 3: «Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.» Unde constat, proprium spiritum non solum non excusare ab hæresi, sed potius esse propriam radicem ejus; quid enim est proprius spiritus, aut illa certa scientia uniuscujusque, nisi proprium judicium? Unde recte Tertullian., lib. de Præscriptionib. hæret., c. 6: «Ideo (inquit) sibi, dixit Paulus damnatum hæreticum, quia et in quo damnatur sibi eligit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo doctrinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis.» Et in cap. 7, addit, doctrinas hoc proprio judicio inductas, «esse doctrinas hominum et dæmoniorum prurientibus auribus natas de ingenio sapientiæ sæculi.» Et eodem modo, August., epist. 85, alias 222, et lib. 2 de Nuptiis, c. 31, et alii Patres communiter, dicunt omnes hæreses, vel inde nasci, vel in eo fundari, quod earum auctores, vel ex proprio affectu Scripturas detorquent ad suos sensus, vel ex proprio judicio, et superbia in illis exponendis

errant; ergo spiritus privatus non potest excludere hæresim; imo quatenus est proprius, est ad illam aptissimus, quia hæresis propria electione et judicio inducitur. Et consequenter neque est aptus ad fundandam fidem, maxime quia, cum sit spiritus elationis, nullum habet indicium Spiritus Sancti, qui super humiles requiescit.

17. *Rex Angliæ, dum prædictum astruit fidei fundamentum, secum pugnat.—Regis ad sectarios de unitate fidei exhortatio repugnantiam involvit.*—Denique ipsum etiam regem Angliæ, dum tale ponit fundamentum fidei, quæ damnationi hæresis et hæreticorum repugnet, secum pugnare constat. Tum quia ipse, in Præfat., p. 43, damnat omnes hæreticos, quos antiqui Patres damnarunt; et ideo ibidem maxime contendit se ab hæreticorum numero eximere, et ab hac nota purgare, Et pag. 55, fatetur se in Puritanorum anarchia expugnanda laborasse, et (ut publica est fama) subditos suos ad Calvinianum variis modis compellit. Hæc igitur cum illius fundamento de certa scientia, proprio judicio et spiritu comparata, plane repugnant. Nam si ipse censet hoc esse fidei suæ firmum fundamentum, et omnes principes christianos exhortatur ut similes sibi sint, cur non eamdem fidei libertatem suis subditis concedit? Numquid in hoc melioris conditionis est rex temporalis, quam subditi? Oportet sane ut Spiritus Sancti assistentiam infallibilem, quam Summo Pontifici negat, sibi adesse vel promissam esse ostendat. Vel si in hoc non habet majus quam cæteri privilegium, quo jure potest alios cogere ad suam fidem sectandam, vel alios magis judicare hæreticos, quam se ipsum, cum nullum majus indicium Spiritus Sancti ipse ostendat, quam alii? Unde obiter etiam adverto, incassum laborare eumdem regem, cum in sua Præfatione, pag. 157, sectarios omnes, seu Protestantes exhortatur, ut inter se veræ fidei unitatem conservent, et communionem spiritus in vinculo pacis retineant. Nam fundamento fidei, quod sibi et omnibus proponit, talis unitas et concordia plane repugnat, ut ostensum est, et ipsa rerum experientia satis declaravit.

Unde optime Tertullianus, de Præscrip., c. 42: «Mentior, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accipit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit; agnoscit naturam suam, et originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionistis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec ecclesias habent, sine matre, sine sede, orba fide; extorres quasi sibi, late vagantur.»

18. *Objectiones oppositæ sententiæ.* — Superest testimoniis quibusdam satisfacere, quæ ad errorem suum de oppugnato fidei fundamento retorquent Protestantes: ex quibus quædam, quæ videntur esse præcipua, in superioribus obiter expedivimus Addunt vero alia, in quibus præcipimur Scripturas scrutari, Joan, 5., sicut faciebant Thessalonicenses, Actor., 17. Adduntque Scripturas, præsertim in rebus fidei et morum ad salutem necessariis, claras esse, et ab omnibus intelligi posse, ut sumitur ex Augustino, lib. 2 de Doctrina Christ., c. 9, dicente: «In his, quæ aperte in Scriptura posita sunt, inculcari illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.» Idem sensit Chrysost., hom. 3 in 2 ad Thessalon., circa finem, dicens: «Omnia sunt dilucida et recta, quæ sunt in divinis Scripturis, manifesta sunt quæcumque sunt necessaria.» Et similia habet Hom. 13 in c. 2 ad Cor., in fine, et homil. 33 in Acta, versus finem, et Hom. 3 de Lazaro et divite. Indicat etiam Ambros., Psal. 118, Octonario 14, circa illa verba: «Lucerna pedibus meis verbum tuum.» Hinc ergo concludunt, cum Scriptura clara sit, non esse necessariam aliam regulam, sed solum ut ipsa attente legatur et intelligatur. Præsertim, quia facienti quod in se est, et petenti, dabitur intelligentia et sapientia, Jacobi primo; et qui voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet doctrinam Christi, ut ipse promittit, Joan., 7. Denique addunt, quod Christus de se dixit, Joan., 5: «Ego ab homine testimonium non accipio,» etc.

19. Verumtamen hæc inania prorsus et futilia sunt, quia si circumstantiæ singulorum locorum attendantur, in occasionibus longe diversis, et alia mente ac intentione dicta sunt. Primum enim, quis abnuit scrutandas et evolvendas esse Scripturas? vel ubi majori cum diligentia et fructu fit, quam in Ecclesia Catholica et Romana? Hoc ergo studium necessarium est; modus autem, et delectus, ac prudentia postulatur. Deinde nemo etiam refugit posse Ecclesiæ Doctores et Sapientes aliquid, de propria industria et ingenio, ad Scripturarum intelligentiam investigandam excogitare, easque per humanam sapientiam interpretari. Hoc enim fecerunt Patres omnes, non ex speciali privilegio, sed ex ordinaria lege maxime consentanea ipsismet Scripturis, et naturali hominis conditioni, et ita hoc etiam nunc Doctores catholici observant.

20. *Duplex Scripturæ interpretatio: alia authentica, alia doctrinalis.*—Oportet autem duplicem Scripturæ interpretationem distinguere: unam vocare possumus authenticam, alteram communem, seu privatam. Quam distinctionem, videntur adversarii dissimulare aut ignorare, cum tamen similis frequentissima sit inter jurisperitos in suarum legum interpretatione. Nam quædam est authentica, id est, habens vim legis, de qua ipsamet jura dicunt, ejus esse interpretari legem, cujus est condere; alia est doctrinalis tantum, quæ licet illam auctoritatem non habeat, tamen ad humanum regimen suam habet utilitatem. Ad hunc ergo modum necessaria est aliqua interpretatio authentica Scripturæ Sacræ: et non minus in iis, quæ ad fidem et mores pertinent, quam in aliis, imo eo magis quo in illis certus et indubitatus sensus magis necessarius est. Nec refert quod illa soleant esse clariora, quia semper possunt habere ambiguitates, ex varietate significationum aut sensuum, et præcipue quia omnia solent pervertere hæretici, teste Augustino, lib. 2 de Nuptiis, c. 31, ubi sic ait: «Non est mirum, si Pelagiani dicta nostra in sensus quos volunt, detorquere conantur, quando et de Scripturis sanctis, non ubi aliquid obscure dictum

est, sed ubi clara et aperta sunt testimonia, id facere consueverunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum. «Ob has ergo causas necessaria est authentica interpretatio. Præter hanc vero necessaria etiam est doctrinalis ad Ecclesiæ ædificationem et utilitatem, et ad resistendum hæreticis, quia «omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum institutus», ut dicit Paulus, 2, ad Tim., 3.

21. *Interpretatio authentica non potest ab spiritu privato prodire.*—Prior ergo interpretatio non potest fieri privato spiritu, et de hac procedunt omnia quæ diximus: nam hæc est quæ ad fidei fundamentum pertinet, et ideo solum ab illo fieri potest, cui clavem scientiæ specialiter Christus promisit, et tunc non ab homine, sed a Deo per hominem testimonium accipitur. Ipse enim Christus et assistentiam suam, et Spiritus Sancti magisterium Ecclesiæ suæ promisit. Posterior autem Scripturæ interpretatio, cum per se non habeat infallibilem auctoritatem, humana esse potest, et privata auctoritate fieri, dummodo non temere et ad libitum fiat, sed ita ut neque aliis Scripturæ locis, neque Ecclesiæ definitionibus, neque communi sensui Patrum repugnet. Neque tamen hujusmodi etiam interpretatio omnibus permittenda est, sed Doctoribus Ecclesiæ ad hoc munus vocatis; aliis vero, quamvis lectio Scripturæ interdum possit esse utilis, pro legentis capacitate, non tamen ad eam interpretandam, sed ad illam simpliciter intelligendam, prout communiter in Ecclesia exponitur. Neque etiam legenda est ad fidem examinandam propia scientia, sed potius ex fide legenda est ad alias utilitates et fructus ex illa hauriendos, et in hoc sensu loquuntur Patres in locis allegatis, et videri etiam potest Basilius, in serm. de Vera et pia fide, et in Regulis brevioribus, interrogat. 95, ubi optime, quamvis breviter, hoc docuit.

CAPUT XII

Ex nomine (Catholica) Anglicanam sectam fidem Catholicam non esse ostenditur

1. Quoniam hæc appellatio «catholica» semper distinxit, et Ecclesiam Christi a synagogis Satanæ, et veram fidem ab hæresi, ut sufficienter probant symbola fidei, et perpetua Patrum traditio (ex quibus nonnullos retulimus, et plures in hoc capite referemus) ideo rex Angliæ notam hæretici vitare cupiens, ut in sua Præfatione ostendit, titulum defensoris catholicæ fidei assumit, quo catholicam fidem credere et tenere profitetur. Cum autem compertum sit, ipsum esse defensorem ac propugnatorem particularis sectæ Anglicanæ, si ostenderimus, illam non esse catholicam fidem, convincemus etiam illum non esse defensorem catholicae fidei, et tunc fore talem quando, pie ac sincere cognita veritate, ad Ecclesiæ Romanæ gremium (quod faxit Deus) et obedientiam redierit. Quamvis autem ex hactenus dictis satis inclaruerit sectam illam, quæ firmum fidei fundamentum non obtinet, nequaquam posse veram Ecclesiam esse, aut catholicam fidem profiteri, nihilominus ut evidentius id constet, operæ pretium visum est, per antiquissimam traditionem Ecclesiæ ex ipsa appellatione «catholicæ fidei» aperte deductam, idem ostendere. In hoc autem attributo duo spectari possunt, scilicet, et nomen ipsum, seu cognominatio ab illo sumpta, et res seu proprietas significata per nomen, ex quibus diversa argumenta solent Patres sumere ad veram fidem vel Ecclesiam cognoscendam, et ideo prius de nomine, postea de ratione nominis dicemus.

2. *Nomen Catholicæ, fidei et Ecclesiæ adaptatur.*—Supponimus autem imprimis hoc nomen «catholicæ», tam Ecclesiæ

quam fidei attribui solere ; nam in Symbolis Apostolico et Nicæno confitemur unam Ecclesiam Catholicam, et in Symbolo Athanasii, de collectione ipsa articulorum fidei dicitur: « Hæc est fides catholica, quam nisi quisquis fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.» Cui autem illarum, scilicet, Ecclesiæ an fidei, prius fuerit hoc nomen impositum, incompertum mihi fateor; potuit enim Ecclesia vocari Catholica, quia fidem catholicam profitetur, et e contrario fides potest dici catholica, quia ab Ecclesia Catholica retinetur et traditur, vel certe utrique per se spectatæ potuit hoc nomen attribui, quia ratio ejus, seu omnis proprietas, quæ per illud indicatur, tam in vera Ecclesia quam in vera fide per se invenitur, ut in sequenti capite declarabimus. Unum autem certum est, scilicet, illa duo ita esse conjuncta, ut separari nequeant, quia nec fides catholica esse potest extra veram Ecclesiam, nec Catholica Ecclesia sine vera fide, nam ubi Ecclesia Catholica fuerit, erit etiam catholica fides, et e contrario, et ideo semper de illis indifferenter loquemur.

3. *Catholicæ nomen Anglia affectat.* — Secundo statuendum est, hoc nomen antiquissimum esse, quamvis non defuerint hæretici etiam antiqui, qui contra illud obmurmurare ausi fuerint, ut de Symproniano Navatiano refert Pacianus, contra Parmen., epist. 1 et 2. Et fortasse non desint aliqui ex hujus tempestatis novatoribus, qui illud respuant, eo quod in libris canonicis non inveniatur scriptum. Verumtamen quantum ex verbis regis Angliæ conjicio, Anglicana secta illud non detrectat, imo tamquam nomen veræ fidei, religionis, et Ecclesiæ, catholicismi nomen affectat, sibique cupit attribuere, ut in ipso titulo defensoris catholicæ fidei rex ipse satis ostendit. Præterquam quod hæc vox in allegatis Symbolis approbata invenitur, ita ut sub illa denominatione jubeamur, unam Ecclesiam et fidem Catholicam recognoscere ac confiteri; ergo rex Angliæ, qui dicta symbola admittere profitetur, negare non potest nomen illud, vel rem per illud significatam. Denique ipsa veneranda antiqui-

tas, et Patrum omnium ætatum consensio, ostendit nomen hoc non sine divino numine in Ecclesia introductum esse: «Certe (inquit Pacianus, dicta Epist. 1), non est ab homine mutuatum, quod per secula tanta non cecidit, catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum, nec hæreticos sonat auctores. Multa nos Spiritus Sanctus edocuit, quem Paracletum Apostolis, et magistrum Deus misit e cœlis. Multa ratio, sicut dicit Paulus, et honestas, et (ut ait) ipsa natura. Quid? parva nobis de apostolicis viris, parva de primis sacerdotibus currit auctoritas? » Et infra: « Age, si illi usurpando nomini huic auctores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? et nostram potius auctoritatem Patres sequentur, et emendanda Sanctorum cedet antiquitas, et jam putrescentia vitiis tempora canos Apostolicæ antiquitatis eradet? » Quæ gravissimus hic Pater ante mille et trecentos annos scripsit, tunc testatus fuisse antiquissimum hoc nomen, et merito; nam ex Symbolo Apostolorum constat ab ipsis fuisse approbatum; in eo enim profitemur «Sanctam et Catholicam Ecclesiam»; quæ verba non sunt minus antiqua in illo Symbolo quam cætera, et ita leguntur et explicantur ab omnibus antiquis, Cyrillo, Ruffino, et Augustino. Ergo ab Apostolorum tempore cum ipso symbolo nomen etiam Catholicæ semper Ecclesia conservavit. Unde etiam Pacianus illud nomen admiratur: «Quia tanto tempore non ceciderat?» Ergo multo majori admiratione dignum est, quod usque ad nostra tempora conservatum fuerit, et eidem Ecclesiæ ac fidei attributum. Igitur evidentius nunc ostenditur, nomen hoc neque datum, neque conservatum esse sine speciali Dei providentia, semperque vere indicasse et indicare id quod significat, et propter quod impositum est.

4. *Hoc nomen inditum est Ecclesiæ ut ab hæreticis conventiculis discriminaretur.*—Tertio igitur supponendum est, hoc nomen attributum esse Ecclesiæ, et fidei Christi, ad distinguendam illam ab hæreticorum doctrinis et conventiculis. Testis est idem Pacianus, in eadem Epist. 1, sit dicens: «Cum post Apos-

tolos hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei, atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret, nonne appellatione propria decuit caput principale signari?» Quam necessitatem abhibito exemplo declarat, dicens: «Si forte ingressus populosam urbem Marcionitas, Novatianos, et cæteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?» Unde postea concludit: «Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.» Eamdem causam et necessitatem hujus nominis statuit, et pro more, acute satis explicavit Augustinus, lib. contra Epist. Fundamenti, c. 4, ubi inter vincula quæ ipsum in Ecclesia tenuerunt, enumerat: «Ipsum Catholicæ nomen, quod si sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici, Catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.» Idem docuit lib. de Vera relig., c. 7, cujus verba postea referam.

5. Eamdem rationem hujus vocis nobis tradidit Cyrillus Hierosolymit., Cateches. 18. Nam quia nomen Ecclesiæ absolute dictum, et antiquam Synagogam, et quamlibet congregationem, et malignantium etiam, id est, hæreticorum Ecclesiam significare potest: «Propterea (inquit) nunc confirmans fides tradidit, ut dicas: Et in unam Sanctam Catholicam Ecclesiam, ut illorum quidem fœda conventicula fugias, perseveres autem in Catholica Ecclesia, in qua renatus es.» Ubi confirmantem fidem appellat Symbolum, quod exponit. Et statim monet non esse quærendum ubi sit Ecclesia, sed ubi sit Catholica Ecclesia: «Hoc enim (ait) proprium nomen est Sanctæ hujus, et matris

omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi unigeniti filii Dei » Eamdemque rationem subinnuit Hilarius, canon. 10 in Matth.; nam explicando verba illa Christi: «In quamcumque civitatem intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete,» etc., per dignam domum, Ecclesiam interpretatur, quæ «Catholica,» inquit, «dicetur.» Quia multi Judæorum erant futuri, qui licet Christo crederent, tamen in legis operibus morarentur; alii, qui per simulationem ex lege ad Evangelium transirent: multi vero, qui in hæresim traducerentur, et penes se esse veritatem catholicam mentirentur: «Ideo (inquit) admonuit dignum, cum quo habitandum sit, esse quærendum, id est, Ecclesia, quæ Catholica dicetur, caute, et diligenter utendum.» Atque hinc usus etiam Ecclesiæ, et omnium Patrum obtinuit, ut veri fideles ab hæreticis per hoc Catholicorum nomen distinguantur, ut passim in Patribus legimus, et usu comprobatum videmus, et experti sumus non solum inter Catholicos, sed etiam inter ipsos hæreticos, ut ex dicendis amplius inclarescet.

6. *Colligitur esse veram Ecclesiam, quæ vere hoc nomen meretur.*—Quarto, ex his inferimus, et tanquam certum statuimus, illam esse veram Ecclesiam, et in ea esse veram et catholicam fidem, quæ jure ac merito, id est, secundum primævam hujus nominis impositionem, catholica nominatur. Hoc manifeste sequitur ex dictis, quia ostensum est hoc nomen ab Apostolis impositum fuisse ad denotandam illam Christi Ecclesiam, quæ per eos fundata fuerat; ergo in fide pro explorato habetur, illo nomine tunc significatam fuisse veram Ecclesiam, ac subinde Ecclesiam per Apostolos fundatam habuisse eas proprietates, quæ in vera Ecclesia requiruntur, et illo nomine indicantur, ut ex infra proferendis clarius elucescet. Constat enim Apostolos veram Ecclesiam et proprietates ejus non ignorasse, et habuisse auctoritatem imponendi illi nomen, veritati et usui ejus acommodatum. Et hinc ulterius fit, illam Ecclesiam ab Apostolis conditam, quatenus per veram successionem semper duravit (ut

supra vidimus), semper etiam meruisse nomen catholicæ, neque illud unquam amisisse. Probatur primo, quia semper est una et eadem, non similitudine tantummodo speciei, sed etiam identitate (ut cum philosophis loquar) numerica morali, propter continuam successionem legitimam; ergo veritas et proprietas significata per illud nomen semper illi convenit; ergo et nomen ipsum. Secundo, quia semper hæc Ecclesia professa est fidem illius symboli, in quo ipsa catholica nominatur, cum tamen in sua fide errare non possit, ut supra jam satis liquido manet commonstratum. Tertio, quia non amisit illud nomen per demutationem rei, id est, quia amiserit proprietatem significatam per illam vocem; nam si illam amisisset, non esset eadem Ecclesia, ut supponitur; nec etiam amisit illud per ablationem seu mutationem solius nominis, quia Ecclesia ipsa se illo nomine non privavit, aut nominis significationem mutavit, ut ex usu et ex fide Symboli satis constat. Neque extra illam est in terra potestas, quæ potuerit eam tali nomine privare, neque jure, quia non habet superiorem; neque facto, quia neque in hoc portæ inferi contra eam prævalere potuerunt, ut latius infra comprobabimus.

7. Unde tandem concluditur illam Ecclesiam, cui jure ac merito nomen hoc tribuitur, esse veram Christi Ecclesiam, et fidem catholicam in se conservare, et consequenter nullam congregationem, etiam sub Christi nomine et confessione coactam, quæ a priori Ecclesia divisa et segregata sit, ullo modo posse hoc nomen sibi merito vendicare. Utraque pars nota est ex dictis. Prior quidem, quia talis Ecclesia est eadem numero cum illa, quæ a principio et semper illud nomen habuit; posterior vero, contraria ratione, quia Ecclesia vera est tantum una, et hoc nomen uni tantum et veræ Ecclesiæ contributum est. Omnis ergo Ecclesia, quæ non est illa una et vera Ecclesia, vel pars ejus, Catholica dici non potest. Idem confirmatur clare ex causa impositionis talis nominis. Inventum est enim ad discernendum perpetuo veram Ecclesiam a falsis, et ideo non est po-

situm tanquam nomen commune, sed tanquam proprium et singulare, ad significandum hoc individuum corpus mysticum tales sortitum proprietates; ergo hoc ubicumque et quandocumque fuerit, recte illo nomine appellabitur, secus vero est de quoqumque alio ficto corpore ab hoc diviso.

8. *Quid sit Ecclesiam Catholicismi nomen mereri.* — Unde etiam obiter constat, quid sit mereri tale nomen, et quasi jure suo illud sibi vendicare, innotescit; nihil enim aliud est quam habere veram et indubitatam successionem ab illa Ecclesia primitiva, cui primo hoc nomen exhibitum est; nam cum per illam successionem omnia bona et jura, (ut sic dicam) antiqua Ecclesiæ vendicentur, itidem cum illis etiam proprium nomen comitari necessarium ducitur. Potestque exemplo rerum humanarum declarari, ita enim nomen uniuscujusque familiæ, quo ejus nobilitas et antiquitas indicatur, non aliter ex vi primæ impositionis ad aliquem transit, nisi ex vi originis et successionis; et tunc ostenditur quis merito et quasi jure suo nomen illud vendicare, quando directam et legitimam successionem a tali radice demonstrat. Ita ergo de Ecclesia quoad appellationem catholicam, multoque altiori modo et majori certitudine existimandum est. Excellentiori quidem modo, quia successio Ecclesiæ licet sit per multiplicationem diversarum personarum naturalium (ut sic dicam), nihilominus est per conservationem ejusdem numero corporis mystici, cujus omnes personæ, sibi invicem succedentes, sunt membra. Et inde etiam sequitur major certitudo, quia illud nomen non est per se primo impositum singulis membris, aut personis, sed toti corpori, quod cum sit semper idem, tenacius et firmius nomen suæ dignitatis retinet, perpetuoque conservat. Maxime tandem sumitur hæc certitudo ex continua professione fidei, qua ipsamet Ecclesia semper confitetur se esse catholicam. Nam cum huic fidei falsum subesse non possit, certissimum omnino fit, veram Christi Ecclesiam jure sibi hoc nomen vendicare, quod nullus vel hæreticus, si Symbolis Apostolico et Nicæno fidem præbeat, negare potest,

saltem generatim de vera Ecclesia Christi, prout hactenus locuti sumus.

9. *Infertur nomen Catholicæ, Ecclesiæ Romanæ deberi.*— Quinto denique addimus, Ecclesiam, quæ nunc Pontifici Romano obtemperat (quam, ut distincte loquamur, nunc Romanam appellabimus), jure ac merito catholicæ nomen sibi vendicare, eademque ratione fidem ejus catholicam esse censendam et appellandam. Hæc assertio sequitur evidenter ex proxime dictis, iis adjunctis quæ in c. 4 tractata sunt. Ibi vero advertimus, nomen Ecclesiæ Romanæ interdum accipi pro universali Ecclesia, quæ Pontifici Romano tanquam universali Christi Vicario obedit; interdum autem pro particulari diœcesi, quæ eidem Pontifici etiam ut particulari et proximo Episcopo subest. In præsenti quidem priori modo loquimur de Ecclesia Romana, quia nomen Catholicæ, Ecclesiæ universali primario est impositum. Quanquam etiam particulares Ecclesiæ soleant catholicæ vocari, ut constat ex modo loquendi Augustini, Paciani, et Cyrilli supra, et ex communi usu, sicut et quilibet fidelis vocatur Catholicus, vel a professione fidei catholicæ, vel quia est pars Catholicæ Ecclesiæ; ergo multo magis quælibet ecclesia particularis, utramque rationem habens, poterit Catholica vocari. et sic etiam particularis Ecclesia Romana maxime catholica est, quod a fortiori constabit, si de universali illud comprobetur. (Vide Walden., lib. 2, Doctrinal. fide, c. 25.)

10. *Probatur assertio primo.*—Primo ergo probari potest assertio, eodem modo quo antiqui Patres supra allegati probabant Ecclesiam, quæ suo tempore erat, esse Catholicam, quia erat illa quam Apostoli fundaverant, cuique hoc nomen imposuerant; et ex eisdem et allis constat, loqui etiam de illa Ecclesia, quam nunc Romanam vocamus, quia loquebantur de Ecclesia unita Pontifici Romano tanquam capiti, et Christi Vicario, ut patet ex Augustino, qui hac ratione successionem Pontificum Romanorum simul cum nomine Catholicæ in signis veræ Ecclesiæ conjungit; et ex Cyrillo, qui ait, «Sanctam Ecclesiam

Christianam esse, de qua Salvator dixit Petro: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.» Pacianus demum, licet non ita dilucide hoc declaret, auctoritate tamen Cypriani utitur ad suam sententiam de Ecclesia Catholica stabiliendam; Cyprianus autem ipse sane, epist. 75 ad Cornelium, Ecclesiam Romanam vocat Ecclesiæ Catholicæ radicem et matricem; uterque ergo intellexit per Catholicam Ecclesiam, illam quæ sub Romano Pontifice militat, pluraque alia ex eodem Cypriano, Irenæo, Hieronymo, et Ambrosio supra, c. 3 et 4, retulimus, et alia legi possunt in August., epist. 165, et passim in libris contra Donatistas; et Optat., lib. 2 contra Parmenianum, ubi ex unione cum cathedra Petri monstrari dicit, aliquam Ecclesiam esse cathholicam. Denique Tertull., in Præscriptionib., c. 30, «Catolicam doctrinam esse» dicit «in Ecclesia Romanensi,» quod perinde est ac si diceret, illam esse Catholicam. Ossensum autem a nobis in superioribus est, Ecclesiam Romanam eamdem esse nunc, quæ priscis temporibus fuit; ergo ad illam solam jure pertinet Catholicæ nomen.

11. *Secundo probatur eadem assertio.*—Et præterea nunc etiam locum habet probatio, quam iidem Patres ex totius orbis consensione desumere solent. Nam, sicut tempore, verbi gratia, Augustini, ita etiam nunc, et omnibus interpositis annis, omnes homines, tam fideles quam infideles, utentes voce «Ecclesiæ Catholicæ,» et simpliciter loquentes, et sine especiali affectione vel malitia, per illam vocem intelligunt et significant illam Ecclesiam, quæ cum Pontifice Romano communicat; ergo signum est illam solam esse, cui ex proprio jure hoc nomen debetur. Ita argumentatur Augustinus, lib. de Vera relig., c. 7, dicens: «Tenenda est nobis Christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, et Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintve ipsi quoque hæretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur,

Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi eam hoc nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.» Idemque probat quod Cyrillus ait, ubi est diversitas sectarum cum vera Ecclesia in eodem loco mistarum, ne quis decipiatur inquirendo, oportere ut interroget, non pro Ecclesia tantum, sed pro Catholica; nam illo nomine omnes intelligunt illam quæ antiquam fidem retinet. At hoc eodem modo durare usque ad præsentia tempora, evidenti experimento constat, ut superius annotavi; ubique enim qui se professorem Romanæ fidei ostendere vult, Catholicum se nominat, et ita etiam ipsi hæretici, quando sincere et communi modo loquuntur, eosdem fideles glorioso Catholicorum titulo designare et insignire solent; ergo.

12. *Tandem ex verbis Jacobi regis assertio proposita confirmatur.*—Atque hoc nobis regia auctoritate confirmavit rex Angliæ; nam in sua Apologia, quasi consuetudine ductus, et contradictionem in dictis suis non advertens, illos, quos acerrime prosequitur et impugnat, Catholicos sæpe sæpius appellat, cum eos defendere teneretur, si vero et non ficto titulo se defensorem catholicæ fidei appellaret. Occurritque ex eodem titulo argumentum aliud (quod ad hominem vocant), quo idem rex convinci potest, Ecclesiam Romanam ab ipso ut Catholicam admittendam esse; nam ipse quasi jure hæreditario gaudere vult titulo defensoris fidei catholicæ, qui a Leone X, Pontifice maximo, Henrico VIII, prædecessori suo, concessus est; ergo tacite admittit et approbat et concessionem, et titulum, in eo sensu, in quo a Pontifice datus est; ergo, velit, nolit, confitetur Romanam Ecclesiam, ejusque fidem, tempore Leonis X, et quando Henricus VIII contra Lutherum libro scripto de Sacramentis illam defendit, vero ac legitimo jure Catholicam dictam esse, et præter illam nullam aliam potuisse Catholicam jure nominari, nisi quatenus cum illa conjuncta esset, quia Catholica Ecclesia integra (ut sic dicam) non potest esse, nisi una. At vero non desiit esse Catholica Ecclesia Romana eo, quod rex Henri-

cus ab illa se separaverit, sed potius ipse desiit esse Catholicus; hæretici enim vel schismatici ab Ecclesia exeuntes, se ipsos dividunt ac demutant, in Ecclesia autem nullam aliam mutationem faciunt, præter quamdam diminutionem seu membri divisionem; ergo semper hæc Ecclesia jure nomen Catholicæ retinet; nulla enim in fide mutatio in illa facta est; imo nec fieri posse, supra ostensum est.

13. *Concluditur non posse sectæ Anglicanæ adaptari.—Prima ratio.*—Sexto et ultimo, ex his omnibus concludo, quod propositum est, nempe, Anglicanam sectam seu congregationem, aut qualemcumque ecclesiam, quæ sectam illam profitetur, Catholicam jure non posse nuncupari, ac proinde neque esse. Probatur primo, quia hoc nomen non debetur neque potest jure tribui, nisi uni Ecclesiæ, et quæ vera Christi Ecclesia sit, ita enim in Symbolo confitentur omnes veram et sanctam Ecclesiam unam et Catholicam esse; sed ostensum est Ecclesiam Romanam esse Catholicam: ergo Anglicana Catholica non est. Probatur consequentia, quia Ecclesia Anglicana neque est Romana, neque illi est unita, sed ab illa omnino divisa, tum in fide et dogmatibus, tum etiam in obedientia, et vinculo charitatis.

14. Secundo idem facile ostendi potest ex defectu successionis et originis ab illa Ecclesia primitiva, quæ primum Catholica dicta est. Hanc enim successionem nunc non habet Ecclesia Anglicana; ergo neque nomen Catholicæ jure (ut aiunt) hæreditario potuit adipisci. Consequentia est evidens ex dictis. Antecedens autem late probatum est in toto discursu cap. 1 et 2, et iterum necessario occurret in capite sequenti, et breviter declaratur. Quia secta Anglicana, quoad quod id quod illi maxime proprium est, et quasi differentia distinguens illam non solum ab Ecclesia Catholica, sed etiam ab omni ecclesia malignantium, videlicet, quoad recognitionem temporalis regis in ratione supremi capitis in ecclesiasticis et spiritualibus, incepit ab Henrico VIII, ante septuaginta et quatuor vel quinque

annos, et nulla illius mentio prius facta est in mundo; neque illud genus reipublicæ aut capitis spiritualis originem ducit ab Ecclesia primitiva, quia nullum in Scriptura vel in prædicatione Apostolorum fundamentum habet, ut libro tertio late ostendemus; ergo quoad hanc partem caret dicta successione. Quoad alteram vero, quæ in ea spectari potest de aliis dogmatibus, in quibus ab Ecclesia Romana dissidet, initium habuit a Calvino, et ex parte etiam a Luthero, qui profecto in doctrina successionem ex Apostolis, seu Catholica Ecclesia non habent; nam si ex illa essent, permansissent in illa; at ex illa exierunt, quia novos errores doctrinæ apostolicæ contrarios excogitarunt, ut ab aliis catholicis auctoribus sæpius est probatum, et est luce meridiana clarius; ergo etiam quoad hanc partem Anglicana secta caret successione. Quod etiam in lib. 2, expendendo confessionem fidei regis Angliæ, fiet evidentius; ergo nullum verum vel apparentem titulum habet illa secta, quo possit catholica nuncupari.

15. *Tertia ratio: secta, quæ proprium nomen a magistro suo sortitur, Catholica non est.*—Tertio, uti possumus argumento seu signo quo utuntur antiquissimi Patres ad cognoscendum congregationem vel sectam non Catholicam, et illam a Catholica distinguendam. Quotiescumque enim secta aliqua proprium nomen habet a magistro, vel præceptore talis doctrinæ, et sectatores ejus ab eodem præceptore nomen accipiunt, signum est nec doctrinam, nec personas, nec earum congregacionem esse Catholicam. Quod signum explicat late Athanasius, Orat. 2 contra Arianos, circa princ., dicens: «Numquam populus christianus ab Episcopis suis, sed a Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit, nec ab Apostolis, neque a præceptoribus, ministrisque Evangelii, etc.; illi vero, qui aliunde originem fidei suæ deducunt, merito auctorum suorum cognomenta præ se ferunt.» Et deinde id ostendit, discurrendo per omnes hæreticos usque ad Arianos, dicens: «Beato Alexandro Arium ejiciente, ii, qui Alexandro adhæserunt, remanserunt Christiani; qui

una cum Ario recesserunt, nomen Salvatoris nostri Alexandro, cum suis relinquentes, Ariani deinceps appellati sunt.» Additque deinceps, etiam post mortem Arii idem servatum esse, et inter alia ait: «Omnes, qui ejusdem cum Ario sententiæ fuerunt, ex eo notas suas insigniaque habentes, Ariani nuncupantur, quod revera eximium et magnum argumentum est. Nam qui ex gentibus ad Ecclesiam veniunt, non catechizantium, seu fidei rudimenta tradentium nomina, sed Salvatoris in se transferunt, et pro gentilibus Christiani incipiunt appellari. Qui vero, et ex eodem genere ad istos abeunt, aut ab Ecclesia ad hæresim transitum faciunt, nomen Christi derelinquunt, et Arianorum vocabulo induuntur, quasi qui non amplius fidem Christi retineant, sed Arianæ insaniæ gregales habentur.» Quod late prosequitur, inde concludens, tales sic nominatos non solum de numero Ecclesiæ Catholicæ non esse, verum etiam nec Christianos, quia fidem apostolicam jam deseruissent.

16. Deinde Chrysostomus, hom. 33 in Acta, circa finem, ubi proponit quæstionem, si gentilis volens fieri Christianus, inter eos, qui hoc nomen profitentur, divisiones in dogmatibus inveniat, et ideo dubitet quam partem eligat; et inter alia documenta, quæ ponit ad dignoscendam veram Catholicam fidem, seu Ecclesiam, unum est: «Illi», id est, hæretici, «habent quosdam, a quibus appellentur, prout enim hæresiarchæ nomen, ita et secta vocatur, nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa»; per hoc ultimum verbum significans, a fide Catholica vocatos esse fideles Catholicos, et etiam Ecclesiam ipsam Catholicam. Et eamdem sic concludit: «Numquit scindimur ab Ecclesia, num hæresiarchas habemus, num ab hominibus cognomen habemus, numquid nobis dux quidam est sicut illi Marcion, illi Manichæus, huic Arius; quod si nos agnominationem cujusdam sortimur, sed non ut ab hæresum principibus, sed, ut ab his, qui præsunt nobis, et gubernant Ecclesiam. Non habemus Doctores super terram, absit; unum habemus in cœlis. Et illi,» inquit, «eadem prætexerunt. Sed assistit nomen accusans illos,» etc.

17. Idem signum tradidit Lactant., lib. 4 de Vera sap., cap. ult., ubi ait, multos excidisse a doctrina Dei, credendo falsis prophetis, et veram traditionem relinquendo, subjungitque: «Sed illi dæmoniacis fraudibus irretiti, quas prospicere et cavere debuerant, divinum nomen et cultum per imprudentiam perdiderunt; cum enim Marcionitæ, Ariani (adde Lutherani, Calvinistæ), seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana et externa vocabula induerunt: sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet, hic est fons veritatis,» etc. Huic quoque doctrinæ consentit D. Hieronymus, dialogo contra Luciferianos, cap. 9, alias col. ultim., ubi hanc tradit regulam: «Sicubi advertis eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quodam alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentinianos, etc., scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichristi synagogam: ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciavit.» Sic etiam Optatus, lib. 3 contra Parmeniam., col. 4, hoc argumento maxime exprobrat Donato, dicens: «Cum ante ipsius superbiam omnes, qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo dividere, ut qui illum secuti sunt, jam non Christiani vocarentur, sed Donatistæ.» Quod late prosequitur. Denique idem sumitur ex Augustino, dicto libro contra Epistolam Fundamenti, cap. 4, et lib. contra Serm. Arianorum, cap. 36, ubi inquit: «Ita se habet catholicæ veritatis antiquitas, ut ei omnes hæretici diversa nomina imponant, cum ipsi sua singula, sicut ab omnibus appellantur, obtineant».

18. *Cur unaquæque hæresis ab inventore suo nominetur.*— Causa vero et ratio hujus signi quasi ex natura rei reddi potest, quia omnis hæresis aliquam novitatem contra antiquam fidem comminiscitur; novis autem rebus existentibus necessaria sunt nova nomina, quibus significentur, et ab aliis discernantur. Hac ergo ratione, sicut philosophorum scholæ ab inventoribus, seu primis præceptoribus nomen acceperunt, ita etiam sectæ hære-

ticum a suis etiam magistris, quibus discriminentur receperunt nomina. Atque ita Irenæ., lib. 1, cap. 20, in fine, de sectatoribus Simonis dixit: «Habent quoque et vocabulum, seu nomen a principe impiisimæ sententiæ Simone, dicti Simoniani»; et Justinus Martyr, in dial. cum Tryphone, p. 26, generaliter de hæreticis dixit: «Ex novis prodeunt, a virorum appellatione, ex quibus unaquæque disciplina et sententia originem habuit.» Et infra: «Ac eorum quidem nonnulli Marciani vocantur, alii Valentiniani, alii alio nomine a sententiæ disciplinæque principe unusquisque nominatur, quemadmodum etiam unusquisque eorum, qui sibi philosophandum censent, a parente disciplinæ nomen philosophiæ, cui studet, sibi imponendum censet.» Ita ergo in hæreticis observatum est tanquam moraliter necessarium, et ex rei natura consequens. At vero Catholica Ecclesia antiquitatem semper observat, nullamque novitatem priori fidei contrariam admittit, ideoque novo nomine non indiget, sed antiquum semper retinet, sicut et religionem a Christo primitus institutam.

19. *Non tantum antiqui hæretici, sed etiam novi a suis hæresiarchis cognominantur.*—Hoc autem ipsum, quod antiqui Patres de hæreticis antiquis docuerunt, in novis etiam observatum esse cernimus: nam insurgente Luthero, Sectatores ejus ab ipso Lutherani vocati sunt, a Calvino Calvinistæ, a Zvinglio Zvingliani, et sic de aliis, ut ex communi more loquendi totius orbis christiani, et omnium scriptorum hujus temporis palam evadit. Imo de sectariis Lutheri constat, se ipsos vocasse Lutheranos in confessione Augustana, non longe a principio (1). Cum ergo secta Anglicana in re non alia sit quam Calviniana, non minus idem nomen participat, et eo indicio ostenditur qualis sit, utique non Catholica, sed potius a Catholica deficiens. Quod si fortasse non ita a plerisque vocitetur, quia suum primarium fundamentum

(1) Refert Stapleton., l. 1, controv. 4.

Calvinus non probavit, vocari profecto posset Henriciana, quia cum rex Henricus fuerit primus auctor illius erroris, non minus possent sectatores ejus ab eo nomen accipere, quam alii hæretici a suis ducibus reportarunt. Fortasse tamen hoc non est usu receptum, vel quia Henricus, licet illud dogma invexerit, in reliquis voluit catholicam religionem in suo regno servari, ut supra notavimus: vel certe, quia non sua tantum auctoritate, sed celebri actu parlamenti sui institutum est, ut rex in supremum caput suæ ecclesiæ susciperetur (1). Hoc vero non obstat quin hinc etiam illa secta specialiter Anglicana nuncupetur, quia speciali arbitrio illius regni seu parlamenti definitus est, non solum ille articulus, sed etiam modus religionis ex variis novis erroribus mistus, in illo regno observandus; ergo utcumque res se habeat, semper illa secta novo nomine indiguit, ut cognosci et discerni possit, illudque a suo proximo inventore, vel institutore participat; ergo in illa etiam locum habet dictum indicium, et consequenter ex testimonio omnium Patrum, qui signum illud dederunt, Catholica non est.

CAPUT XIII

Objectionibus contra doctrinam superioris capitis occurritur

1. *Prima objectio.—Catholici vocabantur Homousiani, et nunc Papistæ*, etc.—*Secunda objectio.*—Contra discursum superiori capite factum duo possunt Protestantes objicere. Unum est, etiam Catholica solere appellari novis nominibus, quando controversiæ de doctrina oriuntur, et ita vel nullum esse indicium, vel ex illo etiam inferendum esse, fideles non esse Catholicos. Assumptum patet, quia tempore Arii, dissentientes ab illo et

(1) Mauritius Canneus, supra, c. 9.

defensores Concilii Nicæni Homousiani vocati sunt. Imo eo tempore fideles, Romani vocabantur, ut sumitur ex Victore Uticensi, lib. 1 de Persecut. Vandalica, circa finem, ubi refert, cum Theodoricus Armogastem fidelem capite truncari jussisset, Jocundum presbyterum consuluisse illi, ut potius diversis afflictionibus interficeret: «Nam si gladio peremeris (inquit), incipient Romani martyrem prædicare.» Quam vocem exponens Gregor. Turonensis, libro 1 de Gloria Martyrum, cap. 25, dicit: «Romanos enim vocant homines nostræ religionis.» Deinde etiam nunc quos nos vocamus Catholicos, rex in sua Præfatione Pontificios vocat, vulgusque Papistas appellat, et similiter quam nos vocamus Ecclesiam Catholicam, rex appellat Romanam religionem. Altera objectio est, quia sicut nos Catholicorum nomen nobis vendicamus, ita etiam hæretici contendunt suam religionem esse catholicam, et consequenter etiam se ipsos Catholicos appellant. Quod si nobis non nocent alia nomina ab aliis imposita, ita etiam ipsi dicent, ex aliis nominibus ipsis impositis nullam præsumptionem falsæ sectæ contra illos sumi; sed potius per illa indicari reformatam religionem, ut rex etiam loquitur, vel purum, et verum Evangelium, ut Puritani, et Evangelici contendunt.

2. *Solutio ad primam.*—Ad priorem partem imprimis generatim dico cum Augustino, lib. contra Serm. Arianor., c. 36, ita sese habere catholicæ veritatis antiquitatem, «ut ei omnes hæretici diversa nomina imponant, cum ipsi sua singula, sicut ad omnibus appellantur, obtineant.» Quibus verbis differentiam indicat, quod quoties talia nomina imponuntur Catholicis, a solis hæreticis imponuntur, et ab aliis non recipiuntur, quia necessaria non sunt respectu aliorum, sed ipsi hæretici illa inveniunt, vel in injuriam et infamiam Catholicorum, vel ut se ipsos Catholicos venditent. E contrario vero peculiaria nomina sectarum hæreticarum, quasi ex natura rei, ut dixi, cum ipsis nascuntur, et ita statim veniunt in usum omnium, etiam ipsorummet sectariorum, qui eisdem nominibus se ipsos appellant. Atque ita Augustinus, in dicto c. 36, contra sermonem

Arianorum, de nomine Homousianorum dicit: «Ariani et Eunomiani, non alii hæretici, nos vocant Homousianos, quia contra eorum errorem, Græco vocabulo homousion, defendimus Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum». Numquam ergo illud fuit Catholicorum nomen, sed inventum fuit ab hæreticis, et non ab omnibus, sed ab illis, quibus nomen homousion erat infestum, quia per illud eorum error detegebatur, et tergiversationes evitabantur. Idemque in hæreticis hujus temporis observari potest; nam quia Christi Vicarium, quem nos Papam, et Summum Pontificem, et Episcopum Romanum appellamus, odio prosequuntur, ideo ad ignominiam eorum, qui illi sedi obediunt, et ad conflandam eidem sedi invidiam, Catholicos vocant Papispas, Pontificios, et Romanistas. Sicut autem Ariani non potuerunt nomen a se inventum introducere in Ecclesiam, sed illi tantum eo abusi sunt, ita etiam hæc nomina ab hæreticis inventa inter eos tantum circumferuntur, Catholici autem neque eis utuntur, neque de illis solliciti sunt, quia nihil sibi nocere possunt.

3. *Nomina, quæ hæretici Catholicis imponunt, doctrinæ novitatem non indicant.*— In quo est etiam valde notandum, talia esse hæc nomina, quæ hæretici catholicis imponunt, ut etiam illa divisionem non indicent ab Ecclesia Catholica, neque in doctrina novitatem aut singularitatem. Quod etiam de nomine Homousianorum indicavit Augustinus supra, dicens, ipso illo nomine significatos esse ab hæreticis defensores veræ Trinitatis, quia non possent esse verus Pater et Filius, nisi essent ejusdem naturæ. Unde recte concludit: «Ecce qui nos quasi macula novi nominis vocant Homousianos, nec se ipsos, cum ista sentiunt, intuentur insanos». Atque hoc ipsum contingit novis hæreticis; cum enim nos Papistas vel Pontificios vocant, non aliquid novum nobis tribuunt, sed quod omni tempore Catholicis omnibus commune fuit, et ita velint, nolint, eisdem nominibus nos Catholicos vocant. Nam et Romanorum, et Romanistarum nomina paulo antea ostendimus, jam olim Catho-

licos significasse. Sicut etiam supra ex Hieronymo, Ambrosio, et aliis ostendimus olim Catholicam Ecclesiam Romanam fuisse vocatam, seu pro eadem reputatam. Quod ergo fides nostra, religio Romana a rege Angliæ vocetur, sine offensione audiri posset, si recta mente diceretur, quia religio Romana neque nova est neque privata, sed eadem est quæ Catholica, et utrumque nomen est antiquitatis, non novitatis. Et ita etiam accipi potest quod Chrysostomus, dicta homil. 33 in Acta, pronunciavit, «non esse inconveniens, interdum fideles nomen accipere ab his, qui præsunt, et gubernant Ecclesiam,» utique quando per talia nomina non significatur aliud, quam debitus ordo, et institutio antiqua ecclesiasticæ hierarchiæ et monarchiæ. Secus vero videmus accidere in propriis hæreticorum nominibus; omnia enim denotant vel novam doctrinæ inventionem, maxime ea quæ a nominibus hæresiarcharum sumuntur, vel divisionem et separationem, ut in generali nomen sectariorum, vel in particulari nomen sectæ anglicanæ, vel aliud simile.

4. *Solutio ad secundam.*—Ad secundam objectionis partem, respondeo non esse novum, ut «hæretici penes se esse veritatem catholicam mentiantur;» de Arianis enim id jam olim Hilarius, dicto canon. 10 in Matt., animadvertit, et Augustinus, 15 contra Faust., c. 3, dixit: «Mirabilis est impudentia, cum Manichæorum sacrilega et immunda societas etiam castam sponsam Christi se jactare non dubitat; in quo adversus Ecclesiæ veræ Catolicæ casta membra quid proficit?» etc. Et inferius: «Noli (dicit ad Ecclesiam) decipi nomine veritatis, hanc solam tu habes et in lacte tuo, et in pane tuo; in hac autem (id est, Manichæorum congregatione) tantum nomen ejus est (id est, usurpatum nomen veritatis) ipsa non est.» Et de Donatistis idem sæpe refert Augustinus, et specialiter Optatus, lib. 1 contra Parmenian., circa finem. Non est ergo mirum, quod hodie, etiam Protestantes catholicum nomen usurpent, ne suam doctrinam hæreticam esse statim fateri videantur, sicut etiam Satanas transfigurat se in Angelum lucis, ut latere

possit. et decipere. Tanta vero est vis veritatis, ut etiam ipsi hæretici non nisi timide et cum rubore Catholicorum nomen ausi fuerint sibi arrogare, ut lib. 2 de Schismate Anglicano, in Eduardo VI, Sanderus notavit. Unde fit ut, licet aliqui se ipsos ita compellent, ab aliis et ab universo orbe non sic nominentur, nec per illud nomen cognoscantur. Quod longe aliter in veris Catholicis observatur; non enim Catholicorum nomen sibi ipsi assumunt, sed ab ipsa fide antiqua, quam profitentur, quasi hæreditario jure illud recipiunt, et ita illo nomine ubique appellantur, et per illud ab omnibus cognoscuntur, cujus religionis sint, scilicet, Romanæ et Apostolicæ, atque ab ipsis etiam hæreticis cum sine fuco, ingenue, et communi modo loquuntur, ita appellantur. Quod ergo interdum iidem hæretici aliquo peculiari modo illo nomine abutuntur, nihil obstat quominus illud attributum, absolute et secundum se spectatum, signum certum sit veræ et orthodoxæ fidei.

CAPUT XIV

Ex ratione catholici nominis discursus capitis præcedentis confirmatur

1. *Catholica ex græco idem est ac universalis.*—Duo in hoc catholico cognomine præcedenti capite distinximus, scilicet, denominationem, seu designationem ab ipso vocabulo sumptam, et rationem nominis, seu proprietatem, per illud significatum; cum ergo priorem appellationem ostenderimus, veram fidem et Ecclesiam indicare, id nunc evidentius fiet rationem vocis explicando. Ostendemus ergo proprietates per hanc vocem significatas in schismate Anglicano non reperiri, et ideo catholicam fidem aut Ecclesiam in ejusmodi schismate esse non posse. Ad hoc autem probandum, supponimus vocem «Catholica,» juxta etymologiam ex græco sumptam, idem sig-

nificare quod universalis, seu communis, ut Patres omnes statim citandi in hac materia supponunt, et est adeo vulgare et receptum, ut in hoc nulla possit esse controversia. Toda ergo constitui potest in explicando, quæ universalitas in Ecclesia vel fide ex vi illius nominis requiratur. Potest enim in fide (de illa enim præcipue nunc agimus, quamvis idem fere sit de Ecclesia, propter similitudinem rationis, et propter connexionem, ut supra dixi), potest, inquam, in fide catholica multiplex universalitas considerari. Et quamvis, ut in hac ipsa materia advertit Aug., Ep. 48, col. 10, non sit de nomine contendendum, nihilominus dubitari non potest quin illa fides, quæ universalis fuerit secundum omnem rationem consentaneam Scripturis et Patribus, sit proprie et maxime catholica.

2. *Fides dicitur primo universalis ratione materiæ.* — Primo ergo dici potest fides universalis ex parte materiæ, quia nimirum omnia dogmata ad veram Dei fidem petinentia sine diminutione seu partitione complectitur. Quam etymologiam indicasse videntur Donatistæ, qui, ut Augustinus supra refert, nolebant «Catholicæ nomen ex totius orbis communione interpretari, sed ex observatione præceptorum divinorum, atque sacramentorum omnium.» Quorum sententiam licet quoad priorem partem negativam reprehendat Augustinus, ut paulo post videbimus, de altera derivatione vocis solum dicit, «si forte hinc sit appellata catholica, quod totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullæ particulæ etiam in diversis inveniuntur hæresibus» nihil impedire, imo etiam in favorem Ecclesiæ Catholicæ redundare, quia illa sola est quæ integram veritatem retinet, et omnia divina sacramenta a Christo instituta conservat, et juxta illius spiritum docet ac credit. Dici etiam potest observare omnia divina mandata, tum in ordine ad fidem, quia inter dogmata fidei etiam illa numerantur, quæ per fidem revelantur; tum etiam in ordine ad obedientiam, charitatem, quia cum vera Ecclesia, sancta dicatur et credatur in Symbolo Apostolorum, et sine observatione mandatorum non

sit vera sanctitas, non potest Catholica Ecclesia esse sine omnium mandatorum observatione. Vera enim sanctitas sine charitate esse non potest, 1 ad Cor., 13, ad Galat., 5, et ad Rom., 5, et charitas secum affert observationem mandatorum omnium, Joann., 14 et 15. Igitur sicut sanctitas, ita etiam præceptorum universalis observatio necessaria est ipso corpori Ecclesiæ Catholicæ; licet in singulis personis ejus, ut catholici dicantur et vere sint, non sit necessaria hæc mandatorum omnium observatio, quatenus ad voluntatem spectat; quia sine illa possunt integram fidem, etiam de ipsis præceptis retinere, quod alibi ostendendum est: nam ad præsens negotium parum conferre videtur.

3 Si ergo ab hac proprietate velimus fidem nominare catholicam, profecto manifestum est, in Anglicana secta fidem catholicam non reperiri, quia non habet integram veritatem. Hoc vero postea lib. 2 ostendendum est, demonstrando et designando errores in quibus versatur, eosque, quantum hujus operis brevitas permisserit, redarguendo. Nunc vero generaliter id probare possumus ex discursu in principio hujus libri facto, quia illa secta incepit per defectionem a vera fide; ergo licet aliquam partem doctrinæ fidei admittat, non tamen integram et inviolatam illam retinet; ergo fides ejus, id est, materia fidei (hanc enim nunc fidem appellamus) non est universalis, ac subinde nec catholica, juxta etymologiam dictam. Denique fides Romana etiam in hoc sensu catholica est, ut satis probatum relinquitur ex dictis in cap. 4 et 5, in quibus ostendimus non posse Sedem Romanam a vera fide deficere. Sed Anglicana secta in multis rebus ad fidem pertinentibus, et præcepue in puncto de Primatu (quod ad fidem spectare infra lib. 3 ostendam), discordat ab Ecclesia Romana; ergo quoad materiæ universalitatem non est catholica.

4. *Secundo, dicitur universalis, ex universali seu communi regula credendi.*—Secundo requiritur in vera fide universalitas, seu communitas ex parte rationis credendi, et ex parte regulæ,

per quam certo discernatur a falsa; unde etiam ex hoc capite potuit Christiana fides vocari catholica. Quanquam enim Patres expresse hanc etymologiam illius vocis non attingant, nihilominus non est improbanda, quia non est contraria aliis proprietatibus, vel universalitatibus ab eis in illa voce consideratis, imo in eis virtute continetur, neque enim potest esse fides universalis quoad materiam, personas, loca et tempora, nisi etiam rationem et regulam credendi universalem et communem, seu publicam sortiatur. Unde quidquid sit de etymologia vocis, de re ipsa dubitari non potest quin fides christiana postulet imprimis talem rationem credendi, quæ universalis sit, et eadem in tota materia, quæ credenda proponitur. Quæ ratio, ut Theologi aiunt, est ipsa divina veritas, seu (quod perinde est) verbum Dei, quo ipse præbet testimonium veritatis, juxta illud Pauli, 1 ad Thessal., 2: «Gratias agimus Deo, quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei;» et illud 1 Joan., 5: «Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.» Hoc ergo testimonium idem esse debet in omnibus credendis, et ideo ratio universalis dicitur respectu christianæ fidei, alias non esset in omnibus æque certa, imo nec certa fides in re qualibet esse poterit, si ab illa universali ratione in aliqua discrepet. Regula etiam aliqua necessaria est, quæ nobis res credendas tanquam a Deo revelatas infalibiter proponat, quam debere esse publicam et generalem, in cap. 6 ostensum est, quia non potest esse fides uniformis, ut sic dicam, seu eadem in omnibus fidelibus, nisi omnes in eadem communi regula credendi conveniant; ergo ut fides possit esse catholica, necesse est ut sit universalis, etiam in regula et ratione credendi.

5. *Secta Anglicana caret universali credendi regula ad veram fidem maxime necesaria.*—Constare autem facile potest ex dictis, in secta Anglicana hanc proprietatem fidei non reperiri; ergo etiam ex hoc capite non potest illa secta fides catholica

reputari. Assumptum patet primo, quia illa secta veritates aliquas a Deo revelatas admittit et suo modo credit, alias vero negat, ut infra ex ipsa regis confessione ostendemus. Nam licet ipse non concedat, illa, quæ negat, esse a Deo revelata, tamen eo ipso ostendit non divinum testimonium, sed suum arbitrium et conjecturam habere pro ultima et primaria ratione credendi; nam si divino testimonio in credendo vere niteretur, æqualiter crederet omnia quæ eodem divino testimonio confirmata sunt. Hic autem defectus in ratione credendi provenit ex defectu regulæ universalis, quæ cum certitudine et infallibilitate proponat quid sit vel non sit a Deo revelatum. Nam in illa secta nulla est hujusmodi regula universalis et publica, sed unusquisque sibi est regula, ut supra vidimus; ergo talis fides non potest esse catholica, seu (ut rem clarius explicem) talis modus credendi non potest esse catholicus, id est, aptus ad catholicam fidem. Imo, quod sic credentes in aliqua materia fidei plures conveniant, non provenit ex ratione, aut regula credendi, sed vel ex aliqua humana consuetudine, vel ex timore humano, vel alia simili ratione. Unde etiam fit ut, ad conveniendum aliquo modo in ea secta, necessarium sit majorem partem hominum adhærentium illi relinquere regulam credendi propriam illius sectæ, quæ est proprium uniuscujusque judicium, prout sibi certum videtur, et sequi aliorum judicium, sive regis, sive parlamenti, sive ministrorum. Quomodo enim aliter vulgus credere posset? ergo talis fides ex vi regulæ et rationis credendi non solum catholica non est, verum etiam neque ullo modo universalis, id est, una communis multis, et ut fiat aliquo modo communis, fit alia fides pure humana, id est, in privato judicio alicujus hominis, vel particularis communitatis humanæ fundata; ergo vel hac ratione longissime distat a fidei catholicæ proprietate.

6. *Tertio fides universalis est quoad omnes gradus personarum. Ad Ephes., 4, et 1 ad Cor.*, 12.—Tertio dici potest fides, seu Ecclesia Catholica, quia universalis est quoad omnes gradus

et ordines personarum, quod his verbis nos docuit Cyrill. Hierosoly., catechesi 18: «Ecclesia antea sterilis erat, nunc autem multorum est liberorum parens. Illa enim priore extincta, in hac altera Ecclesia Catholica, ut Paulus dicit, Deus posuit quidem primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, postea Virtutes, tum gratias curationum, opitulationes, gubernationes, et omne genus totius virtutis, sapientam dico et intellectum, temperantiam et humanitatem, et in persecutionibus patientiam irreprehensibilem, quæ per arma justitiæ prospera et adversa, per gloriam et ignominiam, primum quidem in persecutionibus et tribulationibus, Martyres, et Sanctos diversis coronis patientiæ, et multum florentibus coronavit, quibus ipsa Ecclesia ornata est, nunc vero temporibus pacis, gratia Christi, debitum habet honorem a regibus et illustribus, et omni genere hominum.» In quibus verbis varios modos indicat, propter quos dici potest Ecclesia, Catholica, quia omnia genera et gradus personarum complectitur. Unus et notior ac facilior est, quia omnibus hominibus cujuscumque nationis, provinciæ, linguæ, qualitatis, vel conditionis utilis est, imo et ad salutem necessaria, et ideo omnes ad se vocat sive Judæos, sive gentiles, etc., juxta illud Pauli ad Colossen., 3: «ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia, et in omnibus, Christus.» Significavit etiam hunc modum Augustinus in illa verba Psalm. 65: «Jubilate Deo omnis terra, dicens: Non ergo sola Judæa. Videte, fratres, quomodo commendetur universitas Ecclesiæ toto orbe diffusæ, et non solum dolete Judæos, qui hanc gratiam gentibus invidebant, sed plus hæreticos plangite; si enim dolendi sunt, qui collecti non sunt, quanto amplius qui collecti divisi sunt?» Verumtamen hoc modo explicata hæc universalitas (ut ex his verbis Augustini liquet) parum differt ab universalite loci, et statim cum illa magis explanabitur.

7. *Ecclesia universalis est quoad gradus et munera.*—Alter modus indicatus a Cyrillo est, quia Ecclesia Catholica debet

constare ex omnibus membris et gradibus, gratiis, et donis, quibus illam depingit Apostolus Paulus. Unde Augustinus ait, lib. 1 de Doctrin. Christian., cap 16: «Catholica Ecclesia corpus Christi, sicut Apostolica doctrina commendat, quæ etiam conjux ejus dicitur. Corpus ergo suum multis membris diversa officia gerentibus, nodo unitatis, et charitatis, tanquam sanitatis adstringit.» Cum igitur Ecclesia sit Christi sponsa, quam ipse sibi «exhibuit gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata,» id est, omni genere virtutum et gratiarum abundans, ad ejus pulchritudinem pertinet, ut sit integra et constans ex omni varietate membrorum, et omnibus gratiis, ministeriis, operationibus et virtutibus, quibus eam Christus constare voluit. De quibus sic scribit Optatus, lib. 2 contra Parmenian., non longe a principio: «Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, presbyteros, diaconos, ministros, et turbam fidelium. De horum autem membrorum varietate, et de muneribus singulorum, et quomodo sint semper necessaria Ecclesiæ, non est hic dicendi locus, postulat enim integrum opus de Ecclesiastica hierarchia. Satis ergo nobis sit, in corpore mystico Christi, ex sententia Pauli, requiri dictam membrorum varietatem, quæ usque ad consummationem Sanctorum in eo est duratura. Ac proinde juxta sententiam Cyrilli, recte potuisse Ecclesiam ab hac membrorum universitate, et varietate donorum, catholicam appellari. Et (ut jam dixi) quidquid de impositione nominis sit, de re ipsa negari non potest quin hæc integritas et varietas ad splendorem et majestatem Ecclesiæ Catholicæ spectet, et ad ejus conservationem et perfectionem non solum utilis, sed etiam necessaria sit, ideoque non pose Catholicam Ecclesiam reputari, quæ hac excellentia et integritate fuerit destituta.

8. *Prædictas Ecclesia conditiones Anglicanae sectæ deficere ostenditur.*—Non est autem difficile ostendere, hanc perfectionem Ecclesiæ in schismate Anglicano non inveniri. Primo quidem, et præcipue, quia non habet Pastorem et Episcopum cui

adhæreat, quod secundum Christi institutionem maxime ad veritatem Ecclesiæ necessarium est, ut ex Matth. 16, et Joan. 21, non obscure colligitur. Ideoque Cyprian., epist. 69, sic Ecclesiam definit: «Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens». At Anglicana congregatio non sacerdoti, sed regi adunatur; nec pastori suo adhæret, non est enim pastor gregis Christi, nisi quem ipse constituerit, non constituit autem regem, sed Petrum et successores ejus: «Unde» (addit Cyprianus) «scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra blandiri eos, qui partem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quae catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata». Quibus verbis omnia conventicula hæreticorum graphice depingit, et præcipue Anglicanum, quod (præsertim universe sumptum) in Episcopo non est, nec Episcopus in ipso, nec sacerdotes habet, quorum glutino copuletur, nisi forte dicant, ministros esse sacerdotes, aut regem esse Episcopum, quod satis esset ridiculum. Neque ab ipsis dicitur, quia sacerdotes in Ecclesia esse non credunt, sicut et sacrificium esse negant, neque etiam de illis ministris vere cogitari potest, cum legitime ordinati non sint.

9. *Occurritur evasioni.*—Quod si fortasse ministri contendant Angliam non carere suis Episcopis, quibus singulæ plebes adhærent, respondemus imprimis cum eodem Cypriano, epist. 76, illos non esse veros Episcopos, sed nomine tantum. Quia «Episcopus computari non potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est»; neque etiam qui secundum legitimum Ecclesiæ ritum ordinatus non est. Deinde respondeo, Cyprianum non solum de singulis particularibus Ecclesiis, sed etiam de universali Ecclesia Catholica esse locutum: docet enim ita esse unam, ut uni

etiam communi Episcopo debeat esse conjuncta; sic enim ep. 76 dixit, Ecclesiam esse unam, «quæ apud Cornelium fuit, qui Fabiano legitima ordinatione successit». Et ep. 55, ad eundem Cornelium: «Non aliunde» (ait) «hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret». Ubi aperte loquitur de uno Episcopo supremo, et illum quasi per antonomasiam vocat «sacerdotem Dei, et judicem vice Christi», et «sacerdotem unum, cui tota fraternitas obedit». Et in lib. de Unit. Eccles., idem late docet, et in suis epistolis ita unitatem Ecclesiæ Catholicæ sæpe sæpius exponit. Hominum ergo congregatio, quæ non uni Episcopo, sed uni regi temporali adhæret, neque veros Episcopos habet, nec veros sacerdotes, nullam Catholicæ Ecclesiæ speciem, nedum veritatem, præ se fert.

10. *Non ecclesiasticam, sed politicam hierarchiam Anglia retinet.* — Neque Jacobo regi quidquam confert, quod sæpe in sua Præfatione repetit, se hierarchiam ecclesiasticam ubique in suo regno restituisse, et contra Puritanos defendisse; non enim veram ecclesiasticam hierarchiam, quam Christus instituit, sed humanam, et politicam, quam ipse, apparenti quadam conjectura ductus, imitari voluit, retinuit, ac defendit. Hoc enim est, quod ingenue ipse fatetur pag. 54, dicens: «Et quo studio in Episcoporum et ecclesiasticæ hierarchiæ (politici duntaxat ordinis causa) defensionem semper incubui, eodem in confusam illam anarchiam, et parilitatem Puritanorum invectus sum.» Et iterum pag. 56 repetit, se aliquod discrimen inter Episcopos et Patriarcharum institutionem admittere; addit tamen, «ordinis et discriminis causa»; et paulo post, pag. 55, tertio idem inculcat, addendo: «Sic enim intelligi volo.» Longe ergo diversa est illa hierarchiæ umbra a veritate a Christo instituta, et a Patribus tradita.

11. Christus enim non posuit in Ecclesia Episcopos solum propter politicum ordinem, sed « ut regerent Ecclesiam suam, quam acquisivit sanguine suo, » Actor., 20, et ut curam illius gererent, non tantum externam et politicam, sed maxime spiritualem, et salutem animarum procurantem, juxta illud Hebr., 13: « Obedite præpositis vestris, et subjacete illis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri ». Propter quod Cyprianus, epist. 55, potestatem Episcoporum ad Ecclesiam gubernandam, « sublimem et divinam » vocat. Et merito quidem, quia et a Christo Deo et homine data est, et cum admirabili potestate remittendi et retinendi peccata, et solvendi ac ligandi in terra quæ in cœlis rata habeantur. Non est enim Ecclesia Christi corpus mere politicum, sed mysticum, et quodammodo divinum, et ideo non solum propter politicum ordinem, sed propter spiritualem finem hierarchiam requirit, « ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, » ut Paulus dixit. Et ideo diversitas horum membrorum et graduum non in externis dotibus, aut temporalibus bonis consistit, sed in diversis donationibus, « secundum gratias, quæ datæ sunt nobis differentes, » ut prosequitur Paulus, ad Rom., 2, et 1 ad Cor., 12. Quibus donis et gratiis abundavit semper Ecclesia Catholica, et usque ad hodiernum diem eamdem excellentiam, et donorum in Ecclesia Romana varietatem conspicamur. Quam vero ab hac perfectione et splendore gratiæ absint Protestantium conventicula, deplorandum potius est quam describendum, et toti terrarum orbi notius, quam ut nostra probatione indigeat, præsertim quia ex ipsamet regis confessione sufficiens hujus rei probatio sumitur. Nam ex his, quæ in Præfatione ejus notavimus, duo colliguntur. Unum est, in iis quæ ad fidem spectant, solum privatum spiritum esse regulam. Unde fit consequens, cum interior conscientia ex fide pendeat, nullam aliam regulam, tam pro doctrina quam pro conscientia, esse in Ecclesia necessariam præter uniuscujusque privatum spiritum. Aliud est, ministrorum differentiam, si qua est in ec-

clesia quam ipse molitur, solum ad externam politiam et ordinem constitutam esse; ad quem finem prudentiam quamdam humanam sufficere nemo est qui ambigat; ergo omnis ratio diversorum donorum et gratiarum divini spiritus ibi cessat. Neque id mirum, cum fides etiam, quæ est omnium gratiarum fundamentum, ibi deficiat, quod necesse est evenire iis «qui Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, et magisteria humanæ institutionis inducunt,» ut alias testatum reliquit Cyprianus. (Lib. de Unitat. Eccl.)

CAPUT XV

Catholicam dici Ecclesiam quia per totum orbem diffusa est ostenditur, et hæreticis occurritur

1. Præcipua magisque recepta vocis «catholicæ» etymologia est, quæ ab universitate locorum sumitur, qua frequenter Patres contra hæreticos utuntur, praesertim Augustinus, multis in locis contra Donatistas disputans, et ex professo toto lib. de Unit. Ecclesiæ. Ubi per totam fere Scripturam discurrit, veram Christi Ecclesiam esse illam, quæ est per totum mundum diffusa, evincens; indeque dictam esse catholicam supponens; et lib. 2 contra Epistol. Gaudentii, cap. 2, quoniam ille ausus fuerat affirmare, et testimonio Cypriani confirmare (1), partem Donati esse Ecclesiam Catholicam, contra illum inquit: «Attende, quam Ecclesiam dixerit ille catholicam. Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit. Unum tamen caput est, et origo una, et una mater, fœcunditatis successibus

(1) Cyprian. de Unit. Eccles.

copiosa. Quid igitur, et vos ipsos fallitis, et alios fallere mendaciis impudentibus vultis? si hujus martyris testimonio vestra est ecclesia catholica, ostendite, illam per orbem totum radios suos porrigere, ostendite, illam per universam terram ramos suos copia ubertatis extendere: hinc enim, et græco vocabulo catholicum nominatur. » Idem late prosequitur ep. 48 et 170, et lib 2 contra Litteras Petiliani.

2. Eamdem etymologiam tradit Optatus Milevitanus, lib. 1 contra Parmen., ubi in fine refert, duos esse Episcopos ad Africam missos, ut apud Carthaginem pronuntiarent, ubi esset Catholica: « Et novissima (inquit) sententia eorum Episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur, ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum diffusa, et sententiam decem et novem Episcoporum jam dudum datam, dissolvi non posse; » et lib. 2, in princip., contra Donatistas arguens, ait: « Ubi ergo erit proprietas catholici nominis, quod sit rationabilis, et ubique diffusa? » De hac etiam veritate est integrum caput tertium apud Vincentium Lyrinensem: « In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut ita teneamus, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim vere proprieque catholicum (quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit), sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. » Ex quibus, antiquitas pertinet ad temporis perpetuitatem, de qua in capite sequenti dicturi sumus; consensio vero pertinere potest ad alias rationes et etymologias ex Augustino et Cyrillo depromptas, quanquam hæc duo, prout a Lyrinensi declarantur, ad antiquitatem et consensionem traditionum ab ipso referri videantur. Universitas ergo est, quæ ad præsens spectat, quam ipse sic exponit: « Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. » Denique Cyrillus Hierosolymit., eamdem enucleans vocem, dicta catechesi 18, ita concludit: « Regum quidem potestas certis locis et gentibus terminos habet,

Ecclesiæ autem Catholicæ per universum orbem indefinita est potentia. » Et eleganter Felix Papa I, epist. 1, in principio, Ecclesiam quatuor mundi constructam esse lateribus adstruxit.

3. Atque hoc modo loquuntur reliqui antiqui Patres de Ecclesiæ Catholicæ amplitudine, quamvis vocem « catholicæ » non semper explicent, ut Hieron., Isai., 54, circa illud: « Semen tuum gentes hæreditabunt, » ait illud esse semen, quod Christus exit seminare, Matth., 3: « Quod semen etiam civitates desertas faciet inhabitare, ut Ecclesiæ gentium in toto orbe consurgant. » Et infra: « Hoc de Ecclesiarum magnitudine, quæ pro uno Judææ loco, et ipso angustissimo, in toto orbe terrarum suos terminos dilatabunt. » Idem, c. 60: « Miratur (inquit) Ecclesia de circumcisionis primum populo congregata volare ad se gentium turbam toto orbe terrarum. » Et Psalm. 66, in principio, dicit columbam (de qua Canticor. 6) esse Ecclesiam in toto mundo diffusam. Idem Matth., 26, circa illa verba: « Prædicabitur Evangelium hoc in toto mundo. » Similiter Ambros., Psal. 39, tractans verba illa: « Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna: Quid est (inquit) quod addidit, magna, nisi quia fuit ante non magna? Quæ est magna nisi de totius terrarum orbis partibus congregata, quando ab Oriente, Occidente, Septentrione et Meridie populi gentium sunt vocati. » Et ibidem de eadem Ecclesia intelligit illud Psalm. 34: « Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te; » et adjungit: « Ibi ergo Ecclesia magna ubi populus gravis, hoc est, non inquietus et mobilis, qui sedit manducare et bibere, et surrexit ludere. Gravis populus est, qui fidem Deo suo servat, et qui non aliqua levitate mutetur, neque nutet et fluctuet; » ibique fuse alias Ecclesiæ proprietates prosequitur. Eodem modo exponit eamdem Ecclesiam magnam Chrysost., dicto Psal. 39: « Beatus (inquit) David pollicetur se magnæ Ecclesiæ universo orbe terrarum a divina gratia collectæ Dei justitiam prædicaturum, et prophetiæ veritatem, et maxime expetendam salutem, et immensam misericordiam. » Atque in Psalm. 106, per illa verba:

« Dicant qui redempti sunt a Domino,» dicit gentilium vocationem declarari, qui ex omni terrarum plaga per Salvatorem colliguntur, et e diaboli faucibus ad sanctam ipsius Ecclesiam rapiuntur. Et ita etiam exponit illud, quod in eodem Psalmo sequitur: « Et de regionibus congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, » et ait: « Hoc in Judæis quidem ad hunc modum factum non accepimus (etenim toto orbe fusi versantur), at vero ipse gentilem ecclesiam in omnibus orbis partibus, tam orientalibus quam occiduis, tam australibus quam septentrionalibus vocavit, et congregavit. Atque hujusmodi concilia in omnibus terræ, et maris partibus cernere licet.

4. Denique Tertullianus, lib. contra Judæos, cap. 7, adducens prophetias et promissiones de regno Christi, et specialiter illam Isaiæ, 36: «Hæc dicit Dominus Christo, meo Cyro, cujus apprehendi dexteram,» addit: «Quod ipsum adimpletum videmus. Cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo Filio suo, quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui crediderunt omnes gentes? cujus et Prædicatores Apostoli in Psalmis David ostenduntur: In universam (inquit) terram exiit sonus eorum, et usque ad terminos terræ verba eorum; in quem enim alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim et aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, etc.», et prosequitur numerando innumeras Ecclesiæ provincias, in quibus Christus regnat, demumque subnectit: «Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur?» Et postea recensens quamplurima mundi regna, quorum singula in aliqua orbis parte intra certos fines semper fuere contenta, denique concludit: «Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus super enumeratis colitur,» etc. Ubi, licet Tertullianus sub nomine Ecclesiæ Catholicæ non loquatur, non tamen ignorabat illam esse regnum Christi; quod ergo de regno Christi dicit, de Ecclesia Catholica intelligit. Et ita interpretantur Patres, præsertim Augustinus, omnes

similes prophetias de Christi regno, vel hæreditate, ut est illa Psalm. 2: «Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam, terminos terræ,» et similes.

5. *Anglicanam sectam veram non habere fidem concluditur.*— Constat igitur ex Scripturis sanctis, ita ab antiquis Patribus intellectis, proprietatem Ecclesiæ Christi esse, ut per universum orbem sit diffusa, et ex eorumdem Patrum confessione patet, hanc ejus proprietatem nomine «catholicæ» significatam esse. Ex quo principio recte concluditur, sectam illam, quæ non solum intra terminos unius regni continetur, et per totum orbem non diffunditur, verum etiam Ecclesiam per totum orbem diffusam damnat, et ab ea separatur, catholicam esse non posse. At secta Anglicana terminos Britanniarum («quæ», ut dixit Tertulianus supra, «intra Oceani ambitum conclusæ sunt») non egreditur, et Ecclesiam Romanam, a qua se ipsam segregavit, damnat, ut ex facto in superioribus narrato omnibus notum est; ergo nec potest esse Ecclesia Catholica, nec fidem catholicam retinere. Quo argumento Patres semper hæreticos impugnarunt, et Africani Episcopi, præcipue Augustinus, Donatistas exagitarunt et superarunt; non est autem minus efficax contra omnes Protestantes, cum causa sit simillima, et supra ostensum sit Ecclesiam Romanam et Catholicam eamdem nunc esse, quæ prædictorum Patrum tempore floruerit.

6. *Evasio.—Refellitur.—Amplitudo loci per se non constituit Ecclesiam Catholicam.*— Huic autem rationi videtur tacite voluisse occurrere Jacobus rex, cum in fine suæ Præfationis, pag. 156, dixit: « Nos Dei beneficio, nec numero, nec dignitate ita sumus contemnendi, quin bono vicinis nostris exemplo præire possimus; quandoquidem christiani orbis, omniumque in eo ordinum inde a regibus, liberisque principibus usque ad infimæ conditionis homines pars prope media in nostram religionem jam consensit.» Verumtamen quanquam hoc, prout a rege asseritur, verum esset, non satis esset ut talis secta in tota illa multitudine hominum existens, catholica dici posset, cum tota illa mul-

titudo a vera et catholica Ecclesia defecisset, ut paulo post adhibitis exemplis explicabo. Ratio autem est, quia licet amplitudo et multitudo populorum sit quædam ex Ecclesiæ Catholicæ proprietatibus, non tamen sufficit ad catholicam constituendam; nullus enim ex Patribus hoc dixit, et quidam ex illis aperte senserunt, catholicam non ex sola universitate locorum constitui, sed ex aliis etiam proprietatibus, quas cum illa conjungunt. Nam Vincentius Lirinensis catholicum esse dixit, «si sequatur universitatem, antiquitatem, consensionem.» Optatus pronunciavit, proprietatem nominis catholici esse, quod sit «rationabilis et ubique diffusa.» Cyprianus, cui consensit Augustinus, præter multitudinem requirit, «unum caput,» et «unam originem,» et «unam matrem divino lumine perfusam,» cujus luminis radii per totum orbem extendantur; Cyrillus item multa alia sub nomine catholico comprehendit, ut vidimus. Addo Bedam, in cap. 6 Cantic., dicentem, Catholicam vocari Ecclesiam, «quia per omnes mundi partes, in una pace, in uno Domini timore ædificatur.»

7. *Responsio regis alio modo rejicitur.*— Nunc vero aliud responsum regi damus, quoniam aliud est convenire in religione, aliud convenire in communi ratione schismatis, et discessionis ab Ecclesia Catholica, ut per se notum est; nam ab una via plures deflectunt, qui secundum quamdam rationem, mente potius conceptam, quam in re subsistentem, in deflexu, seu in aberrando a via conveniunt, non tamen in una via, neque in uno termino, ad quem tendant, consentiunt. Ita ergo oportet in præsenti distinguere. Et fortasse verum est (quod non affirmo), consideratis sectis omnibus schismaticorum et hæreticorum, qui ab Ecclesia Romana defecerunt, et nunc sunt per totum orbem, tam ad Orientem quam ad Occidentem dispersæ, ex illis omnibus confici multitudinem, quæ sit pars prope media totius christiani orbis. Illa vero multitudo nec unum corpus politicum est, ut per se constat, nec mysticum aut ecclesiasticum, quia neque in eadem fide, neque in uno ecclesiastico regi-

mine, neque in eadem regula credendi conveniunt; ergo nec tota illa multitudo populorum aut sectarum potest dici Ecclesia Catholica, cum una Ecclesia non sit, neque aliqua secta particularis illarum dici potest catholica, cum nec pars sit alicujus Ecclesiæ Catholicæ, neque per se sola ad constituendam Ecclesiam Catholicam sufficiat, ut principalis ratio facta probat.

8. Oportet ergo ut rex loquatur de consensione in unam religionem, id est, in unam viam salutis, et in unam fidem; in hoc autem sensu, non solum non credimus sectam Anglicanam occupasse dimidiam partem orbis christiani, verum etiam nec fortasse tertiam partem regni Britannici. Priorem partem ex ejusdem regis verbis probabimus. Loquens enim ad principes et populos schismaticos, hæc interserit verba: «Quanquam inter vos nec dum bene de apicibus nescio quibus convenerit.» Sentit ergo nondum illos in doctrina convenisse et ideo paulo post eos ad unitatem et concordiam exhortatur. Et quamvis illam obvelans discordiam, in quibusdam «apicibus» esse dicat, vel in rebus «adiaphoris,» ut paulo post, et sæpe alias loquitur, re tamen vera dissensio est in rebus gravissimis, et ad substantiam fidei, salutemque fidelium maxime spectantibus, ut in sacramentorum doctrina, et præsertim veritate et reali præsentia Christi Domini in sacrosancta Eucharistia, et in modo justificationis hominis per fidem, in necessitate operum, et obedientia mandatorum, et aliis multis, quæ postea sua unaquæque trutina sunt libranda; in quibus nec Calvinistæ cum Lutheranis, nec cum istis Zvingliani, et alii similes conveniunt.

9. Accedit, obedientiam Ecclesiæ præstandam adeo esse ad salutem necessariam, ut Christus dixerit: «Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus;» et nihilominus isti sectarii, in explicando Ecclesiæ regimine, a quo hæc obedientia pendet, non minus inter se quam a nobis dissident; non est ergo dissensio in rebus adiapho-

ris, sed in maxime necessariis; neque in apicibus tantum, qui in subtilibus punctis, speculationi præcipue deservientibus, a jure consultis constitui solent, sed in rebus quæ præmanibus habentur, et ad recte vivendum necessariæ sunt, versatur. Et quod ad præsentem causam maxime attinet, etiam in articulo de regio primatu tanta est dissensio, ut sola Anglicana secta illum approbare et tueri videatur. Ex quo capite solo et per se spectato, sufficiens ratio sumitur, ut Anglicana congregatio non possit Catholica Ecclesia existimari. Quia opinio illa de primatu limitat et coarctat sectam illam ad terminos illius regni temporalis, et quantum inde est, in tot partes Ecclesiam Christi dividit, quot sunt in mundo temporalia regna; nec veram unitatem unius ovilis, quam Christus in Ecclesia sua esse voluit, illi relinquit, sed ad summum quamdam concordiam vel similitudinem, ut sic dicam, quam rex Jacobus exoptat. Verum neque illam (ut supra dixi) unquam obtinere poterit, quia cum omnes in proprio judicio sequendo conveniant, necesse est ut in opinandi et gubernandi ratione dissideant.

10. Atque hinc facile rationem alterius partis reddimus, in qua conjectamus, Anglicanam sectam, neque tertiam partem Britanniæ insulæ occupasse. Nam ut omittam in omnibus partibus illius insulæ plurimos esse fideles, qui fidem suo judicio non subjiciunt, sed intellectum suum captivant in obsequium Christi, et ab Ecclesia Romana animo saltem et mente separati non sunt; etiam inter eos, qui ab illa defecerunt, in religione et fide non est consensio. Nam, ut ipsemet rex in Præfatione supponit, multi sunt in sua ditione Puritani, quos ipse persequitur, et ita ad minimum totum regnum in tres partes divisum est, nimirum, in Catholicos, Puritanos, et Calvinistas non puros; et si famæ fides adhibenda est, multi etiam inter ipsos sunt Lutherani, alii Zvinglani, vel aliarum sectarum. Imo etiam inter ipsos Calvinistas mistos non creditur esse consensio in fide, quidquid sit de externa specie religionis. Ergo loquendo in sensu, qui ad præsentem causam faciat, nul-

lo modo subsistere potest quod rex ait, fere dimidiam orbis christiani partem in suam consensisse religionem.

11. Quapropter, Lutherus, Calvinus, et alii hæresiarchæ hujus temporis, libere, ne dicam impudenter, respondent, sæpe id, quod bonum est, paucioribus approbari, ideoque non esse notam veræ Ecclesiæ aut fidei, quod sit in multitudine gentium, et consensione populorum approbata; sic enim fertur scripsisse Lutherum (1), diabolum juxta Dei Ecclesiam sacellum longe majus et amplius condidisse, et Calvinus sic excusabat paucitatem suæ congregationis, quia vix unquam ita bene se habuerunt res humanæ, ut pluribus placerent meliora. Et similia habent Magdeburgenses, centuria 1. Verumtamen (quod in omnibus controversiis hujus temporis maxime considerandum est) isti novi hæretici, in omnibus suis dictis et responsis, antiquos hæreticos imitantur, quod est magnum sui erroris signum, unde non aliter illis obviandum existimo, quam verbis Patrum, qui antiquos hæreticos confutarunt. Augustinus, libro de Unit. Eccles., c. 2, sic habet: «Inter nos et hæreticos quæstio est, ubi sit Ecclesia; quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Jesu Christi? Puto, quod in illius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum»; et cap. 3: «Non audiamus: Hæc dico, hæc dicis: sed audiamus: Hæc dicit Dominus; sunt certe libri dominici, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram». Quasi dicat, in divina Scriptura Christi Ecclesiam per totum orbem diffussam prædicari, et ideo blasphemias hæreticorum contemnendas esse, qui dæmonis Ecclesiam illam audent appellare. Et c. 9, refert Donatistas convictos, dixisse Ecclesiam Christi in principio in toto orbe fuisse, postea vero periisse, propter liberas et pravas hominum voluntates. Quibus Augustinus respondet: «Quasi vero nescie-

(1) Lib. de Notis Eccles., in Præfatione Institution.

rit spiritus Dei futuras hominum voluntates, quis hoc insanissimus dixerit? cur ergo non hoc potius prænunciavit futurum, quod de voluntatibus hominum sciebat futurum», etc. Et cap. 13, sic scribit: «Inquiunt: Ista credimus, et completa esse confitemur; sed postea orbis terrarum apostatavit, et sola remansit Donati communio» (vel, mutato nomine, Anglicana vel Calviniana secta). «Hoc nobis legant» (ait Augustinus), «et nihil resistimus. Si autem non ea de Scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur, credo illa quæ in Scripturis leguntur; non credo ista quæ ab hæreticis vanis dicuntur». Et c. 15, similibus verbis refellit «hæreticorum calliditatem, volentium convertere verba Dei a veritate, in qua ipsa sunt, ad perversitatem, in qua ipsi sunt». Et deinde respondet ad quasdam scripturas quas hæretici ad sua conventicula accommodabant. Ac tandem, c. 19, concludit: «Omissis ergo illis morarum tendiculis, ostendat Ecclesiam, vel in sola Africa, perditis tot gentibus, retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam, atque adimplendam, et sic ostendat, ut non dicat: Verum est, quia hoc ego dico, vel quia hoc dixit ille collega meus, vel illi», etc.

12. Idem ergo nos Luthero respondemus, cum dicit, in suis sectariis esse Ecclesiam, ut nobis illam ostendat; nam illi non credimus, neque ullo modo credibile est, Deum ædificasse Ecclesiam contra Ecclesiam a se conditam, et cui perpetuam protectionem promisit, præsertim cum nullum indicium divini spiritus, sed humanæ ambitionis, et libertatis in auctore illius synagogæ apparuerit. A Calvino etiam probationem eorum, quæ vane dicit, postulamus, et præterea addimus satis superbiam suam ostendere, cum judicium suum multitudini et auctoritati tot Patrum, antiquitate, sapientia et sanctitate illustrium, temere audet præferre. Unde tandem dicimus, licet comparatione vulgi interdum meliora a paucioribus approbentur, nihilominus ea, quæ a pluribus sapientibus ut meliora probantur, ab omni viro prudente talia esse censenda, et contraria reprobanda.

Quod longe certius est, quando talis approbatio non humana tantum, sed divina stabilitur auctoritate. Hoc autem modo approbata est in Scriptura sancta, et a sanctis Patribus Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, a qua longissime distant hæreticorum conventicula, ideoque nec catholica esse nec nominari possunt.

CAPUT XVI

Quomodo verum sit Ecclesiam Catholicam esse per totum orbem diffusam

1. *Ratio dubitandi.*—Ut vel ipsis etiam Catholicis satisfaciamus, non est omittenda hic alia objectio, quam attigit Augustinus, epist. 48, quia orbis christianus catholicus, seu Romanus, modica pars est totius mundi; quomodo ergo potest hæc Ecclesia ex eo catholica nominari, quod mundum occupet universum? Assumptum facillime demonstrari potest: nam paulo superius concedendum duximus, multitudinem schismaticorum et hæreticorum fere dimidiam partem christiani orbis occupare; ultra hos vero sunt in mundo Mahometani, qui soli fortasse tot plagas mundi possident, quod illi qui sub nomine Christi fidem profitentur, sive falsam, sive veram. Deinde Gentiles etiam ei idololatræ multas et magnas mundi provincias occupant; Judæi etiam per innumeras alias mundi partes vagantur; ergo dubitari non potest, quin respectu totius mundi valde limitata et restricta sit Ecclesiæ Christi amplitudo; ergo non potest titulo universitatis catholica nominari.

2. *Confirmatio.*—Et augetur difficultas, quia non est contra Ecclesiæ veritatem, ut persecutionibus aut schismatibus ita opprimatur, ut aliquando in minori parte confitentium Christum vera fides perseveret. Accommodatum exemplum est de tempore, in quo per Arianam hæresim ita afflicta fuit, ut vere univer-

sum orbem christianum occupaverit Arianismus, fere pro illa tempestate obruto Christianismo, ut constat ex Hilario, libro cont. Auxent., et Hieron., libro contra Luciferian., ubi col. 13: «Tunc Usiæ nomen abolitum est, tunc Nicenæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est». Unde Gregorius Nazianz., Orat. 25, ad Arianos, qui de multitudine gloriabantur, sic inquit: «Ubi tandem sunt, qui paupertatem nobis exprobrant, opesque suas insolenter jactant, qui Ecclesiam multitudine definiunt, ac parvum gregem aspernantur»? In quibus verbis, et concedere videtur, eo tempore fuisse parvum numerum fidelium præ multitudine hæreticorum convenientium etiam in eodem errore, et consequenter videtur negare multitudinem pertinere ad notas Ecclesiæ, ut ibi etiam notat Billi. Imo videtur alludere ad verba Christi. Lucæ, 12. «Nolite timere, pusillus grex», et ex illis verbis colligere, ad veram Ecclesiam parvum gregem sufficere, quod hæretici hujus temporis libenter recipiunt, ut de paucitate glorientur, addentes illud Matth., 7: «Intrate per angustam portam»; et infra: «Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam».

3. *Ad rationem dubitandi respondetur.*—Ad priorem partem responderi potest primo, nomen catholicæ non esse impositum Ecclesiæ ad distinguendam illam a gentilismo, paganismo, vel judaismo, nam sub nomine Christianorum, seu ecclesiæ christianæ ab is omnibus satis distinguebatur. Sed impositum esse illi hoc nomen, ut ab hæreticorum sectis discerneretur. Nam licet hæretici, quoad veritatem fidei Christiani non sint, tamen quia non omnino Christum negant, sed eum suo modo colunt et confitentur, idcirco peculiarem modum infidelitatis sub nomine christiano habent, et ideo (ut ex Patribus notavimus) additum est fidei vere christianæ cognomen catholicæ, quo a sectis hæreticorum distingueretur. Atque hinc fit, ut ex vi talis nominis et rationis ejus non sit necessarium, ut amplitudo Ecclesiæ omnium infidelium multitudinem superet; sed satis est

ut suo modo sit dispersa per universum orbem, et quod in hoc excedat quamcumque hæreticorum sectam.

4. *Duobus modis potest Ecclesia esse per totum orbem diffusa.*—Deinde ad hoc magis explicandum advertimus, duobus modis intelligi posse, Ecclesiam Christi debere esse per totum orbem diffusam, scilicet, vel jure et institutione ac potestate, vel facto, et actuali (ut ita loquar) possessione. Priori modo manifestum est, Ecclesiam Christi, ex quo instituta fuit, catholicam et universalem fuisse: tum quia pro toto mundo instituta est, et non sicut synagoga pro quadam natione; tum etiam quia ex tunc accepit jus prædicandi fidem Christi per universum mundum, juxta illud: «Prædicate Evangelium omni creaturæ», Marci ultim.; et illud: «Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ». Tum denique quia habet potestatem in terris ad gubernandum universum orbem in iis, quæ ad salutem animæ spectant, vel ad illam referuntur, juxta illud: «Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus», etc., Matth. 18, et illud: «Pasce oves meas», Joan., 21. Hæc ergo universitas Ecclesiæ quam juris seu sufficientiæ vocare possumus, sufficere poterat ut vere Catholica diceretur. Imo Augustinus, lib. 2 contra Petil... c. 38, cum objecisset Petilianus: «Si vos tenere Catholicam dicitis, catholicum illud est, quod Græce dicitur unicum, sive totum, ecce in toto non estis, qui in partem cessistis», respondet Augustinus, «catholicum», idem significare quod, «secundum totum», unde, «Catholicæ nomen accepit, dicente ipso Domino: Eritis mihi testes», etc.; et concludit: «Ecce unde Catholica vocatur». Quare videtur Ecclesia accepisse hoc nomen ab Apostolis, priusquam fides esset cum effectu per totum mundum disseminata; prius enim Apostoli Symbolum condiderant, quam per diversas mundi partes distribuerentur.

5. *Ecclesia dicitur universalis universalitate juris et facti.*—Nihilominus non solum propter jus, sed etiam propter factum et possessionem (ut sic dicam) Ecclesia illud nomen accepit.

Sciebant enim Apostoli promissionem Christi esse infallibilem, et non multo post fuisse implendam, et ideo ita de illa statuerunt, ac si jam actu mundum occupasset, quia, in moralibus, quod parum distat, nihil distare videtur, et maxime apud illos, qui per fidem rem futuram tanquam jam factam æstimabant. Post illorum vero prædicationem amplitudo Catholicæ Ecclesiæ in re ipsa esse cœpit, ita ut veluti oculis cerni posset. Unde Augustinus, loco proxime citato, post illa verba: « Ecce unde Catholica vocatur, » subjungit: « Sed clausis oculis offenditis in montem, qui ex parvo lapide secundum prophetiam Danielis crevit, et implevit universam terram. » Sentit itaque Augustinus, sentiunt que alii Patres supra allegati, prophetias de Ecclesia Christi futura per universum orbem diffusa, promissionesque de fundanda et stabilienda eadem Ecclesia a Cristo factas, impletas jamdudum fuisse. Quo autem tempore incœperit, et qua certitudine id constare possit, non est facile explicare.

6. Igitur ulterius animadvertendum est, hanc diffusionem Ecclesiæ Catholicæ per universum orbem, quoad majus vel minus augmentum varios posse sortiri status amplitudinis Ecclesiæ, nec esse certum apud Sanctos Patres, et Scripturæ expositores, an prophetia et promissiones de hac Ecclesiæ universalitate omni ex parte sint jam impletæ, vel aliquid supersit implendum, quod usque ad mundi finem vel prope illum relinquatur consummandum. Nam quod Christus Dominus dixit, Matth., 24: « Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio, » Hieronymus et Beda intelligunt de mundi consummatione, et significant illam prædictionem nondum fuisse impletam. Imo indicat Hieronymus complementum illius futurum esse signum judicii appropinquantis, ac proinde adeo cumulatam Ecclesiæ extensionem, usque ad finem mundi, vel tempus illi propinquum non esse adimplendam.

7. *Amplitudo Ecclesiæ per orbem varias potest habere vicissitudines.*— In quam sententiam inclinat etiam Augustinus, lib.

de Unit. Eccl., c. 17, ubi tractans eadem Christi verba, dicit: «Ipsa fides omnium gentium nondum impleta est.» Et infra, accommodans parabolam «seminantis bonum semen in agro suo,» Matth., 13, subnectit, «hunc agrum esse mundum in quo verbum Dei fructificat et crescit,» ut dicitur ad Colos., 1, «usque ad messem, id est, usque ad finem mundi.» Idem vero Augustinus, epistol. 78 ad Hesichium, interpretatur superiora verba Christi negative tantum, scilicet: «Tunc veniet consummatio,» id est, «antequam prædicetur Evangelium in toto mundo non veniet.» Quanto autem tempore post consummatam Evangelii prædicationem per totum orbem, «incertum» (inquit) «est.» Unde etiam est incertum quo tempore integre sit implenda illa promissio de diffusione Evangelii et fidei seu Ecclesiæ per totum mundum. Pro certo vero habuit ibidem Augustinus suo tempore nondum fuisse impletam illam promissionem, dicens: «Si ergo susciperent hunc laborem servi Dei, ut peragrato orbe terrarum, quantum possent colligerent, quod remaneret gentium, ubi nondum est Evangelium prædicatum, hinc advertere utcumque possemus, quantum hoc tempus longe sit a fine sæculi;» quod etiam latius confirmat epist. 80, circa finem, quia suo tempore «innumerabiles gentes» (ut ait) «erant, quibus nondum prædicatum fuerat Evangelium.»

8. *Promissiones de prædicatione Evangelii per orbem, adhuc non sunt integre consummatæ.*— Quod argumentum etiam convincit, usque adhuc non esse completas integre illas promissiones, quia nostra ætate novus mundus (ut aiunt) et vastissimæ provinciæ, quibus Evangelium non erat prædicatum, inventæ sunt, pro quibus ad fidem convertendis videmus a servis Dei loca inaccessibilia peragrari, et ecclesias denuo in eis fundari. Hinc ergo recte concluditur, Ecclesiam Catholicam non ideo dici per totum orbem diffusam, quia in toto universo et omnibus provinciis ejus illa diffusio Ecclesiæ jam facta sit. Imo addit Augustinus, dicta epis. 80, licet «in omnibus gentibus, ubi nondum est Ecclesia, oporteat ut aliquando sit, non tamen

oportere ut omnes, qui ibi fuerint, credant, quia omnes gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium, non enim omnium est fides. » Ex his ergo omnibus valde incertum relinquitur, quando incœperit Ecclesia habere in re, et non tantum in spe, illam universalitatem, quam nomen Catholicæ denotat. Item, incertum est quanta Ecclesiæ amplitudo et multiplicatio ecclesiarum per varias orbis provincias fuerit ad eumdem effectum necessaria. Denique multo magis incertum est quam numerosam hominum multitudinem eadem proprietas requirat, ut in re ipsa existat.

9. *Universalitatem ad catholicismum sufficientem jamdudum Ecclesia adepta est.*—Nihilominus certum esse debet ex communi sensu omnium Patrum, ita intelligentium Scripturas, Ecclesiam Catholicam consecutam esse non solum nostris temporibus, sed etiam multis retro sæculis statum (ut sic dicam) universalitatis sufficientis, ut dicatur per totum orbem diffusa. Nam præter prædictionem Prophetarum, et promissiones Christi, Paulus jam suo tempore dixit de Apostolorum prædicatione: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Quod licet Augustinus interpretetur, esse prophetiam de futuro prolatam per verbum præteriti propter certitudinem, nihilominus Hieronymus intelligit jam tunc fuisse aliquo modo impletam, et est consentaneum contextui Pauli in eodem loco, et aliis; nam ad Colos., 1, de Evangelio dicit: « Pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis. » Deinde certum est ita crevisse Ecclesiam usque ad tempora Augustini, et aliorum Patrum, ut simpliciter dici posset per totum orbem diffusa, sicut ipsi loquuntur; ergo saltem eo tempore jam dictum statum habebat, ut ipsi prædicant. At illum etiam retinuit, vel potius in eo crevit usque ad Gregorium, ut ex supra dictis et ex epistolis ejusdem Gregorii ad Episcopos Orientis, et variarum provinciarum Occidentis colligitur. Ab illo autem tempore usque ad nostram ætatem eumdem statum non amisit, sed potius per plures et no-

vas provincias auctum esse conspicimus, licet in quibusdam aliis diminuta fuerit; ergo simpliciter verum et certum est, Ecclesiam Catholicam esse per totum orbem diffusam. Et quamvis non possimus cum certitudine designare tempus in quo cœpit habere consummatum hunc statum universalitatis, non refert, satis est enim ut certo constet a principio in hunc finem fuisse institutam, et intra aliquot annos statum illum sufficienter obtinuisse, prout secundum ordinem providentiæ divinæ expediebat.

10. Et eadem ratione licet non possint certo designari termini hujus amplitudinis, nihilominus dicere possumus, post sufficientem Evangelii prædicationem, necessarium fuisse Catholicam Ecclesiam habere in mundo splendorem quemdam universalem, quo posset ejus dignitas et majestas cognosci, et ab hæreticorum turbis discriminari. Hoc enim imprimis pertinuit ad excellentiam regni Christi, quod non solum in cœlo, sed etiam in terra promissum est, quamvis in terra ipsum non esset futurum terrenum, seu temporale, sed cœleste, seu spirituale. Deinde quia Ecclesia est a Christo instituta propter salutem hominum, ut per eam multo universalius et abundantius, quam antea, omnibus, tam Judæis quam Gentibus, communicaretur, et ideo oportuit ut statim cresceret, ita ut intra breve tempus in prædicto statu constitueretur, in quo, quantum est de se, omnibus mundi regionibus, vel saltem earum majori et principaliori parti prodesse posset. Ad hunc autem finem necessarium fuit ut statim, seu quam primum morali modo posset, toti mundo innotesceret. Nam sicut Augustinus, ep. 48, col. 10, id urget: «Quomodo confidimus ex divinis litteris, accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus et Ecclesiam manifestam?» ita et nos asserimus non potuisse Christum in mundo regnare, nisi fides credentium per totum mundum esset diffusa.

11. *Incœpisse Ecclesiam habere prædictam universalitatem a tempore Constantini, probabile est.* — Dici autem cum magna pro-

babilitate potest, cœpisse Ecclesiam habere hunc statum saltem a tempore Constantini imperatoris, in quo, concessa Ecclesiæ publica pace, templa etiam et ecclesiæ publice ædificari cœperunt, et Apostolica Sedes condignum honorem et splendorem habere incœpit, et generalia Concilia congregari potuerunt, et in reliquis omnibus, quæ ad majestatem Ecclesiæ Christi spectant, cœpit Ecclesia ab universo orbe, qui tunc agnoscebatur, publice cognosci ut unum corpus mysticum, et una spiritualis respublica, ad universam curam et salutem animarum instituta. Atque hanc nostram conjecturam videtur insinuasse Augustinus, concione secunda in Psalm. 103, ubi exponens verba illa: «Super montes stabunt aquæ, » de diluvio persecutionum nascentis Ecclesiæ illa interpretatur, dicens: «Fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Ecclesiam Dei, cooperuerunt aquæ persequentium, et ita cooperuerunt, ut non apparerent, neque ipsi magni, qui sunt montes. Quando enim ubique fugiebant, quomodo non minus apparebant? Et infra: «Cooperuerunt eos aquæ, et super illos stabant, et dicebant: Preme, preme, et prævalebant super Martyres, et fugiebant ubique Christiani, et fuga quadam occultabantur Apostoli. » Postea vero interrogat: «Sed quandiu? » Respondet: «Audi quod sequitur: Ab increpatione tua fugient, et hoc factum est, fratres; ab increpatione Dei fugerunt aquæ, hoc est, a pressura montium recesserunt. Jam montes ipsi extant Petrns et Paulus. Quomodo eminent? qui ante a persecutoribus premebantur, nunc ab imperatoribus venerantur. Fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor regum in manu Dei deflexit quo voluit, jussit per eos pacem dari Christianis, emicuit et eminuit auctoritas Apostolica. Numquid quando supra erant aquæ montium, defecerat magnitudo? Sed tamen ut omnes viderent eminentiam montium, per quos montes salus esset generi humano (quia levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi), ab increpatione Dei fugerunt aquæ, a voce tonitrui tui formidabunt, jam quis non terreatur a voce Dei? per Apostolos, per Scripturas, per nubes ejus, con-

quievit mare, formidaverunt aquæ, nudati sunt montes, jussit imperator. Sed quid jussisset, nisi Deus tonuisset? Quia voluit Deus, illi jusserunt, et factum est. Hæc elegantissime et sapienter Auqustinus, quibus satis manifeste declarat, quo tempore cœperit Ecclesia Catholica habere statum suo nomini consentaneum. Et obiter advertendum est, non tribuere hunc statum Ecclesiæ, imperatori tanquam auctori ejus, sed tanquam removenti impedimenta, et pacem tribuenti; imo nec numerare imperatorem inter montes Ecclesiæ, sed Apostolos, utique in suis successoribus, et specialiter dicit: « Extant Petrus et Paulus, » per quos sine dubio Sedem Apostolicam intelligit, et ad eamdem pertinet illa interrogatio: « Quomodo eminent? » quia in illa Sede fundata est Ecclesia, quæ tunc cœpit statum, ut dixit, suo nomini consentaneum habere.

12. *Ad catholicismum Ecclesiæ, non est opus ut cæteras sectas universalitate excedat.* — Atque hinc satisfactum est priori parti objectionis; concedimus enim non pertinere ad universitatem Ecclesiæ per nomen Catholicæ explicatam, ut in ea sit major hominum multitudo quam in falsis sectis; nam hoc nullibi ei promissum est, et pendet ex altissimo Dei consilio in sua prædestinatione. Et quantum ex Scripturis colligere possumus, divino consilio potius permissum est, plures esse in mundo malos quam bonos, infideles quam fideles, imo fortasse etiam intra ipsam Ecclesiam plures peccatores quam justos. Unde Augustinus, dicta ep. 48, col. 13 et 14, in simili difficultate: «Ecclesia (inquit) est de cujus paucitate dicitur: Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui ambulant in ea; et rursus ipsa est de cujus multitudine dicitur: Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli; iidem quippe fideles Sancti et boni, et in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, et per se ipsi multi sunt, qui ab Oriente et Occidente veniunt», etc. Et infra: «Itaque et totus mundus in maligno positus est propter zizania, quæ sunt per totum mundum, et Christus propitiator est peccatorum nostrorum, et totius mundi, propter triticum, quod est per totum

mundum.» Et infra id declarat per comparationem areæ in qua frumenta pauca sunt comparatione palearum, tamen multa sunt per se ipsa, et «congreganda a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum», etc. Idem tradit lib. 13, contra Faust , c. 16, et optime lib. 20, cujus hæc sunt ultima verba: «Agnoscenda est paucitas illa, quam Dominus præcipue commendat in ingenti atque innumerabili multitudine orbe diffusa; quæ paucitas tanquam granorum in comparatione multitudinis palearum paucitas dicitur, per se autem ipsam tantam massam frumenti facit, ut omnes probos et reprobos vestros, quos pariter veritas reprobat, incomparabili multitudine superet.» Comparat enim Ecclesiam ad unam particularem sectam hæreticorum, et dicit non solum Ecclesiam esse ampliorem, sed etiam solos Ecclesiæ justos incomparabiliter superare omnes hæreticos talis sectæ, quod mihi verisimillimum est, simili comparatione facta ad quamcumque hæresim, quamvis ad præsentem causam non sit necessarium.

13. Itaque non refert, pauciores esse in Ecclesia fideles, quam sint infideles in omnibus sectis Gentilium, Paganorum, Judæorum et hæreticorum, quia de hac comparatione nihil est revelatum vel promissum, neque ad universitatem Ecclesiæ Catholicæ pertinet, ut in numero, vel personarum, vel populorum, provinciarum, aut regnorum infideles excedat, sed solum ut sit in se amplissima, et per totum orbem diffusa. Unde Augustinus, contra Petilian., qui paucitatem Donatistarum ad Ecclesiam Catholicam sufficere volebat, respondet, lib. 2 contra illum, cap. 45: «Timuisti comparatam multitudini vestræ multitudinem orbis terrarum, et ad paucitatis laudem per angustam viam gradientis te conferre voluisti. Utinam non ad ejus laudem, sed ad ipsam viam te contulisses, profecto conspiceres eamdem paucitatem esse in Ecclesia omnium gentium, sed paucos dici justos comparatione multorum iniquorum, sicut in comparatione paleæ possunt pauca grana dici uberrimæ segetes, quæ tamen per se ipsa in massam redacta implent horreum.»

Et simili fere modo, in ep. 48, colum. 9, ad Vincentium dicentem, comparatione totius mundi modicam esse partem Christianorum, respondet: «Non vis attendere, aut te nosse dissimulas, in quam multas jam barbaras nationes tam parvo tempore venerit Evangelium», etc.

14. *Satisfit ultimæ objectionis parti.*—Ex dictis etiam facile est respondere ad alteram partem objectionis factæ; jam enim cum Augustino declaratum est, quæ paucitas commendetur in grege Christi. Quanquam aliis etiam titulis et rationibus grex Christi potuerit dici pusillus comparatione infidelium, vel si dicatur de prædestinatis comparatione reproborum, scilicet, vel ob «humilitatis devotionem», ut dixit Beda, lib. 4, in Lucam, c. 54, vel propter abjectionem conditionis discipulorum, qui tunc Christum audiebant, quia erant pauperes et infimæ conditionis, vel quia ob voluntariam paupertatem, vel gloriæ mundi abnegationem servi Christi in mundo tanquam viles reputantur. Constat etiam augustam et arctam viam non repugnare cum Ecclesiæ amplitudine, quia Christus illam arctam viam toti mundo proposuit, et ita ejus Ecclesia, quamvis sit per totum orbem diffusa, per illam augustam portam intrare contendit; et licet pauci sint qui conantur intrare comparatione infidelium, tamen simpliciter sunt multi, ex diversis provinciis totius orbis vocati, et similiter, quamvis pauciores sint qui intrant quam qui conantur intrare, tamen etiam illi priores sunt satis multi, et ex toto orbe vocati. Et præterea non ex illis solis constat Ecclesia Christi, in qua non solum prædestinati sunt, sed etiam reprobi, nec tantum boni, sed etiam mali.

15. *Ecclesia Catholica in medio etiam persecutionum suum splendorem retinuit.*—Denique etiam constat ex dictis non esse inconveniens quod Ecclesia Catholica, propter insurgentes hæreses et alias persecutiones, multum interdum deprimatur, vel etiam minuatur. Quia non solum hoc non repugnat prædictionibus vel promissionibus factis Ecclesiæ Christi, verum potius illud ipsum sæpius a Christo prædictum est, pertinetque ad arc-

tam viam quæ ducit ad vitam. Unde Beda, exponens illud Marci 6: «Erat navis in medio mari», etc., ait per illam navem labores Sanctæ Ecclesiæ designari, «quia nonnunquam Ecclesia tantis gentilium pressuris non solum afflicta, sed fœdata est, ut, si fieri posset, Redemptor ipsius ad tempus eam deseruisse videretur.» Addendum vero est, ex quo Ecclessia Catholica per universum mundum diffusa esse cœpit, nunquam propter persecutiones, vel hæreses insurgentes ita splendorem suum et quasi possessionem amisisse, ut desierit esse sufficienter per totum orbem terrarum illustris et diffusa. Hoc significavit Augustinus, dicta ep. 48, col. 12, dicens: «Ipsa est quæ aliquando obscuratur, et tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscura luna rectos corde, sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.» Possetque hoc facile ostendi ex promissionibus Christi, et ex perpetua traditione, et successione Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ, nisi, in c. 5, de visibili Ecclesia id satis esset demonstratum.

16. Atque ex hoc fundamento respondet Augustinus ad exemplum adductum de tempore Arianæ hæresis, dicens: «Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius», etc. Et infra: «Quis enim nescit illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, alios autem timore cessisse, et simulate consensisse.» Et infra: «Quanquam et illi qui tunc firmissimi fuerunt, et verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, instrumentis dominicis conservata est, et usque in finem, donec omnino gentes omnes etiam barbaras teneat, conservabitur.» In quibus verbis videtur Augustinus concedere, fuisse illo tempore fideles in minori numero quam essent Ariani hæretici, et nihilominus Ecclesiam fuisse conservatam in sua universitate per totum orbem. Quod ex hypothesi verissimum est, propter omnia superius dicta, et

quia etiam tunc Ecclesia Catholica fundata mansit in petra firmissima, et habente potestatem universalem, et Catholicos sibi subjectos per totum orbem dispersos; nam quod illi pauciores interdum sint, nihil refert, præsertim ad breve tempus. Eo vel maxime quod semper illa Ecclesia retinuit auctoritatem Concilii Nicæni, et continuationem cum antiqua Ecclesia, cujus splendorem etiam participabat tanquam eadem cum illa.

17. Atque hæc eadem responsio locum habet in tempore persecutionis Antichristi; imo in eo videtur magis necessaria, quia tota illa occultatio et diminutio Ecclesiæ videtur a Christo Domino prædicta. De tempore autem Arianæ hæresis verisimilius existimo nunquam hæreticos, etiam numero, Catholicos superasse. Nam licet in Ariminensi conciliabulo major pars Episcoporum ab Arianis decepta fuerit, et ideo Hieronymus dixerit, ingemiscentem orbem terrarum se Arianum miratum esse, nihilominus ille error non fuit animo hæretico, ut idem Hieronymus [illegible] Augustinus significant, et Ambrosius, lib. 3 de [illegible] ideo fere omnes, fraude intellecta, statim veri clareque docere cœperunt. Deinde licet fornajor esset multitudo hæreticorum, non tamen [illegible] ec simpliciter in toto orbe. Id enim aperte [illegible] ep. 72, ad Evaisenenses scribens: «State in fide, ipsum orbem inspicite, et videte quam modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat; reliqua vero Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recepit, sanam hanc et rectam doctrinam sectetur.» Athanasius etiam in epist. Synodica ad Jovinianum imperatorem, quam refert Theodoret., libr. 4 Histor., c. 3, loquens de fide definita in Concilio Nicæno, inquit: «Huic omnes ubique Ecclesiæ assensæ sunt, ut Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, totius,» etc.; et post plures alias numeratas subdit: «Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis, qui sectæ favent Arianæ; nam istarum omnium re ipsa explorate cognitam habemus sententiam, litterasque ab illis accepimus, proque certo scimus, Auguste sanctissime, non

tamen præjudicium inde potest orbi terræ fieri universo.» Ac propterea Hilarius supra beatos et gloriosos vocat Galliæ et Britanniæ Episcopos, qui apostolicam fidem perfecte retinerent, et suo exemplo multos orientales Episcopos ad saniorem mentem reducerent. Unde etiam eo tempore veri fideles nomen Catholicorum retinuerunt.

18. Atque ita intelligi potest quod Nazianzenus dicit de hæreticis volentibus catholicam fidem multitudine credentium metiri; fortasse enim in sua civitate vel episcopatu plures erant Ariani quam Catholici, et ex illa multitudine clarum est non esse catholicam fidem colligendam, sicut licet fortasse nunc in Anglia plures sint hæretici quam Catholici, nullum inde sumetur signum catholicæ fidei. Præsertim quia licet contingeret hæresim multum diffundi, nunquam haberet signum Catholicæ Ecclesiæ ex defectu aliarum conditionum, ut supra dixi, et ibi notat Billius.

19. *Nulla secta potest ita per orbem diffundi, ut verisimiliter catholica existimetur.—Prima ratio.*—Unde concludo ultimo, nunquam hæresim aliquam ita posse per universum diffundi, vel cum talibus circumstantiis in numero sectatorum ejus augeri, ut inde possit verisimiliter existimari illam esse fidem catholicam, sed potius semper contrarium posse cum sufficienti certitudine constare ex defectu modi universitatis, fidei catholicæ promissæ. Hoc posset sufficienter probari per exempla omnium hæresum quæ hactenus fuerunt; nam quod omnibus hæreticorum sectis in temporibus præteritis accidit, credendum est in cæteris eventurum; nam eadem ratio limitationis (ut sic dicam) seu determinationis ad limitatum locum, aut gentem, vel paucitatem sectariorum in omnibus invenitur. Est autem prima ratio, quia omnis hæresis introducitur per defectionem a catholica fide, et consequenter deviat a certa regula credendi, ideoque nunquam potest universaliter persuaderi tanquam vera et in dubitata fides. Hoc eleganter indicavit Augustinus, libro de Pastoribus, cap. 8, ubi cum dixisset varias hæreses esse in

variis provinciis, quæ se invicem non cognoscunt, Catholicam vero Ecclesiam cum omnibus esse ubique, et omnes nosse, quia in omnes diffusa est, subjungit: «Illa (id est Catholica) sic est tanquam vitis crescendo ubique diffusa, illi sunt tanquam sarmenta inutilia agricolæ falce præcisa merito sterilitatis suæ, ut vitis putaretur, non amputaretur. Sarmenta ergo illa, ubi præcisa sunt, ibi remanserunt, vitis autem crescens per omnia, sarmenta sua novit, quæ in illa remanserunt, et juxta se, quæ de illa præcisa sunt; inde tamen revocat errantes.» Quæ verba sunt valde notanda; nam et differentiam inter catholicam fidem et quamcumque particularem sectam, et rationem propositam, recte declarant. Eamdemque retionem habet fere eisdem verbis Augustinus, lib. 4 contra Crescon., c, 60, ubi refert Cyprianum, lib. de Unit. Eccl., dicentem, Ecclesiam ramos extendere per universum mundum. De hæresibus autem adjungit Cyprianus: «Non nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt, et cum hæreses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.» Unde merito colligit non posse in nomine Christi congregari, nec cum universa fraternitate convenire.

20. *Secunda ratio.*—Et hinc oritur altera ratio, quam ibidem Cyprianus attingit, dicens: «Hæreses factæ sunt, et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem.» Nam hinc fit, ut qui concordiam cum Ecclesia deserunt, inter se concordes non sint; quod etiam (ut supra dixi) provenit ex defectu fundamenti, quia cum in credendo non nitantur regula a Deo tradita, sed proprio judicio et opinione, necesse est ut si aliquantulum durent vel multiplicentur, statim in varias sectas descindantur, «quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos», ut idem Cyprianus ibidem dixit, ideoque non perseverant, nec extenduntur cum illa unanimitate, quam fides catholica requirit. Quod declaravit optime Augustinus, lib. de Pastorib., c. 8, ubi accommodat ad

hæreticos verba Ezechiel. 24: «Super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei;» et addit: «Non omnes hæretici per totam faciem terræ, sed tamen hæretici per totam faciem terræ, alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt, ipsi se non noverunt. Alia secta in Africa, alia hæresis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia, verbi gratia. In diversis locis sunt diversi, sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra catholica omnes Christianos fideles, toto orbe diffusos. Non ergo mirum si superbia parit dissensionem, charitas unionem.» Unde idem Augustinus, ep. 48, ad hæresim etiam accommodat illud Canticor. 1: «Si ignoras te, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos»; et sic exponit: «Nisi cognoveris temetipsam, exi tu, non ego te ejicio, sed exi, ut dicatur de te: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, exi tu in vestigiis gregum, non in vestigiis meis, sed in vestigiis gregum, nec unius gregis, sed diversorum gregum et errantium. Et pace hædos tuos, non sicut Petrus, cui dicitur: Pasce oves meas, sed pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum, non in tabernaculo pastoris, ubi est unus grex et unus pastor.»

21. *Tertia ratio.*—Addere denique possumus tertiam rationem, quia in secta hæreticorum non invenitur spiritus propagationis fidei (ut sic dicam), sine quo fides ipsa catholica nunquam crevisset, nec per totum mundum fuisset diffusa, «quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.» Et ideo in Christi Ecclesia, ut Catholica esset, necessaria imprimis fuit potestas universalis prædicandi Evangelium per universum orbem, quam Christus illi dedit simul cum præcepto prædicandi fidem suam in toto mundo, Matth. 28, Marc. 16, et Act. 1. Et hoc modo asserit Paulus, ad Galat. 1, sibi fuisse creditum Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis; et 2 Corint. 5: «Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.» Deinde fuit necessarius spiritus propagationis fidei huic potestati conformis, tum

ad efficaciam prædicationis, tum ad concipiendum affectum, et sollicitudinem trahendi homines ad Christum, et ideo ipsemet Dominus Apostolis præcepit ut manerent in civitate, donec induerentur virtute ex alto, Lucæ 24, et Act. 1, quem spiritum maxime ostendit Paulus in suis Epistolis, et varia ejus dona ad hunc finem data Ecclesiæ ad Ephes. 4, et 1 Corinth. 12, describit.

22. *Hæreticos non habere spiritum propagandi fidem.*—Hunc autem spiritum non habere hæreticos ita potest declarari. Quia duo præcipue ad hanc Ecclesiæ propagationem pertinent. Unum est ad Christum convertere ethnicos nullo modo credentes in ipsum; aliud est, eos, qui in professione fidei Christi errant, et a sua Ecclesia exierunt, ad ipsam revocare, et in vera fide illuminare. Neutrum horum munerum uspiam exercuerunt hæretici ulli, nec modo Protestantes Anglicani, quantumcumque hoc jactitent et contendant. Nam quoad primum, nunquam hæretici visi sunt fidem novis gentibus prædicare, aut ethnicos ad fidem convertere. Testis est Tertullianus, lib. 1 de Præscrip., cap. 42, dicens: «De verbi administratione quid dicam? cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi.» Et ratio est, quia in illis non est verum Dei verbum, et ideo neque efficaciam verbi habere possunt. Item non ducuntur Spiritu Christi, sed proprio, et ideo «ruinas potius operantur stantium ædificiorum, quam structionem jacentium ruinarum,» ut ibidem Tertullianus dixit. Tandem cum extra Ecclesiam sint, potestatem prædicandi fidem Christi habere non possunt, quia hæc potestas, ut dixi, data est Ecclesiæ in Apostolis, et in successoribus eorum mansit, et ab eis mitti debent veri Evangelii prædicatores, juxta illud: «Quomodo prædicabunt, nissi mittantur?» Roman. 10. Et ita in historiis ecclesiasticis observatum est, Ecclesiam non esse in gentibus diffusam, nisi per prædicatores catholicos ab Apostolis vel a Sede Apostolica missos, quod etiam de ipsis Anglis in superioribus ostensum est.

23. *Sollicitudo reducendi hæreticos est Ecclesiæ necessaria.— Objectio quædam diluitur.*—Præter hanc vero curam propagandi fidem inter ethnicos, necessaria est in Ecclesia Catholica sollicitudo conservandi illam, et reducendi ad illam omnes, qui Christum non omnino abnegantes ab Ecclesia deviant. Hoc enim maxime ad ejus pastoralem curam, et universalem propagationem necessarium est. Unde Augustinus, dicto c. 8, de Pastorib.: «Catholica» (inquit) «mater, et ipse pastor in ea ubique quærit errantes, confortat infirmos, curat languidos, alligat confractos, alios ab istis» (utique ab hæreticis) «alios ab illis, non se invicem scientilus.» Quomodo autem potest hæc cura in secta hæretica inveniri? Cum enim ipsa per defectionem a vera fide increbuerit, et in illa pedem fixerit, quomodo potest alios errantes ad viam salutis reducere? Dices: sollicita saltem erit, alios credentes in Christum in suam rapere opinionem, et sic poterit utique crescere. Respondeo, etiamsi id contingeret, Deo id propter peccata hominum permittente, neutiquam inde tamen posse splendori et amplitudini Catholicæ Ecclesiæ præjudicium afferre, «quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam,» ut jam declaravi. Addo, considerata hæresis natura et conditione, id non esse morale, neque ordinarie timeri posse; tum quia cum Deo et veritati repugnet, et negotium sit mere humanum, non potest contra Ecclesiæ lumen adeo perfracte, aut tamdiu prævalere; tum quia, ut dixi, ipsimet hæretici facile inter se dissentiunt, et ita vim amittunt eamdem sectam per varias regiones disseminandi; tum quia plerumque non incidunt in hujusmodi sectam, nisi vel superbiæ vel ambitionis, aut libertatis spiritu ducti, ideoque de propagatione suæ sectæ non amplius, quam huic fini, vel alicui contentioni humanæ deserviat, sunt solliciti.

24. Cujus rei non levem conjecturam faciet lector, si verba illa regis Angliæ in fine suæ Præfationis relegat, ubi generatim ad principes christianos loquens, se ostendit propagationis fidei sollicitum, precaturque, «ut Deus sibi et aliis mentem

injiciat serio cogitandi, quid ad Evangelii plantationem et propagationem præstare teneantur.» In quo temporalibus principibus tacite persuadere conatur, ut munus pastorale, solis Apostolis, eorumque successoribus commissum, ut vidimus, sibi arrogent et usurpent; statim vero ostendit quo spiritu feratur dicens: «Deinde ut sceptrorum nostrorum securitati mature prudenterque consulamus, nec Babylonicum monarcham latius serpere patiamur.» Et alia, quæ prosequitur et nunc omitto, quia in lib. 3 tractanda sunt. Per ea vero quæ indicavi, satis demonstrat, suum studium solum esse «conjungendi spiritualem libertatem cum temporali, et temporalem quietem et securitatem in suo schismate comparare: » hæc enim fere sunt verba ejus. Satis igitur ex omnibus dictis, nihil catholicum, nihilve universale in Anglicana secta deprehendi concluditur.

CAPUT XVII

In anglicano schismate fidem apostolicam non esse

1. *Ab Apostolis fides dicitur apostolica.*—Exploratum est apud omnes sacræ doctrinæ tractatores, illam esse veram et catholicam fidem, id est, doctrinam fide credendam, quam Apostoli tradiderunt, et ideo apostolica fides vocata est, sicut Ecclesia etiam universalis Apostolica dicitur in Symbolo Nicæno. Ob hanc ergo causam rex Angliæ non solum se fidei catholicæ, sed etiam apostolicæ defensorem esse profitetur, et ex consequenti vult, sectam Anglicanam, quam solam revera tuetur, fidem esse apostolicam. Quamvis autem ex dictis facile intelligi possit sectam, quæ catholica non est, apostolicam esse non posse, et quæ nova est et nupera, antiquitatem apostolicæ doctrinæ arrogare sibi non valere, nihilominus, ut rem apertius et distinctius demonstremus, et omnibus, quæ occurrere pos-

sunt, satisfaciamus, operæ pretium visum est, speciatim hoc etiam attributum tituli regii refellere.

2. *Quid requiratur, ut aliqua doctrina apostolica dicatur.*— Primum autem omnium statuendum est, duo esse necessaria, ut fides seu doctrina apostolica sit: unum est, ut ab Apostolorum prædicatone, et eorum verbis aut scriptis aliquo modo duxerit originem; aliud est, ut per legitimam traditionem seu successionem ad nos usque pervenerit. Primum indicatum est a Paulo, ad Ephes. 2, dicente: «Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, et Prophetarum;» quod attingens Augustinus, et de his fundamentis intelligens illud Psalm 86: «Fundamenta ejus in montibus sanctis,» interrogat: «Quare fundamenta Apostoli, et Prophetæ?» Respondet: «Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram;» nimirum, quia et Prophetarum prædictione et Apostolorum prædicatione, proxime in credendo nitimur. Illud enim Apostoli prædicarunt, quod Prophetæ prædixerunt, et «Prophetæ» (inquit Ambrosius ad Ephes. 2) «disposuerunt, Apostoli fundamenta jecerunt,» quæ fundamenta non sunt nisi dogmata et doctrina ab eis prædicata. Unde gravissime Irenæus, lib. 3, c. 1, dicit: «Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc prædicaverunt, postæa vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostræ futurum.» Ratio est, quia fides, vel doctrina non denominatur apostolica, nisi quia ab Apostolis tradita est, ad eum modum, quo solet doctrina, vel lex ab auctore denominari; hac tamen observata differentia, quod aliæ doctrinæ humanæ solent ab hominibus tanquam a præcipuis auctoribus sua sibi convenientia desumere nomina, fides autem non ita ab Apostolis nomen accepit; sed sicut lex vetus dicitur Mosayca, a Moyse, non ut auctore, sed ut promulgatore, ita fides christiana dicitur apostolica, ab Apostolis, non auctoribus, sed pri-

mis ejus prædicatoribus ac promulgatoribus. Et ideo postquam Paulus in citato loco dixit: «Ædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum,» addidit, «ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.» Ipse est enim principale fundamentum, et basis omnium fundamentorum, quæ in eo superædificantur, et in illum aspicere debemus tanquam «in auctorem fidei, et consummatorem Jesum,» ad Hebr. 12.

3. Alterum, quod proposui de successione legitima, frequentissimum est apud Patres, quos magna ex parte retuli cap. 3 et 6, præsertimque id declarat Irenæus, lib 3, cap. 3, dicens: «Traditionem Apostolorum in omni ecclesia adest perspicere, qui vera velint audire, et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos.» Et lib. 4, cap. 43: «Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placita Patris acceperunt.» Eamdem conditionem ad discernendam doctrinam apostolicam a peregrina late tradit Tertullianus, lib. de Præscriptionibus hæreticorum, ubi inter alia hæc habet, omnes Ecclesias apostolicas exhibere aliquem Apostolum ibi Episcopum constitutum, vel apostolicum virum ibi per aliquem Apostolorum ordinatum, ex cujus successione Apostoli seminis «traduces» habeat. Vocat autem apostolicos viros eos, qui cum ipsismet Apostolis conversati sunt, et doctrinam, ordinationem et potestatem ab eis acceperunt, ut Titum, Polycarpum, Clementem, et similes. Quoniam vero multæ Ecclesiæ post illa antiqua tempora institutæ sunt, de illis subdit: «Tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.» Conspirant demum in eadem doctrina per legitimam etiam successionem, quia licet tales Ecclesiæ nec per Apostolos, nec per viros apostolicos, id est, immediate ab Apostolis missos seu ordinatos, edoctæ fuerint, saltem

habuerunt initium per aliquem missum ab alio habente potestatem, ad quem, simul cum illa, doctrina Apostolorum pervenerat, ut Anglicana Ecclesia cœpit per viros missos a Gregorio; Germana a Bonifacio Episcopo misso a Gregorio II, et sic de aliis. Nam qui non intrant per hanc portam sine dubio fures sunt, et latrones: «Ad quos» (ut eleganter Tertullianus) (1) «merito dicendum est: Qui estis, quando, et unde venistis, quid in meo agitis non mei (nomine Ecclesiæ loquitur)? mea est possessio, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res, ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo.

4. *Optima regula ad fidem cognoscendam.*— Eodem fundamento utuntur alii Patres ad eumdem finem separandi veram doctrinam a falsis erroribus, ut late Vincent. Lirinensis, in suo libro contra profanas hæreticorum novitates, et illo utitur sæpe Optatus, lib. 2 contra Parmenian.; Hieronymus, contra Luciferianos, in fine, ubi illi Ecclesiæ dicit esse adhærendum, «quæ ab Apostolis fundata usque ad diem durat; » et idem significat epistol. 65 ad Pammachium et Oceanum, ubi vel nostræ tempestatis novatores, sicut et sui sæculi veteratores hac urget interrogatione: « Cur profers in medium, quod Petrus, et Paulus edere noluerunt? » Item Ambros., 1 ad Corinth. 4, in principio, dicit, cognosci de aliquo esse pseudoprophetam, quando aliquid tradit a traditione apostolica discordans. Sic etiam dixit de Ecclesia Augustinus, lib. 1 de Symbolo ad Catechumen., cap. 6: « Omnes hæreses de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, » id est, in eadem origine quam a principio habuit. Quomodo autem in illa radice maneat, declarat idem August., 28 contra Faust., cap. 2, dicens: « Ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos certa successione perducta: » et infra adji-

(1) Sup., c. 37.

cit, illud Evangelium esse credendum, quod a tempore Apostolorum « non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.» Similia habet lib. I contra Adversarium legis et Prophetar., cap. 10, et lib. de Utilit. credend., cap. 17. Denique optima est regula tradita ab Origene, in Præfatione ad lib. Periarchon: « Cum multi sint, qui se putant sentire quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.»

5. Ratione item possumus hoc facile declarare, quia fides apostolica illa tantum est, quæ ab Apostolis prædicata, vel scripta est; nos autem non audivimus Apostolos prædicantes, nec eos scribentes vidimus; ergo non possumus certo cognoscere doctrinam aliquam esse ab Apostolis prædicatam vel scriptam, nisi per manus et ora eorum, qui vel eos audierunt et viderint, vel ab his qui apostolos audierunt, eamdem doctrinam receperunt, per plures, vel pauciores successiones, justa temporum antiquitatem: ergo, ut certo constet talem doctrinam omnino puram et eamdem durare, necessarium est illam successionem esse continuam, et non interruptam. Imo, ut supra, c. 6, dicebam, necessaria est singularis Dei protectio, ut in tam longe repetita temporum et generationum successione, integra et illibata et cum summa auctoritate servetur; hæc autem divina protectio promissa non est nisi Ecclesiæ, quæ per legitimam Pontificum et fidelium successionem eadem semper existit; ergo sine hujusmodi serie et successione non potest aliqua fides apostolica existimari.

6. *Colligitur fidem Anglicanam non esse apostolicam, ex defectu prædictarum conditionum.*— Ex hoc igitur necessario fundamento ita concludimus: illa fides nunc est apostolica censenda, quæ ab Apostolis prædicata per legitimam successionem ad nos usque derivata est; sed Anglicana secta neque est ab

Apostolis prædicata, neque ab illorum doctrina aut traditione legitime derivata est; ergo non est apostolica fides. De priori propositione satis dictum est; superest declaranda et probanda posterior, illam enim forte rex Angliæ negabit. Hac siquidem fortasse causa, in sua Præfat., p. 42, 43 et 44, ut se «Catholico-Christianum» (ut ipse loquitur) ostendat, Scripturas quoad libros primi ordinis, tria fidei Symbola, et prima quatuor Concilia generalia credere, admittere aut venerari profitetur, sentiens fidem apostolicam in iis fontibus sufficienter contineri. Quod autem de se affirmat, de tota Anglicana secta seu congregatione, primatum ipsius regis recognoscente, dictum esse putamus. Sic ergo respondebit ad rationem a nobis factam, doctrinam apostolicam ad se et suos per dictos Scripturæ libros, Symbola, et Concilia sufficienter pervenisse, et nullum esse posse modum certiorem aut magis legitimum, apostolicam fidem per hæreditariam quasi successionem suscipiendi, quam per Scripturas, Symbola, et Concilia dicta, omnemque aliam doctrinam, quæ in his non continetur suspectam habere, et tanquam nuperam refutare, vel saltem in canone fidei non recipere.

7. *Quæ Anglicana secta cum Romana Ecclesia habet communia, ad fidem apostolicam pertinent.* — At hæc dimidiata fidei confessio vim rationis factæ non enervat, ut nunc breviter in generali, latius vero lib. 2 in particulari ostendam. Oportet ergo in Anglicana secta, seu (quam nunc eamdem reputamus) in hac regis professione distinguere, quid cum fide catholica et Romana habeat commune, et quid proprium aut diversum. Multa enim retinuit Anglia ex iis, quæ prius catholice credebat, et hæc dicimus habere communia cum fide apostolica; alia vero sunt, in quibus ab Ecclesia Romana defecit, quæ illius propria vocamus. Quod ergo ad priora pertinet, concedimus partem illam ad fidem apostolicam pertinere, sed tamen non ab Anglicana congregatione seu credulitate, sed a Romana Ecclesia habere hujus antiquitatis testimonium. Unde etenim habuit An-

glia libros illos, qui apud regem pollent auctoritate, nisi a Romana Ecclesia? aut quomodo possent illum gradum auctoritatis obtinere, nisi per legitimam traditionem ad Ecclesiam Catholicam pervenissent, et ab eadem approbati fuissent? Quid de vero et certo sensu talium librorum dicam? Profecto nisi ex eadem origine, traditione, et approbatione constare posset, quæ fuerit in talibus scripturis Apostolorum mens et sententia, nunquam posset apostolica fides ex eisdem libris cum certitudine erui, nedum comprobari, quia doctrina non consistit in verbis aut libris, sed in sententia, ut in simili supra ex Hieronymo commonstravi. Quod non solum de Scripturæ libris, sed etiam de Symbolis et Conciliis intelligendum est, cum omnium sit eadem ratio, ut per se apparet manifestum.

8. Quapropter licet doctrina talium librorum per se spectata fides catholica sit, vel potius pars ejus, ut jam dicam, nihilominus, ut a sectariis retinetur, vel non est apostolica, vel non potest ut talis certo credi. Primo quidem, quia certi esse non possunt, illos libros Scripturæ, quos admittunt, esse Apostolicos, cum pro suo arbitrio quosdam admittant, alios negent, et quosdam quoad aliquas partes, et non quoad alias. Hac enim libertate discernendi inter Scripturæ libros, tota eorum doctrina quoad eos incerta et quasi humana redditur, quia sola humana opinione vel fide credi poterit, non divina. Quæ ratio etiam ad Concilia applicari poterit, quia nulla certa auctoritate vel ratione quædam admittunt, alia rejiciunt, cum idem pondus autoritatis habent, sive in eis gravitas judicantium, sive Sancti Spiritus assistentia spectetur. Et præterea est alia ratio, tam de Symbolis quam de Conciliis: nam doctrina illorum non ideo ab his sectariis admittitur, quia ibi traditur, aut definitur, sed quia ipsorum judicio in Scriptura continetur, et ita Symbola vel Concilia non sunt apud ipsos fundamentum certitudinis, quod illa doctrina sit apostolica, sed solum ipsorum judicium, ut in 6 et 7 cap. late deduxi. Unde sumitur altera generalis ratio, quia doctrina non in littera, sed in sensu con-

sistit; ergo ut doctrina sit apostolica, necesse est ut non solum libri, sed etiam eorum sensus habeat originem et certam dimanationem ab ipsis Apostolis; sed hanc non habet apud sectarios, quia suo arbitrio, vel, quem fingunt, privato spiritu ducuntur; ergo vel doctrina eorum etiam in re ipsa non est apostolica, quia in sensu Scripturæ errant; vel licet casu contingat in se esse apostolicam, apud ipsos non habet ejusmodi certitudinem, quia eadem mensura illam metiuntur.

9. *Doctrinam Symbolorum, prout eam Rex interpretatur, certitudinem fidei apostolicæ continere non posse.*—Quamobrem nihil juvat Jacobum regem, pag. 42, dicere, «se tria Symbola in eo sensu interpretari, quem illis esse voluerunt Patres atque Concilia, a quibus sunt condita atque descripta.» Interrogo enim unde noverit voluntatem hanc Patrum vel Conciliorum. Dicet fortasse ex verbis illorum eam nosse. Sed quid si verba, vel ex varia significatione, vel ex hominum interpretatione, varios habeant sensus? Unde discernit voluntatem Patrum et Conciliorum fuisse, hunc sensum esse in illis verbis, et non alium? Dicet, credo, «sua certa scientia», se id cognoscere, ac credere. Nam cum id de Scripturis dicat, facilius de Symbolis et Conciliis affirmabit. At illam certam scientiam nullam omnino esse, ex Scripturis, Patribus, ac manifesta ratione, cap. 7, ostendi; ergo non potest rex nobis probare, se interpretari Symbola in sensu quem Patres illis esse voluerunt, sed casu accidet ut interdum ita sit, et sæpe non ita erit, ideoque talis doctrina sic credita non potest habere certitudinem apostolicæ doctrinæ.

10. *Exemplis idem convincitur.*—Exemplis hoc amplius convincamus. Unus ex articulis Symboli Apostolici est: «Descendit ad inferos», quæ verba ab Athanasio non amplius explicantur. Ecclesia vero a Patribus edocta, intelligit illa verba proprie de vero, et reali, ac locali descensu Christi in anima a corpore separata ad loca subterranea inferni. Calvinus autem et alii intelligunt de doloribus inferni, quos fingunt Christum passum esse in horto et in cruce. Si ergo rex credit illis verbis Symboli in

hoc posteriori sensu acceptis (quod de rege præsumimus, cum Calvini sectam profiteatur), ostendat nobis quis ei revelaverit illum sensum intendisse Apostolos, præsertim cum ille sit extra propriam et usitatam verborum significationem, et contra intelligentiam omnium veterum Patrum alio pacto Scripturas interpretantium de hoc eodem articulo, ut alibi est a nobis ostensum; ergo in hoc non retinet apostolicam doctrinam, quantumvis Symbola se recipere jactitet. Idemque argumentum in aliis Symboli articulis fieri potest, ut in illo, in quo confitemur Christum esse natum ex Maria Virgine, vel venturum esse judicare vivos et mortuos ex factis illorum, ut in Symbolo Athanasii confitemur, vel quo unam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum profitemur. Nam hæc omnia longe in diverso sensu a Protestantibus intelliguntur, quam ab Apostolis vel Conciliis fuerint tradita, ut facile ostendi posset, si pro hujus operis brevitate liceret; ergo frustra rex, qui Protestantes tuetur, dicit se interpretari Symbola in sensu quem auctores voluerunt; nam ostendere non potest istiusmodi ex illis sensum, et ita illa doctrina non potest ostendi apostolica, et consequenter, quoad illum et sequaces, nihil est in Symbolis, quod cum certitudine possit doctrina apostolica reputari.

11. *Apostolica scripta sine apostolico sensu ad fidem non sufficiunt.*—Concludimus ergo, non satis esse apostolicas voces, seu scripta retinere, nisi « apostolice etiam intelligantur », ut loquitur Gregorius Nazianz., orat. 52, alias epist. 2 ad Cledonium. Quid autem sit apostolice vel non apostolice intelligi, declarat, dicens: « Quoniam eædem voces, si recte intelligantur, cum pietate conjunctæ sunt, si perperam exponuntur, impietate non carent. » Et prius dixerat usum hæreticorum esse « cum communibus sententiis, quas Scriptura exhibet, convinci ac premi se vident, pias quidem dictiones confiteri, et circa mentem dolum struere. » Indicium autem hujusmodi intelligentiæ non apostolicæ, significat esse novitatem, antiquæ Ecclesiæ tradi-

tioni contrariam, dicens: «O ingentem absurditatem, absconditam post Christum sapientiam nobis annuntiant, id quod sane lacrymis dignum est. Nam si triginta dumtaxat abhinc annis fides initium sumpsit, cum quadringenti jam fere anni fluxerint, a quo Christus manifestatus est, inane utique tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, frustraque martyres martyria perfuncti sunt, et tales tantique Antistites plebi præfuerunt.» Igitur ad apostolicam doctrinam adjungi debet apostolicus, sensus; erit autem apostolicus, si ab Apostolis duxerit originem, quam perpetua Ecclesiæ consensio et prædicatio manifestat. Cum ergo rex Angliæ, licet Symbolum apostolicum et cætera recipiat, apostolicum tamen eorum sensum illibatum non retineat, dici non potest, etiam quoad hanc partem, apostolicam fidem profiteri.

12. *Sectam Anglicanam secundum propria dogmata apostolicæ fidei repugnare ostenditur.* — Venio ad alteram prædictæ doctrinæ partem. Protestantium, omniumque pene hujus tempestatis sectariorum propriam, quam etiam rex Angliæ cum suis recipit, et Ecclesiæ Romanæ fidei anteponit. De hac igitur parte duobus modis possumus ostendere, apostolicam non esse. Primo in universali ex principiis hactenus discussis; nam illa omnia, quæ sunt propria illius sectæ, sunt contraria antiquæ fidei universalis Ecclesiæ, quia per defectionem ab illa introducta sunt, ut cap. 2 et 3 est ostensum; ergo non possunt esse ex apostolica doctrina, sed ex vana hominum novitate pro cerebro excogitata. Probatur consequentia ex fundamento posito, quod initium doctrinæ apostolicæ per certam seriem revocandum est ad tempora Apostolorum et eorum prædicationem; ergo illa dogmata, quæ ante paucos annos inceperunt, et quorum initium cognoscitur fuisse per defectionem ab antiqua fide, non possunt esse doctrina seu fides apostolica. Hoc enim argumento implicite utitur Gregorius Nazianzenus, in loco proxime citato, et eodem utitur Athanasius apud Theodor., lib. 4, Hist., cap. 3, dicens ad Jovianum imperatorem, de fide divinitatis

Verbi divini: «Pro certo scias, Auguste, hanc ipsam ab omni sæculorum memoria prædicatam fuisse.» Hac etiam regula usus est Theodosius imperator apud Sozomenum, lib. 7, Histor., cap. 12, ad insurgentes hæreticos compescendos, scilicet, examinando doctrinam, per eam, quam sancti viri et Apostoli semper tradiderant, ut quæ cum illa consentiret, ut apostolica reciperetur, quæ vero dissentiret, repelleretur; et alii Patres frequenter utuntur eadem antiquitatis regula, et illam maxime commendat Vincentius Lirinensis in suo aureo libro contra profanas vocum novitates.

13. Alter modus ostendendi sectam Anglicanam, quoad ea quæ sunt sibi propria, vel in quibus Calvino, Luthero, Zvinglio, aut aliis Protestantibus adhæret, non esse fidem apostolicam, esse potest, descendendo ad singula dogmata, eorumque novitatem et erroris gradum ostendendo. Quia vero nunc non assumimus provinciam disputandi de omnibus dogmatibus, quæ his temporibus ab hæreticis in controversiam vocata sunt, et quia id esset nimis prolixum et operosum, hunc modum probationis in præsenti non prosequemur. Non omittemus autem in sequenti libro, quin singula puncta a Romana fide aliena, quæ rex Jacobus in sua fidei confessione attigit, expendamus, eique summa brevitate pro loci opportunitate respondeamus.

14. Nunc sufficere censemus, gratia exempli, proponere articulum de primatu, qui Anglicanæ sectæ maxime proprius esse videtur. Secta enim Anglicana hunc articulum credendum suis sectatoribus proponit, scilicet, temporalem regem in suo regno esse supremum caput in spiritualibus, cui omnes Episcopi et sacerdotes, vel (ut sectarii loquuntur) ministri obedire tenentur. Quærimus ergo quis Apostolorum hoc docuerit, vel scriptum reliquerit in Ecclesia Christi, vel quomodo possit esse ab Apostolis derivatum dogma, quod ante Henricum VIII in Ecclesia Christi non est auditum. Quod autem hoc ita sit, nunc non aliter probamus, nisi quia nunquam legimus in Evangelio,

Ecclesiam commissam regibus, sed Petro, Apostolis et Episcopis, Matth., 16, 18, 28, Joan, 21., Actor., 20; neque in apostolicis epistolis legimus præcipi fidelibus obedire regibus in his quæ pertinent ad salutem animæ, sed præpositis qui rationem animarum eis commissarum sunt reddituri, ad Hebr. 13; neque in historiis legimus, regem aliquem christianum et catholicum talem potestatem sibi arrogasse, aut in Ecclesia exercuisse. Quæ omnia in libro tertio ex professo tractaturi sumus, et ideo ea nunc insinuasse sufficiat, ut inde concludamus, sectam illam, quæ ab hoc dogmate sumpsit initium, et quodammodo in illo fundata est (nam propter illud præcipue a Romana Ecclesia se separavit), apostolicam fidem reputari nequaquam posse.

15. *Responsio regis ex ejus factis impugnatur.*—Fortasse rex dicat illum articulum non computari ab ipso, vel a suis ministris, inter eos qui de fide catholica sint tenendi. Hanc enim correctionem adhibuisse videtur, pag. 62, Præfationis, cum dixit: « Ego vero id ingenue spondeo, quoties religionis, quam profiteor, ullum caput ostendetur non antiquum, catholicum et apostolicum, sed novitium esse, ac recens (in rebus, scilicet, spectantibus ad fidem) me statim ab eo discessurum.» Verumtamen si sub illa limitatione seu correctione suum de primatu articulum comprehendit, et inter res ad fidem spectantes illum non numerat, profecto injustissime cogit subditos suos ad recognoscendum in ipso talem potestatem, seu dignitatem. Quomodo enim juste cogi possunt, si ipsi non tenentur in conscientia talem in temporali principe recognoscere dignitatem? Vel quomodo possunt teneri ad eam recognoscendam, si non tenentur eam credere? Vel quo jure teneri possunt ad illum articulum credendum, si ille non est secundum fidem catholicam credendus? Responderi potest, esse credendum fide, ut sic dicam, politica, seu regia, id est, in regis vel sui consilii auctoritate, præcepto aut testimonio fundata. At hoc absurdissimum est, et ab omni etiam humana ratione alienum, quia dignitas et potestas gubernandi Ecclesiam in spiritualibus, non est res humana

ratione inventa, sed a Christo dari debuit, juxta illud Pauli, 2 ad Cor., 10: «Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam», et ideo ipsemet Christus dixit, Lucæ, 10: «Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit»; ergo de dignitate illa et potestate, quod in rege sit, non potest sola naturali ratione constare, neque rex potuit voluntate sua illam usurpare, si sibi data non est; ergo si hoc non est revelatum, ut revera non est, et ideo non tenentur Angli illum articulum de fide credere (ut in dicta responsione supponitur), profecto nulla est humana auctoritas quæ juste possit illos cogere ad id credendum, cum sit de re quæ superat humanam potestatem et cognitionem, quæ per revelationem non habeatur, ut omittam etiam esse contra ea quæ revelata sunt, ut postea ostendam. Ergo si rex velit consentanee loqui ad ea quæ operatur, necesse est ut inter fidei suæ articulos hunc de primatu suo ponat, et ita vel ex illo solo concludimus, suam fidem apostolicam non esse.

CAPUT XVIII

Objectioni contra doctrinam capitis superioris occurritur

1. *Objectio hæreticorum.—Quæ a rege tanquam nova improbentur.*—Contra discursum superioris capitis possunt adversarii nobis objicere, etiam Pontifices Romanos multa nobis de fide credenda proponere, quæ neque ab Apostolis prædicata sunt, neque ita sunt antiqua, ut per continuatam seriem ab Apostolis derivari potuerint; ergo etiam fides Romana non potest esse aut vocari apostolica. Hæc illatio fundamentum habet in his, quæ proxime contra adversarios protulimus. Nam, ut aliqua doctrina sit apostolica, non satis est aliquam ejus partem esse

ab Apostolis prædicatam et derivatam, hoc enim habet etiam secta Anglicana, imo et quælibet secta hæretica, quæ semper falsis vera permiscet. Si ergo Ecclesia Romana etiam habet nova veteribus permista, non poterit doctrina ejus simpliciter apostolica censeri. Maxime quoad ea in quibus ab aliis sectis hominum profitentium Christum dissidet, quia in his dogmatibus etiam est nova, sicut sunt aliæ sectæ sub Christi nomine introductæ. Propositio assumpta probari imprimis potest his exemplis, quæ rex in sua Præfatione refert, et « novitia, ac nupera » vocat, ut in Beatæ Virginis, et aliorum Sanctorum invocatione, cultuque reliquiarum, et imaginum veneratione et adoratione, et aliis quæ postea percurremus.

2. *Catholicæ responsioni viam præcludere conatur rex.*—Nec illi satisfaciemus dicendo, non posse hæc nova vocari, cum ante mille et plures annos ab Ecclesia observata ostendantur; nam ipse solum ut sufficienter antiqua recognoscit, quæ « tota Catholica Ecclesia jam inde ab Apostolorum temporibus sine intermissione multis post seculis constanter docuerit, et crediderit », ut ipse pag. 62 dicit, et testimonio Vincentii Lirinensis confirmat. Et quæ hujusmodi adinvenientur dogmata (ut se apostolicæ doctrinæ sectatorem ostendat), nunquam recusaturum esse confirmat, quamvis hoc etiam non simpliciter, sed cum limitatione velit intelligi de fidei dogmate, « quod ad salutem sit necessarium.» Denique addere possumus exempla quarumdam rerum, quas Ecclesia Romana nunc de fide credit, quas in confesso habetur non esse ab Apostolis prædicatas, ut B. Virginem numquam venialiter peccasse, libros Machabæorum esse canonicos, et hujusmodi, quæ brevitatis causa missa facio.

3. *Ecclesia Romana nullum dogma Apostolis contrarium recipere potest, Anglicana vero secta multa illis contraria recipit.*— Ad hanc objectionem dicimus imprimis, aliud esse credere aliquid repugnans dogmatibus et doctrinis ab Apostolis prædicatis; aliud vero credere aliquid per modum additionis ad doctrinam prædicatam ab Apostolis, quod ab eis expresse declara-

tum non sit, vel saltem declaratum esse non constet. Primum genus credulitatis aut doctrinæ repugnat cum doctrina apostolica, quia illa immutabilis est omnino, sicut Deus, et verbum ejus immutabile est, ut significavit Paulus, ad Galat., 1, per illam exaggerationem: « Si Angelus de cœlo », etc.; et ideo dixit, c. 2: « Si quæ destruxi iterum reædifico, prævaricatorem me constituo »; et 2 ad Cor., 1: « Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo: Est et non, sed Est. Ideoque signum evidens doctrinæ non apostolicæ, sed potius apostaticæ est, aliquid vel minimum tradere, dictis vel scriptis Apostolorum contrarium: nam illud sufficit non solum ad ostendendam talis dogmatis falsitatem, sed etiam ut totam fidem talis doctrinæ quoad certitudinem evertat, ut jam explicavi. In doctrina autem Ecclesiæ Romanæ nullum dogma hujusmodi invenitur, aut inveniri potest, juxta Christi promissiones supra tractatas, idque respondendo inferius ad omnia exempla, quæ rex adducit, facile ostendemus. At vero in secta regis Angliæ numerantur multa, quæ cum doctrina Apostolorum, etiam ab ipsis scripta, plane repugnant, ut est negare traditiones non scriptas, resistere in dogmatibus universali Ecclesiæ, quæ est columna et firmamentum veritatis. Negare item omnem fidei regulam præter privatum spiritum, vel sic saltem statuere, ut omnia in dubium necessario revocentur; item prædicare liberum esse et licitum temporali regi non obedire ulli Episcopo vel Pastori Ecclesiæ, etiam Supremo, et alia similia, quæ cum his connexa sunt, ut omittam alia specialiora, quæ ex his generalibus nascuntur, ut negare veritatem corporis et sanguinis Domini in Eucharistia, et alia, quæ postea tractabimus.

4. *Potest Ecclesia aliqua distincte credenda proponere, quæ antea non ita credebantur.* — At sane non repugnat apostolicæ doctrinæ, quod pro temporis discursu aliqua distinctius et expressius tradantur, quam antea prædicata fuerant; quin potius hoc modo addi possunt aliqua credenda in uno tempore, quæ prius expresse et formaliter (ut sic dicam) prædicata non erant,

dummodo antiquioribus non repugnent, et legitima potestate proponantur, id est ab Ecclesia definiantur. Hoc probat objectio facta, et consuetudo Ecclesiæ Catholicæ, quæ ex necessitate quadam humanæ conditionis orta est, et tam manifestam et cogentem rationem habet, ut non sit verisimile, reliquisse Deum Ecclesiam suam sine hujusmodi potestate, vel sine sufficiente providentia, et auxilio ad utendum illa sine periculo recedendi ab apostolica doctrina. Probatur hoc et declaratur, quia mos Spiritus Sancti semper fuit, non simul Ecclesiam docere de omnibus, quæ ad doctrinam supernaturalem pertinent, sed pro temporum opportunitate, juxta dispositionem suæ occultissimæ providentiæ. Hoc videre licet in temporibus antiquis; nam, ut omittam tempora legis naturæ, in ipsamet synagoga discursu temporis crevit doctrina sacra, prout variis temporibus Deus mittebat Prophetas. Deinde, quia, non obstante Scriptura, poterant aliquando insurgere res dubiæ vel ambiguæ, Deus constituerat locum, et tribunal sacerdotale, per quod posset ille populus magis ac magis in rebus divinis illuminari. Præterea etiam in ipsa primitiva Ecclesia, Spiritus Sanctus non simul docuit Apostolos omnia, nam de gentium vocatione postea fuit Petrus instructus, Act., 10, et de cessatione legalium certior reddita est Ecclesia in Concilio Apostolico, quam antea erat. Sic ergo post Apostolorum tempora potuit Ecclesia in multis illuminari, quæ necessaria esse potuerunt in posteriori tempore, et non prius, vel propter dubia de novo orta, præsertim insurgentibus hæreticis, vel aliis temerariis hominibus, res fidei obscuras prave exponentibus, vel etiam, quia hæc est naturalis hominis conditio ut paulatim in cognitione proficiat, quod etiam Deus in Ecclesia sua observari voluit, juxta illud Proverb., 4: «Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.»

5. *Quæ novitas antiquitati fidei repugnet.*—Et ideo Paulus 1 ad Timoth., 6, non simpliciter novitates, sed «profanas vocum novitates» vitandas dixit, quia, ut D. Thomas ibi notat, non

omnis novitas reprehendenda est, cum Dominus dixerit: «Mandatum novum do vobis», Joan., 13; sed profana novitas, id est, rebus divinis et sacris contraria. Quæ fuit prius sententia Augustini, in tract. 97, in Joan., circa finem, et fere eamdem habet Vincent. Lirinensis, c. 37, dicens: «Quid est profanas? quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extraneas. Profanas vocum, inquit, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ.» Quamobrem quæ non sunt contraria, sed potius deserviunt ad melius intelligenda, quæ antiqua sunt, non possunt dici novitates profanæ; imo nec omnino novitates, quia in antiquioribus continebantur, et virtute, vel, ut aiunt, implicite credebantur, et ideo quando postea explicatius traduntur, non tam «nova» dicuntur, quam antiqua «nove» proposita. Quod esse utilissimum in Ecclesia, et sæpe necessarium, per se clarum est, et optime docet idem Lirinensis, c. 27; et Chrysost., homil, 71 in Joan., exponens mandatum mutuæ dilectionis dici novum propter modum, licet sit antiquum.

6. *Primus modus declarandi dogmata fidei.*—Possumusque hoc amplius declarare distinguendo in materia fidei ea quæ ad solam cognitionem veritatis pertinent, et ea quæ ad mores, et ad observantias vel cæremonias spectant; in utrisque enim fieri potest additio aliqua, vel explicatio, non tamen eodem modo. Nam in his quæ spectant ad cognitionem, contingit dupliciter. Primo, nullam veritatem de novo definiendo, sed veritatem antiquam retinendo, et ubi opus fuerit noviter explicando, sicut in Concilio Nicæno definita est Verbi divinitas, et in Concilio Ephesino substantialis unio duarum naturarum in una Christi persona, et realis præsentia Christi Domini in Eucharistia in Conciliis Lateranensi, Florentino, et Tridentino. Et interdum contingit in hujusmodi mysteriorum declarationibus, nova nomina ab Ecclesia excogitari, quibus et veritas definita magis explicetur, et hæreticorum calumniæ et tergiversationes evi-

tentur et detegantur, et tunc talium vocum non est profana novitas, sed prudens ac fidelis necessitas. Ita vocem *omousion*, seu consubstantiale, quam ut novam Ariani reprehendebant, quia eorum errorem detegebat, Patres fidei defensores semper approbarunt, ut patet ex Ambrosio, lib. 1 et 3 de Fide, c. ult.; et Athanasio sæpe in Orationibus contra Arianos; et Augustino, trac., 97 in Joan., dicente : « Patres adversus impietatem Arianorum novum nomen, *omousion*, condiderunt, sed non rem novam tali nomine signaverunt, hoc enim vocatur *omousion*, quod est: Ego et Pater unum sumus, unius videlicet ejusdemque substantiæ.» Similiter propter Nestorium, qui negabat Virginem esse matrem Dei, concilium Ephesinum eam *Zeotokon* appellandam decrevit, latine «Deiparam», de qua voce loquens Cyrillus, epistola prima ad Presbyt., etc.: «Admiratus» (inquit) «sum, an sint, qui dubitent, num Beatissima Virgo Deipara dicatur alicubi, an non dicatur: si namque Deus est Dominus noster Jesus Christus, quomodo Virgo, quæ illum peperit, Deipara non est? Hanc nobis fidem divini tradidere discipuli, et licet nullam fecerint dictionis hujus mentionem, ita tamen sentire a Sanctis Patribus edocti sumus.» Et idem est cum proportione de voce « transubstantiationis » ad explicandum sacrosanctæ Eucharistiæ mysterium. Idemque est de similibus vocibus, de quibus generaliter dixit Augustinus, dicto tract. 79, «esse aliquas verborum novitates doctrinæ religionis convenientes.»

7. *Secundus.*—Secundo fieri potest per Ecclesiam nova fidei explicatio, addendo ac definiendo novam propositionem, aut veritatem de fide credendam, quia hoc sæpe necessarium est, quando nova controversia vel hæseres oriuntur. Exemplum est in veritate definita in sexta Synodo contra Monothelitas, de duabus Christi naturalibus voluntatibus, quæ sub illis terminis antea non fuerat tanquam de fide tradita. Aliud et clarius est de non rebaptizando rite baptizatos ab hæreticis. Nam hæc veritas prius adeo fuit dubia, ut Cyprianus cum multis Episcopis contrarium senserint, et nihilominus postea est in Concilio Carthaginensi et

aliis ab Ecclesia definita, quod sine dubio ad certitudinem fidei sufficit, ut recte Augustinus docuit, lib. 1 contra Crescon., c. 32. Quamvis autem hæc nova videantur, nihilominus doctrina est apostolica, quia in illa virtute continetur, et ab ipsis Apostolis non fuit ignorata. Acceperunt enim Spiritus Sancti donum, et omnia ipsis exposuit, ut dixit Epiph., hæres. 66, et latius Tertullianus, in Præscriptionibus. Quod tamen intelligendum non est de solo die Pentecostes, nam postea etiam temporibus opportunis de aliquibus rebus potuerunt magis doceri, seu illuminari. Non tamen fieri potuit, vel certe non oportuit, ut totam Theologicam doctrinam, ut sic dicam, quam Apostoli ab Spiritu Sancto didicerunt, eodem modo Ecclesiæ traderent, aut alios docerent, sed quæ pro eo tempore erat maxime conveniens, et ita necessarium non fuit omnes veritates vel conclusiones ab eis distincte tradi vel declarari. Vel fortasse multa ex his, quæ pertinent ad majorem explicationem, et subtiliorem cognitionem articulorum fidei, verbo docuerunt, quæ postea sunt in dubium revocata, vel propter aliquam hæresim, vel interdum propter ignorantiam, ut in facto Cypriani constat, ex epistola ejus 74, et aliis. Qua ignorantia non obstante, veritas de non iterando baptismate ad apostolicam traditionem pertinet, ut tractans eumdem Cypriani locum, lib. 5 de Baptismo, cap. 26, asseruit Augustinus.

8. *In rebus ad mores pertinentibus non solum additio, sed etiam mutatio fieri potest.*—At vero in his quæ ad mores, et praxim Ecclesiæ spectant, facilior est non solum additio, sed etiam mutatio. Quia, ut dixit Epiphanius contra Arium, hæres. 75, circa principium: «Non potuerunt Apostoli statim omnia constituere, sed Ecclesia accepit complementum dispensationis, pro locorum et temporum opportunitate; nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis ea, quæ ad perfectionem requiruntur, parabantur.» Quod late prosequitur. Et ratio clara est, quia ea quæ pertinent ad externos mores, et præsertim quæ ex humana institutione pendent, de se magis sunt variationi subjecta, et non eadem pro omnibus temporibus

congruunt, et ideo non possunt pro omni tempore immutabiliter stabiliri. Neque etiam ab Apostolis potuerunt omnia determinari, quia non habuit eumdem statum Ecclesia eo tempore, quem postea adeptura erat, vel quem nunc obtinuit. Imo etiam suo tempore non omnia simul disposuerunt Apostoli: nam Paulus, 1 ad Cor., 11, commemorat se prius tradidisse Corinthiis usum divini sacramenti, et tamen multa in illo servanda postea ibi docuit, et in fine subjungit: «Cætera autem, cum venero, disponam;» et cap. 14, ac sæpe in aliis epistolis, alia practica documenta paulatim tradidit. Et e converso, Act., 15, aliqua præcepta tradiderunt Apostoli pro illo tempore opportuna, quæ sciebant non esse perpetuo in Ecclesia servanda, ut de abstinentia a suffocato et sanguine.

9. *Per additiones ab Ecclesia factas apostolica doctrina non mutatur, sed magis declaratur.*—In his autem omnibus additionibus vel mutationibus observandum est, semper doctrinam esse eamdem, et apostolicæ doctrinæ consentaneam. Nam imprimis nihil in hujusmodi rebus introducitur, quod juri divino positivo aut naturali repugnet, quia universalis Ecclesia non potest in fide aut moribus errare, ut supra est ostensum. Deinde, quidquid in hoc genere fit, derivatur a legitima potestate a Christo data Vicariis suis, et Pastoribus Ecclesiæ ad illam gubernandam, de qua in lib. 3 dicturi sumus. Ideoque licet in his, quæ ad mores, vel cultum externum pertinent, sit interdum varietas, non est novitas reprehensibilis, nec inducit in doctrina fidei mutationem, seu variationem, imo nec additionem alicujus rei, quæ in doctrina evangelica, et apostolica virtute non contineretur. Denique ad totam hanc Ecclesiæ illustrationem recte accommodari potest elegans sententia Vincentii Lirinensis, qui, in c. 28, ita objicit: «Forsitan dicet aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui illud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad pro-

fectum pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in illud transvertatur. Crescat igitur, oportet, et multum, vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

10. *Satisfit exemplis in principio adductis.*—Ex his ergo abunde satisfactum est difficultati propositæ; et ad exempla quæ rex objicit, in libr. 2 in particulari respondebimus; nunc in generali, tam ad illa quam ad ea quæ nos addimus, ex dictis facile respondemus, omnia illa habere fundamentum, vel in Scriptura, vel in traditione apostolica, seu aliis principiis fidei. Et quia vel satis declarata non erant, vel temporum decursu obscurata, vel in dubium vocata fuerant, per Ecclesiam declarari ac definiri denuo potuerunt; nam ad hoc habet potestatem et divini Spiritus assistentiam simul cum sua a Christo promisam, et ita semper cum necessitas postulavit, in Ecclesia Christi observatum est. Et ideo non est in his comparanda Ecclesia Catholica cum Synagogis hæreticorum, quorum novitates sunt antiquis dogmatibus contrariæ, ideoque profanæ sunt; novæ autem definitiones Ecclesiæ non solum non pugnant com antiquis, verum potius ex illis derivatæ sunt per legitimam potestatem, ideoque vel non sunt profanæ, sed sacræ, si nova dicenda sunt; vel certe non sunt dogmata simpliciter nova, sed antiqua et apostolica, sive ante plures, sive ante pauciores annos declarata seu definita sint. Parumque refert quod rex Angliæ certum antiquitatis tempus, certumque modum necessitatis ad credendum, vel non recusandum aliquid, requirat. Nam per hoc convincitur, non confiteri se catholicam fidem, cujus columna et firmamentum est Ecclesia Catholica, neque habere in credendo certam et universalem regulam fidei ab Apostolis traditam, ideoque Apostolicam fidem profiteri aut defendere non posse.

CAPUT XIX

Sectam anglicanam nullius antiqui martyris sanguine decoratam, sed potius damnatam esse ostenditur.

1. *Verba regis expenduntur.*—Addit rex Angliæ in suo defensoris fidei titulo duas alias prærogativas, seu laudes illius fidei, vel potius sectæ, quam defendit. Una est, fidem illam esse veteris ac primitivæ Ecclesiæ, de qua nihil amplius dicere necesse est, quia hæc proprietas recte intellecta non est alia ab attributo fidei apostolicæ; quia Ecclesia primitiva non est alia ab Ecclesia vera et Catholica, quæ nunc est; sed est eadem, secundum statum quem in principio plantationis suæ habuit, quod fuit tempus prædicationis Apostolorum, et ideo nihil est aliud, fidem esse Ecclesiæ primitivæ, quam esse illam, quam Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. Cum vero in illo titulo huic particulæ additur, «veterisque ac primitivæ Ecclesiæ,» virus erroris sub verbis latere videtur. Indicatur enim fidem veteris ac primitivæ Ecclesiæ in universali et visibili Ecclesia defecisse, et por novatores instauratam esse, et ita innovatam a rege defendi. Quamvis enim verba ipsa manifeste hoc non prodant, ex aliis Protestantium principiis ac doctrinis timere non immerito possumus, ne rex in hoc sensu veteris Ecclesiæ fidei protectorem se proferat. Verumtamen quocumque sensu id fuerit dictum, est satis impugnatum ex dictis. Nam imprimis ostensum est sectam illam in his, quæ habet propria, apostolicam fidem non esse; ergo nec esse potest fides Ecclesiæ primitivæ, cum illa maxime apostolica fuerit. Deinde, licet in his, quæ cum Romana fide convenit, aliqua ex parte fidem primitivæ Ecclesiæ retineat in multis tamen a vero sensu primitivæ Ecclesiæ aberrat, et quæ vera retinet, casu potius et humana opinione, quam vero spiritu primitivæ fidei conservat. Ideoque quoad hanc partem illa sufficere censemus, quæ de atributo apostolicæ fidei dicta sunt.

2. *Rex Jacobus asserit fidem Anglicanam martyrum sanguine fuisse decoratam.*— Alteram laudem, ultimamque prærogativam suæ fidei ponit rex Angliæ, « plurium Episcoporum, fidelique Martyrum sanguine esse illustrem, » quam possem etiam merito prætermittere, tum quia laus hæc propria est veræ, catholicæ et apostolicæ fidei, ut etiam ipsemet rex in verbis sui tituli sentire videtur; cum ergo demonstratum sit sectam illam neque veram fidem, neque apostolicam, vel catholicam esse, satis etiam probatum relinquitur non esse tali laude dignam. Tum etiam, quia Martyrum testimonium non facit veram fidem, sed potius vera fides facit, verum esse martyrium, quod pro illa suscipitur: nam, ut eleganter Cyprianus, ep. 23, « non Martyres Evangelium faciunt, sed per Evangelium martyres fiunt.» Ideoque dicit etiam Augustinus, ser. 14 de Verb. Apost.: «Ideo martyres, quia fideles.» Igitur sanguis martyrum, licet illustret veram fidem, per se tamen illam non ostendit, sed supponit. Quia vero, ut multi referunt, Protestantes de testimonio Martyrum multum gloriantur, et quia ex ipsismet verbis et confessione regis non leve argumentum sumere possumus ad illam præsumptionem coercendam, erroremque convincendum, ideo de hoc etiam puncto pauca subjungere visum est.

3. *Anglicanam sectam Martyrum sanguine oppugnari, ostenditur.*— Duo autem prius a serenissimo rege interrogare necessarium duco. Unum est, an partem suæ fidei, vel totam, martyrum sanguine illustratam esse intelligat; alterum est, de quibus martyribus loquatur; an de antiquis, qui ante Calvinum, Lutherum, et alios nostrorum temporum hæresiarchas præcesserunt; vel etiam de novis, qui post exortum Anglicanum schisma consumpti sunt. Multum enim refert hæc accurate discernere, ut quæ fides, quo sanguine vere et non ficte reddatur illustris, sine ambiguitate intelligatur.

4. Possumus ergo, ut capite superiori tetigi, loqui de fide Angliæ quoad partem fidei antiquæ quam retinet, et communem habet cum Ecclesia Romana, a qua illam didicit, vel quoad

dogmata in quibus per novos sectarios mutatio et defectio facta est. Loquendo ergo de priori parte, seu de antiqua fide, et consequenter etiam de antiquis Martyribus, verissimum est illam fidem sanguine Sanctorum Martyrum factam esse illustrissimam. Hoc vero nihil Anglicanam causam juvat, imo plane condemnat. Quia illi Martyres non Anglicanæ, sed catholicæ et apostolicæ fidei testimonium dederunt, et hoc modo sanguine suo eam illustrarunt. Testes sunt antiquissimi Pares, qui sæpissime asserunt, persecutionibus tyrannorum martyres interficientium illustriorem factam esse Ecclesiam Christi, et non solum diminutam non fuisse, verum potius mirabiliter auctam, justa celebrem Leonis Papæ sententiam, serm. 1 in Natali Petri et Pauli: « Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper dominicus ager sagete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.

5. Neque est dissimilis sententia Augustini, lib. de Catechizandis rudib., cap. 24: « Illa vitis, quæ per orbem terrarum, sicut de illa prophetatum, et ab ipso Domino prænuntiatum erat, fructuosos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius, quanto uberiore Martyrum sanguine rigabatur, quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus, etiam ipsa persequentia regna cesserunt, et ad Christum cognoscendum, atque venerandum, fracta superbiæ cervice, conversa sunt. » Similia scribit Præfat. ad Psalm. 40, dicens, Judæos occidisse Christum in se, paganos autem voluisse illum occidere in corpore suo, et subjungit: « Occisi sunt Martyres, ad multiplicandam Ecclesiam valuit sanctus sanguis effusus, multiplicati sunt magis magisque Christiani, et non est impletum quod dixerunt inimici: Quomodo morietur, et peribit nomen ejus. » Et eleganter Tertullianus, in Apologetico extremo, ait ad Tyrannos: « Cruciate, torquete, probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Plures efficimur, quoties metimur a vobis, semen est sanguis Christianorum. » El plura habet lib. ad Martyres; et Justinus Martyr, contra Triphonem; et Cyprian.,

epist. 11: « O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat, erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in Martyrum cruore purpurea. Loquuntur autem hi Patres, ut ex eorum scriptis constat, de Ecclesia universali, vel de Romana, vel si interdum loquuntur de aliqua particulari (ut Cyprianus de Africana), perinde est, quia loquitur de illa ut parte Ecclesiæ Catholicæ, et ut conjuncta per eamdem fidem Romanæ sedi, ut ex aliis ejus locis in superioribus allegatis manifestum est. Cum ergo ostensum sit, Ecclesiam Romanam et Catholicam, quæ nunc est, eamdem esse quæ tempore Apostolorum et dictorum Patrum extitit, constat universam gloriam antiquorum Martyrum in hanc universalem Ecclesiam, quæ nunc existit, redundare.

6. *Antiqui martyres maxime Romanam extollunt fidem.— Evasio hæreticorum refutatur.*— Et hinc ulterius concluditur, totam fidem hujus Catholicæ Ecclesiæ eodem antiquorum Martyrum sanguine confirmatam esse, et illustratam. Probatur, quia fides primitivæ Ecclesiæ, et quæ fuit temporibus Cypriani, Augustini, et aliorum Patrum, eadem durat per legitimam successionem in præsenti Ecclesia Catholica, ut etiam est demostratum; ergo sanguis Martyrum, qui fidei antiquæ Ecclesiæ testimonium dedit, idem præbuit præsentis Ecclesiæ fidei. Igitur fides Romana est, quæ sanguine dictorum Martyrum facta est illustris. Dicent fortasse hoc esse verum quoad sola illa dogmata fidei, quæ illo tempore in Ecclesia credebantur, non vero quoad alia nova, quæ postea, ut Protestantes calumniantur, in Ecclesia Romana per homines invecta sunt. Sed hoc facillime refutatur, quia fides Ecclesiæ una semper est, nec variatur propter accidentale augmentum aut diminutionem, quoad majorem vel minorem rerum declarationem, vel quoad alias circumstantias quæ ex temporis successione pendent. Quod adeo verum est, ut Augustinus, tract. 45 in Joannem, etiam de fide synagogæ et Ecclesiæ Christi dixerit: « Tempora mutata sunt, non fides; » quod etiam affir-

mat 18 de Civit., c. 47, et lib. 19, contra Faust., c. 14, et sumitur ex illo 2 ad Cor., 4: « Habentes eumdem spiritum fidei. » Quibus verbis (ut ibi notat Chrysostomus, homil. 9) ostendit Apostolus, « eumdem spiritum esse, qui in utroque testamento vim suam exercuerit. Multa ergo majori ratione cum Ecclesia Christi omni tempore eodem Spiritu Sancto regatur, eamdem semper fidem retinet, etiamsi quoad res aliquas in uno tempore magis quam in alio per eamdem Ecclesiam declarata sit.

7. *Martyres pro quovis tempore fidem confirmant.— Intelligitur assertio etiam de articulis recenter declaratis.*— Quapropter Martyres, qui uno tempore suo sanguine catholicam fidem illustrarunt, totam fidem, et pro quocumque tempore existentem æque confirmarunt, et exornarunt maxime, quia ea, quæ in posteriori tempore declarantur, in antiquioribus virtute continentur, et omnia ita sunt inter se connexa, ut non possit unum illustrari, aut testimonio Martyrum confirmari, quin omnia pariter illustrentur. Sicut e contrario non potest unum negari, quin cætera omnia certitudinem suam amittant, et ideo virtute negentur. Exemplo rem declaro; nam multi Martyres pro confessione Trinitatis mortui sunt in Ecclesia, priusquam per Ecclesiam declaratum ac definitum esset Spiritum Sanctum a Filio procedere, et nihilominus fides hujus articuli non minus consignata est sanguine illorum Martyrum, quam fides cæterorum articulorum, quos tunc ipsi expresse confitebantur. Qua etiam ratione, qui pro fide moritur, confitendo expresse unum articulum, si illum credit catholica fide, virtute confitetur totam fidem Catholicæ Ecclesiæ, eamque suo sanguine consignat. Sic igitur cujuscumque veri Martyris sanguine, quocumque tempore effuso, tota fides catholica, in quocumque statu vel tempore consideretur, illustratur.

8. *Martyres occisi sunt pro defensione articulorum, quos Anglia diffitetur.*— Accedit quod multi ex antiquis et præcipuis Martyribus eadem dogmata, quæ nunc ab hæreticis in Ecclesia Catholica reprehenduntur, diserte tradiderunt, et postea suo

sanguine consignarunt. Hoc imprimis conspici potest in Martyre et Pontifice Ignatio, qui in Epistolis suis ecclesiasticam hierarchiam, et subjectionem laicorum Pastoribus Ecclesiæ debitam commendat, et Episcopum in suo munere regi comparat. Nam in ep. 10, ad Smyrnæos, Episcopum præfert presbyteris et diaconis, illumque «post Deum honorare jubet, ut principem sacerdotum, imaginem Dei referentem propter principatum, et Christi, propter sacerdotium;» et similiter honorare præcipit regem, «quia in rebus creatis nullus est ei similis, nec Episcopo quidquam majus in Ecclesia.» Et ad Antiochenos ait: «Cæsari subjecti estote, in his in quibus nullum animæ periculum est.» Ad Philadelph.: «Una» (inquit) «Eucharistia utendum, quia una est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, unum altare.» Et ad Romanos: «Volo» (inquit) «panem cœlestem, qui est caro Christi, filii Dei;» et in epist. ad Heronem, traditiones Apostolorum servare jubet. Et in speciali «Quadragesimam, et Dominicam,» etc., Epist. ad Philipp. Et hanc fidem postea glorioso martyrio illustravit. Quis ergo neget sanctum hunc Pontificem et Martyrem testem esse fidei, quam nunc Ecclesia Romana profitetur? cum nec de sanctitate, et doctrina ejus, nec de illius Epistolis dubitari possit, teste Hieronymo, de Scriptoribus Ecclesiasticis; et Eusebio, lib. 3 Histor., cap. 30. Et hoc testimonium suo etiam sanguine confirmavit Polycarpus, qui in epistola sua ad Philipp., prius ad cavendas falsas doctrinas consulit, ut «ad illud, quod traditum nobis est a principio, revertamur.» Et postea epistolas Ignatii commendat dicens: «Ex omnibus enim vobis magnus erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, et omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.» Addere item possumus Irenæum, gloriosum etiam Episcopum et Martyrem, qui Ecclesiæ Romanæ primatum et traditiones Ecclesiasticas apertissime docet, lib. 3 contra hæreses, a principio, per multa capita, et veritatem corporis et sanguinis Domini in Eucharistia, lib. 4, c. 34, in quibus principiis tota fides Romana virtute

continetur; hic ergo sanctus Martyr illi etiam testimonium dedit. Eodem modo afferre possumus Justinum, fidem de veritate Eucharistiæ profitentem, et innumeros Romanos Pontifices, qui primatum suæ Sedis constantissime defenderunt, eamdem constantia totam fidem suam sanguine confirmarunt.

9. *Concluditur contra assertum regis Angliæ.* — Ex quibus tandem in hoc puncto concludimus, si rex Angliæ adnitatur suam fidem commendare ex splendore, et claritate, quam habet vera fides christiana ex sanguine antiquorum martyrum, velit, nolit, convinci, eorumdem Martyrum sanguinem damnare sectam suam quoad illa omnia, in quibus a Romana fide defecit. Probatur illatio: nam probatum est, illo sanguine illustratam esse totam fidem catholicam, quæ hodie in Romana Ecclesia perseverat, non solum quoad ea quæ Protestantes ex illa retinere voluerunt, sed etiam quoad omnia quæ deserenda elegerunt, multa quidem quæ jam tunc explicite in Ecclesia credebantur, alia vero quæ in illis et in infallibili Ecclesiæ auctoritate virtute saltem continebantur. Unde inter hunc regis titulum, ejusque fidei confessionem, repugnantiam considero, quam ipse fortasse non animadvertit; nam in titulo fatetur fidem apostolicam et primitivam sanguine martyrum illustrem fuisse, postea vero in confessione suæ particularis fidei [antiquam evertit, quia multa fidei dogmata non tantum novitia (ut ipse loquitur), sed antiquitate Martyribus æqualia vel priora, negat, novaque inducit, quibus testimonium Martyrum evacuari necesse est. Ita enim antiqui Patres contra suorum temporum novatores insurgebant.

10. *Repugnantia in dictis regis ostenditur.* — Præsertim Nazianz., ep. 2 ad Cledonium, dicens: «O ingentem absurditatem, absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant, id quod sane lacrymis dignum est. Nam si triginta duntaxat abhinc annis fides initium sumpsit, cum quadringenti jam fere anni fluxerint a quo Christus manifestatus est: inane utique tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, frus-

traque Martyres martyrio perfuncti sunt, et tales tantique Antistites plebi præfuerunt, versuumque non autem fidei est gratia.» Similemque sententiam habet Tertullianus, in Præscriptionibus, c. 29, ubi contra eosdem hæreticos quas irridendo infert: «Tamdiu utique regnabit error, quamdiu hæreses non errant. Aliquos Marcionitas (nos dicamus Calvinistas) liberanda veritas expectabat, interea perperam credebatur.» Et post multa, «tot denique martyria perperam coronata.» Huc etiam spectat sententia Ambrosii, lib. 3 de Fide, cap. 7, ubi loquens de Concilio Nicæno, sic inquit: «Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat signatum a confessoribus, et multorum jam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt (utique in Concilio Ariminensi), postea tamen damnata fraude signarunt; qui violare non ausi sunt, Confessores et Martyres extiterunt.» Quam gravissimam sententiam ad omnia legitima Concilia, et definitiones fidei ab Ecclesia approbatas merito accommodamus. Cum in eis sit consignatus liber sacerdotalis sub ejusdem Spiritus Sancti regimine conscriptus. Præsertim vero intentionem nostram confirmat verbum, quod subjungit Ambrosius: «Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?»

11. *Evasio.*—Fortasse audebunt adversarii dicere, non errasse antiquos SS. Pontifices et Martyres in confessione Christi aut Trinitatis, aut aliorum mysteriorum, pro quorum defensione sanguinem fuderunt: errare tamen potuisse, et errasse in aliis rebus, in quibus suis opinionibus adversantur, neque esse necessarium ut quidquid credebant, suo sanguine confirmarent, sed illud tantum, pro quo oppetere mortem non dubitarunt. Sic enim Cyprianus Martyr sua morte Catholicorum fidem illustravit, quamvis per humanam ignorantiam crederet, rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos; hanc siquidem sententiam nullatenus suo sanguine confirmavit, nec pro ea defendenda mortuus est.

12. *Rejicitur et concluditur prædictos Martyres non errasse in*

aliquo dogmate fidei. — Hæc tamen evasio impietatem magnam continet et temeritatem. Quia imprimis cogitari non potest Ignatium, Polycarpum, et similes sanctissimos Martyres in dogmatibus fidei errasse per hæresim aut pertinaciam, alioqui veri Martyres non fuissent, quia in hæresi non potest esse verum martyrium, ut statim subinferam: et ita suo sanguine christianam fidem non illustrassent. Hoc autem cogitare impiissimum esset, et perpetuæ et universali Ecclesiæ traditioni contrarium, et prorsus temere contra omnem historiæ fidem, et sine ullo fundamento excogitatum. Deinde nec potest in his Patribus præsumi error in dogmatibus fidei per ignorantiam, nam si culpabilis foret, repugnaret certe eorum sanctitati; si invincibilis, adeo eorum sapientiæ et muneri est contraria, ut in suspicionem venire non possit. Tum quia multi eorum ab ipsismet Apostolis, alii vero ab apostolicis viris, et Apostolorum discipulis doctrinam fidei susceperunt. Tum etiam quia dogmata, de quibus loquimur, erant valde necessaria ad communem fidem Ecclesiæ, in qua ipsi erant gravissimi Pastores et Doctores, ut de Eucharistia, de traditionibus, de Ecclesia, ejusque potestate spirituali, ac fide infallibili, et similibus. Et ideo hæc docebant, non ut dubia, sed ut certa, neque in angulo, sed in conspectu totius Ecclesiæ, neque cum contradictione, vel aliorum Episcoporum, vel Romanæ Ecclesiæ, sed cum communi omnium consensione; ergo sine ulla dubitatione non ex ignorantia vel opinione, sed ex certa fide illa docebant, proinde in ea fide, pro qua moriebantur, illa omnia comprehendebant.

13. *Vendicatur Cyprianus a calumnia.* — Quamobrem longe dissimilis est Cypriani causa. Nam, ut omittam, Augustinum interdum insinuare (1), eum ante mortem sententiam retractasse, illa tunc non pertinebat ad dogmata necessaria fidei, neque ab Ecclesia communiter recipiebatur, et Summi Pontifices

(1) Epist. 48, versus finem.

(quamvis nondum definiendo) illi contradicebant, et ideo neque ipse Cyprianus ita illi adhærebat, ut illam inter dogmata suæ fidei reputaret. Quin potius audeo dicere, contrarium dogma, quod postea definivit Ecclesia, Cyprianum virtute semper credidisse. Nam, licet privata et humana opinione tunc ita sentiret, multo firmius credebat Ecclesiam non posse errare, et paratus erat ad relinquendam propriam sententiam, si Ecclesia contrarium definiret. Ut ex Augustino sumitur in prædicta epistola de illo dicente: «Unitatem orbis terræ, atque omnium gentium, et diligendo tenuit, et disputando defendit.» Et inferius hoc magis explicans, dicit: «Aut non sensit omnino, quod eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi nœvum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis et copiosissime defendit, et perseverantissime tenuit vinculum pacis (1)». Quasi diceret, quidquid privata opinione sentiret, semper animo fuisse subjectum regulæ Ecclesiæ; et hoc modo dicimus, ipsum sanguine suo fidem Christianæ Ecclesiæ simpliciter confirmasse.

14. In his ergo, quæ antiquissimi Pontifices et Sancti Doctores tanquam de fide certa Ecclesiæ tradiderunt sine dissensione, imo cum communi Ecclesiæ acceptatione, non potest ignorantia cogitari, alias tota eorum doctrina fluctuaret; et ideo dum pro sua fide sanguinem effuderunt, totum id, quod in hoc genere docuerunt, vel scriptum reliquerunt, eodem sanguine illustrarunt. Et propterea graviter Vincentius Lirinensis (2), novitates tali antiquitati contrarias cavendas esse prænonuit: «Nam si recipiantur (inquit), necesse est, ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut magna ex parte violetur; necesse est ut omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes Virgines, omnes Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum

(1) Ex Augustino, libr. 1 de Baptism., c. 18.
(2) Cap. 33.

exercitus, tanta populorum celebritas, et multitudo, totus postremo jam pene terrarum orbis per catholicam fidem Christi capiti incorporatus tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur.»

CAPUT XX

Veros nostrorum temporum Martyres non anglicanam sectam, sed romanam fidem illustrasse.

1. *Sectarii non vere martyres.*— Venio ad alteram partem de novis Martyribus, qui post exortum Anglicanum schisma in Ecclesia sunt perpessi, ut si forte rex Angliæ de ipsis loqui velit, catholicam etiam in hac parte sententiam defendamus. Quos enim, quæso, vocat Martyres? an eos qui in sua secta vel pro illa interfecti sunt? an potius eos qui propter fidem Ecclesiæ Romanæ a defensoribus illius sectæ occisi sunt? At de his posterioribus loqui non potest, nam illi non Anglicanam sectam, sed Romanam fidem illi contrariam illustrarunt, quia in detestationem illius sectæ mortui sunt. Imo, licet tantum pro Christo, et pro illis articulis fidei, quos Anglia recipit, a gentilibus, vel paganis interfecti sint, eorum gloria in Ecclesiam Catholicam et Romanam, ac fidem ejus in qua moriuntur, redundat, et consequenter omnem hæreticam pravitatem illi contrariam condemnant. Si vero rex loquatur de sectariis propter suam pertinaciam punitis, immerito eos Martyres vocat; nam revera Martyres non sunt, sed malefactores juste castigati. Primo quidem quia, ut recte dixit Cyprianus, lib. de Unit. Eccles., «illa mors non est fidei corona, sed pœna perfidiæ.» Secundo, quia «martyrem non facit pœna, sed causa», ut ex Cypriano refert Greg., lib. 2 Reg., Epist. 36; et tradit August., serm. 50, de Sanctis, qui est sextus de Martyribus, et latius concione 2

in Psalm. 34, explicans illa verba: «Exurge, et intende judicio meo, Deus meus, et Dominus meus, in causam meam: Non in pœnam meam (inquit Augustinus), sed in causam meam, non in id quod mecum habet latro commune, sed in id quod Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: hæc enim causa discreta est; nam pœna similis est bonis et malis. Itaque Martyres non facit pœna, sed causa.» Qui ergo propter hæresim et schisma interfecti sunt, non sunt Martyres, alias latrones et malefactores omnes martyres vocandi essent, ut Augustinus ibidem late prosequitur, et epist. 50, et lib. 4 de Baptism., cap. 17, et aliis locis, quæ statim insinuabimus: specialiter vero in serm. 2 de Sanct. Vincent. (1), rationem reddit: «Quia isti dolores tolerant pertinacia, non constantia vitio, non virtute, pravo errore, non recta ratione, diabolo possidente, non persequente.» Quam etiam rationem optime prosequitur Chrysostomus, Orat. contra Judæos.

2. *Ratione declaratur ex parte inferentis mortem.*—Possumus præterea ratione morali convincere, mortem hanc pro falso errore susceptam, non esse martyrium, sive consideretur ex parte causæ, sive ex parte inferentium, sive ex parte acceptantium illam in defensionem erroris. Non quidem ex parte causæ, ut dictum est, quia illa mors non est pro Christo: «Sanguis autem effusus is tantum martyrium facit, qui pro Christi nomine funditur», ut dixit Hieronymus, in epist. ad Philem., initio. Qui generalius id declarat in cap. 5 ad Galat., ad fin. Neque etiam ex parte punientis, quia qui sic punit pertinacem, non id facit in odium veritatis, sed in defensionem, nec injuste persequendo personam, sed juste vendicando delictum, et pertinaciam in illo.

3. *Diluitur objectio. — Veritas martyrii ex sola morte non dignoscitur.*—Dices hoc esse, quod inter nos et hæreticos con-

(1) Est 9 inter 17 a Parisiensibus additos.

troversum est, scilicet, an sectarii, qui pro sua secta moriuntur, pro errore vel pro veritate moriantur. Respondemus hanc controversiam non posse ex sola passione mortis definiri: nam (ut proxime ex Augustino dicebam) multi pro defensione erroris mortui sunt. Et constat, sæpe homines mori pro doctrinis contrariis, quarum alteram falsam esse necesse est, et consequenter unum pro errore, alterum pro veritate pati; ergo ex sola passione discerni non potest veritas ab errore. Unde antiquum est in Ecclesia, hæreticos de suis martyribus gloriari, ut de Montanistis refert Eusebius, lib. 5 Histor., c. 18, et de Donatistis Augustinus, ep. 50 et 68; et Epiph., refert, quosdam hæreticos dictos esse martyrianos, quia de numero suorum martyrum valde gloriabantur. Neque solum hæretici, sed etiam ethnici et philosophi vel pro suis falsis religionibus, vel propter rempublicam, vel aliam causam humanam, et præsertim propter gloriam hominum, mortem pertinacissime tolerarunt (1); ergo mors audacter tolerata non discernit causam, sed ex causa dijudicanda est. Et eadem ratione mors per se non est signum erroris, aut veritatis. Igitur illa controversia ex aliis principiis dirimenda est. Hoc autem egimus in capitibus præcedentibus; ostendimus enim Anglicanum schisma errare a veritate in his omnibus, in quibus ab antiqua fide catholica et Romana defecit; ergo mors inflicta propter talem defectionem, et pertinaciam in illa, non est veritatis persecutio, sed erroris correctio, et justa punitio.

4. *Probatur ex parte acceptantis.*—Præterea si ex parte suscipientium hæc pœna consideretur, nunquam potest martyrium reputari. Quia vel isti patiuntur recognoscentes errorem, et confitendo delictum, et tunc potius præbent testimonium veritati quam errori, non tamen per martyrium, sed per piam justamque confessionem ac pœnitentiam. Vel moriuntur isti ne-

(1) Vide Tertull. in Apolog., c. 5.

gando delictum, et ficte ore confitendo fidem, occultando errorem quem in corde retinent, et sic nec sunt martyres veræ fidei, quam non credunt, nec pro illa moriuntur, neque sunt testes sui erroris, que ore non confitentur, sed negant. Vel denique moriuntur propter pertinaciam in suo errore, eligentes potius mori quam illum retactare, et talis etiam mors non potest esse martyrium, quia a pia et recta voluntate non procedit, quam verum martyrium requirit. Unde Sancti ac veri Martyres magna ratione ac prudentia mortem pro sua fide subierunt, quia etiam humano ac morali modo certi esse poterant, illam solam fidem esse secundum rectam rationem credibilem; at vero isti sectarii imprudentissime ac omnino temere pro suis privatis sectis ac opinionibus moriuntur. Quæ enim ratio aut prudentia patitur, in rebus gravissimis et ad religionem pertinentibus, propter unius vel alterius hominis, interdum vitiosi et pessimi, persuasionem, relinquere antiquam fidem consensu Ecclesiæ per totum orbem diffusæ receptam, et divinis signis ac miraculis roboratam, ac denique Sanctorum, sapientissimorum hominum sanguine illustratam? Profecto moraliter evidens est imprudentissimum esse ac plane temerarium, propter talem causam mortem sponte subire; ac proinde illam non esse animi fortitudinem, nec ex affectu divinæ charitatis procedere, quia charitas semper prudenter operatur. Est ergo animi pertinacia, non martyrium, quod, ut recta docet Theologia, actus est studiosus et prudens, a charitate fortitudinem imperante procedens. Legatur in simili causa Optat., lib. 3 contra Parmen., versus fin.

5. *Hæretici, licet pro defendenda aliqua fidei veritate patiantur, non sunt vere martyres.*—Ulterius, in hujusmodi hominibus ab Ecclesia Catholica separatis, non solum mortem pro suis erroribus, sed etiam pro aliqua veritate, quam retinent, susceptam, non esse martyrium demonstratur. Est enim notanda doctrina Augustini, lib. de Patientia, c. 26 et 27, ubi tacite distinguit, duobus modis posse schismaticum vel hæreticum

pati pro sua fide, scilicet, vel ne abneget errorem, vel ne deserat Christum, seu aliquid aliud quod ex fide catholica retinuit. De priori modo passionis diximus hactenus, quia in illo evidentius est, non solum non esse martyrium, verum etiam neque actum ullo modo bonum, sed imprudentissimam temeritatem. De posteriori autem modo dicit quidem idem Augustinus, patientiam illam esse laudabilem, quia minus malum est, non negare Christum, etiamsi in illum non perfecta fide credatur. Imo etiam addit, fortitudinem illam esse donum Dei, quamvis non sit ex illis donis quæ sunt propria filiorum, sed ex his quæ servis communicantur. Hinc ergo dicimus mortem illam non esse martyrium, quia martyrium est donum justorum, et infallibiliter perducit ad gloriam, juxta illud Matth., 10: «Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est»; mors autem illa non perducit ad gloriam, «nam sine fide impossibile est placere Deo», ad Hebr., 11; et quia qui fide caret, charitatem non habet; de illo autem dixit Paulus, 1 ad Cor., 13: «Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.» Quam rationem attigit Augustinus, lib. 4 de Baptism., c. 7; et Cyprian., lib. de Unit. Eccles., dicens, «maculam hæresis neque sanguine ablui», et iterum: «Inexpiabilis culpa nec passione purgatur.» Et ep. 73, versus finem: «Hæretico, nec baptisma publicæ confessionis et sanguinis proficere ad salutem potest.» Ad quas sententias Cypriani videtur alludere Chrysostomus, hom. 11 ad Ephes., in parte morali, in princ., dicens: «Dixit autem vir quidam sanctus quiddam, quod magnam præ se fert audaciam, sed tamen est elocutus. Quid hoc est autem? Dixit, nec sanguinem quidem martyrii posse delere hoc peccatum», utique dividendi Ecclesiam per schisma vel hæresim. Addit vero ipse Chrysostomus in confirmationem ejusdem sententiæ: «Nam dic mihi, quamnam ob causam es Martyr? An non propter Christi gloriam? Qui pro Christo animam prodegisti, quid popularis Ecclesiam, pro qua Christus suam profudit animam?»

6. *Prima ratio.*—Item est ratio generalis, quia extra Ecclesiam non est salus, ut in superioribus dictum est, et est axioma commune Sanctorum Patrum ; sed martyrium non separatur a salute; ergo extra Ecclesiam non potest esse verum martyrium. Ita fere colligit Fulgentius, de Fide ad Petrum, c. 37, 38 et 39; et August., epist. 204, dicens: « Foris ab Ecclesia constitutus, et separatus a compage unitatis, et vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.» Idem optime Pacian., epist. 2, ad Sympronian., ubi passionem Donati pseudomartyris, cum martyrio Cypriani confert, consentanee ad doctrinam ejusdem Cypriani., qui ep. 52, circa medium, loquens de illo, qui ab Ecclesia ad hæreticos vel schismaticos transit, inquit: « Et si occisus propter nomen (utique Christi) postmodum fuerit, extra Ecclesiam constitutus, et ab unitate et charitate divisus, coronari morte non poterit,» ubi aperte loquitur de modo passionis, de quo nunc tractamus. Et idem repetit in fine epistolæ, et in 54, ubi recte etiam ait: «Idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; et mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit et accendit.» Et in expositione Orationis Dominicæ aliam rationem indicat, dicens: « Nec sacrificium Deus recipit dissidentis »; et affert illud Matth., 5: « Vade prius reconciliari fratri tuo.» Et inferius aliam indicat his verbis: «Non potest esse cum Christo, qui imitator Judæ maluit esse quam Christi.

7. *Secunda ratio.* — Aliam rationem insinuat Augustin., lib. 1 de Sermone Domini in monte, c. 5. Quia Christus non absolute dixit fore beatos, «qui persecutionem patiuntur», sed addidit, « propter justitiam : Ubi autem (ait Augustinus) sana fides non est, non potest esse justitia, quia justus ex fide vivit.» Quæ ratio in omni hæretico procedit, sive pro errore, sive in errore pro aliqua veritate moriatur. Et potest ita explicari, quia qui in uno pertinaciter errat, licet aliquid credat, non tamen sicut oportet neque christiana fide credit, et ita fides ejus ad justitiam non pertinet; ideoque licet propter veritatem, ut a se

creditam, vel potius suo sibi electam judicio patiatur, non propter justitiam persecutionem patitur. Et hoc etiam mihi videtur significase Augustinus, tract. 6 in Joan., circa finem, ubi introducit jactantem Donatistam: «Ecce nos multa mala patimur»; cui ille: «Hæc si pro Christo pateremini, non pro honoribus vestris. Patiuntur molestias, sed pro Donato, non pro Christo. Vide quomodo patiaris, nam si pro Donato pateris, pro superbo pateris.» Quæ verba licet maxime quidem in eum conveniant, qui pro suo errore vel magistri sui hæretici patitur, nihilominus vera etiam sunt, quocumque modo hæreticus pro sua fide patiatur; quia licet contingat esse verum et alias catholicum dogma pro quo patitur, si tamen hæreticus Calvinista sit, non pro Christo, sed pro Calvino patitur, quia licet Christum credat, non Christo, sed Calvino credit, vel certe sibi ipsi, si proprio judicio eligit, quid sibi credendum sit.

8. *Hæreticus etiam pro Christi confessione mortuus, neque martyrium consequitur, neque fidem illustrat.*—Atque hoc etiam ex eodem Augustino desumere mihi videor in serm. 117 de Diversis, ubi proponit dubium, quomodo stet illa sententia: «Omnis homo mendax», cum certo testimonio Martyrum, qui homines fuerunt: «Martyres enim (inquit) veraces fuerunt, quia pro veritate mortui sunt; ideo enim sunt Martyres, quia pro veritate passi sunt»; ergo si illi veraces fuerunt, non omnis homo mendax. Respondet hominem esse mendacem, cum de suo loquitur; martyres autem non de suo fuisse locutos, sed de Spiritu Dei, et ideo non tam ipsos, quam Spiritum Dei in eis loqui, juxta illud Matth., 10: «Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis»; et inde habere testimonium eorum, ut certum sit. Quibus nos addimus, quoties hæreticus loquitur, licet casu contingat verum loqui, semper de suo loqui, quia suo spiritu ducitur, suamque privatam opinionem defendit vel profitetur, ideoque dicimus, testimonium illius natura sua fallax esse, quamvis in uno vel altero dogmate verum esse contingat. Ac proinde licet hæreticus pro

confessione Christi moriatur, testimonium ejus fidem Christi neque illustrat, neque confirmat; mors igitur propter talem confessionem neque martyrium est, nec martyrii nomen meretur. Quod ergo rex Angliæ dicit, se defendere fidem sanguine martyrum illustrem, si de iis pseudomartyribus, quos protestantes Martyres vocant, intelligatur, subsistere nullo modo poterit, sive ad veram Christi fidem, sive ad Anglicanam sectam referatur.

9. *Multos hujus temporis Catholicos martyrio apostolicam fidem collustrasse ostenditur.*—Fuerunt sane nostra ætate multi viri Sancti et Catholici, tum in aliis locis, tum maxime in Anglia, qui pro sua fide constantissime decertarunt, de quibus verissime dicitur, suo sanguine fidem catholicam et apostolicam illustrasse, quia longe diversa a Protestantibus est eorum conditio, causa, vita, et modus moriendi pro Christo. Sicut enim ab illis in his omnibus longissime distant, ita Martyres antiquos præclarissime imitati sunt, ideoque veri Martyres fuerunt, suoque sanguine fidem Romanam illustrarunt. Nam imprimis catholicam et apostolicam fidem semper retinuerunt, et intra Christi Ecclesiam, cui in pace et obedientia fuere conjuncti, passi sunt. Deinde pro eadem Ecclesia, ejusque fide et obedientia, atque adeo propter justitiam persecutionem sustinuerunt. Neque aliam ob causam (etiamsi adversarii, ad Martyrum gloriam occultandam, alias temporales et humanas confingant) carceres, tormenta et acerbissimas mortes passi sunt. Cujus rei non leve signum est (quod in simili consideravit Eusebius, lib. 3, Histor., c. 9), quia licet nulla in re alia rempublicam offendissent, imo potius aliquando essent moribus et innocentia vitæ præclari, una confessio Romanæ fidei, et obedientia Papæ ita animos persequentium accendit, ut eos asperius quam alios sceleratissimos punirent. Cum tamen (sicut a fide dignis audivimus), si contingat aliquem in ea confessione deficere, et suis judicibus in falsa religione consentire, etiamsi propter alia delicta dignus sit morte, illi facile condonentur ac remittantur.

10. *Ex modo patiendi catholicorum martyrum comprobatur.* —Denique, quod ad modum patiendi spectat, non possunt nostri Martyres alicujus inconstantiæ vel imprudentiæ argui, quia non proprio judicio, sed publico totius orbis ducuntur, et antiquam fidem retinent, et veterum Sanctorum ac Martyrum vestigia sequuntur, multique inter eos inventi sunt vita, sanctitate, maturitate judicii, eruditione ac prudentia illustres, paratique ad suæ fidei rationem reddendam; sed, cum in animis obduratis et in catholicam fidem obfirmatis nihil proficerent, magna alacritate et patientia tormenta et mortem sustinuerunt. Hi ergo Martyres, licet novi, antiquam vere fidem illustrarunt, novam autem Anglicanam sectam potius redarguerunt et confuderunt, ideoque neque propter hos Martyres potuit rex Angliæ in suo titulo illa verba proponere, cum ipse non antiquam fidem, sed Anglicanam sectam defendat.

CAPUT XXI

Anglicanam sectam, vel propter solam schismatis turpitudinem detestabilem esse

1. *Ab hærisis nota se vindicare studet rex Jacobus.*—Postquam rex Angliæ in suæ Præfationis initio rationem vel occasionem sui operis late proposuit, multis interpositis, quæ ad hunc locum non pertinent, totis viribus se a labe et nota hæresis excusare conatur, vel propter vitandam tanti criminis infamiam, vel ut suum defensoris catholicæ fidei nomen tueatur. Ego vero, ne cum rege contendere, aut ejus personam velle offendere videar, de causa ipsa loquar, eamque generatim tractando, ostendam imprimis initium Anglicanæ defectionis et separationis ab Ecclesia, crimen propriissimi et gravissimi schismatis fuisse. Deinde vero per diuturnitatem et pertinaciam in manifestam hæresim transivisse, monstrabo. Ex quo facile cons-

tabit, nullum hominem christianum seu baptizatum, cujuscumque conditionis seu status sit, illi sectæ, ejusque erroribus pertinaciter adhærentem, posse non solum salutem assequi, verum etiam nec ab hæresis crimine excusari. Et quoniam rex de apostatæ nomine simul conqueritur, quid in eo puncto quoad apostasiæ nomen et culpam sentiendum sit, in sequentibus etiam dicam.

2. *Anglicanum lapsum gravissimum schisma fuisse, ex etymologia vocis ostenditur.*—Quod ergo ad primum punctum attinet, non magna probatione indiget. Nam qui factum ipsum, et initium Anglicani lapsus, prout cap. 1 a nobis relatum est, consideraverit, et vulgarem doctrinam de culpa schismatis, ejusque discrimen ab hæresi a Patribus et Theologis traditum, non ignoraverit, facile intelliget lapsum illum Anglicanum per gravissimum schisma incepisse. Schisma enim, generali significatione juxta vocis etymologiam, dissensionem, ac moralem quamdam divisionem indicat, per antonomasiam autem jam proprie significat divisionem Ecclesiæ Catholicæ per spontaneam separationem ab illa, sub Christiano nomine particularem congregationem, seu conventiculum extra Ecclesiæ unitatem, communionem, et obedientiam congregando. Ita fere schisma definiunt D. Thomas (1) et Theologi, imo etiam jurisperiti, fuitque sententia antiquorum Patrum, quos statim referam; habetque in Scriptura fundamentum. Nam in illa schisma significare solet divisionem judiciorum, ut Joan., 9, ubi dicentibus quibusdam: «Non est hic homo a Deo»; aliis vero: «Quomodo potest homo peccator hæc signa facere»? additur: «Et schisma erat inter eos.» Hæc autem judiciorum diversitas solet esse quasi inchoatio schismatis, quod in animorum et concordiæ divisione consummatur. Et quando est in materia religionis, tunc maxime schisma vocatur. Sic usurpatur a Paulo 1 ad Cor., 1:

(1) D. Thom., 2. 2, quæst. 39, art. 1.

«Fidelis (inquit), Deus per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri.» Et statim quasi exhortans ad servandam unitatem hujus societatis: «Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.» Quod magis de divisione contra unitatem Ecclesiæ declaravit, cap. 12 dicens: «Ut non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro invicem sollicita sint membra.» Ubi licet loquatur de naturali corpore hominis, tamen illud adducit ad declarandum quid servandum sit in corpore Ecclesiæ, de quo concludit: «Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.»

3. *Duo genera schismatum traduntur.—Schisma et parasynagoga quid?* — Possunt autem in Ecclesia distingui duo genera schismatum, juxta doctrinam Basilii, ep. 1 ad Amphiloc., can. 2, quam sequitur etiam Theodorus Studites, in epist. 4, ad Naucration., ubi tria membra distinguunt, hæresim schisma, et parasynagogam: «Hæreses (inquit) sunt, quæ omnino abruptæ, et adversus ipsam fidem sunt alienatæ; schismata, dissensiones eorum, qui propter aliquas causas ecclesiasticas, et quæstiones medicabiles inter se dissident. Parasynagogæ sunt congregationes quæ a recusantibus parere Presbyteris, vel Episcopis, vel populis insolentibus, fiunt.» Omisso autem nunc primo membro, alia duo indicant duo genera dissensionum inter membra Ecclesiæ: unum privatum, alterum magis publicum: prius sistit in privatis contentionibus et inimicitiis; posterius vero usque ad publica conventicula, et quasi ecclesias diversas faciendas procedit. Priores ergo dissensiones vocarunt dicti Patres schismata, posteriores autem parasynagogas. Jam vero priores discordiæ generale nomen dissensionum retinuerunt, et nomen schismatis ad aliud genus divisionis Ecclesiæ per privata conventicula significandum usurpatum est, et ita in præsenti sumitur, omissa voce parasynagogæ, quæ jam in usu non est.

4. *Per separationem ab Ecclesia, etiam absque defectione a*

, *schisma committitur.* — *Hæresis necessario schisma includit, vero e converso.* — *Templa orthodoxorum fidelium nomen catholicum retinent.* — Sic ergo manifestum est schisma committi separationem ab Ecclesiæ unitate, charitati ejus contrariam, nisi in dogmatibus dissensio nondum intercedat. Ita dixit Pronymus in verba illa ad Titum 3: «Hæreticum hominem t unam, et alteram correptionem devita: Inter hæresim, et sma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dog- habet, schisma propter episcopalem dissensionem ab Eccle- pariter separet, quod quidem in principio aliqua ex parte potest intelligi diversum ab hæresi.» Cur autem dicat, «in principio», in puncto sequenti declarabo. Dicit autem «aliqua ex parte», quia hæresis schisma necessario involvit; maxime enim Ecclesiam dividit, quia, divisa fide, non potest unitas charitatis non scindi, sicut amissa fide, non potest charitas non amitti; at vero e converso schisma potest ab hæresi separari, sicut potest charitas sine fine amitti. Sicut olim Meletius schismaticus fuit, et non hæreticus; nam ut refert Epiphan., secta 68, semper «rectæ fidei» fuit: «Non enim (inquit) immutata est fides ipsius in aliquo tempore a Sancta Catholica Ecclesia.» Quia vero adversus Petrum, Alexandriæ Episcopum, et sibi superiorem, propriam congregationem fecit, et Ecclesiam divisit, schismaticus habitus est. Observarique obiter potest, cum Ecclesias proprias ædificarent Melatiani, et successores Petri antiquas obtinerent, semper antiquas Ecclesias retinuisse nomen Catholicæ Ecclesiæ, alias vero vocatas esse Ecclesias martyrum. Nam novum schisma novo nomine indiguit.

5. *Schisma Donatistarum.*—Simile fuit in principio schisma Donatistarum, propter ordinationem Cæciliani in Carthaginensis Ecclesiæ Episcopum contra Donati voluntatem, ut sumitur ex August., lib. de Hæresib., hæres. 69. Unde idem August., lib. 2 contra Cresconium, c. 7, sic inquit: «Quamvis inter schisma et hæresim magis eam distinctionem approbem, qua

dicitur schisma esse recens congregationis ex aliqua diversitate sententiarum dissensio, neque enim schisma fieri potest, nisi diversum aliquid sequantur, qui faciunt; hæresis autem schisma inveteratum; tamen cum me adjuvent definitiones tuæ, schismaticos vos libentius, quam hæreticos dicerem.» Crescónius enim schisma recognoscebat, hæresim vero negabat, quia non erat diversitas, ut ille aiebat, in doctrina (1), quod facile Augustinus acceptat, quamvis postea etiam ostendat schisma illud in hæresim transivisse. Quod vero ait, schisma non esse sine diversitate sententiarum, intelligendum generaliter est, quia dissensio animorum non est sine diversitate opinionum; non autem accipiendum id est de sententiis diversis in dogmatibus catholicæ fidei, quod ex aliis locis Augustini manifestum est. Nam lib. 1 de Fide et Symbolo, c. 10, dicit: «Hæretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant; sed hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus.» Et lib. Quæstionum Evangelicar., ex Matth., q. 11: «Solet (inquit) quæri, schismatici quid ab hæreticis distent, et hoc inveniri, quod schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas.» Idemque late tradit Optat., lib. contra Parmenianum.

6. *Henricum VIII schismaticum fuisse concluditur.*—Ex hoc ergo certo principio, et ex facto supra narrato de Anglicano lapsu, aperte concluditur Henricum VIII schismaticum fuisse. Hæreticum enim ipsum fuisse, saltem in principio, nobis non constat, quia non propter mentis deceptionem, sed alia turpi et erubescenda occasione Pontifici Summo obedientiam negavit, seque et regnum suum, quantum potuit, ab Ecclesiæ Romanæ unitate separavit. An vero hæreticus etiam fuerit, infra attingemus, nunc enim necessarium non est. Nam quidquid in mente senserit, satis est quod vel propter solam concupiscentiam

(1) Aug., cap. 4.

practice erraverit, et Ecclesiam sciderit, ut schismaticus evaserit, imo auctor gravissimi chismatis, in quod tum auctoritate et exemplo, tum maxime timore ac violentia multos alios ire coegit. Ita ergo hoc vitium Anglicanam gentem occupare cœpit, et ita a parentibus ad filios derivatum est, ut usque in præsentem diem perseveret.

7. *Ab schismatis labe se liberare minime studet rex.*—Quamobrem neque ipse rex Jacobus se ab hoc crimine purgare studuit; imo quasi contemnere, et pro nihilo ducere videtur, dum pag. 58 dicit: «Schismaticum me dicant licet, et a Romana Ecclesia defecisse, certe hæreticus esse nullo modo possum.» Nos autem e converso dicimus, licet hæreticum se esse neget (quod nunc nundum tractamus), negare non posse se esse schismaticum, cum et baptizatum esse in suamet præfatione fateatur, et sciens ac videns inchoatum schisma non solum conservet, verum etiam magna contentione et totis viribus potentiæ suæ propagare studeat. Considerare autem debet, in oculis Dei non multum distare schisma ab hæresi; Augustinus enim, lib. 1 de Serm. Domini in monte, cap. 5, illa duo æquiparat dicens: «Multi hæretici, nomine christiano animas decipientes, multa talia patiuntur, sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non tantum dictum est: Beati qui persecutionem patiuntur; sed additum est, propter justitiam. Ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia. Dilectio enim proximi malum non operatur. Quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia.» Et quod gravius est, in libro de Vera Religione, cap. 6, non solum hæreticis, sed etiam paganis et Judæis schismaticos annumerat, dicens: «Neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in ætate Judæorum quærenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici seu orthodoxi nominantur, id est, integritatis amatores, et recta sectantes.

8. *Quid Chrysostomus de schismate sentiat.*—Accedat S. Chrysostomus, qui delictum schismatis ita exaggerat, ut illud cum peccato crucifigentium Christum conferat, dicens: «Nihil Deum æque irritat, atque divisam esse Ecclesiam, etiamsi bona fecerimus innumerabilia, non minores quam qui ejus corpus discindunt pœnas dabimus, qui plenum ecclesiasticum conventum discindimus.» Loquitur autem in priori parte de corpore Christi vero. Unde subdit: «Nam illud quidem factum est ad lucrum orbis terrarum, etsi non eo animo; hoc autem nullam usquam habet utilitatem, sed ex eo damni est plurimum.» Et addit verba tam regi et consiliariis ejus, quam subditis consideranda: «Hæc dicta sunt, non solum ad eos qui gerunt magistratus, sed etiam ad eos qui ab illis reguntur.» Et postea significat hoc crimen esse hæresi periculosius, fortasse quia solet esse initium hæresum, et ideo maxime necessarium est in initio illud cavere, et quasi ad radicem securim ponere. Ait ergo: «Hæc a me dicta sunt de iis, qui se dedunt indiscriminatim iis qui scindunt Ecclesiam, nam si dogmata quidem habent contraria, vel propter hoc ipsum, non conveniebat cum illis misceri; sin autem eadem sentiunt, multo magis. Quare? Quoniam est morbus ambitionis, et amoris imperii, et gerendi magistratus.» Denique Optatus Milevit., lib. 1 cont. Parmenianum, «ingens flagitium», schisma vocat, et inferius ait: «Schisma summum malum esse, et vos negare minime poteritis.» Et loquitur ad Donatistas, sibi autem etiam esse dictum Anglicani intelligant, cum nec rationem diversam, nec verisimilem excusationem afferre possint.

9. *Schismatici nomen rex Jacobus jure detrectare non potest. —Afferuntur Beda et Optatus.*—At enim fortasse rex Jacobus negabit se esse schismaticum, neque enim in verbis suis dicit: «Licet schismaticus sim,» sed: «Licet dicant me esse schismaticum,» idque non simpliciter, sed cum addito quod adjungit, «et a Romana Ecclesia defecisse. Interrogo vero an saltem cum hoc addito vere vel falso dicatur schismaticus ab Ecclesia Romana. Certe affirmare non potest dictum hoc esse falsum, quia

ex facto ipso publico et notorio id evidenter probatum est. Quod si rem adeo claram negare non audet, sciat additionem illam non minuere delictum, sed augere, vel (ut ita dicam) in supremo gradu schismatis illud constituere. Nam si verum est quod Hieronymus dixit, schisma constitui per separationem ab Ecclesia « propter Episcopalem dissensionem, » ergo schisma constitutum propter dissensionem a Summo Pontifice, omnium Episcoporum Pastore, merito dicetur non solum simpliciter schisma, sed etiam ex suo genere maximum. Nam, ut recte dixit Beda, homil. de Sanct. Petro et Paulo: « Beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni cœlorum, et principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cœlestis ingredi. » Ubi nomine «Petri» sine ulla dubitatione cathedram ejus intelligit, et « societatem illius, » vel Ecclesiam, vel unionem cum sede Petri vocat; ergo segregari ab hac societate, ad constituendum schisma censet esse sufficiens. Idem si recte expendatur, sensit Optatus Milevit., lib. 1 cont. Parmenian., col. 5, ubi, ut probet Parmenianum fuisse schismaticum, non Cœcilianum, sic inquit: « Non enim Cœcilianus exivit a Majorino avo tuo, sed Majorinus a Cœciliano, nec Cœcilianus recessit a cathedra Petri, vel Cypriani, sed Majorinus, cujus tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat. » Supponit ergo illum esse schismaticum, qui recedit a « cathedra Petri; » addit autem, « vel Cypriani, » quia interdum potest schisma fieri per separationem a proximo Episcopo, novam cathedram sine origine introducendo. Et addit, quod præsenti instituto maxime servit: « Cum hæc ita gesta esse manifeste constet, et vos hæredes esse traditorum et schismaticorum evidenter apparet. Sic ergo nos ex facto Anglicano evidenter concludimus, Henricum VIII, qui cathedram Petri deseruit, et novam sine origine erexit, schismaticum

fuisse, ejusque hæredes eum imitantes in eodem schismate perseverare.

10. Præterea in superioribus ostensum est Ecclesiam Romanam et Catholicam eamdem esse, illisque cognominibus tantum diversas proprietates, seu habitudines ejusdem Ecclesiæ significari; dicitur enim Christi Ecclesia Catholica, quatenus universalis est: Romana autem vocatur, quatenus in sede Petri fundata illi semper conjuncta est; ergo idem est etiam schisma ab Ecclesia Catholica et a Romana; ergo si rex negare non potest separationem Angliæ esse schisma ab Ecclesia Romana, vitare non potest quin sit etiam gravissimum schisma ab Ecclesia Catholica. Et sane qui lapsum Henrici, et divisionem ejus ab Ecclesia consideraverit, illumque cum schismate Donati, et aliis antiquis contulerit, omnino eamdem vel majorem rationem schismatis ab Ecclesia Catholica in illo inveniet, neque verisimilem rationem diversitatis poterit cogitare. Nisi fortasse fingendo cum hæreticis, universalem Ecclesiam, quæ olim erat Catholica, tempore Henrici jam fuisse collapsam et extinctam. Sed hoc vanum et voluntarium refugium satis ex Scripturis sanctis, et communi sensu antiquorum Patrum refutatum est supra. Indubitanter ergo sciat rex se esse ab Ecclesia Catholica separatum, cum nullo colore id negare vel occultare possit, vehementerque timeat Augustini sententiam dicentis: «Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimat, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.»

CAPUT XXII

Anglicanum schisma in manifestam hæresim et apostaticam doctrinam transiisse

1. *Anglicanam sectam in plures hæreses prorupisse, auctoritate Patrum ostenditur.—Experientia eadem veritas roboratur.*— Quoniam rex Angliæ plus nomen hæresis quam schismatis abhorrere videtur, ostendendum a nobis ulterius est, eo demum Anglicanum schisma pervenisse, ut non in unam tantum, sed in plures et manifestas hæreses proruperit. Hoc imprimis probamus ex quadam verissima Sanctorum Patrum doctrina, dicentium, schisma diuturnum in hæresim transire. Sic Hieronymus, dicto loco ad Titum, 3, dixit, in principio posse intelligi ex parte diversum ab hæresi: «Cæterum (addit) nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessise videatur.» Et propterea dixit Augustinus, lib. 2 contra Cresconium, c. 7, «hæresim esse schisma inveteratum», quia solent, ut dixi, hæretici propter aliquam controversiam, vel indignationem, aut cupiditatem non expletam, aut ambitionem non obtentam, ab Ecclesia in principio separari, quoad obedientiam et unionem; postea vero, ut in schismate perseverare possint, ad hæresim transire. Quod exemplis ab antiquitate petitis quasi inductione quadam facile ostendi posset, ut de Novato passim legimus apud Cyprianum et Augustinum, qui ep. 164 ad Emeritum, ad illos ait: «Neque vobis objicimus, nisi schismatis crimen, quod etiam hæresim male perseverando fecistis.» Sic etiam de Meletii secta refert idem Augustinus, lib. de Hæres., ad Arianos tandem transiisse, quamvis in principio tantum schisma fuerit, quod nunc etiam Anglis accidit. In principio enim, cum Henricus neque Lutherum, neque Calvinum

secutus fuerit, schismatici, ab ipso facti, post non multum tempus ad Calvinistas transierunt.

2. *Duplex ratio prædicti experimenti assignatur.*—Ratio autem hujus experimenti duplex reddi potest. Una quam tetigit Hieronymus, quia perseverantes in suo schismate, statim (quod naturale est) factum suum et audaciam honestare ac defendere cupiunt; et ideo ad hæresim declinant, qua possint factum illud honestare, vel laudando ut bonum quod pravum est, vel negando esse faciendum, quod præceptum est; vel (quod in idem redit) negando esse præceptum, quod ab Ecclesia Catholica traditum est. In quibus omnibus modis et aliis similibus, hæresis involvitur. Quia licet operari malum, quod lex Christi prohibet, non sit hæresis, sentire tamen cum pertinacia non esse malum, quod fides docet esse prohibitum, hæreticum plane censendum est. Altera ratio est, quia licet schisma in rigore distingui seu præscindi possit ab hæresi, adeo tamen est illi affine et propinquum, ut si perseveret, facile in illud transmutetur. Unde Ambrosius, lib. de Obitu Satyri, narrans Satyrum post naufragium, Ecclesiam quæsiisse, in qua Deo pro liberatione gratias ageret, et advocasse ad se Episcopum, eumque interrogasse, «utrumnam cum Episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret», subjungit inferius, postquam Satyrus intellexit illum Episcopum esse schismaticum, noluisse ibi gratias agere, neque cum illo communicare, quia licet ille Episcopus esset hæres Luciferi schismatici, et non hæretici (ut significat) nihilominus (ait) «non putavit tamen fidem esse in schismate; nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur velut quosdam artus et membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, et Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, a quibus evacuatur Christi passio, corpusque distrahitur.» Quod ita interpretor, schismaticum scilicet in principio agere contra fidem quam Ecclesiæ debet, practice, seu opere ipso, vel certe agere contra fidem, id est, fidelitatem et obedientiam,

quam debet Ecclesiæ; postea vero, ut in suo schismate perseveret, etiam negare Ecclesiæ illam fidem, quæ consistit in credendo ipsam Ecclesiam esse unicam Christi sponsam, columnam et firmamentum veritatis. Qui transitus facillimus est: nam si Paulus ad Timot. scripsit, repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragavisse, quanto facilius credendum est id accidere in pertinaci schismate contra Christi Ecclesiam. Merito ergo timuit, vel non putavit Satyrus fidem esse in schismate.

3. *Schisma charitati per se opponitur, et diuturnitate tenebras menti offundit.*—Accedit quod schisma proxime oritur ex aliquo odio proximorum. Nam, licet ex contentione aliqua, vel ambitione, vel inordinata cupiditate, vel invidia, oriri soleat, ut Patres tradunt, et experientia docet, proprie tamen et per se charitati opponitur, quæ Ecclesiæ Christi debetur, et ideo odium proximi includit; hoc autem odium, perseverando in schismate, nutritur et augetur, et ita facile inducit in mentis cæcitatem atque ad hæresim, juxta mentem Augustini in illud 1 Joan., 2: «Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo tendat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.» Quæ verba de schismaticis interpretatur Augustinus ibi, tract. 1, dicens illos ita excæcari ex odio veræ Ecclesiæ, ut illam non videant, et «facilius illuc faciem impingant, quam illic habitaculum quærant.» Sic etiam dixit Optat., l. 1 contra Parmenia.: «Schisma sparso coagulo pacis dissipatis sensibus generatur livore, nutritur æmulatione, et litibus roboratur, ut deserta matre catholica, impii filii dum foras exeunt, et se separant a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.» In quibus verbis alia etiam indicatur ratio: nam schismatici cum ab Ecclesia præscindantur, et synagogam extra illam congregent, eo ipso dedignantur Ecclesiam sequi, præsertim quando in schismate obdurati perseverant, et ideo carere incipiunt regula veritatis, ex quo necessitate quadam consequitur, ut in errores et hæreses prolabantur, vel novam inve-

niendo, vel alicui jam inventæ adhærendo, ut distinctum aliquid ab Ecclesia, a qua recesserunt, habere videantur. Nam si in eadem fide perseverarent, «non possent novum aliquid, aut aliud agere, nisi quod jam dudum apud suam didicerunt matrem», ut Optatus supra dixit. Propter quod sæpe Cyprianus «inde oriri» affirmat «schismata et hæreses, quod sacerdoti Dei non obeditur, neque unus ad tempus judex vice Christi cogitatur», ut ait ep. 55. Et in 69 addit, «congregationem perseverantem in schismate intra breve tempus carere veris Episcopis, et Pastoribus, quia cessat vera origo, successio, et ordinatio.» Unde tandem consequitur ut careat etiam vera doctrina et sanctitate; nam ad illam conservandam in unitate fidei, et vitæ sanctitate usque ad consummationem electorum, dedit Deus Ecclesiæ suæ Pastores, et Doctores, teste Paulo ad Ephes., 4.

4. *Anglicanum schisma ad hæresim jam pervenisse ex dictis concluditur.—Schismatis defendendi causa, novam sibi hæresim Henricus VIII excogitavit.*—Propositæ autem rationes evidenter in Anglicano schismate procedunt. Constat enim illud esse satis diuturnum; nam per septuaginta annos vel amplius duravit et licet interruptum fuerit per breve reginæ Mariæ tempus, statim renovatum est, posteaque plus quam quinquaginta annis continuis duravit. Deinde cum cœperit per separationem a cathedra Petri, et negando obedientiam Summo Pontifici, licet in principio, facto tantum, ex inordinato affectu luxuriæ tentatum fuerit, postea circa jus ipsum erratum est; et doctrina introducta, qua cœpit in Anglia prædicari, Ecclesiam Christi non habere unum spirituale caput, nec Romanum Pontificem ut tale recognoscendum esse, sed in unoquoque regno, vel republica suprema in temporalibus esse proprium caput supremum in spiritualibus, illudque non esse aliud præter regem, vel principem temporalem, aut senatum respective. Quæ tota doctrina hæretica est, et contra Scripturam sacram, et contra perpetuum ejusdem Ecclesiæ sensum, et Patrum traditionem, ut in l. 3 ex professo ostendemus. Ita ergo (quod ad primam rationem attinet)

in Henrico VIII ad litteram impletum est, quod Hieronymus dixit; nam «sibi hanc construxit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videretur.» Non enim poterat regia majestas, vel potius humana præsumptio ita pertinaciter in gravissimo facinore perseverare, nisi in aliud gravius incidendo, quo prius defenderet, et recte factum esse contenderet. Qui error ita Henrici animo adhæsit, ut non solum in illo mori non dubitaverit, verum etiam novo præcepto de filio in eodem errore educando, in aliis catholica fide retenta, illud confirmaverit. Vel certe si mente non credebat quod sic præcipiebat, in eo maxime ostendit (quod ad alteram rationem spectat) quam ingens odium contra Romanam Ecclesiam conceperat, siquidem contra mentem suam, et cum æterna morte animæ suæ, in eodem schismate mori, et illud per modum dogmatis seu doctrinæ exterius tueri, et in filio, et in regno suo perpetuo stabilire voluerit. Cum ergo Anglia in hoc puncto non solum factum, sed etiam jus usurpare, et doctrinam defendere conetur, vel ex hoc solo manifestum est sectam illam non tantum schismaticam, sed etiam hæreticam esse.

5. Post mortem autem Henrici statim Anglicanum regnum schismaticum Calvinianam sectam, quamvis fortasse non puram, sed mistam ex Lutherana, et aliis, amplexum est, et ita etiam in illo schismate, quod in secunda ratione de diuturno schismate dicebamus, et ex eisdem causis, seu radicibus, et cum eisdem effectibus seu signis hæreticis impletum videmus. Nam imprimis odium in Romanam sedem mirum in modum in dies auctum est, et ut quotidie magis invalescat, et in animis omnium radicetur, industria dæmonis factum est, ut parentes et magistri ab infantia in puerorum animis talem de Papa conceptum seu apprehensionem imprimant, ut simplices et vulgares homines crudelem tyrannum, horrendum idololatram, ac denique monstrum quoddam, potius quam hominem, audito Papæ nomine, concipiant. Nec mirum est si communis plebs in tanto errore versetur, si quidem rex ipse, in sua Præfatione, pag. 14, affirmare audet, «Pontifices per ambitiosam tyrannidem sibi in

temporalium regum jura auctoritatem injuste usurpasse. » Et iterum pag. 22: « Hanc in reges potestatem a Pontificibus inique usurpatam. » Rursus pag. 24, a Catholicis extrui Pontificis imperium adeo «immane, ac solutum, ut ad libidinem condonare atque adimere regna possit. » Ita enim Cardinali Bellarmino tribuit. Iterum pag. 24: « Magnus ille pastor, instar ovium, ad occisionem ducere vos pro libidine sua potest. » Alibi, pag. 27: « Cum antiquitus Clerici nihil ultra decimas appeterent, iisque contenti viverent, nunc Papa clericorum caput, non nisi tertia civium, et bonorum, ac fundorum parte in omnibus regnis et provinciis accepta, acquiescit. » Ulterius pag. 61, « sæcularem Pontificis in reges dictaturam præcipuis fidei catholicæ articulis enumerat. » De Cardinali Bellarmino loquitur, et absolutam potestatem dominandi per illam sæcularem dictaturam intelligit. Et alibi, pag. 72, in eodem sensu inter multa, quæ refert, vel potius irridet tanquam a Pontificibus usurpata, hoc ponit: « Omni potestate, tam spirituali, quam temporali præditi. » Et infra, pag. 128: « Qui pro Deo Papam colunt, eumque sic habent quasi Scripturam loquentem; » postea vero de eisdem Catholicis ait, « tribuere Pontifici supremam in temporalibus potestatem supra reges ac principes, » utique in sensu in aliis locis ab ipso declarato.

6. *Refutatur.— Posse Pontificem pro libito regna adimere nullus Catholicus asseruit.*— Hi et similes sunt colores, quibus rex Pontificem Summum, ejusque regimen depingit, in quibus tamen nihil est quod non sit a seductoribus conflictum, vel male interpretatum, et incaute, et per veritatis ignorationem a rege creditum et scriptum; ut mirum non sit, rudem plebem his fabulosis exaggerationibus decipi, quandoquidem seductores etiam regem ipsum fallere et decipere potuerunt. Nam imprimis quod Pontifex regum potestatem non usurpet, toti orbi notum est, et ipsi Pontifices in suo jure communi testatum ab ipsis esse voluerunt. Nam de rege Anglorum loquitur Alexander III, cum dicit: « Non attendentes quod ad regem pertinet,

non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri regis Anglorum detrahere, mandamus, quatenus regi judicium possessionis relinquentes,» etc. Et de rege Galliæ dixit Innocentius III: «Non putet aliquis, quod jurisdictionem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus. Et alibi, idem Pontifex affirmavit, «regem in temporalibus superiorem non recognoscere.» Constat igitur Pontifices jura regum non usurpare. Unde longe certissimum et notissimum est, neminem catholicorum Doctorum affirmasse, «posse Pontificem ad libidinem regna condonare aut pro libidine adimere.» Qui enim vel in uno judicio regiam jurisdictionem perturbare nolunt, quomodo regna ipsa sua libidine perturbabunt? Multo vero intolerabilius est cogitare, nedum scribere, «pro libidine sua» posse Pastorem hunc oves occidere, aut similem tyrannidem, per hanc exaggerationem indicatam, exercere. Quin potius non potestatem modo, verum etiam solum usum illi imponere, gravissima et impiissima detractio est eorum qui, regem decipiendo, ipsum irritare voluerunt. Hoc autem evidentius constabit ex his, quæ de legitima potestate Pontificis in christianos reges l. 3 ostendemus, ubi etiam justum usum illius explicabimus; nam forte sectarii non solum ex malitia, sed etiam ex ignoratione, et defectu Theologicæ doctrinæ ista confingunt.

7. *Pontificem tertiam partem bonorum civium sibi usurpare contra omne jus factique veritatem confingunt hæretici.*— Deinde quod de Pontifice asseritur, « non acquiescere, nisi accepta tertia civium bonorum, et fundorum parte in omnibus regnis et provinciis, » contra omne jus canonicum est, ut in proprio opere de decimis ostendimus; neque minus contrarium est usui, ut in omnibus regnis et provinciis catholicis notissimum est. Quod si fortasse sit sermo de fundis et bonis voluntarie donatis Ecclesiæ, semper in Ecclesia observatum fuit, ut bona hujusmodi jura decimarum non minuerent, nec in eis computarentur, sed cum illis ad pios ecclesiasticos usus conservarentur. Præterquam quod, illis omnibus etiam computatis, sine fundamento

asseritur, illam esse tertiam partem bonorum orbis catholici, multoque magis voluntarie fictum est, ad eam proportionem, seu mensuram exigi, et sine illa quota parte Pontificem non acquiescere.

8. *Vendicantur Catholici ab aliquibus regis impositionibus.*— Denique quod rex ait, Catholicos Pontificem pro Deo colere, et verba ejus ut scripturam sacram habere, facile intelligitur per exaggerationem dictum, ad eamdem quam diximus de Pontifice existimationem, in hominibus, qui voces distinguere nesciunt, generandam. Qui enim verisimile est credidisse regem, Catholicorum aliquem cultum, soli vero Deo debitum, Pontifici tribuere? Si autem nomine Dei solum significetur is, qui singulari modo aut Deum repræsentat, aut ejus excellentiam participat, juxta Scripturæ phrasim, et Christi explicationem dicentis: «Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est,» quid reprehenduntur Catholici, quod Dei Vicarium debito honore colant ac venerentur? Item non est verisimile in mentem regis venisse, universa verba Pontificis sacram Scripturam a Catholicis reputari, cum ignorare non debeat sacros Theologos, ipsas etiam Conciliorum et Pontificum definitiones sacram Scripturam esse, negare. Quanquam in veritatis certitudine æquiparari tam constanter quam verissime doceant; non de omnibus verbis Pontificis, sed de his quæ, universam Ecclesiam ex cathedra docendo, definit. De quo puncto aliquid in superioribus tactum est, et in l. 3 non nihil addemus. Hæc igitur obiter dicta sint, ut intelligatur quam pertinax odium et inveterata rabies in Romanum Pontificem diuturnitate schismatis Anglicana pectora occupaverit.

9. *Plures hæreses post Henricum VIII Angliam occuparunt.* —Ex hoc autem odio secuta est illa mentis cæcitas, quam Augustinus descripsit, qua fit ut altissimum et lucidissimum Ecclesiæ montem secta Anglicana non videat, sed in illum potius faciem impingat. Unde etiam factum est ut, regula et directione Catholicæ Ecclesiæ Anglia destituta, ad synagogas hæreticorum

diverterit. Nec enim novam condere illi fuit necessarium, quia eo tempore hæreses innumeræ Septentrionem occupare cœperant, et sicut cancer serpebant, nullamque occasionem eas introducendi fidei hostes omittebant. Atque ita, ut cap. 1 relatum est, post Henrici mortem, contra ejus declaratam voluntatem, Eduardi regis tempore Zvingliana hæresis in regno prævaluit. Postea vero tempore Elisabethæ Calvinismus introductus est, idemque usque in hunc diem, vel omnino, vel majori ex parte perseverat; nam perfecta stabilitas vel conformitas in hujusmodi sectis durare non potest, ut in superioribus probatum est. Compertum est autem Calvinum magnum hæresiarcham fuisse, ejusque sectam hæresim esse; ergo dubitari non potest, sectam Anglicanam, quæ Calviniana est, sive pura, sive mista ex aliis erroribus, hæresim esse, omnesque, illam pertinaciter sequentes, hæreticos esse. Solum superest ut probemus, Calvinianam sectam hæresim esse: hoc autem duobus modis in sequentibus ostendemus, tum respondendo ad ea quæ in sua præfatione rex Jacobus affert in excusationem sui lapsus in hæresim; tum refellendo ea quæ in accusationem Ecclesiæ Catholicæ objicit; quot enim articulos accusationis opponit, tot suæ sectæ errores prodit.

10. *Ex signis hæresum, quæ a Patribus traduntur, Calvinianam sectam hæresim esse, ostenditur. — Primum signum. — Secundum.* — Prius vero in fine hujus capitis idem ostendere libuit, omnia signa hæresis, quæ a Patribus traduntur, in universa Protestantium secta breviter indicando. Primum signum est origo infecta, vel per superbiam: «Nam una mater superbia omnes hæreses genuit,» ut Augustinus, lib. de Pastoribus, cap. 8, dixit; vel «per invidiam,» quæ (ut scripsit Chrysostomus, hom. 7 in Ep. ad Rom.) «hæreses peperit;» vel «per aviditatem cumulandæ pecuniæ» (ut dixit Basilius, in 5 c. Isaiæ); vel per alia vitia, quæ Paulus late enumerat, 2 Timot., 3, ibi: «Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, etc.,» usque ad illud: «Homines corrupti mente, et reprobi circa fidem.» Talem fuisse Lu-

therum, et per ambitionem et invidiam defecisse a fide, notum est, et in historiis illius temporis legi potest; Calvinum autem simili elatione, et morum improbitate excelluisse, testes sunt plures (1), quos Prateolus, l. 3, verb. «Calvinus,» commemorat. Secundum signum est supra tactum, discordiæ et separationis ab obedientia Romanæ Sedis, quod sæpe in suis Epistolis Cyprianus observat, ut paulo antea retuli; et Augustinus, l. 2 contra Petil., c. 51 et 72, Donatistas maxime reprehendit, quod in cathedram Romanam et Apostolicam blasphemarunt, in quo maxime novi sectarii eos imitantur, et excedunt.

11. *Tertium signum.*—Tertium sit inconstantia et divisio doctrinæ, nihil est enim magis fidei certitudini, et veritati contrarium. De qua re satis in superioribus dictum est. Nunc vero adjungam egregia verba Basilii, in c. 5 Isai., ubi, cum dixisset hæreticos videri sibi sapientes, et alios antecellere, subjungit: «Eam ob rem referta sunt omnia sententiis inter se pugnantibus, et iis qui dogmata tradant, reclamantia suismet auctoribus; quando singuli quique suo dogmati tuendo obstinatius insistunt, et quæ diversæ partis sunt placita, perrumpunt vi, ut evertant et confutent acerrima verborum velitatione.» Et epist. 82, in fine: «Nunquam eisdem verbis contenti stabiles persistunt.» De eadem re late Athanas., Epist. de Decret. contra Arian. hæresim, in principio, et Orat. 1 contra Arian., circa principium, ubi inter alia inquit: «Dum perpetuo scribunt, suamet ipsi immutantes, incertam suam fidem, vel potius certam suam infidelitatem, dementiamque ostendunt.» Quibus consonant verba Hilarii, lib. 3 de Trinit., circa principium: «Hæretici contra Ecclesiam veniunt, sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt.» Similiter et optime auctor Imperf., homil. 20 in Mat.; et Tertull., in Præscript., c. 40. Hanc autem inconstantiam in Luthero, Calvino, et sequa-

(1) Echius, in Actis Lutheri; Surius in Compendio; Sander., de Visib. mon., l. 7.

cibus maxime inventam esse, notarunt sæpe Doctores Catholici, præsertim Cardinalis Bellarm., in suis Controversiis, et late quamplurima congerens Coccius, l. 8 sui Thesauri, art. 7, 8, 9 et 10; et Salmer., tom. 1, ad epist. Pauli, in Prolegom., disp. 6, refert, Saxoniæ ducem dicere solitum esse, se quidem nosse quid præsenti anno sui crederent; quid autem sequenti anno crediturі essent, ignorare. Atque hanc mutationem in Protestantibus Angliæ inventam esse, credibile est; quia tamen mihi exploratum non est, id non affirmo, nec necessarium est, satis est enim quod adhæreant doctrinæ, quæ cum illa instabilitate incepit, nam in vera fide non est «est et non,» sed est tantum «est,» ut dixit Paulus, 2 Corinth., 1.

12. *Quartum signum.* — Quartum signum, et in Protestantibus fortasse maximum est, jactare verbum Dei, corrumpendo et mutilando illud, de quo etiam multa diximus. Singulariter vero hæreticorum jactantiam de verbo Dei describit Vincent. Lirin., c. 35 et 37. Elationem vero et deceptionem in illud exponendo, accusant Basilius proxime citatus, et Athanas., orat. 1 et 2 contra Arian., et orat. in id, «Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,» circa finem; Nazianz., orat. 51, seu ep. 1 ad Cledoni.; item epist. 46 ad Nectarium. Rursus orat. 36, alias 2, de Filio, et 4 de Theolog., in princip., et deinceps in orat. 37, post medium; et optime orat. 42, indicat modum, quo solent hæretici verbum Dei infideliter vel diminute allegare, dicens: «Tu ea quidem, quæ minuunt atque extenuant, profers; quæ autem efferunt, præteris; atque id quidem expendis, quod passus sit; quod autem sponte, non adjungis.» Plura Aug., lib. 7 Genes. ad Litter., c. 9, et de Unitat. Eccles., c. 12 et 13, et lib. 2 contra litter. Petil., cap. 61; Hilar. optime, lib. 2 de Trinit., in princip.; Hieronym., Isai. 4, et Galat. 1. De mutilatione autem Scripturarum eos irridet sæpe Augustinus contra Donatistas, et optime ac generaliter Tertullianus, de Præscript., cap. 17.

13. *Quintum.* — *Sextum.* — *Septimum.* — *Octavum.* — Quin-

tum signum, omnium evidentissimum, et hæresim apertam involvens, est contemnere Ecclesiam Catholicam, eique errorem tribuere, negando esse Catholicam, sibique hanc vocem attribuendo. De quo videri potest Lirin., c. 26; et August., lib. de Unit. Eccles.; multaque sunt in superioribus dicta, et simul est ostensum quam sit hoc proprium Protestantium, et Anglicanæ sectæ. Sextum ad hoc consequens est, Conciliis non acquiescere, ex Athanas., Orat. 1 cont. Arian., parum a princip. Et perinde esse censeo, quædam Concilia sua sponte admittere, alia vero respuere, quia non ipsi acquiescunt Conciliis, sed potius inter illa dijudicant, eaque suo arbitrio approbant vel reprobant. Septimum huic affine est, Patrum auctoritatem contemnere, in quo liberrimus fuit Calvinus, qui etiam ausus est Patres Pharisæis comparare, sicut olim fecerunt Donatistæ, apud Augustinum, lib. 2 contra litter. Petil., cap. 61. Octavum signum superioribus consentaneum est, proprio spiritu duci, sive humano, sive satanico angeli tenebrarum transfigurantis se in angelum lucis. Unde apposite Hilarius, lib. 1 de Trinitat., hæreticos dicit «esse sibi arbitros religionis, cum religionis opus in solo obedientiæ esset officio,» ubi alludere videtur ad illud Pauli: «Captivantes intellectum, etc.» Et lib. 2, in principio, de eisdem ait, «pro voluntatis suæ sensu verba Dei interpretari.» Et multa similia habet lib. 3, parum a principio. Et sæpe Tertullianus, de Præscriptionibus. Aliaque multa in superioribus adduximus.

14. *Nonum signum.— Decimum.— Undecimum.— Duodecimum.*— Nonum signum hæreticæ temeritatis est, fucata eloquentia cum præcipitatione et nimia loquendi libertate. De quo Nazianz., orat. 33, in princip., sic inquit: « Hi vero utinam sicut linguam volubilem habent, atque in nobilioribus ac probatioribus verbis insectandis acrem et vehementem, sic etiam in agendo nonnihil saltem, aut etiam æque, operam collocarent. Id quod si facerent, minus utique cavillatores essent, nec tam absurde atque insolenter in verbis, perinde atque in aleæ ludo

versarentur. » De illorum autem in dicendo præcipitatione, legi potest Gregor., lib. 7 in Job, c. 2. Decimum signum potest esse novitas, antiquæ doctrinæ contraria, seu per defectionem ab antiqua fide; de quo supra dictum est, et videri potest Chrysost., hom. 47 in Matt.; Tertull., de Præscrip., cap. 3, et alii Patres exponentes illud 1 Joan. 2: « Ex nobis exierunt. » Undecimum sit nominis catholici amissio, et nova ab auctore denominatio, de quo et aliis similibus multa in superioribus. Addam vero hic duodecimum et ultimum, a Tertulliano, in Præscr., c. 41, traditum, conversationis ipsorum hæreticorum, quam ipse ibi late describit, et « futilem ac terrenam » esse dicit. Inter alia vero illa maxime verba notanda sunt: « Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui heri laicus; nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.» Hæc igitur signa breviter recensui, ut cum Protestantium moribus, et statu rei Anglicanæ conferri possint, nam si id prudenti consideratione fiat, nemo dubitare poterit quin secta illa hæresis aperta sit, ac subinde professores ejus hæretici.

CAPUT XXIII

Anglicanum schisma pertinaciter sectantes, neque ab hæresi, neque ab hæreticorum nota excusari posse

1. *Rationes, quibus rex ab hæresis nota se liberare conatur, proponuntur.—Prima.*— Adversus ea quæ in superiori capite dicta sunt, procedere possunt rationes, quibus rex in sua Præ-

fatione ab hæresis crimine se purgare contendit, ideoque quanti ponderis illæ sint, diligenter inquirendum est. Et prius quidem in p. 39 et 40, negat, se esse apostatam; deinde contendit neque hæreticum dici posse; verum hæc a nobis melius immutato ordine tractabuntur. Quod ergo hæreticus proprie dici non possit, «etiam ex Catholicorum regulis», pag. 40, probat imprimis his fere verbis: «Cum patrem, paternumque avum idem de fide sentientes habuerim, et in Catholicorum Ecclesia nunquam fuerim, etiam ex ipsorum regulis proprie hæreticus dici non possum.» Secundo, ita virtute argumentatur: Licet Catholicorum ritibus ablutus sim, et ab illis in religione dissentiam, hæreticus dici non possum, quia de baptismi substantia nulla est inter nos lis, neque ulla in hoc doctrinæ capite controversia, cum omnesin nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizemur. Tertiam, et potissimam rationem, quam late ipse proponit, ita summatim colligimus. Rex Angliæ Scripturis sanctis eam fidem adhibet, quæ a Christiano homine debetur, «et in tria symbola fidei libenter jurat», primaque quatuor Concilia generalia tanquam catholica et orthodoxa veneratur et recipit, et quidquid ad salutem necessarium quadringentis post Christum annis unanimi consensu Patres statuerunt, reprehendere non audet, sed vel idem sentit, aut obmutescit; ergo non potest jure censeri hæreticus, nisi forte (ait pag. 62) ab his, «qui pro Deo Papam colunt, eumque sic habent ut scripturam loquentem, ut neque hæresim aliter definiant, quam opinionem quamcumque in causis fidei decisioni Papali contrariam.

2. Hæc sunt quæ ad suam defensionem rex adducit, et licet in ultima ratione totum excusationis suæ pondus constituat, aliasque obiter attingat, nullam tamen prætermittendam duximus, ut et ipsi regi et legentibus omnibus plenius satisfaciamus, nihilque intactum relinquere videamur. Prius vero propter verba regis ultima duo declaranda sunt. Primum, quid sit hæresis, quidve ad illam constituendam sufficiat; secundum, quis sit proprie hæreticus, et quando consensus in aliquem erro-

rem hominem hæreticum constituat. Utramque ex his quæstionibus attingit Augustinus: priorem, in epist. ad Quodvult-Deum, præambula ad libr. de Hæresibus; et posteriorem, in Præfat. ad eumdem librum; et utramque definire dicit esse difficile, promittitque in altera illius operis parte inquirere, quomodo sit definiendus hæreticus; illam tamen partem non scripsit, et ita in illo opere utrumque punctum indecisum reliquit. Ex aliis autem ejusdem Doctoris locis, et aliorum Patrum Theologorumque doctrina, quid in hac materia sentiendum sit, et pro certo habendum, explicare necessarium est, ut aliquo firmo fundamento, sine verborum ambiguitate, niti possit disputatio.

3. *Ex variis hæresis acceptionibus duæ præferentur.—Inter Christianos hæresis in malam partem sumitur.*—Nomen ergo hæresis varias sortitur significationes, etiam in usu theologorum; duæ vero in præsenti maxime distinguendæ sunt, quia ratione illarum varie a Theologis definitur hæresis. Possunt autem explicari per comparationem ad fidem; nam hæresis fidei opponitur, ideoque sicut interdum doctrina, a Deo revelata, fides vocatur, sæpius vero assensus, quo talis doctrina creditur, dicitur fides; ita hæresis interdum dicitur de ipsa doctrina hæretica, interdum etiam de assensu voluntarie præstito tali doctrinæ. Illa enim duo sine dubio valde diversa sunt, non minus in doctrina, seu fide falsa, quam in vera, et ex usu vocis satis constat nomen hæresis ad utrumque significandum usurpari. Cum enim Paulus, Act. 24, dixit: «Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, et Deo meo», de doctrina evangelica loquebatur. Unde Syriaca versio, pro «secta» habet «doctrinam», et vox græca significat «secundum viam» quod proprie dici solet de ratione tota alicujus doctrinæ, quam etiam vox «secta» optime indicat. Noluit autem Paulus doctrinam evangelicam hæresim appellare (ut optime notat Theophyl.), quia non est secundum electionem hominum, a qua nomen hæresis sumpta est, ut advertunt Ter-

tull., de Præscript., c. 6; Hieron., ad Galat., 5, et ad Tit., 3; et Isidor., l. 8 Etymol., c. 3; sed secundum Dei voluntatem et revelationem. Ideoque in lege evangelica, et inter Christianos nomen hæresis in malam partem accipitur, significatque doctrinam, quam aliquis homo sibi eligit, doctrinæ Dei repugnantem. Et inde consequenter electio talis doctrinæ, per assensum in illam, vocatur hæresis; sunt enim illa duo ita conjuncta, ut facile ab uno ad alterum transitus fiat. Et ita Paulus. ad Galat., 5, hæreses ponit inter vitia carnis, ut vertit et notat Hieronymus, juxta vocem græcam, licet latina Vulgata «sectas» vertat; et ad Tit., 3, ait Paulus, hæreticum proprio judicio esse damnatum; constat autem hæreticum ob hæresim damnari; indicat ergo Paulus illud proprium judicium esse hæresim, ubi etiam id sentit Hieronymus, et clarius Tertullianus, dicto c. 6.

4. *Doctrina fidei contraria apte hæretica propositio vocatur, assensus vero talis doctrinæ hæresis.—Propositio hæretica quid.*— Ut ergo distinctius utramque partem definiamus, priorem vocemus propositionem hæreticam, posteriorem autem hæresim; nam verisimile est ecclesiastico usu et more, peccatum illud, quod eligendo falsam doctrinam, ad credendum illi, seu quod spontaneo et libero assensu talis doctrinæ committitur, hæresim esse appellatum, nam hoc vera etymologia vocis magis indicat. Propositio ergo hæretica illa est, quæ recedit a regula veritatis catholicæ, illique opponitur, seu contradicit. Ita docet Augustinus, libro de Vera relig., c. 5 et 6, ubi vocat, «pravam doctrinam, a regula veritatis aversam;» et cap. 7: «Est» (inquit) «prava opinio, a regula et communione Ecclesiæ Catholicæ devians;» et orat. cont. Judæos, paganos et Arianos, c. 20, vocat, «hæreticorum errorem contra veram Ecclesiæ Catholicæ fidem.» Similiter Tertullian., de Pæscript., c. 6, dicit esse «adulterinam doctrinam, quam quis proprio arbitrio et electione inducit, vel ab alio inductam amplectitur.» Cum autem adulterinam vocat, intelligit a Christo vel Ecclesia, sicut cap. 37 dicit, «hæreticos non a Christo habere, quod de sua electione

sectantur.» Et in eodem sensu ait de hæreticis, cap. 44, «fidem stuprasse adulterio hæretico, Virginem traditam a Christo. Denique communis est usus illius vocis in dicta significatione, neque in illa est differentia inter nos et Protestantes. Quia vero propositio constituitur seu definitur hæretica per recessum a regula, et quia privative opponitur propositioni seu veritati fidei, ideo ad comprehendendam formalem rationem propositionis hæreticæ, oportet præfigere regulam credendi, et explicare quid necessarium sit, ut aliqua propositio censeatur de fide; nam hoc semel posito, facile constabit assertionem contrariam hæreticam esse.

5. Atque hoc punctum attigit rex in ultimis verbis supra citatis, et irridet Catholicos definientes, hæresim esse «opinionem quamcumque, in causis fidei, decisioni Papali contrariam.» Oportuisset autem, quandoquidem hæc definitio illi displicet, aliam tradere, qua nobis explicaret quid per hæresim intelligat, ut ita se a macula hæresis liberum ostenderet. At proculdubio id nullatenus explicare potest, nisi in labyrinthum incidat prorsus inextricabilem, pro regula fidei solam Scripturam, eamque propria et privata scientia certa intellectam, assignans. Quæ doctrina, ut supra ostendi, non solum viam latissimam omnibus erroribus sternit, verum etiam, quam pro regula hæresis assignavit Paulus, pro regula fidei catholicæ tradit, utique proprium credentis judicium. De hæretico enim ait Paulus, ad Tit., 3: «Subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, proprio judicio condemnatus,» quia «in quo damnatur, sibi eligit,» ut addidit Tertullianus, «unde et hæreticus est nominatus.» Regula ergo hæresis est proprium judicium, hoc est, communi judicio Ecclesiæ contrarium. Qui vero in proprium spiritum fidei certitudinem verumque sensum Scripturæ revocant, nihil aliud quam proprium judicium pro regula fidei constituunt. Quid enim est propriùs spiritus, nisi proprium judicium? Aut quomodo discernitur ille spiritus, ab his qui in illo confidunt, nisi arbitratu suo? Confundunt ergo regulam fidei cum funda-

mento hæresis, et ideo mirum non est quod hæresim pro fide teneant, et fidem ut hæresim rejiciant. Præterquam quod (ut in superioribus dicebam) nullum jure possunt ut hæreticum damnare, cum nemo proprium judicium alterius ejusve privatum spiritum in rebus fidei sequi teneatur; nemo ergo erit hæreticus, discordando a regula fidei, quam illi constituunt.

6. *Vera fidei regula statuitur.*—Doctrina ergo solida et catholica, regulam fidei esse dicit Scripturam sacram, non solam, nec privato sensu intellectam, sed cum aliis regulis, quæ in ipsa commendantur, eamque conservant, discernunt et interpretantur, traditione, inquam, et ipsa Ecclesia, quæ est viva regula, per quam Spiritus Sanctus loquitur, eamque regit et facit, ut sit columna et firmamentum veritatis. Et idcirco licet Scriptura et traditio purum ac verbum Dei contineant, quod est primaria regula fidei, nihilominus, quia Ecclesia est quæ Scripturas, traditiones, et sensus illarum infallibiliter nobis explicat et proponit, ideo solet a Patribus tanquam sufficiens regula fidei commemorari. Unde Irenæus, lib 3 contra hæres., c. 4: «Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere»; et c. 11, in fine, præfert spiritum Ecclesiæ omni privato spiritui; et lib. 4, cap. 43 et 45, in sola Ecclesia esse veram traditionem, veramque Scripturæ intelligentiam. Cyprianus, ep. 73, ait Ecclesiæ Catholicæ doctrinam firmiter tenendam esse et docendam, et late epist. 76; Augustinus etiam passim utitur hac sola Ecclesiæ regula ad confirmandas veritates fidei, ut ex locis proxime allegatis constat; et ex lib. de Hæresibus, in fine, ubi ait satis esse scire, Ecclesiam contra aliquam doctrinam, ut a fide alienam, sentire, ut a nullo fideli recipiatur. Idem optime, lib. 1 contra Cresconium, c. 32 et 33, et ep. 48, et aliis libris contra Donatistis, item epist. 99, et in ep. 118, cap. 5, «disputare contra doctrinam universalis Ecclesiæ, insolentissimæ dementiæ esse», dicit. Eamdem pro regula fidei et veræ doctrinæ ponit, lib. de Vera relig., c 5, 6, 7, et lib. 1 de Moribus Eccles, cath., c. 30, lib. 3 de Libero arbitr.,

c. 23, et gravissime lib. de Utilit. credendi, c. 17, ubi de Ecclesia inquit: «Culmen auctoritatis obtinuit, cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis ignorantiæ.» Pluraque alia tum ex Sanctis et antiquis Patribus, tum ex Scriptura ipsa in superioribus adduximus.

7. *Propositio, quæ ab Ecclesia tanquam de fide credenda proponitur, est de fide.*—Ex quibus breviter inferimus, illam propositionem esse de fide, quam Ecclesiæ Catholicæ auctoritas nobis tanquam de fide credendam proponit: in hac enim regula continentur omnia, quæ vel in Scriptura sunt, vel in Conciliis approbatis sunt definita. Unde e contrario, propositio hæretica illa est, quæ contraria est Ecclesiæ definitioni, seu alicui propositioni per Ecclesiam definitæ modo explicato. Locuti autem sumus de Ecclesia, ejusque definitionibus, ut a quæstione de potestate Pontificis Romani ad definiendas veritates fidei, quam rex videtur suis verbis involvere voluisse, nunc abstineamus, ne a scopo et intentione nostra divertamur. Etsi enim verissimum sit, definitionem Pontificis ex cathedra loquentis infallibilem veritatem continere, omnesque fideles teneri ad illam firmiter credendam, hoc tamen diversum non est ab eo quod diximus; nam cum Pontifex definit, Ecclesia per caput suum loquitur, neque corpus separatur a capite, nec caput a corpore; quia vero magis limitatum est, nam Ecclesia etiam aliis modis potest veritates fidei proponere, approbante etiam Pontifice, ut per Concilia generalia, et per universalem consensionem Ecclesiæ, ideo ad comprehendendum omnia, et ad vitandas controversias, generalius locuti sumus. Nam definitiones esse debent, quoad fieri possit, communes, et extra controversiam. Ita ergo pro loci opportunitate satis videtur explicatum, quid sit hæresis quoad materiam, seu quid sit propositio hæretica.

8. *Hæresis definitio.—Explicatur definitio.*—Ex his autem, quæ de propositione hæretica dicta sunt, facile definiri potest quid hæresis sit, prout opus est seu vitium hominis. Est itaque hæresis deliberatus assensus, seu credulitas alicujus hæreticæ

propositionis. Et in idem recidit quod scholastici dicunt, esse falsam opinionem circa ea quæ sunt fidei. Itaque tam doctrina fidei quam illi contraria potest dici materia, circa quam hæresis versatur; diverso tamen modo; doctrina quidem fidei, deficiendo ab illa, seu illam falsam judicando; contraria vero doctrina, eligendo illam ut veram, eique fidem adhibendo. Dicimus autem hæresim esse voluntarium assensum, tum quia hæresis juxta nomen suum, ex electione propria et arbitraria procedit; tum etiam quia hæresis in malam partem accipitur, ita ut non tantum falsum assensum mentis, sed etiam culpam, lapsumque voluntatis involvat; ideoque (ut mox dicemus) licet quis erret, assentiendo propositioni fidei contrariæ, non incidit in hæresim propriam, id est, assensus ejus non censebitur hæreticus, seu propria hæresis, nisi repugnantiam cum fide catholica cognoscat, et ea non obstante, talem doctrinam ut veram eligat et credat. Et hac ratione dixit Paulus ad Tit., 3 : «Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita.» Quamvis enim Paulus non rationem seu substantiam hæresis tradat, sed modum cavendi hæreticos doceat, insinuat nihilominus propriam hæresim non committi, donec aliquis sciat, sufficienterque advertat, qualis sit doctrina quam eligit.

9. Hæc ergo conditio ex parte assentientis necessaria est; ex parte vero materiæ generatim dicimus, hæresim esse assensum de re fidei contraria. Quia materia fidei multiplex est: sunt enim in ea dogmata ad Deum unum et trinum, ejusque atributa pertinentia, alia ad Christi humanitatem, ejusque cum verbo hypostaticam unionem, et in universum ad hominum redemptionem spectantia, et cum his connexa sunt ea, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ institutionem et hierarchiam, ejusque sacramenta, mores et cæremonias, necnon ad veram remisionem peccatorum, veramque justitiam, præmiumque et pœnam humanorum operum spectant; dum ergo materiam fidei in hæresis definitione indefinite ponimus, omnia prædicta dogmata complectimur. Vera enim et propria hæresis in quocumque dogmate fidei

committitur. Nam si a Deo revelatum sit, eadem fidei certitudine credendum est, in quacumque materia versetur. Unde etiam fit ut ad veram hæresim, quæ totam fidem destruat, voluntarius assensus uni tantum dogmati fidei contrarius in quacumque materia sufficiat. Quia unicum mendacium, etiam in re minima ad fidem pertinente, supremam Dei auctoritatem destrueret, et quælibet assertio falsa, si inter dogmata fidei inveniri posset, reliqua omnia incerta et ambigua redderet, ac proinde quilibet assensus, cuicumque dogmati fidei contrarius, hæresis est, penitus destruens fidem. Unde Paulus scribens ad Galatas, qui circa observationem legalium falsam opinionem, et Evangelio contrariam eligere volebant, licet in aliis mysteriis fidei non errarent: «Evacuati estis (inquit) a Christo, qui in lege justificamini.» Et infra: «Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos, modicum fermentum totam massam corrumpit.» Per quæ verba indicat, illum errorem (si in eo pertinaces essent) fuisse sufficientem ad evacuandam et corrumpendam totam illorum fidem. Sic etiam schisma Donatistarum in hæresim transiit, pertinaci animo adhærendo uni vel alteri errori in materia baptismi, vel Ecclesiæ, etiamsi in aliis rebus fidei non errarent, ut ex Cypriano et Augustino sæpe retuli, et in sequenti puncto iterum confirmabo.

10. *Propria hæretici definitio traditur. — Comprobatur definitio ex Augustino.* — Tandem colligitur ex dictis, quis proprie et in rigore hæreticus dicatur; est enim ille, ex Origen., in id ad Tit., 3: «Hæreticum hominem, etc.,» apud Pamphil. in Apolog.: «Qui se Christo credere profitetur, et aliquod dogma in ecclesiastico ordine receptum commutare, vel subvertere conatur.» Sumiturque ex Paulo, dicto loco ad Titum, 3, juncta expositione Patrum, et communi consensu Doctorum, et recepto usu illius vocis in Ecclesia. Nomen enim hæretici non omnibus infidelibus tribuitur, sed illis tantum, qui Christum confitentes, ejus fidem ex parte negant, nam cæteri infideles Judæi potius,

Pagani, aut Gentiles appellantur. Est ergo hæreticus ille, qui sub nomine christiano (nam Christum se credere dicit) veritatem fidei Christi corrumpit, aliquid contra illam sentiendo. Oportet autem ut ex propria electione, et cum sufficienti cognitione et judicio hoc faciat, nam si per ignorantiam, vel incogitantiam error contingat, hæreticum non constituit, quia nondum proprio judicio damnatus est, neque propriam hæresim commisit. Et hac ratione Augustinus sæpe distinguit inter hæreticum, et credentem hæreticis. Librum enim de Utilit. credendi sic orditur: «Si mihi, o Honorate, unus atque idem videretur esse hæreticus, et credens hæreticis homo, tam lingua, quam stylo in hac causa mihi esse conquiescendum arbitrarer. Nunc vero inter hæc duo plurimum interest, quandoquidem hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ, principatusque sui gratia falsas vel novas opiniones, vel gignit, vel sequitur» (utique in materia fidei); «ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est imagine quadam veritatis ac pietatis illusus.» In priori namque membro significare voluit Augustinus, ut homo, errando in fide, constituatur proprie et simpliciter hæreticus, necessarium esse ut propria electione, et videns se ab universali Ecclesia dissentire, in errorem se præcipitet; et quia hoc moraliter non fit, nisi propter humanum vitium seu motivum, ideo illas particulas posuit Augustinus in definitione hæretici, quæ magis occasionem seu causam voluntarie errandi, quam intrinsecam conditionem hæresis declarant. In altero autem membro docet, errorem ex ignorantia, quod fidei aut Ecclesiæ repugnet, non constituere hominem hæreticum. Quod erit longe certius, si talis ignorantia probabilis (ut aiunt) seu invincibilis sit; si vero sit ex gravi negligentia et nimia facilitate, non excusabit omnino culpam; excusabit nihilominus eum gradum, et magnitudinem culpæ, quæ ad constituendum, seu simpliciter denominandum hæreticum, juxta communem usum sapientium, et totius Ecclesiæ, sufficiat.

11. Eamdemque doctrinam habet idem Augustinus, Epist. 16, in principio, dicens: «Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed a seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quæ-runt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum in-venerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.» E con-trario vero, lib. 18 de Civitat., cap. 51, sic inquit: «Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correp-ti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt, et foras euntes habentur in exercen-tibus inimicis.» Denique lib. 4 de Baptism., c. 16, adhibito exemplo, utrumque membrum declarat, dicens: «Constituamus duos, unumque eorum id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, et in ejus hæresi baptizari extra Ecclesiæ commu-nionem; alium vero hoc idem sentire, sed in Catholica bapti-zari, existimantem istam esse catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei, resistere maluerit, et illud, quod tenebat, eligere; quod ante-quam fiat, manifestum est illum, qui foris baptizatus est, esse pejorem.» Quæ testimonia ideo refero, quia multa in eis notari possunt, quæ in præsenti causa magnum pondus habent, ut statim etiam indicabo. Est ergo, teste Augustino, necessaria pertinacia in hæresi, ut qui illam elegit, hæreticus habeatur. Et hanc pertinaciam per verbum «eligendi» significavimus cum Hieron., ad Titum, c. 3, et Tertull., dicto cap. 6, de Præscr. hæret., qui propterea, lib. 1 contra Marcion., c. 1, significat illum esse maxime hæreticum, qui a priori fide recedit, «et Deum quem invenerat, extincto lumine fidei suæ, amisit, ut hinc jam destinari possit hæreticus, qui deserto quod prius fue-rat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat. In tantum enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum habe-bitur, quod retro, et a primordio traditum est.»

12. *Unum dogma fidei contrarium ad hæreticum constituendum sufficere, probatur ex Patribus.— Ratione idem probatur.* —Locutus sum autem in descriptione in singulari de dogmate, vel assensu fidei contrario, ut denotarem ad hæreticum constituendum satis esse, quod vel in una re tantum a doctrina Catholicæ Ecclesiæ voluntarie dissentiat. Quod ex dictis de hæresi satis per se clarum est. Idque late tradit Origenes, in dicto loco ad Titum, 3, recensendo multa specialia dogmata, quæ ad causam præsentem magna ex parte pertinent, adjiciens, unum illorum sufficere ad constituendum hominem hæreticum. Augustinus etiam in locis allegatis, licet interdum in plurali loquatur de illo qui falsas vel novas opiniones gignit aut sequitur, sæpius in singulari loquitur de illo, qui perversam sententiam vel aliquid morbidum pertinaciter defendit. Unde libro de Hæresibus, in fine, duas classes hæreticorum his verbis distinguit: «Sunt hæretici, quod fatendum est, qui singulis vel non multo amplius dogmatibus oppugnant regulam veritatis, sicut Macedoniani, vel Photiniani, et quicumque alii ita sese habent. Alii autem (ut ita dixerim) fabulones, id est, qui fabulas vanas, easdemque longas, perplexasque contexuerunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, ut ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillime possint.» Et profecto Lutherus, Calvinus, et similes in hoc posteriori ordine ponendi sunt; tot enim multiplicarunt errores, et tam confuse, et inconstanter eos tradiderunt in controversiis de Ecclesia, de fide justificante, de necessitate operum, libertate arbitrii, sacramentis, et similibus ut vix numerari, vel percipi possint. Henricus item VIII rex Angliæ, si mente credidit, jure potuisse facere quod facto usurpavit, inter hæreticos primi ordinis numerandus erit, cum in uno saltem dogmate contra Catholicam Ecclesiam sentire elegerit. Quod enim unum dogma sufficiat, patet facile ex dictis: hæreticus siquidem ab hæresi denominatur, quia illam amplectitur, vel committit; sed ad hæresim sufficit unum falsum dogma, seu voluntarius assensus illius; ergo etiam sufficit ad hæ-

reticum constituendum. Item unum falsum dogma destruit totam fidem, et voluntarius assensus ejus, etiamsi unus tantum sit, et in una sola materia, totam fidem divinam in tali homine destruit; ergo constituit illum vere hæreticum. Denique constituit infidelem; et non in altera specie, ut constat; ergo constituit hæreticum.

13. Ex his ergo principiis, quæ certissima sunt, et rex Jacobus negare non potest, si sapere velit, ipse de se judicium proferat, an a se ipso damnatus sit, ut more Tertuliani et Cypriani loquar (1). Nos enim summopere cupimus, regem hæreticum non esse, et fugimus nominare, scimus enim Augustinum cum Pelagianis disputantem dixisse (2): «Possemus forsitan, si vellemus, eos hæreticos appellare, nec tamen appellamus.» Non tamen propterea omittebat veritatem eis ostendere, et conscientiam illorum convenire, et omnibus convincere, ut corriperentur, et ad meliorem mentem redirent. Optimamque reddit rationem: «Quia in rebus nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis ferendus est error, non tamen progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur. Non expedit. Adhuc forte non est reprehendenda patientia, sed debemus timere, ne culpetur etiam negligentia.» Quandoquidem igitur nos in ea causa cum rege Jacobo contendimus, in qua fundamentum Ecclesiæ quatere molitur, simili etiam affectu, impari quamvis ingenio, vel auctoritate, statum ejus demonstrare studemus, non ut illum hæreticum vocitemus, sed ut ipse resipiscat, et videat ne sit, quod appellari merito recusat. Nam profecto excusationes ejus nullius momenti vel ipsimet regi perpendenti apparebunt. Nullaque alia (procul dubio) excogitari potest, qua rationes et probationes adductæ eludantur.

---

(1) Tert., de Præscript., c. 6; Cypr., ep. 55, in fine.

(2) August., serm. 14, de Verb. Apost., cap. ult.

CAPUT XXIV

Rationes, quibus rex hæretici maculam fugere studet, refelluntur

1. In prima igitur ratione sua, duo excusationis capita rex indicat: unum, quod patrem et avum paternum ejusdem sectæ, quam ipse nunc profitetur, habuerit; alterum, quod in Catholica Ecclesia nunquam fuerit. In priori capite omittendum illud censui, quod ad veritatem historiæ pertinet, quia multi vel illud negant, vel in dubium revocant. Nam cum rex neque patrem neque avum cognoverit, quos ante usum rationis amisit, et ab hæreticis educatus, et inter eos semper conversatus fuerit, facile potuit hac in re ab eis decipi, ut ipsum in errorem suum facilius inducerent. Verumtamen quidquid avus vel pater ejus de fide senserint, eorum lapsus propriam hæresim non excusabit, si post sufficientem monitionem et instructionem, illam non correxit. Relegat, quæso, sententiam Augustini paulo antea citatam, ex Epist. 162, ubi loquens in specie de illis qui falsam et perversam credunt doctrinam, quam non audacia sua pepererunt, sed a seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, tunc solum eos inter hæreticos non deputat, quando non pertinaci animo talem doctrinam defendunt, sed de veritate solliciti, parati sunt errorem corrigere. E contrario vero in aliis locis sine ulla distinctione, ut hæreticum damnat pertinacem in errore, sive illum per se invenerit, sive a falso doctore, sive a parente didicerit. Quod etiam ratio ipsa manifeste ostendit, nam parentis error, quando jam a prole discerni potest, ipsius culpam non excusat, quin potius accusat.

2. *Regem Jacobum in Catholica Ecclesia aliquando fuisse probatur.—Catechumenus rite ab hæretico baptizatus vere mem-*

brum Ecclesiæ efficitur.—Quod vero rex addit, nunquam in eadem Ecclesia cum Catholicis fuisse, imprimis ex confessione ejus, addito vero Theologiæ principio, negari merito potest. Ipse enim fatetur se fuisse ritu catholico baptizatum, cum adhuc sub cura et potestate serenissimæ reginæ et catholicæ matris existeret; ex his autem principiis manifeste concluditur, ipsum fuisse spiritualiter genitum in Ecclesia Catholica, non in hæreticorum synagoga, quia et baptismus, quo fuit regeneratus, est proprium donum Ecclesiæ Catholicæ, licet interdum ab hæreticis possideatur et ministretur, ut ait Augustinus, lib. 1 de Baptismo, cap. 10; et serenissima ipsius mater, sub cujus potestate tunc erat rex, unita erat Ecclesiæ Catholicæ, ut membrum ejus, per fidem quam profitebatur; ergo etiam filius regeneratus est Ecclesiæ, tanquam ejusdem membrum. Imo quamvis nullus ex parentibus esset Catholicus, per solum baptismum rite ministratum, et non indigne receptum, factus esset Ecclesiæ Catholicæ membrum, quia veram justitiam, et fidem Christi per baptismum accepit, simul cum Christi charactere; ergo conjunctus fuit Ecclesiæ per sacramentum fidei, et per fidem sacramenti, quod satis omnino est ut fuerit membrum ejus. Sicut etiam catechumenus vere fidelis et catholicus, si propter necessitatem ab hæretico baptizetur cum vera fide, et convenienti dispositione, plene sanctificatur, et unitur Christo ut capiti, et Ecclesiæ Catholicæ ut corpori ejus, juxta doctrinam Augustini, lib. 1 de Baptism., c. 2; ergo idem sentiendum est de infante, etiamsi a ministro hæretico, et sub parentibus hæreticis baptizetur. Quia licet ministri vel parentes errent privato errore, nihilominus baptizatur in fide veræ Ecclesiæ, et per eamdem fidem, quam in baptismo accipit infusam, membrum ejusdem Ecclesiæ efficitur, etiamsi sub potestate alienorum, et hostium Ecclesiæ detineatur. Quamdiu ergo rex Angliæ baptismalem justitiam et fidem non amisit, in Ecclesia Catholica fuit; nam ab illa fuit regeneratus, juxta doctrinam Augustini, lib. 1 de Baptismo,

cap. 10, et ab eadem habuit characterem, et fidem, qua sibi illum conjunxit. Nam in illa ætate, quæ actus fidei capax non est, ad prædictam unionem habitus sufficit, cum etiam ad unionem cum Christo sufficiat; ergo ex illo capite excusari non potest, quominus, amittendo postea fidem per proprium actum hæresis, ab Ecclesia Catholica defecerit.

3. *Potest aliquis esse hæreticus, etiamsi in Ecclesia Catholica nunquam extiterit.*—Et quamvis hæc verissima sint, addi præterea potest, posse aliquem esse vere et proprie hæreticum, etiamsi nunquam in Ecclesia Catholica fuerit. Nam si quis a principio instructus fuit ab hæreticis non rite baptizantibus, posteaque in errore semel concepto post sufficientem animadversionem pertinaciter duret, vere fit hæreticus, quia incipit esse infidelis sub nomine Christiano, et tamen ille nunquam fuit in Ecclesia, quia neque verum baptismum, neque veram fidem in habitu vel in actu habuit. Et hoc modo docent interdum Concilia et Patres, ut hæretici non rite baptizati venientes ad Ecclesiam per baptismum recipiantur, ut de Paulianistis statuit Concilium Nicænum, canon. 19. Erant ergo illi hæretici, quamvis antea nunquam in Ecclesia Catholica fuissent. Ratio vero est, quia de ratione hæretici non est ut sit vere baptizatus, sed sufficit quod, cum Christum confiteatur, in ipsius fide pertinaciter contra Catholicam Ecclesiam sentiat. Quin potius licet aliquis non solum vere baptizatus non sit, verum etiam nunquam fuerit Catholicus, potest esse hæreticus, si cognoscendo et confitendo Christum, veram ejus fidem non integre profiteatur. Hoc enim satis est ad infidelitatem hæresis, etiamsi persona sic errans nunquam fidem catholicam prius professa fuerit, et ab illa postea discesserit; nam hoc ad circumstantiam apostasiæ necessarium est, non ad propriam maculam hæresis, quæ sine illa circumstantia inveniri potest juxta doctrinam D. Thomæ 2, 2, q. 11 et 12. Loquimur autem de hæretico quoad culpam, non quoad pœnas Ecclesiæ, quia ut illas incurrat, characterem baptismi habere oportebit, per se loquendo, ut latius

in dicto loco de Infidelitate tractatur. Hoc ergo nunc satis fuerit ad ostendendum, regis excusationem, neque in eo quod assumit, neque in illatione fundamentum habere.

4. *Refellitur secunda regis ratio.*—In secunda etiam excusatione non recte rex colligit, nam licet quispiam rite baptizatus sit, nullumque errorem circa baptismum, nullamve controversiam in ea materia cum Catholicis habeat, nihilominus propter errores in aliis articulis fidei pertinaciter conceptos, potest esse hæreticus. Alias neque Arius, neque Lutherus, neque aliis similes fuissent hæretici; nam fuerunt rite baptizati, et circa baptismum vel ritum ejus controversias non excitarunt, sed propter alias hæreses hæretici facti sunt. Ad præsentem ergo causam parum refert, quod rex fuerit rite baptizatus, et quod de baptismo controversiam nobiscum non habeat, sed considerandum est, num in aliis rebus fidei a Catholica Ecclesia dissentiat. Nam, ut Augustinus (1), (aliud agens) dixit: «Non sacramenta christiana te faciunt hæreticum, sed prava dissensio.» Alloquiturque Donatistas, de quibus paulo post dicit: «Nobiscum estis in baptismo, in Symbolo, et in cæteris sacramentis Dominicis; in spiritu autem unitatis, et vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis.» Quælibet ergo dissensio ab Ecclesia Catholica in doctrina fidei facit hæreticum eum, qui in Christum credere profitetur, etiamsi nec baptismo careat, nec circa baptismum erret.

5. *Diluitur ultima ratio.*—Superest ultima ratio, in qua rex ea, quæ credit, enumerat, ut inde se Catholicum esse comprobet. Sed profecto non recte colligit, tum quia nec sufficienter credit ea quæ enumerat, neque sufficienter enumerat quæ Catholicus credere deberet. Primum itaque ait, se fidem adhibere Scripturis sanctis; sed quibus? non omnibus quas Catholica Ecclesia approbavit, sed quas ipse sibi elegit credendas;

(1) Ep. 48.

ergo fides, quam Scripturis adhibet, catholica non est; nam catholica fides universalis est, et non aliunde quam ab Ecclesia Catholica, teste Augustino, recepit Scripturas. Deinde quem sensum Scripturæ sanctæ sua fide credit? Quem nempe sua certa scientia invenisse se credit. Non ergo per fidem catholicam Scripturis credit; nam fides catholica proprio judicio, et privato spiritu nequaquam nititur, sed Ecclesiæ Catholicæ in exponendis Scripturis regulam tenet. Verum hæc in superioribus late tractata sunt.

6. *Ad veram fidei confessionem non sufficiunt Smybola, absque catholico sensu credita.*—Secundo numerat rex Symbola fidei, in quæ se jurare dicit. Sed de his (ut supra etiam notavi) interrogandus est, an in omnibus illa Symbola recipiat in eo sensu, quo Catholica Ecclesia illa recipit; nam si hoc affirmare non audet (quia revera non ita est), tenere aut jurare litteram Symboli non satis est, ut se Catholicum ostendat. Sententia est Cypriani, Epist. 76 ad Magnum, ubi cum dixisset, schismaticos, utique hæreticos, gentilibus adæquari, subjungit: «Quod si aliquis illud opponat, ut dicat, eamdem Novatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat, eodem Symbolo quo et nos baptizare, eumdem nosse Deum Patrem, eumdem Filium, eumdem Spiritum Sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione baptismi a nobis non discrepare, sciat quisquis hoc opponendum putat, primum non esse unam nobis et schismaticis symboli legem, neque eamdem interrogationem. Nam cum dicunt: Credis remissionem peccatorum, et vitam æternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam», etc. In qua Cypriani sententia solum pondero, ad professionem et veram fidei confessionem, non satis esse recipere verba Symboli, vel in ea jurare, nisi in sensu catholico credantur, neque satis esse (ut etiam subjungit Cyprianus) confiteri Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, etiam in sensu catholico, si alii articuli de remissione peccatorum, et de una

sancta et Catholica Ecclesia in perverso retineantur sensu, sicut constat intelligi a Protestantibus. Nam ex dictis supra de Ecclesia manifeste liquet, quantum in articulo de Ecclesia omnes illi errent, quod nunc nobis sufficit: nam de aliis articulis non est hic disputandi locus.

7. *Omnia authentica Concilia æquali certitudine recipienda sunt.*—Tertio numerat rex quatuor prima Concilia generalia, eaque dicit se tanquam Catholica et orthodoxa venerari. Ubi etiam statim interrogandum occurrit, cur hæc potius, quam quintum, vel sextum, vel alia authentica usque ad Concilium Tridentinum recipiat. Nam si externam speciem seu solemnitatem (ut ita dicam) spectemus, non minor fuit posterioribus Conciliis generalibus, quam illis quatuor primis, nam eadem auctoritate Pontificia congregata et confirmata fuerunt, et convocatio æque universalis fuit, et concursus vel æque frequens, vel interdum major, vel si aliquando fuit minor, parum refert, idem siquidem contigit in quatuor primis Conciliis, hocque accidentarium prorsus est ad Concilii universalitatem, idemque cum proportione dico de sapientia, aut sanctitate personarum ad Concilia venientium, eaque celebrantium. Si autem in Conciliis consideremus internam et primariam virtutem eorum, quæ est assistentia Spiritus Sancti, et hanc credit, et hoc recognoscit rex in quatuor primis Conciliis, et ideo illa veneratur, cur non credit et recognoscit eamdem in posterioribus Conciliis, et pari veneratione ea recipit? Certe non video quid respondere possit, nisi vel post tempora quatuor primorum Conciliorum Ecclesiam Catholicam jam periisse, et a vera fide defecisse, et ideo Concilia illius, quamtumvis generalia, jam non fuisse vera Concilia, sed congregationes perfidorum, vel se et suos per privatum spiritum proprium posse discernere inter vera et falsa Concilia, et per illum approbare quatuor prima, et non reliqua. Sed de his et similibus responsis, quam vana et voluntaria, quamque per se incredibilia apud quemcumque virum prudentem, quam denique erronea, et non solum Sanctis Patribus, sed

etiam Scripturis sanctis contraria sint, satis est a nobis in superioribus demonstratum.

8. *Præcluditur evasio quædam regis.*—Fortasse aliud fuit regis consilium, illa potius venerandi Concilia quam alia, non quia assistentiam Spiritus Sancti veris Conciliis credat esse promissam, neque etiam quia crediderit errare non potuisse, sed quia judicat de facto non errasse, sed consentanee ad Scripturas sacras docuisse, quod de aliis Conciliis non judicat. Quod si ita de Conciliis sentit, hoc non est credere Concilio generali tanquam regulæ fidei, sed est proprio judicio approbare Concilium, et reprobare; hoc autem modo recipere Concilia, ad humanam opinionem potius quam ad fidem pertinet. Et hinc etiam provenire videtur, ut Protestantes non plene et integre illa Concilia recipientes venerentur, sed in ea tantum parte doctrinæ, quæ illis non contradicit, non tamen in aliis decretis, præsertim moralibus, neque in modo deducendi veritatem ex traditionibus Ecclesiæ, et consensu Patrum, neque in recognitione Sedis Apostolicæ Romanæ, cui semper primas deferunt, ut erudite notavit in sua Apologia doctissimus Cardinalis Bellarminus, cap. 7, et juxta occurrentes occasiones in sequentibus declarabimus.

9. Quarto denique commemorat rex Patrum consensum unanimem, eorum videlicet, qui quadringentis vel quingentis annis post Christum fuerunt. Ubi statim ocurrit eadem objectio, quia gratis soloque arbitrio suo discernit inter Patres majoris vel minoris antiquitatis, cum multi, tempore inæquales, nec sanctitate, nec sapientia fuerint inferiores; et (quod caput est) in rebus ad fidem et salutem pertinentibus a vestigiis antiquorum non discesserint ut Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis, Isidorus, Joannes Damascenus, venerabilis Beda, Remigius, Petrus, Damianus, Anselmus, Bernardus, Thomas, Bonaventura, Laurentius Justinianus, et alii similes. Deinde inter illos antiquos Patres merito numerantur Dionysius et Ignatius, quos Protestantes aliqui non solum non admittunt, sed etiam convitiis onerant.

Deinde Leoni I et Innocentio I, et aliis Sanctis illorum temporum Pontificibus, nihil fere deferunt, solum quia Pontifices fuerunt, licet non minori sapientia scripserint. Denique Patres etiam alios, quotiescumque persentiscunt sibi contrarios, facile rejiciunt, vel negando esse eorum scripta, licet eorum nomine circumferantur, vel ipsis errorem attribuendo. Unde etiam ipse in hoc puncto non profitetur se credere omnia, quæ illi Patres unanimi consensu docuerunt, etiam de rebus ad salutem necessariis, sed solum ea non reprehendere, vel ad summum obmutescere, quod parum et diminutum est ad integram fidei confessionem, quia ex hujusmodi unanimi consensu in tali materia consurgit ecclesiastica traditio, quæ continuata semper in Ecclesia Catholica sufficit ad regulam fidei, ut supra probatum est.

10. *Ratio regis insufficiens ostenditur.* — Quamobrem licet concederemus regi, verum simpliciter esse, quod in illa ratione profitetur, de fide quam præbet Symbolis et quatuor Conciliis, nihilominus nec recte nec sufficienter concluderet ejus ratio; alioqui oportebit ut multos, ab Ecclesia ut hæreticos damnatos, hæreticos fuisse inficiemur. Helvidius enim, et qui ab Epiphanio (1) Antidicomarianitæ appellantur, inter hæreticos numerantur ab Augustino (2), quamvis illi fidem adhiberent Scripturis, Symbolis, et Conciliis, quia Beatissimam Mariam alios post Christum filios ex Joseph habuisse solum contendebant; licet id non sit expresse contra Scripturam, Symbola vel quatuor Concilia, sed contra ecclesiasticam ab omnibus Catholicis receptam traditionem. Deinde habemus obtimum exemplum in Donatistis, de quibus ait Cyprianus supra, in principio perseverando in eadem fide, et religione, et usu sacramentorum schisma fecisse, Ecclesiam scindendo, et cathedram ac prima-

(1) Hæres. 78.
(2) Hæres. 56 et 84.

tum usurpando. Addit vero Augustinus, lib. de Hæresibus, in 69: «Pertinaci defensione firmata in hæresim schisma verterunt,» et ita factos esse hæreticos. Explicans autem quomodo primum facti sint hæretici, addit: «Tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cœciliani, seu vera, seu, quod magis judicibus apparuit, falsa, de toto orbe terrarum perierit, ubi futura promissa est, atque in Africa in Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta.» In quibus verbis non obscure innuit Augustinus, Donatistas factos esse hæreticos, male sentiendo de Ecclesia, a qua per schisma fuerunt divisi. Et tamen Donatistæ dicebant se credere Scripturis, et Symbolo Apostolorum; reliqua enim symbola, et quatuor Concilia generalia, quando Donatus incepit, nondum facta fuerant; fidem autem postea in illis definitam tenebant (quantum ex Cypriano et Augustino colligimus), et tamen propter solum errorem, quo male de Ecclesia sentire cœperunt, hæretici facti sunt. Si quis autem recte consideret, idem Protestantibus, et præcipue Anglicanæ sectæ accidisse reperiet, quæ per schisma et usurpationem primatus incepit, et postea eo processit, ut propter communicationem cum Pontifice Romano, cui falsa crimina et errores imposuit, universalem Ecclesiam visibilem defecisse pronunciet.

11. Addit præterea de Donatistis Augustinus: «Audent etiam rebaptizare Catholicos, ubi se amplius hæreticos esse firmarunt, cum Ecclesiæ Catholicæ universæ placuerit, nec in ipsis hæreticis commune baptisma rescindere.» Dicit autem, per hoc amplius firmatur esse hæreticos, quia novam hæresim addiderunt, qua tamen non obstante, diceret Donatus se admittere Scripturam, et Symbolum, et unicum verum baptisma, quod in sua Ecclesia esse contendebat. Hoc autem totum, si non in eadem baptismi materia, in multis aliis similibus, in opinione Anglicana videre licet. Nam postquam cœpit male de Ecclesia sentire, multa contra universalem ejus sensum ac definitionem recepit et docuit, quibus in hæresi amplius firmata

est, ut paulo superius locutus est Augustinus. Possumus præterea in exemplum adducere omnes hæreticos, qui privatos et singulares errores habuerunt, et hæretici ab universa Ecclesia reputantur licet Scripturas, Symbola, et quatuor Concilia generalia, vel ea, quæ suis temporibus facta fuerant, se credere dicerent, ea omnia male interpretando. Ut colligitur ex his, quæ de variis erroribus, quorum singuli ad constituendum hominem hæreticum sufficiunt, refert Origenes ad Titum 3, apud Pamphilum in Apologia. Item ex his, quæ de Pelagianis, Anabaptistis, Monothelitis, Jovinianistis, et aliis, Augustinus, Epiphanius et alii referunt, quos esse hæreticos manifestum est; et ipsi Protestantes multos ex his ita vocare non dubitabunt. Ergo illa excusatio non est sufficiens, quando, illa non obstante, multa contra Ecclesiam Catholicam creduntur, sive aliter interpretando Scripturam, aut Symbola, quam ipsa Ecclesia sentiat, sive multa damnando, quæ ejusdem Ecclesiæ auctoritate approbata ac definita sunt. Talem autem esse fidem suam rex Angliæ non solum non negat, verum etiam expresse affirmat, Catholicam Ecclesiam de variis erroribus accusando; quot enim errores illi objicit, tot hæreses in sua secta invenire confitetur, totiesque docet universalem Ecclesiam posse in fide et moribus errare, quod hæreticum est.

CAPUT XXV

Immerito anglicanam sectam fidem suam, et Ecclesiæ auctoritatem ad quingentesimum Christi annum limitare

1. Priusquam in sequenti libro errores Anglicani schismatis sigillatim refellamus, operæ pretium duxi in præsenti capite, quædam regis verba, quibus (in ita dicam) certos quosdam credulitatis suæ et consensionis cum Ecclesia Romana præs-

cribit terminos, cæterorum utpote fundamenta, proponere diligenterque expendere. Verba autem sunt ejusmodi: «Quod si Romanæ Ecclesiæ officina fidei articulos ante quingentessimum Christi annum inauditos, ac invisos recenter excudit, non sum, credo, damnandus pro hæretico, si ad hæc novitia et nupera non accedam.

2. *Conjecturæ quibus rex ad prædictam credendi regulam astruendam adduci potuit.*—Hæc certe verba veluti generalem credendi regulam continent, seu limitationem quamdam, mensuram, vel terminum, quem credulitati suæ præscribit rex, videlicet, ut ad articulos, propositiones, quæ post quingentesimum Christi annum in Ecclesia definitæ sunt, non extendatur; supponere autem videtur, se credere omnia, quæ quinque primis sæculis Ecclesia tanquam de fide necessaria credidit. Quanquam hanc posteriorem partem affirmantem non tam expresse ponit, sicut alteram negantem. Nam, licet paulo inferius videatur illam etiam profiteri, verbis tamen mutatis, magisque confusis et ambiguis, ne fortasse illis possit contringi, ut infra, quamdam responsionem regis urgendo et exigendo, ponderabo. Nunc ergo circa alteram partem, in qua refugit rex credere, si quid est post quingentessimum annum in Ecclesia definitum, rationem hujus regulæ credendi, vel potius non credendi, a serenissimo rege postulare necessarium judico. Neque enim verisimile est ipsum, pro solo suo arbitratu terminum illius temporis sibi statuisse, alioqui tota ejus fides non solum erit humana, sed etiam prudenti ratione carebit, quod quam christianæ fidei repugnet, omnibus perspicuum manet; ad cujus rationem reddendam parati esse debemus juxta monitionem Petri, 1 canonic., c. 3, quam de ratione inducente ad credendum explicuit August., epist. 222. Potuit itaque rex moveri ad sic limitandam fidem suam, vel quia decrevit nihil sibi esse credendum, nisi quod per suam certam scientiam scriptum esse intelligit in illis libris canonicis, quos ut sacros admittit; vel quia credit Ecclesiam Catholicam gubernatam esse a Spiritu

Sancto ad conservandam puram fidem per quingentos annos, et non amplius; vel quia non loquitur de Ecclesia Catholica, sed de Romana, et illam dicit ab illo tempore errasse. Sed hæc non sufficiunt ad excusandum errorem illius limitationis; imo omnia, et singula convincunt, illam, et contra fidem, et contra rationem esse, ut dicta tria membra examinando patebit.

3. *Solvuntur conjecturæa dductæ.* — *Evasioni occurritur.* — Nam prima ratio facile ex superius dictis refutatur. Tum quia ostendimus, contra fidem et contra rationem esse admittere quosdam libros approbatos ab Ecclesia, et alios repudiare, cum nullus canonici fidem possit sortiri, nisi per auctoritatem Ecclesiæ, et hæc eadem sit in omnibus, ac proinde si in uno inveniatur fallax, incerta in omnibus fiat. Tum quia contra principia fidei, et contra naturalem rationem sit in privatum spiritum fidem reducere, et illam ut certam et omnibus necessariam prædicare. Præterea occurrit hic peculiaris ratio, quia privatus iste spiritus etiam potest suggerere, aliquid in Scriptura esse credendum, aliter quam fuerit intellectum in primis quinque sæculis; et e converso potest quispiam sensum aliquem Scripturæ approbare, qui post quingentos Christi annos ab aliquo etiam privato spiritu excogitatus fuit, licet fuerit contrarius dogmatibus prioribus quinque sæculis receptis; nulla est enim major ratio de uno tempore, quam de alio, si semel aliquis sibi persuadeat fidem esse dandam huic privato spiritui. Quod si fortasse rex dicat, spiritum sibi dictare, in illis quinque primis sæculis non esse erratum ab Ecclesia in intelligentia Scripturarum, et postea esse erratum, certe ostendere non potest ubi hoc legat, ut per suam certam scientiam intelligat, authentice et canonice esse scriptum, et ita constat sine fundamento etiam ab ipso rege discrimen illud seu limitationem temporum præscribi. Quod si conjecturis tantum humanis rex ducatur, statim ostendemus nullas esse, nulliusque ponderis et momenti, unde immerito illas anteponit certæ et indubitatæ fidei.

4. *Secundæ conjecturæ solutio.* — Venio ad secundam ratio-

nem, et simili modo inquiro unde constet, Ecclesiam Catholicam per quingentos primos annos gubernatam esse, et in vera ac pura fide a Spiritu Sancto conservatam. Certe non aliunde, quam ex Christi promissionibus, alioqui voluntarie et sine fundamento enunciatur. At Christus Dominus quingentorum annorum spatium, suæ promissioni limitem, ut ex Scripturis liquet, non præfixit. Sine fundamento ergo fidei Christianæ istiusmodi præfigitur terminus. Imo vero contra fidei fundamentum, quia Christi promissiones indefinitæ sunt, et interminatæ (ut sic di) cam); ergo contra fidem est illis præscribere terminum. Quin potius in eis sæpe addit Dominus de promissione Spiritus, « ut maneat vobiscum in æternum,» et de protectione sua, « usque ad consummationem sæculi; » ergo si a quingentesimo Christi anno cessavit Ecclesia protegi a Christo, et a Spiritu Sancto gubernari, pro majori parte temporis fallax et infidelis fuit promissio, et sic sine causa creditur, illis prioribus temporibus fuisse impletam; vel e converso si fides Ecclesiæ Catholicæ ob eam causam creditur pura in illis primis quinque sæculis, credendum eadem fide est, non minus puram durasse per undecim sequentia sæcula.

5. *Evasio regis.*—*Solutio.*—Dicet fortasse rex, in illis quinque primis sæculis, Ecclesiam conservasse veram fidem, non quia errare non potuerit, sed quia de facto non erravit, postea vero errasse. At si ita sentit de primitiva et antiqua Ecclesia usque ad quingentesimum annum, profecto non credit fide divina Ecclesiam toto illo tempore non errasse, quia nullibi hoc revelatum est, nec in libris canonicis scriptum, nisi in quantum in eis inveniuntur dictæ promissiones, et testimonium Pauli vocantis Ecclesiam columnam et firmamentum veritatis, quæ verba, et limitationem temporis non habent, et propter infallibilem assistentiam Spiritus Sancti ad nunquam errandum pronunciata sunt, Si ergo in hoc sensu non accipiantur, non habet rex unde per fidem credat, Ecclesiam durasse Catholicam in primis illis quinque sæculis, aut non errasse in Concilio Nicæno, vel

aliis tribus, nec etiam potest certa fide credere ipsummet Symbolum Conclii Nicæni, vel Constantinopolitanum, saltem quantum ad additiones in eis factas, et maxime quoad articulum de Ecclesia Catholica prout illis temporibus durante. Solis ergo conjecturis humanis, vel historiis, aut proprio arbitrio ducitur rex in credendo in illis sæculis Ecclesiam non errasse; possetque certe non multum dissimilibus, neque inæqualibus credere idem de posterioribus sæculis, nisi a falsis ministris ab incunabulis contrarium errorem imbibisset. Illa ergo limitatio et discretio temporum statim ostendit, talem fidem non posse esse catholicam, neque in divino verbo fundatam.

6. *Diluitur tertia conjectura. — Dilemma contra regem.* — Tertia vero ratio, seu excusatio (nimirum si rex asserat se non loqui de Ecclesia Catholica, sed de Romana), satis superque in cap. 5 rejecta est, quia nec Romana Ecclesia unquam fuit a Catholica separata, neque Ecclesia Catholica, semel in Romana fundata, ab illa fuit unquam divisa. Præterea si post quingentesimum Christi annum rex loquatur de Romana Ecclesia, oportet ut etiam pro prioribus quinque sæculis de eadem identidem pronunciet eadem; tum quia solum de Ecclesiæ « Romanæ officina » in tota illa sententia loquitur; tum etiam quia alias incongrua esset, et non satis sibi constans vel firma ejus sententia. Concedat ergo necesse est, in illis quingentis primis annis Ecclesiam Romanam non errasse, neque ex officina ejus falsum articulum prodiisse, nam illos articulos, quos tanquam novitios et nuperos reprehendit, ipsemet fatetur in illis quinque primis sæculis fuisse inauditos; fatetur ergo nihil habere quod pro illis sæculis in Ecclesia Romana reprehendat, ac proinde saltem pro eisdem sæculis non errasse. Hoc autem posito, discursum proxime factum recolentes stabilimus. Aut enim creditur Ecclesia Romana illis quinque primis sæculis non errasse, quia errare non potuit propter Spiritus Sancti assistentiam, vel quia de facto, et quasi casu non erravit. Prius membrum licet verissimum sit, scio esse non a rege admittendum, ne tantam prærogativam

et insigne privilegium, vel ad breve tempus, Ecclesiæ Romanæ attribuat, præsertim quia si constanter loqui velit, et pro uno tempore illud recognoscat, pro alio renuere nequaquam potest. Quia si pro quocumque tempore admittatur, fundari debet in promissione Christi; verba autem Christi: «Ego rogabo pro te,» etc., et illa: « Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, » non habent ullam temporis limitationem, sed indefinite prolata omnia futura tempora comprehendunt.

7. Negabit ergo rex, ut credo, habuisse unquam Ecclesiam Romanam hoc privilegium, magisque aliud membrum eliget, scilicet, ipso facto ita evenisse, ut illis quingentis annis Ecclesia Romana non erraverit, licet privilegium non errandi non haberet, ac subinde non certa fide, sed humana conjectura, et libera opinione credit, illis quinque sæculis Ecclesiam Romanam non errasse. Unde ulterius consequitur, idem de Ecclesia Catholica asserendum esse, quod quam sit absurdum, jam declaratum manet. Consecutio vero patet, quia totis illis quingentis annis id credebat Ecclesia Catholica, quod credebat Ecclesia Romana, et illi articuli prodierunt ex officina Ecclesiæ Catholicæ, qui prodierunt ex officina Ecclesiæ Romanæ. Nam ejus Pontifex in Conciliis quatuor generalibus illorum temporum (quæ maxime dici possunt officina Ecclesiæ Catholicæ) præfuit et præsedit, et ab illius confirmatione et approbatione potissimam firmitatem habuerunt, ut ex actis eorumdem Conciliorum manifeste constat, et inferius commodiori occasione dicetur; ergo non potest esse major certitudo de puritate fidei Ecclesiæ Catholicæ pro illo tempore, quam de firmitate fidei Ecclesiæ Romanæ. Unde si hæc ad humanam opinionem revocatur, tota fides illorum nutabit, et auctoritas quatuor primorum Conciliorum mere humana erit, Symbolumque Athanasii nullam præter humanam habiturum est auctoritatem. Quia quam habet maximam, ab Ecclesia Romana recepit, idemque supra de Symbolo Nicæno, seu Constantinopolitano intulimus. Accedit denique, quod Patres illius temporis non humanæ industriæ, sed assis-

tentiæ divini Spiritus, firmitatem et puritatem fidei Sedis Romanæ, et perpetuam successionem Episcoporum ejus, tanquam divinæ protectionis miraculo, tribuerunt semper, ut ex Cypriano, Augustino, et aliis nuper testati sumus; et maxime constat ex decretis et Epistolis Pontificum ejusdem Sedis, et illorum temporum, de quibus tamen omnibus in discursu supponitur puram conservasse fidem, et inter illos multi fuerunt sanctissimi Martyres, et Apostolis propinquissimi, ut Clemens, Anacletus, et similes. Alii vero fuerunt sapientissimi et sancti Confessores, ut Leo I, Innocentius, et alii.

8. *Concluditur esse contra fidem, Ecclesiæ Romanæ falsos articulos attribuere.—Prima ratio.*—Ex quibus tandem concludimus, contra omnem fidem esse attribuere Ecclesiæ Romanæ, quod post quingentesimum Christi annum officina fuerit falsorum fidei articulorum. Primo, quia ostensum est puritatem fidei, quam primis quinque sæculis habuit, non humano tantum consilio, sed divino privilegio fuisse conservatam; hoc autem privilegium sublatum non est, vel amissum in quingentesimo Christi anno; tum quia hoc nec probatur, nec probari potest, et contra privilegium antiquissimum, Christi ipsius ore exhibitum, non præsumitur, nisi probetur; tum maxime, quia perpetuitas illius privilegii sufficienter ex Scripturis, et ex communi traditione Patrum probatur, ut supra factum est, et in lib. 3 aliquid fortasse addemus.

9. *Secunda ratio.*—Secundo, quia etiam post prima quinque sæcula non potest separari officina Ecclesiæ Romanæ ab officina Ecclesiæ Catholicæ; sed affirmare ab officina Ecclesiæ Catholicæ prodiisse unquam falsos articulos fidei, est plane hæreticum, quia nihil aliud est quam dicere Ecclesiam Christi amisisse fidem catholicam, ac subinde periisse; ergo non minus erratur, de Romana Ecclesia ita sentiendo. Prima propositio uno vel alio exemplo declaratur. Nam quinta vel sexta Synodus generalis non minus fuit officina Ecclesiæ Catholicæ, simul et Romanæ, quam tertia, vel quarta; ergo si Ecclesia

Romana potuit errare, vel erravit post illos quingentos annos, idem sentiri potest de tota Ecclesia Catholica. A qua sententia non longe videtur distare rex Jacobus, nam ob eam causam non recipit Concilia generalia post quingentesimum Christi annum celebrata. Sed longe aliter sensit de quinta Synodo Gregorius, Angliæ apostolus, lib. 1 Reg., epist. 24, in fine, ubi cum dixisset suscipere ac venerari quatuor prima Concilia sicut quatuor libros sancti Evangelii, subjungit: «Quintum quoque Concilium pariter veneror.» Et infra de omnibus quinque loquitur, cum dicit: «Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector, quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt; quisquis ergo aliud sapit, anathema sit; quisquis vero fidem illarum Synodorum recipit, pax ei sit», etc. Timeat ergo rex Angliæ anathema dictum a sancto Gregorio, et ponderet rationem ejus ibi, «dum universali sunt consensu constituta»: nam evidenter concludit, contra omnem rationem esse, ubi tam manifesta est eadem causa certæ auctoritatis in Conciliis, illam in quibusdam recognoscere, et non in aliis, propter solam temporis differentiam. Quam rationem egregie expendit Bellarminus, conferendo sextam Synodum cum tertia, dicto cap. 7, quibus nihil addi potest.

10. *Nihil potest a Romana Ecclesia prodire, quin simul a Catholica prodeat.*—Atque eodem modo discurri potest per omnia sequentia tempora; semper enim Ecclesia Romana et Catholica fuerunt conjunctæ, vel potius una, et ideo nunquam aliquid prodiit ab officina Ecclesiæ Romanæ, quod ab Ecclesia Catholica non emanaverit. Nemo ergo potest falsitatis labem Ecclesiæ Romanæ officinæ tribuere, quin vel eamdem Ecclesiæ Catholicæ tribuat, vel tot sæculis in mundo Ecclesiam Catholicam fuisse neget, vel saltem post quingentesimum Christi annum latuisse, factamque esse invisibilem, affirmet, quæ sunt portenta et monstra per se incredibilia, et non solum Scripturis divi-

nis, sed etiam rationi, imo et sensui contraria, ut in superioribus satis discursum est.

11. *Articuli a rege reprehensi veram et catholicam continent doctrinam.*—Quod si quis fortasse comminiscatur, his ad summum probari, ex Conciliis generalibus, ac subinde ex officina Catholicæ Ecclesiæ non prodiisse falsos articulos, tamen aliquos esse per Pontifices Romanos sine dictis Conciliis inventos, de quibus loqui potuit rex Angliæ, et ita Romanam Ecclesiam a Catholica in sententia sua separari, advertat, hanc responsionem aliam petere quæstionem, num, scilicet, Papa possit res fidei definire sine Concilio generali, quæ nobis nunc necessaria non est; tum quia rex sine dubio non in hoc sensu loquitur, quia et posteriora Concilia non admittit, et multi ex articulis, quos reprehendit, sunt in Conciliis generalibus approbati, ut videbimus; tum etiam quia, licet demus aliquos ex dictis articulis non fuisse in principio per generalia Concilia introductos, nihilominus per universalem Ecclesiæ Catholicæ consensum recepti et approbati sunt, et ita non separantur ab universæ Ecclesiæ Catholicæ consensu; tum denique quia discurrendo per singulos articulos, quos rex attigit, aperte ostendemus sine causa reprehendi, quin potius veram fidem continere, sive per Concilia generalia, sive auctoritate Summorum Pontificum legitime definiti sint. Unde potius poterit e contrario obiter, et quasi inductione quadam ostendi, Sedem Romanam, quæ in suis definitionibus hactenus non erravit, errare nequaquam posse, sive cum generali Concilio, sive solo Pontifice ex cathedra loquente, facta sit definitio. De quo puncto aliqua in tertio libro attingemus, quamvis propria illius consideratio et disputatio huic loco neque necessaria, ut dixi, neque opportuna sit.

12. *Summa et conclusio totius libri cum apostrophe ad Angliæ regem.*—Rectam, plenam, securamque inveniendæ veræ ac catholicæ fidei viam, rationemque pro modulo nostro ostendere, certisque ac verbo Dei fundatis signis manifestare conati su-

mus; et quoniam neque catholica fides extra veram Christi Ecclesiam, neque hæc unica Christi sponsa a sincera fidei veritate aberravit unquam, aut aberrare potest, ideo cum fundamento veræ fidei, hanc unicam ejus magistram tamquam solem in orbe fulgentem quasi digito demonstravimus, eamque non esse aliam, nisi quæ in sede Petri fundata est, verbo Dei partim scripto, partim non scripto comprobavimus. Unde fuit necessario consequens, ut Anglicanæ sectæ errorem, a nota hæresis inexcusabilem esse convinceremus, quod ea libertate, quæ catholicum docet Doctorem, et ea modestia quæ majestati regiæ debita est, facere non dubitavimus: memores illius Gelasii Pontificis ad Anastasium imperatorem prudentissimæ sententiæ: «Absit, quæso, a Romano (seu Christiano) principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam.

13. Superest ut rex serenissimus Jacobus (quod humiliter et obnixe postulo), vocem Domini audiens, non obdurescat, sed, omni affectu humano deposito, pro ingenii sui acumine, quo præditus est, maxime perpendat nostræ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ antiquitatem, suæ vero, quam amplectitur, sectæ videat novitatem; illius firmitatem, hujus instabilitatem; illius Doctores sapientissimos, sanctitate et antiquitate venerandos suscipiat, hujus vero obscuros, novitiosque impostores perhorrescat, sic enim, ut cupio, fiet ut illius veritatem, hujus autem fucum luce clarius intueatur, et cum Hilario dicere incipiat: «Tandem nobis hos impiissimos Doctores ætas nunc hujus sæculi protulit, seros habuit fides, quam tu Deus erudisti, magistros. Inauditis ergo omnibus his, in te ita credam, ut exinde tuus semper sim.» Atque ita fiet, rex prudentissime, ut titulum defensoris catholicæ fidei, de quo merito gloriaris, merearis, veroque ac justo titulo possideas; non enim benigna Mater Ecclesia hoc tibi nomen invidet (quod dono Pontificio datum non ignoras), sed exoptat invictissimum; si autem ad ea, quæ hactenus diximus, animum attendas, intelliges profecto non Romanæ Ecclesiæ resistendo, sed ei potius humiliter parendo, illum

esse consecuturum. Nam si eam impugnando persistas, vires atteras necesse est; ut enim Chrysostomus dixit: « Homini si bellum inferas, fortasse vinces, aut forte vinceris; Ecclesiam vincere nulla vis potest, nam cœlum et terra transibunt, verba autem Christi non transibunt.» Si vero Ecclesiæ Sanctæ sinceram fidem amplecti, ejusque gloriam et puritatem deamare incipias, constanterque retineas, tunc verum defensoris catholicæ fidei titulum consequeris æternum. Quod ut fiat, Divinam Majestatem efflagitamus, et apud vestram qualemcumque hunc laborem nostrum libenter impendimus, et hac spe allecti ad alia, in quibus vestri vobis imposuerunt ministri, ostendenda progredimur.

FINIS LIBRI PRIMI

INDEX

LIBER PRIMUS

Pag.

Serenissimis Regibus ac Principibus Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ filiis ac defensoribus Franciscus Soarius e Societate Jesu, temporariam et æternam felicitatem. 5

Censura ilustrissimi D. D. Alphonsi a Castello Bracon Episcopi conimbricensis, comitis arganilensis, Domini cojæ, etc., a consiliis catholicæ Majestatis. . 9

Censuqa illustrissimi D. D. Ferdinandi Martinez Mascaregnii, Episcopi algarbiensis, a consiliis Catholicæ Majestatis. 11

Censura illustrisimi D, D. Martini Alphonsi a Mello, Episcopi lamecensis a consiliis Catholicæ Majestatis. 14

Proœmium. 17

Liber primus. — Quantum anglicana secta a doctrina catholica dissideat. 23

Caput primum.—De fidei catholicæ progressu, et statu Anglicanæ gentis a prima ejus conversione usque ad præsentia tempora. 25

Caput II.—Sectam anglicanam a fide vera discessisse. 29

Caput III.—Ecclesiam Christi non posse veram fidem amittere ostenditur, et ratio facta roboratur. . . . 43

Caput IV.—Non posse catholicam Ecclesiam etiam per ignorantiam in rebus fidei errare. 54

Caput V.—Romanam Ecclesiam eamdem fidei stabilitatem habere ostenditur quam catholica, et sectariorum evasioni occurritur. 61

Caput VI.—Stabilitas fidei et Ecclesiæ Romanæ traditione ostenditur. 72

Pag.

Caput VII. — Excluditur tertia evasio hæreticorum, quam per distinctionem Ecclesiæ visibilis et invisibilis confingunt. 86
Caput VIII.—Occurritur adversariorum objectionibus, et quo sensu Ecclesia visibilis sit exponitur. . . . 101
Caput IX.—Regem Angliæ, cum nec Scripturam integram, nec verbum Dei non scriptum admittat, fidei vere christianæ defensorem non esse ostenditur. . 115
Caput X.—Ex fundamento et ratione credendi regis Angliæ, ipsum non esse fidei vere christianæ defensorem, ostenditur. 132
Caput XI.—Veræ fidei christianæ fundamentum non esse in privato spiritu ponendum. 140
Caput XII.—Ex nomine (Catholica) Anglicanam sectam fidem Catholicam non esse ostenditur. 158
Caput XIII.—Objectionibus contra doctrinam superioris capitis occurritur. 173
Caput XIV.—Ex ratione catholici nominis discursus capitis præcedentis confirmatur. 177
Caput XV.—Catholicam dici Ecclesiam quia per totum orbem diffusa est ostenditur, et hæreticis occurritur. 187
Caput XVI. — Quomodo verum sit Ecclesiam Catholicam esse per totum orbem diffusam. 197
Caput XVII.—In anglicano schismate fidem apostolicam non esse. 215
Caput XVIII.—Objectioni contra doctrinam capitis superioris occurritur. 227
Caput XIX.—Sectam anglicanam nullius antiqui martyris sanguine decoratam, sed potios damnatam esse ostenditur. 236
Caput XX.—Veros nostrorum temporum Martyres non anglicanam sectam, sed romanam fidem illustrasse. 246
Caput XXI.—Anglicanam sectam, vel propter solam schismatis turpitudinem detestabilem esse. . . . 254
Caput XXII.—Anglicanum schisma in manifestam hæresim et apostaticam doctrinam transiisse. . . . 263

Pag.

Caput XXIII.—Anglicanum schisma pertinaciter sectantes, neque ab hæresi, neque ab hæreticorum nota excusari posse. 275

Caput XXIV.—Rationes, quibus rex hæretici maculam fugere studet, refelluntur. 288

Caput XXV. — Immerito anglicanam sectam fidem suam, et Ecclesiæ auctoritatem ad quingentesimum Christi annum limitare. 297

MENDA SIC EMENDA

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
48	30	et si	etsi
73	23	profanus, etc.	profanus est, etc.
80	17	Præminet	Præeminet,
103	23	tu	ut
131	15	acceptis	accepistis
137	18	docet	docent
172	34	hæreticum	hæreticorum
183	31	Ecclesia	Ecclesiæ
242	4	eamdem	eadem

R. P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

TOMUS SECUNDUS

DEFENSIO
FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

CUM RESPONSIONE AD APOLOGIAM PRO JURAMENTO
FIDELITATIS, ET EPISTOLAM AD PRINCIPES CHRISTIANOS
SERENISSIMI JACOBI ANGLIÆ REGIS

R. P. FRANCISCO SUAREZ

E SOCIETATE JESU

Accuratissima completaque editio à Bibliothecariis
VERÆ SCIENTIÆ HISPANÆ *compulsata*

TOMUS SECUNDUS

BARCINONE
APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA
IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16
1882

ad causam spectare videbuntur, attingemus; non eo quidem, quo ipse, ordine, sed doctrinæ, a præcipuisque ordiemur; reliqua ordine, quem dixi, debito, prosequemur. Solum ea, quæ ad primatum monarchiamque Ecclesiasticam, exemptionem clericorum et Antichristum pertinent, quia proprias et prolixiores disputationes postulant, in sequentes libros remittemus.

CAPUT PRIMUM

De præsentia corporis et sanguinis Christi in sacrosancto Eucharistiæ sacramento

1. *Primus error.—Secundus.—Tertius.—Quartus.—Quintus.*—Serenissimus Angliæ rex titulum defensoris veræ fidei, quo gloriari cupit, verum esse, atque in re ipsa fundamentum habere, ostendere cupiens, confessionem fidei suæ proposuit, qua evidenter convincitur quantum a veritate Catholicæ fidei aberret. Nam post illa, quæ de fundamentis fidei generaliter dixerat, plures articulos Romanæ fidei sigillatim enumerat, eosque tanquam nuperos ac novitios, imo et perniciosos refellit. Et recensitis nonnullis, ad quos postea revertemur, in hunc modum subjungit: « In his articulis privatas illas Missas numero, in quibus sacrificus simul populi personam, et sacerdotis sustinet. In his quoque est sacramenti mutilatio, qua laicis partem illius mediam subtraxerunt, Transsubstantiatio, adorandi causa elevatio, in supplicationibus sacramenti circumgestatio. » In quibus verbis quinque continentur errores, quos alio ordine recensebo, ut a fundamento ordiamur. Primus est, in Eucharistiæ consecratione non fieri transsubstantiationem; secundus, Eucharistiam non esse adorandam, et ideo pravam esse consuetudinem elevandi illam in sacrificio adorationis causa; tertius, usum in supplicationibus Sacramentum circumgestandi potius esse abusum; quartus, consuetudinem communicandi laicos in sola specie panis, ut contra jus divinum reprobandam; quintus, Missas privatas admittendas non esse. Primus autem ex his erroribus duos alios, vel eorum alterum, in hac materia præcipuum, et aliorum fundamentum, supponit. Hic est, Christum Dominum non esse revera et substantialiter præsentem sub

speciebus sacramentalibus Eucharistiæ, ut verisimiliter credo, hanc esse opinionem regis, qui Calvini sectam præcipua ex parte profiteri dicitur; puduisse autem videtur regem infamiæ istius, et ideo errorem jam diu pro hæresi damnatum disertis verbis confiteri erubuisse. Alter error in negatione transsubstantiationis inclusus est, manere nempe post consecrationem substantiam panis et vini; nam si substantia panis et vini ibi maneret, etiamsi Christi Domini caro et sanguis sub eisdem speciebus præsentes fierent, assertio transsubstantiationis falsa procul dubio foret.

2. *Prima conclusio.*—Ut ergo primum ac præcipuum hujus mysterii fundamentum jaciamus, secundum fidem Catholicam credendum esse, sub speciebus panis et vini legitime consecratis, vere ac realiter corpus et sanguinem Christi Domini contineri, affirmamus. Hæc fides non potest a rege dici novitia vel nupera, neque ex humana, aut sola non scripta traditione venisse; nam in expressis verbis Christi a tribus Evangelistis Matthæo, Marco et Luca, et a Paulo relatis, fundata est, scilicet: «Hoc est corpus meum», et: «Hic est sanguis meus», vel, quod perinde est: «Hic est Calix sanguinis mei», vel «in sanguine meo.» Neque immorari nos oportet in referendis et refutandis tropis, figuris et metaphoris, quibus Protestantes hæc clarissima verba corrumpere conati sunt; tum quia, ut dixi, non assumpsi provinciam has controversias ex professo disceptandi; tum etiam quia, ut recte monuit Tertulianus, de sensu alicujus Scripturæ ex solis verbis, et privato spiritu disputare cum hæreticis, qui neque Ecclesiam, neque Patres reverentur, inutile est. Quanquam ex hoc maxime loco convinci possunt, quam sit vanus privatus spiritus, quo in exponendis Scripturis ducuntur, ita ut suis opinionibus non contradicant. Nam in his verbis secundum se spectatis nullum est vestigium figuratæ locutionis; nec occasio, in qua Christus illa protulit, ad condendum novum testamentum, methaphoram permittit; non enim solent prudentes in similibus occasionibus, præsertim sine suffi-

cienti explicatione, metaphorice loqui et obscure. Accedit, Christum Dominum potius addidisse verba, quæ ad excludendam methaphoram sufficere valerent; ait enim: «Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur», et: «Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur.» Paulus quoque: «Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.» Et infra: «Judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini. Denique concordia et consonantia horum verborum Christi cum promissione ab ipso facta, Joan., 6, et cum prædictionibus, et figuris hujus mysterii, et cum aliis verbis Pauli, 1 ad Cor., 10, eumdem sensum maxime confirmat et illustrat.

3. *Assertio ex Patribus antiquis ostenditur.* — Prætermissa vero, ut dixi, disputatione de solis Scripturis, nobis nunc ut regi respondeamus, sufficit, hanc fidem non esse novam, neque sensum prædictum verborum Christi inventum esse post quingentesimum Christi annum, sed ab omnibus Patribus primorum quinque sæculorum, qui prædicta verba Christi attigerunt, vel mysterium explicarunt, esse traditum. Cujus veritatis testes non omnes, qui adduci possent, sed qui sufficiant, afferemus, nam qui eos non audierit, neque si mille afferantur, credat. Primus ergo testis sit Hilarius, lib. 8 de Trinit., ubi prius præmittit: «Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum», etc. Et postea adductis verbis Christi, Joan., 6, concludit: De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus, nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra, vere caro est, et vere sanguis est, et accepta atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, et Christus in nobis sit. An ne hoc veritas non est? Contingat plane, id verum non esse iis, qui Christum Jesum, verum Deum esse negant.» Calvinus ergo, cui hoc verum non est, Christi veritatem, ac subinde divinitatem, non minus impie quam ignoranter negavit.

4. *Occurritur hæreticorum evasioni.—Quid Ambrosius intelligat per figuram corporis.*—Secundus gravissimus, et locupletis-

simus testis est Ambrosius, lib. quarto de Sacramentis, cap. 4, ubi inter alia: «Panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.» Et deinceps, ut admirationem tollat, et uno verbo ratiunculas infidelium ex vana philosophia depromptas dissolvat, subjungit: «Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi; ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia», etc. Et postea in cap. 6, ita explicat verba Christi, et concludit: «Numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare?» Sed non deerit fortasse hæreticus, qui etiam clarissimis verbis Ambrosii vim inferre conetur, quia in principio illius cap. 5 refert, sacerdotem in Missa dicere sequentia verba: «Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod fit in figuram corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi.» Nam quia dixit, «in figuram», protervus cætera omnia in tropum convertet, quamvis illis aperte repugnet. Verus autem et clarus sensus est, per consecrationem vere fieri corpus Christi sub speciebus, per quod etiam fit ut species sint signum corporis et sanguinis, quæ sub se continent, et hoc vocavit Ambrosius, fieri in figuram, id est, in sacramentum corporis et sanguinis ibi latentis, vere tamen ac realiter existentis. Et hoc est obiter notandum ad explicanda, si interdum occurrerint, subobscura verba Patrum, quæ ex aliis eorumdem locis perspicuis, et integram doctrinam continentibus explicanda sunt, et non e converso propter unum verbum obscurum tota doctrina alibi satis explicata offuscanda. Idemque sensus et tota veritas mysterii ab eodem Ambrosio explicatur in libro de Initiandis, cap. 9. Ecclesia vero Catholica ad vitandam calumniam non utitur in canone Missæ illo modo loquendi, «quod fit in figuram», etc.; sed dicit, «ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

5. *Repræsentare idem est quod rem præsentem facere.*—Ter-

tius testis sit Hieronymus, exponens verba Christi, Matth., 26, ubi sic inquit: «Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur sacramentum, ut quomodo in figuratione ejus Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis repræsentaret.» Ubi etiam fortasse prodibit hæreticus, qui verbum «repræsentaret», in aliquam fictionem vel metaphoram interpretetur. Vis vero verbi, et mens Hieronymi perspiqua est: idem enim est repræsentare, quod rem præsentem facere, præsertim quæ antea promissa erat, vel futura prædicta, aut desiderata. Quod possumus exponere ex verbis Senecæ, epist. 95, in initio: «Petis a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere referri, repræsentem et scribam tibi», etc,, id est, impleam scribendo, etc. Sunt etiam satis ad rem accommodata verba Ciceronis, Philip., 5: «Ego corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitati posset», id est, recuperari, seu præsens fieri. Sic ergo dixit Hieronymus, Christum repræsentando, id est, præsentem faciendo veritatem corporis et sanguinis sui, illamque sic præsentem Patri offerendo, imprevisse quod in oblatione panis et vini Melchisedech, et in immolatione agni Paschalis praefiguratum fuerat. Atque hunc verum sensum explicavit magis idem Hieronymus, ep. 150 ad Hebidiam, quæst. 2, dicens: «Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis suis, esse corpus Domini, ipso dicente ad eos: Accipite et comedite, hoc est corpus meum.» Et infra: «Non Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur; illius bibimus sanguinem, et sine ipso potare non possumus, et quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis veræ rubentia musta calcamus. Quibus verbis (ait ibi Marianus Victor) illustrius ac clarius de veritate corporis et sanguinis Christi dici nihil potuit.» Magis autem id confirmat idem Hieronymus, dicens aliis locis sacerdotes sacro ore

Christi corpus conficere, epist. 1 ad Heliodorum, epist. 85 ad Evagrium, et fere idem Malachiæ, 1, ad Galat., 5, ibi: «Alioqui sciebam et in Christi sanguinem vinum consecrari.» Et optime ad Titum, 1, circa illa verba: «Sed hospitalem, etc.: Tantum (inquit) interest, inter propositionis panes et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum, et ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur.

6. *Augustinus a sinistra interpretatione vindicatur.*—Quartus testis sit D. Augustinus, qui innumeris in locis hanc docet veritatem; perspicuus autem, et qui nullam tergiversationem patiatur mihi esse videtur in concione 1 ad Psal. 33, ubi post latissimum sermonem de sacrificio corporis et sanguinis Domini, «quod fideles norunt, et qui Evangelium legerunt, quodque nunc diffusum est toto orbe terrarum», dicit, «in illo mutasse Christum vultum suum de humilitate sua», id est, «quia verbum, quod est panis Angelorum, caro factum, panis factus est hominum, quia in corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram»; post hæc (inquam) quæ prosequitur multis verbis explicando veritatem hujus mysterii, tandem ad hoc mysterium accommodat verba 1 Reg., 21, sicut ipse illa legit, «ferebatur in manibus suis», dicens: «Quis portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur; quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis, ipsa est humilitas Domini nostri Jesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus.» Ubi maxime ponderandum est quod ait, in hoc mysterio, et in solo Christo ad litteram impletum esse, se ipsum suis manibus portavisse; cum enim dicit ad litteram, figuram et tropum excludit. Nam suis manibus se in figura vel imagine portare, nullum esset miraculum, nec grande opus, nec proprium Christi; nam David

posset in imagine sua se ipsum manibus portare. Neque etiam per tale opus multum commendaretur humilitas Christi; fuit autem maxima, quod Verbum caro factum, panis etiam vitæ fieret, ut vere et realiter manducaretur ab hominibus. Et ita recte hunc locum urget Guitmundus, lib. 3 de Sacramento, in princ. Advertere autem oportet Augustinum, in conc. 2 ejusdem Psalmi, addidisse particulam, «quodam modo», dicens: «Accepit in manus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodam modo, cum diceret: Hoc est corpus meum.» Quam particulam aliquis fortasse ex umbraticis hominibus malitiose arripiet, ut totam evertat sententiam. Sed vix potest esse tanta cœcitas, ut existimetur Augustinus in tam brevi sermone dixisse contraria, aut addidisse aliquid quo totum mysterium, quod explicuerat, destrueret. Per illam ergo particulam, «quodam modo» (quæ judicio meo melius disjunctim, et in vi nominis, quam conjunctim, et tanquam adverbium legitur), solum significare voluit Augustinus, Christum non se portasse in manibus corporali modo, id est, visibili, et suis manibus gravitatem corporis sentiendo et sustinendo, sed mystico modo, vero tamen et reali, et ita singulari, ut in sola figura vel imagine servari non possit. Et hoc est valde observandum in doctrina Augustini, quia sæpe conjungit illa duo, scilicet, veritatem corporis cum modo sacramentali et mystico, et ideo non est unum propter alterum excludendum, aut male explicandum.

7. Atque ita est optimum ejusdem Augustini testimonium in tract. de Cataclysmo, ubi primum ait, «sanguinem et aquam, quæ fluxerunt de latere Christi esse matris Ecclesiæ gemina sacramenta,» quæ exponens subdit: «Hic sanguis inebriat mentem, ut amorem obliviscar mundi, etc.» Et clarius infra exponens illud: «Nec relinquatis ex eo quidquam usque mane,» inquit: «Hoc nunc agitur, comeditur enim Agnus per noctem hujus sæculi, ut cum mane illud venerit, quod vesperum non habebit, non jam offeratur sacrificium imaginis Agni, sed ipsum Agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, et cujus

sanguinem bibimus, inveniamus illic eum sacerdotem perfectum, quem constat, hic pro nostra salute occisum.» Qui locus potest etiam cavillum pati propter illa verba, «sacrificium imaginis agni.» Ob quam difficultatem vitandam posset fortasse aliquis verba illa de sacrificio typici Agni paschalis intelligere, nam de nostro sunt expressa sequentia verba, «ipsum Agnum, quem quotidie immolamus, comedimus.» Sed expositio non quadrat contextui. Dixerat enim Augustinus, «hoc nunc agitur, comeditur enim Agnus per noctem hujus sæculi.» Ubi tempus etiam legis gratiæ aperte complectitur, nam etiam addit, sæculum hoc durare usque ad mane illud, quod vesperum non habebit, id est, usque ad statum gloriæ, ubi inveniemus (ut subjungit) Agnum sacerdotem perfectum, «quem constat, hic pro nostra salute occisum.» Et in illo mane, ait jam non esse offerendum sacrificium «imaginis Agni,» quod utique durante hoc sæculo semper offertur. Ergo etiam sacrificium Eucharistiæ vocat sacrificium imaginis Agni. Per hoc autem non excludit veritatem præsentiæ Agni, quem quotidie immolari et comedi affirmat, sed quia hæc immolatio non est cruenta, sed mystica, et quia ita est oblatio Agni invisibilis sub specie visibili, ut sit etiam commemoratio ejusdem Agni visibiliter immolati, ideo vocat hoc sacrificium mysticum sacrificium imaginis Agni, id est, sacrificium repræsentativum Agni pro nobis occisi, juxta verba ejusdem Agni: «Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.»

8. *Per figuratam significationem modum sacramentaliter comedendi Augustinus intelligit. — Loca in quibus Augustinus veritatem catholicam simpliciter docet.* — Similique observatione adhibita, est satis apertum ejusdem Augustini testimonium, lib. 2 contra adversarium legis et Prophetarum, c. 9, ubi dicit, «mediatorem Dei et hominum, Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare quam perimere, et humanum sanguinem

potare, quam fundere.» Quæ verba expressissima sunt. Addit vero statim quamdam generalem regulam, qua possunt Calvinistæ abuti, dicens: «In omnibus sanctis Scripturis secundum sanæ fidei regulam figurate dictum vel factum si quid exponitur, de quibuslibet rebus, et verbis, quæ sacris paginis continentur, expositio illa ducatur, non aspernanter, sed sapienter audiatur.» Attendant vero et intelligant verba illa, «secundum sanæ fidei regulam,» quæ est Catholica Ecclesia, unanimis Patrum consensus, et cum aliis Scripturis, et fidei mysteriis concordia, retenta proprietate verborum, ubi sine inconvenienti fieri possit. Atque ita in prædictis verbis «manducandi corpus, et bibendi sanguinem Domini,» admittit Augustinus figuratam seu mysticam significationem quoad modum manducandi et bibendi, utique sacramentalem, quo tollitur horror, qui in tali manducatione aut potu esse poterat, nam hæc figurata significatio est secundum regulam fidei, et necessaria ad veritatem mysterii. Non tamen admittit Augustinus figuratam locutionem quoad substantialem (ut sic dicam) manducationem Christi, et ideo dixit: «Quem fideli corde atque ore suscipimus,» quia talis figura nec necessaria est, nec secundum regulam fidei, imo illi contraria. Et juxta hanc regulam exponit late Augustinus, tract. 26 et 27 in Joan., verba illa Christi: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.» Simul cum illis: «Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.» In plerisque vero aliis locis, idem S. Doctor simpliciter affirmat, dedisse nobis Christum corpus suum ad manducandum, et sanguinem ad bibendum, ut Psal. 33, in expositione, sub finem, et conc. 1 in Psalm. 48, circa principium, et enarrat. in Psalm. 65, ante medium, et expositione in Psal. 93, circa princip., et sermon. 2, de Verbis Apostoli, cap. 1, et lib. 50 Homiliarum, in ultima, alias lib. de Utilitat. Pœnitent., cap. 4, et lib. 2 contra Litteras Petiliani, cap. 37, et lib. 1 de Peccatorum meritis, c. 24, ubi ait: « Sine

baptismo, et corpore, et sanguine Domini nemini speranda est salus, ac vita æterna.» Et ideo Christianos Carthaginenses solitos fuisse vocare baptismum salutem, et Eucharistiam vitam. Et interdum ad majorem declarationem addit, bibere nos sanguinem, quo redempti sumus, ut 12 contra Faustum, c. 10, optime dicit: «Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium, eodem sanguine redemptorum.» Denique in lib. 20 contra eumdem Faustum, cap. 13: «Panis» (inquit) «et calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis corpus Christi. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, nisi quod benedicimus Domino, et gratias agimus in omni ejus munere.» Et sic etiam lib. 2 de Peccator. meritis, cap. 26, de pane benedicto, seu cathecumenorum dicit, sanctum esse et sanctiorem, quam sint communes cibi, «quoniam sacramentum est,» id est, sacrum signum, «quamvis» (inquit) «non sit corpus Christi,» quod nimirum corpus longe altiori modo est ipsum Eucharistiæ sacramentum.

9. Quintus testis sit Cyprianus, qui in serm. de Cœna Domini fuse ita explicat hoc divinum mysterium, et inter alia dicit: «Inconsumptibilem cibum Magister apponit discipulis.» Et infra: «Immortalitatis alimonia datur a communibus cibis differens.» Et post multa: «Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus procurat vitam, et incrementum corporibus, ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, et non tam corporali quam spirituali transitione Christo nos unire.» Et infra: «Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.» Quod statim explicat exemplo divinitatis latentis sub humanitate, et optimas rationes tanti mysterii adducit. Et paucis interpositis: «Universa

Ecclesia ad has epulas invitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, etc.» Per quæ omnia evidenter testatur præsentiam Domini in hoc sacramento. Quod si quis in dubium revocet an opus illud sit Cypriani, respondemus imprimis, ab omnibus fere gravioribus Theologis et peritis auctoribus Cypriano attribui, quia stylus, phrasis et doctrina ipsum satis indicant. Deinde, si fortasse non sit Cypriani, nemo sane ambigere potest quin fuerit alicujus gravissimi Patris ejusdem ætatis. Ac denique quam plurimis indubitatis locis, idem Sanctus, paucioribus licet verbis, eamdem ejusdem Sacramenti fidem ostendit; ut epist. 11 exponit Eucharistiam, id est, «Sanctum Domini corpus,» et latius epist. 63, dicens: «Christus sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum, scilicet, corpus et sanguinem,» quod per totam fere epistolam prosequitur. Idem epist. 54 et 56, et 76, et lib. de Lapsis, in principio, et alibi sæpe.

10. Sextus et gravissimus testis est Leo Papa, in ser. 6, de Jejunio septimi mensis: «Dicente» (inquit) «Domino: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic sacræ mensæ communicare debitis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis, hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur.» Idem tradit serm. 4 Quadrag., et 7 de Passione. Et ep. 23 ad Clerum et plebem Constantinop., contra hæreticos negantes veritatem nostræ carnis in Christo, ait: «In quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore jacuere, ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis, et sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur.» Optima est etiam illa sententia Optati, lib. 6 contra Parmen.: «Quid est altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi,» et illa: «Fregistis calices sanguinis Christi portatores.» Multa etiam legi possunt apud

Tertullianum, supra relatis antiquiorem, lib. de Resurrect. carnis, c. 8, et lib. de Pudicitia, c. 9, et lib. 3 contra Marcionem, c. 19, et lib. 4, c. 40, ubi Pameli, n. 662, plura alia ejus loca congerit, illique adjungit Lactantium, et utrumque a calumnia hæreticorum defendit usque ad n. 668. Sunt etiam gravia et omnino notanda testimonia apud Gaudentium, tract. 2 in Exodum, et apud Paulinum, epist. 3 ad Severum, circa finem, et ep. 4 ad eumdem, aliquantulum a medio, qui etiam sunt prioribus æquales. Neque omittendi sunt Gregor., lib. 4 Dialog. c. 58, et lib. 2 in 1 Regum, non longe ab initio; et Beda, lib. de Mysteriis; nam, licet hi Patres post quingentesimum Christi annum fuerint, non docent, nisi quod a prioribus Patribus acceperunt. Quam continuatam traditionem postea ostenderunt Paschasius, lib. de Corpore et sanguine Domini, et qui deinceps contra Berengarium insurrexerunt, præsertim Lanfrancus, Guitmundus, et Algerus, quibus tandem annumerandi etiam sunt Anselmus, libro de Corpore Christi; et Bernard., in epist. 190 in fine; et D. Thomas, Bonavent. et alii. Nam ex illis omnibus evidenter constare potest universalis et perpetuus Catholicæ Ecclesiæ sensus, quantum ad scriptores latinos pertinet.

11. *Idem ex Patribus Græcis ostenditur.*—Superest ut ex Patribus Græcis nonnulla delibemus, quorum pauciora verba ob brevitati consulam, referam, multa enim sunt clarissima, et latis obvia. Præsertim vero taceo antiquiores (1), Dionysium Areopagitam, Ignatium, et Martialem, quia eorum scripta, quamvis satis recepta sint, et ab antiquissimis Patribus allegentur, ab hæreticis in dubium revocantur. Primus ergo sit Chrysostomus, Homil. 60 ad Pop., et 45 in Joan., ubi inter alia hæc habet selectissima: «Ut non tantum per charitatem hoc fiamus (id est, unum corpus cum Christo), verum et ipsa re in illam

(1) Dionysius, Ecclesiast. hierar., c. 1, p. 3, non longe a fine.—Ignatius, ep. 10 ad Smyrnenses, et ep. 14 ad Ephes., et 15 ad Roman.—Martialis, ep. 1, c. 3 et 4.

misceamur carnem, hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit, et corpus suum in nos contemperavit.» Et infra: «Parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos, ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, et me ipsum vobis appono.» Et iterum: «Volui frater esse vester, carnem propter vos et sanguinem assumpsi, vobis vicissim ipsam carnem et sanguinem, per quæ cognatus vester factus est, trado.» Quæ quidem sententiæ si sigillatim perpendantur sedulo, mirabilis hujus sacramenti institutionis singulas et optimas exhibebunt rationes, quas per effectus hujus sacramenti fuse declarat. Deinde ex virtute instituentis eamdem confirmat veritatem, tum ibi, tum Homil. 83 in Matthæ., dicens: «Non sunt humanæ virtutis opera proposita; qui tunc ipsa fecit in illa Cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum; qui vero sanctificat, et immutat, ipse est.» Et infra: «Audiamus, et horreamus; sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum.» Multa similia habet Homil. de Proditione Judæ, in fine, tom. 3, et Homil. ad Neophyt., tom. 5, et Homil. 24 et 27, in 1 ad Corint., et Homil. 3, in cap. 1 ad Ephes , et plura lib. 3 de Sacerdotio, in principio, præsertim ab illis verbis: «O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipsum tradit volentibus ipsum excipere, ac complecti», etc.

12. Secundo est insigne testimonium D. Cyrilli, in ep. 10 ad Nestor.: «Incruentum in Ecclesia perficimus cultum, atque ita ad mysticas accedimus benedictiones, ac sanctificamur, participes facti sanctæ carnis, pretiosique sanguinis Servatoris nostri omnium Jesu Christi, nec ut communem carnem accipimus, absit, neque tanquam viri sanctificati, et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam.» Et ita statim exponit illud Joan., 6: «Nisi manducave-

ritis carnem Filii hominis», etc. Refertur autem hæc epistola in Actis Concilii Ephesini, et in antiquis Conciliis inscribitur epist. Concilii Ephesini ad Nestorium. Et ideo Lanfrancus et Guitmundus hoc testimonium allegant sub auctoritate Concilii Ephesini. In Concilio autem Ephesino, opera Theodori Peltani integre invento, et Latinitate donato, tom. 1, c. 14, refertur eadem epist. sub nomine Cyrilli et Synodi Alexandrinæ, quæ ante Ephesinam præcessisse videtur. Postea vero in eodem Concilio Ephesino, tom. 2, cap. 5, eadem epist. Cyrilli ad Nestorium lecta fuit, et, ut ibi notat Peltanus, quamvis ibi non legantur acclamationes Patrum, quæ circa aliam epistolam Cyrilli ad Nestorium, cap. 3, factæ sunt, nihilominus dubitari non potest quin eodem modo fuerit illa epistola a toto Concilio approbata. Unde in Concilio Chalcedonensi sæpe legimus, doctrinam Cyrilli fuisse approbatam in Concilio Ephesino, et in fine totius actionis dicuntur approbatæ duæ epistolæ ejus, et specialiter confirmantur duodecim anathematismi, qui habentur in fine ejusdem epistolæ ad Nestorium. Habet ergo testimonium hoc majorem vim ex auctoritate Concilii Ephesini, quod est unum ex quatuor primis quæ rex admittit.

13. Ulterius vero idem Cyrillus, in libro ad Evoptium, respondendo Theodoreto pro suis anathematismis, in defensione undecimi refert verba Nestorii, nos manducare carnem Christi, quod Cyrillus approbat, ad litteram intelligendo Christi verba. Nestorium autem reprehendit, quatenus separabat corpus Christi a divinitate; ipse autem docet, «ideo nos accipere carnem vivificatricem, et cibum manentem in vitam æternam, quia accipimus carnem Verbo Dei unitam.» Quod etiam repetit lib. de Fide ad Reginas, sub titulo: «Quod Cristus sit vita ex Evangelio Joannis», et refertur etiam in Concilio Ephesino, tom. 1. Idem late et optime lib. 4 in Joan., cap. 2: «Dedit (inquit) pro vita omnium corpus suum Dominus, et per illud rursus vitam in nobis immittit, et quomodo? dicam breviter pro viribus meis, nam cum vivificans Dei Filius in carne habitaverit, ad suum

bonum eam, id est, ad vitam reformavit, et totus, ut ita dicam, ineffabili modo unionis conjunctus vivificantem effecit, quia natura vivificans est, propterea participantes hæc caro vivificat.» Quod per sequentia capita, usque ad 17, late prosequitur. Præcipue vero notandum est decimum tertium, ubi reprehendit hæreticos imitantes Capharnaitas hæsitantes: «Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Nam de Deo (inquit) magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil esse impossible apud Deum», etc. Capite vero 17, describit egregie quomodo Christus in nobis maneat, et nos in ipso, cum illum manducamus, exemplo ceræ liquefactæ, in quam altera infunditur, ut altera cum altera per totum commisceatur, illo enim exemplo nos non sola fide, sed vere, realiter et corporaliter Christum manducare, declarare contendit.

14. Atque hoc ipsum est quod Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4 Mystag., verbis Christi propositis subnectit: «Cum Christus ipse sic affirmet, et dicat de pane: Hoc est Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare, ac eodem confirmante et dicente: Hic est sanguis meus, quis dubitet, et dicat, non esse illius sanguinem»? Et infra: «Quare omni cum certitudine corpus et sanguinem Christi sumamus, ut ei comparticipes corporis et sanguinis, et Christophori, id est, Christum ferentes, efficiamur, cum ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus.» Quod late prosequitur. Et catech. 5: «Gustantes (inquit) non panem, aut vinum ut gustent jubentur, sed quod sub specie est, videlicet, panis et vini, corpus et sanguinem Domini.» Simili modo exposuit verba Christi Epiphanius in Anchorato: «Et nemo (inquit) non fidem habet sermoni, nam qui non credit ipsum esse verum, sicut dixit, is excidit a gratia et salute.» Denique eamdem veritatem confirmat Athanasius, lib. de Incarn. Christi, in fine, dicens: «In communionem corporis Domini admissi sumus, sicut ipse dixit: Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita; spiritus enim vivificans est caro Domini, quoniam ex spiritu vivificante concepta est.» Grego-

rius etiam Nazian., Orat. 4, quæ est prima contra Julianum, et Orat. 42, quæ est secunda in sanctum Pascha, versus finem: «Sine pudore (inquit) ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris», etc.

15. Idem sentit Gregorius Nyssenus, lib. de Vita Moysis, seu de Vita perfecta, circa medium, dum ait: «Cœlestem cibum nobis esse suscipiendum, quem nulla novis actio agriculturæ artibus produxit, sed panis est absque aratione, absque alio humano opere nobis paratus. Is desuper defluens in terris invenitur; panis enim qui de cœlo descendit, qui verus cibus est, qui enigmatice per manna significatur, non incorporea quædam res est; quo enim pacto res incorporea corpori cibus fieret; res vero, quæ incorporea non est, corpus omnino est.» Et infra: «Is igitur mirabilis sine agricultura panis, varietate qualitatis ad suscipientium habitudinem virtutem suam commutat», etc. Quibus satis indicat, quam alte et excelse de illo cibo senserit. Aliaque plura habet Basilius in Exhortatione ad Baptismum, ubi Eucharistiam vocat «viventem panem», dicens: «Nec unquam Israel ex spirituali petra bibisset, nisi ex figura baptizatus fuisset, nec tibi aliquis veram potionem, nisi vere baptizato præbebit. Panem Angelorum ille post baptismum accepit, tu autem quomodo viventem comedes panem, nisi sumpto hoc sacramento.» Et in lib. de Baptismo, in tertia ejus parte, in qua ostendit, «eum, qui per baptismum regeneratus est, participatione deinceps divinorum mysteriorum nutriri debere», verba Christi, tam promissionis apud Joannem, quam institutionis apud alios Evangelistas, ad litteram et simpliciter intelligit. Et similia habet in Regulis moralib., regul. 21. Justinus etiam Martyr. Apologia 2 pro Christianis, in fine, apertissime hanc veritatem docet, et ex antiquissima traditione et consuetudine Ecclesiæ illam confirmat. Denique idem habet Irenæus, libro 4 contra hæreses, cap. 34, cujus aliqua verba statim referam; et lib. 5, cap. 2, eos redarguens, qui veritatem carnis et sanguinis in Christo Domino, ejusque assumpta natura negant, inquit:

«Sic autem, secundum hæc, videlicet, nec Dominus sanguine suo redimit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est.» In quibus verbis maxime consideranda est æquiparatio. Æque enim absurdum, et veræ fidei contrarium existimavit Sanctus hic Martyr, negare, verum corpus et sanguinem Christi nobis in Eucharistiæ sacramento communicari, ac vero Christi sanguine nos esse redemptos inficiari. Et probationem innuit, quia sicut Apostolus ait nos habere redemptionem per sanguinem ejus, «ita Christus eum calicem, suum sanguinem, qui effusus est, et eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit.» Unde concludit: «Quando ego, et mistus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi.» His ergo evidentibus testimoniis satis liquet, antiquissimam Ecclesiæ fidem, et verborum Christi germanum sensum fuisse, Christum ipsum vere ac realiter in Eucharistia esse præsentem.

CAPUT II

Substantiam panis et vini sub speciebus consecratis non remanere.

1. *Hanc veritatem in primis quinque sæculis ita creditam fuisse, ostenditur ex Patribus.* — Altera veritas in assertione transsubstantiationis inclusa est, in Eucharistia post consecrationem, substantiam panis et vini non permanere, quam Ecclesia Romana et Catholica tanquam de fide certam amplectitur, fundata etiam in verbis Christi, et perpetua traditione, ut Concilium Tridentinum nuper declaravit (1), et ante illud plura

(1) Sess. 3, c. 4, can, 4.

alia, quæ nunc referre non est necesse, cum a rege non admittantur. Sola igitur testimonia antiquorum Patrum proferemus, quibus constet, hunc sensum verborum Christi, et hanc fidem non esse novam aut nuperam, sed primis quingentis annis in Catholica Ecclesia fuisse creditam, ac proinde ab Apostolis traditam. Omnes itaque Patres, qui docent, per consecrationem panem mutari, converti, aut transire in corpus Christi, aperte itidem panem communem post consecrationem non manere, contendunt. Quia quod in aliud transit seu convertitur, in sua, quam antea habuit, essentia non manet, ut per se notum est, et multi ex eisdem Patribus expressis verbis declararunt. Maxime Justinus, dicta Apologia 2 pro Christianis, ubi loquens de Eucharistia dicit: « Neque enim communem usitatumque panem, usitatamque potionem capimus, sed quemadmodum per Dei verbum homo factus Jesus Christus Servator noster, et carnem, et sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, et quo sanguis, carnesque nostræ communione aluntur, Jesu Christi, ejus, qui homo factus est, et carnem et sanguinem esse accepimus; » statimque verba Christi adducit, et in hoc sensu ab Apostolis esse tradita manifeste testatur.

2. Eodem modo Irenæus, libr. 4, c. 34: «Quemadmodum» (inquit) « qui est a terra panis percipiens invocationem Dei jam non communis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena, et cœlesti » (id est speciebus panis, et corpore Christi), « sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. In quibus verbis aperte negat, manere communem panem sub speciebus consecratis, sed cœlestem, constantem ex carne Christi, et speciebus panis. Et in eodem sensu dixit Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3 Mystag.: « Panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus invocationem non amplius panis communis, sed est corpus Christi. » Et in catech. 4: «Aquam» (inquit) «aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, sola voluntate, et non erit dig-

nus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Sicut ergo post transmutationem aquæ in Cana Galilæa factam substantia aquæ non mansit, ita nec substantia vini manet in calice, postquam in sanguinem Christi transmutatur.» Unde infra concludit: «Exultet anima mea in Domino, hoc sciens, et pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.» Et eodem fere modo loquuntur Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, et Eusebius Emisenus, quos alibi retuli. Suntque etiam optima verba Epiphanii, quibus eamdem veritatem insinuat serm. de Laudibus Virginis, ad quam ita loquitur: «Ave, Sanctissima Virgo, quæ velut rubus intellectualis absque combustione divinitatis ignem tenes. Libanus intellectualis, qui ignem et panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Salvator mundi Christus ait: Accipite, comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.» Quæ verba ita intelligit, ut panem illum non nisi panem vitæ esse credat, ac profiteatur.

3. Inter Latinos vero sapientissime hoc explicavit Ambrosius, in lib. 4 de Sacramento, cap. 4, ubi sic scribit: «Tu forte dicis: Meus panis est usitatus; sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.» Et infra: «Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est ut quæ erant, in aliud commutentur.» Et infra: «Ergo, tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod jam corpus est Christi; ipse dixit, et factum est; ipse mandavit, et creatum est.» Quod inferius iterum repetit. Et in cap. 5 idem confirmat ex illo principio, «quia potens est sermo Christi, universa convertere.» Et lib. de Initiandis, capit. 9: «Quantis» (inquit) «utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.»

Et infra: « Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? » quod latius ibidem prosequitur. Hoc etiam significavit Augustinus, lib. 20 contra Faustum, cap 13, dicens: « Panis et calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis corpus Christi, non nascitur. » Quod verbum ultimum Algerus, lib. 1 de Sacramentis, cap. 6, ita accurate perpendit: « Cum panis mysticus non nascatur, nec aliqua naturæ terrenæ origine, vel conditione in hoc divino gratiæ sacramento creetur, sed ita corpus Christi fiat, ut panis esse desinat, quomodo Christus in pane, qui jam non est, impanari dicitur? » Denique Cyprianus, in sermone de Cœna Domini, eodem modo loquitur, dicens: « Immortalitatis alimonia datur, a communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis divinæ invisibili efficientia probans adesse præstantiam. » Et infra: « Panis iste communis, in carnem et sanguinem mutatus, procurat vitam et incrementum corporibus. » Et infra: « Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Dei factus est caro. » Pluraque similia in sequentibus tradit, quibus eamdem veritatem confirmat.

4. *Evasio hæreticorum rejicitur.* — Et in eumdem sensum dixit Tertullianus, libr. 4 contra Marcionem, cap. 40: « Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo. » Videtur, inquient Protestantes, sententiam destruere, cum addit, « id est, figura corporis mei. » Sed sine dubio non intellexit ea verba in eo sensu quo illa accipiunt adversarii; alioqui et in eodem contextu pugnantia diceret, et sibi ipsi in multis aliis locis esset contrarius. Vel ergo intellexit, non panem jam consecratum, sed panem olim oblatum, vel aliquo modo sanctificatum, fuisse figuram corporis Christi, ut in oblatione Melchisedech, et in panibus propositionis, quia Christus dandus erat nobis in cibum sub specie panis. Propter quod etiam nomine panis corpus appellatum est a Jere-

mia dicente: « Venite, mittamus lignum in panem ejus,» quem locum ibi Tertullianus allegat, et ex illo, et ex aliis verbis idem Tertullianus ibi, « figuram illam veterem appellat. » Et hunc sensum late ibi confirmat Pamelius, cum Gagnæio, et aliis. Vel certe, si panem consecratum vocavit figuram corporis Christi, per figuram nihil aliud quam sacramentum intellexit; nam, licet corpus Christi vere sit in hostia consecrata, nihilominus simul est signum corporis Christi ibi contenti; et ita explicare voluit Tertullianus, panem consecratum non esse verum, seu materialem panem, quia solum ibi sunt species ejus, continentes et sic figurantes corpus Christi, quod propterea et panis olim est vocatum, et per panem quondam præfiguratum. Et hunc sensum confirmat cum subdit: « Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.» Item: « Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. » Nam per hæc verba explicat, non ficte, sed vere, Christum fecisse panem corpus suum, non illum tantum ad significandum imponendo, neque sibi per modum corporis uniendo, sed eumdem in verum sui ipsius corpus convertendo. Hæc ergo fuit Tertulliani sententia, quam in libr. de Orat., cap. 6, et lib. 2 ad Uxor. cap. 5, confirmat. Ubi est illud: «Et si sciverit, panem, non illum esse credit, qui dicitur?» Et habet similia lib. de Pudicitia, et lib. de Resurrect. carnis, et aliis similibus. Præter præfatos etiam antiquiores Patres, eamdem veritatem amplexi sunt omnes, qui post quingentesimum Christi annum floruerunt, Damascenus, Theophylactus, Gregorius, Beda, Remigius, Paschasius, Algerus, Lanfrancus, Anselmus, Bernardus, Bonaventura, et alii, quorum testimonia obvia sunt, et eorum idcirco per transennam solum nomina indico, ut ex perpetuo Patrum consensu in diversis temporibus constet, Ecclesiæ sensum semper eumdem extitisse, nullamque novitatem in hoc mysterio a recentioribus Pontificibus introductam fuisse.

CAPUT III

De transsubstantiationis veritate

1. *Transsubstantiationem omnibus sæculis retentam fuisse, ostenditur.*—Ex his demum duobus principiis catholicis et antiquissimis, quod sub speciebus consecratis vera adsit substantia corporis Christi, et absit substantia panis, evidenter sequitur veritas transsubstantiationis, quam immerito rex iter nuperas novitates memorat. Cum enim transsubstantiationem carpat, interrogo remne ipsam defugiat, vel solam vocem devitet. Si de re agatur, testimoniis omnium Patrum quinque primorum sæculorum, transsubstantiationem non esse novam, sed omnibus sæculis traditam evincitur. Nam per transsubstantiationem, Ecclesia nihil aliud intelligit, quam conversionem, seu transitum panis in corpus Christi, aut (quod perinde est) desitionem panis, non simpliciter in nihilum, sed loco illius corpore Christi succedente. Vel e converso transsubstantiatio nihil aliud est quam mirabilis actio, qua corpus Christi sub speciebus panis constituitur, et substantia panis expellitur. At certe allegati Patres antiqui conversionem panis in corpus sub his etiam confitentur verbis, et in eodem sensu nomine transmutationis panis in corpus utuntur sæpe, vel panem fieri corpus asserunt, vel tandem distincte negant, post consecrationem manere naturalem panem et esse mysticum, cœlestem, ac verum Christi corpus contestantur; ergo re ipsa nihil aliud docent, quam transsubstantiationem; res ergo transsubstantiationis nova non est, sed antiquissima et catholica veritas.

2. *Transsubstantiationis nomen et antiquum, et maxima auctoritate introductum est.—Concilium Florentinum loco transsubstantiationis ejus definitione usum est.*—Si autem rex in sola voce

transsubstantiationis novitatem adinvenerit, immerito procul-dubio offenditur, quia licet non sit illius antiquitatis, quam ipse desiderat, ante quadringentos annos illa usa est Ecclesia, et maxima illius concordia et auctoritate approbata est in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III, cui Græci et Latini, Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi fere quadringenti octoginta, et complures alii Abbates, et Prælati, et Legati imperatorum, Romani, et Orientis, et regnum Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, et aliorum, cum Summo Pontifice et Cardinalibus, interfuerunt. In ejus autem c. 1 sic dicitur: «Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos, et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.» Neque opinari oportet verbum illud a dicto Concilio fuisse inventum; nam ante illa tempora invenimus usum illo fuisse Gaufredum, Cisterciensem monachum, ep. ad Cardinal. Atanensem, quam refert Baron., ann. 1188, n. 18, ubi etiam indicat fuisse tunc communiter a Theologis usu receptum. Atque idem verbum invenimus in historia quadam authentica, quam idem Baron. refert anno 1192, in fine. Ignoratur ergo initium consuetudinis utendi hoc verbo ad mysterium Eucharistiæ explicandum. Sed tamen ante Concilium Lateranense non erat publica auctoritate confirmatum; ibi vero universa Ecclesia in usu illius vocis «transsubstantiationis» ad explicandum hoc mysterium consensit. Et postea Concilium Florentinum quamvis illa voce non fuerit usum, loco illius, ejus definitionem seu descriptionem apposuit dicens: «Substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur.» Nihil enim aliud Lateranense Concilium transsubstantiationis voce significare voluit, nisi conversionem totius substantiæ in aliam integram substantiam, hujus siquidem conversionis genus op-

time illa voce significatur et exprimitur. Nam et præscindit a voce mutationis, qua in physico rigore solet subjectum postulare; et excludit quemcumque errorem asserentem manere sub speciebus panis, vel naturam panis, vel partem ejus ut materiam, aut formam, vel aliquit ejus, ut ipsum esse, vel subsistentiam panis. Ideoque merito Concilium Tridentinum sess. 13, c. 4, et canon. 2, asseruit conversionem illam totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem Christi, «convenienter, proprie, et aptissime a Sancta Ecclesia Catholica transsubstantiationem esse appellatam.»

3. Denique superiori libro ostensum est, solere Ecclesiam in Conciliis, præsertim œcumenicis, novas adinvenire voces, quibus antiqua mysteria fidei contra insurgentes hæreticos, et novas eorum opiniones, tergiversationes, et calumnias declaret ac defendat; cur ergo non potuerunt Concilium Lateranense et Tridentinum in simili vocis institutione vel approbatione, antiqua Concilia Nicænum I et Ephesinum I imitari? Quid ergo habet rex, quod in transsubstantiationis voce improbet, cum rem negare nequeat, si Catholicus non tantum nomine, sed et revera, quod summopere optamus, esse velit; aut quomodo potest negare transsubstantiationem esse antiquissimam, eo quod sola vox minus antiqua sit, cum in causis non dissimilibus similes antiquorum hæreticorum tergiversationes Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, et alii Patres illis æquales gravissime reprehenderint? Atque hæc de hujus mysterii substantia ac veritate pro hujus loci opportunitate dixisse sufficiat, ut ad alios notatos errores transitum faciamus.

CAPUT IV

Eucharistiam latriæ adoratione convenienter adorari, et in hunc finem elevari et circumgestari

1. *Christum Dominum cultu latriæ adorandum esse, ostenditur.*—Non est difficile ex posito principio fidei veritatem hanc evidenter elicere, et alterum Protestantium errorem, quo Sacrosanctæ Eucharistiæ adorationem taxant, vel negant, satis perspicue refellere. Nam Christum Dominum verum Deum hominem, unica et perfecta latriæ adoratione adorandum esse docuit expresse Cyrillus cum Concilio Alexandrino, in ep. ad Nestorium, de Excom., his verbis: «Cum Verbum carni secundum hypostasim unitum esse confitemur, unum adoramus Filium ac Dominum Jesum Christum.» Et in anathematismo 8, damnat hunc modum loquendi, «assumptum hominem una cum Deo Verbo esse adorandum et glorificandum,» et anathema dicit in eum, «qui non magis una adoratione Emmanuelem honorat, et unam illi glorificationem, sicuti Verbum caro est factum, adaptat.» Quam doctrinam aprobavit Concilium Ephesimum I, et Concilium Chalcedonense, ut supra retuli, et ab universa Ecclesia recepta est, nec potest illam negare rex Angliæ, qui se quatuor prima Concilia venerari profitetur. Præsertim quia sæpe in Evangelio legimus, hujusmodi adorationem Christo Domino non raro datam, nec ab ipso recusatam, sed approbatam potius ut patet Joan., 9, in cæco a Christo illuminato, qui jam credens, «procidens adoravit eum,» et cap. 20, in Thoma, dicente: «Dominus meus, et Deus meus.» et Paulus, ad Philippenses, 2, de hac adoratione loquitur, cum dicit: «In nomine Jesu omne genu flectatur.» Et ad Roman., 14, de Christo interpretatur illud Isai., 45: «Mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebi-

tur Deum.» Est ergo de fide certissimum Christum Dominum in sua specie visibili perfectissimo cultu adorandum esse. Cum igitur ostensum sit eumdem Christum Deum hominem vere et realiter esse in Eucharistia præsentem, nullus revera credens Incarnationis et Eucharistiæ mysteria, negare potest Eucharistiam esse adorandam.

2. An forte quia Christus ibi modo naturali et visibili non existit, et sub speciebus sacramentalibus latet, ideone tandem non æque adorandus, ac si corporeis oculis objiceretur? At hoc solummodo contingat illis, qui suis tantum sensibus fidem adhibent, qui profecto etiam in specie visibili Christum non adorarent, quia ejusdem divinitatem non viderent. Qui ergo vera fide in sua religione et adoratione ducitur, sicut adorat invisibile Verbum cum carne sub qua latet, ita adorat Verbum carnem factum, licet speciebus sacramentalibus sit obvelatum. Unde sicut Christus Dominus Thomæ dixit: «Quia vidisti me, Thoma, credidisti»; nam videndo Christi corpus et ejus vulnera, ipsum Deum credidit, et ut talem adoravit, ita quilibet Catholicus fidem adhibens verbis Christi, et videns species ejusdem verbis consecratas, Deum sub illis per fidem intuetur, et ita sacramentum illud adorat.

3. *Hunc articulum immerito a rege inter nuperos recenseri, ex Patribus ostenditur.*—Quam ob causam hæc Eucharistiæ religio et adoratio antiquissima etiam est in Ecclesia, quod nullus, qui antiquos Patres legerit, negare potest, quos breviter commemorabo, ut hac etiam ratione constet, immerito regem Angliæ hunc articulum inter novos et nuperos annumerasse. Et in primis Ambr., lib. 3 de Spiritu Sancto, c. 12, prius de Angelis dicit, adorare non solum divinitatem Christi, sed etiam «scabellum pedum ejus», quod de mysterio Incarnationis intelligit, et scabellum «terram illam, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit», interpretatur, et ita exponit verba Psalm. 98: «Adorate scabellum pedum ejus», dicens: «Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam

hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt, neque enim divisus est Christus, sed unus.» Ubi aperte loquitur de perfecta adoratione latriæ, et adorationi Christi in propria specie existentis, hanc ipsiusmet sub speciebus sacramentalibus latitantis æquiparat. Atque eodem modo exponit prædicta verba Psalmi 98 Augustinus ibi, ubi eamdem movet quæstionem, quomodo præcipiamur adorare scabellum pedum Dei, quod terra esse dicitur Matth., 4, et respondet: «Fluctuans converto me ad Christum.» Et infra: «Suscepit enim de terra terram, caro enim de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.» Quod utinam attente legat et consideret rex Angliæ. Simili modo de hoc sacramento intelligit Augustinus, concion. 1 in Psalm. 21, verba illa: «Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ», quod eodem modo exponit epist. 120, cap. 7, et epist. 118, et cap. 3, comparans eum, qui frequenter ad Eucharistiam accedit, cum illo qui propter reverentiam abstinet: «Faciet (inquit) unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum, neuter enim eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt.»

4. Præterea Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 5 Mystag., in qua fere liturgiæ ritum describit, cum de communione tractat, prius docet, quanta reverentia corpus Domini suscipiendum sit, deinde post communionem corporis Christi, inquit: «Accede et ad calicem sanguinis illius, non extendens manum, sed pronus adorationis in modum, et venerationis.» Plura tradit Chrysost., hom. 24, in 1 ad Cor., præsertim in fine, ubi inquit: «Hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt Magi, et

cum multo metu et tremore adorarunt, imitemur ergo vel barbaros, nos cœlorum cives.» Et infra: «Tu non in præsepi vides, sed in altari.» Et iterum: «Non solum hoc corpus vides sicut illi, sed nosti ejus virtutem et dispensationem»; inferius adhuc: «Nos ergo ipsos excitemus, et formidemus, et longe majorem, quam illi barbari, ostendamus reverentiam.» Ubi etiam est consideranda æquiparatio inter Christi adorationem in propria specie visibili, et in sacramento. Præterea homil. 3 de incomprehensibili Dei natura, circa finem, «Angelos etiam» ait «genua flectere Domino in hoc sacramento pro hominibus intercedentes, et dicentes: Pro his supplicamus, pro quibus tuum largitus es sanguinem; pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.» Addit etiam ibi, «solitum fuisse diaconum in missa tempore consecrationis ducere energumenos», quos «agitatos» vocat, utique a dæmone, «et jubet (inquit) caput inclinare.» Videri etiam possunt Gregorius Nazianzenus, Orat. 11 de S. Gorgonia; et Origenes, homil. 6 in Josue; et Eusebius Emisenus, homil. 5 Paschali; Theodoret., dialog. 2 et 3; et Joannes Climacus, gradu 23: «Donum (inquit) cœleste suscipiens adoro»; et Damascenus, lib 4 de Fide, cap. 13. Neque contra veritatem hanc aliquid rex adducit, nec quid afferri possit, facile conjicere valeo.

5. *Eucharistiæ elevatio maxime laudabilis, et antiqua.*— Ex quo fundamento nullo quidem negotio evertitur, quod in hoc puncto de elevatione Eucharistiæ post consecrationem adorandi causa, adduxit rex. Hoc enim reprehendi non potest, quia malum sit, sicut etiam nec quia novum. Primum patet ex dictis, quia si adorare Eucharistiam ducatur sanctum, illam, ut adoretur, proponere et ostendere populo, non potest esse malum; ergo elevare idem sacramentum propter eumdem finem, non potest esse reprehensibile, sed potius maxime laudabile. Quid enim vel in substantia illius actus, vel in modo, reprehensione dignum excogitari potest? Quod autem mos ille novus non sit, constat ex Dionysio, 3 cap., de Eccl. Hier, p. 3, ubi

de sacerdote consecrante ait: «Sicque venerandissima mysteria consummat, et laudata oculis subjicit in signis sancte propositis»; et Basilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, hanc ponit inter apostolicas traditiones, quamvis non elevationem, sed «ostensionem» vocet «divini corporis, et sacri poculi.»

6. Et quanquam res non esset adeo antiqua, nihil obstaret quominus, approbante illam Ecclesia, cum omni fide et reverentia susciperetur. Et ideo merito Concilium Vienense inter alios errores Beguardorum et Beguinarum hunc damnavit, «quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, neque eidem reverentiam exhibere.» Quod tamen non de omnibus fidelibus, sed de quibusdam valde perfectis asserebant, quia dicebant imperfectionis esse, ab altissima contemplatione ad ministerium Eucharistiæ descendere, quæ erat ridicula dæmonum elusio. Ideoque etiam est valde laudabilis consuetudo Ecclesiæ, quod eo tempore, quo corpus Domini elevatur, pulsetur campanula, qua circumstantes ad Dominum adorandum excitentur. Neque hoc itidem est adeo novum, quin ante quadringentos annos fuerit a Gregorio IX Pontifice approbatum, testes Nauclero, generat. 42. Et Ivo Carnotensis ante quingentos annos gratias egit reginæ Anglorum pro campanis quas Ecclesiæ Carnotensi dono dederat, indicans solitas esse pulsari consecrationis tempore. Hujusmodi ergo mores, cum ad optimum finem ordinentur, et in se nihil indecens aut divino cultui indecorum contineant, sive parum, sive multum antiquitatis sortiti fuerint, laudabiles omnino sunt habendi.

7. *Eucharistiæ in supplicationibus circumgestationem non vituperandam, sed potius laudandam valde esse ostenditur.—Ratio sumpta ex fine.*—Atque hinc etiam responsum est ad articulum 3 a rege notatum, videlicet de usu circumgestandi divinum sacramentum in supplicationibus, quem ut superstitiosum damnare solent Protestantes, quia novum, humano ingenio inventum, et ad cultum Eucharistiæ introductum. Quibus breviter respondemus, imprimis confitendo non esse morem nimis an-

tiquum, quanquam neque nimis recentem omnino; cum ante trecentos quinquaginta annos inductus sit auctoritate Summorum Pontificum Urbani IV et Clementis V, cum generali Concilio Viennensi, ut habetur in Clement. unic., de Reliquiis et Venerat. Sanctor. Et statim universali consensu totius Ecclesiæ, et mirabili acclamatione et fructu susceptus est, et in dies confirmatus et auctus. Quod non sine speciali Spiritus Sancti providentia, ac nutu prorsus divino factum esse, dubitare nemo potest, qui promissionibus Christi fidem dederit, quibus, et se, et Spiritum Sanctum Ecclesiæ suæ in perpetuum gubernatorem et protectorem est pollicitus affuturum. Deinde in hoc etiam puncto locum habet ratio facta, quia hujusmodi institutio, et Eucharistiæ solemnis circumgestatio finem habet optimum, et in actione ipsa nulla est superstitionis umbra, sed potius ad propositum sibi finem magna utilitas, et aptitudo maxima. Finis enim illius solemnitatis est tanti beneficii memoria populum Christianum ad gratiarum actionem excitare, et ad percipiendum uberius tanti sacramenti gratiam et fructum commovere, ut prædicti Pontifices in exordio et discursu illius capitis summa cum pietate declararunt. Actio vero ipsa de se indifferens est, unde facta propter bonum finem, et debita fide ac reverentia, fit honestissima et religiosa, sicut in figura legimus de circumgestatione arcæ, Numer., 14, et maxime 2 Regum, 6, et 1 Paralip., 15.

8. *Refutatur hæreticorum evasio.—Ecclesia potest statuere quidquid ad majorem Dei cultum opportunum fuerit.* — Quid ergo sit quod adversarii in hoc solemni ritu reprehendant, nescio. Dicent fortasse non potuisse Ecclesiam hujusmodi novum ritum introducere. Sed hoc ab ipsis sine Scriptura, sine ratione, sine ullo prorsus fundamento, imo contra Scripturam et rationem assertum est. Scriptura enim nunquam hoc prohibuit; imo ubique significat, ea, quæ pertinent ad cultum, cæremonias et ritus hujus sacramenti, Ecclesiæ providentiæ et dispositioni esse commissa, juxta illud 1 ad Cor., 11: «Cætera cum venero, dis-

ponam.» Deinde in veteri lege fuit potestas instituendi novum aliquod festum, ut constat 2 Macha., 4, et Esther, et Judith, ult., ac proinde multo magis est hæc potestas in Ecclesia, et ita consuevit a primordiis dies festos instituere ad Deum in Sanctis suis laudandum; ergo majori ratione potuit peculiarem diem instituere in honorem Sancti Sanctorum, et tanti beneficii commemorationem, ut Clemens V supra in virtute argumentabatur. Denique naturalis ipsa conditio humanæ naturæ postulat in his rebus varietatem et mutationem, unde incredibile est reliquisse Christum Ecclesiam suam ex hominibus congregatam sine hujusmodi potestate.

9. *In principio Ecclesiæ potuit hæc circumgestatio non esse utilis.*—In principio igitur nascentis Ecclesiæ potuit hæc celebritas non solum non esse necessaria, verum etiam neque utilis, quia Christiani inter infideles viventes, eisque subditi, non poterant sine periculo, tam publico et solemni ritu sacramentum hoc colere. Postea vero licet fieri potuisset, tamen per multum temporis non est judicata necessaria hujusmodi solemnitas, quia pura, et sincera fide hoc mysterium ab omnibus Christi professoribus tenebatur, et quotidie, vel saltem singulis Dominicis ac festis diebus ejus memoria cum magna devotione ac fructu recolebatur. Postea vero cum errores contra veritatem hujus sacramenti ingruentes multiplicarentur, et charitas etiam ac devotio fidelium remitti videretur, prudentissime quidem ejusmodi instituta est solemnitas, quæ et fidelium animos in fide tanti sacramenti magis confirmaret, et ad gratitudinem dilectionemque excitaret ardentiorem. Quapropter merito Concilium Tridentinum anathema dixit illis, qui sacramentum hoc non esse adorandum assererent, festivaque celebratione peculiari venerandum, et in supplicationibus solemniter circumgestandum pernegarent. Nam in his omnibus vel supponitur error veritati præsentiæ Christi in hoc sacramento contrarius, vel saltem includuntur alii errores non minus veræ fidei adversantes, ut Ecclesiam universalem posse in moribus errare, vel non

posse præcipere, nisi quod in Scriptura præceptum invenitur, vel, quod inde sequitur, omnes cæremonias per Ecclesiam institutas esse superstitiosas; et similia, quæ aliis locis satis sunt refutata, et in sequentibus sæpius occurrent obvianda.

CAPUT V

De laicorum sub una tantum specie panis communione

1. *Laicorum sub una specie communionem immerito reprehendit rex.—Objectio hæreticorum.*—Cum rex in 4 articulo Ecclesiam Catholicam novitatis insimulat, eo quod laicis in specie tantum panis Eucharistiam exhibeat, in eadem salebra hærere videtur; in eo enim nititur, quod Ecclesia in usu vel ritibus sacramenti nihil addere aut minuere possit, vel immutare, quod universe et sine limitatione sumptum, rationi et Scripturæ contrarium esse demonstravimus. Quamvis enim illa, quæ sunt de substantia sacramentorum, et a Christo sunt instituta, mutari per Ecclesiam non valeant, nihilominus ea, quæ ad accidentales ritus, et ad mores utentium pertinent, variationem accipere, et Ecclesiæ auctoritate pro temporum opportunitatibus mutari possunt. At in præsenti articulo solent adversarii urgere dicentes, mutationem hanc contrariam fuisse Christi institutioni et præcepto. Nam Christus omnibus præcepit utriusque speciei perceptionem illis verbis, Joan., 6: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.» Quæ verba ita fuisse principio Ecclesiæ intellecta, antiquus usus communicandi omnes fideles comprobare videtur. Accedit etiam, quod ipsa mutilatio sacramenti videtur esse contra illius institutionem, ac subinde intrinsece mala, tali institutione supposita.

2. *Solutio.—In usu Eucharistiæ sub una specie duo conside-*

randa.—Sacerdoti sacrificanti communio sub una specie non permittitur.—Sed in his etiam objectionibus non recedunt hæretici a superba præsumptione, qua judicium suum Ecclesiæ Catholicæ auctoritati præferunt, eamque in exponendo vero Scripturæ et Christi sensu, errare posse, imo et errasse dicere audent. Quia igitur ex contrario fundamento in hoc articulo potissime convincendi sunt, et illud satis est in superioribus confirmatum, ideo in præsenti breviter dictis objectionibus satisfaciemus, simulque morem Ecclesiæ nec novum esse, nec a verbis Christi alienum, ostendemus. Duo vero, ut clarius procedamus, in usu Eucharistiæ in una tantum specie distinguere oportet. Unum est, an liceat interdum manducare corpus separatim ab usu calicis, vel hoc semper et quasi intrinsece malum sit; aliud est, an liceat privare fideles toto vitæ tempore usu calicis, quia, licet ponamus aliquando posse licite unam speciem sine alia sumi, nihilominus superesse potest quæstio, an liceat nunquam sumere utramque; posset enim esse necessarium, interdum, vel in discursu vitæ utramque sumere, esto unam tantum accipere aliquando liceat. Deinde distinguere oportet inter oblationem Eucharistiæ ut sacrificium est, et participationem ejus, ut sacramentum est. Quoties enim hoc sacramentum conficitur, sacrificium Deo offertur, ut Catholica docet Ecclesia (quicquid hæretici sentiant, quod nunc agendum non est), et quia sacrificium hoc incruentum imago est cruenti sacrificii in Cruce oblati, quod Christus Dominus in consecratione utriusque speciei separatim facta repræsentari voluit, ideo nunquam Ecclesia permittit, vel sacramentum hoc in una tantum specie confici, vel a sacerdote sacrificante in una tantum specie consumi. Et ita de mutilatione sacrificii, vel communionis sacerdotalis, seu sacrificialis (ut sic rem declarem), nulla est quæstio; illam enim fatemur nunquām esse licitam, et probabile est, licet non de fide certum, illam esse jure divino prohibitam, vel fortasse intrinsece malam, supposita institutione. Sed hæc Theologis omittimus; nam solum de laicorum communione, seu participatione sacramenti extra sacrificium nunc tractamus.

3. *Communio in sola specie panis ab initio Ecclesiæ usitata est.—Serapio senex in sola specie panis Eucharistiam recepit.*— De usu ergo communicandi ex præconsecratis in sola specie panis, dicimus imprimis, nec per se malum esse, neque unquam fuisse in Ecclesia prohibitum, imo neque esse novum, sed potius ab initio Ecclesiæ fuisse in illa usitatum. Et quoniam ex hoc usu cætera sufficienter probantur, et rex maxime hujusmodi novitatem reprehendit, illum præcipue ostendemus. Primo ex antiquo usu servandi Eucharistiam sub specie panis sola, et ministrandi illam infirmis, et deferendi in domum, vel in itinere, utique ad consumendam illam opportuno vel necessario tempore. Morem autem hunc colligimus imprimis ex his, quæ ex Dionysio Alexandrin. Eusebius narrat, lib. 6 Histor., c. 36, de Serapione sene, qui cum diu communione privatus pœnitentiam egisset, eo quod sacrificium idolis obtulisset, tandem in articulo mortis existens presbyterum ad se vocari jussit; cum vero ille morbo etiam vexatus, ad Serapionem accedere non posset, «exiguam Eucharistiæ particulam nuncio dedit, præcipiens ut eam madefactam in os senis infunderet», quod postquam factum est, senex feliciter e vivis excessit. Ex qua historia perspicuum relinquitur, particulam illam fuisse panis consecrati, et pro tempore necessitatis conservati, et illum sine vino vel sanguine pro integra communione fuisse datum, eamque communionem non sine miraculo, vel singulari Dei gratia fuisse a sancto illo sene expectatam, ac proinde Deo fuisse gratam, ut sancta etiam mors senis statim subsecuta comprobavit.

4. *Ambrosius in sola specie panis Eucharistiam suscepit.*— Nec dissimile est quod de Ambrosio animam agente in fine vitæ ejus scribit Paulinus, Honoratum, Vercellensis Ecclesiæ sacerdotem, in lecto suo jacentem ter vocem audivisse, dicentem sibi: «Surge, festina, quia modo est recessurus; qui descendens (ait Paulinus) obtulit Sancto Domini corpus, quod ubi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum secum deferens», ubi de san-

guine nulla est mentio. Præterea eumdem Ecclesiæ morem ostendit historia, quam de suo fratre Satyro refert idem Ambrosius, in Orat. funebri de ipso, videlicet e navi secum corpus Domini tulisse, cujus virtute a naufragio liberatus est, ut in superioribus bis jam attigimus. Item Gregorius Turonen., lib. de Sancta Patrum Vita. c: 3, de S. Gallo Episcopo refert, cum revelationem instantis mortis accepisset, post triduumque migraturum, «convocasse populum, et omnibus, confracto pane, communionem sancta ac pia voluntate partitum fuisse.» Hoc etiam confirmat antiqua consuetudo Eucharistiam servandi pro infirmis, quæ sumitur ex Concilio Turonico II, sub Joanne Papa III, anno 570 celebrato; et Concilio Matisconensi paulo post sub Pelagio IV, can. 6; et ex Beda, lib. 4 Histor. Anglor., c. 24. Non est enim verisimile servatam fuisse unquam Eucharistiam sub specie vini, cum brevi tempore et facile acescat et corrumpatur; servabatur ergo in sola specie panis, ut nunc etiam fit.

5. *Eucharistiam in domum secum deferre, olim fidelibus licebat.*—Alia etiam fuit antiqua consuetudo, qua liberum erat fidelibus corpus Domini, quod viri in manibus, feminæ in linteolis nitidis accipiebant (ex August., serm. 252 de Temp.), vel in Ecclesia consumere, vel secum in domum deferre ad secrete communicandum tempore opportuno, quæ communio sine dubio in sola specie panis fiebat. Et ita sumitur ex Tertulliano, lib. 2 ad Uxor., cap. 5, ibi: «Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit, panem, non illum credit esse, qui dicitur.» Et in eodem sensu possunt intelligi verba ejusdem, libro de Orat., cap. ult.: «Accepto corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii.» Quamvis possint hæc verba optime intelligi de priori reservatione pro infirmis. Dicta etiam consuetudo colligitur ex verbis Cypriani, lib. de Lapsis, non longe a fine, ubi refert de quadam femina, «cum arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde

surgente deterritam esse, ne auderet attingere», quod refert inter Eucharistiæ miracula. Illud ergo Sanctum in privata arca reclusum nihil aliud erat, nisi corpus Domini in propriam domum portatum juxta præfatam consuetudinem, quam etiam commemorat lib. de Lapsis, dicens: «Dimissus, et adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam.» Qui mos solum primis quingentis annis Christi durasse videtur. Nam in Concilio Cæsaraugustano, anno 518, cap. 3, anathematizatur, qui probatus fuerit, «acceptam Eucharistiæ gratiam non consumpsisse in Ecclesia.»

6. *Hic communicandi modus non est a Christo prohibitus.*— Manifestum ergo est, usum communicandi interdum in sola specie panis, antiquissimum fuisse in Ecclesia; ergo propter novitatem non potest a rege Angliæ reprehendi, cum in primis quinque sæculis fuisse probetur. Et eadem ratione reprehendi non potest propter abusum, vel aliquam inordinationem, cum ipsi etiam hæretici fateantur, in illis prioribus sæculis mores Ecclesiæ fuisse puros, et verbo Dei consentaneos. Ratio autem Theologica et Catholica est, quia Christus Dominus numquam prohibuit unam speciem sine alia sumere, neque ex vi institutionis, et attenta sola rei natura id pravum est. Priorem partem contra adversarios sufficienter probamus, petendo ab eis Scripturæ locum ubi illa prohibitio scripta sit. Nam cum illum ostendere nequeant, satis in eorum principiis convincuntur, nullam esse talem prohibitionem specialiter a Christo latam. Nos autem addimus, etiam ex traditione Ecclesiæ non haberi, sed contrarium potius, ut videbimus. Imo si vera est opinio dicentium, Christum post resurrectionem dedisse panem consecratum duobus discipulis, Luc., 24, inde habemus, exemplo Christi hujusmodi communionem in una specie esse comprobatam; et sane Augustinus id plane supponit, lib. 3 de Consensu Evangelistar., c. 25, et serm. 140 de Tempore; et Beda, et Theophylact. ibid.

7. *Christus Dominus sub qualibet specie totum sacramenti*

effectum communicat.—Altera vero pars, præterquam quod sufficienter auctoritate Ecclesiæ probatur, ex principiis etiam fidei ostendi potest, quia Christus Dominus, qui est veluti substantia hujus sacramenti, totus est sub singulis speciebus, potensque sub utrisque, vel separatim sumptis ad vitam dandam recipienti; ergo sumptio solius panis sufficit, et ad recipiendum Christum, et ad recipiendum effectum sacramenti, et ad significationem sacramentalem, quæ in usu Eucharistiæ, quatenus sacramentum est, invenitur. Nam quomodocumque hoc sacramentum sumatur, semper significat perfectum convivium ad refectionem animæ sufficiens propter excellentiam panis cœlestis, sub speciebus terrestris panis contenti et significati. Sicut etiam hoc sacramentum, ut est Angelorum panis, sufficienter significatus fuit per manna, vel per panes propositionis, sine adjectione potus aut vini, quamvis ubi sub ratione sacrificii oblationis præfiguratum est, utraque species intervenerit, ut in oblatione Melchisedech, quando panem et vinum obtulit.

8. *Nullum datur præceptum communicandi sub utraque specie.—Evasio hæreticorum.—Regicitur evasio, et verus sensus præcepti Eucharistiam conficiendi traditur.*—Reliquum est ut de altera parte proposita aliqua cursim saltem subnectamus, de perpetua nimirum carentia, seu separatione fidelium non consecrantium ab usu calicis. In qua breviter dicimus, Christum nunquam præcipisse Pastoribus Ecclesiæ, ut aliquando communicent subditos sub utraque specie, nec ipsis fidelibus hujusmodi communionem sub legis vel salutis necessitate constituisse. Priorem partem probamus imprimis, quia tale præceptum non invenitur scriptum, hoc enim pro adversariis sufficit, ut jam dixi. Dicent fortasse præceptum hoc datum esse a Christo Pastoribus Ecclesiæ, dicente Apostolis suis in nocte Cœnæ: «Hoc facite in meam commemorationem,» quibus verbis id facere præcepit, quod ipse fecerat; ipse autem «accepit, benedixit, ac distribuit» discumbentibus utramque speciem; ergo idem a ministris suis fieri voluit, et præcepit. Sed imprimis cum Protes-

tantes contra universalem Ecclesiæ sensum, nec substantialem ritum hujus sacramenti nec sacrificii oblationem ex illis verbis probari velint, profecto nulla verisimili ratione possunt præceptum communicandi sub utraque specie inde colligere. Præsertim quia neque præceptum communicandi, quoties sacrificio Missæ assistitur in verbis illis continetur, ut alibi ostendimus, et ex antiquis Conciliis infra attingemus, Verbis igitur illis non præcepit Christus imitari factum illud quoad omnes circumstantias, quas tunc pro temporis et occasionis opportunitate observavit, alias oporteret noctu semper, et post cœnam, imo et post lotionem pedum communicare. Item esset necessarium de jure divino in azymo conficere, sicut Christus fecit. Item quoties sacramentum conficitur, aliis necessario tribuendum esset, eademque ratione semper deberet sacerdos totum panem, quem consecraverat distribuere; et a solo illo sacerdote, qui sacrum confecit, et finita statim consecratione accipiendum esset; ac denique ante calicis consecrationem distribuere necessarium esset; nam ita etiam fecit Christus Dominus; hæc autem omnia incredibilia sunt, et contra perpetuam Ecclesiæ consuetudinem. Solus ergo substantialis ritus hujus sacrificii et sacramenti illis verbis præceptus est, ut Concilium Tridentinum docuit, sess. 22, cap. 1; reliqua enim, quæ accidentaria sunt, Ecclesiæ dispositioni Dominus commisit, ut jam dixi, et Augustinus, epist. 118, affirmavit.

9. *Objicitur locus Lucæ*, 22.—*Explicatur locus prædictus.*— Non desunt vero ex adversariis, qui præceptum hoc colligant ex aliis verbis Christi Domini apud Lucam, c. 22: «Bibite ex hoc omnes,» quod non solum de his, qui tunc præsentes aderant, sed etiam de omnibus futuris fidelibus intelligi obtendunt; aiuntque, non sine mysterio, et quasi prophetico spiritu additum esse verbum illud in distributione sanguinis, potius quam corporis, ad præcavendum et prohibendum morem futurum in Ecclesia Romana excludendi fideles a participatione calicis. At hæc ponderatio frivola est; quamvis enim verba illa

futuros homines comprehendere concederemus, de omnibus fidelibus illa intelligere neutiquam oporteret, sed ad summum de omnibus sacerdotibus, quia ibi soli Apostoli aderant, qui tunc ordinati sunt sacerdotes, ut satis indicavit Concilium Tridentinum, sess. 22, c. 1, et can. 2, dicens Christum in cœna Apostolos sacerdotes consecrasse, dicens eis, et, in eis, successoribus eorum: «Hoc facite,» etc., ubi licet exclusivam expresse non ponat, tamen solos Apostolos nominando, illos solos ibi adfuisse satis significavit. Idemque ex Matth., 26, et Joan., 13, et aliis Evangelistis colligitur. Nam solos discipulos nominant, per quos quasi per antonomasiam Apostolos intelligunt, et Matthæus expresse addidit numerum duodecim, et quos in particulari nominant, omnes erant Apostoli. Ac denique communis Ecclesiæ sensus est, Christum non omnium discipulorum, sed duodecim tantum Apostolorum pedes lavisse; illos ergo tantum præsentes in Cœna habuit, illisque solis dixit: «Hoc facite;» illis ergo tantum dixit: «Bibite ex hoc omnes.» Deinde ineptum est, particulam «omnes» ad futuros fideles referre, cum Christus ad solos præsentes, et de solo illo calice, quem illis præbebat, qui non poterat nisi inter præsentes dividi, locutus fuerit. Et ita Marcus exposuit ibi statim esse impletum, quod Christus præceperat, dicens: «Et biberunt ex illo omnes. Neque in illo verbo vel signo aliquod invenitur mysterium, sed quia Christus panem prius fregerat, et in duodecim particulas diviserat, et unicuique suam porrexerat, non fuit necessarium dicere: «Accipite omnes, et comedite;» quia vero unum calicem præbebat, ut ex eo omnes biberent, ideo verbis suis illud etiam expressit. Quod aliis verbis, et sine illa distributione expressit Lucas dicens: «Accipite, et dividite inter vos;» ubi particula «vos» præsentes tantum designat, non futuros.

10. *Objicitur locus Joan.*, 6.—*Explicatur locus iste.*—Posterior autem pars, de necessitate fidelibus imposita communicandi aliquando sub utraque specie, maxime fundari solet in verbis Christi, Joan., 6: «Nisi manducaveritis carnem Filii

hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.» Verumtamen hic locus a Calvinistis urgeri non potest, cum ipsi plerumque negent Christum Dominum in toto illo capite Joan., 6, de sacramento Eucharistiæ fuisse locutum. Deinde multi etiam Catholici negarunt verba illa intelligenda esse de sacramentali manducatione corporis et sanguinis Domini, quorum sententiam hactenus Ecclesia non damnavit, nec certum sensum illorum verborum declaravit, sed solum unum falsum, quem nunc hæretici approbant, exclusit. Unde Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 2, dixit: «Ex illo sermone Domini non colligi, communionem sub utraque specie esse a Domino præceptam, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, et Doctorum interpretationes, intelligatur.» Probabilior autem expositio esse videtur, ibi quidem impositam esse fidelibus communionis Christi in Eucharistia necessitatem, non tamen esse impositam omnibus, et singulis fidelibus utriusque speciei obligationem, sed tantum sumendi carnem et sanguinem Christi, sive uno actu, sive multis sumatur. Quia tota necessitas posita est in unione cum Christo per hujus sacramenti sumptionem, quæ ad salutem et vitam sufficiat; ad vitam autem sufficit totius Christi manducatio, ut ex verbis ejus statim id elicientes confirmabimus. Sicut ad salutem sufficit credere in Christum, et illud est credere carnem et sanguinem ejus, licet hæc non singulis, seu distinctis actibus credantur, ita quia Christus totus sub singulis speciebus continetur, sola eucharistici panis receptio ad salutem sufficit, quia in illa totus Christus accipitur, et (ut sic dicam) sanguis ejus re ipsa bibitur, licet non per modum potus accipiatur. Unde fit, ut præceptum illud integre impleat, qui corpus Domini accipit; et e contrario sequitur, illum tantum violare præceptum illud, et Christi comminationem incurrere, qui a corpore et sanguine Domini abstinet, ut recte exposuit Fulbert. Carnoten., epistol. 1 ad Deodatum, in fine. Et Christi verba egregie hunc sensum recipiunt, ita ut negatio inclusa in particula «nisi», cadat in totam sequentem sententiam, et

utrumque membrum ejus, et sensus sit, si nec corpus meum manducaveritis, nec sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Et ita legit Athan., lib. de Commun. essentia Patris, etc.: «Qui non comedit carnem meam, nec bibit sanguinem meum, non habebit vitam æternam.» Et eodem modo exponit August., tract. 26 in Joan., cujus verba paulo post referam.

11. *Confirmatur expositio tradita.* — Per illa ergo verba solum voluit Dominus ostendere, quam sit necessarium fidelibus per hoc Sacramentum Christum ipsum intra se sumere. Voluit autem distincte explicare sumptionem corporis et sanguinis, non quia necesse sit distinctis actibus illa sumere, sed vel ut fidem hujus sacramenti distincte proponeret, vel ut passionem suam significaret, in cujus memoriam celebrandum semper est hoc sacramentum; vel quia futurum erat, ut in Ecclesia sua necessarium esset, carnem et sanguinem suum sub diversis speciebus accipere, quamvis non omnibus, sed his, qui sacrificant, hæc necessitas imponenda esset. Intentionem autem Christi Domini in verbis allegatis esse, quam diximus, ex mente Concilii Tridentini in hunc modum probatur. Nam ipsemet Christus Dominus dixit, manducationem panis cœlestis sufficere ad salutem; ergo non constituit ut necessariam sumptionem vini in propria specie, et ut distinctam a sumptione panis. Consequentia evidens est, quia non potest una species esse sufficiens, si duplex est necessaria. Assumptum vero constat ex multis verbis Christi Domini, Joan., 6, scilicet: «Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.» Et infra: «Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.» Et infra, post prædicta verba, quibus necessitatem carnis et sanguinis docuit, addidit: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.» Ubi particula «et», copulative quidem, non tamen conjunctim, sed divisim (ut dialectici loquuntur) sumitur, juxta vocis proprietatem

et materiæ exigentiam, et juxta communem etiam Scripturæ usum. Cum enim dicitur Exod., 21, juxta hebraicam lectionem: «Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur», non est sensus conjunctus, ut qui utrumque simul parentem occiderit, moriatur, sed divisus, ut tam qui occiderit patrem, quam qui occiderit matrem, moriatur. Sic ergo in præsenti sensus dictorum verborum Christi est: «Qui manducat meam carnem, in me manet, et ego in eo; et qui bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo»; ergo sumptio uniuscujusque speciei sufficit ad salutem. Et rationem indicavit Christus in verbis sequentibus: «Qui manducat me, et ipse vivet propter me», quasi diceret, sive quis manducet carnem, sive bibat sanguinem meum, me totum accipit, et ideo propter me vivet. Unde iterum subjungit: «Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.»

12. *Idem ex Patribus confirmatur.* — Præterea Patres antiqui nihil aliud sub illis verbis intellexerunt præceptum esse a Christi, nisi ut Christum sacramentaliter et spiritualiter recipiamus; neque in hoc vim faciunt, quod sub una vel duabus speciebus recipiatur, sed in hoc solum, ut manducando, vel sumendo ipsum, illi uniamur. Sic Cyrillus Alexandr., libr. 4 in Joan., cap. 14, rationem illorum verborum his verbis reddit: «Non enim possunt cum sanctificatione beatæ vitæ fidei participes esse, qui per mysticam benedictionem Jesum non susceperint.» Et infra: «Quia corpus Christi vivificare potest, et solo tactu suo corrupta redintegrare, quomodo non vivemus, qui carnem illam et gustamus, et manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui.» Ubi est notanda particula exclusiva in antecedenti posita: nam ex vi illationis etiam in consequenti subintelligitur. Idem etiam Chrisostomus, homil. 46 in Joan., ubi tam illis, quam sequentibus verbis nihil aliud sentit voluisse Christum docere, nisi necessarium esse quod alii putabant impossibile, et persuadere se esse verum cibum, qui salvat animam, «ne obscure locutum in parabolis arbitrarentur, sed scirent omnino necessarium esse ut

corpus comederent.» Et idem fere habet Theophylactus in illum ocum.

13. Augustinus præterea, tract. 26 in Joan., prædicta verba Christi: «Nisi manducaveritis, etc.», exponit per sequentia: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam», dicens: «Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, neque istum sanguinem bibit.» Et infra, qui non manducat ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem, non habet in se vitam.» Non ergo privatur vita, nisi qui neutram speciem recipit; a contrario vero, et «qui manducat carnem, et qui bibit sanguinem ejus, habet vitam», ut idem Sanctus subdit; et tract. 27, generaliter dicit, Christum dedisse corpus suum ad manducandum propter æternam vitam, et «signum inquit) quia quis manducavit, et bibit, hoc est, si manet, et manetur, si habitat, et inhabitatur.» At vero in eo, qui manducat solum panem, Christus manet, et ipse in Christo, ut ipse met Christus testificatus est; ergo ille sufficienter manducat et bibit, teste Augustino, quia totum Christum recipit, et perfecte efficitur, quod illa verborum distinctione maxime significatum st, ut sumitur ex eodem Augustino, serm. 1 de Verbis Apostoli, et ex Eusebio Emiseno, hom. 5 de Paschate; et Cypriano, serm. de Cœna Domini, inter alia dicente: «Potus et esus ad mdem pertinent rationem, quibus sicut corporea nutritur bstantia, et vivit, et incolumis perseverat, ita vita spiritus c proprio alimento nutritur, etc.»

14. *Eumdem sensum Ecclesiæ consuetudo comprobat.* — Ne antiqua Ecclesiæ consuetudo ab hoc verborum Christi sen- aliena est, sed illum potius confirmat. Nam licet verum sit, primitiva Ecclesia usum utriusque speciei frequentem fuisse, fidelibus communem, nihilominus etiam est certum, alterum um manducandi in una specie fuisse ab illo tempore inchoam. Nam quod Lucas refert, Actor., 2, de usu fractionis panis, ulti referunt ad communicationem sub una specie. Et quidem vi verborum nihil aliud colligi potest. Unde cum certum sit

omnes fideles tunc communicasse in fractione panis, non est certum, nec probari potest, omnes comunicasse sub specie vini; imo verisimilius est non omnes fuisse ad hoc coactos. Nam (ut reliquos in præsenti subticeam) qui ex Nazaræis ad fidem convertebantur, non prohibebantur tunc servare legalia; ergo non est verisimile fuisse coactos ad sumendum calicem, cum ex peculiari professione sua a vino abstinerent. Idemque cogitari potest de multis abstemiis, qui vel vino usi nunquam fuerant vel ab illo abhorrebant; quamvis ergo usus calicis tunc etiam fuerit in usu, quod id ex necessitate imponeretur omnibus, sive semper, sive aliquando, nullo sufficienti testimonio, nec satis verisimili conjectura ostendi potest. Quin potius solum usum panis fuisse generalem, et communem omnibus, indicant prædicta verba Lucæ, et confirmant illa Pauli, 1 ad Cor., 10: «Unus panis, et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.»

15. Et similiter antiqui Patres, licet interdum utriusque speciei usus mentionem faciant, sæpius de sola manducatione corporis Christi loquuntur, quod ejus usus generalior esset, et sufficiens existimaretur. Ut patet ex Ignatio, Epist. 13, ad Ephes., ubi prius dicit: «Date operam, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, et gloriam Dei.» Et in fine subjungit: «Obedientes Episcopo et presbytero, mente indivisa frangentes panem unum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Jesum Christum, medicamentum purgans vitia, et cuncta pellens mala.» Idem sumitur ex Hieronymo, epist. 50 ad Pammachium, quæ est apologia pro libris contra Jovinianum, versus finem, ibi: «Probet se unusquisque, et sic ad corpus Christi accedat, non quod dilatæ communionis unus dies, vel biduum sanctiorem efficiat Christianum, ut quod hodie non merui, cras, vel perendie merear, sed quod dum doleo, me non communicasse corpori Christi, abstineam me paulisper ab amplexu uxoris, ut amori conjugis amorem Christi præferam.» Et lib. 2 contra Jovinianum

«Quasi non et nos Christi corpus æqualiter accipiamus.» Similia legi possunt in dialogo contra Luciferianos. Item apud Augustinum, ep. 180 ad Honorat., ubi ait, diabolum sæpe persuasisse, apostatas fieri fideles, «quibus quotidianum ministerium Dominici corporis defuit.» Unde infra his verbis exhortatur Ecclesiæ Pastores: «Magis timeamus, ne membra corporis Christi destituta spirituali victu necentur, quam membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur.» Denique idem significavit Tertull., lib. de Orat., cap. ult., dicens: «Quod statio solvenda sit accepto corpore Domini.» Et infra: «Accepto corpore Domini, et reservato.» Quæ verba clariora sunt de solo corpore, quia sanguis sub specie vini nunquam potuit commode reservari.

16. *Antiquissima consuetudo communicandi infirmos sub specie panis eumdem etiam sensum ostendit.* — Unde maxime confirmatur hæc consuetudo ex communione, quæ semper fuit infirmis tradita per modum viatici. Nam si in aliquo tempore est necessaria Eucharistia de jure divino, maxime in articulo mortis, ut est communis Theologorum sententia, valde consentanea rationi, quia præcepta affirmativa tunc potissimum obligant, quando et maxime urget necessitas, et tempus aptum ad implendum præceptum absolvitur. Sed in illo articulo non consuevit Ecclesia dare utramque speciem, sed solum corpus Domini; ergo signum est semper Ecclesiam sensisse communionem sub una specie ad salutem sufficere. Nam quod illa consuetudo antiquissima fuerit, ex Ambrosio, Gregorio Turonensi, et aliis adductis in præcedenti puncto colligitur, et clarius ex Concilio Nicæno, cap. 12, juncto 14, alias c. 13 et 18, nam in c. 12 et 13 dicitur de iis, qui recedunt ex corpore: «Antiquæ legis regula observabitur etiam nunc, ut ultimo et necessario vitæ suæ viatico non defraudentur.» In cap. autem 14, prohibetur, «diaconus corpus Domini aliis porrigere;» et additur, «quod si non fuerit in præsenti Episcopus vel presbyter, diaconi proferant et edant.» Similiaque sunt verba Gelasii, ep. 9 ad Episcopos Lu-

caniæ: «Sacri corporis prærogationem, sub conspectu Episcopi, vel presbyteri, jus non habet exercendi;» utique diaconus, quibus in locis non sine causa de solo corpore Domini fit mentio, quia diaconus, cum non possit consecrare, non potest dare Eucharistiam, nisi ex præconsecratis et reservatis, solum autem reservabatur corpus Christi sub specie panis. Simileque est quod in Concilio Rhemensi (1), c. 2, reprehenduntur presbyteri, «qui laico, aut feminæ sacrum corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis,» ubi etiam fit mentio solius corporis, quia debebat esse reservatum ex consecratione prius facta, et non nisi corpus reservabatur. Cum ergo præcipue conservatum sit hoc sacramentum propter viaticum infirmorum, judicatum fuit semper sufficiens sub specie panis, ut pro viatico daretur. Ergo etiam judicabatur sufficiens ad implendum divinum præceptum de communione hujus sacramenti.

17. In quo puncto notari potest historia, quam refert Beda, lib. 4 Anglicanæ historiæ, c. 14, de quodam monacho, cui ægrotanti Petrus et Paulus apparuerunt, et mortem instantem revelarunt: «Sed primum» (dixerunt) «expectare debes donec Missæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul et morte absolutus, ad æterna in cœlis gaudia subleveris.» Et tamen inferius subditur de prælato monasterii: «Missas fieri, atque omnes communicare more solito, simulque infirmanti puero de eodem sacrificio dominicæ oblationis particulam deferri mandavit. Ubi expendo dictionem «particulam,» quæ solum significat parvam aliquam partem panis consecrati, et illam datam esse pro viatico Dominici corporis et sanguinis, quia per illam totum sacrificium participatur, et in illa utrumque continetur. Expendo etiam quod ait, omnes communicasse «more solito;» refert autem idem Beda, lib. 2 ejusdem historiæ, c. 5, consuetudinem Angliæ tunc fuisse,

(1) Ex Concilio Rhemensi refert Gratianus in c. *Pervenit*, de Consecr., dist. 2. Sed vide quæ ibi notantur.

«Eucharistiam populo dare sub specie panis, quem videntes barbari, panem nitidum appellabant,» et a sacerdote petebant, quibus ille respondit: «Si vultis ablui fonte salutari, potestis panis sancti esse participes.»

18. *Ægroto deglutire non valenti, hostia in vinum non consecratum immissa subministranda est.* — Pro eadem etiam consuetudine notari potest decretum Concilii Toletani XI, cap. 11, ubi refertur canon Toletani Concilii I, 14, dicens, «ut si quis acceptam a sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur,» quem canonem explicat posterius Concilium, intelligendum esse, si id voluntate fiat, non vero si ex infirmitatis impedimento id contingat. Nam multi infirmi, ut ibi dicitur, Eucharistiam sibi oblatam rejiciunt, non ex infidelitate, sed quia, «præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possunt Eucharistiam deglutire.» In quibus verbis satis indicat, consuetudinem ordinariam fuisse dandi infirmis Eucharistiam sine haustu calicis, et in eodem sensu intelligere videtur alterum canonem antiquioris Concilii. Aliqui vero inde colligunt, infirmo, qui hostiam deglutire non potuerit, in sola specie vini viaticum tribuendum esse; quod non repugnat quidem juri divino, ibi tamen non dicitur. Magis colligi posset ex Concilio Carthaginensi IV, cap. 76, ubi de infirmo in simili casu dicitur: «Si continuo creditur moriturus, infundatur ori ejus Eucharistia; infusio enim est rei liquidæ. Sed nihilominus id intelligi posset de particula hostiæ, quæ in calice posita intra vinum non consecratum, proprie dici potest infundi ori infirmi. Et attenta præsenti consuetudine Ecclesiæ, potius hoc ultimo modo esset communicandus talis infirmus, quam sub specie vini consecrati, quia et minus habet periculi, et magis est Ecclesiæ consuetudine consentaneum: nam usus calicis extra sacrificium generatim prohibitus est, et nulla est necessitas quæ cogat ad utendum epicheia, cum alter communionis modus sufficiat, qui per se prohibitus non est. Nam licet in Concilio Bracarensi III, c. 1, videatur prohibitus ille communicandi modus, ut intellexisse

videtur Glossa, in c. «Is qui,» 26, q. 6, quia ibi dicitur, non esse dandam «intinctam Eucharistiam» populis, nihilominus vel illa prohibitio non extenditur ad casum necessitatis, vel (quod verius existimo) non est facta in illo sensu, sed adversus quosdam, «qui intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigebant.» Nam in vino consecrato immergebant seu humectabant Eucharistiam, et illam dabant pro complemento communionis, quod erat superstitiosum, quia satis completa est communio in sola specie panis ministrata sine ulla tinctione, et quando ambæ species accipiendæ essent, ut potuerunt aliquando accipi, seorsim ministrandæ essent, sicut Christus Dominus illas præbuit.

19. *In sacrificio vel ex superstitione corpus sine sanguine sumi prohibetur.* — Neque huic consuetudini obstat, quod aliquando legatur prohibita sumptio corporis sine sumptione sanguinis, ut ex Gelasio Papa refert Gratianus, in c. «Comperimus,» de Consec., d. 2, quod alii tribuunt Leoni; apud neutrum autem invenio in epist. ad Majoricum et Joannem, ex qua citatur. Sed cujuscumque fuerit illa prohibitio, non obstat, vel quia refertur ad sacerdotes sacrificantes, ut ibi Gratianus cum Glossa voluit, et aliqui ex Scholasticis sequuntur, sic enim facta fuerat talis prohibitio in Concilio Toletano XII, c. 5; vel (quod magis est textui et historiæ consentaneum) ibi solum est prohibitum id facere ex superstitione, ut in textu dicitur, ibi, «quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi,» existimantes utique non esse licitam vini sumptionem. Qui videtur fuisse error Manichæorum; nam, ut refert Leo Papa, serm. 4 Quadrag., c. 5, cum sentirent in Christo non fuisse veram carnem, ad tegendam infidelitatem suam, nostris audebant interesse mysteriis: «Ita vero» (inquit) «in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.» Hoc ergo spiritu et errore non solum prohibitum, sed etiam per se malum et sacrilegum semper fuit, a calice absti-

nere. Hæc autem eadem fraus et hypocrisis illorum hæreticorum ostendit, communionem corporis sine calice fuisse tunc inter fideles usitatam, et morem illum sanctum et religiosum fuisse existimatum, alioqui non ausi fuissent Manichæi, ad occultandum suum errorem, usum illum, si novus esset, introducere. Unde tunc etiam Pontifex posset præcipere ut corpus non sumeretur sine sanguine, ubi ad vitandum illud scandalum necessarium fuisset; quamvis enim mihi non constet id factum esse, potestas nihilominus non deest. Ex illa tamen colligi non potest, Christum prohibuisse accipere unam speciem sine altera, sed infertur solummodo posse Ecclesiam præcipere vel prohibere aliquid, quod Christus non præcepit vel prohibuit, quod verissimum est; et ex eodem principio nos concludimus, potuisse Ecclesiam, quando temporis occasio et generalis ratio id postulavit, prohibere laicis usum calicis, quamvis Christus illum non prohibuerit, sed absque præcepto concesserit.

20. *Statuta veritas ratione confirmatur.* — Unde posset ultimo hæc veritas persuaderi rationibus, quibus ostendi potest imprimis non fuisse conveniens Christum præcipere, et sub necessitate salutis constituere usum calicis pro omnibus et singulis fidelibus, tum quia totus Christus sub singulis speciebus futurus erat, et omnem necessarium convenientem effectum hujus sacramenti se sumentibus sub qualibet specie tribuere potest; tum etiam quia vix posset id moraliter fieri sine magnis incommodis et periculis contra reverentiam huic sacramento debitam, quæ vel propter multitudinem communicantium, vel propter eorum varietatem, tam in conditionibus et affectibus corporis, quam in animi prudentia et circumspectione, vel denique propter ministrantium incuriam, nullatenus possent juxta humanam conditionem evitari. Deinde contrariis rationibus probari posset, prudentissime fecisse Ecclesiam, introducendo et approbando consuetudinem hanc communicandi laicos sub sola specie panis, quia illis nullum inde provenit spirituale incommodum, quod ad effectum hujus sacramenti pertineat; imo eis-

dem esse potest modus ille communicandi utilior, tum ad fidem erga hoc sacramentum perfectius exercendam, utique Christum in toto sacramento, eumdemque Dominum totum in singulis sacramenti partibus fidei oculis intuendo; tum etiam ad majorem observantiam purioremque ejusdem sacramenti cultum, ut satis explicatum est. In his enim, et aliis rationibus declarandis immorari, non est operæ pretium, quia in commentariis theologicis, ad quos magis quam ad disputationem de fidei fundamentis pertinent, copiose pro viribus nostris id præstitimus.

CAPUT VI

De Missis privatis

1. *Missas privatas rex abhorret.—Missa etiam si secrete fiat, est verum sacrificium et actus de se publicus.*— Venio ad ultimum punctum circa divinum Eucharistiæ mysterium a rege tactum, de missis privatis, quarum usum inter novitios et nuperos ritus ponit et reprehendit. Notanda vero sunt verba regis dicentis: « In his articulis privatas illas missas numero, in quibus sacrificus simul et populi personam et sacerdotis sustinet. » Nam in illis videtur rex de Missa tanquam de vero sacrificio loqui, alias immerito « sacrifici, et sacerdotis » nomina interponeret, ac sacerdotem in Missa pro populo intercedere, et ideo ab illo distingui debere, supponeret. Propter quod dubito an in illis verbis ex propria sententia loquatur, credens quod de Missæ sacrificio supponit, cum Lutherus, Calvinus et alii Protestantes id negent, an vero solum intendat Catholicos ex propriis principiis redarguere. Nos vero, catholicam doctrinam de veritate ac proprietate hujus sacrificii supponentes, dicimus imprimis Missam, sive publice, sive secrete fiat, semper esse verum sacrificium, ac subinde nunquam esse ita privatam, quin de se actio sit publi-

ca; fit enim a sacerdote, ut a ministro publico, auctoritate Christi et nomine Ecclesiæ constituto in his quæ sunt ad Deum, ut pro universo christiano populo Deo sacrificium offerat. Et ideo merito dixit Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 6, «Missas, etiam si nullus in eis communicet, vere communes censeri debere, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.»

2. *Missa quoad substantiam semper est actio publica.*— Iuxta hanc ergo catholicam doctrinam nulla est Missa quæ (ut ita rem explicem) per se et substantialiter sit privata; nam quoad principalem offerentem, qui est Christus, et quoad ministerialem, qui est sacerdos, et quoad rem oblatam, quæ est caro et sanguis Christi, et quoad Deum, cui offertur, et quoad Ecclesiam Catholicam, pro qua offertur, communis est; hæc autem sunt quæ ad ejus substantiam maxime pertinent, eique per se convenire dici possunt. Solum ergo possunt aliquæ Missæ dici privatæ, ex conditionibus seu circumstantiis quæ in illius celebratione intervenire possunt. Quoniam autem hæ circumstantiæ multiplices esse possunt, per singulas discurrere oportet, et expendere an in aliquo sensu Protestantium reprehensio vel potius calumnia contra Ecclesiam Catholicam verisimile aliquod fundamentum habere possit.

3. *Variis modis potest dici Missa privata.— Primo, ex defectu concursus populi.*—Et primo quidem dici potest Missa privata, quæ sine populi concursu celebratur. Quem sensum indicat rex, cum affirmat, Missas privatas vocare, «in quibus sacrificus simul, et populi personam et sacerdotis sustinet;» hoc autem si attente consideretur, neque necessarium, neque in rigore verum esse potest, nisi supponatur sacerdotem omnino solum esse, quando sacrificat; nam si ministros, vel saltem ministrum habeat, ille populi personam sustinebit, et non solus sacerdos. Tales autem Missas privatas, in quibus nullus minis-

tret sacerdoti, Ecclesia non permittit nec permisit unquam; prohibet enim Missam dici a sacerdote sine ministro. Nam in Concilio Moguntino, sub Leone III, c. 43, dicitur nullum presbyterum recte posse solum Missam facere, et ita observat universalis Ecclesiæ consuetudo, et omnes catholici Doctores docent. Hoc autem satis est ut non dicatur solus sacerdos simul populi et sacrifici personam sustinere; nam minister, vel solus, vel simul cum persona sacerdotis, populi personas sustinet. Cum enim Paulus, ad Hebr., cap. 5, dicat Pontificem creatum, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre, nullum est inconveniens quod ipsemet sacerdos saltem simul cum ministro populi personam sustineat. Quin potius si solam sacrificii generalem rationem spectemus, non colligitur ex vi illius necessitas alicujus ministri, neque alicujus populi adstantis; constat enim Abel, Abraham, et alios Patriarchas in lege naturæ obtulisse interdum sacrificium solos, sine aliis ministris vel assistentibus, quia licet sacerdos esset solus, poterat nomine populi, et pro se, et pro illo toto simul offerre. Unde quod nunc requiratur aliquis sacerdoti ministrans, est ex peculiari institutione, quæ videtur magis esse ecclesiastica quam divina, quia magis postulatur propter accidentales cæremonias, quam propter essentialem ritum consecrationis.

4. *Missa hoc modo privata omnino irreprehensibilis est.*— Hinc ergo fit, nullam dari verisimilem causam ob quam reprehendi possit Missa privata quoad hanc circumstantiam, id est, cui nullus assistit præter unum ministrum, quia in tali modo offerendi nihil committitur, vel contra naturalem legem, vel contra præceptum Christi, vel contra præceptum aut consuetudinem Ecclesiæ. Primum constat ex dictis, et est per se manifestum, quia nec communis ratio sacrificii, nec peculiaris modus, aut dignitas eucharistici sacrificii multorum praesentiam requirit; potest enim cum debita reverentia, devotione et integro ritu a sacerdote cum uno tantum ministrante fieri. Præceptum item Christi ostendi non potest, quia neque actio ejus in

nocte cœnæ, neque verba, quæ tunc Apostolis dixit, continent tale præceptum, ut ex similitudine rationis colligi potest ex iis quæ in præcedenti puncto tradidimus. Item ex iis quæ tradunt Cyprianus, epist. 62 ad Cæcilium, versus finem, et Augustinus, epist. 118, cap. 6, dicentes, non præcepisse nobis Christum in conficiendo hoc mysterio observare omnes circumstantias, quas ipse observavit, sed quæ ad ritum substantialem pertinent. Sic ergo quamvis ipse coram multis celebraverit, non ideo præcepit semper ita fieri. Alias necessarii essent saltem duodecim assistentes, vel etiam non deberent permitti plures, quia Christus non omnes discipulos, sed tantum duodecim Apostolos ad cœnam vocavit; et simili ratione non in conspectu feminarum, sed tantum virorum esset hoc sacrificium offerendum. Denique non potest designari multitudo assistentium, vel numerus eorum jure divino necessarius ad conficiendum hoc sacramentum; ergo neque est datum præceptum, ut coram multis absolute fiat, quia non magis uno quam alio modo ostendi potest, vel scriptum, vel traditum.

5. *Nullum præceptum ecclesiasticum obligat ad sacrificandum coram multis.* Præcepto autem ecclesiastico videri potest olim fuisse statutum, ne Missæ dicantur, nisi coram testibus saltem duobus, ut habetur in Concilio Nannetensi, c. 30, et alii referunt ex Anacleto, Epist. 1, ubi generaliter de sacerdotibus dicit: «Non soli sacrificent, sed testes secum adhibeant,» postea vero in Episcopis plures requirit. Verumtamen hoc jus, vel nunquam fuit generaliter introductum in Ecclesia per modum rigorosi præcepti, vel certe per consuetudinem contrariam abrogatum est, quia in his, quæ accidentaria sunt, potest esse in Ecclesia varietas, ut ratio vel occasio temporum exigit. Et ita multiplicatis sacerdotibus potuit, vel necessarium, vel magis conveniens judicari, ut unus minister sufficeret, ne propter soram assistentium paucitatem aut penuriam divinus cultus minueretur, et Ecclesia ipsique sacerdotes fructibus sacrificiorum privarentur.

6. *Secundo, dicitur Missa privata, quia solus sacerdos in ea communicat.*—Secundo modo dicitur Missa privata, in qua solus sacerdos sacramentum consumit, et communicat, et in hoc magnam vim faciunt Protestantes, fingentes esse non solum contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem, sed etiam contra jus divinum. Sed ducuntur solo spiritu contradicendi et calumniandi Ecclesiam Romanam, quia sine fundamento fingunt tale præceptum, ut facile ostendi potest discursu sæpe facto. Nam ex facto aut verbis Christi non colligitur de hac re præceptum divinum, ut testimonia adducta et ratio probant, quia solum Christi factum non inducit præceptum, neque per aliqua Christi verba sufficienter indicatum est. Deinde licet verum sit, in principio Ecclesiæ frequentius observatum fuisse, ut fideles assistentes fractioni panis de illo participarent, tamen quod id factum fuerit ex obligatione præcepti, maxime divini, nullo indicio ostendi potest, verisimiliusque est, ex sola devotione et fervore fidelium, eo tempore id provenisse. Præsertim cum dicat Paulus, 1 ad Cor., 11: «Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat,» nam poterant etiam tunc multi adesse sacrificio, qui se probantes, non dispositos ad communicandum invenirent, et ideo semper etiam in Ecclesia fuit facilius Missam audire, quam in illa communicare, quod non ita esset, si quoties Missa auditur, communicare oporteret; quia non eadem probatio conscientiæ idemve justitiæ status æque ad utrumque postulatur. Deinde paulo post Apostolorum ex hac vita discessum designari cœperunt tempora, in quibus solis fideles communicare obligabantur, cum tamen extra illa tempora, et diebus saltem Dominicis Missas audire tenerentur. Merito ergo Concilium Tridentinum damnavit dicentes, illicitas esse Missas in quibus solus sacerdos communicat. De quo puncto plura in scholasticis disputationibus disseruimus.

7. *Tertio, dicitur Missa privata ex circumstantiis loci et temporis.—Prædictæ circumstantiæ non reddunt Missam privatam illicitam.*—Tertio, potest Missa dici privata ex aliis circumstan-

tiis, ut ex loco, quia in privata domo dicitur, et non in publico templo, pro toto populo deputato; vel ex tempore, scilicet, quia non fit hora consueta in qua populus solet ad sacrificium convenire, sed quacumque alia sacrificanti opportuna; vel ex modo, quia non fit cum cantu, vel aliis similibus solemnitatibus. Et de his omnibus modis certum est, Missam privatam non fieri illicitam, nisi aliquid contra specialem Ecclesiæ prohibitionem, vel contra reverentiam sacramento debitam committatur. Ratio generalis est, quia in his ritibus accidentalibus nihil est jure divino positivo definitum, et ideo quidquid non est per se malum, nec per Ecclesiam prohibitum, indifferens est. Unde quod ad locum spectat, solum est per se necessarium ut locus sit per Ecclesiæ pastores approbatus, juxta antiquos canones, a Concilio Tridentino gravissime commendatos et innovatos (1). Dico autem per se, quia semper in Ecclesia usitatum fuit, ut ex prudenti causa vel necessitate, Missæ in privatis locis aut domibus, pro debito tempore et opportuna occasione oblata, dicantur.

8. *Consuetudo celebrandi in privatis locis, miraculis confirmata.*—Quem morem miraculis etiam confirmatum esse, antiquæ historiæ prodiderunt. Nam Paulinus in vita Ambrosii refert, cum aliquando Romæ adesset, sacrificium in domo cujusdam matronæ nobilissimæ obtulisse, et paralyticam in lecto jacentem miraculose sanasse. Et Augustinus, lib. 22 de Civit., c. 8, refert, quemdam presbyterum suum sacrificium corporis Christi in quadam privata domo, quæ a dæmonibus vim noxiam patiebatur, obtulisse, et orationibus suis habitatores illius domus ea vexatione dæmonis liberasse. Theodoretus etiam in Historia religiosa, c. 20, de se narrat mysticum sacrificium in privata domo cujusdam viri sancti, Maris vocati, propter ejus consolationem obtulisse. Pius tandem I, Summus Pontifex, in sua epist. 1 ad Justum, Veronensem Episcopum, habet: «Eu-

(1) Clemens, Epist. 3: et Felix IV, epist. 1, et multa Concilia quæ citantur dist. 1 de Consecrat.

prepia titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus.» Quæ quidem Missæ saltem quoad modum videntur fuisse privatæ, quoad locum autem potest esse dubium, quia per titulos significantur domus ad divinum cultum mancipatæ, ut notat Baronius an. 112, num. 4. Quia vero Pius non dicit domum illam jam fuisse cultui divino dicatam, sed ab Euprepia pauperibus assignatam, et in illa adhuc cum pauperibus habitasse, satis verisimile est, illam non fuisse Ecclesiam publicis officiis divinis dicatam, sed fuisse domum habitationi pauperum destinatam, in qua privatim Missæ dicebantur. Et hoc maxime solitum est fieri tempore persecutionis tyrannorum vel hæreticorum, ut sumitur ex multis, quæ memorat Victor, lib. 3 de Persecut. Vandalica; et Sozomenus, lib. 7 Historiæ, c. 5; et Augustinus, in Breviculo Collation., c. 17. Item in illo tempore dicebantur Missæ in cryptis. Unde Cornelius Papa, ad Lupicinum Viennensem Episcopum exaggerans vim persecutionis ait: «Neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet», ubi expendo particulam, «notorioribus», nam significat in secretioribus privatim et occulte dici potuisse. Dicebantur denique tunc in carceribus, teste Cypriano, Epist. 5, apud quem notanda est prudens monitio: «Ita (inquit) ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent»; quibus verbis etiam significat, Missas illas fuisse privatas quoad modum, et quoad personarum concursum.

9. *Consuetudo celebrandi Missam quocumque opportuno tempore exemplis confirmatur.* — Quocirca eisdem exemplis facile probari potest consuetudine receptum fuisse, ut Missæ quocumque opportuno tempore dicerentur, quia nec necessarium erat, nec moraliter possibile, definitam horam celebrandi in tanta varietate occasionum et locorum observare. Accedit semper fuisse licitum sacerdotibus quotidie celebrare, si vellent, sicut de Andrea Apostolo dixisse legimus: «Ego omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed

immaculatum Agnum in altari.» Hieronymus etiam, epist. 150 ad Hebidiam, q. 2, de se dicit: «Quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis veræ rubentia musta calcamus.» Quod de Missis privatis, quæ ab ipso quotidie dicebantur, necessario intelligi debet. Nam de eodem Hieronymo, ait Epiphanius, epist. ad Joannem Hierosolymit., quæ est 60 inter Epistolas Hieronymi, ipsum non fuisse solitum publicas Missas celebrare. De Cassio etiam, Narniense Episcopo, refert Gregorius, homil. 37 in Evangel., morem illi fuisse, «quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret.» Et similia in historiis de vitis et gestis Sanctorum frequenter reperiuntur, ex quibus manifeste colligi potest, eos neque certam diem hebdomadæ, neque publicam ac definitam diei horam ad celebrandum observasse, sed pro sua devotione aut commoditate elegisse horam intra diei tempus ab Ecclesia permissum. Et inde a fortiori etiam perspicuum manet, Missas privatas quoad intentionem offerendi, aut alias circumstantias, eodem modo fuisse semper licitas et in usu; tum quia de illis est eadem ratio; tum etiam quia non poterant aliter Missæ tam frecuenter celebrari. Atque hæc sufficiunt de hoc puncto, in quo nullam rationem dubitandi, vel difficultatem, quæ ad dogmata fidei pertineat, invenio; alia vero, quæ ad sacrificium Missæ spectant, a rege non attinguntur, et alibi ex professo a nobis tractata sunt (1).

(1) 3 tomo tertiæ partis, disp. 73, et seq.

CAPUT VII

De erroribus qui circa cultum et invocationem Beatæ Virginis in Regis Præfatione notantur

1. Inter alia, quæ in reddenda ratione suæ fidei rex Jacobus scribit in Præfatione sua, nonnulla de B. Virgine confitetur, quæ ex catholica doctrina desumpsit, a qua nihilominus in aliis discrepat, quæ breviter expendere, et non minus certa esse quam priora, ostendere necesse est. Primo ergo dum Mariam sanctissimam B. Virginem appellat, recte de perpetua illius virginitate sentire videtur; non enim potest simpliciter virgo appellari, quæ aliquando virginitatem servavit, si postea illam amisit. Deinde recognoscit illam fuisse veram Dei Matrem, eo quod Salvatori nostro placuerit ex illa humanum sibi corpus assumere, et in Christo non possit a divinitate humana natura separari; quod recte dictum est, utpote a Concilio Ephesino I, cum Leone magno et Cyrillo Alexandrino mutuatum. Præterea dicit, se «pie ingenueque fateri constanterque contendere, illam Virginem supra omnes beatorum hominum ac spirituum ordines ad cœlestem gloriam elatam, ejus filio, Deo simul et homine, excepto. In qua confessione veritatem laudo et complector, illius tamen certam fidem postulo, et fundamentum requiro. Si enim rex dicens, pie et ingenue illam veritatem fateri, et pro illa constanter contendere, solum piam quamdam credulitatem, constantemque opinionem illius veritatis se habere significare intendit, confessioni fidei Catholicæ non satisfacit. Nam traditio antiquissima ab Apostolis orta, et unanimi consensu Patrum ad nos usque derivata, et ab universali Ecclesia sine ulla dissensione aut hæsitatione recepta, certam fidem illius veritatis apud Catholicos facit. Si vero rex serenissimus verbis suis hanc fidem indicare voluit, aliquid esse firma fide credendum, quod in libris

canonicis expresse non sit scriptum, fateatur necesse est. Verumtamen, quia in veritate doctrinæ quoad hanc partem convenimus, et de modo et regula credendi satis in superioribus dictum est, ideo in hac veritate confirmanda non immoror, et lectorem ad ea, quæ alibi scripsimus, remitto.

2. Denique hanc Beatissimam Virginem se venerari rex profitetur, quod etiam libenter legimus et admittimus. Nec de verbo venerandi vel adorandi quæstionem movemus licet fortasse rex primum admittere, posterius autem cavere consulto studuerit; nam hoc etiam sine reprehensione fieri posse, si sana mente et legitimo sensu fiat, non dubitamus. Nam Concilium Tridentinum, sess. 25, in Decreto de Invocatione et venerat. Sanctorum, illum loquendi modum observavit, dicens: «Christum adoremus, et Sanctos veneremur.» Epiphanius, contra hæresim 78, cum doceat, Virginem honore et veneratione prosequendam esse, adorandam esse negat, utique adoratione latriæ, seu divino cultu, de quo ibi tractabat, et per antonomasiam verbo adorandi simpliciter dicto significari solet.

3. *Quid intersit inter verba honorandi, adorandi et venerandi.* —Itaque majoris claritatis gratia, et ut pure et sincere hujus dogmatis sensum sine ambiguitate verborum explicemus, tria verba notanda sunt, scilicet, honorare, adorare, et venerari, nam duo priora distinxit Augustinus, contra serm. Arianorum, c. 23: «Nam honorat (inquit) omnis qui adorat, non vero adorat omnis qui honorat»; honoramus enim non solum superiores nobis, sed etiam æquales; imo et inferiores; quin etiam rex interdum subditum honorat, ut dicitur Esther., 6. Adoratio autem solum exhibetur potentiori et superiori, in signum dignitatis et excellentiæ. Est ergo honor testimonium virtutis absolute spectatæ, quomodocumque ad honorantem comparetur. Adoratio vero est etiam virtutis testificatio, cum recognitione tamen superioris dignitatis, excellentiæ; et ideo qui honorat, non statim adorat; e contrario vero qui adorat, necessario etiam ho-

norat. Venerandi autem verbum licet magis ad proprietatem adorandi accedere videatur, quia exhibitionem reverentiæ et observantiæ indicat, interdum tamen solet pro verbo honorandi, et in eadem significatione usurpari, ut ex latina proprietate et usu constat. In præsenti ergo cavendum est, ne in hac tantum postrema significatione verbum venerandi usurpemus: parum est enim Virginem honorare, nisi id fiat cum debita mentis submissione, et æstimatione excellentis virtutis et dignitatis ejus. Honor autem sic exhibitus est proprie veneratio et reverentia, et dici etiam potest quædam adoratio.

4. *Adorationis plures species.—Latria.—Dulia.—Qua adoratione B. Virgo adoranda.* — Nam ipsa etiam adorationis vox generalis est, et varios gradus seu species habet; quædam enim in signum supremæ et increatæ excellentiæ exhibetur, quæ latria dicitur, et interdum nomine adorationis simpliciter prolato significari solet; alia vero est quæ ob minorem excellentiam indicandam exhibetur, in qua significatione interdum usurpatur in Scriptura verbum adorandi, ut 1 Reg., 24 et 25, et 3 Reg., 1, et alibi sæpe. Atque eodem modo distinguunt Theologi adorationem inferiorem (quam per nominum accommodationem duliam vocant) a suprema adoratione latriæ, et sub priori membro, cum singulari quadam excellentia et perfectione, observationem Virgini debitam constituunt, et hyperduliam vocant. Quæ verba fortasse regi non placebunt, sed de illis non contendemus, dummodo res non displiceat, et per venerandi verbum non quemcumque honorem, sed illum, qui cum debita æstimatione et animi submissione in signum singularis excellentiæ, et sanctitatis, Virgini exhibetur, significemus. Merito enim dixit August., lib de Genes. ad litter., c. 4: «Dummodo intelligatur quod intelligendum est, non magnopere curandum quid vocetur.» Nos igitur hac mente confitemur Beatam Virginem esse venerandam, et ab adorandi verbo, ne quempiam in fide infirmum offendat, abstinemus. Nec videtur rex ab hoc sensu alienus: nam statim fatetur, Virginem esse veram Dei

Matrem, quam nemo prudens negare potest esse singularem excellentiam, et insuper addit, Virginem in cœlesti gloria supra omnes Beatorum spirituum ordines esse collocatam ; ergo necesse est ut cum recognitione ejusdem excellentiæ, et in testimonium ac significationem ejus, honorem illi exhibeat, quando ipsam veneratur.

5. *Quid rex in veneratione B. Virgini debita coarguat, ejusque objectio. — Objectio ex verbis Regis collecta. — Satisfit objectioni.—Verus Nazianzeni sensus traditur.*—His vero non obstantibus, aliquid obmurmurat vel reprehendit rex in cultu et veneratione, quam Catholici Beatæ Virgini tribuimus, dicens: «Sed nec ipsam deridiculo ausim habere, nec impias in Deum voces emittere, non illi divæ modo, sed et Deæ nomen tribuens.» Quibus alia adjungit, quæ proprie ad invocationem pertinent, ideoque commodius inferius tractabuntur. Hæc autem reprehensio hanc fere objectionem continere videtur: nam cultus vel adoratio, non tantum factis, sed etiam verbis divinitatem significantibus exhibetur; ergo cum illa verba divinitatem in Virgine significent, adorationem simpliciter seu latriæ continent; ergo non ad honestam, et debitam observantiam sed ad idololatriæ labem spectant. Hæc vero objectio nec fundamentum habet, neque alicujus momenti est. Nego habere fundamentum, quia nunquam Ecclesia Romana seu Catholica, in laudanda, seu invocanda Beata Virgine, illis vocibus usa est, et ideo immerito illi tribuitur, si quid fortasse hujusmodi in aliquo privato Doctore invenitur. Addo etiam, similes voces rarissime inveniri in Patribus, vel Doctoribus Theologis, qui apud nos sunt alicujus auctoritatis. Solum memini legisse me nomen «Deæ», apud Gregorium Nazianzenum, in tragœdia de Christo patiente, in fine, ubi sic inquit: «Veneranda o Virgo casta felicissima, quando Beata nunc Beatorum in polo, exuta quidquid fœcis humanæ sedes, æternitatis pallio ornata, ut Dea habita senectæ expers.» Ex hujusmodi autem, vel similibus verbis, dico frivolam capi reprehendendi vel objiciendi occasionem,

quia tam ex fide et sapientia scribentis, quam ex antecedentibus et sequentibus verbis constat, non esse usurpatam ad significandam veram deitatem per essentiam, sed quamdam excellentem participationem ejus. Unde possemus regi respondere verbis Christi Domini, Joannis decimo: «Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, etc» Cum ergo Scriptura justos, principes et judices deos vocet propter quamdam participationem, quid mirum quod Gregorius Nazianzenus ad significandam inter omnes res creatas singularem excellentiam, dignitatem et propinquitatem (ut sic dicam) Virginis ad Deum, Deæ nomen usurpaverit. Eo vel maxime quod non simpliciter asseruit, illam esse deam, sed ut Deam habitam, nam particula «ut», diminuit, et solum participationem quamdam et imitationem dicit, sicut Christus Dominus, Matth., 5, dixit: «Estote perfecti, sicut et Pater vester perfectus est»; Joan., 16: «Et sint unum sicut et nos unum sumus.» Denique addere possumus Nazianzenum, quasi licentia poetica usum, et necessitate carminis compulsum, vocem illam præter consuetum morem fideliter interposuisse, nullum timens periculum, sicut revera nullum erat, quod legentes posset in aliquem errorem inducere. Et hæc nunc sufficiunt pro iis, quæ de veneratione Virginis rex attingit.

6. *Invocationem B. Virginis redarguit rex Jacob. — Prima objectio contra modum invocandi B. Virginem.* — Contra invocationem autem ejusdem Virginis severius rex invehitur, nam et substantiam (ut sic dicam) et modum reprehendit. Negat enim imprimis, orandam esse Virginem a nobis, ejusque dogmatis egregium fundamentum mirabilemque rationem, vel potius conjecturam indicat, dicens: «Ne illud quidem in animum induco, tam otiose in cœlis eam degere, ut absurdis cujuslibet inepti hominis orationibus pateat, seque ejus rebus, ac negotiis immisceat.» Et infra: «In cœlis, in æterno Sanctarum animarum receptaculo, in æterna est felicitate collocata, nunquam a tantis gaudiis ulla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine

avocanda.» Ex quibus verbis hæc ratio summatim colligi videtur: non potest B. Virgo, nostra curare, vel nostris precibus attendere, nisi a sua felicitate avocetur; at hoc fieri non potest; ergo neque illud a nobis faciendum aut tentandum est. Deinde in modo interpellandi Virginem, tria potissimum taxat. Primo, quia illam oramus, ut non solum precibus, sed etiam imperio cum Filio suo agat, et quod illi imperet ac dominetur. Secundo, quia perridicule eam habemus, dum fingimus ipsam in terras ad sacerdotum oscula et complexus descendere. Tertio, quod similiter credimus, propter nos acri ac pertinaci alteratione cum dæmonibus contendere. Alii denique addunt, quod eam omnipotentem facimus, illi tribuendo quod cunctas hæreses sola interemerit in universo mundo, et eam postulando ut beatos nos faciat filium ostendendo, ac denique eam vocando spem nostram, quod est proprium Dei; et mediatricen seu advocatam, quod est proprium Christi.

7. Verumtamen quod ad priorem partem attinet, Protestantes in ea secuti sunt Constantinum Copronymum (1), de quo Suidas ita memoriæ prodidit: «Mortalium omnium impurissimus præcipere ausus est, ne quis Mariæ intercessionem imploraret.» Quem errorem statim universa Ecclesia detestata est, et auctores, qui errorem referunt, satis ostendunt, morem invocandi Virginem antiquissimum in Ecclesia fuisse. Sic enim, ait Theophanes, si quisquam, corruens vel dolens, solitam Christianorum vocem emitteret, dicens: «Dei genitrix, juva», ut inimicus imperatoris damnabatur. Et Theostericlus, ejus temporis scriptor, apud Nicetam sic ait: «Quam Christus sibi in domicilium elegit, gloriosissimam, inquam, suam Matrem, omnibus aliis rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis suæ præstantiam prope Deum versatur; hujus, inquam, venerandum nomen

(1) Vide Baronium, tom. 9, anno Christi 767, n. 27.

multis modis ab Ecclesia expellere studuit; ejus vero intercessiones, per quas mundus consistit, illas nec nominare quidem voluit, cum diceret nemini eam posse opitulari.» Contra quem errorem satis nunc erit, morem hunc invocandi Sanctissimam Virginem, ex Sanctis, et antiquioribus Patribus, tanquam testibus apostolicæ traditionis, ostendere.

8. Primus sit Ambrosius, Precat. 2 præparationis ad Missam, ubi cum Deum pro charitate obtinenda precatus esset, subjungit: «Et ut efficax hæc mea sit deprecatio, B. Mariæ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, et nulla præter ipsam tam novum acciperet.» Huic adjungo Augustinum, qui in lib. Meditationum, cap. 35, post longam ad Christum Dominum orationem, ita concludit: «Propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, et da mihi effectum petitionis meæ, et desiderii mei, intercedente, et orante, et impetrante gloriosa Virgine genitrice tua Maria, Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis. Amen.» Et c. 40 sic orat Virginem: «Sancta et immaculata Virgo Dei genitrix, Maria, et Mater Domini nostri Jesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum;» et serm. 18 de Sanctis, insignem habet orationem ad Virginem, ex qua Ecclesia sumpsit illa verba: «Sancta Maria, succurre miseris,» etc. Notatur autem in Antuerpiensi editione sermonem illum ab aliquibus tribui Fulgentio; sed inter opera ejus non invenitur, et ideo merito Theologi Lovanienses non in appendice, sed inter vera Augustini opera illum collocarunt. Ipse autem Fulgentius, in sermone de Laudibus Mariæ ex partu Servatoris: «Venite» (inquit) «virgines ad Virginem, venite matres ad Matrem;» et post multa similia concludit: «Ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret,» etc.

9. His accedat Gregor. Nazianz., qui Orat. 18 de S. Cypriano, refert, B. Justinam a dæmone sollicitatam ad Deum confugisse: posteaque adjungit: «Virginemque Mariam supplex

obsecrans, ut periclitanti virgini suppetias ferret, jejunii, et chameuniæ pharmaco sese communit,» etc. Et in Tragœdia citata, circa finem, hæc addit: «Senectæ expers, supremo ex æthere benigna adesto vocibus meis, preces admitte, Virgo, o inclyta hic quando tibi Verbi parenti, sed supra modum tamen, legemque, solus inter omnes contigit honor;» quam precationem pissime et elegantissime usque ad finem prosequitur, eamque his tribus versibus concludit: «Regina, Domina, generis humani bonum, amica semper esto tu mortalibus, maximaque quovis in loco mihi salus.» Eadem fide et pietate Chrysost., in Proœmio ad Psal. 118, station. 3, in fine: «Hæc» (inquit), «fratres, Patrum monumenta et documenta sunt, ex quibus nos haurientes, cum ea, quam adhiberi par erat, animadversione vobis impertivimus, quæ nimirum Dei mandata in vobis proficiant, ut juxta sinceram vestram fidem ac religionem probæ quoque actiones sint. In quibus confirmabit vos Dominus Deus, dans vobis uberes misericordias, et per intercessiones incontaminatæ Dominæ nostræ Deiparæ, ac semper Virginis,» etc. Omitto Athanasium, Gregorium Nyssenum, et alios, quos de hac re alibi disputans allegavi (1), libetque hic adjungere Basilium, Seleuciæ Archiepiscopum, qui Synodo Constantinop. adfuit, et licet in Chalcedonensi, action. 1, in fine, legatur depositus, non tamen propter fidem, et paulo post restitutus est, ut ex action. 5 colligitur. Ille ergo in orat. 1 de Annuntiatione Deiparæ (2), inter multa alia, quæ de laudibus et intercessione Virginis dicit, hac tandem oratione concludit: «O ter Sacrosancta Virgo, aspice nos de cœlo oculo propitio, et nunc quidem educ nos hinc cum pace; ad judicis autem thronum a confusione liberos nos siste, ac stationis tandem ad dexteram participes nos effice,» etc.

10. His addi possunt multa ex Damasceno, orat 1 de Nati-

(1) 2 tomo, tertiæ partis, disp. 23.

(2) Refertur tom. 2 Bibliothecæ.

vit. Mariæ, ad finem, et orat. 1 de ejusdem Dormitione; et Epiphanio, in ser. de Laudibus Virginis; et Ephrem, de ejusdem Laudibus; Beda, in simili homil. de S. Virgine; Anselmo, lib. de Excellentia B. Virginis, præsentim c. ult.; et Bernardo, in homiliis super «Missus est,» et in sermonibus de Assumptione; Ildephonso, in libr. de Virginitat. Mariæ; Laurentio Justiniano, et aliis quamplurimis Patribus, sive antiquioribus, sive recentioribus. In omnibus enim illis frequenter invenientur devotissimæ orationes ad B. Virginem cum magna reverentia, laudibus, et encomiis de illius excellentia, et exhortationes ad fideles postulandi Virginis intercessionem cum magna fiducia. Et ex illis omnibus evidenter colligimus, consuetudinem hanc non novam, sed antiquissimam fuisse, neque etiam fuisse antiquatam vel mutatam aliquando, sed conservatam semper in cordibus et ore fidelium. Immerito ergo videtur illam rex ponere inter eas consuetudines, quas nuperas et novitias vocitat.

11. *Responsio ad regis verba. — Optime stat visio beata cum cognitione et dilectione creaturarum. — B. Virgo potest pro nobis intercedere, quin felicitatem suam deserat.* — Ratio autem, quæ contra illam objicitur, regii sane ingenii videtur indigna, potiusque apparet esse alterius hominis parum in mysteriis fidei et rebus theologicis versati. Nam qui Sanctorum felicitatem contemplari noverunt, non ignorant visionem illam divinitatis, quæ homines et Angelos beatos efficit, eos non impedire quominus, quæ apud nos aguntur, cognoscere et curare possint. Est enim visio illa beata eminens quædam participatio divinæ scientiæ, qua Deus se ipsum comprehendit, et ideo sicut contemplatio, quam Deus de se ipso habet, ipsum non impedit quominus nostra consideret, et omnibus exactissime provideat, ita in suo gradu et proportione contemplatio Beatorum non necessario excludit nostrarum rerum cognitionem; imo potius illam unicuique juxta suæ felicitatis gradum et statum confert. Unde etiam fit, ut sine suæ felicitatis diminutione aut intercessione possint Beati nos diligere, et secundum charitatis suæ

gradum pro nobis intercedere. Sic enim de Sanctis Angelis dixit Christus: «Semper vident faciem Patris, qui in cœlis est,» Matth., 10; et nihilominus eos vocat Angelos hominum dicens: «Angeli eorum,» utique custodes, juxta illud Psalm. 33: «Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.» Si ergo Angeli beati possunt homines custodire, et ex hac terrenarum rerum cura et sollicitudine ab æternis gaudiis suæ felicitatis non avocantur, quis cogitare potest non posse B. Virginem orationes nostras audire, et pro nobis intercedere, quin a sua felicitate distrahatur?

12. Quod si hoc cuipiam difficilius videtur, quia longe feliciorem et gaudiis æternis magis intentam B. Virginem esse credit, manifeste decipitur; nam cum ipsa felicitate et ejus gaudio crescit etiam et facultas considerandi res humanas simul cum divinis, et affectus charitatis ad illarum curam, pro ratione sui status, et propter majorem Dei gloriam suscipiendam. Unde Christus etiam ipse, licet a principio conceptionis suæ longe felicior fuerit in anima sua, quam nunc sit Beata Virgo, nihilominus summam curam et sollicitudinem nostræ salutis semper habuit, et pro nobis intercessit, et nunc etiam nostras exaudit orationes, nostrique curam habet, neque propterea a tantis gaudiis suæ æternæ felicitatis avocatur. Certe Beatus Petrus, cum fidelibus scriberet: «Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis (1),» non timebat ne post obitum suum a sua felicitate propter nostri recordationem et intercessionem retardaretur; ita enim illum locum intellexit Chrysostom., Orat. in Petrum, quem alii secuti sunt; cur ergo rex cogitat, non posse B. Virginem sine suæ felicitatis imminutione nobis opitulari?

13. Quod vero ait rex, non posse in animum inducere tam otiose Virginem in cœlis degere, ut absurdis cujuslibet inepti

(1) 2 Petr., 1.

hominis orationibus pateat, interrogo quid per absurdas orationes intelligat, quove sensu dicat eis patere Virginem. Absurdæ enim orationes dici possunt, quibus aliquid absurdum vel indecens a Virgine postulatur, et has orationes audit Virgo, sed non exaudit. Neque est alienum a perfectione Virginis, vel eximia ejus felicitate, esse in eo otio, in quo possit has orationes audire; nam Deus ipse in eo est otio, ut hujusmodi etiam orationibus pateat, et eas videat, non ut eas recipiat, sed ut puniat potius. Quia otium illud non est vanum aut vitiosum, sed contemplationis otium, omni quidem labore vacuum, non tamen rerum omnium cognitione et altissima providentia destitutum; illud ergo otium in suo gradu B. Virgo participat. Quod si absurdas orationes rex vocat omnes illas, quæ ab infimis et vilibus hominibus, vel a magnis etiam peccatoribus fiunt, hoc nihil obstat quominus, si fideliter et honeste fiant, aditum patentem ad Virginem inveniant, et ab illa non solum cognoscantur, sed etiam acceptentur, quantum secundum ordinem divinæ providentiæ expedire judicaverit, quod cæteris etiam sanctis commune est, ut capite sequenti dicemus.

14. *Diluitur prima objectio contra modum invocandi Virginem. — Ecclesia non tribuit B. Virgini imperium in Christum Dominum.* — Ad primam vero objectionem contra modum invocandi Virginem, fundatam in verbo «imperandi,» eamdem responsionem damus, quam supra de nomine Deæ exhibuimus. Ecclesia enim non consuevit petere a Virgine, ut imperet filio, nec docere, habere Virginem hanc potestatem, aut illa interdum uti consuevisse. At vero Augustinus, lib. 2 de Symbolo, ad Catechum., cap. 5, significat B. Virginem, quando Christo dixit, Joan., 2: «Vinum non habent,» tentasse, «jubere se filio posse tanquam matrem,» Christum autem ideo respondisse: «Quid mihi et tibi est, mulier? ut distingueret inter Deum et hominem,» et significaret virtutem faciendi miracula esse a divinitate, secundum quam non erat subditus matri. Unde Augustinus tacite reprehendit dicentes, B. Virginem posse petere

a filio per imperium. Neque vero putandum est hac mente Virginem in nuptiis ad filium fuisse locutam, sed humiliter rogando, et ex charitate petendo, ut cum Hilario, Ambrosio, Cyrillo, et aliis Patribus alibi tradidimus. Neque etiam est nobis verisimile, hoc fuisse Augustinum de Virgine suspicatum, cum in illius verbis nullum sit talis suspicionis fundamentum aut vestigium. Solum ergo videtur indicare Augustinus, Christum ita respondisse, ut ab omnibus eam suspicionem auferret. Vel certe usus est Augustinus verbo jubendi latiori modo, pro verbo petendi cum materna fiducia, unde simul ait: «Tentavit jubere tanquam domina, quæ se agnoscebat ancillam.» Non ergo poterat ex proprio imperio petere, si se agnoscebat ancillam. Ita ergo Ecclesia nunquam postulat a Virgine ut jubeat vel imperet. Solumque Petrum Damianum, serm. 1 de Nativitate Mariæ, inveni dicentem: «Accedit non solum rogans, sed etiam imperans, domina, non ancilla;» non tamen propterea Ecclesia modum illum loquendi approbat; imo neque illum fidelibus permitteret, si eo communiter uti vellent. Et nihilominus pietas christiana docet, verba quæ per tropum et exaggerationem dicta sunt, sana mente interpretari. Nam Josue, 10, ad vocem Gedeonis: «Sol, ne movearis,» dicitur sol stetisse, «obediente Deo voci hominis;» si autem Deus obedivit, homo imperavit. Est autem metaphorica locutio ad exaggerandam efficaciam orationis hominis apud Deum. Ita ergo Petrus Damianus locutus est, exaggerando quanta sit materna fiducia apud filium.

15. *Solvitur secunda objectio.*—Ad secundam objectionem respondemus, fundatam esse in falsa calumnia fortasse conficta ab aliquibus Protestantibus; nam in Catholicorum libris non existimo aliquid simile reperiri. Quamvis enim sæpe legatur, et pium ac verisimile sit, B. Virginem supplicibus suis, ad spiritualem consolationem interdum apparere et loqui, vel per se, vel per ministerium Angelorum, nunquam tamen legitur aliquid indecorum, vel quod pudicissimum non sit, in hujusmodi apparitionibus contigisse. Aut certe si aliquid hujusmodi lec-

tum alicubi fuerit, quod piam et prudentem interpretationem non recipiat, credendum est aut fuisse opus dæmonis, se in Angelum lucis transfigurantis, aut (quod sæpe contingit) esse malevolorum hominum deceptiones, qui ad eludendam auctoritatem revelationum, et ignominiæ vel infamiæ notam his cœestibus visitationibus inurendam, similes confingere fabulas non verentur.

16. *Satisfit tertiæ objectioni, et quomodo B. Virgo dæmones pulset declaratur.*—Ad tertiam objectionem de fuga dæmonum, respondemus hunc effectum sæpe fieri per orationes Virginis, et ideo a Patribus sæpe illi tribui; nam Cyrillus Alexandrinus, homil. 6 contra Nestorium, in Concilio Ephesino dicta, inter alia multa, quæ de Virginis excellentia et efficacia prædicat, inquit: «Salve, per quam cœlum exultat, per quam Angeli et Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur.» Et Laurentius Justinianus, serm. de Annunciat., eam vocat inter alia, «dæmonum fugam.» Et Ecclesia ad Virginem orat: «Maria mater gratiæ, tu nos ab hoste protege.» Refertque Surius S. Richardum Anglum, Cicestriensem Episcopum, in mortis articulo semper in corde simul et voce illa verba habuisse, suisque capellanis mandasse, ut ad ejus aures illa pronuntiare non cessarent. Denique de fidelibus suis dixit Christus, Marci ultimo: «In nomine meo dæmonia ejicient.» Quid ergo mirum est, quod Beatissima Christi Mater ad dæmones fugandos sit potens? Quod vero in objectione dicitur de pertinaci et acri altercatione Virginis cum dæmone, calumniam sapit novatorum, et est modus loquendi ab eis inventus ad fidelium pietatis et devotionis irrisionem; nunquam enim a catholicis Doctoribus assertum est, Virginem altercari cum dæmone, sed vel illi imperare, vel (quod frequentius est) per orationem ad filium, illius fugam impetrare.

17. *Quomodo B. Virgo hæreses interimat.*—Atque hoc etiam modo dicitur Virgo omnes hæreses vincere, scilicet, per Christum, qui est verum lumen, qui illuminat omnem hominem,

qui suo proprio judicio damnari nolit. Et sic etiam multi alii effectus gratiæ tribuuntur Virgini, non quia per se illos efficiat, sed vel quia nobis Christum omnium gratiarum auctorem peperit, vel quia per illum et ab illo eos nobis impetrat. Et sic etiam dicitur Virgo spes nostra, vel quia per illam habuimus Christum, qui est spes nostra, ut exposuit Epiphanius, in sermone de Laudibus Virginis, vel ad explicandam magnam fiduciam, cum qua ad illam recurrimus. Et ad eundem modum facile intelliguntur quamplurimæ aliæ locutiones Sanctorum, in quibus ea, quæ secundum excellentiam sunt Christi propria, per singularem participationem Virgini tribuunt, phrasim et modum loquendi Scripturæ imitando. Qui sensus tam est notus fidelibus, et per se patens, ut nullam patiatur calumniam, nec majori interpretatione aut persuasione indigeat. Quod Canisius et alii catholici scriptores copiose et erudite responderunt; et nos etiam aliis locis aliquid attigimus. De nomine autem Advocatæ seu Mediatricis, in cap. 9, de Sanctis, generaliter dicemus (1).

CAPUT VIII

De iis quæ circa cultum Sanctorum in regis præfatione notantur

1. Multa sunt quæ in Præfatione et fidei suæ professione rex objicit contra veram doctrinam, quam Ecclesia Catholica de Sanctis vita functis credit et profitetur, possuntque ad quatuor capita reduci, videlicet ad cultum et invocationem Sanctorum, reliquiarum et imaginum adorationem, quæ breviter proseque-

(1) Canis., l. 5 de B. Virg., c. 10 et seq.; 1 tomo tertiæ p., q. 26, art. 1, in com.; et in 2 tom., disp. 23, sect. 2 et 3; et tom. 2 de Relig., tract. 1, lib. 3, c. 9, n. 4, et seq.

mur, quia non plenam disputationem, sed solam sufficientem responsionem dare intendimus, obiter ostendendo non solum non esse nupera, seu nova, quæ in his Ecclesia observat, verum potius a perniciosa novitate temerarioque errore excusari non posse, qui hæc reprehenderè ausi sunt.

2. *Sanctos colendos esse, Scriptura et Patres testantur.*—De cultu ergo Sanctorum sic regi placuit in sua statuere præfatione: «Colo equidem illorum memoriam cujus honestandæ ergo nostra publice Ecclesia tot solemnes dies instituit; quos Scripturæ auctoritate in album Sanctorum relatos legimus. Sed tot nugis, quæ in novitiorum Sanctorum actis, ac legendis perscribuntur, sane credulitatem meam deludi non patior.» Ex quibus verbis confessionem regiam ex ea parte recipimus, qua saltem in genere contendit, Sanctos homines cum Christo regnantes esse a nobis colendos, tanquam honore et veneratione dignos. Id enim non solum Scriptura et Sancti Patres, ac Ecclesiæ traditio, sed etiam ratio naturalis docet, ut confirmant verba illa Psal. 138: «Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus», id est, ita sentio, amicos Dei maxime colendos, et honorandos esse, seu, amicos tuos, Deus, valde colo et veneror. Quo testimonio ad hanc veritatem confirmandam usus est Hieremias Constantinop., in suo ad Protestantes Resp. (1), c. 15, et ita etiam exponit Basilius, cum in Scholio ait: «Præscivisti me, inquit, et cum nondum essem, adduxisti me, et ego vicissim rependo, ut diligentes te honore prosequar.» Ubi valde notandum est quod Basilius indicat, et ex verbis David colligit, ita esse gratum Deo suos amicos honorare, ut tanquam obsequium pro beneficiis ab eo acceptis ex gratitudine illi possit offerri. Nam ut recte Ambrosius, serm. 1, de Sanctis: «Quisquis honorat Martyres, honorat et Christum, et qui spernit Sanctos, spernit et Dominum, cum ipse dicat ad Sanctos suos: Qui vos honorat,

(1) Refert Genebrard.

me honorat, et qui vos spernit, me spernit.» Sic etiam Hieron., ep. 53 ad Ripari.: «Honoramus servos, ut honor eorum redundet ad Dominum, qui dixit: Qui vos suscipit, me suscipit.» Quod ita etiam exposuit Athanasius, lib. de Virg., circa finem. Alia consulto prætermitto, quia frequentia, et alibi a nobis tractata (1), et quia, ut dixi, rex Angliæ, se etiam Sanctorum memoriam colere profitetur.

3. *Adorandi verbum rex Jacobus detrectat.*—Non omittam autem advertere, hic etiam abstinuisse regem a verbo adorandi, verboque colendi usum esse. Nos vero juxta ea, quæ in præcedenti capite notavimus, vocum quæstiones devitantes, in illis non insistimus, dummodo eorum sensus verus sit et catholicus. Itaque si adorandi verbum per antonomasiam cultum latriæ significet, noverunt Catholici omnes, Sanctos in hoc sensu non esse adorandos, quo sensu asseruit Hieronymus supra, Sanctos honorari a nobis, non adorari; nam potius eos honorando, Deum adoramus; et lib. 1 contra Vigil., cum dixisset: «Quis Martyrem adoravit»? illud explicando addit: «Quis hominem putavit Deum?» Eodemque modo loquuntur Justinus, Epiphanius, Damascenus, et sæpe Augustinus. Et nihilominus, sumpto adorationis verbo in ampliori significatione, non dubitavit idem Augustinus dicere in Psalm. 25, de Sanctis: «Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat multitudo credentium, per Dominum nostrum Jesum Christum. E contrario autem sumpto verbo colendi strictiori modo, dixit idem Augustinus, epist. 44 ad Maximum Grammaticum: «Ne te hoc lateat, et in sacrilega convitia imprudentem trahat, scias a Christianis Catholicis nullum coli mortuorum»; id tamen exponens subjungit: «Nihil denique ut numen adorari, quod sit factum et conditum a Deo.» Addendo enim particulam «numen», se de cultu et adoratione latriæ loqui declaravit.

(1) Tom. 1 tertiæ partis, disp. 52.

4. *Civili honore potius quam religioso cultu Sanctos decorare videtur rex Jacobus.—Sanctos sacro et religioso cultu veneratur Ecclesia Catholica.*—Præter hanc verbi colendi et adorandi ambiguitatem, aliam præcavere necesse est, quia verba regis lubrica sunt, et Calvinismum etiam in hac parte redolent. Calvinus enim civilem honorem et cultum Sanctis vita functis concessit deferendum sacrum vero et religiosum cultum eis sine idololatria dari posse negavit. Regis autem verba talia sunt, ut de civili cultu intelligi facile possint, nam et solemnes dies, quos Sanctorum memoriam honestandi gratia in sua pseudoecclesia institutos esse dicit, solum ob civilem honorem instituti esse feruntur, sicut etiam in regum et principium sæcularium natalitiis interdum institui solent. Quod si in hoc tantum sensu de cultu Sanctorum rex loquitur, immerito ad solos illos, qui Scripturæ auctoritate in Sanctorum album relati sunt, suas illas solemnitates coarctat; possumus enim cultu civili benefactores defunctos, vel insignes homines colere, etiamsi de illorum felicitate certi non simus, saltem dum non constet illos esse damnatos. Catholica vero Ecclesia non civilem tantum, sed sacrum et religiosum cultum Sanctis tribuendum esse censet, licet non latria, sed inferioris rationis cultus sit, ad quem significandum nomen duliæ Theologi accomodarunt, sicut in cultu B. Virginis explicuimus, est enim in cæteris sanctis in gradu suo similis ratio. Illos enim propter excellentiam quamdam omni civili dignitate superiorem veneramur, eosque in felicitatis æternæ celsitudine constitutos, tanquam suo modo nobis superiores, et in illo ordine singulariter excellentes recognoscimus; merito ergo eos sacro et excellentiori cultu, et a civili distincto adorandos esse profitemur.

5. *Consuetudinem sacro cultu Sanctos honorandi antiquissimam esse ex Patribus convincitur.*—Hanc vero doctrinam nuperam non esse, sed antiquissimam, testimoniis Sanctorum Patrum evincere facile possumus. Ambrosius enim, in dicto serm. 1 de Sanctis, qui est in festo S. Luciæ, de thesauro abscondito in

agro, sic concludit : «Igitur, fratres, quotiescumque Martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dilatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati.» Honor ergo Sanctorum, teste Ambrosio, non est tantum civilis, ille enim sæculi actibus exhiberi solet; hic autem per actiones religiosas et sacras , consentaneas fidei, et sacræ causæ, propter quam datur, tribuendus est. Unde dixit Damascenus, lib. 4 de Fide, cap. 10: «Quibus rebus Deus colitur, eisdem servi oblectantur, quapropter, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus Sanctos colimus.» Est ergo suo modo spiritualis hic cultus, qui actionibus spiritualibus exhibetur; nec propterea est æqualis cum divino, quia semper spiritus, et intentio adorandi est longe diversa. Est autem hic cultus cum divino cultu conjunctissimus, totusque in supremam Dei venerationem redundat, ut Athanasius, Hieronymus et Ambrosius supra, et Basilius, orat. in 40 Martyres, notant. Ideoque consuevit Ecclesia eisdem fere rebus, quibus Deum colit, sanctos honorare, et jejuniis, vigiliis, orationibus, et aliis similibus actionibus, ut sumitur ex Concilio Toletano III, cap. 23; et Hieronymo, contra Vigilantium; et Cypriano, epist. 34 et 37; et Augustino, 2 contra Faustum, cap. 21. Unde recte Eusebius Cæsariensis, lib. 13 de Præparat. Evangelica, cap. 7, sic inquit: «Veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.»

6. *Tacita regis objectio.*—Neque contra hunc modum venerationis et cultus Sanctorum aliquid objicere solent Protestantes, quod alicujus momenti esse videatur, et qualecumque illud sit, alibi responsum est a nobis. In præsenti vero tacite rex objicit, Catholicam Ecclesiam immerito publice venerari aliquos homines vita functos, de quorum æterna felicitate sacræ Scrip-

turæ auctoritate non constat, et ideo ait suam ecclesiam (quam catholicam nominare non audet; imo, velit, nolit, eam a Catholica distinguit) eorum tantum solemnitates servare, qui Scripturæ auctoritate Sancti esse leguntur. Et virtute hoc confirmat, quia alias exponuntur fideles periculo, ut eorum credulitas deludatur, hominem damnatum pro sancto adorando, quod videtur magnum absurdum, prudenti modo operandi contrarium. Ut autem illud periculum suadeat, adjungit, «in Sanctorum actis ac legendis quamplures nugas esse conscriptas »

7. *Satisfit objectioni regis, et Sanctos omnes ab Ecclesia approbatos colendos esse ostenditur.*—Verumtamen rex semper hæret in errore, nihil posse aut debere credi, nisi quod Scripturæ auctoritate immediate (ut dicam) seu proxime probari potest, quod esse contra eamdem Scripturam, et contra Ecclesiæ auctoritatem in eamdem Scriptura confirmatam, in superioribus abunde satis ostensum est. Et in præsenti sufficienter probari potest exemplo Innocentium ab Herode interfectorum, quos sanctificatos per mortem fuisse, et nunc cum Christo regnare, Scripturæ quidem auctoritate probari non potest; et nihilominus auctoritate Ecclesiæ nixi, sine ullo periculo aut falsitate illos colimus, ut recte tradit Agustinus, lib. 3 de Libero arbit., c. 23, et lib. 2 de Symbolo ad Catech., c 5, et lib. 3, c. 4, et in Sermonibus de Innocentibus, qui sunt sermones 8 et 9 de Sanctis; et Origenes, homil. 3, in diversos, circa finem, de eisdem loquens, inquit: «Horum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur secundum integrum ordinem Sanctorum.» Et infra: «Bene ergo, et secundum voluntatem Dei eorum memoriam Sancti Patres celebrari mandaverunt sempiternam in Ecclesiis, velut pro Domino morientium, vel pro Judæis et Gentibus crediturus, vel etiam pro ipsis parentibus, ut eis intercessio filiorum apud Deum plurimum profuisset.» Pluraque videri possunt in Cypriano serm., de Stella Mag. et Innoc.

8. *Consuetudo celebrandi dies festos Martyrum ab Apostolis originem trahit.*—Præterea constat fuisse a temporibus Apostolo-

rum Ecclesiæ consuetudinem memoriam in sacrificio facere aliquorum Martyrum in particulari, et notare diem martyrii, ut singulis annis illud solemniter celebraretur, ut sumitur ex Cypriano, ep. 34 et 37, et Cyrillo Hierosol., catech. 5 mystagog.; Eusebio, lib. 4 Histor., c. 14, alias 15, ubi de Martyre Policarpo peculiarem mentionem facit; et ex Tertulliano, lib. de Corona militis, c. 3, ubi hanc ponit inter traditiones non scriptas, quæ summam in Ecclesia auctoritatem habent, eamque confirmat Clemens Papa, lib. 8 Constit., c. 39. Non est ergo novum in Ecclesia colere Sanctos aliquos, quamvis eorum sanctitas et felicitas Scripturæ auctoritate probari non possit. Quod egregie confirmant verba Episcoporum Europæ, in ep. ad Leonem et testificantur orationes, seu conciones, vel homiliæ antiquorum Patrum factæ in honorem et cultum plurium Sanctorum in particulari, in quibus sæpe de honore Sanctis debito egregie loquuntur. Ut sunt apud Gregorium Nazianz., oratio 18 in S. Cyprianum, et Orationes in laudem Basilii, Athanasii; et apud Gregorium Nyssenum, oratio in Theodorum Martyrem, et similes sunt plures apud Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum et alios, ut de S. Ignatio, Laurentio, Gervasio et Protasio, Philogono. Maxime vero notanda sunt verba Chrysostomi, serm. in Juventinum et Maximum Martyres, tom. 3, quem sic inchoat: «Heri beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat, hodie vero pars Sanctorum militum in acie exercitum Christi ostendit, impar eorum est ætas, sed par fides, illi tempore superiores, isti recentiores, et cum tantus thesaurus sit Ecclesiæ novas et veteres habentis margaritas, sed una omnium est gratia.» Et infra: «Quod scientes, non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate omnes. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis fortitudinem, fidem, zelum fervidum, et eas virtutes, quas præ se ferunt Sancti, ob quorum honorem hodie convenimus.»

9. Desinat ergo rex despicere Sanctos, quos novitios vocat, quia non antiquitas, sed vera sanctitas et felicitas eos tali cultu

et honore dignos efficit. Neque timeat errare aut decipi, colendo ut sanctos, quos universa Ecclesia colit, quæ est columna et firmamentum veritatis; sed potius vereatur censuram ab Augustino datam, quam hoc nostro tempore præ oculis habendam, ac sæpius repetendam censeo. In epistola enim 18, c. 5, in tres ordines mores Ecclesiæ distinguens, in primo ponit ea, «quæ divinæ Scripturæ præscribit auctoritas», de quibus ait, «non esse dubitandum quin ita facere debeamus, ut legimus,» In tertio ponit ea, «quæ per loca et regiones variantur», de quibus ait, in unaquaque provincia servandum esse, quod neque contra fidem, neque contra honestos mores fieri solet. In medio vero ordine ponit ea, «quæ toto orbe servat Ecclesia, de quibus», ait, «disputare, quin ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ est.» Non sane alia ratione, nisi quia Catholica et universalis Ecclesia in his, quæ communi consensu approbat et observat, errare non sinitur a Spiritu Sancto, quem illi Christus peculiariter promissit, ut ab eo specialiter regatur. Ergo quando universa Ecclesia Catholica de alicujus Sancti felicitate non dubitat, et in illius cultu concordat, non licet viro Catholico et prudenti, «disputare quin ita faciendum sit.» Nam cum veritas et puritas non minus in cultu et recta existimatione Sanctorum, quam in cæteris moralibus rebus necessaria sit, sine ulla dubitatione cum Bernardo dicere potest et debet unusquisque Catholicus: «Ergo quod ab Ecclesia accepi, securus et teneo, et trado, quod non scrupulosius fateor admiserim.» Loquitur ad Canonicos Lugdunenses de hac eadem materia colendi Sanctos, de qua tractamus.

10. *Qua auctoritate nitatur Ecclesia in colendis Sanctis.*— Quamobrem nihil ad causam refert, quod rex addit de nugis in actis et legendis Sanctorum conscriptis, nam sive illud verum sit, sive per exaggerationem dictum, cultus, quem Ecclesia præbet alicui Sancto in Scriptura non canonizato, non fundatur in quavis humana historia, etiam gravi, nedum suspectæ auctoritatis, sed fundatur vel in antiqua traditione, cum universali

totius Ecclesiæ consensu, vel in authentica Pontificis declaratione, quam canonizationem vocamus, quæ tanto morum et miraculorum examine, et tam gravi inquisitione ac diligentia fit, ut ipsa per se posset moralem quamdam certitudinem ac securitatem conferre; adjuncta vero Spiritus Sancti assistentia et gubernatione, quam credimus esse a Christo promissam, fit certitudo longe major, quæ omne morale periculum, omnemque prudentem dubitationem excludit. Sine hac vero certitudine, nemo cogitur hominem vita functum colere. Si quis vero sua peculiari opinione aliquem esse sanctum credat, et privatim colat, non statim damnandus est, sed monendus, ut prudenter prius rem examinet, et postea debitam circumspectionem in modo colendi exhibeat. His enim observatis, non nocebunt veris fidelibus nugæ, si quæ forsan essent in Sanctorum actis; quia si eas discernere valeant, non eis adhibebunt fidem; vel si in aliquo forte decipiantur, non perniciosus error, sed de rebus indifferentibus esse solet. Imo etiam in his magna cura et diligentia a Pastoribus Ecclesiæ adhibetur, ut Sanctorum historiæ, quam fieri possit, emendatæ, et ab erroribus purgatæ, per manus fidelium circumferantur. Audivimus autem circumferri in Anglia historias quasdam de gestis Sanctorum, non solum incertæ auctoritatis, sed etiam a fidei hostibus plerumque conflictas, quibus deludi nolumus regiam credulitatem. Itaque regem monemus, qui tam religiose non patitur credulitatem suam his rebus deludi, longe majori cura ferre non debere, fidem suam tot Calvini, Lutheri, et Protestantium, non dicam nugis, sed perniciosissimis erroribus, in his, quæ ad salutem animæ necessaria sunt, corrumpi.

CAPUT IX

De Sanctorum invocatione

1. *Quibus conjecturis Sanctorum invocationem Jacobus rex despiciat.*—Quamvis rex hanc Sanctorum invocationem inter novitios et nuperos articulos Ecclesiæ Romanæ, ut ipse loquitur, numeret, ideoque illam simpliciter non approbet neque admittat, non tamen satis explicat in quo gradu, vel hoc quam potissimum causam illam rejiciat. Interdum enim solum significat esse superfluam, aliamque viam, Deum per solum Christum invocandi, tutiorem, et ad salutem esse potiorem; interdum vero objiciendo indicat, hanc Sanctorum invocationem superstitiosam et prohibitam esse. Tria igitur a nobis breviter ostendenda. Primum, hunc morem non esse novum in Ecclesia Romana, sed antiquissimum, et perpetua traditione constantem in Ecclesia Catholica. Secundum, non esse inordinatum, sed pium et religiosum. Tertium, non esse minus tutum hac Sanctorum uti intercessione, sed tutius et utilius longe quam illa carere. Hæc igitur ostensuri, objectionibusque quas rex subinnuit, sumus satisfacturi.

2. *Antiquitas consuetudinis invocandi Sanctos ex Patribus deducitur.* — Antiquitatem ergo hujus consuetudinis orandi Sanctos vita functos, ostendunt imprimis testimonia Patrum, quibus sanctos esse colendos tradunt; nam simul etiam docent esse a nobis invocandos, et interdum hanc ipsam orationem in partem cultus et honoris Sanctorum ponunt; aliquando vero inter alias causas illius cultus assignant, quod cum Sancti de nostra salute sint solliciti, et pro nobis orent, justum est ut a nobis honorentur, vel e contrario dicunt honorari a nobis, ut suis orationibus nos adjuvent, ut ait Augustinus, 20 contra

Faustum, c. 21 ; et fere idem habet 21 Civit., c. 27, in fine. Unde frequenter supponunt, vel aperte docent Patres, Sanctos in cœlo pro nobis apud Deum intercedere. Quod tradunt generatim, licet quasi aliud agentes, Cornelius Papa, epist. 1 ad omnes fideles; Anacletus, ep. 3; Leo, serm. 2 Apost. Petr. et Paul., et serm. 1 et 4 de Jejunio Pentecost., et serm. 5 de Jejunio septimi mensis; Hilarius, in Psal. 24 : «Montes in circuitu ejus»; Ambrosius, ep. 39 ad Horatian., et lib. 10 in Lucæ, 21, parum a princ., et optime lib. de Viduis, post medium, et lib. 2 de Jacob et vita beat., c. 10 ; Gaudent., serm. de Petro et Paulo; August., lib. 2 Quæstionum in Exod., q. 108. Idem optime, Psal. 85, in fine: «Dominus Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes eorum, nisi cum transierit gemitus noster.» Et de S. Cypriano dixit, l. 7 de Bapt., c. 1 : «Adjuvet nos orationibus suis.»

3. Sic etiam Hieronymus, contra Vigilantium fusius: «Si Apostoli (inquit) et Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, et victorias, et triumphos»; quod late prosequitur. Unde ep. 25 ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ: «Pro te (inquit) Dominum rogat, mihique, ut de ejus mente securus sum, veniam impetra peccatorum.» In quibus verbis Patrum duo consideranda sunt: unum est, Sanctos non solum in generali, sed etiam in particulari pro nobis nostrisque necessitatibus orare. Aliud est, ex eo quod Sancti pro nobis orent, optime colligi etiam posse a nobis honestissime orari, quia, cum illos oramus, maxime ab illis petimus ut pro nobis intercedant, nam sicut necessitates nostras cognoscunt, ut pro illis orent, ita etiam orationes audient, quas Deo repræsentent, et propter illas ad orandum pro nobis inclinentur. Unde idem Hieronymus, in Vita Hilarionis, in calce totius libri, commemorat devotionem cujusdam S. Constantiæ, quæ «solita erat pervigiles in sepulchro Hilarionis noctes ducere, et quasi cum præsente

ad adjuvandas orationes suas sermocinari.» Cyprianus tandem, lib. de Mortalitate, in fine, de cœlesti patria loquens, dicit: «Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita.» Et in serm. de Stella et Magis, de SS. Innocentibus ait: «A cunabulis in cœlum translati, facti sunt superni capitolii senatores et judices, nonnullis veniam obtinentes immeritis.» Et epist. 57 ad Cornelium scribit: «Si quis hic nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.» In quibus verbis (ut egregie animadvertit Pamelius) aperte supponit Cyprianus, Sanctos cum Christo regnantes, sicut viventes, quos hic cognoverunt, eadem prosequuntur charitate, ita et pro illis orare. Eamdemque fidem ostendit Cyprianus in libro de Habitu Virginum, cum in ultimis verbis ad illas dicit: «Mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.»

4. *Objectioni hæreticorum satisfacit Augustinus, ad Colos.*, 4. —Apud D. Augustinum infinita sunt pro hujus veritatis antiquitate testimonia, ex quibus nonnulla annotabo. Unum est in tract. 1 super epist. 1 Joannis, circa illa verba: «Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum», quæ in hac materia solent nobis objicere hæretici, et ipse quoque sibi objicit, dicens: «Sed dicit aliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis; ergo Episcopi, vel præpositi non petunt pro populo»; respondet autem: «Sed attendite Scripturas, et videte quia et præpositi commendant se populo, nam Apostolus dicit plebi: Orantes simul et pro nobis; orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, oramus pro vobis, fratres, sed et vos orate pro nobis, invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellat», utique excellentiori modo, ut qui solus est propitiatio pro peccatis nostris, et per quem omnes alii orant, sive pro se, sive pro aliis intercedant. Nec refert quod Augustinus

ibi de Sanctis hic viventibus loqui videtur, tum quia revera non restringit sermonem, sed de Sanctis absolute loquitur; tum etiam quia ratio, quam insinuat, dum ait: «Membra pro se invicem orent», generalis est, quia non solum viatores inter se, sed etiam cum beatis unius sunt mystici corporis Christi membra; tum denique quia, excipiendo solum Christum tanquam sigularem advocatum, generalem regulam de membris constituit, quod possint esse pro suis fratribus intercessores, si alii indigeant. Accedit, quod serm. 44 de Tempore, de Sanctis defunctis aperte loquitur, cum dicit: «Tunc pro nobis absque ulla dubitatione Sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt.» Et in quodam tractatu de expositione Symboli, qui olim erat sermo 181 de Tempore, et nunc in appendice positus est 59, qui a Lovaniensibus non est visus Augustini, sed sumptus ex Gregorii scriptis, mihi autem phrasim et doctrinam Augustini, magis quam Gregorii redolet, utcumque vero sit, saltem est certum esse magnæ auctoritatis, ibi ergo in cap. 13, «Sanctorum communionem», ita explicat: «Id est, cum illis Sanctis, qui in hac, quam suscepimus, fide defuncti sunt, societate, et spei communione teneamur. Si igitur cum Sanctis communionem in æterna vita habere volumus, de imitatione eorum cogitemus, debent enim in nobis recognoscere aliquid de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.» In quibus duobus testimoniis supponit Augustinus aliud fundamentum hujus veritatis, nimirum, cognoscere Sanctos post hanc vitam actiones nostras, et juxta exigentiam illarum ad orandum pro nobis moveri, quod maxime per orationes et petitiones illis oblatas fieri potest. Sunt etiam alia loca, in quibus Augustinus non solum docendo, sed etiam orando hujus consuetudinis antiquitatem ostendit; ut in libro septimo de Baptismo, cap. primo, cum de B. Cypriano dixisset: «Jam corpore, quod corrumpitur, non aggravante, animam ipsam perspicere veritatem», subdit: «Adjuvet nos orationibus suis in istius carnis mortalitate tanquam in caliginosa

nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, opera ejus imitemur.» Præsertim vero videri apud ipsum possunt c. 24 et 40 Meditationum, ubi ad omnes Sanctos in generali, et ad plures in particulari devotissime orat. Et quamvis in ejus verbis multa notari possint, quibus et ratio et fructus orationum ad Sanctos declaratur, illa tamen ad prolixitatem vitandam missa facio, ut pauca quædam ex Græcis Patribus adjungam.

5. Inter quos Chrysostomus sæpissime Sanctorum pro nobis orationes commendat, simul requirens cooperationem nostram per illorum imitationem, ut hom. 79 ad Populum, in fine. et in quodam sermone secundo contra desperationem, et super Psalm. 48, circa illa verba: «Frater non redimet, redimet homo», ubi interrogat: «Quid ergo? suntne supervacaneæ Sanctorum preces? Nequaquam, sed magnas etiam vires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris.» Quæ verba posset quis restringere ad Sanctos hic viventes, verum et Chrysostomus simpliciter loquitur, et ratio eadem est, ut jam dicam. Eodemque modo loquitur homiia 5 in Matthæ. Præcipue vero notandus est locus in orat. 8 ex decem nuper translatis, circa finem, ubi hæc habet verba: «Habemus Dominam nostram S. Mariam, Dei genitricem, sed et Apostolorum precibus opus est. Dicamus et nos Paulo, quemadmodum et prisci illi: Cum in Macedoniam pertransieris, nobis auxiliare.» In quibus verbis obiter adverto, sentire Chrisostomum, ita nos posse nunc loqui cum Paulo, sicut cum eodem hic vivente alii loquebantur. Et subjungit: «Rogemus, ut dixi, S. gloriosam Virginem, et Dei genitricem Mariam, rogemus Sanctos, et præclaros Apostolos, rogemus Sanctos Martyres.» Et infra eleganter docet, non esse expectandum necessitatis tempus ad colendos et nobis conciliandos Sanctos, sed honore et imitatione prævenientos esse, quod humanis etiam exemplis aptissime declarat, et concludit: «Simus itaque Martyrum amici, non ob necessitatem, sed dilectionem; ante tempestatem, ut tempestatibus afflicti, in tempestate vero, ut serenitatem inveniamus.

6. Similia multa sumi possunt ex Basilio, hom. 20, quæ est de Sanctis quadraginta Martyribus, ubi inter alia ait: «Paratum est hic Christianis auxilium. Sæpe laborastis, ut unum pro vobis orantem inveniretis: quadraginta sunt hi, unam orationis emittentes vocem; ubi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi est Deus; ubi vero quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentem? Qui aliqua premitur augustia, ad hos confugiat; qui rursus lætatur, hos oret, ille ut a malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis.» Cyrillus etiam Hierosol., Catech. 5 mystag.: «In sacrificio (inquit) incruento mentionem facimus Prophetarum, Apostolorum et Martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.» Cyrillus item Alexandrinus, lib. 12 Thesauri, c. 10, exponens illud 1 ad Timoth., 2: «Unus Deus et unus mediator hominum Jesus Christus», dicit, Christum esse unicum mediatorem naturaliter et substantialiter, «nam aliter», ait, «quomodo unum mediatorem Christum Paulus dixisset? multi enim Sanctorum mediationis ministerio usi sunt.» Et adducit in exemplum Paulum et Moysem, quorum ministerium fuit alterius rationis, præter orationem; addit vero Jeremiam: «Præcipue (inquit) quando clamabat ad Deum: Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum.» Et sic etiam ait alios Apostolos et Prophetas fuisse mediatores. Et quamvis de illis hic viventibus loqui videatur, non tamen solummodo; nam de eodem Jeremia jam defuncto dixit Onias, jam etiam defunctus: «Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate Jeremias, Propheta Dei.» 2 Machab., 15. Et de eodem Onia dicitur, visum esse manus extendentem, et pro populo orantem. Atque ita illo testimonio ad hanc veritatem confirmandam utitur Eusebius, libr. 12 de Præparat. Evang., c. 1.

7. *Ante adventum Domini, Sancti non invocabantur, et cur.*— Sed oportet advertere, licet ante Christi adventum Sancti defuncti orarent pro vivis, non tamen legi viventes homines ad

defunctos eo tempore orasse, sed ad Deum, ut «orationem mortuorum audiret», ut dicitur Baruch, cap. tertio, quia tunc Sancti defuncti non videbant Deum, et ita non poterant cognoscere viventium orationes, nisi fortasse ex speciali privilegio. Nunc autem in statu felicitatis constituti merito orantur, quia ratione sui status omnia, quæ ad ipsos pertinent, cognoscunt. Nam, ut dixit Gregorius, «quid non vident, qui videntem omnia vident?» Unde Apocalypsis cap. 5, viginti quatuor seniores offerebant Deo orationes Sanctorum, quod facere neutiquam possent, nisi illas cognoscerent. Et ideo etiam Angeli Sancti semper potuerunt, non solum orare pro hominibus, sed etiam orari ab hominibus, quia semper viderunt Deum, et ita etiam orationes hominum, quantumvis occultas, semper cognoscere potuerunt, ut sumitur ex Tobiæ 12, Danielis 10, Zachariæ 1, et Apocalypsis 8.

8. Hoc denique confirmant antiqui Patres in concionibus seu homiliis, vel etiam in historiis de Sanctis; nam sæpissime inter concionandum, aut scribendum, vel orationes fundunt ad Sanctos, quos laudant, vel populum ad illos orandos exhortantur, vel interdum scribunt, Sanctos ipsos hic degentes suas orationes post suum obitum promisisse. Ita videre licet ex Sanctis citatis in Ambrosio, precatione secunda ante Missam; et Chrysostomo, loco citato, cap. præcedenti, de Beatissima Virgine; Basilio, dicta Homilia 20; et Nysseno, Orat. in Theodorum Martyrum; Ephrem, dicta Orat. de Laudibus Virginis; Nazianzeno, Orat. 18 in Cyprian., 20 in Basilium, et idem sentit Orat. 24, loquens de Athanasio. Est etiam optima oratio apud Victorem Uticensem, lib. 3 de Persecutione Vandalic.: «Deprecamini, Patriarchæ, orate, Sancti Prophetæ; estote Apostoli suffragatores præcipue tu Petre beate, tu Sancte Paule, gentium magister, universimque ingemiscite Sancti pro nobis Apostoli. Postrati rogamus, ut non spernatis vestros miseros peccatores.»

9. Eusebius etiam, lib. 6 Hist., cap. 4, alias 5, de virgine Potamiæna ad martyrium eunte refert, quemdam Basilidem, unum ex satellitibus, qui eam humanius tractaverat, bono ani-

mo esse, jussisse: «Nam (ait) se simul ac abiret e vita, a Domino suo veniam et gratiam pro eo efflagitaturam»; et l. 8, c. 17, de Theodosia virgine refert, accessisse ad quosdam Sanctos Confessores, qui vincti considebant ante tribunal tyranni, «eos obsecraturam, ut cum essent apud Dominum, illius recordarentur», et ea occasione martyrium subiisse. Denique Augustinus, l. 22 de Civit., c. 8, de Petronia et Palladia, et aliis narrat, per orationes ad sepulchra martyrum, et per eorum intercessiones salutem miraculose impetrasse. Et similia attingemus in puncto sequenti; et alia multa leguntur apud antiquos Patres, quæ ipsi tanquam vera et sibi nota referunt, et ideo a nullo prudente possunt nugæ reputari, sed fide humana dignissima existimari, ex quibus aliqua in sequenti puncto referemus. Accedit, quod caput est, Patres, qui hæc referunt, certissime credidisse, illum modum orandi, impetrandi et faciendi miracula, esse honestissimum, et frequenter in Ecclesia Catholica usitatum.

10. Ex his manifestum relinquitur, fidem de intercessionibus Sanctorum, et morem illos invocandi ad illas petendas, non esse res novas, sed antiquissimas in Ecclesia Catholica, quod primo loco probandum proposuimus. Inde vero sufficienti etiam auctoritate probatum relinquitur, quod secundo loco polliciti sumus, hunc ritum orandi Sanctos nec superstitiosum, nec malum esse, sed sanctum, et Deo gratum. Quis enim credat potius Luthero, Calvino, et similibus Novatoribus Sanctorum orationes improbantibus, et in hac parte antiquos hæreticos, Vigilantium, Constantinum Copronymum, et alios similes sectantibus, quam Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, et aliis similibus Patribus verbo et exemplo suo hanc orationem approbantibus; imo etiam referentibus, Deum magnis miraculis, quæ Christus inter potissima signa suæ Ecclesiæ posuit, illam approbasse et confirmasse? Talis autem est hæc veritas, ut non solum auctoritate credi, sed etiam ratione convinci possit apud eos, qui aliqua fundamenta, seu principia nostræ fidei non inficiantur.

11. *Oratio unius pro alio grata Deo est.*—Unum enim ex principiis, etiam in ipsa Scriptura contentis, est, sanctum esse et Deo placitum, ut unus pro alio apud Deum intercedat, orando. Paulus enim, 1 ad Timot., 2, obsecrat orationes fieri pro regibus, principibus, etc.; et ad Ephes., 6, præcipit orare pro omnibus Sanctis, id est, fidelibus; et Jacobus, c. 5, dicit: «Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua.» Quod confirmat exemplo Eliæ, 3 Regum, 17. Idemque exemplo suo nos docuit primitiva Ecclesia, cum ad Deum pro Petro orabat, Actorum 2; imo et Christus Dominus exemplo suo idem ostendit Joan., 7, et Luc., 22 et 23. Hinc ergo manifeste colligimus sanctum esse, et Christo placitum, ut homines, qui cum ipso regnant pro peregrinantibus hominibus apum ipsum intercedant, quia in utrisque, scilicet, viatoribus et beatis, opus est ejusdem honestatis et religionis respectu Dei, et charitatis respectu eorum pro quibus oratur; neque fingi potest ratio ob quam hæc ratio in homine vivente in corpore mortali admittatur, et non in spiritu glorioso Deo magis grato, nam hæc intercessio non est beatorum statui incongrua, sed maxime decens et accommodata. Et ideo Scriptura sacra hanc etiam orationem commendat, tam in Angelis beatis, quam in animabus sanctis vel gloriosis, vel nondum etiam gloriam assecutis, ut ex libris Machabæorum et Apocalypsis, Tobiæ et Danielis supra probavimus.

12. *Rogare aliquem ut pro se oret, sanctum est.* — Aliud principium fidei est, sanctum, et Christo proinde gratum esse, unum hominem ab alio petere, ut pro se oret rem licitam, et cum aliis conditionibus ad honestam orationem requisitis. Hoc certe naturali ratione evidens est, quia qui ab alio petit ut pro se oret, ab illo actum licitum postulat, qui et in gloriam Dei per se cedit, et utrique, scilicet, petenti, et a quo petitur, potest esse utilis; cur ergo illa petitio non erit honestissima? Deinde recte fecit serenissimus Jacobus, monendo fideles ut pro se invicem orarent, et sanctissime præcepit Paulus vigilare

in obsecratione pro omnibus Sanctis, ad Ephes., 6, ubi etiam addidit: «Et pro me ut detur mihi sermo,» etc., et ad Colossenses, capite quarto: «Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium, etc. Et similia habet 2 ad Thessal., 3; ergo similiter licitum est cuicumque viatori ab alio fideli petere ut pro se oret; non enim magis est nobis hoc prohibitum, quam Paulo, neque nos minus indigere possumus orationibus aliorum, quam Paulus.

13. *A paritate rationis concluditur, licitum, esse Sanctos vita functos orare.*—Ex his ergo principiis evidenter colligimus, sanctum, et Deo gratum esse, rogare homines vita functos, quos Sanctos et jam beatos esse credimus, ut pro nobis orent. Probatur illatio quia nulla ratio vel occasio malitiæ vel inordinationis in hoc actu cogitari potest, magis quam in ea petitione quæ fit ab homine nobiscum vivente; nam differentia, quæ ab adversariis cogitari potest, tantum in fidei defectu potest esse fundata. Vel enim credunt homines justos ex hac vita decentes non videre Deum, nec fieri beatos usque ad mundi finem; at hoc tam contra fidem catholicam est, quam contra id, quod ut plurium a Protestantibus Anglis est receptum. Vel forte timent ne justi et felices non sint illi, quos oramus, et hæc hæsitatio respectu eorum Sanctorum, quos universa veneratur Ecclesia, etiam est contra fidei integritatem, ut ostendimus. Vel denique timent ne homines mortui, etiamsi felices sint, nostras orationes non audiant, et hoc etiam est contra sanam doctrinam satis ab Ecclesia approbatam. Præterquam quod talis suspicio vel metus nullum habet verisimile fundamentum, quia Deo facillimum est hanc cognitionem Sanctis secum regnantibus præbere, estque valde consentaneum providentiæ ipsius Dei, ut illam præbeat, tum ad explendum justum illorum desiderium; tum quia et eorum statui et nostro est maxime consentaneum, ut spiritualem aliquam communicationem inter nos habere possimus, cum simus membra ejusdem corporis,

cujus caput est Christus, ut sumitur ex Paulo, ad Ephes., 1 et 4.

14. *Invocatio Sanctorum nec mala est, nec prohibita.*—Ex his ergo tandem ita concludimus, orare et invocare Sanctos cum Christo regnantes, nec ex natura rei malum esse, neque etiam prohibitum, esse subinde omnino bonum et licitum. Consecutio per se evidens est. Major autem, discurrendo per omnes, circumstantias hujus actionis, et per comparationem ejus ad similem petitionem inter viventes, est demonstrata. Minor vero facile etiam ostenditur, quia illa prohibitio non est juris divini positivi, quia in Scriptura non invenitur, et traditio Ecclesiæ potius ostendit, jus divinum hunc ritum orandi permittere vel approbare; neque etiam est prohibita per jus ecclesiasticum, ut per se notum est, nam potius contrarius error in multis Conciliis, et novissime in Tridentino, damnatus est. Unde licet Ecclesia non omnibus præcipiat orare Sanctos, præcipit tamen omnes de invocatione Sanctorum recte sentire, et omnibus hujusmodi orationem consulit, et aliquibus ministris suis interdum hanc orationem præcipit, instituendo peculiarem modum et ritum orandi Sanctos in divinis et publicis officiis, quem Sacerdotes et ministri Ecclesiæ observare tenentur. Est ergo ex omni capite sancta et religiosa hujusmodi oratio.

15. *Prima regis objectio contra doctrinam traditam.—Solutio.—Christus Dominus tanquam Redemptor, Sancti vero tanquam mediatores ad ipsum invocantur.*—Contra hanc autem catholicam doctrinam objectiones quasdam indicat rex, quæ licet ab ipso cursim et quasi timide proponantur, omittendæ non sunt. Primam sumit ex verbis Christi, Matth., 11: «Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.» Ex quibus verbis videtur colligere voluisse, ad solum Christum esse accedendum, ut pro nobis intercedat, vel ut necessitatibus nostris subveniat. Verumtamen sensus verborum Christi est, ipsum esse unicum Redemptorem, qui peccatorum onus, et labores ac pœnas ex peccatis contractas possit auferre, eumdemque

esse auctorem gratiæ, et legis evangelicæ, qui ab onere legis veteris nos liberavit. Vocat ergo Christus omnes ad se tanquam ad medicum, et auctorem salutis. Et hoc modo vera est exclusiva, ita, scilicet, nos Christum vocare ad se, ut ad nullum alium abire permittat. Per hoc autem non prohibuit nobis invocare Sanctos ut intercessores ad ipsum Christum, seu ad Deum per ipsum, neque ullus Sanctorum Patrum illationem hujusmodi fecit, aut verba illa ad præsentem materiam accommodavit, vel illa aliter intellexit. Ut videri potest in D. Hieronymo ibi; Chrisostomo, hom. 39 in Matthæ.; Augustino, serm. 9 et 10, de Verbis Domini, quos alii expositores Latini et Græci imitantur. Potestque hic locus ex aliis declarari, in quibus venire ad Christum, idem significat quod credere in ipsum. In hoc enim sensu dixit Joann., 6: «Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet in æternum.» Et iterum: «Omne quod dat mihi Pater, ad me venit, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras,» id est, in gratiam meam ipsum recipiam, et fructum redemptionis meæ communicabo. Hoc ergo modo jubemur venire ad solum Christum, quia «non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.» Hoc autem non obstat quominus ad Sanctos per orationem accedere possimus, ut ab ipso, et per ipsum auxilium nobis obtineant ut ab ipsum veniamus, vel si jam venimus, ut ab eo non recedamus. Sic enim, non obstante sufficientia redemptionis Christi, recte petimus a viventibus, ut pro nobis orent.

16. *Secunda objectio ex Paulo, ad Colos.*, 2.—*Solutio.*—Altera objectio est, quia Paulus ad Colossens., 2, «prohibuit humilitatem, et religionem Angelorum, omnemque ejusmodi venerationis cultum in superstitione et humilitate non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.» Ita rex proponit verba Pauli, et non amplius declarat, quomodo ex eis aliquid contra invocationem Sanctorum colligatur, cum tamen in eum finem ab ipso referantur; nam alioqui immerito,

et extra rem illa ibi proponeret. Pauli tamen intentio longe diversa est, ut ex contextu manifeste constat, omniumque Patrum expositione. Monuerat enim Paulus Colossenses, ut sicut acceperant Jesum Christum Dominum, ita in ipso ambularent, radicati et superædificati in ipso. Unde postea infert: «Nemo ergo judicet vos in cibo,» etc. Quibus verbis eos cavere docet judaicas cæremonias, et observationem legis; deinde vero subdit: «Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione Angelorum, per quæ verba non prohibet debitam venerationem et invocationem Sanctorum Angelorum, ut novatores sentiunt, hoc enim neque ex verbis Pauli colligi potest, neque ex Patribus aut expositoribus. Unde aliqui illam posteriorem clausulam cum præcedenti conjungunt, et omnia intelligunt de observatione legalium. Communior tamen et magis litteralis expositio est, illa posteriora verba dici a Paulo contra errorem quorundam hæreticorum, qui dixerunt Angelos esse hujus mundi factores, et per ipsos accedendum esse ad Deum, et non per Christum. Quam fuisse hæresim Simonis Magi refert Epiphanius, hæres. 21; et illam voluisse damnare Apostolum, docuit ibi Chrysostomus, homilia 7, quem Œcumenius, et Theophylactus sequuntur, qui explicant, illos hæreticos per fictam humilitatem dixisse, non oportere per Christum adduci ad Deum, quia hoc majus est quam ut id possimus assequi, sed commodius esse ut per Angelos accedamus, ideoque peculiarem cultum et religionem Angelorum introduxisse, et hanc prohibuisse Paulum, affirmant.

17. *Sensus Pauli.* — Paulo vero aliter Theodoretus ibi dicit eosdem, qui observantiam legis veteris defendebant, ad Angelos colendos induxisse, dicentes legem fuisse per eos datam, refertque Concilium Laodicenum hac ratione Angelorum cultum prohibuisse. Ita enim videtur legisse canonem 35 illius Concilii, qui juxta versionem antiquam et Gentiani, sic habet: «Non oportet Ecclesiam Dei relinquere, et abire, et Angelos nominare, et congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis

igitur iuventus fuerit huic idololatriæ serviens, sit anathema, quia derelinquit Dominum nostrum Jesum Christum.» Alia vero translatio non legit Angelos, sed angulos, damnatque eos, qui in angulis congregabantur ad idola colenda. Verisimilior autem est illa prior lectio, cum Theodoretus, auctor græcus, et illi tempori vicinus, ita illum canonem referat. Constat autem ibi non fuisse damnatum omnem cultum Angelorum, sed eum, qui ab Ecclesia et a Christo separat, legem, per Angelos datam, legi Christi præferendo, ut Theodoretus vult. Aliter vero Tertullianus, lib. de Præscrip. hæreticor., cap. 33, generaliter dicit: «Simonianæ magiæ disciplina Angelis serviens, utique et ipsa inter idololatrias deputabatur.» Unde fit verisimilis conjectura, Paulum per religionem Angelorum intellexisse, omnem superstitiosum cultum, qui per magicam artem malis angelis datur. Quæcumque vero fuerit illa, quæ a Paulo vocatur «religio Angelorum,» certum est fuisse superstitiosam, et partem idololatriæ, ut exponit Hieronymus, ep. 151 ad Algasiam, q. 10, qui illa verba exponit de Judæis, qui post Christi mortem et abolitionem legis: «Quascumque offerunt victimas, non Deo offerunt, sed angelis refugis et spiritibus immundis.» Augustinus vero, ep. 59 ad Paulinum, generatim ait, illa verba dicta esse a Paulo, «propter superstitiones gentilium, Angelos» (inquit) «volens intelligi principatus, quos elementorum mundi hujus præpositos in his observationibus colendos esse arbitrantur;» et de illis observationibus ait, per eos fieri, «ut cor hominis velut religione humile reddatur falsa humilitate, quæ magis inflat,» ut inferius dicit. Longissime ergo distat talis superstitio a cultu et invocatione Sanctorum, sive hominum, sive Angelorum.

18. Denique ponderanda sunt verba dicentis: «Nemo vos seducat volens in humilitate,» utique ficta, «et religione angelorum,» utique malorum, «quæ non videt, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum, et constructum

crescit in augmentum Dei.» Hæc enim verba non possunt in Ecclesiam Catholicam convenire, quatenus Sanctos colit et invocat. Quia neque hoc facit inflata sensu carnis suæ, sed exemplis ac doctrinis Sanctorum Patrum in divina Scriptura fundatis instructa. Neque per illum cultum recedit a capite, quod est Christus, sed ad illum potius refert omnem Sanctorum cultum; per illum enim Sanctos omnes impetrare, et ad illum etiam pro nobis intercedere profitetur. Et ita neque fictam humilitatem, neque falsam religionem introducit, neque impedit corporis Christi augmentum per influxum gratiæ ab ipso manantis, sed potius per hanc conjunctionem et communicationem omnium membrorum hujus corporis, totius corporis unitas et sanctificatio melius perficitur. Quapropter majori quidem ratione possunt talia verba in Protestantes converti, illisque possumus serenissimum regem alloqui: «Nemo vos seducat,» etc. Nam Protestantes revera regem seducunt, «inflati sensu carnis suæ,» quia neque ab Ecclesia, neque a Patribus doceri volunt, «sed dulci nomine scientiæ» (ut Augustinus supra loquitur) regem «seducunt, et avertunt a luce veritatis, quæ est Christus Jesus.» Unde licet ore Christum confiteantur, re ipsa caput non tenent, ex quo totum corpus crescit in Domino, quia non possunt tenere idem caput, qui nolunt esse in ejus corpore, nec possunt in illo crescere per nexus et conjunctiones, qui Sanctorum unionem et communicationem recusant. Denique licet isti aperte non fingant religionem Angelorum, quos colant, fingunt tamen illorum religionem angelorum, a quibus decipiuntur, et per quos alios seducunt. Dicta igitur verba Pauli, si secundum proprium sensum considerentur, reprehensionem gentilium continent, non Catholicæ Ecclesiæ. Si vero secundum generalem doctrinam, quam includunt, spectentur, hæreticos omnes, et præcipue Protestantes redarguunt et convincunt.

19. *Tertia objectio.* — Tertiam objectionem his verbis indicat rex: «Sed qua fiducia, quove auctore decurratur ad deos penates istos, sive tutelares, quasi aulicos et familiares Dei Op-

timi Maximi, equidem nescio. Id illis probandum reliquerim, qui nova disputandi ac philosophandi ratione Theologiam corruperunt.» Non quidem immerito prius quam respondeam, possum cum Augustino interrogare, «seriumne aliquid inter nos agitur, an jocari libet (1)? Credere namque non possum deorum penatum aut tutelarium memoriam regem renovare voluisse, nisi jocari potius quam serio agere maluisset. Quod si res istæ tam leves regi esse videantur, nobis jocari non vacat. Si autem graves existimentur, mirum est quod nominum deorum penatum et tutelarium absurditate vel gentilitate terrere voluerit ignorantes. Non enim ignorare potest rex a Christianis Catholicis, nullum mortuorum hominum, aut Deum vocari, aut tanquam numen coli, aut invocari: «Nihiloque secius» (ait Theodoretus) (2) «urbium custodes, ac locorum præsides venerantur, quorum precibus et interventu apud Deum utentes, per eos demum divina munera consequuntur.» Et paulo inferius: «Quid ergo adversus nos indignationem concipitis, cum nullum quidem nostrorum hominum referamus in Deos, quanquam debitos honores Martyribus persolvamus, ut Dei testibus servisque amantissimis.»

20. *Responsio.* — Relicto ergo et contempto deorum nomine, quod rex dicit se ignorare, qua fiducia ad Sanctorum intercessionem recurramus, mirum profecto non est; nam fides est fiduciæ fundamentum, et ideo ubi vera fides non est, fiducia esse non potest. Nos autem credimus justos vita functos, et cum Christo regnantes, pro hominibus in hac vita peregrinantibus apud Deum intercedere, eorumque orationes Deum propter Christum exaudire, et hac fiducia ad illos accedimus, non dubitantes quin et nostras petitiones audiant, et magna charitate benigne suscipiant. Possumusque regem interrogare, an interdum a suis subditis, quos fideles esse credat, ut pro se Deum

(1) Ep. 44, ad Maximum.

(2) Lib. 8, contra Græcos.

precentur, postulet. Nam si hoc contemnit, Paulo contradicit, qui et pro se orari postulabat, et pro regibus orare monebat; si vero id probat et facit, peto qua fiducia id faciat: certe non alia, nisi ea, quæ in aliqua fide fundetur; simili ergo fiducia ad Sanctos vita functos nos accedimus, quia neque minus apud Deum posse, nec minori charitate res nostras curare credimus. Unde cum iterum rex interrogat, quo auctore hoc audemus, fidenter respondemus, imprimis Spiritu Sancto principali auctore nos id facere; ille enim est principalis auctor, qui Ecclesiam Christi docet, eique omnem suggerit veritatem. Deinde id etiam Christo auctore nos facere, tum quia ipse nos Ecclesiam suam audire præcipit; tum etiam quia per suos Apostolos nos docuit pro invicem orare, et per Apostolorum successores, quos ipse dedit Ecclesiæ Pastores et Doctores, Sanctos etiam vita functos invocare docuit, non solum illorum verbo, sed et eorumdem exemplo. His enim modis hactenus ostendi, qua fide Sancti sint invocandi. Neque vereor in eorum numero comprehendi, quos falsa Protestantium calumnia deceptus rex corruptores Theologiæ appellat. Hoc enim non veritatis indicium, sed hæreticorum convicium est, de quo proinde Theologus et Doctor Catholicus gloriatur.

21. *De invocatione Sanctorum male sentienti Dei per Christum invocatio nihil prodest.* — Superest ut Sanctorum invocationem non solum superstitione carere, sed etiam tutiorem et utiliorem esse ostendamus; hoc enim ultimo loco promisimus, quoniam verba regis hoc a nobis efflagitant; subjungit enim: «Mihi satis est, Deum per Jesum Christum prout jubemur invocare, et hanc viam tutiorem, ideoque in rebus ad salutem spectantibus potiorem insistere.» In quo puncto, necessarium est opus a fide, et usum a judicio secernere. Nam licet alicui satis fortasse possit esse ad salutem, Deum per Jesum Christum invocare, etiamsi Sanctos non invocet, non tamen sola per Christum invocatio satis erit ad salutem, si de Sanctorum invocatione male sentiat vel judicet. Quia per hoc judicium pertinax hære-

ticus constituitur; hæretico autem homini sola invocatio Christi prodesse non potest, quia neque ex vera et catholica fide, neque cum charitate conjuncta esse potest. Deinde quamvis homini, de fide invocationis Sanctorum recte sentienti, usus talis invocationis possit non esse impositus sub præcepti necessitate, et ideo illi satis esse possit, Deum per Christum invocare, multis vero, quibus necessitas invocandi Sanctos ex officio, et debito, ac præcepto incumbit, non satis est Deum per Christum invocare, nisi Sanctos invocando, obligationi suæ, ac præcepto sibi imposito satisfaciant. Quia licet Christi redemptio, et interpellatio de se ad nostram salutem sufficiat, nostram tamen cooperationem, et præceptorum obedientiam requirit, ideoque licet ab aliquo præceptorum contemptore invocetur, ad salutem non sufficit, nec talis invocatio ab ipso Christo, vel a Deo per Christum exauditur.

22. *Invocatio alicujus Sancti potest interdum esse ad salutem necessaria.*—Addimus præterea, licet invocatio alicujus Sancti, absolute et per se spectata, non sit ad salutem necessaria, interdum posse contingere ut ex divina ordinatione, et mirabili providentia necessaria sit. Quod si hoc rex non intelligit aut non credit, legat Augustinum dicentem: «Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet; sed ideo de terra excitatus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus (1)? Quamvis ergo Paulo satis esse potuisset ad salutem Deum per Christum invocare, nihilominus (teste Augustino) necessaria illi fuit ad salutem intercessio Stephani; utique quia beneplacitum fuit Deo per tale medium, et non aliter, Paulum ad cognoscendum et invocandum Christum vocare. Ita ergo in aliis hominibus et prædestinatis potest contingere, ut unius salus per alterius Sancti intercessionem præordinata sit, et ut Sanctus non sit pro illo intercessurus, nisi ab eo invocetur. Hoc

(1) Aug., serm. 1 et 4, de Sanctis.

igitur modo unius hominis pro alio intercessio, et consequenter invocatio potest ex divinæ providentiæ ratione esse necessaria, ut cum effectu salutem consequatur ille, qui Sanctum invocat, et pro quo Sanctus intercedit. Quamobrem neque secure neque pie dicitur, satius esse, Deum per solum Christum invocare, quia, licet unum jubeatur, aliud non excluditur, et quia ad invocandum Deum per Christum, sicut oportet, necessarium est divinum auxilium, quod interdum per alicujus Sancti invocationem impetrandum est.

23. *Sanctorum invocatio tutior et utilior.*—Ex quo evidentius concluditur, non solum tutius, sed etiam utilius esse, invocatione Sanctorum interdum uti, quam illam omnino prætermittere. Est quidem tutius, tum quia qui omnino illam prætermittit, eam despicere vel contemnere videtur, quod perniciosum est, et quamvis forte non contemnat, huic periculo se exponit, quod tutum non est. Tum maxime quia in hac invocatione facta ex recta fide nihil periculi ad salutem esse potest, cum sit pia, et Deo grata; et aliunde, ut dixi, contingere potest ut Deus per tale medium orantem salvare, vel bonum illud, quod optat, tribuere destinaverit; non est ergo satis tutum ab implorando Sanctorum patrocinio abstinere, tantum abest ut tutius sit. Multiplex vero utilitas hujus invocationis in multis Ecclesiæ orationibus satis indicata est. Una est, «ut quod nostris meritis non valemus, Sanctorum patrocinio assequamur»; alia esse potest, «ut multiplicatis intercessoribus» Deus largiatur, quod fortasse soli oratori roganti non concederet.

24. *Hæreticorum evasio præcluditur.*—At, inquiunt, Protestantes, Deus non est sicut homo, ut personas respiciat; Deus enim personarum acceptor non est, et ideo nihil ad impetrandum confert, vel qualitas peccantis, vel intercedentium multitudo. Sed hoc tam contra rationem quam contra Scripturam profertur. Aliud est enim accipere personam, aliud veram personæ dignitatem, seu conditionem ad negotium pertinentem expendere. Acceptio enim personæ in communi usu et in alle-

gatis Scripturæ verbis vitium sonat distributionis vel donationis, in qua conditio personæ, quæ ad causam non refert, neque personam tali muneri vel dono magis aptam, vel dignam reddit, consideratur. At vero in præsenti talis personarum acceptio locum non habet; nam sanctitas personæ orantis vel intercedentis, talis est conditio personæ, quæ ad impetrandum illam reddit digniorem, et consequenter multitudo etiam deprecantium, quatenus in eis, et majora merita, et augmentum aliquod sanctitatis considerantur, efficaciorem apud Deum orationem reddit. Non enim sine causa dixit Jacobus, cap. 5, multum valere deprecationem justi, sed quia, licet oratio peccatoris interdum impetret, multo facilius justi oratio exauditur. Alioqui si Deus faciem orantis non respicit, et illius conditionem non considerat, cur dixit ad amicos Job: «Ite ad servum meum Job, et servus meus Job orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia», nisi quia propter sanctitatem et patientiam Job, illius potius quam ipsorum esset orationem exauditurus? Et e converso, ad exaggerandam iram suam, dixit Dominus per Ezechielem (1): «Terra cum peccaverit», etc.; et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job, etc., ac si diceret, cum isti me possent maxime placare, eos etiam pro tali populo orantes non exaudiam; quia non satis est plurium et sanctissimorum virorum intercessio, si is, pro quo orant, non cooperetur, ut notavit Chrysost., hom. 79 ad Pop., ubi nihilominus ostendit, orationem plurium efficaciorem esse, quod etiam late prosequitur orat. 3, de Incompreh. Dei natura.

25. Estque ad hoc propositum valde notanda oratio Gregorii Nysseni ad Theodorum Martyrem, sub finem, ubi cum multa a Martyre postulasset, subjungit: «Quod si majori opus fuerit advocatione ac deprecatione, fratrum quoque tuorum Martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare; multo-

(1) Ezech., 14.

rum justorum preces, multitudinum, ac populorum peccata luant, admone Petrum, excita Paulum, Joannem, item Theologum, ac discipulum dilectum, ut pro ecclesiis, quas constituerunt, solliciti sint», etc. Multo ergo magis orationes nostræ cum Sanctorum intercessionibus conjunctæ efficaciores fiunt, ac subinde utiliores. Neque propterea Dei, vel Christi cultus minuitur, sed augetur, quia dum Sanctos invocamus, divinam majestatem magis reveremur, nostramque indignitatem recognoscimus, et per Sanctos Deum magis honorare et glorificare cupimus, eique gratias pro tot beneficiis agimus. Quia, ut recte dixit Ambrosius, serm. 14, de SS. Nazario et Celso: «Immensa ejus pietas multiplex ad bonitatem, et artifex ad salutem proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore pretiosam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis prospicit; illorum siquidem merita, nostra vult esse suffragia.» Quod infra exaggerans addit, licet aliquis Sanctus, alicujus loci «peculiaris putetur privilegio sepulchri, omnium tamen esse communione suffragii non clauditur enim locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique Martyrem, ubique te exaudiet ille, qui honoratur in Martyre.» Merito ergo Catholica Ecclesia Sanctorum invocationem tanquam magis piam, et Deo gratiorem, sibique tutiorem, et utiliorem elegit, semperque retinuit.

CAPUT X

De sanctarum reliquiarum custodia et veneratione

1. *Quem cultum Sanctorum reliquiis tribuat rex Jacobus.*— Duo in hoc puncto potissimum carpit rex, adorationem, videlicet, reliquiarum, et usum asservandi particulas a corporibus Sanctorum separatas, ut a christiano populo videri vel tangi possint. Prius vero, ut vulnus suum occultet, et ne cum Julia-

no Apostata, et Constantino Copronymo, et aliis hæreticis reliquias Sanctorum detestantibus sentire videatur, quædam verba præmittit, quibus se Sanctorum reliquias honore prosequi ostendit, dicens: «Quod ad reliquias Sanctorum si quas ejusmodi haberem, quas constaret Sanctorum corporum partes esse, eas ego honorificis tumulis solemniter inferrem.» Hic zelum regis laudo; quod autem secundum fidem non sit, doleo. In eo enim quod Sanctorum reliquias honore aliquo dignas esse censet, recte judicat; insinuat vero non religioso cultu, sed solo civili honore Sanctorum reliquias tumulandas esse; quod si ita sentit, non recte, neque secundum fidem catholicam sentit. Ipsum vero in hoc sensu fuisse locutum, verba, quæ paulo post subjungit, satis declarant, in quibus, «reliquiarum adorationem pro intolerabili idololatria habere se» dicit, «et abominari.»

2. *Sanctorum reliquias latria a Catholicis adorari falso machinantur Protestantes.*—In his autem verbis imprimis adverto, cum superius tractando de cultu B. Virginis et Sanctorum, non verbo «adorandi», sed «venerandi», vel «colendi», usus fuerit, hic mutata locutione, «adorationem» reliquiarum abominari. Interrogo igitur quo sensu quave significatione nomen adorationis accipiat; nam si perfectam illam, et absolutam ac summam latriam, quæ soli Deo debetur, per nomen «adorationis» intelligit, merito quidem abominaretur eos, qui Martyrum ossa, aut corpora, vera latria soli Deo debita adorarent; at immerito talem adorandi modum Ecclesiæ tribueret. Quod profecto facere convincetur, cum eam, quam abominatur, reliquiarum adorationem, inter Romanæ Ecclesiæ articulos numerare intendit.

3. *Hæreticorum calumnia ex Patribus refellitur.*—Sciat ergo calumniam hanc nec novam esse, nec alia responsione quam data ab antiquis Patribus indigere. Augustinus enim Maximo, philosopho gentili, qui ep. 43 ita ad Augustinum scripserat, ut ignoranter hanc idololatriæ notam inurere Christianis videretur, in ep. 44, sub finem, ita respondet: «Ad summam tamen, ne te hoc lateat, et in sacrilega convitia imprudentem trahat, scias,

a Christianis Catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari quod sit factum et conditum a Deo, sed unum ipsum Deum, qui fecit et condidit omnia.» Hieronymus vero contra Vigilantium, qui eamdem calumniam impudentius Ecclesiæ imponebat, sic loquitur in ep. 53: «Os fœtidum rursum aperire et putorem spurcissimum contra Sanctorum Martyrum proferre reliquias, et nos qui eas suscipimus, appellare cinerarios et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur.» Et infra: «Nos autem non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem, aut lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, et omne nomen quod nominatur, et in præsenti sæculo et in futuro, colimus et adoramus, ne serviamus creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus.» In quibus verbis adverto consulto usum fuisse Hieronymum verbis venerandi et honorandi, ut calumniam hæretici evitaret, et adorandi verbum Deo reservaret. Idemque observat in alio libro contra Vigilantium, ubi reliquias, «ossa veneranda», appellat, quam venerationem negabat Vigilantius, propter illam Ecclesiæ imponens idololatriæ maculam, contra quem Hieronymus: «Quis unquam, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?» Ex quibus etiam verbis, et ex supra dictis concluditur evidens ratio. Nam si Martyres ipsos, seu eorum beatos spiritus, fideles illo modo non adorant, ut supra declaratum est, multo minus eorum reliquias et corpora mortua sic adorabunt. Quæ ratio in reliquiis ad Christum Dominum pertinentibus non ita procedit, quia Christo specialis debetur adoratio; quomodo autem ejus reliquiæ venerandæ sint, infra dicemus.

4. *Eodem cultu Sanctos et eorum reliquias venerantur Catholici.* — Quod si rex non adeo stricte nomen adorationis intellexit, cur venerationis nomine ad vitandam verbi invidiam et amphibologiam usus non est? Vel (quod ad rem proprius acce-

dit) quid est quod in adoratione reliquiarum abominatur, cum ipsemet reliquias Sanctorum aliquo honore dignas esse fateatur? Certe non video quid ei displicere possit, nisi quod reliquias, tanquam res sacras, actibus etiam sacris et religiosis veneramur. Sed in hoc etiam puncto (si ita sentit) toti antiquitati catholicæ contradicit, et ab antiquis damnatis hæreticis, Eunomio, Vigilantio et similibus non dissentit. Quod variis modis potest breviter ostendi. Primo, quia Patres ideo docent reliquias esse venerandas, quia earum honor, illorum Sanctorum, quorum sunt reliquiæ, est veneratio, et inde eisdem signis, actionibus ac rebus, Sanctos, et eorum reliquias colendas esse demonstrant. Quia ita est cultus reliquiarum cum honore Sanctorum conjunctus, ut unus non possit ab alio omnino separari, quia utriusque ratio eadem est, nimirum excellentia sanctitatis, quæ proprie, et ut aiunt, formaliter in animo existit, et in corpus et alias reliquias per quamdam participationem et habitudinem redundat. Quam veram et catholicam doctrinam his verbis eloquentissime declaravit Ambrosius, dicto serm. 14, in fine, simul fundamentum adversariorum proponens et evertens: «Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Et iterum: Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui, Deus. Honorare debemus servos Dei, quanto magis amicos Dei. De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, et unum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratas cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et Dæmones? Quod et afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro.

Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in Cœlo.»

5. *Altiori cultu quam civili Sanctorum reliquias afficiendas esse.* —Ex ratione igitur honorandi has reliquias, quæ longe altior est omni humana justitia vel dignitate politica, recte colligimus, honorem etiam esse altiorem, atque ita sacrum esse, et per res sacras exhibere deberi. Sicque idem Ambrosius, ep. 58, ad Fideles per omnem Italiam, etc., refert, sibi revelatum esse, ut in nomine Sanctorum Gervasii et Protasii Ecclesiam ædificaret, in qua eorum corpora collocaret, quod sine dubio ad sacrum honorem pertinet. Et in fine epistolæ ponit hæc verba relata ex libello cum reliquiis invento: «Ego servus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte sancta corpora, et in domo mea, Deo solo teste, in ista arca saxea sepelivi, credens, me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Jesu Christi.» Honorabat ergo illos altiori mente et fide, quam soleant mortuorum corpora solo civili honore tractari; mens autem et affectio est, quæ qualitatem cultus constituit et distinguit. Et eodem modo idem Ambrosius, ep. 55, in fine, ad eosdem Italiæ populos de inventione reliquiarum Sanctorum Vitalis et Agricolæ, ita concludit: «Hæc vobis pauca et compendiario, dilectissimi fratres, de corporum Sanctorum Martyrum inventione significare curavimus, ut ipsorum memoriam in ecclesiis facere valeatis.»

6. Similique modo, et ob eamdem rationem, de hoc cultu reliquiarum sentit Eusebius, lib. 13 de Præparat. Evang., cap. 7, circa principium, dicens: «Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus tanquam viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.» Quomodo tandem Sanctis vota fieri possint et debeant, alibi (1) a nobis explicatum est; certum est autem cultum sa-

(1) Tom. 2 de Relig., tract. 3, lib. 1, c. 16.

crum continere, proprieque Deo fieri in honorem Sanctorum cum Christo regnantium. Addit vero Eusebius, specialiter solere fieri circa monumenta Sanctorum, ut idem cultus in honorem etiam reliquiarum aliquo modo redundet. Et multa similia habet Theodoretus, lib. 8 ad Græcos, et apud Gregorium Turonensem, lib. 2 de Historia Francor., c. 37, et colligitur etiam ex his, quæ refert Augustinus, lib. 20 contra Faust., cap. 3. De hoc denique sacro honore loquuntur Patres, quoties de honore reliquiarum loquuntur, ut videri potest apud Hieronymum, ep. 7 ad Lætam, in princip.: «Inundans (inquit) populus ante delubra semiruta currit ad Martyrum tumulos; si non extorquet fidem prudentia, extorqueat saltem verecundia»; et epist. 7 ad Eustochium: «Martyrum (inquit) ubique sepulchra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus. Similia in vita Hilarionis, et in epitaphio Paulæ, et alibi sæpe. Et Augustinus, lib. de Cura pro mortuis agenda, cap. 17 et 18; Basilius, homil. in Quadraginta Martyres; Gregorius Nazianzenus, orat. 18 in Cyprianum; et optime Chrysostomus, homil. 66 ad Populum, ubi inter alia hæc notatu dignissima: «Etiam ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, et fastu deposito stat Sanctis supplicaturus»; et homil. in Psalm. 115: «Contemplare (inquit) civitates, etc.»

7. *Reliquiarum venerationem Deo gratam esse.* — Denique quod in hoc genere cultus nihil contra Dei religionem fiat, imo Deo gratissimus sit, ratione fit perspicuum, et miraculis frequenter Deus ipse contestatus est. Ratio ex dictis clara est, quia ossa mortuorum Sanctorum non coluntur divino honore; ergo ex hac parte in hoc cultu non fit contra religionem Deo debitam. Deinde non coluntur ex falsa existimatione, ac superstitione, ac si illa perciperent honorem ipsis exhibitum, vel in se haberent excellentiam, propter quam exhibetur; nam hac mente illis præbere etiam civilem honorem, absonum plane esset et stultum. Coluntur ergo ea fide qua credimus illa esse

organa et vasa, quibus ad bona opera Sanctus usus est Spiritus, ut argute admodum scripsit Augustinus, lib. 1 de Civit., c. 13. Et quia totum illud redundat in honorem sanctarum animarum, quas etiam credimus non ignorare, et gratum habere obsequium, quod ipsis in corporibus suis a fidelibus fit; ergo nullus recta ratione utens potest hunc cultum accusare, vel levissimæ inordinationis, etiam contra duliam, nedum contra latriam.

8. *Eadem veritas miraculis confirmatur.* — Testimonium denique Dei per miracula multiplex a Sanctis Patribus antiquis refertur, et præcipue videndus est Ambrosius, dictis epist. 53 et 54 ad Marcellinam sororem, ubi inter alia dicit: «Dum transferimus Sanctorum corpora, cæcus sanatus est, etc.» Quod miraculum cum aliis contra hæreticorum calumnias constantissime defendit, serm. 5 de eisdem Sanctis Gervasio et Protasio, qui omnino videndus est. Eademque miracula (ut in duorum tantæ auctoritatis et ocularium testium ore irrefragabile sit hoc verbum) recognoscit Augustinus, lib. 9 Confession., cap. 7 et dicto etiam cap. 17, de Cura pro mortuis agenda, et lib. 22 de Civit., cap. 8, ubi alia multa de reliquiis S. Stephani, et aliorum Sanctorum refert. Et ideo epist. 103, commendans Episcopo Tinciano Gallam et Simpliciolam, inquit: «Portant reliquias beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas Vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.» Plura etiam alia refert Theodoretus, dicto lib. 8 ad Græcos.

9. *Sanctorum reliquiis dæmones fugantur.* — Confirmant præterea Patres frequenter veritatem hanc exemplo Elisei, cujus ossa mortuum excitarunt, ut videre licet in Clemente, lib. 6 Const., c. ult.; Chrysost., Orat. in laudem Ignatii Mart., et singulariter in Cyrillo Hierosol., Cateches. 18. Nam id factum esse dicit, «ut non solum animæ Sanctorum honorentur, sed credatur quod etiam corporibus mortuorum inest virtus seu potentia, propter tot annorum inhabitationem animarum justa-

rum in illis, quorum ministerio usæ sunt.» Denique ad hoc testimonium spectat efficacia reliquiarum Martyrum contra dæmones, tum ad expellendos illos, tum ad coercendos, ne in idolis responsa darent. In quo genere pulchra est historia de reliquiis S. Babilæ Martyris, quas impius Julianus ex quodam sepulchro transferri jussit, quia impedimento erant Apollini, ne in quodam vicino loco gentilibus responsa daret; fidelium autem Ecclesia magna fide et alacritate concurrit ad transferendam arcam Martyris, quam deferebant psallentes summis clamoribus, cum exultatione dicentes: «Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui confidunt in simulacris suis»; ita refertur in Vita Athanasii ex Sozomeno, lib. 5 Historiæ, c. 18 et 19; idem referunt aliæ ecclesiasticæ historiæ, Ruffini, lib. 2, cap. 35; Theodoreti, lib. 3, cap. 9; Socratis, lib. 3, cap. 16. Tantum ergo abest ut reliquiarum veneratio idololatria sit, ut potius ad illam confundendam argumentum sit efficacissimum.

10. *Particulas reliquiarum publice ostendere, antiquum, et sanctum esse.* — Quia vero rex Angliæ peculiariter offenditur ac perturbatur consuetudine separandi particulas reliquiarum, seu corporum sanctorum, et illas publice ostendendi seu proponendi, idcirco necessarium est antiquitatem etiam et pietatem hujus consuetudinis specialiter demonstrare. Tam est enim antiqua hæc religio erga Martyres, ut de illis sic scribat Theodoretus, dicto lib. 8: «Animæ quidem triumphatorum Martyrum in cœlesti nunc patria vitam agunt, angelorum choros intersitæ, eorum vero corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed civitates, oppida, paganique conventus hæc inter se sortito partiti sunt, laborantibusque animis, ac agrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant.» Eumdemque morem, ejusque rationem brevi, sed gravi et egregia sententia, ut solet, explicavit Ambrosius, dicto serm. 4 de SS. Nazario et Celso, ubi prius dixerat: «Exultant felices singularum urbium populi, si unius saltem Martyris reliquiis muniantur. Ecce nos populos Martyrum possidemus.» Deinde vero ita subjungit:

«Beatum itaque Nazarium Martyrem Christi Sancta Mediolanensis Ecclesia, licet totum corpore secum retineat, et mundo tamen totum in benedictione transmisit.» Et addit rationem, quam nunc expendimus: «Hæc est enim Sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.» Quasi dicat, magna prudentia et pietate communicari fidelibus per partes reliquias Martyrum, quoniam et tota ratio venerationis in singulis contemplari potest, ut integre in eis Sancti colantur, et tota etiam virtus obtinendi a Deo beneficia et miracula per talia instrumenta et Sanctorum intercessiones in singulis invenitur.

11. Sic etiam dixit Basilius, dicta hom. 20 de Sanctis quadraginta Martyribus: «Illi sunt, qui nostram obtinentes regionem quasi quædam turres contra adversariorum incursum refugium exhibent, nec uno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornaverunt, nec tamen separati, sed inter se commisti, si in singulos ipsos diviseris proprium numerum non excedunt.» Et infra: «Nam hi quadraginta sunt unum, et omnes apud singulos.» Sic item Gregorius Nazianz., oratione 3, quæ est prima contra Julianum, § «Non victimas», inter alias Martyrum laudes adjungit: «Quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ Sanctæ, sive tangantur, sive honorentur, quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.» Et in carmine iambico 18, ita scribit: «Venerationi tanquam magnæ est veritas, exiguus etiam pulvis, ut vel ossium particula veterum quæpiam, aut paulum comæ vestisve, sparsi aut sanguinis quædam notæ, cultum parem habeant, atque corpus integrum.» Unde similiter, orat. 18 in Cyprianum, inter narranda ejus miracula dicit, «vel cineres Cypriani miracula fecisse.»

12. Gregorius vero Nyssen., orat. in S. Theodorum Martyrem, cum majori exaggeratione dicit, quod «pulverem, quo

conditorium, ubi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, ac tanquam res magni pretii condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere reliquias, si quando contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum et optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, et ejus desiderii compotes facti.» Ex verbis autem quæ subjungit, discere possumus causam ob quam ex reliquiis Martyrum partes aliquæ separatæ serventur, ut interdum possint populo ostendi, ut fide ac pietate illas aspiciant, et, si opus fuerit ad spiritualem fructum, complectantur. Nam ut idem Sanctus subjungit: «Qui eas intuentur, quasi corpus per se vivens et florens amplectuntur; oculis, ori, auribus, omnibus sensuum instrumentis adhibentes; deinde officii et affectionis lacrymas Martyri, quasi integer esset, et appareret, superfundentes, ut pro ipsis precator intercedat, supplices preces offerunt.»

13. Hoc denique recte confirmat, et antiquum morem apertissime ostendit Hieronymus contra Vigilantium, non longe a principio, ubi verba ejus refert dicentis: «Quid necesse est te adorare illud, nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis, quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis.» Contra quem postquam Hieronymus declaravit illam non esse adorationem latriæ, seu divinam, subjungit: «Et audes dicere, illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid est illud nescio quid? Scire desidero, expone manifestius, ut tota libertate blasphemes. Pulvisculum, inquit, in modico vasculo pretioso velamine circumdatum. Dolet, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, etc.», et infra: «Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt.» Non potuit profecto clarioribus verbis usum præsentis Ecclesiæ testimonio et exemplo omnium Episcoporum sui temporis approbare. Videat rex Angliæ utrum audeat illos,

ut sacrilegos et fatuos damnare, quod Hieronymus tanquam absurdissimum et prorsus incredibile reliquit.

14. Unde etiam facile ostenditur quam sit frivola et indigna collatio, quam rex quasi irridens proponit inter hunc modum venerandi reliquias, et supplicium quo solent puniri malefactores, capita eorum, aut alias cadaverum partes in publicis et excelsis locis ad perpetuam infamiam, et pœnam post mortem duraturam, suspendendo. Nullus enim reliquias Martyrum ad infamiam in publico collocat, nisi qui fideles persequendo, martyres facit, et postea gloriam martyrii per similem infamiam et pœnam obscurare conatur. Quapropter non immerito possumus, Hieronymum imitando, exclamare: «Nos ne sumus, qui Sanctos honoramus, an ille qui honorantibus illos vivis habitaculum, mortuis sepulchrum, negat, qui fratrum» (utique fidelium) «exilia postulat?» Et paulo inferius: «Quis ossa Sanctorum et innoxios cineres hucusque verberari ab imbribus sinit?» Profecto, ut dixi, non nisi ille, qui fideles persequendo, Martyres facit. Ecclesia autem Catholica non ad infamiæ imaginem, ut rex ludificatur, sed ad majorem honorem, et ad ostensionem amoris, et ad fidem ac devotionem excitandam, reliquias Sanctorum illo singulari modo conservat, suisque fidelibus videndas et tangendas proponit. Imo insuper addo, hanc ipsam consuetudinem ostendere, longe altiori modo Ecclesiam de sanctis reliquiis sentire, quam vulgarium hominum mortua corpora soleant reputari. Quod mihi Gregorius Nyssenus, in dicta Orat. de S. Theodoro, his verbis explicavit. Postquam enim dixit, «corpus S. Theodori veluti rem charam magnique æstimatam, atque reconditam, in tempus regenerationis servari, multis singularibus et eximiis rebus præditum, propter quas ad alia corpora, quæ communi et vulgari morte dissoluta sunt, ne comparandum quidem est, idque in simili materia naturæ», subjungit: «Nam cæteræ quidem reliquiæ abominabiles plerisque sunt, ac nemo lubenter sepulchrum præterit, aut si ex inopinato apertum offendit, etc., prætercurrit. At si venerit in aliquem locum si-

milem huic, ubi hodie noster conventus habetur, ubi memoria justi, sanctæque reliquiæ sunt, primum quidem earum rerum, quas videt, magnificentia oblectatur.» Et infra: «Cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem, ac benedictionem, contrectationem ejus esse credens.» Consulens ergo Ecclesia huic pietati fidelium, illis interdum publice particulas reliquiarum videndas, et tangendas proponit, idque in majorem Sanctorum gloriam cedere, quidquid adversarii calumnientur, prudenter existimat.

15. Nec omittam in hoc puncto addere, multas esse reliquias Sanctorum, quæ partes corporum non sunt; et ideo cum eis sepeliri non debent, sed cum debito honore servari, quarum rex nullam mentionem fecisse videtur, quia illam suam imaginum infamiam ad illas non poterat accommodare. Hujusmodi sunt vestes Sanctorum, quæ manibus contactæ ægritudines interdum repellunt, ut de vestibus Sanctorum Gervasii et Protasii affirmat Ambrosius, Epist. 54, et de sudariis SS. Vitalis et Agricolæ idem dicit, ep. 55, ubi etiam clavos et cruces Martyrum inter has ponit reliquias. Multi etiam ex allegatis Patribus mentionem faciunt vestium Sanctorum, easque aliis reliquiis æquiparant, et in eodem habent honore, ut ex Nazianz. et Augustino maxime intelligi potest. Unde Cyril. Hieros., Cateches. 18: «Etiam sudaria et semicinctia extra corpus existentia», dicit, «contacta ab ægrotis, illos ab infirmitate liberabant.» Ratio autem moralis sumi potest ex Augustino, lib. 1 de Civit., c. 13: «Quia paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus.» Sic ergo vestium Sanctorum affectus et reverentia, erga ipsos Sanctos amorem et venerationem ostendit. Unde in vita Antonii legitur, cum Antonius in morte sic præcepisset: «Melotem, et pallium tritum, cui superjaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi novum ipse detulerat», idem Athanasius vitam scribens sic subjungit: «Legatarius autem Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio ejus meruerat accipere,

Antonium in Antonii muneribus amplectitur, et tanquam magna hæreditate ditatus, lætanter vestimentum recordatur, imaginem sanctitatis.»

16. *Reliquiæ, licet Sanctorum partes non sint, eamdem venerationem sibi vendicant.* — Et in hoc ordine reliquiarum ponendæ sunt res aliæ, quibus Sancti in hac vita familiariter usi fuerunt, ut sunt libri, et res similes, nam omnium est eadem ratio. Atque ita cathedra S. Jacobi Apostoli, et primi Hierosolymorum Episcopi, usque ad tempus suum fuisse ab illius successoribus cum magna æstimatione servatam, refert Eusebius, lib. 7 Histor., c. 14, in fine, et subdit: «Unde declarat perspicue, quemadmodum veteres Patres ad nostram usque ætatem sanctis viris ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem et tribuerint, et adhuc tribuere non cessent.» Quam traditionem conservans Sancta et Catholica Romana Ecclesia, Petri et Pauli non solum corporum reliquias, sed etiam Petri cathedram et catenas usque ad hodiernam diem religiose conservat, easque in propriis festivitatibus christiano populo videndas, tangendas et venerandas proponit.

CAPUT XI

De vera imaginum sanctarum veneratione seu adoratione

1. *Iconomachorum hæresis quam Anglia excitat.* — Contra imagines sacras vehementius invehitur rex Angliæ, earumque venerationem, sicut et reliquiarum, «intolerabilem idololatriam» appellat; non vult tamen iconomachus haberi; semper enim nomen et notam hæreticorum fugit, quorum doctrinam sequi non dedignatur. Probat autem se non esse iconomachum, «quia non arguo» (inquit) «si quis aut fingere statuas, aut imagines pingere, sive ad publicum splendorem, sive ad privatorum hominum domesticos usus volet.» At hoc non satis est ut

iconomachus non sit, nisi etiam fateatur sacras imagines venerandas esse, et non solum ad externum splendorem, et domesticos usus, sed maxime ad usus sacros, ad Dei Sanctorumque honorem, et bonum animæ, retinendas esse confiteatur. Prima enim ac præcipua hæresis iconomachorum fuit, imagines Christi et Sanctorum venerandas non esse, ejusque auctor fuit Xenaias Persa, qui cum esset servus, et nondum baptizatus, Episcopus a Petro Gnapheo factus est, ut refert Nicephor., lib. 16 Hist., c. 28, et subjungit: «Primus (O audacem animum, et os impudens) vocem illam evomuit, Christi, et eorum qui illi placuerunt, imagines venerandas non esse.» Et ex Theodoro lectore, antiquiore scriptore, eadem historia eademque origo illius hæresis habetur per Anastasium in septima Synodo, action. 1. Et in eodem sensu eamdem hæresim postea secuti sunt Leo Isauricus, Copronymus Constantinus, et alii posteriores.

2. Denique in eodem sensu damnata fuit illa hæresis ab Ecclesia. Nam si satis esset ad fidei integritatem, confiteri, imagines esse aptas ad splendorem humanum, et domesticos privatosque usus, vix credo, inventus esset homo rationis compos, qui omnem imaginum usum, etiam humanum, damnasset, ac si ars pingendi intrinsece mala esset, vel specialiter Christianis prohibita. Vel certe si Manichæi, vel alii antiquiores hæretici illum errorem docuerunt, ut multi volunt, ad damnandum talem errorem, satis fuisset Ecclesiæ definire, non omnem usum imaginum malum esse, seu civilem ac privatum usum earum permitti. Quia vero per hoc non sufficienter condemnabatur error Iconomachorum; ideo contra illos definitum est, venerandas esse sacras imagines, et publicum, ac sacrum, seu Ecclesiasticum illarum usum retinendum. Si ergo Rex Angliæ hoc neget, Manichæus quidem poterit non esse, Iconomachum autem se esse negare non potest.

3. Præterea præcipuus error Iconomachorum fuit, idololatriæ accusare, et damnare Ecclesiam, eo quod Christi et Sanctorum imagines coleret seu veneraretur, unde ipsas imagines

idola vocabant, et hac ratione eas e templis auferebant, et omnibus ignominiis afficiebant, et in ignem tandem conjiciebant. Quæ omnia constant ex antiquis historiis, et ex septima Synodo, Action. 1 et sequentibus latissime, quæ in summam redegit Photius in epistol. de septem Synodis, quæ in tertio tomo Conciliorum ante eamdem Synodum præmittitur. Rex autem Angliæ expresse dicit, se pro intolerabili idololatria habere et abominari adorationem imaginum, intelligens sine dubio adorationem, quam Ecclesia Romana imaginibus dare consuevit; et paulo inferius conatur probare, imaginem esse idolum; et ad utrumque suadendum, Scripturæ testimoniis utitur, quæ Iconomachi etiam contra ecclesiasticam traditionem allegabant, ut ex dicta Synodo, action. 3 et 7, habetur; ergo negare non potest rex, quin sententiam in Iconomachis damnatam ipse defendat; quid ergo illi deest, ut Iconomachus sit? An forte quod imagines non confringat, ignominiis afficiat aut comburat? profecto licet hoc ita esset, eum ab hæresi Iconomachorum non excusaret, cum hæresis in animo et pertinaci sententia sit, etiamsi in illos exteriores effectus non prodeat.

4. Verumtamen de Protestantibus notum est, in violandis imaginibus non fuisse antiquis Iconomachis impares, ut ipsi etiam Angli satis experti sunt, et recentiores ipsorum historiæ copiose testantur (1); ergo rex, qui eidem Protestantium sectæ adhæret, et regiam illi exhibet auctoritatem, easdem imaginum contumelias approbat, et earum auctor censeri debet. Contra hanc hæresim nunc novam disputationem instituere supervacaneum duco, cum hæresis nova non sit, et eisdem temporibus, quibus olim exorta est, plenissima eruditione et summa auctoritate sit in septima Synodo generali damnata. Damascenus etiam libros pro imaginibus scripsit, qui ad impugnandam illam hæresim sufficiunt. Præterquam quod nostris temporibus

(1) Sanderus, lib. 1 et 2, de Schismate Anglicano.

multi viri catholici de hoc argumento copiosissime et efficacissime disputarunt. Nihilominus tamen prætermittere non possumus, quin singula regis verba expendamus, ut objectionibus, quas indicat, satisfaciamus, inde namque veritas catholica confirmabitur.

3. *Fideles nunquam imagines orant. — Orare coram imagine et illi supplicare multum inter se dissident.* — Primo ergo Ecclesiam novitatis accusat per hæc verba, «quod illas» (id est, imagines) «adorare, quod illis supplicari, quod aliquam sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum.» In quibus verbis oportet, vel falsa a veris discernere, vel obscura et ambigua declarare, ne vana sit contentio, et ubi non est, error cogitetur vel fingatur. Et imprimis verbis illis, «Quod illis supplicari,» significatur esse in Ecclesia, vel ab illa approbari consuetudinem orandi imagines, vel illis supplicandi; hoc autem non ita est, in nullo enim decreto ecclesiastico, vel gravi scriptore catholico ille modus loquendi invenietur. Imo concilium Tridentinum, sess. 25, Decreto de Vener. imaginum, expresse dicit, «habendas et retinendas esse imagines, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda.» Notum est autem omnes Catholicos hujus sacri Concilii doctrinam indubitanter amplecti; ergo falso attribuitur Catholicis, quod imagines ipsas orent, et ab ipsis petant. Erravit autem fortasse qui hoc dixit, quia idem esse credidit, orare coram imagine, et illi supplicare, cum tamen longe diversa sint. Nam fidelis, qui orat coram imagine Virginis, verbi gratia, mentem habet in Virgine fixam, et illam precatur, et non imaginem, licet illam oculis corporis conspiciat. Non enim ignorat solum illum esse orandum, qui possit preces audire et facere, vel intercedere prout rogatur; orat tamen nihilominus coram imagine, ut ad majorem devotionem et attentionem illius conspectu moveatur. Supplicaret autem imagini, qui ab illa peteret tanquam ab auditum et mentem

habente, quod non solum Catholici instructi in fide, verum etiam nec rustici homines cogitare possunt, et ideo licet coram imaginibus oremus, non tamen imagines ipsas. Coram illis autem orare antiquissimum in Ecclesia fuit, ut intelligi potest ex liturgia Chrysostomi, et aliis, atque etiam ex historiis quas infra adducemus.

6. *In imaginibus nullam sanctitatem intrinsecam agnoscunt Catholici.*—Deinde in verbis illis, «Quod aliquam sanctitatis opinionem affingi illis oporteat,» non solum antiquis, ut ibi dicitur, sed etiam præsentibus omnibus fidelibus, ac vere Catholicis inauditum quidpiam a Protestantibus, regi in ac re sicut in aliis perniciose imponentibus, falso tribuitur, nisi fortasse in verbo sanctitatis aliqua vel ignorantia, vel deceptio lateat. Nam imprimis idem Concilium Tridentinum, citato loco pariter dixit: «Non quod credatur, aliqua inesse in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendæ.» Ubi excludendo ab imaginibus divinitatem, principaliter excludit veram sanctitatem per essentiam: dum vero ait non habere aliquam divinitatem, significat, neque veram aliquam participationem divinæ excellentiæ, et sanctitatis eis inesse. Hocque magis declarat, dum subjungit, non esse in eis virtutem aliquam, nam perinde fuit ac si diceret, non esse in eis veram sanctitatem etiam creatam. Ergo illa opinio sanctitatis affictæ imaginibus commentum est Protestantium, qui Regi imposuerunt, nam a Catholicorum sensu aliena est, cum sit in orthodoxo Concilio damnata.

7. Dixi autem, «nisi in verbo sanctitatis aliquid lateat.» Nam, juxta doctrinam Augustini, lib. 2 de Peccatorum merit. et remission., cap. 26, «non unius modi est sanctificatio,» et sic etiam «multi modi sunt sanctitatis,» ut idem Augustinus dixit, serm 14, de Verbis Apostoli, c. 9. Nam etiam communes cibos per verbum Dei et orationem sanctificari dixit Apostolus, 1 ad Timoth., 4, et de pane benedicto, qui olim catechumenis dabatur, dicit idem Augustinus, sanctum esse, et sanctiorem quam sint communes cibi, etiam privatim benedicti; et panes

propositionis in lege veteri dicebantur sancti, et arca fœderis sancta censebatur, juxta illud Psalm. 98. «Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est,» quod ad litteram recte de arca intelligitur, quæ scabellum pedum Domini dicitur, 1 Paralip., 28. Et Arca testamenti vocata est arca santificationis, Psalm. 131. Et dies festivi dicuntur «sancti et venerabiles,» Exodi, 12; et vestes sacerdotales dicuntur sanctæ, Exodi, 28. Denique templum ipsum, et maxime sacratior pars ejus, et sacra vasa, et alia cultui divino dicata, sancta dicebantur. In his ergo omnibus aliqua sanctitas cogitanda est, quia nihil nominatur sanctum, nisi ab aliqua sanctitate. Non est autem illa sanctitas vera, seu formalis, et intrinseca (ut aiunt), sed habitudo quædam ad veram aliquam sanctitatem, ut Theologi latius declarant.

8. *Imagines dicuntur sanctæ ab extrinseco.*—Cum ergo dicitur oportere aliquam sanctitatis opinionem de imaginibus concipere, si non de vera sanctitate, quæ propria est intellectualium rerum, sed de analoga, et quasi metaphorica sanctitate, per habitudinem, seu denominationem (ut aiunt) extrinsecam intelligatur, id non solum sine rubore aut metu tanquam verum admittimus, sed etiam a Patribus traditum, et ratione naturali evidens esse, suppositis maxime fidei principiis ostendemus. Nam sacræ imagines, eo ipso quod ad repræsentandas personas vere sanctas, formatæ, et ad honorem aliquem eisdem sanctis exhibendum, et ad decentem et religiosum ornatum templorum, et ad spiritualem profectum animarum institutæ ac deputatæ sunt, inter res sacras merito censeri debent. Unde sicut loca, vasa, et vestimenta sacra, et alia proxima divini cultus instrumenta sanctitatem quamdam extrinsecam, ut dixi, participare censentur, et ita passim in Exodo et Levitico, et aliis locis Scripturæ sanctæ vocantur, ita etiam imagines Sanctorum his rebus sacris in hoc genere sanctitatis æquiparantur. Quod sæpe tradit Concilium Nicænum II, et specialiter in act. 2, Adrianus Papa, in epist. ad Imperatores: «Non est dubitandum» (inquit)

«omnia, quæ in Ecclesiis Dei ad laudem et decorem domus illius constituuntur, sancta et colenda esse.» Atque id ex similitudine rationis facile intelligi potest, et ex Sanctorum testimoniis, quæ statim referemus, magis constabit (1). Declarari denique potest humana et morali ratione, ac exemplo imaginis regiæ quo in hac materia sæpe utuntur Sancti; nam imago regis non est quidem rex, neque in se veram regis excellentiam habet; tamen quia regem repræsentat, et quasi vicem ejus sustinet, tanquam quid regale æstimatur, et ideo peculiarem quamdam reverentiam sibi conciliat; ergo altiori modo et ratione imagines Sanctorum, quatenus ipsos repræsentant, umbram quamdam sanctitatis participant, ratione cujus sanctæ et sacræ per quamdam analogiam nominantur. In his ergo duobus punctis nihil amplius immorari existimo necessarium.

9. *Latriæ cultum imaginibus exhibere prohibitum est.*—Venio ad verbum «adorandi,» quod ad substantiam causæ, ut sic dicam, spectat. In quo iterum adverto mutasse regem verbum venerandi, quo in principio confessionis suæ uti cœperat, in verbum adorandi, ut exaggeret vel magis apparentem reddat reprehensionis causam. Nos autem, ad verbi invidiam et amphibologiam tollendam, sicut in reliquiis fecimus, ita etiam hic interrogamus quid per verbum adorandi significare voluerit. Nam si illo utitur, ut antonomastice significat supremum et absolutum latriæ cultum soli Deo debitum, fatemur quidem ingenue inauditum esse antiquis, oportere imagines adorari. Imo nos addimus, non solum esse inauditum, sed etiam sæpissime negatum, non solum ab antiquis, sed etiam ab illis Patribus, quos rex ipse recentiores appellat, etiamsi ante mille annos præcesserint. Gregorius enim, lib. 7, in dict. 2, ep. 53, ad Secundinum, qui ab illo imagines petierat, ejus laudans desiderium, ait: «Scio quod imaginem Salvatoris nostri non ideo

(1) Methodius, Orat. 2, de Resurrect.; Basilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 18.

petis, ut quasi Deum colas, sed ut ob recordationem Filii Dei, in ejus amore recalescas, et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus per imaginem, aut natum, aut passum, sed in throno sedentem recordamur.» Et infra, ep. 109 ad Serenum, et latius lib. 9, ep. 9, ad eumdem, illum reprehendit eo quod imagines confregerit; zelum autem laudat, quoniam putaverat non esse adorandas, utique tanquam deos, seu tanquam idola, in quo aliqui errabant; ait autem Gregorius illos fuisse docendos et instruendos, ob privatum autem errorem non fuisse imagines confringendas.

10. Et in hoc sensu sæpe utuntur verbo adorandi antiqui Patres, ut supra annotavi, et in eodem dicitur in septima Synodo, act 7, in definitione fidei, «secundum nostram fidem non exhiberi imaginibus veram latriam.» Et inferius Tharasius, in epist. ad Constantinum et Irenem, licet utatur verbo «adorandi,» statim explicat, non intelligere de divina adoratione, et ideo ostendit verbum «adorandi,» juxta græcam proprietatem, minores etiam adorationes comprehendere. Et in eodem Concilio, action. 3, Constantinus, Constantiæ Episcopus, qui Iconomachus fuerat, abjurando hæresim, ita loquitur: «Complector venerandas imagines, adorationem autem, quæ fit secundum latriam, hoc est Dei culturam, tantummodo Trinitati conservo;» et Adrianus Papa, in Epist. ad Constantinum et Irenem, et in altera Epistola ad Tharasium, accurate distinguit modum venerandi imagines, et interdum verbum «adorandi,» singulariter Deo tribuit, comparatione utique imaginum, quas dicit esse honorandas, licet interdum etiam dicat esse adorandas. Denique Concilium etiam Tridentinum, citado loco, imaginibus dixit, «debitum honorem, et venerationem impertiendam; per illas vero» (ait) «Christum adoramus, et Sanctos veneramur.» Sumpto igitur adorandi verbo in hac restricta significatione, immerito rex Ecclesiæ Catholicæ attribuit, quod imagines adoret vel adorandas esse doceat. Incredibile autem videtur, regem Angliæ tanta ignorantia rerum Romanarum laborare, ut

sibi persuaserit, Romanam Ecclesiam hoc modo adorare imagines, aut Concilia, et Patres, qui pro imaginum veneratione pugnarunt, in hoc sensu fuisse locutos. Neque magis credibile est, per calumniam voluisse regem hoc crimen Catholicis imponere. Est ergo verisimilius, credere regem, quamcumque venerationem imaginum, præsertim sub specie sanctitatis et religionis, esse pravam, et inseparabilem ab idololatria, et ideo verbum adorandi in latiori significatione usurpasse.

11. *Imaginum adoratio ab Apostolis inchoata.*—Si ergo rex verbum adorandi in generali significatione, et de quacumque sacra veneratione intellexit, profecto non minus mirabile est quomodo ausus fuerit dicere, inauditum esse antiquis imagines adorari, seu adorandas esse, cum oppositum tam sit vulgare et evidens, ut vix possit ignorari. Nam imprimis in prædicta septima Synodo, et a Damasceno, in libris de Imaginibus, et ab Adriano I, Pontifice, lib. de Imaginibus contra libros Pseudocarol., et Jona Aurelianensi, et ab aliis recentioribus, tam multa ex antiquis Patribus ad hujus fidei et consuetudinis antiquitatem ostendendam allata sunt, ut nullus, qui ea legerit, dubitare possit hanc esse traditionem a temporibus Apostolorum inchoatam, et per continuam seriem ac successionem perpetuam in Ecclesia retentam. Primo enim ipsummet Christum imaginem sui non manu factam ad Abagarum misisse in edessam, antiquæ historiæ ecclesiasticæ referunt: Evagrius, lib. 4 Hist., c. 26; Nicephor., lib. 2, cap. 7; et Damasc., lib. 4 de Fide, c. 17; et recipitur in dicto Concilio Nicæno II, act. 5; et defentibur ab Adriano Papa, epist. 3, ad Carolum Magnum, cap. 18, qui etiam affirmat Stephanum Papam, prædecessorem suum, illam historiam approbasse.

12. Deinde in eodem Concilio Nicæno II, act. 1, Gregorius quidam, Episcopus Pessinuntis, refert canonem Apostolicum de imaginibus in templis collocandis, editum in Concilio Antiocheno, tempore Apostolorum coacto, cujus meminit Innocentius I, ep. 18 ad Alexandr., illiusque canones, ex inventis a

Pamphilo in Bibliotheca Origenis, refert Turrianus, lib. 1 contra Magdeburgenses, c. 25, ubi hunc canonem de imaginibus plenius refert, quam in septima Synodo referatur, et sic habet: «Ne decipiantur salvati» (id est fideles) «ob idola, sed pingant ex opposito divinam humanamque manu factam, impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiusque servorum, contra idola et Judæos, neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis.» Ubi obiter notari potest, tantum abesse ut imagines sint idola, ut potius ad confutationem idolorum introductæ sint, et veluti ad medium inter judaismum et gentilismum tenendum, ut infra explicabo. Nota item est historia de antiquissima imagine Salvatoris, Cæsareæ collocata, a femina quam Dominus a profluvio sanguine liberavit, Matth., 9, quam refert Eusebius, lib. 7 Histor., cap. 14, qui addit non esse mirum, hoc effecisse feminam illam, in recognitionem accepti beneficii, «cum et nos» (ait) «Petri et Pauli Apostolorum, et Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas conservatasque aspexerimus.» Eamdem historiam de statua Christo erecta a prædicta muliere in memoriam beneficii refert Nicephorus, lib. 10, cap. 3, et addit a Juliano Apostata fuisse ablatam, et contumeliose confractam, Christianos vero, sicut potuerunt, illam in Ecclesiam transtulisse, et cultu convenienti prosecutos esse.

13. Constantinum præterea, cum ecclesias ædificare cœpit, eas simul variis imaginibus et statuis argenteis Apostolorum et aliorum Sanctorum ornasse, memoriæ proditum est a Damaso Pontific., in Sylvestro, et a Paulino, epist. 12, et aliis. Ad hæc Augustinus, 22, contra Faust., c. 73, commemorat, imaginem Abrahæ sacrificantis filium multis locis fuisse depictam, et lib. 1 de Consensu Evangelistar., idem affirmat de imaginibus Christi et Apostolorum Petri et Pauli. Ambrosius etiam, epist. 57, cum Gervasio et Protasio apparuisse sibi personam gravem, «quæ similis» (inquit) «erat Beato Paulo, cujus me vultum pictura docuerat,» id est, imago Pauli, quam familiarem habuisse

videtur. Quod etiam de B. Chrysostomo refert Damascenus, orat. 1 de Imaginibus, dicens: «Habebat autem effigiem Apostoli Pauli in imagine, in loco, ubi propter corporis imbecillitatem quiescebat.» Gregorius etiam Nyssenus, oration. in Theodorum Martyrem, refert, certamina Sanctorum Martyrum, et eorum Præsidis Christi, tanquam in libro quodam potuisse in ecclesiis legi, coloribus artificiosis depicta. Et Sanctus Basilius, Homil. de Sancto Barlaam, quæ est 18, postquam lingua sua Martyris fortitudinem depinxit, sic concludit: «Exurgite nunc, o præclari athleticorum gestorum pictores. Mutilam ducis imaginem vestro illustrate artificio, et obscurius a me depictum coronatum athletam vestræ industriæ coloribus conspicuum reddite. Abibo certaminum ac victoriarum Martyris a vobis posita imagine victus, gaudebo tali hodie per vestram dexteritatem victoria superatus.» Et infra: «Pingatur in tabula una, et certaminum agonotheta Christus, cui sit gloria in sæculorum sæcula.

14. Legi etiam potest Nazianzenus, orat. 23, circa principium, ubi commemorat Angelos, cum corporea forma, vestitu candido, solitos fuisse depingi, «ad significandum» (inquit) «naturalem ipsorum puritatem.» Et idem usus imaginum colligitur ex eodem, epist. 49 ad Olympium, et infinita alia ex Patribus et historiis afferre possemus. Quod si fortasse Protestantes prædictas historias ut incertas rejecerint, nihilominus scripta Patrum et testimonia, quæ usum imaginum supponunt et probant, negare non possunt. Deinde licet in una vel alia historia possit esse aliquis error, seu defectus veritatis, tamen ubi tot concurrunt exempla, multis et gravissimis testibus confirmata, valde temerarium esset omnia falsitatis arguere, propter solam pertinaciam propriæ opinionis, sine alia probatione. Denique licet Protestantes hæc non admittant, saltem sine ullo fundamento astruent, cultum imaginum fuisse ab antiquis inauditum.

15. *Evasio refellitur.* — Dicent fortasse, prædictis historiis et testimoniis probari quidem usum imaginum, non autem cul-

tum vel adorationem, de qua rex præfatis in locis loquitur. Advertant autem, obsecro, non quemcumque usum politicum et privatum, sed ecclesiasticum et sacrum, ex dicta traditione demonstrari, et cum eo conjunctam esse venerationem imaginum, quæ sæpe in eisdem locis expresse ostenditur. Quod quidem Patres septimæ Synodi diligentissime expenderunt, et ideo, postquam in act. 7, exhibendam esse imaginibus salutationem et honorariam adorationem definissent, protinus addiderunt: «Sic enim Sanctorum nostrorum Patrum optima disciplina, et Ecclesiæ Catholicæ habet traditio;» et in fine exclamavit sancta Synodus: «Omnes sic credimus, hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum. Nos antiquæ Ecclesiæ legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus.»

16. *Finis imaginum. — Oratio nullo modo tendit in imaginem, adoratio vero proxime versari circa illam potest.* — Potest autem hæc veritas ita declarari, nam imagines quidem non sunt per se ac principaliter factæ, ut adorentur, sed potius ut per eas colantur et honorentur personæ quas repræsentant, simulque ut ad sacrum templorum cultum, et ad spiritualem utilitatem fidelium inserviant. Hinc autem necessitate quadam etiam naturali rationi conformi, ortum est, ut ipsæ etiam imagines venerandæ sint, et debito honore tractandæ. Quod fieri potest duplici modo et ratione. Primo, quia in eis et per ipsas adorantur prototypa, ad quæ intentio adorantis præcipue fertur, ut Concilia Nicænum et Tridentinum declararunt. Unde fit, ut qui sic adorat Christum, verbi gratia, in imagine, id faciat simul venerando imaginem, circa illam signum venerantiæ exercendo, ut osculando, salutando, etc. In quo est notandum discrimen inter orationem, et adorationem: nam oratio sive mente, sive voce fiat coram imagine, nullo modo ad imaginem pertinet, neque illam (ut ita rem explicem) contingit, quia ad intelligentem solum potest immediate referri; adoratio vero, quæ per actionem corporis exhibetur, licet dirigatur ad personam, proxime

exerceri potest circa rem distinctam a persona, quatenus illi conjuncta est, vel re ipsa, ut est vestis, vel thronus in quo rex sedet, vel habitudine, ut est imago, reliquiæ, et similia. Et ideo quando per hæc quasi instrumenta adorantur personæ, necesse est ut etiam ista instrumenta seu imagines aliquo modo coadorentur.

17. *Solæ intellectuales creaturæ propter se coluntur.* — Alio modo possunt et debent imagines cum veneratione tractari, quoties actio aliqua circa illas exercetur, etiamsi tunc propria et formalis adoratio personæ non fiat, sed solum spectetur imago ut res quædam sacra, quæ cum debita veneratione tractanda est, sicut ad alias res sacras «reverenter accedimus,» ut septima Synodus in sua definitione dixit. Et sic etiam dixit Gregor., libr. 7, indict. 2, epistol. 5: «Sublata, cum ea, qua debitum est, veneratione, imagine Genitricis Dei, et Cruce.» Et nihilominus hæc etiam reverentia respectiva est respectu imaginis, quia tota exhibetur propter rem repræsentatam. Atque ita fit ut tota hæc veneratio imaginum sit diminuta, et secundum quid, respectu venerationis prototyporum. Et consequenter efficitur ut veneratio imaginum quorumcumque Sanctorum Angelorum, et hominum, infra Christum Dominum, non solum deficiat a vera latria, sed etiam a propria dulia simpliciter dicta, quæ est absoluta veneratio propter propriam excellentiam. Unde veneratio etiam quæ exhibetur imagini Christi, licet cum ipsius Dei adoratione sit conjuncta, non tamen est absoluta latria, prout circa imaginem versatur, sed respectiva, et secundum quid, quia tota tendit ad Deum, et in ejus excellentia fundatur. Et hac ratione interdum dicunt Patres, solas intelligentes personas esse venerandas vel adorandas, utique absolute, et propter se; aliquando vero asserunt etiam res inanimes posse adorari, cultu scilicet respectivo, et propter aliud, ut videre licet in dicta epistola Adriani ad Constantinum et Irenem, et sæpe in aliis locis ejusdem Concilii. Et sic etiam dixit Augustinus, lib. 3 de Trinit., cap. 10, «signa mirabilia operum Dei, præsertim di-

vina virtute facta, et permanentia, et stuporem habere tanquam mira, et honorem tanquam religiosa; quæ vero ab hominibus fiunt, honorem habere posse tanquam religiosa, licet stuporem non efficiant.»

18. *Veneralionem imaginum esse æque antiquam atque earum usum, concluditur.* — Sic ergo intellecta hac imaginum veneratione, recta ratione concluditur, tam esse antiquam in Ecclesia, quam est antiquus sacer imaginum usus, ut recte dixit Nicephor. Constantinopolitanus, in dialogo orthodoxo de imaginibus, apud Turrianum supra, ubi inter alia inquit: «Cum quærit hæreticus ubi scriptum sit de adoranda Christi imagine, respondendum est ibi scriptum esse ubi scriptum est, adorandum esse Christum, quia imago unum est cum prototypo, non natura, sed habitudine, et ideo communionem etiam habet, et nominis, et honoris,» modo utique prædicto. Quam doctrinam, Athanasii auctoritate et aliorum Patrum confirmat. Potest præterea idem colligi ex ipso antiquo usu sacrarum imaginum; nam in templis et altaribus collocatæ semper fuerunt, ut ex testimoniis citatis constat, et epis. 3 Adriani Papæ ad Carolum Magnum; hoc autem pertinet ad religiosum cultum, et venerationem; præsertim, quia etiam in sacris calicibus ponebantur, ut constat ex Tertulliano, in lib. de Pudicitia, cap. 7 et 10. Item in sacris litaniis, et processionibus consuetum fuit, imagines crucis et Sanctorum deferri; et Beda, lib. 1 Historiæ Anglorum, cap. 25, refert, Augustinum, et socios ad prædicandum Evangelium, ingressos fuisse, «crucem pro vexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam.» Idem etiam ostendit usus accendendi lumina coram imaginibus, ut ex Fortunato, lib. 4 de Vita Sancti Martini, in fine, colligitur (1).

19. *Sacrarum imaginum veneratio ex miraculis comprobatur.*

(1) Notavit Baronius, anno Christi 402, n. 53.

—Accedit sæpe probasse Deum hanc venerationem imaginum, miraculis, seu signis mirabilibus, quale fuit in illa Christi imagine Cæsareæ collocata per modum statuæ, quod ad ejus pedem quædam herba exorta, cum fimbriam ejus crescendo attingeret, vires ad pellendum morbos accipiebat, ut historici, et Patres supra allegati referunt, et Gregorius Turonensis, lib. 1 de Gloria Martyrum, cap. 21, et similia divina beneficia facta per imaginem Christi ad Abagarum missam referunt historiæ supra citatæ. Huc etiam spectat, quod sæpe sola unctione olei lampadum ardentium coram imaginibus, infirmi sanati sunt, ut constat ex Fortunato supra, et aliis. Item satis admiratione dignum est, quod Damascenus, lib. 3 de Imaginibus, circa finem, refert de Theophilo Alexandrino, qui, propter inimicitias quas cum Chrysostomo in vita gesserat, mori non est permissus, «donec allata fuit imago Chrysostomi, quam ille cum adorasset, spiritum emisit.

20. *Imagines contumelia afficere gravissimum sacrilegium.*— Præterea imaginum sacrarum injuriæ vel contumeliæ semper sunt reputata gravissima sacrilegia contra Sanctorum et rerum sacrarum debitum cultum; ergo signum manifestum a contrario est, cultum eis debitum semper fuisse sacrum existimatum. Consecutio profecto evidens est. Assumptum vero colligimus imprimis ex verbis Simeonis Stylitæ, in epist. ad Imperatorem Justinum, relata in dicta septima Synodo, act. 1: «Omnem (inquit) blasphemiam excedit improbum hoc factum, quod in Deum Verbum pro nobis incarnatum, ejusque gloriosam Matrem, et venerandam, sanctamque Crucem designarunt. Nam cum videamus pias leges vestras, eos, qui imaginem aut statuam imperatoris ignominia afficiunt, extremo et justo mortis supplicio plectere, qua tandem pœna puniendi sunt, qui in imaginem Domini nostri, ejusdem Matrem nefando facinore grassati sunt?» Ubi clare sentit, excedere hoc delictum injuriam civilem, etiam in personam imperatoris redundantem. Unde interdum acerbitas hujus criminis cœlesti signo monstrata est, quale fuit copia

sanguinis, quæ ex imagine Crucifixi a Judæo telo confixa manavit, ut refert Sigebertus, in Chronic., anno 560; et Gregorius Turonensis, lib. 1 de Gloria Martyrum, cap. 22. Et quoddam simile ex Athanasio refertur in septima Synodo, action, 4.

21. Denique iidem Patres, eisdem locis loquentes de imaginibus, eas sæpe sacras, sanctas et venerabiles vocant, et interdum verbo adorandi, interdum autem verbo venerandi aut salutandi eas utuntur, ut patet ex proxime allegatis, et ex Anastasio Sinaita, in Orat. de Sacra synaxi, dicente, «non esse satis ingredi in ecclesiam, ac divinas imaginum Sanctorum formas, pretiosasque ac venerabiles cruces venerari, nisi etiam peccatorum sordes confessione et lacrymis abluantur. Quam orationem in latinum conversam. Pontifici Gregorio XIII Achilles Statius Lusitanus obtulit, ut refert Baronius, anno Christi 599, num. 9 et 10. Qui etiam, anno 656, ex actis et vita Sancti Maximi, refert pulchram historiam et colloquium inter Maximum, et quosdam legatos imperatoris ad eum missos, quod his verbis concluditur: «Postea surrexerunt omnes cum lætitiæ lachrymis, et humili reverentia inclinarunt sibi invicem, et oratio facta est. Et unusquisque eorum sancta Evangelia, et pretiosam crucem, et imaginem Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, et Genitricis eius Dominæ nostræ Deiparæ salutarunt. Quæ fere verba commemorat Euthymius, Sardensis Episcopus, in dicta Synodo, act. 4. Et in eis etiam expendi potest juramentum, quod actio sacra et religiosa est, super Evangelia, et imagines, tanquam super res sacras, et religiosa veneratione dignas factum esse.

22. *Ratio naturalis imaginum venerationem commendat.*— Est ergo ex traditione Patrum manifestum, antiquam Ecclesiam cum usu imaginum earum sacram venerationem semper observasse. Et profecto ratio naturalis idem demonstrat, quia talis est honor, qualis est excellentia in qua fundatur; ratio autem venerandi imagines Christi vel Sanctorum est eadem excellentia, vel sanctitas prototyporum; ergo earum veneratio ad eum-

dem ordinem seu ad eamdem virtutem spectat, ad quam honor talium personarum pertinet, quia ad eas omnino refertur. Sicut honor imaginis regiæ, regius quodammodo est, et illius injuria ad crimen læsæ majestatis pertinere censetur, quo exemplo et argumento, ut dixi, Patres et Concilia utuntur.

CAPUT XII

Objectionibus regis contra imaginum venerationem satisfit

1. At rex Jacobus mirari non desinit, «quod hominum ingenium, quæ Satanæ fraus, hoc tam audax commentum Ecclesiæ Christianæ obtrudere attentarit (1). Vehementerque ambigit, pag. 59, «an in ultimo judicio excusationes istius modi, ex illis argutiarum ineptiis petitæ, Christo idololatriam exprobranti, probandæ sint.» Hæc fere sunt verba regis, quibus prudenter, et pro causæ dignitate, obviare mihi difficilius est, quam fortissimis et clarissimis rationibus aut testimoniis respondere. Nam si leviter id egero, timeo ne fidei Catholicæ causam, remissius quam par sit, agere videar; si vero tantæ verborum acerbitati eadem loquendi libertate me opponam, vereor ne inde rex alicujus offensionis occasionem sumat; ideoque satius duco, hujusmodi verba, quæ rationem ad causam pertinentem non continent, præterire, et objectionibus quas rex innuit, satisfacere. Prius tamen serenissimum regem monere non omittam, ut consideret quam sit securius Catholicæ Ecclesiæ, Conciliis, ac Patribus antiquis simpliciter credere, quam de eorum sententia et auctoritate proprio arbitrio judicium ferre. Quamobrem iterum atque iterum humiliter obsecro, ut consilium, quod aliis præbet, sibi accipiat, mediteturque attentissime, quam ratio-

(1) In Præfat., pag. 49.

nem, vel (ut ipse loquitur) defensionem aut excusationem in ultimo judicio Christus Servator noster accepturus est, an illius qui in Deo, Sanctis, et eorum imaginibus colendis, vestigia Patrum sequitur, eorumque doctrinis operationes suas accommodat; an vero illius qui novos doctores antiquis præfert, et proprio judicio traditiones Patrum damnare non veretur.

2. *Objectio prima. — Secunda. — Tertia.* — At inquit rex obediendum esse Deo potius quam hominibus; Deos autem in Scripturis omnem imaginum adorationem, omnisque rei a Deo conditæ similitudinem coli vetat. Deinde omnis imago est idolum; idolum enim non est nihil, «non enim nihil fuit, cui Deus cultum deferri interdixit»; ergo omnis imago Dei, aut cujuscumque rei creatæ est idolum; ergo omnis adoratio imaginis est adoratio idoli, ac subinde idololatria. Tandem neque serpens æneus, neque corpus Moysis nihil erant; ille tamen contritus est, et hoc absconditum.

3. *Primæ objectioni satisfit.—Imaginum veneratio nullo præcepto divino positivo prohibetur.*—Respondetur, fieri non posse ut quod Ecclesiæ Catholicæ definitio ac traditio approbat seu præcipit, divino præcepto contrarium sit, cum Ecclesia ab Spiritu Sancto regatur, et Spiritus Sanctus non possit sibi ipsi contraire. Negamus ergo imaginum usum et venerationem esse contrariam divino præcepto. Nam vel illud præceptum ex novo Testamento allegatur, aut ex veteri, in novo ostendi non potest, nisi fortasse existimetur inclusum in prohibitione idololatriæ, quod frivolum et vanum esse statim ostendemus. Si autem ex veteri Testamento allegetur, interrogabo rursus, utrum afferatur tanquam positivum illius legis mandatum, vel tanquam naturale. In priori enim sensu, nolumus examinare an in lege veteri fuerit tale præceptum positivum, necne, quia hoc ad dogmata fidei non pertinet. Nam illo dato, inde inferre, venerationem imaginum, quam Ecclesia approbat, esse contra divinum præceptum, judaicum continet errorem; quia si tale præceptum positivum fuit, cæremoniale fuit; aut ergo creditur nunc

obligare, et hic est judaicus error; nam secundum fidem cæremonialia mortua sunt, imo et mortifera; vel creditur esse abrogatum, et sic non potest ratione illius veneratio imaginum reputari contraria divino præcepto, quia præceptum abrogatum jam non est præceptum, neque opus, illi contrarium, voluntati legislatoris repugnare dici potest.

4. *Nullum datur præceptum naturale imaginum venerationem prohibens.— Ex locis Exodi 20, et Deut., 5, nihil concludi ostenditur.*— Si vero præceptum illud reputetur naturale et morale, negamus inveniri tale præceptum in Testamento veteri. Maxime enim sumi potest ex verbis Exodi 20, et Deuter., 5: «Non facies tibi sculptile, neque similitudinem omnem, quæ est in cœlo desuper, et in terra deorsum, neque eorum qui sunt in aquis sub terra.» In his autem verbis, vel non omnes rerum imagines, sed solum ordinatæ ad indebitum cultum (ut multi probabiliter credunt, etiam ex antiquis Patribus) prohibebantur; et sic quidem præceptum erat naturale; negamus tamen sub illo comprehendi Sanctorum imagines; ille enim non ad indebitum, sed ad honestissimum cultum, institutæ sunt, ut ostendimus. Vel illo præcepto omnes imagines simpliciter et absolute, et propter quemcumque usum institutæ (ut alii volunt) prohibitæ sunt, et sic præceptum non fuit naturale, et ita nihil ex illo inferri potest ad præsentis temporis obligationem, ut jam declaratum est. Et Protestantes, qui illud in hoc sensu allegant, et nihilominus esse præceptum morale affirmant, probare id certe non possunt ex Scriptura; nam in illa hoc non dicitur; apud illos autem nulla alia probatio firma est, nec nos illam admittere tenemur. Verumtamen etiam non est sufficiens conjectura, quod verba illa in promulgatione Decalogi inserantur: nam ibi etiam multis verbis proponitur præceptum tertium de observatione sabbati, quod nihilominus quoad talem temporis determinationem non morale fuit, sed cæremoniale. Deinde nullus est Sanctorum Patrum, qui illa verba, in dicto absoluto sensu intellecta, dixerit continere præceptum morale

naturale, et non potius positivum illi tempori accommodatum. Denique nulla verisimili ratione ostendi potest, illam prohibitionem esse ex intrinseco dictamine legis naturalis.

5. Et certe ipse etiam rex hoc idem concedere cogitur; ait enim aliquem usum imaginum non esse prohibitum nunc, et consequenter nec naturali jure, idemque necessario fatetur de imaginum effectione; cum tamen verbum absolutum Dei fuerit: «Non facies tibi sculptile»; ergo vel per illa verba non fuit tantum prohibitum illud, quod erat per se malum, et ita continebant præceptum positivum quod cessavit; vel, si dicatur per illa non esse prohibitum absolute facere imagines, sed facere ad venerationem, pari ratione restringi verba debebunt ad venerationem indebitam, seu superstitiosam. Non enim omnis veneratio imaginum de se mala est, aut honori divino contraria, ut in superioribus ostensum est, et in sequenti puncto amplius declarabitur. Et ideo qui verba illa intelligunt de absoluta prohibitione imaginum, consequenter dicunt effectionem, et usum imaginum et statuarum ita fuisse prohibitam, ut illas per se depingere, aut fabricare non liceret; hoc autem manifestum est, non esse juris naturalis, quamvis potuerit esse positivi, quod modo non curamus, quia nihil ad præsentem causam refert.

6. *Satisfit secundæ objectioni. — Discrimen inter idolum et imaginem.— Veneratio imaginum ab idololatria longissime distat.* —In altera parte confundit rex idolum cum imagine, et in hoc fundat objectionem, quæ proinde parvi est momenti: nam sacræ imagines Christi et Sanctorum, idola non sunt, et oppositum in septima Synodo, act. 7, damnatum est. Quamvis enim simulacra gentium, quæ idola erant, revera imagines fuerint, non propterea quælibet imago idolum est, sed illa tantum «quæ est Dei falsi simulacrum», ut dixit Augustinus, lib. Quæst. in librum Judic., 441. Et idem fere sensit Tertullianus, lib. de Idololatria, c. 4, dicens, «idola esse imagines earum rerum, quas colit humanus error», quanquam hæc verba generaliora

sunt, et comprehendunt omnem imaginem inventam vel propositam, ad colendum id quod non est cultu, aut veneratione dignum. Est ergo differentia inter idolum et imaginem, quod idolum est falsa imago, id est, rei quæ non est, vel quæ non est adoratione digna, ut communiter Patres de idolis scribentes interpretantur; imago autem dicitur, etiamsi veram repræsentationem habeat. Restringendo autem generalem rationem imaginis ad sacras et ecclesiasticas imagines, de ratione illius est, ut sit de re vera et vere sancta, ac proinde vere digna adoratione. Et sic dixit Adrianus Papa, in epist. ad Constantinum et Irenem, in septima Synodo, Act., 2, «imagines tantum ob recordationem Sanctorum pingi, venerari et coli, quos clare constat servos esse Dei, et pro nobis apud Deitatem obsecrari et intercedere.» Unde etiam constat quantum distet veneratio imaginum sacrarum ab idololatria; nam omnis cultus idololatriæ vel sistit in idolo tanquam in vero Deo, vel per simulacrum tendit ad colendum pro Deo, eum qui non est, vel ad colendum ut numen, impium aliquem, seu dæmonem; veneratio autem imaginum tendit, vel proxime in honorem Dei, vel saltem alicujus personæ vere sanctæ, qui tandem in Dei etiam honorem redundat.

7. *Qua ratione idolum dicatur nihil.* — Neque contra hoc obstat, sive idolum dicatur esse aliquid, ut rex contendit, sive esse nihil, ut ipse Catholicis objicit. Nemo enim unquam negavit idola gentium quoad ipsa corporea simulacra esse res aliquas etiam materiales, et sensibus patentes, quod commune etiam est imaginibus sacris; in hoc ergo sensu idolum aliquid est. Et nihilominus propter falsam representationem dici potest nihil (sicut vocatur a Paulo, 1 ad Corint., 8 et 10) quia res, quam repræsentat, vel nulla vera res est, vel nullam veram excellentiam habet, ob quam sit colenda, ut Origenes, Homil., 8 in Exodum, et aliqui interpretes Pauli illud ejus verbum intellexerunt. Quamvis etiam possit idolum dici nihil, quia nullius est virtutis aut potentiæ, ut ibi interpretatur Chrysost., ho-

mil. 20, quem Theophylact. et alii sequuntur. Et sic etiam asseruit Augustinus, 20 contra Faustum, c. 5, ea, quæ colunt gentes, aliquid esse, quia sunt idola, in quibus dæmonia adorantur, vel aliquæ partes mundi, quæ sunt vera corpora, non tamen colenda, «sed ad salutem (ait) nihil sunt.» Sicut alias etiam dixit idem Augustinus peccatum nihil esse, non quia actus peccati nihil sit, sed quia malitia ejus, qua in ratione peccati constituitur, non est aliquid, sed privatio boni. Et simili modo Hieronym., in Oseæ, 7, in fine, dicit, «hæreticos impiissimas hæreses extruentes converti in nihilum», juxta translationem Septuaginta, ibidem, «non quo desierint esse, sed quo comparatione Dei omnes, qui contra Dominum sapiunt, non esse dicuntur: nam si Deus est veritas, quidquid contrarium veritati est, mendacium est, et nihil nominatur.» Et ita etiam intelligit ibidem illud Esth., 14: «Ne tradas sceptrum tuum iis, qui non sunt. Haud dubium (ait) quin idola significet»; nimirum, quia falsa sunt, et mendacium, ut tale est, nihil est. Est ergo idolum res aliqua, ut imago et materia quædam est, et est nihil, quatenus nihil est quod repræsentat, sive sit omnino nihil, seu nulla vera res, sive sit nihil quatenus aliquid divinum aut sanctum repræsentatur, quod vere sanctum non est. Et hinc habet idololatria quod mala sit, et quod idololatria sit, et ideo multum ab illa differt sacrarum imaginum veneratio.

8. *Adoratio alicujus creaturæ est Scripturæ consentanea.*— Verum hujusmodi responsiones a rege despiciuntur tanquam sophistica et arguta effugia; «nam Scriptura (inquit) omnis rei a Deo conditæ similitudinem coli vetat.» Sed nihil nos movent verba regis, tum quia distinctiones illæ non sunt a nobis inventæ, sed a Patribus; tum etiam quia sunt rationi naturali valde consentaneæ. Ad Scripturam vero imprimis respondemus, juxta Patrum et Ecclesiæ traditionem, rectamque rationem esse intelligendam. Deinde negamus Scripturam prohibere omnis similitudinis rei conditæ venerationem; nullibi enim potest hoc præceptum ostendi, nisi forte in prohibitione faciendi sculptile,

omnemque similitudinem, intelligatur inclusa. Et tunc ad responsionem datam revolvimur. Nam vel fuit positiva, et nunc non obligat, vel si naturalem et moralem obligationem continet, intelligitur de effectione idolorum, seu (quod perinde est) de effectione imaginum, quæ tanquam dii vel tanquam deorum simulacra colantur. Estque hoc ipsi Scripturæ consentaneum, quæ aliquam creaturæ odorationem permittit, vel interdum jubet. Quod argumentum auctoritate Hieronymi confirmat Adrianus Papa, in dicta epist. ad Constantin., afferentis in exemplum «duo Cherubim aurea, et crustas (inquit) illas, quas fabricavit Moyses.» Dicitque Deum concessisse Judæis hæc adorare. Quamvis enim hoc expresse in Scriptura non legatur, tamen id videtur collegisse ex eo, quod erant imagines sacræ, vel certe quia erant veluti partes propitiatorii, quod etiam veneratione dignum erat; et ita in epist. 17, inter Epistolas Hieronymi, quæ est Pauli et Eustochii ad Marcellam, et stylus docet a Hieronymo esse conscriptam, sic dicitur: «Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant cherubim et propitiatorium, et arca testamenti, manna, virga Aaron, et altare aureum»; et additur: «Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini?» quæ posteriora verba declarant priora etiam intelligi de veneratione sacra. De qua clarius dicitur Psalm., 98: «Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est», ubi (ut supra dixi) per «scabellum pedum Domini», arca testamenti intelligitur, et ex ratione adorandi, quæ proponitur, constat sermonem esse de sacra veneratione. Et hanc fuisse Dei voluntatem, patet ex modo quo volebat arcam illam reverenter tractari, Deuteron., 17, et Josue, 3, et 1 Reg., 6. Et ratio sanctitatis, in eisdem verbis data, ostendit res etiam alias dicatas divino cultui, quæ sanctæ in Scriptura vocantur, fuisse simili veneratione tractandas, ut aperte sentit Damascenus, lib. 4 de Fide, c. 17. Non ergo omnis veneratio rei creatæ erat in Scriptura prohibita, sed illa tantum quæ ad cultum veri Dei referri non poterat.

9. *Occurritur objectioni tertiæ.*—Denique ad exempla illa, quæ rex adducit de serpente æneo et de corpore Moysi, respondemus, ex rebus partim incertis, partim ad causam non pertinentibus sumpta esse. Nam, licet verum sit, regem Ezechiam confregisse serpentem æneum, quia filii Israel adolebant ei incensum, ut habetur 4 Regum 18, non est tamen certum fuisse prohibitum in illa lege quocumque modo adorare illum serpentem. Imo multi putant licuisse, et in principio id factum fuisse debito modo, utique venerando in illo, et per illum, Deum auctorem tanti beneficii. Quod potuisse recte fieri testatur D. Augustinus, libr. 3 de Trinitate, cap. 10, et non constat specialiter fuisse a Deo prohibitum: «Postea» vero, ait Augustinus, lib. 10 de Civitat., cap. 8, «cum populus, errans serpentem propter facti memoriam reservatum, tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo serviens cum magna pietatis laude contrivit.» Sic autem facto illo explicato, nihil ad causam de imaginibus Ecclesiæ pertinet, quia imagines non adorantur a fidelibus ut idola, neque hujus mali periculum morale imminet. Et quando aliquis error alicubi contingeret, non fractione imaginum, sed doctrina et luce Evangelii depellendus esset error, et pius imaginum usus conservandus, ut dixit Gregorius, in dicta ep. 9 libri 9. Alii vero existimant, nunquam Judæos veneratos esse serpentem illum, imo id fuisse prohibitum in lege veteri, non naturali præcepto, sed positivo, nec speciali lege, sed illa generali qua probabiliter credunt, tunc fuisse prohibitam omnium imaginum venerationem, populum autem cœpisse agere contra illud præceptum, et ideo Ezechiam ad occasionem tollendam serpentem confregisse. Qua etiam admissa sententia, nihil habet commune illud exemplum cum causa imaginum, tum quia præceptum illud, si fuit, in lege gratiæ cessavit; tum etiam quia occasio errandi, quæ tempore legis erat, ex propensione ad idololatriam, partim ex gentilium consuetudine et exemplo, partim ex ignorantia et infirmitate fidei profecta, tempore legis gratiæ non invenitur,

ut recte notavit Damascenus, dicto libr. 4, cap. 17, et latius orat. 1 de imaginibus.

10. *Satisfit secundo exemplo.*—In alio vero exemplo, de corpore Moysi, solum ex Scriptura habemus mortuum fuisse jussu Dei, et ab eodem sepultum, ejusque sepulchrum occultum fuisse hominibus, Deuteron. ult. Quam vero ob causam Deus voluerit occultare corpus Moysi, Scriptura non declarat; Protestantes vero existimare videntur causam fuisse, ne Judæi occasionem sumerent committendi idololatriam, corpus Moysi vel ejus sepulchrum venerando. Et in hoc videtur fundari regis argumentum, ut saltem propter tollendam occasionem imagines etiam tollendæ sint. Cui imprimis respondere possumus negando illationem et similitudinem, quia jam ostensum est non esse in hac imperfectione Ecclesiam Synagogæ æquiparandam. Alias etiam sepulchra Apostolorum et Martyrum deberent esse fidelibus ignota; imo reliquiæ Sanctorum omnium comburendæ essent, ne fideles ad idololatriam per occasionem inducerent, quod non solum impium, sed etiam ridiculum est.

11. Deinde responderi potest argumentum illud non in Scriptura, sed magis in propria conjectura esse fundatum, et ideo parvi momenti esse. Nam est quidem illa ratio probabilis, ut illam expendit Abulensis, ad illam accommodans altercationem inter Archangelum et diabolum super Moysi corpore, cujus meminit Judas Apostolus, in sua canonica. Et eamdem rationem insinuat Chrysostomus, Hom., 5 in Matth., quamvis non dicat occultasse Deum sepulchrum Moysi propter illam causam, sed ait, «non introduxisse Moysem populum in terram promissionis, ne Judæi illi prorsus tribuerent omnia beneficia, quæ per illum a Deo receperant;» et adjungit: «Ut igitur omnis hujusmodi amputaretur occasio, ipsum quoque est occultum ejus sepulchrum.» Eamdemque rationem indicavit Augustinus, vel auctor operis de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, libr. 1, capite ultimo. Sed nihilominus non est ratio necessaria. Nam idem auctor de Mirabilibus Sacræ Scripturæ addit aliam, vide-

licet, «ut illam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mœrore repressam, nullus videret.» Dici etiam potest id factum esse quasi ad complementum et aggerationem pœnæ injunctæ Moysi, propter culpam diffidentiæ circa fluxum aquæ de petra; illa enim de causa terra promissionis privatus est, Numer. 20, ut recte ponderat Chrysostomus, lib. 4 de Sacerdotio, prope initium; et Augustinus, in lib. 50 Homiliarum, hom. 27, et Enarrat, in Psal. 98, versus finem. Videtur autem voluisse Deus, ad majorem populi terrorem, ut nec vivus, nec mortuus illam terram ingrederetur, ideoque occultavit sepulchrum ejus, ne Judæi ossa illius secum deferrent, sicut ossa Jacob et Josephi transtulerunt. Præterea dici potest occultasse Deum corpus Moysi, ut in majori admiratione et interna reverentia haberetur. Hoc enim insinuavit Hieronymus, Amos cap. 9, dicens: «Ascendit Dominus cum Moyse, cujus sepulturæ locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inveniri.» Denique dici potest, et fortasse securius, hoc esse unum ex his quæ secundum consilium voluntatis suæ operatur Deus, quorum causas invenire non possumus, et quærere supervacaneum est, id quod insinuavit Chrysostomus, orat. 20 ad Hebr., dicens, «quædam antiquorum Patrum ossa translata esse in terram promissam, Moysis autem ossa sita fuisse in terra aliena, et non solum illius, sed etiam Aaronis, Jeremiæ et Danielis. Et similiter,» ait, «quorumdam Apostolorum, ut Petri et Pauli,» etc., «sepulchra novimus, aliorum autem nescimus, cujus rei rationem quærere superfluum esset.» Illa ergo conjectura in tam gravi causa supervacanea etiam est.

CAPUT XIII

De imaginibus Dei ut Deus est

1. *Objectio regis contra imaginis Dei adorationem.—Imag Dei duplex.*—Præter objectiones generales de veneratione ima ginum, duas alias in particulari proponit rex: unam, contr imaginem Dei, utique ut Deus est; aliam contra crucis Christ adorationem; de hac posteriori dicemus capite sequenti, hi prior expendenda est, in qua dicit: «Non solum est prohibitum (scilicet in veteri Testamento) «adorare imaginem Dei, se etiam effingere, additaque ratio, Deum sub nullius unquam as pectum cecidisse.» Verumtamen in hoc puncto vulgaris distinc tio imaginum Dei permittenda est: una est propria, ut si quis velit per depictam formam ad vivum exprimere propriam De formam, seu naturam, quæ dici potest formalis imago; alia verc est metaphorica imago, in qua per aliquam figuram corpoream repræsententur aliquo modo et per analogiam proprietates re superioris, sicut per figuram juvenis, pennas et indumentun album habentis, repræsentantur Angeli.

2. *Propria et formalis Dei imago describi nequit.*—Quoc ergo spectat ad primum genus imaginum, de fide certum est non esse licitum, imo esse stultissimum conari talem imaginem Dei depingere. Quia cum Deus corpore careat, impossibile est per imaginem corpoream, sive sculptam, sive depictam, ad vi vum Deum repræsentare. Et hoc est quod dicitur Isaiæ 40: «Cu similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?» et cap. 46: «Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me, et fecistis similem?» Quæ verba, si attente considerentur, non tam continent prohibitionis formam, quam declarant esse per se malum et impossibile, talem Dei similitudinem aut ima ginem formare. Et ideo non solum in veteri Testamento, sed

etiam in novo, eodem fere modo idem prohibitum est, dicente Paulo, Actor. 17: «Non debemus æstimare auro et argento, aut lapide, sculpturæ artis, et cogitationis hominis Divinum esse simile.» De hoc ergo genere imaginis Dei nulla est controversia, nam in hoc sensu et Patres communiter, quos referre non est necesse, et septima Synodus, Act. 3 et 5, et Scholastici omnes has imagines Dei omnino improbandas, tanquam veræ Dei existimationi contrarias, constantissime docent.

3. *Descriptionem metaphoricæ imaginis Dei, neque malam neque prohibitam esse.*—De altero vero genere imaginum Dei nihil hactenus est certa fide stabilitum, et consulto Concilium Tridentinum de imaginibus Christi, Deiparæ, et Sanctorum agens, nihil de imaginibus Dei dixit; et Concilium Nicænum II, reprobando priores imagines Dei, de posterioribus tacuit, et ita inter catholicos Doctores variæ sunt in hoc puncto opiniones. Cum ergo hic solum de dogmatibus fidei agamus, possemus hanc regis objectionem omittere, ut in hac parte in suo sensu abundet. Quia vero docere intendit talium imaginum usum esse impium, et contra divinum præceptum, et nos credimus, longe probabilius esse neque malum, neque prohibitum, imo honestum esse et magis pium, si prudentes fiat, magisque consentaneum Ecclesiæ usui, ideo utrumque breviter probandum est. Primum ergo ostendimus fere discursu supra facto, quia pepingere talem imaginem Dei non est prohibitum in novo Testamento de speciali præcepto positivo, quia de imagine Dei solum inveniuntur in novo Testamento citata verba Pauli, quæ aperte tantum jus naturale declarant.

4. *Exponuntur loca Scripturæ de imaginibus Dei loquentia.*—Si autem dicatur contineri hanc prohibitionem in veteri Testamento, de illa iterum interrogamus qualis fuerit illa prohibitio; res enim dubia est, tam quoad sensum, quam quoad genus præcepti. Unde si prohibitio dicatur esse moralis, et ex lege naturali, intelligenda erit de imagine propria, et non de metaphorica, quia nulla est verisimilis ratio quæ ostendat esse per se

et intrinsece malum, Deum metaphorice depingere, ut stati-
dicam. Et quidem in locis Isaiæ citatis, in quibus jus ipsum na-
turale explicatur, de propriis imaginibus Dei sermo est; nan
ut notat Hieronymus in c. 40, irridet Isaias stultitiam gentiun
qui putabant idola sua esse Deos, vel propriam Dei formar
repræsentare. Unde ad illa verba: «Cui similem fecistis Deun
aut quam imaginem ponetis ei?» addit Hieronymus, «qui spi
ritus est, et in omnibus est,» etc. In cap. autem 46, reprehen
duntur Judæi gentium stultitiam in hoc imitantes. De hac itei
forma possunt convenienter intelligi verba Moysis, Deuter. 4
«Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis, vocem verbo-
rum ejus audistis, et formam penitus non vidistis.» Quamvi
etiam sensus esse possit, nullam omnino formam vel quasi per
sonam sensibilem vidisse, sed tantum vocem loquentis audi
visse; nam hoc magis indicant alia verba, quæ Moyses infr
repetit: «Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locu
tus est nobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne forte decept
iaciatis vobis cunctam similitudinem.» Et ita est probabile fuisse
bi, et Exodi 20, prohibitum fingere quamcumque imaginen
Dei, sub quovis prætextu, quia rudis ille populus facile existi
maret illam esse propriam formam Dei, vel ipsas statuas u
deos adoraret. Tale autem præceptum sic intellectum positivun
fuit ac cæremoniale, conveniensque illi populo propter imper-
fectionem suam; et ideo nunc jam cessavit, et mutato etian
rerum statu non fuit necessarium, quia illa occasio seu pericu-
lum sublatum est, ut supra dixi. Cujus etiam rei sufficiens sig-
num est, quia in Christi Ecclesia permittitur usus talium ima-
ginum Dei, non solum nunc, sed ante mille trecentos annos, ut
intelligi potest ex variis carminibus quæ de his imaginibus ha-
bet Paulinus, Epist. 12. At Ecclesia non permisisset illas tot
sæculis, si divino jure prohibitæ fuissent.

5. *Instantia regis. — Enodatio.* — Sed instat rex, non solum
propter periculum adorationis, sed etiam propter indecentiam
et inutilitatem, prohibitum esse tales imagines effingere. Nam,

cum Deus» (inquit) «ad vivum exprimi non possit, supervacaeus est labor, conatusque inanis, id falsa adumbratione corrumere, quod imitari non possis; quod nemo, non dico princeps, ed vix quisquam homo plebeius in sua effigie ferre sustineat.» t rationes istæ in Scriptura non leguntur, sed a Protestantius excogitatæ sunt. Et in priore earum quidpiam falsum supnitur, et sanctæ Scripturæ contrarium, ne dicam injuriosum. am si omnes metaphoricæ imagines, quæ ad vivum non posnt imitari prototypa, falsa adumbratione illa corrumpere dinda sunt, «omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum uarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ nt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse endacia,» ut in simili dixit Augustinus, lib. contra Mendaum, c. 10. Sic ergo, quando descendit Spiritus Sanctus in ecie columbæ, vel quando sub specie linguarum tanquam igis missus est, falsa adumbratione forma ejus corrupta est. lemque erit dicendum de imagine Christi sub specie agni, cum men illius imaginis usus antiquissimus in Ecclesia sit. Item nago Angeli sub specie juvenis, etc., esset formæ angelicæ rruptio, quod non solum est contra septimam Synodum, sed iam contra Scripturam, quatenus in illa legimus imagines herubim, Exod. 25, 3 Reg. 6. Imo etiam est contra omnem ctam rationem, quia nos non capimus res incorporeas, nisi star corporearum, ut recte declarant Dionysius, c. 2 et ult. de elesti Hierarch., et Tertullian., in Apolog., cap. 29. Denique nnes sensibiles apparitiones Dei aut Angelorum in Scripturis sent formarum illorum falsæ corruptiones. Quia ergo in mephorica repræsentatione non est falsitas, ideo metaphoricæ nagines Dei falsitatis argui non possunt. Neque etiam potest anis aut supervacaneus reputari usus earum, cum deservire ssint ad manuducendum quasi intellectum hominis, ut invibilia instar visibilium cognoscat, et ad memoriam mysterim, quæ Deus sub forma visibili operatus est.

6. Unde facile etiam patet responsio ad aliam conjecturam,

quod nullus princeps, imo nec privatus homo talem deforma tionem suæ formæ permitteret; nam eodem modo Deum, q sæpe sub forma visibili apparuit, arguerent, quia nullus hom ita se ipsum deformaret. Imo etiam reprehenderent Scripturam quia sæpe loquitur de Deo tanquam de homine, tribuens i dolorem, pœnitentiam, corporis membra, et similia; nam e eadem ratio de verbis scriptis quæ de imaginibus; quia (ut rec dixit Gregorius) illud est imperitis imago, quod doctoribus scri tura. Est ergo debilis illa conjectura, tum quia in illis imag nibus nulla est turpis deformatio, sed metaphorica significati tum etiam quia non fit sine gravi causa et necessitate, orta pa tim ex divina excellentia, quæ non potest aliter repræsentar partim ex indigentia hominis, qui non potest spiritualia pro in se sunt concipere, cum tamen per sensus debeat excitari a eorum cognitionem vel recordationem. Ideoque non est simi neque magni momenti argumentum ab hominibus sumptun quia homo sensibilem formam habet propriæ imaginis capacem et nihilominus non dedignatur homo, etiam princeps aut imp rator, excellentiam suam aut fortitudinem, per metaphorica imaginem aquilæ aut leonis, aut aliam similem repræsentari.

CAPUT XIV

De crucis Christi adoratione

1. Ultimo invehitur rex contra crucis Christi veneratio nem. Sed ne diutius forsan quam necessarium aut par sit, i hac materia immorer, hoc punctum breviter expediam, tu quia eadem fere est ratio de cruce quæ de aliis reliquiis v imaginibus, tum etiam quia rex nihil in hoc objicit, nisi argu tias quasdam quas olim Claudius Taurinensis et Wiclephus ol jecerant, et a Catholicis inanes reputatæ sunt. De cruce igit

riplex est consideratio, ut alibi dixi (1), scilicet, de signo ejus circa propriam personam digito vel manu expresso, vel de imagine crucis facta ex permanenti materia, vel de ipsamet cruce in qua Christus passus est, vel integra, vel de particulis ejus. De prima consideratione nihil rex attigit, et de illa dixi loco citato, sect. 3. Secundam etiam considerationem rex omisit, quia eadem ratio est de imagine crucis quæ de reliquiis.

2. *Dilemma regis adorationem crucis Christi oppugnantis.* — Contra crucem vero tertio modo spectatam quod veneranda non sit, hac brevi ratione multis verbis conatur efficere. Nam si veneranda esset, maxime ratione contactus; hanc enim rationem præcipue solent scholastici assignare. «An igitur ratione omnis contactus, vel alicujus?» Primum dici non potest, tum quia licet mulier, quæ erat in fluxu sanguinis, tangendo fimbriam vestimenti Christi senserit virtutem ejus, non ideo eam senserunt omnes qui Christum premebant, Luc. 8; tum etiam quia alias labia Judæ osculo Christum tradentis, et manus militum cædentium et crucifigentium Christum, et terra Chanaam, quotidianis Christi vestigiis tacta, essent a nobis adoranda, quod impium et profanum est dicere. Si autem non omnis contactus, sed aliquis singularis ad hoc genus adorationis sufficit, oportet ostendere quis ille sit, et ubi Christus singularem hanc benedictionem in lignum illud effuderit, vel privilegium concesserit. Augetque objectionem his modis. Prima, quia Christus mulieri sibi dicente: «Beatus venter qui te portavit,» respondit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei.» Secundo, quia, licet Christus dedisset suæ cruci virtutem faciendi miracula, non ideo esset adoranda, nam umbra Petri faciebat miracula, quæ non idcireo poterat adorari. Tertio, quia Prophetæ maledicunt simulacris imaginum, quæ oculos habent, et non vident, et aures quæ non audiunt; ergo hæc acerbius dicerent in eos, qui

(1) 1 tomo tertiæ partis, disp. 56.

partem ligni, neque ad aurium vel oculorum similitudinem fo matam venerantur.

3. *Nullam vim patrandi miracula ex contactu corporis Chris in cruce fuisse derivatam.* — Videtur rex in sua objectione su ponere vel existimare, nos fingere aut cogitare, crucem Chris et singulas partes ejus ex contactu corporis Christi vim aliquan seu virtutem faciendi miracula, aut extraordinaria benefic conferendi elicuisse, aut Christum ipsum, speciali concessio et voluntate, illi contactui vim similem vel dignitatem cont lisse. Hoc autem a sensu Ecclesiæ Catholicæ alienum est. Na imprimis, licet verissimum sit, et historiis ac testimoniis Pa trum satis comprobatum, Christum per crucem suam mul edidisse miracula quæ nunc referre non est necesse, nihilom nus nullus asseruit vel cogitavit (1), Christum virtutem aliqua miraculorum effectricem cruci suæ indidisse, aut certa lege promissione statuisse, ad præsentiam vel tactum illius, sign facere, nam hoc nullo fundamento affirmari potest, neque a illius crucis venerationem ducitur necessarium. Neque etia fingere oportet Christum, speciali voluntate et quasi positiv institutione, dedisse illi cruci peculiarem dignitatem ob qua honoretur; nam hoc etiam figmentum non modo fundari nc potest, verum nec satis intelligi, et ad veritatem, et rem d qua tractamus, supervacaneum est et impertinens.

4. *Catholica de Christi crucis adoratione doctrina explicatur* —Doctrina ergo Ecclesiæ et Theologorum catholicorum est, si cut reliquiæ Sanctorum sunt venerabiles, non ex virtute v institutione superaddita, sed quia, supposita vera sanctita animarum, seu personarum cum quibus peculiarem habuerun conjunctionem vel relationem sufficientem ut aliquid illarum esse censeantur, ex natura rei sequitur, ut propter excellentia

(1) Vide Paulinum, ep. 11, ad Severum; Evag., lib. 4 Hist, c. 2 Ruffinum, l. 10 Hist., c. 3; Theodoretum, lib. 1, cap. 18; Severum Sulp cium, lib. 2 Sacræ Hist.

talis animæ vel personæ in veneratione habeantur, ita etiam majori ratione crux Christi et quæcumque illius pars, tanquam pretiosæ Salvatoris reliquiæ a veris et piis Christianis habetur. Quia sustinendo Christum ipsum, instrumentum fuit nostræ redemptionis, ipsi Christo peculiari modo conjunctum, et ab illo sanctificatum. Ut significarunt Petrus, 1 ep., c. 2, et Paulus, ad Colos., 1 et 2, qui etiam ad Hebr., 9 indicat, fuisse quasi altare in quo Christus se pro nobis obtulit. Ac proinde ob ejusdem Christi amorem et reverentiam venerabilis est. Atque ita rationem venerandi Christi crucem explicuit Damasc., lib. 4, c. 12, dicens: «Hoc ingentis pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificii causa pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis et sanguinis contactu sanctificatum, optimo jure adorari solet.» Et infra: «Nam si eorum, quorum amore flagramus, et domus nobis chara est, et lectus, et vestis, quanto magis ea quæ Dei ac Salvatoris sunt, per quæ nobis salus parta est.»

5. Et hanc fuisse mentem antiquæ Ecclesiæ, satis colligitur ex canon. 73, sextæ Synodo attributo, et ex Septima Synodo, et ex Hieronymo, ep. 17; Ambrosio, Orat. de Obitu Theodosii; Chrysostomo, Homil. Quod Christus sit Deus, ubi ait, «totum orbem contendere aliquid ex illo ligno habere. Et qui habent (ait), viri et mulieres, illud auro includunt, ut cervicibus suis aptent, et inde valde sunt honestati, et magnifici, et muniti, et protecti.» Et Gregorius Nyssenus, Orat. de Sancto Baptismate, non longe ab initio: «Lignum crucis (ait) omnibus hominibus salutare est.» Per quod verbum indicat beneficia, quæ Deus solet per hujusmodi crucis reliquias conferre, cum vera fide et pia veneratione illa petentibus. Quamvis enim sola miracula sufficientem rationem adorandi non continerent, ostendunt tamen placitam esse Deo hujusmodi venerationem, ac subinde crucem ipsam veneratione dignam esse. Adduntque dicti Patres, præsertim Damascenus, idem esse de aliis Christi reliquiis, ut sunt «clavi, lancea, præsepe, indumenta, et vivificum sepulchrum.» Adducitque Damascen. illud Psalm. 131:

«Adorabimus in loco ubi stelerunt pedes ejus.» Idemque confirmat illud Isai., 11: «Erit sepulchrum ejus gloriosum», quod de Christi sepulchro ab omnibus intelligitur, et merito, quia relativum «ejus» refert «radicem Jesse», quam esse Christum exponit Paulus, ad Romanos 15. Dicitur autem illud sepulchrum gloriosum futurum, non solum eo tempore quo Christi corpus in illo jacuit, sed etiam perpetuo ratione illius. Et ita Hieronymus, ep. 17, dicit, «ibi esse prædictum, locum sepulturæ Domini esse ab omnibus honorandum.» Hæc ergo veritas ex principiis fidei et ex Scriptura colligitur, et rationi naturali est consentanea, et nullum ostendi potest præceptum quo talis veneratio crucis prohibeatur. Quid ergo est quod Protestantes in tam pio religionis opere calumnientur?

6. *Occurritur dilemmati regis.*—Ad objectionem autem regis, et interrogationem in ea factam, respondit venerabilis quidam Anglus (1), non omnem contactum corporis Christi fuisse sufficientem rationem hujus venerationis, «sed tactum innoxium», et ita vitabat absurdum illatum ex osculo Judæ. Addunt vero alii ad majorem explicationem, si præcise spectaretur ratio contactus, non deesse in illo sufficientem causam adorationis respectivæ, propter Christi excellentiam; impietatem autem personæ, illam impedire, ne adoratio in hominem impium refundatur. Et simili modo, ubi fuerit indecentia vel occasio scandali, vitanda erit adoratio, non obstante contactu, quod ad exemplum de asina in qua Christus sedit, accommodandum est. De terra vero illius regionis, quam Christus suis pedibus tetigit, si constaret nunc permanere quoad illas partes quas Christus tetigit, in eadem esset habenda veneratione. Nam et Augustinus, 22 de Civit., c. 8, testatur suo tempore «miracula facta esse per terram sanctam de Hierosolymis allatam», et a fidelibus fuisse in reverentia et honore habitam. Hoc vero tem-

(1) Waldensis, tom. 3, c. 18.

pore verisimile est terram illam adeo esse mutatam, ut ratio illa contactus cessaverit. Et nihilominus si aliquis viva fide et recordatione Christi, et vestigiorum ejus, illam veneretur, pie faciet, et nulla erit reprehensione dignus, quia tota illa actio ad Christum refertur, et relatio illa (ut sic dicam) sufficiens fundamentum habuit in actionibus et gressibus Christi.

7. Unde ad dilemma Regis respondemus, contactum per se sufficere ad hanc venerationem respectivam, nisi aliquid aliud secundum prudens judicium impediat. Et ideo non oportet ostendere ubi Christus hanc prærogativam suæ cruci contulerit, quia suis operibus id satis ostendit recta fide et ratione utentibus; neque hoc est privilegium crucis, sed est communis proprietas omnium reliquiarum Christi. Unde exemplum ibi adductum de muliere tangente, et turbis prementibus Christum, prædictis recte perpensis, nequaquam urget, quia hæc venerationis ratio, quæ ex contactu sumitur, non est aliquod opus miraculosum, quale fuit illius mulieris sanitas, quam Christus contulit soli indigenti, et ex fide petenti, sicut voluit, et altissimo suæ voluntatis consilio disposuit.

8. *Responsio ad primam confirmationem.— Ad secundam.— Ad tertiam.* — Ex aliis confirmationibus, prior nihil ad causam facit, quia Christus respondens: «Quinimo beati qui audiunt verbum Dei», docuit quidem beatiorem fuisse Beatissimam Virginem credendo, et diligendo Christum, quam illum corporaliter concipiendo, non tamen negavit quin fuerit magna dignitas Virginis, Christum in ventre suo portare, neque negavit mulierem illam vere et fideliter dixisse: «Beatus venter qui te portavit», quamvis neque omnem, neque præcipuam rationem illius beatificationis explicaverit, ut eleganter attigit Beda, lib. 4 in Lucam, cap. 49. Alia vero de umbra Petri facile expeditur negando exempli similitudinem, tum quia umbra nihil est, tum etiam quia (ut dixi) ratio hujus adorationis non est virtus aliqua faciendi miracula. Denique veneratores crucis longe sunt a maledictionibus Prophetarum contra adorantes

idola, quia non respiciunt ad formam vel figuram ligni, sicut idololatræ, sed ad Christum, quem in ligno, et propter quem lignum adorant.

CAPUT XV

De errore circa purgatorium

1. *Jacobus rex purgatorium irridet.—Primum fundamentum.—Secundum.*—Inter alia dogmata catholicæ fidei, in quibus rex ab Ecclesia Romana se dissentire fatetur, articulum de purgatorio ponit, pag. 52 Præfat. ; tam leviter tamen illum attingit, ut ludere potius quam fidei causam agere videatur. Nam, licet irrideat et contemnat purgatorii articulum (quod ipse commentum vocat), nihil tamen solidum ad illum impugnandum adducit; imo, licet illum non credat, non tamen absolute negat esse purgatorium; sed «si forte sit, dicit, nobis esse ignotum, satisque nobis esse credere eas animarum sedes, quas nobis Deus in Scriptura revelavit, cælos», scilicet, «et inferos, neque ulterius de divinæ providentiæ arcanis scrutandum esse.» Quocirca fundamentum præcipuum regis est, quia purgatorii assertio ex Scriptura ostendi non potest: «Sane (inquit) Bellarminus nullum ei ex Scriptura fundamentum astruere potuit.» Unde infert: «Satis certe nobis fuerit, eas animarum sedes cognoscere, quas Deus suo verbo nobis voluit esse revelatas » Præter hoc vero fundamentum, tacite, et quasi aliud agens, inserit aliud quasi latenter, dicens de Christo: «Ipse est vera expiatio, verumque purgatorium nostrorum peccatorum», quasi subinferens: Ergo aliud purgatorium necessarium non est. In his autem verbis radix non solum hujus erroris, sed etiam plurium aliorum, a quibus iste pendet, delitescit, et ideo ab illo incipiendum est, et totum ulcus breviter aperiendum, ut integra errorum connexio detegatur, ut vel inde rex intelligat, non

recte de rebus ad salutem necessariis judicare, cum hæc «indigna existimet, in quibus tempus, et opera impendatur.»

2. *Error Protestantium circa redemptionem Christi et justificationem impii.*—Protestantes igitur ita de Christi redemptione, et impii justificatione, seu remissione peccatorum plerumque saltem censent, ut totam nostram justitiam in remissione peccatorum ponant. Remissionem autem hanc solum in hoc docent consistere, quod peccata nobis a Deo propter Christum non imputentur, non in hoc quod vel non sint, vel non fiant. Addunt deinde tunc non imputari, quando aliquis firma fide credit, sibi non imputari peccata propter Christum, sive quæ prius fecit, sive quæ in præsenti cum tali fide et apprehensione actu committit; nam Christus hoc nobis promeruit, pro peccatis nostris sufficienter satisfaciendo. Atque ad hoc suadendum, verba Pauli et cæteras Scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem, ut Petrus prænonuit (1).

3. Ex his autem principiis inferunt, quoties quis habet eam fidem, quæ sufficit ut peccatum non imputetur, prorsus non imputari, omnemque illius pœnam remitti. Nam vel peccator firma fide credit justitiam Christi satis esse, ut sibi peccatum omnino et integre tollatur, et ad nullam pœnam imputetur, si ita credat; vel aliter de justitia Christi et non imputatione peccati per fidem cogitat: si hoc posteriori modo in fide illa speciali claudicet, vere non credit, ideoque neque integre, neque ex parte peccatum ei remittetur, seu non imputabitur; sin vero plenam fidem non imputationis concipiat, ad nullam omnino pœnam reputabitur peccatum; atque ita remissio pœnæ, ad quam posset peccatum mortale imputari, semper aut integra est, aut nulla.

4. Denique ex eisdem principiis inferunt in homine justo nullum esse veniale peccatum, sed aut mortale esse, quod jus-

(1) II Pet., 2.

titiam auferat, aut nullum esse: nam si justus quodlibet opus, quantumvis leve, faciat, credens sibi imputari ad aliquam culpam, eo ipso infidelis est et graviter peccat, et Christo gravem injuriam infert, de illius meritis et satisfactione diffidens; si vero hæc faciat, firmiter credens ad nullam vel minimam pœnam imputari, nec leve peccatum committit (utique quod imputetur), nam per Christum purgatur præveniente (ut ita dicam) purgatione, seu non imputatione. Atque in hoc sensu videtur rex vocasse Christum nostrum purgatorium. Cessat igitur, si hæc vera sunt, omnis purgatorii necessitas, quia in homine justo nihil remittendum relinquitur, et ita si in eo statu moriatur, non indiget purgatione; si vero sine justitia moriatur, peribit in æternum.

5. Hæc sunt monstra et portenta ab hæreticis inventa, ut purgatorium de medio tollere possint, ut vel hinc videat rex, an assertio purgatorii parvi sit momenti, cum ad illam evertendam necessarium sit potissima fidei fundamenta convellere; imo, etiam opus sit contra divinam justitiam et ordinatam providentiam, addo etiam contra naturalem rationem, comminisci plurima. Fides ergo catholica principiis ac fundamentis omnino contrariis subsistit, quæ breviter et per transennam tantum indicabo, ut ad scopum intentum perveniam ; nam si ex professo singula probanda et disputanda forent, justum atque integrum opus necessarium fuisset. Primum ergo fidei fundamentum est, licet Christus ex se sufficienter et copiose omnes homines redemerit, et pro omnibus satisfecerit, nihilominus cum effectu non omnes salvare, ut ipsemet docet, Matth., 25, et est in nostra fide per se notum, idque rex Angliæ in citato loco supponit, dum confitetur duo esse domicilia, cœlum ac infernum, humano generi in æternum constituta. Ex quo fundamento aperte aliud sequitur, videlicet, non obstante Christi redemptione, necessarium hominibus esse ad salutem consequendam, ut aliquid agant, vel in eis fiat quo meritum et satisfactio Christi illis applicetur. Probatur, quia existente infinito merito et satisfactio-

ne Christi, volentis omnes salvare, ut Paulus dicit, ac subinde pro omnium salute se offerentis, nihilominus quidam salvantur, alii vero perpetuis destinantur ignibus; ergo hæc differentia non aliunde provenire potest, nisi quia præter actiones et passiones, quas Christus ipse exhibuit, necessarium sit aliquid fieri ex parte nostra, quo infinita Christi redemptio nobis applicetur. Atque hoc etiam satis agnoscit Jacobus rex, cum istum articulum concludit, dicens: «Id agamus, ut alterum consequamur, alterum defugiamus.»

6. *Meritorum Christi ad homines applicationem non fieri per non imputationem peccatorum.*--Discrimen ergo inter Protestantes et Catholicos incipit ab hac necessaria applicatione meritorum, Christi, per quam, nimirum, actionem, cognitionem aut affectum fiat. Sit ergo secundum fidei fundamentum, hanc applicationem non fieri per illam fidem specialem, quam Protestantes fingunt de propria justitia, aut non imputatione peccatorum neque per illam peccata præterita remitti, neque præsentia non imputari, neque justitiam veram, quam propter Christum accipimus, in illa non imputatione consistere. Quæ omnia contra regem et Protestantes in eorum principiis sufficienter probantur, quia in Scriptura sacra nullibi invenimus impositam hominibus necessitatem credendi, sibi non imputari peccata eo ipso quod talis non imputatio credatur; alioquin locum prodant, ubi vel illa credulitas præcepta sit, vel ejus objectum, seu illa non imputatio revelata. Nos enim audimus Paulum dicentem: «Sine fide impossibile est placere Deo», et rationem subjicientem, «credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.» Hæc ergo fides dogmatum est necessaria ad salutem, non de propria justitia, quæ nullibi exigitur. Christus etiam Dominus, Marci ultim., dixit: «Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.» Et Matthæi ultimo addit: «Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.» Fides ergo Evangelii seu dogmatum, et bap-

tismus cum obedientia mandatorum, sunt media seu actiones a Christo præscriptæ ad participandam redemptionem ejus; de fide autem speciali, aut non imputationis peccatorum, nec Verbum ipse locutus est, nec per Apostolos aut Ecclesiam suam id nobis tradidit.

7. Adde, per se incredibile esse peccata, licet re ipsa committantur transgrediendo etiam divinam et naturalem legem, eo ipso a Deo remitti, vel tanquam nihilum reputari, quod is, qui illa committit, ita credit, et illa fiducia delinquit. Quid enim hoc est, nisi dare hominibus liberam licentiam peccandi? Profecto nihil cogitari potest justitiæ Dei, et sapientissimæ providentiæ magis contrarium. Neque minus repugnat redemptioni Christi; sic enim non venisset ad dissolvenda, sed potius ad fovenda et multiplicanda opera diaboli. Dicit autem Joannes, 1 ep., c. 3: «Scitis quia ille apparuit, ut peccata tolleret.» Et infra: «In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli»; et Petrus, 1 ep., c. 2: «Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit», etc.; et Paulus, ad Gal., 5: «Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem.» Non ergo applicatur homini Christi meritum per illam commentitiam fidem specialem, sed «per fidem, quæ per charitatem operatur.» Et ex hac fide spem justitiæ concipimus, intercedente pœnitentia præcedentium peccatorum, cum observantia mandatorum, sine qua non potest subsistere vera justitia. Non enim qui se justum reputat, sed, «qui facit justitiam, justus est», ut loco supra allegato idem Joannes ait. Et sic etiam cætera omnia quæ dixi, frequentissima sunt in Scripturis, et in propriis locis ex professo tractata sunt.

8. Tertio, docet catholica fides, et sequitur ex dictis, fructum meritorum et satisfactionum Christi non semper æqualiter omnibus credentibus et justis applicari; ac subinde, non quoties peccata mortalia remittuntur quoad culpam, ita remitti

quoad pœnam, ut ad nullam omnino etiam temporalem amplius imputentur. Utrumque docuit Concilium Tridentinum: primum, sess. 6, c. 7 et 10, et canone 14. Quod etiam sumitur ex Paulo, 1 ad Cor., 15, dicente: «Stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.» Et ex verbis Christi, Joan., 14: «In domo Patris mansiones multæ sunt.» Quæ sunt variæ», et inæquales sedes beatorum, ut omnes Patres exponunt, et singulariter Augustinus, tract. 67 in Joan., dicens: «Multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates.» Sicut ergo in patria sunt inæquales coronæ, ita in vita est inæqualitas in gratia et justitia, et consequenter etiam in participatione meritorum Christi. Omnis enim interna justitia, ejusque operatio per gratiam Christi confertur, atque ita fructus est et participatio meritorum ejus; est ergo in hac participatione inæqualitas.

9. Secundum autem docuit idem Concilium Tridentinum, eadem sess. 6, c. 14, et canon. 30, et sess. 14, sequiturque manifeste ex priori; nam qua ratione meritum Christi non semper æqualiter applicatur quoad perfectionem justitiæ, eadem satisfactio Christi non semper in nobis habet æqualem effectum quoad remissionem pœnæ temporalis. Ratio vero est, quia remissio pœnæ fit interveniente dispositione aliqua, vel satisfactione ex parte hominis; hæc autem dispositio, vel operatio potest esse major et minor; ergo et pœnæ remissio. Peccata ergo mortalia post baptismum commissa (nam de baptismate alia est specialis ratio), quamvis per pœnitentiam remittantur propter Christum, non semper quoad pœnam temporalem omnino remittuntur, sed juxta modum pœnitentiæ et dispositionis. Et ideo orabat David, Psal. 50: «Amplius lava me ab iniquitate mea»; et ob eamdem causam omnes Scripturæ pœnitentiam de peccatis, etiam remissis, et eleemosynas, aliaque bona opera, ad eorum plenam remissionem obtinendam, consulunt (1). Ea-

(1) Matt., 3 et 4; Eccl., 5; Ezech., 23, cum similibus.

demque est communis doctrina Sanctorum, ut videre licet in Augustino, lib. de Vera et falsa pœnitent., c. 15; Chrysostomo, homiliis de Pœnit., præsertim in 5. Et optime Ambrosius, lib. 7 in Lucam, ad finem c. 12, dicente: «Sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quousque totius sortis ad minimum usque, quocumque solutionis genere, qualitas universa solvatur, sic compensatione charitatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque peccati pœna dissolvitur.» Et infra: «Aut pretio charitatis redimitur injuria, aut injuriæ æstimatione pœna relaxatur.» Et infra: «Uniuscujusque peccatum supra scriptæ genere conditionis eluitur, cum tandiu exercetur noxius pœnis, ut commissi supplicia erroris expendat.» Qui ergo non plene satisfecit, licet justus sit, alicujus pœnæ debitor est.

10. *Aliqua peccata hominibus etiam justis insunt, quæ gratiam non tollunt.*—His accedit aliud fidei fundamentum, nimirum, esse in hominibus, etiam justis, quædam peccata quæ gratiam non tollunt, nec hominem Deo inimicum, aut reum æternæ pœnæ constituunt, et ideo venialia vocantur. Ita docuit Concilium Tridentinum, dicta sess. 6, c. 15, et nunc sufficienter probatur ex illo Proverbiorum 21: «Septies in die cadit justus, et resurgit; impii autem corruunt in malum.» Illi enim casus justorum aliqua peccata sunt, non tamen talia quæ justitiam auferant, alias etiam justus corrueret in malum, quoties sic peccaret. Unde recte Augustinus, serm. 41 de Sanctis hæc vocat «minuta peccata, a quibus in hac vita Sancti non sunt immunes, quæ animam non occidunt, licet deforment»; et ep. 103 in fine, illa vocat «peccata levia justorum, quæ ordinariis remediis tolluntur.» Et propter eadem asserit, lib. 2 de Peccator. merit., c. 7, protulisse Joannem: «Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus», etc., 1 Joan., 1. Item ad eadem peccata pertinet illud Jacobi 3: «In multis offendimus omnes», ut ibidem notat Beda, et Augustinus, in Enchirid., c. 78, ubi multa exempla talium peccatorum ponit, et plura lib. de Natura et Grat., cap. 36 et 38.

11. Ratio etiam naturalis hoc suadet, quia prudens ac perfecta amicitia non dissolvitur propter levem aliquam negligentiam vel offensionem; ergo incredibile est amicitiam cum Deo propter quemlibet defectum levem amitti, aut quodlibet peccatum levissimum reddere hominem divino odio, et æterna pœna dignum. Quamvis autem hæc peccata tam acerbam pœnam non mereantur, nihilominus, eo ipso quod peccata sunt, aliqua certa pœna digna sunt, ut recte notavit Augustinus, lib. Octoginta trium quæstion., q. 26, quia unicuique culpæ, secundum debitum justitiæ ordinem, et juxta qualitatem ejus, aliquis modus pœnæ respondet; Deus autem justissimus est, et ideo hæc etiam peccata, quæ legi suæ aliquo modo derogant, impunita non sinit, juxta illud Matth., 5: «Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem», ubi Hieronymus: «Hoc est quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata persolvas.» Et eodem fere modo exposuit Ambrosius, lib. 7, in Luc., ad finem cap. 12. Denique, ut Augustinus dixit, dico serm. 41, quamvis hæc peccata «animam non occidant, ita eam deformem faciunt, ut eam ad amplexus Sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.» Quod de hujus vitæ statu et de contemplatione Dei et dilectione, quæ in hac vita haberi potest, intelligendum puto; nam si de amplexu patriæ et visionis beatæ intelligatur, non vix, sed omnino haberi non poterit talis amplexus Sponsi, nisi prius deformitas talium peccatorum auferatur. Quia, ut dicitur Apocalyps. 2, «non intrabit in illam civitatem aliquid coinquinatum», et in illo statu maxime complebitur quod Paulus dixit ad Ephes. 5: «Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.» Et infra: «Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.»

12. *Amicitiam cum Deo non dirimi propter quodcumque peccatum.*—Ex his igitur principiis plane concluditur purgatorii necessitas, in hunc modum. Homines justi, dum in hac vita

vivunt, habent simul cum justitia vel reatum aliquem pœnæ temporalis debitæ propter peccata remissa, vel propter venialia postea commissa; contigit autem sæpe justos mori in hujusmodi statu, quia vel post multa et gravia peccata, seram, ac levem, et remissam pœnitentiam agunt, vel quia, licet multo tempore ante mortem in gratia vivant, frequenter venialiter peccant, et in adhibendis remediis, et satisfactionis operibus exercendis negligentes sunt; ergo necessarium est ut post mortem sit purgatorii tempus, et locus in quo ab his maculis mundari, et debitas pœnas solvere, atque ita paradisum ingredi valeant; quandoquidem secundum fidem nullus ad beatitudinem admittitur sine integra remissione culparum et pœnarum, ut ostensum est. Quæ ratio ad hoc dogma fidei confirmandum sufficeret, etiamsi ex Scriptura expressius probari non posset, quia principia hujus discursus in Scriptura ipsa fundata sunt, et aliqua ex parte, quantum ex facto pendent, sunt etiam experientia notissima, et illatio est etiam necessaria, ac evidenter nota. Hæc autem sufficiunt, tum ad reddendam assertionem omnino certam, tum etiam ut ab Ecclesia definiri potuerit, et fidelibus proponi, ut eam de fide credere teneantur, ut in superioribus ostensum est. Ecclesiam autem ita veritatem hanc definivisse, ex Conciliis Florentino et Tridentino constat. Et quamvis tam expressa definitio facta non fuisset, universalis consensus cum antiquissima Ecclesiæ Catholicæ traditione ad fidem faciendam sufficeret.

13. *Articulum de purgatorio antiquissimum esse ex Patribus ostenditur.* — Unde ulterius infero, immerito Jacobum regem hunc articulum de Purgatorio, inter eos, quos nuperos et novitios vocat, recensere, cum neque Augustinus, nec Hieronymus, nec alii Patres illis æquales, qui certe nuperi non sunt, veritatem tot fidei fundamentis subnixam ignorare potuerint. Quod etiam eorum verbis ostendere non est difficile; Augustinus enim, in Psalm. 37, in princ., de Purgatorio exponit verba illa: «Domine ne in furore tuo (vel ut ipse legit) in indignatione tua

arguas me, neque in ira tua emendes me»; sic enim legit, et dicit, «hanc emendationem in ira, per quam emendati salvabuntur, futuram esse post mortem, sic tamen quasi per ignem.» Unde sic exponit: «In hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit» Præterea, lib. Octoginta trium Quæstionum, q. 26, loquens de venialibus peccatis, dicit eis deberi certam pœnam et in hoc sæculo, et in futuro, ubi vel particulam «et» pro disjunctione posuit, vel sub conditione intellexit deberi illam pœnam in futuro sæculo, si in præsenti non luatur. Clarius vero dicto serm. 11 de Sanctis, de eisdem peccatis agens dixit: «Quidquid de istis peccatis a nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, quia in igne revelabitur, et si cujus opus arserit, detrimentum patietur; aut enim dum in hoc mundo vivimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certe, volente aut permittente Deo, multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur, et si Deo gratias agimus, liberamur.» Et infra: «Ita peccata ipsa in hoc sæculo purgantur, ut in futuro ille ignis purgatorius, aut non inveniat, aut certe parum inveniat, quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supra dicta peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, stipula, consumantur.»

14. *Post diem judicii non remanebit purgatorii locus.*—Item in libro de Octo quæstionibus ad Dulcitium, licet in q. 1 solum dicat, «salvari aliquos sic tamen quasi per ignem, et non esse incredibile ita contingere aliquibus post hanc vitam, utrum vero ita sit, quæri posse», tamen in quæstione 2 repetit quæ dixerat l. de Cura pro mortuis agenda, c. 1, quod allegat, et definite et tanquam certum docet suffragia vivorum prodesse aliquibus ex mortuis, qui nec tam mali fuerunt, ut illis prodesse non possint, ut sunt damnati, nec tam boni ut illis non indigeant, sed medii cujusdam status, quos ipse vocat, «non valde malos, quia licet bona pereuntia dilexerint, non tamen sunt ta-

les, quales illi de quibus dictum est, quod regnum Dei non possidebunt, sed justi aliqua indigentes purgatione.» Idemque docet in Enchirid., c. 68, cum 96, ubi ait: «Negandum non est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari.» Ideoque Monica, gloriosa Augustini mater, catholica fide bene instructa, dum animam ageret, nihil a filio et sociis ejus postulavit, nisi ut ad Domini altare memoriam ejus haberent, ut ipse refert lib. 9 Confession., c. 11; et in 3, insignem illam fidem et pietatem commendat, et pro matris anima orat, aliosque ut orent interpellat. Præterea, lib. 21 de Civit., cap. 16, ubi de infantibus morientibus cum solo baptismo, ait ita esse ad beatitudinem dispositos, ut non solum pœnis non præparentur æternis, «sed ne ulla quidem post mortem purgatoria tormenta patiantur.» In quibus verbis aperte supponit, esse post hanc vitam purgatorias pœnas, de quibus infra dicit: «Purgatorias autem pœnas nullas futuras quis opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium?» utique universale. Nam post illud non erit necessarius purgatorii locus, quia ante illud integra peccatorum purgatio in omnibus justis fiet, et ideo in illo judicio tantum in duo loca, perpetuo duratura, omnes judicandi dividuntur. Et ita intelligenda est Scriptura, quoties de illis duobus terminis ultimis loquitur. Videri etiam potest apud eumdem Augustinum (si ejus est opus), lib. 4 Hypognost., c. 5 et 6.

15. Denique in libro Quinquaginta homiliar., homil. 16, circa finem, hanc veritatem idem Augustinus plenissime docet, cujus aliqua verba referam, quia et omnia fundamenta supra posita confirmant, et vehementer pungunt adversarios: «Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, per fluvium igneum (de quo propheticus sermo commemorat), et vada ferventibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta et pertranseundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex

homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina.» Et infra: «Illic sermones otiosi et cogitationes iniquæ vel sordidæ, illic multitudo levium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt; illic stagnum, vel plumbum diversorum subrepentium delictorum, quæ divinam imaginem obscuraverant, consumentur, quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas et lacrymas compendiosa transactione potuissent.» Et ut rex intelligat quomodo Christus sit purgatorium nostrum, concludit: «Ecce sic exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, et confixus clavis legi mortis se junxit,» et in hoc catholico sensu dixit idem Augustinus, 10 de Civit., cap. 24, «Dominum Jesum Christum esse principium, cujus incarnatione purgamur, cum quippe» (id est dæmonem) «in sua carne contempsit, quam propter sacrificium, nostræ purgationis assumpsit.» Et infra: «Hunc ille platonicus non cognovit esse principium, nam agnosceret purgatorium.» Nihil aliud ergo est in Christo esse purgatorium, quam esse redemptorem, per quem possunt homines in hac vita perfectissime mundari, si velint se disponere, alioqui si in hac vita id assecuti non fuerint, in futura, si justi sint, per condignas pœnas secundum rigorem justitiæ purgabuntur, nisi aliqua ex parte propter suffragia viventium subleventur.

16. Præterea D. Hieronymus diserte affirmat, dari post hanc vitam aliquam pœnam ignis temporalem, in c. ult. Isaiæ, fere in ultimis, docetque aliquorum Christianorum opera esse per ignem probanda et purganda, ita ut purgatio temporalis sit et finiatur. Et in lib. contra Jovinianum, eodem modo exponit locum Pauli 1 ad Corinth., 5, et concludit: «Si is cujus opus arsit et periit, et damnum sustinuit laboris sui, perdet quidem laboris præmium, sed ipse servabitur, non tamen sine probatione ignis, ergo is, cujus manserit quod superædificavit sine ignis probatione salvabitur, et inter salvationem, et salvationem erit utique diversitas aliqua.» Quæ verba notanda sunt, nam discursum supra factum confirmant, licet ordine commutato. Hieronymus

enim ex diverso modo consequendi salutem, per ignem purgatorium, vel sine illo, colligit quasi a posteriori diversitatem meritorum et præmiorum; nos vero e contrario ex diversitate operum, vel malorum, vel bonorum disponentium ad justitiam, necessitatem purgatorii deduximus. Et in c. 1 Ezechiel., idem Hieron. ita concludit: «Ex quo ostenditur, post pœnas, atque supplicia, et purgationem peccatorum, futuram misericordiam duntaxat in his qui Deum meruerint videre regnantem.»

17. Eamdem veritatem docuit Ambrosius in c. 4 Apoc., circa illa verba: «Sine macula enim sunt,» dicens: «Animæ Sanctorum sine macula sunt, quia si quas sordes ex mundana habitatione contraxerunt, aut per pœnitentiam et lachrymas, charitatisque opera, aut per flagella aut certe post mortem igne purgatorio deleta sunt.» Et simila habet in c. 20, in illa verba: «Hæc est resurrectio prima.» Scio in dubium revocari, an illud opus sit Ambrosii; nemo autem dubitat quin sit alicujus Patris, et satis antiqui. Verumtamen precatio secunda, præparans ad Missam, extra dubium Ambrosii est, et tamen in illa sic orat Christum: «Recordare quia advocatus meus es ipse, qui judicas. Quod si etiam in illo adhuc sæculo aliquid in me vindicandum reservas, peto ne me potestati dæmonum tradas, dum scelus meum purgatoria pœna detergis.

18. His accedat S. Cyprianus, qui epistola quinquagesima secunda ad Antonianum, dicit: «Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvas novissimum quadrantem, aliud statim fidei ac virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo cruciatuum dolore emundari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.» Idem sumitur ex Tertulliano, lib. de Anima, c. 35, et c. 58, in fine, ubi ita exponit dictum locum Matth. 5,, dicens: «Carcerem illum inferos intelligimus, et novissimum quadrantem, modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur.» Quam fere expositionem habet etiam Athanasius, in lib. Variarum Scriptur.

quæstion., q. 62. Et plura alia ex Patribus Græcis pro hac veritate congerit Gennadius Scholarius, Patriarcha Constantin., in defensione Concilii Florent., c. 3. Suntque precipua tam in Græcis quam in Latinis illa, in quibus asserunt sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia bona opera viventium, juvare defunctos ad aliquam remissionem pœnarum, si in eo statu recesserunt, in quo illius auxilii sint capaces. Quæ loca Sanctorum contestantium hanc antiquissimam traditionem tam sunt frequentia, ut supervacaneum videatur illa referre, præsertim cum articulus ille propriam disputationem requirat. Qui autem illum tradunt, necesse est ut crediderint aliquas fidelium animas ita post mortem puniri, ut possint ab illis pœnis liberari, et hoc est quod purgatorium vocamus. De illo autem dogmate videri possunt specialiter Augustinus, dicto libro de Cura pro mortuis agenda; et Cyrillus Hierosol., Catech., 5 Mystag.; et Cyprianus, epist. 66 ad Clerum, etc.; et Ambrosius, orat. de Obitu Theodosii, et orat. 2 de Obitu fratris sui Satyri; Damasc., orat. de Def. fidei.

19. Ex quibus intelligere præterea licet, sine causa regem Angliæ astruere voluisse, non potuisse Bellarminum purgatorium ex Scripturis probare; nam, sicut Sancti Patres non sine Scripturis illud astruxerunt, licet simul ex traditione Apostolica illud docerent, ita etiam Illustrissimus Bellarminus sapienter et erudite veritatem hanc ex Scripturis comprobavit, illas intelligendo, prout Sancti Patres interpretati sunt. Quod si hoc regi non satisfacit, quia sua certa scientia aliter illas intelligit, jam responsum est, scientiam illam, quæ a sensu Patrum et Catholicæ Ecclesiæ discrepat, non esse veram scientiam, neque ex spiritu Dei esse, eo vel maxime quod (ut sæpe dixi et cum Paulino in eadem fere causa dicit Augustinus, libr. de Cura pro mort. agend., c. 1), licet Scriptura deesset, Ecclesiæ auctoritas sufficeret. Nam certe cum Scriptura docet Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis, et traditiones apostolicas credendas esse, virtute continet purgatorii assertionem, quam

et Ecclesia et traditio docent. Deinde addimus veritatem hanc contineri satis in illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Deus retribuere uniquique secundum opera sua, juxta illud 2 ad Corinth., 5: «Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.» Hinc enim habemus, nullum malum impunitum a Deo relinqui, ideoque, si in hac vita non puniatur, vel pro illo satisfiat, in futura vindicandum esse pœna condigna, et culpæ commensurata, ac subinde pœna temporali, si persona alioqui justa, et grata Deo sit.

20. Denique dicimus, etiam proxime et immediate probari sufficienter veritatem hanc in novo Testamento, ex loco sæpe citato 1 Cor., 3: «Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.» Et infra: «Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.» Quamvis enim non negemus verba illa aliter interdum ab aliquibus Patribus exponi (quorum interpretationes nunc expendere non vacat), nihilominus hæc rejici nullo modo potest, quia et est valde conformis textui et sensui Ecclesiæ, et a multis Patribus approbatur, ut ab Augustino, Hieronymo, quos jam retulimus, et Ambrosio, in Paulum, ubi multi alii eam probant; et Origene, copiose hom. 6 in Exod., et optime Paulin., in ep. 9 ad Severum, ubi purgatorium vocat «ignem sapientem,» et in carmine continente paraphrasim Psalm. 1, ubi, «ignem arbitrum,» illud appellat. Et ita etiam exposuit Gregor., in cap. 3 Reg., circa finem, et in lib. 4 Dialog., c. 39; et Cæsar. Arelaten., homil. 8, in eumdem locum. Locus etiam Matth., 5: «Ne in carcerem mittaris, amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem,» si recta ratione pensetur, non parum juvat, maxime cum ita etiam intelligatur a Patribus allegatis, Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, et Hieron., ut recentiores omittam. Denique hoc etiam insinuari vel supponi a Christo in verbis Matth., 12: «Non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro,» Patres intellexerunt, ut

Augustinus, 21 de Civitat., c. 13, quem imitati sunt Gregorius, dicto c. 39; Beda, in eum locum; ac Bernard. Et si attente consideretur prudens loquendi modus, nemo de re aliqua pro duobus temporibus ita loquitur, nisi in utroque tempore vel statu res fieri soleat.

21. Ex veteri etiam Testamento aliqua testimonia in superioribus tacta sunt. Quale est illud Psal. 37: «Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.» Juxta interpretationem Augustini supra relatam, quam etiam tradit Gregorius, Psal. 1 Pœnitentiæ. Maxime vero illa convincunt testimonia, in quibus, operibus viventium posse juvari mortuos, vel asseritur vel supponitur. Inter illa vero notius et clarius est, quod lib. 2 Machab., c. 12, habetur: «Sancta et salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.» Quod defugere non potest rex, nisi negando librum esse canonicum. At hoc miserrimum refugium est, et de illo nunc disputare esset in longum, vel potius in infinitum ire. Sufficiunt ergo quæ de regula discernendi libros canonicos a non canonicis in superiori libro diximus, et quod Patres communiter illo libro ut canonico utantur; et quod specialiter August., dicto libro de Cura pro mortuis agenda, c. 1, inde veritatem hanc confirmet. Cum ergo veritas hæc de purgatoriis pœnis tanto pondere auctoritatis et rationis firmata sit, videat rex, quo spiritu ductus illam vocare audeat «commentum indignum, in quo opera impendatur.» Neque putet Catholicis esse contentionem cum hæreticis, vel de statu loci purgatorii, vel an unus aut multiplex sit, nec de modo aut qualitate pœnarum ejus; nam, licet hæc a Theologis sobrie et prudenter disputentur (sicut inquiri etiam posse dixit interdum Augustinus, in superioribus allegatus), si vero regi harum rerum meditatio non placet, cum illo de his non contendimus, dummodo temporales post mortem pœnas pro aliquibus justis imperfectis destinatas esse, non neget.

22. De his vero quæ purgatorium consequi subjungit rex, et frivola appellat, cum ab ipso non impugnentur, nunc multa

dicere non est necesse. Quia vero in margine libri hæc frivola esse dicuntur, «indulgentia, jubilæa, et satisfactiones pro defunctis», dicam breviter, non nisi a Protestantibus, levibus profecto et impudentissimis hominibus, qui Regem in infantia perverterunt, hæc potuisse frivola reputari. Aut enim frivola dicuntur, quia veritatis fundamentum non habent, vel quia licet vera sint, parvi sunt, aut nullius momenti. Hoc posterius nullius hominis mentem, si recta ratione non careat, subire potest. Quis enim parvi momenti reputet a debito gravissimæ pœnæ liberari; aut quis contemnendum putet, aut charitatis opus esse neget, orationibus ad Deum fusis et propriis afflictionibus et eleemosynis proximum a gravissima pœna liberare; aut quis non magni æstimet potestatem pene divinam, Christi et Sanctorum satisfactiones ad compensandas purgatorii pœnas, efficaciter applicari? Profecto hæc et similia, non ideo quia parvi momenti sunt, sed quia incredibilia infidelibus videntur, a Protestantibus frivola reputantur. Putant ergo non habere veritatis fundamentum. At si verum est quod rex dicit, hæc consequi assertionem purgatorii, cum ostensum sit purgatorium maximæ et infallibili auctoritati nixum esse, profecto non possunt cætera, quæ illud assertum consequuntur, non esse magno pondere auctoritatis fundata; ergo hac etiam ratione non frivola, sed veritatis catholicæ dogmata certissima dici possunt.

23. *Indulgentiæ propter Christi merita a Deo Ecclesiæ largiuntur.*—Si autem illi Pseudotheologi, qui in hoc regi imposuerunt, in sacra doctrina versati essent, suffragia et indulgentias ad purgatorium consequi non assererent; non enim in illo fundantur, neque cum illo necessariam habent connexionem. Nam posset Deus, si justitiæ rigore uti voluisset, purgatorii pœnas ab hominibus defunctis, et illarum reis, sine ulla remissione vel compensatione exigere. At indulgentiæ et satisfactiones nihil aliud sunt quam pœnarum purgatorii remissiones quædam et compensationes, quas Deus propter infinitam bonitatem suam, et propter eximia Christi merita Ecclesiæ suæ concesit,

ut et pœnæ illæ mitiores per Christum fierent, et ut inter Christi membra major et excellentior esset charitatis mutuæ communicatio. Quocirca, licet purgatorium, satisfactiones pro defunctis, et indulgentiæ unam habeant communem materiam, videlicet, debitum temporalis pœnæ, quod in aliquibus justis interdum post hanc vitam manet, et ideo possit aliquo modo unum ex alio colligi, nihilominus, proprie loquendo, unum in alio non fundatur, sed unumquodque per se gravissimum habet veritatis fundamentum. Nam purgatorii pœna fundatur in ordine divinæ justitiæ per regulas fidei nobis sufficienter manifestato, rationique valde consentaneo, ut ostensum est.

24. At vero suffragia seu satisfactiones fundantur «in communione Sanctorum», quam in Symbolo profitemur. Nam communionem illam non solum inter mortales hic viventes, sed etiam cum justis jam defunctis juxta uniuscujusque statum intercedere, Ecclesiæ auctoritate traditum est, et in Scriptura sacra sufficiens fundamentum habet. Quod in superioribus capitibus de communione inter nos, et Sanctos cum Christo regnantes, ostensum est, quatenus et illos intercessionibus suis nos adjuvare, nosque ab illis eas postulare, atque ipsos venerari, laudare, et Deo pro ipsorum gloria gratias agere posse et debere, ostendimus. Communio vero nostra cum justis defunctis non-dum beatis, sed in carcere, pro aliquibus debitis, detentis, perpetua etiam Ecclesiæ in traditione et in Scriptura sacra fundata est, ut ex dictis in hoc capite intelligi potest. Oratio enim, eleemosyna, sacrificium, et similia opera Deo pro defunctis oblata, ut a peccatis solvantur, ad hanc communicationem pertinent; docent autem Scriptura et Ecclesiæ consuetudo optimum esse orare et operari pro defunctis. Unde recte colligit Augustinus allegatus, sufficienti auctoritate convinci, hoc non fieri sine fructu: non est ergo frivola satisfactio pro defunctis, sed sufficientissime fundata. Accedit, genus hoc communicationis charitati etiam et rationi esse valde consentaneum et benignæ providentiæ divinæ valde dignum; non ergo pro Ca-

tholico reputari potest, qui hanc tam catholicam ab universa Ecclesia receptam veritatem reputaverit frivolam.

25. Indulgentiarum vero concessio (ad quam etiam jub læa pertinent) duo habet solidissima fundamenta. Unum es infinitus thesaurus meriti et satisfactionis Christi Domini, Sanctorum, quem thesaurum, saltem quantum ad Christi div tias eorumque sufficientiam, non existimo a Protestantibus ne gari, idque nunc nobis satis est, quia satisfactiones Sanctoru non ut necessariæ, sed ex abundantia adjunguntur, quod an plius explicare et probare præsentis loci non est. Alterum fu damentum est suprema potestas ligandi et solvendi, qua Christus suo Vicario concessit, quæ in Evangelio satis funda est, ut libro sequenti ostendemus. Quod autem illa potestas a hanc dispensationem et indulgentiarum concessionem extenda tur, ecclesiastica traditio et antiquissimus ejusdem potestat usus, communi consensu Ecclesiæ probatus, satis ostendit, u latius in disputationibus theologicis tractavimus, in quarto tom tertiæ partis, disput. 48, et seq.

CAPUT XVI

De erroribus circa Ecclesiæ ritus et benedictiones

1. Inter alia exempla quæ rex ponit pro articulis quos no vitios et nuperos vocat, hæc verba adjungit, p. 48 Præfationis in princ.: «Baptizatio campanarum, et mille præterea nugæ» quæ vero sint istæ nugæ, nec ipse declarat, nec in margine ex ponitur Unde videtur sub illis verbis omnes similes benedictio nes comprehendere; nam Protestantes æque solent de his om nibus nugari (1). Quanquam de hac, quam vocat baptizationem

(1) Refert Ballarm., lib. 4 de Pontif. 12, cent, 10, c. 6.

ampanarum, magna exaggeratione Magdeburgenses dixerint, orrendum esse errorem, magnumque sacrilegium contra Christ- institutionem. Et ideo ad hujus libri complementum, operæ retium visum est, pauca de his ritibus dicere, ad propriam bjectionem, ex particulari exemplo sumptam, respondendo, et lius occasione aliquid de toto genere talium benedictionum ttingendo.

2. Duo ergo in hujusmodi signis, quæ campanæ nuncupantur, spectari possunt, videlicet, usus talis instrumenti ad aliquas actiones publicas convenienter exercendas, et ritus ab ecclesia institutus ad benedicendas campanas, et de utroque sillatim dicendum est. Principio igitur certum est, antiquam Ecclesiæ consuetudinem fuisse, ut Missæ et alia divina officia in acris locis ac templis fierent, ut certis horis vel diebus christianus populus ad illa conveniret. Unde necessarium etiam fuit sse in ecclesiis signum aliquod, quo dato populus ad ecclesiam ccederet. Ad hoc ergo munus institutæ sunt campanæ, quæ ropterea solent interdum nomine signorum absolute significa, ut in c. «Solent», de Consecrat., d. 1, et in c. 1 et 2, de ffic. custodis. Considerata igitur hac propria et quasi litterali nstitutionis ratione campanarum usus, nemo prudens dubitare otest quin fuerit et utilissimus, et convenientissimus, quia ignum aliquod publicum moraliter necessarium erat. Unde iam in veteri Testamento dixit Deus Moysi, Num. 11: «Fac bi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis ultitudinem, quando movenda sunt castra», etc. Et ex Levic. 23 colligitur, in festivitatibus solitum fuisse populum tubis langentibus convocari, seu admoneri. Idem indicant verba illa salis 2: «Canite tuba in Sion.» Necessitas ergo alicujus signi, iam in Ecclesia Christi, moralis erat. Determinatio autem ad nitum campanæ ex humano arbitrio pendebat; et ideo recte t legitime potuit ab Ecclesia fieri, sicut facta est, et in re per e indifferente sufficiebat Eccclesiæ consuetudo, ut nemo prudens ac moderatus in illa offenderetur. Præsertim cum instru-

mentum illud ad prædictum finem sit aptissimum, tum quia facile et sine magna industria pulsari potest, tum etiam quia ejus sonus late diffunditur, tum denique quia est magis durabile, et quasi perpetuum.

3. *Campanarum usus ante mille annos introductus.*—Accedit hunc campanarum usum non esse novum in Ecclesia. Quamvis enim, ut eruditi auctores testificantur, certo non constet quo tempore inceperint, non est tamen dubium quin ante mille annos usus illarum jam fuerit in Latina Ecclesia communis. Nam anno 615 vixit S. Lupus, episcopus Senonensis, in cujus Acti refertur, tempore cujusdam obsidionis Senonensis civitatis «S. Episcopum ad Protomartyris Stephani ædem se contulisse et ad convocandum populum signum tetigisse», ut est apud Surium, tom. 5, die 1 septembris. Ubi etiam refert mirabili Dei opera circa signum illud seu campanam demonstrata. Item anno 665 obiit S. Eligius, Episcopus Noviomensis, in cujus vita, lib. 2, c. 21, refertur, cum prohibuisset Presbyterum in ecclesia sacra facere, et Presbyter, prohibitione contempta, campanam pulsare tentaret ad populum convocandum, ipsam sonum non reddidisse, donec, Presbytero pœnitentiam agente, Sanctus Episcopus prohibitionem sustulit (1). Refert Surius tom. 6. Præterea Beda, lib. 4 Histor. Anglicanæ, cap. 23, mentionem facit campanæ, ad cujus sonum ad orationes excitari et convocari solebant quædam religiosæ, quando aliqua earum de sæculo migrabat. Aliqui autem conjectant, tempore Anastasii Persæ Martyris, nondum fuisse introductum campanarum usum, quia in septima Synodo, Act. 4, ex miraculis ejus refertur, in quadam solemni supplicatione convocatos fuisse fideles, non ad signum campanæ, sed per «ligna sacra pulsata.» Sed hoc et non multum obstat, quia Sanctus ille, 27 anno post sexcentesimum passus est, et præterea verba illa de Ecclesia Græca dicta sunt,

(1) Die 1 decembris.

in qua signa illa lignea usque ad annum Domini 865 durasse credentur. Nam in illo anno ferunt, Venetiarum ducem misisse campanas ad Michaelem imperatorem, et tunc earum usum apud Græcos incepisse, relictis ligneis signis, ut notat Baronius eodem anno, in fine (1). Quamvis alibi dicat, illa lignea signa non fuisse in usu communi ad convocandum alicujus ecclesiæ populum, sed tantum inter religiosos, ad convocandos monasterii monachos.

4. Quidquid vero in hoc acciderit, certum est semper fuisse existimata necessaria aliqua hujusmodi signa, quæ (quod prætereundum non est) sacra etiam dicebantur; et inter ea campanarum usum tanquam utiliorem et durabiliorem prævaluisse. Recte autem advertit Walfridus Strabo, lib. de Rebus eccles., c. 5, hæc signa publica non potuisse commode in Ecclesia primitiva in usu haberi; quia divina officia, propter multitudinem gentilium, et præsertim propter vim persecutionum, non poterant esse tam publica, nam potius ut secrete fierent, curabatur. Et ideo aliis modis invitabantur fideles, ut prænunciando in uno conventu alium proxime futurum, vel scriptis tabulis eum prodendo, ut ait Strabo, loco citato, vel privatim singulos percursores, vel diaconum monendo, ut ex epistolis Ignatii 11 et 13 Baronius conjectat (2 . Post datam vero pacem Ecclesiæ, ejusque amplitudinem, necessarius fuit signorum publicorum usus, et ita verisimile est, paulo post Constantini tempora campanarum ritum fuisse introductum, qui postea perpetua traditione probatus est. De qua videri possunt quæ refert Coccius, in Thesaur., tom. 2. lib. 3, art. 6.

5. *In campanarum benedictione nihil reprehendi posse ostenditur*.—Cum ergo constet nihil esse in simplici campanarum usu quod hæretici carpere possint, videamus quid in earum bene-

(1) 1 tom., an. 58.
(2) Tom. 1, an. 58, n. 102.

dictione, et (ut sic dicam) symbolico usu reprehendant. Au enim in universum omnem sacrarum rerum benedictionem e cæremonialem consecrationem ab Ecclesia institutam ut superstitiosam detestantur, vel peculiare aliquid in campanarum benedictione reprehensione dignum inveniunt; utrumque autem unico Augustini verbo refutare possemus, dicentis: «Si quid pe totum orbem servat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est (1)»; et quod alibi ait, «non esse credendum, inaniter fieri, ubi universæ Ecclesiæ claret auctoritas.» Ulterius vero illud prius generale membrum non solum traditioni, sed etiam Scripturæ et rationi repugnat. Ait enim Paulus, creaturam omnem verbo Dei et oratione sanctificari 1 Timoth. 4. Unde legimus Christum, ad multiplicandos panes benedictione usum esse, in cœlum aspiciendo, Matth. 14. Additque Marcus, c. 6, etiam pisces benedixisse; et Lucæ 24, benedixit panem, per cujus fractionem voluit a discipulis cognosci. Quid ergo est cur Ecclesia non possit vel res aliquas sanctificare benedicendo illas, vel in hoc Christum imitari? au ubi hoc Christus prohibuit? vel quæ moralis seu naturalis ratio cogitari potest, cui hoc repugnet? Ecclesia enim in hujusmod benedictionibus potissime utitur signo crucis et oratione: ex quibus oratio a Christo Domino maxime commendata est; signum vero crucis magnam sanctificandi vim ab ipsius morte accepit; quamdam enim virtualem invocationem, et propter Christi mortem deprecationem continet; ergo utroque titulo benedictiones Ecclesiæ religiosæ sunt, et Deo gratæ.

6. Atque hoc etiam confirmant antiquæ benedictiones aquæ lustralis, panis, olei, cerei paschalis, et aliæ similes, de quibus non est hic dicendi locus. Certum autem est non esse novas, sed in primitiva Ecclesia usitatas, ut facile posset ex Patribus ostendi, sed id tanquam ab hoc loco alienum omitto, et

(1) Ep. 138, c. 5.

locum hunc præclaro testimonio Gregorii Nazianzeni concludo. Nam oratione prima contra Julianum (1), hujusmodi ritus et sanctiones Ecclesiæ (ita enim illas appellat) sic laudat, ut dicat, «aptissime illi congruere, talesque esse, ut nullus eorum, qui vestigiis nostris insistere cupiunt, æmulari possit, quandoquidem non magis humanis ingeniis atque inventionibus, quam vi divina temporisque firmitate vigorem adeptæ sunt.» Addereque possumus, hunc ritum campanarum etiam miraculis fuisse interdum a Deo confirmatum, ut videri potest in Sigeberto, in Chron. anno 1081; et in Baronio, t. 8, anno 615, n. 14; et in Durando, lib. 1 de Ritibus eccl., c. 22.

7. Si vero peculiarem ritum benedicendi campanas spectemus, nihil habet præter orationes quasdam, quibus peculiaria Dei beneficia per campanæ sonum pro fidelibus postulantur, in quibus nihil est quod valde pium et religiosum non sit. Prius enim præmissis quibusdam Psalmis, et communi ritu benedicendi aquam, hæc oratio interponitur: «Assistat super eam virtus Spiritus Sancti, ut cum hoc vasculum ad invitandos ecclesiæ filios præparatum, in ea fuerit tinnitum, ubicumque postmodum sonuerit ejus tinnitus, procul recedat virtus insidiantium», etc. Et postea petitur ut in Christianis, audientibus tale signum, «crescat devotionis augmentum, et in ecclesia digne orent, et Deum laudent»; et hæ petitiones in aliis orationibus iterantur, et specialiter, «ut quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberentur in corpore, et a pravis cogitationibus mundentur in mente, semperque fidei catholicæ documenta sectentur, atque tuæ consolationis gratiam recipere mereantur, Salvator mundi», etc. Quæ omnes petitiones piissimæ sunt, et magnam fidem ostendunt. Et ex eis licet colligere, licet prima ratio seu occasio inveniendi hæc signa, fuerit moralis necessitas convocandi christianum

(1) Versus finem, § *Neque enim*, n. 96.

populum, postea vero Ecclesiam fideli cogitatione et sapienti institutione illa ordinasse ad spirituales effectus, et assumpsisse illa (ut sic dicam) tanquam instrumenta, per quæ fidelium fidem excitaret, qua interveniente, ejusmodi beneficia per Christum a Deo impetrarent. Quocirca, licet ipsa signorum instrumenta propter corporalem (ut ita loquar) effectum fiant, scilicet, propter fidelium convocationem, benedicuntur autem propter spirituales effectus arcendi dæmones, et omnia incommoda, tam spiritualia quam corporalia, quæ per eorum insidias nobis proveniunt, et excitandi fideles ad fidei et devotionis augmentum.

8. Sed urgent Protestantes hoc esse genus quoddam superstitionis, quia vanum est sine præcepto aut auctoritate divina spiritualem fructum intendere per materialem sonum campanarum, ex vi solius humanæ benedictionis. Respondemus autem facile, præceptum divinum non esse necessarium, nam satis est actum de se malum non esse, neque a Deo specialiter prohibitum. Deinde dicimus auctoritatem Dei non deesse, saltem in radice et origine, quia ipse dedit auctoritatem Pastoribus Ecclesiæ ad regendam Ecclesiam, et disponenda ea quæ ad accidentarios ritus Ecclesiæ pertinent. Et in iis quæ pro universali Ecclesia approbati sunt, non deest etiam auctoritas Spiritus Sancti Ecclesiam docentis ac gubernantis. Denique fiducia, qua similes benedictiones fiunt, est fundata in fide Christi et promissionum ejus, et ita longe abest ab omni superstitione. Quia ille spiritualis effectus non expectatur nisi a Deo per orationes Ecclesiæ, quæ in illa benedictione funduntur; et licet quoad nos transire videantur, et in re benedicta virtutem non relinquant, semper manent in divina cognitione. Ideoque licet non semper infallibiliter obtineant effectus postulatos, sæpe nihilominus impetrant, quando aliæ opportunæ conditiones concurrunt, quia generaliter hoc promissum est justæ orationi, qualis maxime censenda est illa, quæ nomine totius Ecclesiæ funditur.

9. *Objectio hæreticorum dissolvitur.*—Instabunt vero adver-

sarii, quia in hac benedictione interveniunt non solum deprecationes, sed etiam actiones quædam quæ nullum possunt habere effectum, et ideo vanæ ac superstitiosæ videntur. Et præcipue calumniantur Protestantes lotionem campanarum; undique enim intus et extra cum aqua benedicta lavari jubentur. Et ideo fortasse rex non sub nomine benedictionis, sed nomine baptizationis hunc ritum appellat; vel forte quia Calvino omnis usus aquæ benedictæ profanatio quædam baptismi visus est. Sed hoc vanum omnino est, cum in tali usu, nec intentio nec forma baptismi intercedat. De nomine autem curandum non est, tum quia Ecclesia neque in ritu benedicendi campanas, neque in aliquo decreto, verbo baptizandi, sed verbo benedicendi campanas usa est. Tum quia nihil habet reprehensione dignum, et non est novum, sed satis antiquum, ut ex his, quæ Durand. refert, lib. 5 de Ritib., c. 22, n. 6, intelligi potest.

10. *Instantia.*— Rejecta ergo voce, de hujusmodi actionibus fatemur, non fieri propter aliquem effectum quem proprie efficere aut impetrare possint, et nihilominus negamus vane aut superstitiose fieri, quia propter aliquam convenientem significationem fiunt, ad memoriam vel affectum fidelium excitandum. Quæ ratio valde consentanea est humanæ conditioni; et ideo Deus ipse tam in sacramentis antiquis quam in novis illam observavit, quem suo modo, et pro suo captu in instituendis suis rebus et cæremoniis Ecclesia imitatur. Et ita per illam lotionem campanæ significatur imprimis quædam illius dedicatio ad usum sacrum, et ab aliis signis profanis separatio. Item significatur quanta puritate et decentia interna et externa, quantaque fidei integritate accedere ad ecclesiam debeant illi, qui ad sonitum talium signorum ad ecclesiam convocantur. Circa hujus autem ritus antiquitatem non immoror; nam, licet quidam Joanni XIII Pontifici illum tribuant, alii vero antiquiorem esse existiment, res tamen incerta est, parumque refert ad doctrinæ veritatem. Nam in his rebus quæ ex institutione humana pendent, et mutatio et novitas esse potest, ut supra dixi. Non

enim omnis novitas, sed profana, detestanda est; potest autem aliqua esse pia, et prudenter ac legitima potestate inducta; talis autem est usus et ritus de quo tractamus, et ideo quocumque tempore inceperit, irreprehensibilis est.

Summa et conclusio totius libri, cum apostrophe ad angliæ regem

11. De nostræ fidei mysteriis quæ rex Jacobus in sua Præfatione attigit, ea strictim tractavimus, quæ homini ad prudenter credendum parato sufficere, non credituro autem nimis multa videri possunt (1). Quamvis enim divina hæc et sacrosancta mysteria, ea præsertim quæ ad divinam Eucharistiam, ac B. Virginis aliorumque Sanctorum cultum invocationemque pertinent, adeo fines humanæ rationis et naturæ terminos excedant, ut ad eorum intelligentiam nihil, quod ab homine dicatur, satis valeat existimari, ad puram nihilominus et sinceram fidem adversus scripta regis Angliæ persuadendam, nostræ fidei antiquitatem, et in ea SS. Patrum consensionem ostendere satis superque esse judicavimus. Ideoque et id solum demonstrare promisimus, et promissum, qua potuimus diligentia, certitudine, et claritate, implevimus.

12. Superest, serenissime rex, ut sicut nos, quod promisimus, summa fidelitate exhibuimus, ita etiam a te, quod et ipse promisisti, qua debemus humilitate exigamus. Hæc enim tua sunt verba in Præfatione ad christianos principes: «Ego vero id ingenue spondeo, quoties religionis illius quam profiteor, ullum caput ostendatur non antiquum, Catholicum et Apostolicum, sed novitium esse (in rebus scilicet spectantibus ad fidem), me statim ab eo discessurum.» Et inferius: «Sic (in-

(1) Vide Bernard., ser. 67 in Cantic.

quit) hunc locum concludam: me nunquam ullum fidei dogma, quod quidem ad salutem est necessarium, amplecti recusaturum, quod tota Catholica Ecclesia jam inde ab Apostolorum temporibus sine intermissione, multis post sæculis constanter docuerit et crediderit.» Cum igitur non unum tantum, sed plura fidei gravissima dogmata, nimirum, de veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia, de ejusdemque cultu, debito usu, sacraque oblatione, de Sanctorum cum Christo regnantium, et præcipue SS. Virginis invocatione, de fidelium animarum, purgatione indigentium, pœnis atque suffragiis, aliaque similia quæ Romana Ecclesia docet ac credit, antiquissima in Ecclesia Catholica fuisse, manifeste ostenderimus, cumque regem Angliæ illa negare, et contraria ut vera et catholica profiteri, manifestum sit, negare profecto non potest conditionem ab ipso postulatam, a nobis, et ante nos ab allis Catholicis, esse impletam, ac subinde ipsum sua sponsione teneri, cujus proinde exhibitionem multis titulis postulamus.

13. Primum, quod promissio sit regia, quam decet esse constantissimam. Deinde quod, supposito rerum Anglicanarum statu, fuerit prudentiæ ac religioni valde consentanea. Ad hæc, rex serenissime, quia nisi veritati manifestatæ acquiescas, summum tibi periculum salutis immineat; nam ignorasse veritatem, humanum, sed nolle agnoscere declaratam, vel oppugnare agnitam, periculosissimum est, cum ex lance fidei libretur æternitas. Demum, quod nulla honesta ratione, nullove prætextu, verborum tuorum vincula subterfugere valeas. An clariorem lucem majusve testimonium requiris? audi Chrysostomum dicentem: «Sicut semper discere, signum est nunquam posse proficere, sic testimonium semper quærere, signum est nunquam velle credere.» An de tuis viribus et potestate contra fidei hostes diffidis? at si voluntatis promptitudo non desit, non est cur impotentiam verearis; nam quod prudentia persuadet, quodque fides docet ac religio jubet, idem nullo profecto negotio exequi potest regia potentia; præsertim quia si animus tibi non de-

fuerit, Deus certe non deerit, cujus donum est ipsa fides fideique defensio. An scandalum perversorum hominum times? Audi Augustinum: «Si de veritate scandalum sumitur, utilius nasci scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.» Cæci ergo sunt, et duces cæcorum, contemne illos; tui sunt, abscinde eos; facile fiet, quod pro Deo, et re tua et sua fit. Vel tandem humanum aliquid pateris, et ne, si Romano subjiciaris Pontifici, aliquid auctoritati tuæ derogetur, times? Securus esto, non tua quærit Romanus Pontifex, sed te; nam fidei obedientia regnum non minuit, sed temporale potius auget, et pandit æternum, cujus claves Romano Pontifici commissæ sunt, et ideo de tua est salute sollicitus. Quod ut persuasum tibi habeas, quod tuum quodque ipsius sit jus et potestas, sequens liber ostendet.

FINIS LIBRI SECUNDI

INDEX

LIBER SECUNDUS

Pag.

Liber secundus.—De peculiaribus erroribus in materia fidei Catholicæ, quos Rex Angliæ profitetur. . . . 5

Caput primum.—De præsentia corporis et sanguinis Christi in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento. . 7

Caput II.—Substantiam panis et vini sub speciebus consecratis non remanere. 23

Caput III.—De transsubstantiationis veritate. . . . 28

Caput IV.—Eucharistiam latriæ adoratione convenienter adorari, et in hunc finem elevari et circumgestari. 31

Caput V.—De laicorum sub una tantum specie panis communione. 38

Caput VI.—De Missis privatis. 56

Caput VII.—De erroribus qui circa cultum et invocationem Beatæ Virginis in Regis Præfatione notantur. 64

Caput VIII.—De iis quæ circa cultum Sanctorum in Regis Præfatione notantur. 77

Caput IX.—De Sanctorum invocatione. 86

Caput X.—De Sanctorum reliquiarum custodia et veneratione. 106

Caput XI.—De vera imaginum sanctarum veneratione seu adoratione. 118

Caput XII.—Objectionibus Regis contra imaginum venerationem satisfit. 134

Caput XIII.—De imaginibus Dei ut Deus est. 144

Caput XIV.—De crucis Christi adoratione. 148

Caput XV.— De errore circa purgatorium. 154

Caput XVI.—De erroribus circa ecclesiæ ritus et benedictiones. 172

MENDA SIC EMENDA

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
30	2	qua	quæ
76	5	cœestibus	cœlestibus
87	23	impetra	impetrat
145	21	prudentes	prudenter
146	18	iaciatis	faciatis

3

R. P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

TOMUS TERTIUS

DEFENSIO
FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

CUM RESPONSIONE AD APOLOGIAM PRO JURAMENTO FIDELITATIS, ET EPISTOLAM AD PRINCIPES CHRISTIANOS SERENISSIMI JACOBI ANGLIÆ REGIS

R. P. FRANCISCO SUAREZ

E SOCIETATE JESU

Accuratissima completaque editio a Bibliothecariis VERÆ SCIENTIÆ HISPANÆ *compulsata*

TOMUS TERTIUS

BARCINONE

APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA

IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16

1882

Eccles. super. permisu

LIBER TERTIUS

DE

SUMMI PONTIFICIS

SUPRA TEMPORALES REGES EXCELLENTIA ET POTESTATE

Hactenus ostensum est in quas hæreses gravesque erro-
es, contempto catholicæ fidei fundamento, Anglia tandem in-
iderit. Superest ut de totius lapsus origine, id est, de negata
Pontifici Summo debita obedientia, et usurpato a temporali
ege falso nomine supremi capitis in spiritualibus sui regni,
isseramus. Hoc enim fuit totius schismatis initium, et de
chismate ad hærasim perventum est, ut supra vidimus. Non
st autem necesse iterum miseram et turpem causam comme-
norare, quæ tantæ mutationi et horrendo schismati occasionem
ræbuit; nam historiæ veritas satis perspicue in principio pri-
i libri describitur; argumentum vero evidens, quod inde su-
nitur, mutationem illam anglicanam non a Deo vero, sed a
rincipe tenebrarum ortam esse, satis etiam in eodem libro

iuculcatum manet, ideoque his, quæ ad præteritum factum spectant, omissis, de jure regis et Pontificis, in hoc libro tractandum superest. Et quamvis de absoluta temporali regis potestate nulla lis aut controversia mota sit, sed solum de illius ad Romanum Pontificem subordinatione, dependentia, ac debita obedientia, nihilominus ut exactius res tota intelligatur, et regi Angliæ plenius satisfaciamus (qui in Præfatione sua conqueritur, Pontificem tantam in reges potestatem inique usurpasse, ut se posse contendat *pro libito* regna mutare, dare et auferre), ideo prius quid de regum temporalium munere et jurisdictione fides doceat, postea vero de Romani Summique Pontificis primatu, et potestate quam, pro ratione sui muneris, in quosvis temporales principes exercere valeat, disseremus. Observato autem, pro uniuscujusque loci opportunitate, ordine doctrinæ, simul errores varios ad hoc punctum pertinentes, quos sparsim rex in Præfatione et in Apologia profert, animadvertemus et refutabimus, objectionibusque quas indicat satisfaciemus; ad alia vero multa, quæ in hoc puncto dici possent, non digrediemur.

CAPUT PRIMUM

Utrum principatus politicus legitimus et a Deo sit

1. *Error aliquorum Judæorum nullum principatum humanum gnoscentium.* – Potest hoc loco referri antiquus error quorum-am Judæorum, qui dicebant solum Deum esse tanquam prin-ipem et dominum recognoscendum, illi enim videntur omnem rincipatum humanum, ac subinde regnum etiam politicum anquam humanæ libertati contrarium respuisse. Ita refert Jo-ephus, libro 18 de Antiquit., cap. 1, ubi auctorem hujus erro-is vocat Judam Gaulanitam, fortasse enim ex origine hoc cog-omen habebat; nam c. 2, vocat Judam Galilæum, forte ex atria; lib. autem 2 de Bello Judaic., cap. 2, vocat Simonem alilæum; tamen in Actibus Apostolorum, c. 5, illius videtur eri mentio sub nomine Judæ Galilæi, de quo dicitur: «In die-us professionis avertit populum post se, et ipse periit, et om-es quotquot consenserunt ei dispersi sunt.» Cujus seditionis eminit etiam Joseph., loco citato, et lib. 7 de Bello Jud., ap. 29 et 31, et aliqui existimant hos esse Galilæos, «quorum anguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum,» ut refert ucas, c. 13, et exponit ibi Œcumenius, et Anastasius Nicæ-us, q. 67, in Scripturam. Et quoniam Christus Dominus Gali-eus erat, et ex Galilæa discipulos congregaverat, ideo fortasse udæi calumniam illi hujus erroris moliebantur, quando illum terrogaverunt: «Licetne censum dare Cæsari, an non? ut ensit Augustinus enarrans verba illa Psalmi 118: «Principes ersecuti sunt me gratis,» et Hieronymus, ad Titum 3, in princ.

2. Non constat autem mihi an Judas ille Galilæus de uni-ersis hominibus, an de solis Judæis sententiam suam protule-

rit; potuit enim specialiter de Judæis sentire non potuisse a imperatoribus ethnicis in subjectionem redigi, vel ad solvend tributa cogi, neque debere illos ut dominos recognoscere, qui populus ille sub peculiari Dei regimine susceptus erat. Et ide fortasse postea etiam Apostoli et Christiani, in principio, d hoc errore suspecti fuerunt gentibus, ut ex Justino, Apolog. 2 et Clement. Alexandri., lib. 4 Stromat., accipi potest, et latiu c. 3 dicam. Quod si Judas ille absolute de omnibus hominibu et principibus humanis locutus est, fundari forte potuit in na turali hominis dignitate. Nam homo factus ad imaginem Dei sui juris, solique Deo subditus creatus est, et ideo non videtu posse juste in alicujus hominis servitutem vel subjectionem re digi; ergo non potest unus homo juste compelli, ut alium tan quam principem et dominum temporalem recognoscat; ac sub inde principatus politicus, qui hunc dominatum usurpat, ne legitimus, nec a Deo est.

3. *Prima assertio: principatus politicus debito modo introductus justus est.* — Nihilominus veritas catholica est, politicum principatum, debito modo introductum, justum et legitimum esse. Dico, «debito modo introductum,» ut excludam potestatem per tyrannidem usurpatam, quia de illa constat esse violentiam iniquam, non veram et justam potestatem, cum justo titulo dominii careat; quis autem hic titulus justus sit, capite sequenti attingam. Sic ergo explicata, dicta resolutio habetur expresse in sacra Scriptura, Proverb. 29: «Rex justus erigit terram;» et iterum: «Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur;» Sapient. 6: «Rex sapiens stabilimentum populi est.» In his enim locis et similibus, aperte supponitur temporales reges esse veros ac legitimos principes seu dominos. Et ideo Petrus, 1 canon., cap. 2, præcipit: «Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellenti,» etc. Et infra: «Regem honorificate,» et Paulus ad Roman. 13: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.» Et infra: «Non solum propter iram, sed etiam

propter conscientiam;» non tenetur autem aliquis propter conscientiam obedire, nisi legitimam potestatem ad præcipiendum habenti. Præterea ex Patribus docuerunt veritatem hanc Clemens, libro quarto Constit., cap. 12, dicens: «Estote subjecti omni regi et potestati, in iis quæ Deo placent, tanquam ministris Dei, et impiorum judicibus.» Et ulterius: «Exhibete eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum,» etc. Et concludit: «Hæc enim est Dei lex.» Idem habet lib. 7, c. 17, et Basilius, in Moralibus, regul. 79, ubi etiam adducit illud ad Titum 3: «Admone illos, principatibus et potestatibus subditos esse;» Hieronymus, epist. 4, post medium, ubi exemplis etiam ex brutis animalibus sumptis id confirmat, dicens: «Etiam muta animalia et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues unum sequuntur ordine litterato, imperator unus, judex unus provinciæ,» etc. Et sumpsisse videtur ex Cypriano, libr. de Idolorum vanitate.

4. *Ratione probatur assertio.* — Atque ex his testimoniis colligi imprimis potest ratio hujus veritatis, quæ ex necessitate hujus principatus et potestatis ejus, et consequenter ex fine illius, qui est conservatio humanæ ac civilis reipublicæ, sumitur. Homo enim natura sua propensus est ad civilem societatem, eaque ad convenientem hujus vitæ conservationem maxime indiget, ut recte Aristoteles docuit, 1 Politicorum, cap. 1 et 2; quod etiam a Deo esse sic ordinatum ad conciliandum inter homines concordiam et charitatem, longo discursu expendit Chrysostomus, homil. 34, in 1 ad Corinth. Non potest autem communitas hominum sine justitia et pace conservari; neque justitia et pax sine gubernatore, qui potestatem præcipiendi et coercendi habeat, servari possunt; ergo in humana civitate necessarius est princeps politicus, qui illam in officio contineat. Propter quod dicitur Proverb. 11: «Ubi non est gubernator, populus corruet,» et Ecclesiast. 10 additur: «Væ tibi terra, cujus rex puer est,» quia non satis est habere principem, nisi sit etiam aptus ad gubernandum. Et ideo in pœnam comminatur

Deus Isaiæ 3: «Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.» Cum ergo humana natura non possit esse destituta mediis ad suam conservationem necessariis, dubitari non potest quin ex natura rei, et attento jure et justitia naturali, possit esse princeps politicus in civili societate, habens in eam legitimam et sufficientem potestatem. De quo discursu videri potest Augustin., lib. Propos. in epistol. ad Roman., prop. 72, quem imitatur Anselm., Roman. 13, et ibidem Primas, et Laur. Justin., de Triumphali Christi agon. cap. 12.

5. *Ad principatum politicum unum caput mysticum sufficit.*— Potestque idem declarari naturali exemplo corporis humani, quod sine capite conservari non posset. Est enim humana respublica ad modum unius corporis, quod sine variis ministris, et ordinibus personarum, quæ sint instar plurium membrorum, subsistere non potest. Unde multo minus conservari poterit sine gubernatore et principe, ad quem totius corporis commune bonum procurare pertineat. Idem explicari potest exemplis aliarte (ut ita dicam) desumptis, ut est de navi, quam necesse est perire si gubernator desit. Item de exercitu, si desit dux, et similibus. Atque huc etiam tendunt exempla ex aliis animantibus, e Cypriano et Hieronymo desumpta, quibus (quod notandum est) non solum intendunt concludere, necessarium esse principem in republica, sed etiam unum tantum esse debere: «Nunquam enim regni societas» (dixit Cyprianus) «aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit.» Loquuntur autem de supremo principatu, nam sub illo esse possunt plures gubernatores in diversis provinciæ partibus; necesse est autem ut omnes uni subordinentur, in quo sit suprema potestas. Nam si plures essent, nec inter se nec alteri subordinati, fieri nullo modo posset ut unitas, seu concordia et obedientia cum justitia et pace conservarentur, ut per se satis notum est. Intelligendum vero etiam hoc est de uno principe, non quoad personam propriam, sed quoad potestatem, et consequenter quoad personam aut

veram, aut mysticam, seu politicam; nam ad regimen et conservationem civilis societatis humanæ non est absolute necesarius unus monarcha (sunt enim alii modi regiminum sufficientes, licet fortasse non ita perfecti, ut infra attingemus), et deo cum de uno principatu politico loquimur, unum tribunal, eu potestatem unam intelligimus, sive illa in una naturali perona, sive in uno consilio, seu congregatione plurium tanquam n una persona ficta, ut in uno capite existat.

6. *Secunda assertio: potestas politici principis a Deo dimat.* — Præter rationem sumptam ex fine et ex necessitate hujus otestatis, justitiam ejus ex illius origine ostendere necesse est. ropter quod addimus, principem politicum potestatem suam a eo ipso recipere. Quod etiam, absolute loquendo, de fide est; am expresse Paulus pro ratione obedientiæ debitæ tali prinipi, adjunxit: «Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem unt a Deo, ordinata sunt (1).» Et infra: «Dei enim minister est;» t Proverbiorum 8, dicit divina sapientia: «Per me Reges regant;» et Sapient. 6: «Audite, Reges,» etc., «quoniam data est Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo.» Et ita 3 eg. 10, de rege Salomone dicitur: «Sit Dominus Deus tuus enedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Isel;» et Daniel, cap. 2, ad Nabuchodonosor dixit: «Deus cœli gnum, et fortitudinem, et imperium dedit tibi.» Et idem suitur ex Jeremia 27. Eadem est communis doctrina Patrum exonentium prædicta loca Pauli, præsertim Chrysostom., hom. 23; Origen., lib. 9 in epistol. ad Roman., et Œcumen., ibidem, ui ait: «Quia æqualitas in omnibus seditiosa res erat, ideo eus potestatem adjunxit.» Homilia in Psal. 148, circa verba a, «Reges terræ, omnes populi, principes, et omnes judices rræ,» inter alia dicit, «fuisse opus Dei providentiæ in eos qui agistratus gerunt, et in eos qui illis parent, universum divi-

(1) Rom. 13.

sisse.» Nazianzen., orat. 17, et Epiphanius contra Archontic. et hæres. 40, ubi inter alia de potestate principis ait: «Non aliunde est, sed ex Deo;» et Isidorus Pelusiota, lib. 2, ep. 206 imperium a Deo formatum atque institutum dicit; et Theophilus Antiochen., lib. 1 ad Autolyc.; «Deum» (inquit), «non Cæsarem adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum;» et infra dixit, regem, sive Cæsarem esse honorandum, et pro illo ad Deum esse orandum: «Nam regnum» (ait) seu imperium, rerumque administratio ipsi a Deo commissa seu demandata est. Idem late docet Irenæus, lib. 5 contra Hæres., cap. 24, ubi loci Scripturæ, præsertim Pauli, in hunc sensum exponit, et alias interpretationes refellit, et optime Tertullianus, libro ad Scapulam, cap. 2: «Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum esse velit.» Denique Augustinus, libr. 5 de Civitat., cap. 21: «Non tribuamus (inquit) «dandi regni et imperii potestatem, nisi Deo vero,» etc. Idemque confirmant Patres in priori assertione allegati, et alii quos in sequenti capite referam.

7. *Ratio assertionis.*—Ratio hujus assertionis multum pendet ex modo quo credendum est, Deum dare hujusmodi principatum, seu potestatem, quod sequenti capite tractandum est. Et ideo nunc breviter probatur, primo, quia omnia quæ sunt de jure naturæ sunt a Deo ut auctore naturæ; sed principatus politicus est de jure naturæ; ergo est a Deo ut auctore naturæ. Et ita hæc assertio fundatur in præcedente; nam cum hic principatus justus et legitimus sit, non potest non esse consentaneus juri naturali; et cum sit necessarius ad conservationem humanæ societatis, quam ipsa humana natura appetit, etiam hoc titulo est ex jure naturali talem potestatem exigente; igitur sicut Deus, qui est auctor naturæ, est etiam auctor hujus primatus et potestatis. Nam, ut Philosophus dixit, qui dat formam dat ea quæ consequuntur ad ipsam. Deinde potest eadem illatio fieri hoc modo, quia omne bonum dimanat a Deo u

principali auctore, juxta illud Jacobi 1: «Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est;» sed principatus politicus est bonus et honestus, ut ostensum est; ergo est a Deo. Denique hac ratione terreni reges ministri Dei vocantur in Scriptura, ut vidimus, ergo eorum potestas ministerialis est respectu Dei; ergo ipse est principalis auctor hujus regiminis. Declaratur autem maxime ex potestate quam princeps politicus habet ad vindictam de malis sumendam, etiam illos vita privando, si oportuerit: nam hoc sine divino nutu fieri non potuisset, cum solus Deus sit dominus vitæ hominis, et hoc significavit Paulus dicens: «Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.» Unde etiam est illud Augustini, lib. de Natura boni, contra Manichæos: «Etiam nocentium potestas non est nisi a Deo,» et citat illud: «Per me reges regnant,» et similia.

8. *Diluitur fundamentum erroris in principio positi.*—Atque hinc facile patet responsio od fundamentum contrarii erroris intellecti in posteriori sensu supra declarato, in quo est propositæ veritati catholicæ contrarius. Quamvis enim homo liber creatus sit, non tamen sine capacitate et aptitudine, ut justa causa et rationi consentanea possit alteri homini subjici; imo subjectio aliqua est homini naturalis, vel supposito naturali modo generationis, ut est subjectio filii ad patrem, vel supposito aliquo pacto, ut est subjectio uxoris ad virum. Sic ergo, supposita societate civili, subjectio singularum personarum ad publicam potestatem seu principatum politicum, naturalis est, quanquam consentanea rectæ rationi naturali, et ad convenientem humanæ naturæ conservationem necessaria. Et ideo neque conditioni hominis hæc subjectio repugnat, neque etiam in aliquam Dei injuriam redundat, quia, licet princeps politicus in gradu suo sit rex, legislator et dominus, longe tamen diverso et inferiori modo quam Deus. Nam de homine solum per participationem quamdam tanquam de ministro Dei hæc dicun-

tur; soli autem Deo per essentiam et principaliter conveniunt. Quod si error ille in priori sensu intelligitur, non opponitur assertioni catholicæ a nobis propositæ, quia licet Judaicus populus ex peculiari Dei privilegio esset exemptus, ne jure principibus ethnicis subjici posset, nihilominus in ipsa Judæorum republica legitimus principatus politicus inveniri potuit, sicut revera suis temporibus fuit, et similiter in aliis regnis et provinciis gentium esset idem principatus, et in unoquoque principe supremo esset similis potestas in populos sibi subjectos. Verumtamen etiam in illo sensu non habuit sententia illa fundamentum solidum; non vacat autem nunc illud expendere, neque etiam examinare an Judæi jure et legitime, vel per injuriam et tyrannidem fuerint Romanis subjecti, et ad solvendum imperatori tributum coacti, nam hujusmodi quæstiones nihil ad præsens institutum referunt.

CAPUT II

Utrum principatus politicus immediate a Deo sit, seu ex divina institutione

1. *Principatum politicum immediate a Deo esse opinatur Jacobus Rex.*—Quæstio tractata in præcedenti capite, propter hanc, quam nunc propono, declarata est; in illa enim nulla est nobis contentio cum rege Angliæ; sed necessario præmittenda fuit, ut hæc possit intelligi. In qua rex serenissimus non solum novo et singulari modo opinatur, sed etiam acriter invehitur in Cardinalem Bellarminum (1), eo quod asseruerit, «non regibus auctoritatem a Deo immediate, perinde ac Pontificibus esse concessam.» Asserit ergo ipse, regem non a populo, sed imme-

(1) In præfatione, pag. 140.

liate a Deo suam potestatem habere, suam vero sententiam quibusdam argumentis et exemplis suadere conatur, quorum efficaciam in sequenti capite expendemus.

2. *Quæ requirantur ut aliqua potestas immediate a Deo conferatur.*—Sed quanquam controversia hæc ad fidei dogmata directe non pertineat (nihil enim ex divina Scriptura aut Patrum traditione in illa definitum ostendi potest), nihilominus diligenter tractanda et explicanda est. Tum quia potest esse occasio errandi in aliis dogmatibus. Tum etiam quia prædicta regis sententia, prout ab ipso asseritur et intenditur, nova et singularis est, et ad exaggerandam temporalem potestatem et spiritualem extenuandam videtur inventa. Tum denique quia sententiam Illustrissimi Bellarmini antiquam, receptam, veram ac necessariam esse censemus. Quod ut ostendamus, declarare prius oportet, quid sit potestatem aliquam esse immediate a Deo, seu (quod perinde est) Deum esse immediatam causam et auctorem alicujus potestatis. Imprimis enim requiritur ut Deus sit causa proxima, sua voluntate conferens talem potestatem. Non enim satis est ut Deus, tanquam prima causa et universalis, potestatem tribuat; nam licet illo etiam modo possit Deus aliquo modo dici immediate efficere, vel donare quidquid ab ipso tanquam a prima causa pendet, sive ratione proximæ virtutis, sive ut immediatum suppositum, ut philosophi distinguunt, nihilominus hic modus immediatæ effectionis in præsenti non satis est. Quia nulla est potestas quæ hoc modo non sit a Deo, ut a prima causa; ac proinde immediate in illo genere; atque ita potestas etiam data immediate ab hominibus, a rege vel Pontifice, datur etiam a Deo, ut prima causa immediate influente in illum effectum, et in actu voluntatis creatæ, per quam proxime donatur. At vero talis potestas non dicitur simpliciter esse immediate a Deo, sed solum secundum quid; nam proxime ab homine datur, et ab illo pendet. Tunc ergo dicitur potestas absolute data immediate a Deo, quando solus Deus per voluntatem suam est causa proxima, et per se donans

talem potestatem, et hoc modo in præsenti loquimur, alioqu frivola et inutilis esset disputatio.

3. Imo ulterius duos modos distinguere oportet, quibu Deus potest et solet immediate, id est, sola sua potentia e voluntate aliquam potestatem conferre. Unus modus est da do potestatem, ut ex natura rei necessario connexam cu aliqua natura rei, quam Deus ipse condit, quod in physi cis facultatibus facile potest considerari; nam Deus crean do animam dat illi immediate intellectum et voluntatem, qui licet hujusmodi potentiæ ex anima ipsa naturaliter fluant, ta men quia solus Deus animam immediate creat, dicitur etia immediate conferre potentias quæ illam consequuntur. Ide ergo est, servata proportione, in morali potestate, nam potes tas patris in filium moralis est, et a Deo ipso ut auctore natur immediate confertur, non ut peculiare donum a natura omnin distinctum, sed ut necessario consequens illam, supposito ge nerationis fundamento; sicut e contrario subjectio filii ad pa trem naturalis est, et a Deo immediate, non ex peculiari insti tutione addita naturæ, sed ut necessario consequens ad talen naturam rationalem sic productam. Alio modo datur a Deo im mediate potestas per se (ut ita dicam) et peculiari donatione non ut necessario connexa cum alicujus rei creatione, sed u voluntarie a Deo superaddita alicui naturæ vel personæ. Cu jusmodi possumus exempla quasi physica et moralia adhibere nam potestas proxima faciendi miracula quasi physica est, e tamen Deus illam immediate confert cui vult, non ex aliqu debito, sed ex consilio voluntatis suæ. Potestas quoque juris dictionis, Petro, verbi gratia, data, moralis fuit, et tamen Deu illam immediate, directe, ac per se contulit. Ratio autem dis tinctionis non est alia, nisi quia potestates ipsæ possunt ess diversarum rationum vel ordinum, et Deus potens est ad ope randum, et connaturali, et præter, vel supernaturali modo.

4. Quamobrem cum rex adstruat, Deum immediate dar regibus principatum et potestatem temporalem, videndum es

an illa assertio aliquo ex prædictis modis vera esse possit. Prius vero declarandum est subjectum, cui dicitur Deus immediate dare hanc potestatem, et ad quod vel quale regimen illam dare censeatur. Nam hæc potestas considerari potest, vel prout est, seu esse potest, in toto corpore politico communitatis, seu civitates humanæ, vel prout in his aut illis membris ejusdem communitatis existit, vel existere potest. Item considerari potest eadem potestas vel præcise et abstracte, vel ad certam speciem politicæ gubernationis determinata. Nam (ut est moralis doctrina philosophis communis) triplex potest esse regimen reipublicæ humanæ, monarchicum unius principis supremi, qui sit una singularis persona; aristocraticum, unius supremi consilii seu tribunalis ex pluribus optimatibus coacti; et democraticum, per totius populi suffragia, qui tres modi simplices sunt; ex illis autem possunt alii componi, qui vel duos illorum, vel etiam omnes participent, quæ gubernationes mistæ solent appellari. Potest igitur principatus politicus, vel per se et præcise considerari, ut potestas quædam suprema regendi civiliter rempublicam, abstrahendo ab hoc vel illo modo regiminis, tam simplici quam mixto, vel prout determinatus ad aliquam regiminis speciem ex his quas numeravimus. Quibus sic propositis, et distinctis, sine ulla prorsus ambiguitate, evidentique ratione statui potest quomodo principatus politicus sit immediate a Deo, et nihilominus regibus et senatibus supremis non a Deo immediate, sed ab hominibus commendatus sit.

5. *Suprema potestas civilis soli communitati perfectæ immediate a Deo confertur. — Probatur prior assertionis pars primo.* — Primo enim suprema potestas civilis, per se spectata, immediate quidem data est a Deo hominibus in civitatem seu perfectam communitatem politicam congregatis, non quidem ex peculari et quasi positiva institutione, vel donatione omnino distincta a productione talis naturæ, sed per naturalem consecutionem ex vi primæ creationis ejus, ideoque ex vi talis donationis non est hæc potestas in una persona, neque in peculiari congregatione

multarum, sed in toto perfecto populo seu corpore communitatis. Hæc resolutio quoad omnes partes communis est, non solum Theologorum, sed etiam jurisperitorum, quos statim referam. Nunc ratione ostendo singulas partes. Primam quidem et secundam, quia hæc potestas politica naturalis est; quia nulla etiam interveniente supernaturali revelatione aut fide, ex dictamine rationis naturalis agnosceretur hac potestas in humana republica, ut illius conservationi et æquitati omnino necessaria; signum igitur est, esse in tali communitate ut proprietatem consequentem naturam, seu creationem, et naturalem ipsius institutionem. Nam si præter hanc esset necessaria specialis Dei donatio, et concessio non connexa cum natura, non posset sola naturali ratione de illa constare, sed opus esset ut per revelationem hominibus manifestaretur, ut de illa certi esse possent, quod tamen falsum est, ut ex dictis constat.

6. *Probatur secundo.* — Quod autem saltem hoc modo necessario dicendum sit, hanc potestatem esse immediate a Deo, facile ex eisdem principiis concluditur, quia quæ consequuntur naturam, immediate dantur a proprio et immediato auctore ejusdem naturæ, ut declaravi; sed hæc potestas est proprietas quædam consequens humanam naturam, ut in unum politicum corpus congregatam, ut etiam ostensum est; ergo datur immediate a Deo, ut est auctor et provisor talis naturæ. Deinde probari hoc potest, quia hæc potestas est a Deo, ut capite præcedenti probatum est, et respectu talis communitatis non intercedit medium (ut sic dicam) inter Deum et ipsam, per quod tribuatur. Nam, eo ipso quod homines in corpus unius civitatis vel reipublicæ congregantur, sine interventu alicujus creatæ voluntatis resultat in illa communitate talis potestas, cum tanta necessitate, ut non possit per voluntatem humanam impediri; signum proinde est esse immediate a Deo, interveniente solum illa naturali resultantia, seu consecutione ex natura, et dictamine rationis naturalis, ostendentis, potius quam ejusmodi potestatem exhibentis. Neque immediatam emanationem hujus

potestatis a Deo, hoc modo declaratam, negavit unquam Cardinalis Bellarminus, sed illam potius supposuit, quia non inter populum et Deum medium posuit, sed inter regem et Deum voluit populum esse medium, per quod rex talem accipit potestatem, quod longe diversum est, ut jam declarabitur.

7. *Altera pars assertionis ostenditur.*—Atque hinc evidens etiam est (quod in ultima parte assertionis dicebamus) potestatem hanc præcise spectatam, ut est ab auctore naturæ quasi per naturalem consecutionem, non esse in una persona, neque in aliqua peculiari communitate, sive optimatum, sive quorumcumque ex populo, quia ex natura rei solum est hæc potestas in communitate, quatenus ad illius conservationem necessaria est, et quatenus per dictamen rationis naturalis ostendi potest; sed ratio naturalis solum ostendit esse necessariam in tota communitate, et non in una persona, vel senatu; ergo prout est immediate a Deo, solum intelligitur esse in tota communitate, non in aliqua parte ejus. Quod intelligo de parte communitatis non solum individue seu materialiter (ut sic dicam) designata, sed etiam formaliter, seu indeterminate aut vage concepta, id est, non est immediate in una certa persona, verbi gratia, Adamo, Jacobo, vel Philippo, neque etiam ex natura rei postulat esse in una singulari persona, et idem est cum proportione de senatu, sive spectetur materialiter, ut constans ex talibus personis, sive formaliter, ut est congregatio ex tali, vel tanto personarum numero. Et ratio est manifesta, quia ex vi rationis naturalis nulla potest excogitari ratio cur hæc potestas determinetur ad unam personam, vel ad certum numerum personarum infra totam communitatem, magis quam ad alium; ergo ex vi naturalis concessionis solum est immediate in communitate. Declaratur denique, quia ex vi solius rationis naturalis non determinatur principatus politicus ad monarchiam, vel aristocratiam simplicem vel mistam, quia nulla est ratio quæ definitum modum regiminis necessarium esse convincat. Quod usus ipse confirmat; nam propterea diversæ provinciæ vel nationes

diversos etiam gubernationis modos elegerunt, et nulla illarum contra rationem naturalem aut contra immediatam Dei institutionem operatur. Quare signum est potestatem politicam non esse a Deo immediate donatam uni personæ, principi, regi, aut imperatori, alioqui illa esset monarchia immediate a Deo constituta; vel uni, vel alicui particulari senatui, aut particulari congregationi paucorum principum, alioqui illa esset aristocratia a Deo immediate instituta; idemque argumentum de quacumque mista gubernatione fieri poterit.

8. *Objectio.—Solutio.*—Dices: si hæc ratio efficax esset, etiam probaret Deum non dedisse immediate toti communitati hanc politicam potestatem, quia alias democratia esset immediate ex divina institutione, sicut de monarchia et aristocratia nos inferebamus. At hoc non minus est falsum et absurdum in democratia, quam in aliis speciebus regiminum, tum quia sicut ratio naturalis non determinat ut necessariam Monarchiam vel aristocratiam, ita nec democratiam; imo multo minus istam, quia omnium imperfectissima est, ut Aristoteles testatur, et est per se evidens. Tum etiam quia si illa institutio esset divina, non posset per homines immutari. Respondetur negando primam illationem, nam potius ex eo quod hæc potestas non est data a Deo instituente monarchiam vel aristocratiam, necessario concluditur datam fuisse toti communitati, quia non relinquitur aliud subjectum humanum, ut sic dicam, cui dari potuerit. Ad alteram vero illationem, scilicet, hinc sequi democratiam esse ex divina institutione, respondemus, si hoc intelligatur de institutione positiva, negandam esse consecutionem; si vero intelligatur de institutione quasi naturali, sine ullo inconvenienti admitti posse et debere. Est enim valde notanda differentia inter has species politicæ gubernationis, nam monarchia et aristocratia introduci non potuerunt sine positiva institutione divina vel humana, quia sola naturalis ratio nude sumpta non determinat aliquam ex dictis speciebus ut necessariam, sicut dixi; unde cum in humana natura, per se spectata

absque fide seu revelatione divina, non habeat locum positiva institutio de illis speciebus necessario concluditur, non esse immediate a Deo. At vero democratia esse posset absque institutione positiva, ex sola naturali institutione, seu dimanatione, cum sola negatione novæ, seu positivæ institutionis, quia ipsa ratio naturalis dictat, potestatem politicam supremam naturaliter sequi ex humana communitate perfecta, et ex vi ejusdem rationis ad totam communitatem pertinere, nisi per novam institutionem in alium transferatur, quia ex vi rationis neque alia determinatio locum habet, neque immutabilior postulatur.

9. *Quomodo democratia dicatur esse de jure naturæ.* — Quocirca potestas hæc, prout a Deo immediate datur communitati, iuxta modum loquendi jurisperitorum, dici potest de jure naturali negative, non positive, vel potius de jure naturali concedente, non simpliciter præcipiente. Quia nimirum jus naturale dat quidem per se et immediate hanc potestatem communitati, non tamen absolute præcipit ut in illa semper maneat, neque ut per illam talis potestas immediate exerceatur, sed solum quamdiu eadem communitas aliud non decreverit, vel etiam ab aliquo potestatem habente mutatio legitime facta non fuerit. Exemplum est de libertate hominis, quæ servituti opponitur, est enim de jure naturali, quia ex vi solius naturalis juris homo nascitur liber, nec potest sine legitimo aliquo titulo in servitutem redigi; jus autem naturæ non præcipit omnem hominem semper manere liberum, seu (quod perinde est) non simpliciter prohibet hominem in servitutem redigi, sed solum ut id non fiat vel sine libero illius consensu, vel sine justo titulo et potestate. Sic ergo perfecta communitas civilis jure naturæ libera est, et nulli homini extra se subjicitur, tota vero ipsa habet in se potestatem, quæ si non mutaretur, democratica esset, et nihilominus, vel ipsa volente, vel ab alio habente potestatem et titulum justum, potest tali potestate privari, et in aliquam personam vel senatum transferri.

10. *Nullus principatus politicus est immediate a Deo.* — Ex

quibus tandem concluditur nullum regem vel monarcham habere vel habuisse (secundum ordinariam legem) immediate a Deo, vel ex divina institutione, politicum principatum, sed mediante humana voluntate et institutione. Hoc est «egregium Theologiæ axioma,» non per irrisionem, ut rex protulit, sed vere, quia recte intellectum verissimum est, et ad intelligendos fines et limites civilis potestatis maxime necessarium. Non est autem novum, aut a Cardinali Bellarmino inventum, ut prædictus rex illi attribuere videtur; nam multo antea illud docuit Cardinalis Cajetanus, in Apologia, seu tract. 2 de Auctoritat. Papæ, p. 2, c. 10; et Castr., lib. 1 de Leg. pœnal., c. 1; et Dried., lib. 1 de Libertat. Christ., c. 19; et Victor., in Relect. de Potestat. civil., n. 8 et sequent.; et sumitur ex eodem, in relect. 2, de Potestat. Eccles , concl. 3, et ad 1; Soto, lib. 4 de Justit., q. 2, art. 1, in discursu conclusionis 1, et latius quæst. 4, art. 1; quos secutus est Ludovic. Molina, tractat. 2 de Justit., disp. 21. Et insinuat D. Thom., 1. 2, q. 90, art. 3, et quest. 97, art. 3, et clarius 2. 2, quæst. 10, art. 10. Nec solum a Theologis, sed etiam a jurisperitis doctrina hæc tradita est communiter, in lib. 3, ff. de Constitut. Princip. et in l. 2, ff. de Origin. juris; et ex Modernis, a Navarro, in cap. «Novit.» de Judiciis, notab. 3, præsertim num. 41, et 85, et 94, et num. 112 et sequentibus, usque ad 121, et num. 147; Covarruv., in Practicis quæstionibus, c. 1, num. 6, qui alios etiam referunt.

11. *Ex Patribus confirmatur assertio.* — Præterea sumi potest hæc veritas ex Sanctis Patribus, primo, quia sæpe asserunt hominem a Deo fuisse creatum ingenuum et liberum, solumque accepisse a Deo immediate potestatem dominandi brutis animalibus et inferioribus rebus; dominium autem hominum in homines per humanam voluntatem, propter peccatum aut adversitatem aliquam, fuisse introductum. Quod tradidit Ambrosius, ad Coloss., 3, in fine; et latius August., 19 de Civit., c. 15, et lib. Quæstion. in Genes., q. 153; et Gregorius, lib. 21

Moral., cap. 10, alias 11, et in Pastorali, p. 2, c. 6. Quod enim illi de libertate uniuscujusque hominis, et servitute illi opposita dicunt, eadem ratione in persona mista seu ficta unius communitatis seu civitatis humanæ verum habet. Nam prout a Deo immediate regitur jure naturæ, libera est et sui juris, quæ libertas non excludit, sed includit potius potestatem regendi se ipsam, et imperandi membris suis, excludit autem subjectionem ad alium hominem, quantum est ex vi solius naturalis juris, quia nulli hominum dedit Deus immediate talem potestatem, donec per institutionem vel electionem humanam in aliquem transferatur. Deinde hoc egregie confirmat sententia Augustini, lib. 3 Confess., c. 8, dicentis: «Generale pactum est societatis humanæ obedire regibus suis.» Nam per hæc verba significat, regium principatum, et obedientiam illidebitam, fundamentum habere in pacto societatis humanæ, ac subinde non esse ex immediata institutione Dei, nam humanum pactum humana contrahitur voluntate.

12. Et fortasse hoc pactum nomine «legis regiæ» significatur in l. 1, ff. de Constitut. Princip., ubi Ulpianus ait, ideo principis placitum legis habere vigorem, «quia lege regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem transtulerit.» Quæ verba probavit et transcripsit Justinianus imperator in § «Sed et quod principi,» Institut. de Jure natur. genti. et civili; illa enim lex non dicitur regia, quia ab aliquo rege lata sit, sed quia de imperio regis lata est, ut in eadem l. 1 dicitur, ubi etiam significatur constitutam esse a populo creante et instituente regis dignitatem, transferendo in illum suam potestatem, ut ibi etiam Glossæ et Doctores exponunt. Non potuit autem illa lex ferri per modum solius præcepti, cum per illam populus se abdicaverit a suprema juris dicendi potestate; ergo intelligi debet constituta per modum pacti, quo populus in principem transtulit potestatem sub onere et obligatione gerendi curam reipublicæ, et justitiam administrandi, et princeps tam potestatem quam condi-

tionem acceptavit; ex quo pacto firma et stabilis permansit lex regia, seu de regali potestate; non ergo immediate a Deo, sed a populo reges hanc habent potestatem. Unde etiam dicitur in l. 2, § «Novissime,» ff. de Origi. juris, «quia senatus non omnes provincias probe regere poterat, constituto principe, datum esse ei jus, ut quod constituisset, ratum esset.»

13. *Ratione probatur conclusio.* — Ratio autem assertionis ex dictis facile colligitur; nam illa potestas dicitur esse in aliquo immediate a Deo, quæ vel per solam Dei voluntatem, vel ex vi solius rationis naturalis, aut alicujus divinæ institutionis ad illum pervenit; sed potestas, de qua tractamus, nullo ex his modis data est regibus a Deo, loquendo secundum ordinariam legem, quia nec per specialem voluntatem Dei immediate data est (talis enim voluntas Dei nec revelata, nec nota facta est hominibus); neque etiam solum jus naturale per se dictat, hanc potestatem debere esse in regibus, ut ostensum est; institutio denique seu determinatio aut translatio hujus potestatis ad reges non a Deo immediate facta est, ut ex usu ipso constat. Item quia alias talis institutio immutabilis esset, et omnis mutatio in ea facta per homines fuisset iniqua; imo omnes civitates, regna, vel respublicæ deberent eamdem institutionem servare, quia non est major ratio de una quam de alia, neque una magis accepit ex divina revelatione talem institutionem, quam alia. Est ergo hæc humana institutio, quia per homines immediate facta; ergo per homines immediate datur potestas regibus, quorum dignitas per illam institutionem creata est. Mediate autem dicitur Deus dare hanc potestatem regibus, tum quia immediate dedit illam populo, qui in regem illam transtulit; tum quia Deus huic etiam translationi, proxime a populo factæ, consentit et cooperatur, tanquam prima et universalis causa; tum denique quia illam approbat, et servari vult. Sicut etiam lex humana immediate quidem obligat ex voluntate principis humani ferentis illam, mediate vero etiam obligat ex vi voluntatis Dei volentis, ut legitimis principibus obediatur, juxta illud Petri: «Subjecti estote,» etc., «quia sic est voluntas Dei.»

14. *Eadem conclusio exemplis ostenditur.* — *Cap.* Quo jure, *dist.* 1. — Potest denique hoc exemplo dominii humani circa res inferiores declarari. Simpliciter enim loquendo, omnes res, quarum homines habent dominium, ipsis a Deo donatæ sunt, non tamen eodem modo. Nam immediate non dedit Deus (ordinarie loquor) alicui homini proprium et peculiare dominium alicujus rei, sed immediate omnia fecit communia; privata autem dominia partim jure gentium, partim jure civili introducta sunt; et nihilominus illa etiam privata dominia sunt mediate a Deo, tum quia ducunt originem ex prima donatione Dei; tum etiam quia per suam generalem providentiam ad illa concurrit; tum denique quia illa servari vult, postquam sunt constituta. Sicque dixit Augustin., tract. 6 in Joan. in fine: «Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? nam jure divino Domini est terra, et plenitudo ejus; jure tamen humano dicit: Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est.» Et infra concludit: «Ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano.» Ita ergo, proportione servata, Deus est qui distribuit regna et principatus politicos, sed per homines, seu consensus populorum, vel aliam similem institutionem humanam.

15. *Objecto.* — Dicet vero fortasse aliquis, hoc discursu solum probari, potestatem regis non dari a Deo alicui personæ sine interventu voluntatis vel actionis humanæ, id tamen non satis esse ut non detur immediate a Deo, nam etiam dignitas Apostolica data est Matthiæ mediante actione aliorum Apostolorum, et nihilominus data illi est immediate a Deo; et similiter Summus Pontifex a Cardinalibus eligitur, et tamen immediate a Deo accipit potestatem. Et similiter qui succedit in majoratu per generationem, a proximo parente jus illud tandem consequitur, et nihilominus immediate censetur habere illa bona a primo institutore majoratus, quia ex vi solius voluntatis jus, etiamsi proximus parens maxime nolit, majoratum consequitur. Sic ergo, licet temporales reges per successionem dig-

nitatem regiam obtineant, a Deo immediate illam recipiunt ex vi primæ institutionis.

16. *Duobus modis potest intercedere voluntas hominis in collatione potestatis a Deo manantis.—Primus modus.*—Verumtamen hæc objectio non enervat, sed confirmat potius discursum factum, tum quia exempla non sunt similia; tum etiam quia non asseruimus, quamcumque interpositam hominis voluntatem vel actionem sufficere, ut potestatis donatio a Deo immediate non sit, sed solum id fuit dictum de peculiari mutatione et translatione facta per novam institutiònem humanam. Duobus itaque modis potest actio aut voluntas humana intervenire in collatione potestatis a Deo ipso ducentis originem: primo, solum designando vel constituendo personam quæ succedat in dignitate a Deo instituta, eodem prorsus modo quo instituta est, et sine auctoritate, vel potestate illam mutandi, augendi, vel minuendi. Atque hic modus quoad pontificiam dignitatem servatus est in lege veteri secundum successionem carnalem; in lege autem nova fit per legitimam electionem, qua persona designatur. De hoc ergo modo successionis verum est, nihil obstare quominus potestas a Deo immediate conferatur, et hoc tantum probant exempla adducta. Et ratio est, quia semper confertur potestas ex vi primæ institutionis, et solius voluntatis Dei, cujus signum est, quia integre et immutabiliter, prout instituta est, confertur, et quia successio etiam in eadem potestate ab eadem institutione originem habet; ideo enim in lege veteri per generationem carnalem in pontificatu succedebatur, quia ita a Deo ipso institutum erat; nunc autem designatio personæ alio magisque spirituali modo fit, quia ecclesiastica traditio docet ita esse a Christo institutum, qui modum electionis seu designationis personæ vicario suo definiendum commisit.

17. *Secundus modus.*—Alio ergo modo potest fieri collatio potestatis ab homine per novam donationem vel institutionem ultra designationem personæ, et tunc etiamsi talis potestas fundamentum habeat in aliqua priori donatione divina alteri

facta, nihilominus collatio illa, quæ postea fit, simpliciter est de jure humano, et non divino, et immediate ab homine, non a Deo. Exemplum est in servitute, nam si aliquis homo se vendat in servum alteri, servitus illa simpliciter est de jure humano, et potestas, quam dominus in servum accipit, ab ipso servo immediate data est per potestatem et libertatem naturalem, quam ipse immediate habuit ab auctore naturæ. Ita ergo est in præsenti de subjectione totius communitatis humanæ ad unum principem, nam immediate procedit a voluntate communitatis, et ideo immediate est ab homine, et de jure humano, licet originem trahat a potestate naturali, quam eadem communitas supra se ipsam a suo auctore accepit. Et ratio clara est, quia in his, et similibus casibus, nec sufficit designatio personæ, neque est separabilis a donatione vel contractu, aut quasi contractu humano, ut habeat effectum conferendi potestatem, quia sola naturalis ratio non inducit translationem potestatis ab uno homine in alium per solam designationem personæ, sine consensu et efficacia voluntatis ejus a quo potestas transferenda seu conferenda est. Unde intelligi non potest collatio potestatis, quæ a Deo immediate fiat, media generatione, electione, aut simili designatione humana, nisi ubi successio est ex divina institutione positiva; potestas autem regia non ex divina institutione positiva, sed solum ex ratione naturali ducit originem, media libera voluntate humana; et ideo necessario est ab homine immediate conferente, et non tantum personam designante.

18. Et hinc etiam oritur (quod est clarum indicium hujus veritatis) ut hæc regia potestas non sit æqualis in omnibus regibus, neque cum eisdem proprietatibus durationis, perpetuitatis aut successionis, et similibus. In quibusdam enim potestas est simpliciter monarchiæ, in aliis vero cum mistione aristocratiæ, seu cum dependentia ab aliquo senatu, etiam quoad suffragia decisiva, et interdum tantum in certis casibus, interdum in omnibus gravioribus; vel aliquando in multis, aliquando in

paucioribus. Item quibusdam regibus data est potestas non solum personæ, sed etiam ejus generationi (ut sic dicam), id est ut possint ad filios vel nepotes dignitatem transferre; aliis vero interdum datur pro persona, et sine carnali successione, ut, uno rege mortuo, alter eligatur, sicut modo in regno Poloniæ, et in ipso imperio Romano fit; imo etiam posset rex ad certum tempus eligi, si ita fuisset alicubi in principio introductum, quia ex natura rei hoc non repugnat. Ergo signum manifestum est, hanc esse immediatam institutionem humanam, et ideo recipere posse totam illam varietatem, quæ rationi non repugnet, et sub humano arbitrio cadere possit.

19. Atque hinc tandem fit, ut hæc regia potestas seu dominatio variis modis obtineri possit, quos hic etiam adnotare oportet, ut plenius resolutio tradita intelligatur. Primus enim modus conferendi uni principi hanc potestatem in primæva institutione, est per voluntarium populi consensum. Hic autem consensus variis modis intelligi potest: unus est, ut paulatim et quasi successive detur, prout successive populus augetur. Ut, verbi gratia, in familia Adæ vel Abrahæ, aut alia simili in principio, obediebatur Adamo tanquam parenti, seu patrifamilias, et postea, crescente populo, potuit subjectio illa continuari, et consensus extendi ad obediendum illi, etiam ut regi, quando communitas illa cœpit esse perfecta; et fortasse multa regna (et in particulari primum regnum Romanæ civitatis) ita inceperunt. Et in hoc modo (si quis recte consideret) regia potestas et communitas perfecta simul incipere possunt. Alius vero modus esse potest, quando communitas jam perfecta voluntarie regem eligit, in quem suam transfert potestatem, qui est modus per se maxime conveniens, et rationi consentaneus. Postquam vero hæc translatio semel facta est firma et perpetua, tunc non est ulterius necessaria nova electio vel novus populi consensus; sufficit enim ille qui in primordio regni datus est, ut ex vi illius eadem regia dignitas et potestas per successionem transferatur. Et hoc modo in regnis successivis reges etiam dici possunt ha-

bere potestatem immediate a populo, non per novum consensum, sed ex vi antiqui; a parentibus enim habent filii eadem regna in virtute primæ institutionis, magis quam parentum voluntate; nam, etiamsi pater nolit, primogenitus succedit in regno, et ideo pater solum se habet quasi applicans, seu constituens personam, in quam eadem potestas ex vi ejusdem primi contractus transferatur.

20. Præter hunc autem voluntarium modum solent interdum provinciæ seu populi liberi involuntarie subjici regibus per bellum; hoc autem contingit et juste et injuste fieri. Quando ergo bellum justum habuit titulum, tunc revera privatur populus potestate quam habebat, et princeps, qui contra illum prævaluit, verum jus et dominium talis regni acquisivit, quia, supposita justitia belli, illa est justa pœna. Sicut capti in justo bello privantur libertate a natura concessa, et efficiuntur vere servi in pœnam justam. Et ideo supra dixi, potestatem regiam fundari in contractu, vel quasi contractu; nam justa punitio delicti vicem contractus habet quoad effectum transferendi dominia et potestates, ideoque æqualiter servandus est. Sæpius vero contingit occupari aliquod regnum per bellum injustum, quo fere modo clariora orbis imperia amplificata fuere, et tunc quidem in principio non acquiritur regnum, nec vera potestas, cum titulus justitiæ desit, successu vero temporis contingit ut populus libere consentiat, vel a successoribus regnum bona fide præscribatur, et tunc cessabit tyrannis, et incipiet verum dominium et regia potestas. Atque ita semper potestas hæc aliquo humano titulo, seu per voluntatem humanam immediate obtinetur.

CAPUT III

Fundamentis et objectionibus Regis Angliæ contra doctrinam superioris capitis satisfit

1. *Primum regis fundamentum ab inconvenienti desumptum.* —Duo videntur esse præcipua fundamenta regis Jacobi, ut existimet reges non a populis, sed inmediate a Deo suam habere potestatem. Primum proponit, redarguendo Bellarminum, et quædam incommoda inferendo. Primum incommodum est, quia contraria sententia est «seditionum fundamentum, factiosis ac rebellibus avidissime arripiendum.» Quia si princeps a populo suam potestatem haberet, «posset populus in principem insurgere, seque in libertatem vendicare, quandocumque ipsi videretur, nimirum fretus eodem jure et potestate quam in regem transtulit. Præsertim cum Bellarminus dicat populum nunquam ita suam potestatem in regem transferre, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit.» Atque eodem modo inferre posset rex, integrum esse subditis potestatem principis restringere, et leges ejus abrogare, et alia similia facere, quæ superioris sunt potestatis. Nam si rex a populo habet potestatem, ab illo semper pendet; ergo potestas populi superior est; ergo potest omnia, quæ intulimus, efficere. Illa autem sunt absurda, nam seditionibus occasionem præbent, et principum potestatem enervant, ut severitatem, ut integritatem justitiæ servare non valeant.

2. Respondemus, nullum ex his incommodis sequi ex resolutione sententiave proposita. Nam imprimis negamus, ex ea occasionem rebellionum aut seditionum contra legitimos principes populo dari. Nam postquam populus suam potestatem in regem transtulit, non potest juste, eadem potestate fretus, suo arbitrio, seu quoties voluerit, se in libertatem vendicare. Nam

si potestatem suam regi concessit, quam ille acceptavit, eo ipso rex dominium acquisivit; ergo quamvis rex habuerit a populo illud dominium per donationem vel contractum, non ideo licebit populo dominium illud regis auferre, nec libertatem suam iterum usurpare. Sicut particularis persona, quæ suæ libertati renunciavit, et se in servum vendidit aut donavit, non potest postea suo arbitrio se a servitute eximere. Idem ergo est de persona ficta seu communitate, postquam se alicui principi plene subjecit. Item postquam populus suam potestatem regi contulit, jam se illa privavit; ergo non potest illa fretus juste in regem insurgere, quia nitetur potestate quam non habet, et ita non erit usus justus, sed usurpatio potestatis.

3. *A redargutione regis Illustrissimus Belarminus vendicatur.—Quando possit populus in regem insurgere, seque ab ejus potestate eximere.*—Quod vero Bellarminus ex Navarro dixit, populum nunquam ita suam potestatem in principem transferre, quin eam in habitu retineat, ut ea in certis casibus uti possit, neque contrarium est, neque fundamentum populis præbet ad se pro libito in libertatem vendicandum. Quia Bellarminus non simpliciter dixit, retinere populum potestatem in habitu, «ad quoscumque actus pro libito, et quoties velit exercendos», sed cum magna limitatione, et circumspectione dixit, «in certis casibus», etc. Qui casus intelligendi sunt, vel juxta conditionis prioris contractus, vel juxta exigentiam naturalis justitiæ, nam pacta et conventa justa servanda sunt. Et ideo si populus transtulit potestatem in regem, reservando eam sibi pro aliquibus gravioribus causis aut negotiis, in eis licite poterit illa uti, et jus suum conservare. Oportebit autem ut de tali jure, vel antiquis et certis instrumentis, vel immemorabili consuetudine sufficienter constet. Et eadem ratione, si rex justam suam potestatem in tyrannidem verteret, illa in manifestam civitatis perniciem abutendo, posset populus naturali potestate ad se defendendum uti, hac enim nunquam se privavit. Extra hos vero, et similes casus, nunquam licet populoa legitimo rege sua

potestate fretus deficere, et ita cessat omnis seditionis fundamentum aut occasio.

4. *Potestatem semel in regem translatam populus restringere nequit, neque ejus justas leges abrogare.*—Atque eadem ratione non licet populo semel subjecto potestatem regis magis restringere, quam in prima translatione seu conventione restricta fuit, quia id non permittit lex illa justitiæ, quæ docet legitima pacta servanda esse, et donationem absolutam semel valide factam revocari non posse, neque in totum, neque ex parte, et maxime quando onerosa fuit. Imo nec leges principis justas potest populus sua potestate nixus abrogare sed solum tacito, vel expresso ejusdem principis consensu fretus, ut D. Thomas supra docuit, et nos alibi latius diximus (1). Unde non est simpliciter verum, regem pendere in sua potestate a populo, etiamsi ab ipso eam acceperit, quia poterit pendere in fieri, ut aiunt, et postea non pendere in conservari, si plene et absolute illam accepit. Quocirca, postquam rex legitime constitutus est, supremam habet potestatem in his omnibus, ad quæ illam accepit, etiamsi a populo illam habuerit, quia lex justitiæ hoc exigit, ut declaravimus.

5. *Secundum fundamentum regis.*—*Solutio.*—Secundo loco inducit rex exempla Saulis et David, qui non a populo, ut Bellarminus contendit, sed a Deo immediate principatum acceperunt. Quod specialiter de Saule confirmat, quia per sortes nutu divino, electus est, quod dicit esse signum certum potestatis immediate a Deo acceptæ. Quod et suadet exemplo electionis Matthiæ, de quo inde scimus apostolicam dignitatem immediate a Deo accepisse, quia per sortes ad illam electus est, Actor., 1. Respondemus, circa exempla Saulis et David, in utramque partem disputari posse, an illi duo reges a Deo, vel a populo immediate acceperint potestatem; neutrum enim aperte ex Scrip-

(1) Lib. 7 de Legib.

tura sacra colligitur. Nam, licet ex eadem Scriptura certo constet, utriusque personam divino nutu, voluntate ac revelatione fuisse in regem designatam, non tamen inde sequitur Deum etiam immediate illis potestatem dedisse; hæc enim duo diversa sunt, et ex uno non recte aliud colligitur. Nam, sicut Deus interdum concedit hominibus facultatem designandi personam cui daturus est ipse immediate potestatem, ita e converso Deus potuit sibi reservare potestatem designandi personam, cui populus daret immediate potestatem.

6. Atque ita in facto illorum regum contigisse satis verisimiliter conjectat Cardinalis Bellarminus, ex verbis Deuter., 17: «Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum; non poteris alterius ge..tis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.» In quibus verbis duo tanquam distincta ponuntur, scilicet eligere eum qui futurus est rex, et constituere eum regem; et illud prius reservat sibi Deus, secundum autem populo concedit seu relinquit, ut patet ex illis verbis: «Eum constitues, quem Dominus Deus tunc elegerit»; et ex cap. 28, ibi: «Ducet te Dominus, et regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras», etc. Constituere autem regem, non significat tantum petere regem, sicut postea ille populus petiit, 1 Reg., 8; sed significat facere regem. Tum quia ita exponitur in dicto c. 17 Deuter., ibi: «Non poteris alterius gentis hominem regem facere»; tum etiam quia ibidem præcipitur populus constituere regem eum, quem Deus elegisset; petitio autem regis non poterat esse particularis personæ electæ a Deo, nam præcessit talem electionem; ergo illa regis constitutio non erat nisi creatio regis, et immediata collatio regiæ dignitatis ac potestatis; ergo electio personæ, quam Deus sibi reservavit, nihil aliud erat nisi personæ designatio.

Supponitur ergo in illo loco, populum ex natura rei habere potestatem constituendi sibi regem; non enim eam ibi peculiariter illi populo Deus concessit, sed supposuit tanquam communem aliis gentibus, et illum ea uti permisit, vel aliquando usurum prædixit, sicut impletum est, 1 Reg., 8, et sequentibus. Et quamvis potestas etiam designandi personam naturaliter cuilibet populo conveniat, nihilominus in peculiarem favorem illius populi, ut aptior persona semper designaretur, potestatem eligendi personam sibi Deus reservavit.

7. *Saulem potestatem suam a populo accepisse probabilius.*— Ex illo ergo loco optima conjectura fit, ita observatum esse in creatione primi regis illius populi, qui fuit Saul, quod etiam ex historia electionis ejus colligi potest. Nam 1 Reg., 10, postquam sors cecidit super Saul, dixit Samuel ad populum: «Certe videtis quem elegit Dominus», quasi petens et expectans populi consensum, et tunc clamavit populus dicens: «Vivat rex.» Postea vero rege jam constituto, subjungitur, scripsisse Samuelem legem regni, etc Neque refert quod prius, in eodem capite, ante sortes missas dicitur Samuelem unxisse Saulem: «Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem», quia (ut Bellarminus ait, et est probabile) non fuit illa collatio potestatis, aut regni traditio, sed certa promissio et prædictio more prophetico futuri effectus, et veluti præparatio quædam animi Saulis ad futuram dignitatem. Quin potius, quia post Dei electionem et populi acclamationem, adhuc multi repugnabant, additur in cap. 11, Samuelem convocasse iterum populum in Galgala ad innovandum regnum, et subditur: «Perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino.» Quibus verbis non significatur nova regni electio, sed fuit confirmatio prioris, ut firmior apud populum maneret, et ut omnium subditorum animi magis acquiescerent, omnisque divisio et dissensio tolleretur, ut recte dixit Abulensis ibi, quæst. 12 et 13; et confirmat Josephus, lib. 6 Antiquit., cap. 6, et addit, ibi spectante tota multitudine, iterum Samuelem unxisse Sau-

lem sacro oleo, quod tamen Scriptura non refert; inde vero intelligi potest, unctionem similem non semper fuisse cum regni traditione simul conjuctam, sed potuisse etiam esse signum jam factæ, vel futuræ.

8. Unde eodem lib. 1 Reg., cap. 16, simili modo secrete fuit unctus David a Samuele cum promissione regni, quod postea per multos annos pacifice possedit Saul; quod est apertum signum, per illam unctionem non fuisse Davidem factum regem, sed in successorem regni designatum. Et ideo postea, lib. 2, cap. 2, iterum unctus est a tribu Juda, ut «regnaret super domum Juda;» et ibi etiam refertur dixisse David: «Licet mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi,» significans promissionem Dei per populi consensum fuisse completam. Ideoque super alias tribus regnare non cœpit, donec (ut refertur cap. 5) «venerunt seniores Israel ad David in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino, unxeruntque David in regem super Israel.

9. *Matthias apostolatum suum immediate a Deo accepit.* — Est ergo probabilis hæc sententia, contra quam parum valet argumentum regis de sortibus, nam electio per sortes, speciali Dei providentia directas, per se solum probat, designationem personæ a Deo ipso fuisse immediate factam. Neque inde fit Matthiam per sortem electum non recepisse immediate a Deo apostolicam dignitatem et potestatem. Quia, licet ex solo modo electionis per sortes id sufficienter non colligatur, ex qualitate et excellentia talis dignitatis et potestatis id colligitur. Erat enim dignitas apostolica supernaturalis, et immediate a Christo instituta, et ideo solus ipse poterat illam immediate donare. Unde quamvis Apostoli sine sortibus solum Matthiam elegissent (quod facere potuissent, si illum digniorem esse certo cognovissent, ut frequentius Patres insinuant), nihilominus ab ipso Christo immediate accepisset dignitatem et potestatem; ergo non ex sortibus, sed ex qualitate potestatis colligendum est, an immediate a Deo conferatur.

10. *Exemplis a rege adductis, principatum politicum immediate a Deo non esse convincitur.* — Juxta hanc ergo expositionem, illis locis et exemplis potius confirmatur communis sententia tradita. Quia vero expositio illa de fide non est, neque omnino necessaria, concedamus regi ut probabile, Saulem et David regnum et potestatem immediate a Deo accepisse; facile enim poterit quisque, si velit, Scripturæ verba ad hunc sensum accommodare. Et de David id aperte affirmat Soto, lib. 4 de Just., et q. 2, art. 1; et de utroque Navarr., dict. c. «Novit,» notabil. 3, n. 33 et 147; et idem sentit Abulens. supra. Nihilominus hoc non solum non obstat resolutioni positæ, sed potius inde non minus efficaciter confirmari potest. Primo, quia exempla specialia parum valent ad inferendam universalem regulam, imo solent esse exceptiones a regula, et ideo ex illis sumi solet argumentum, quod juristæ vocant ab speciali, ad inferendam regulam in contrarium. Deinde quia in eisdem locis supponitur manifeste, esse in populo libero potestatem constituendi sibi regem, imo et eligendi et designandi personam, cui jus regni tribuat, quod probant aperte testimonia Scripturæ quæ supra ponderavi. Et ideo Deus peculiariter sibi reservavit electionem personæ, in regem illius populi constituendæ, quia, seclusa Dei revelatione et præcepto, totum hoc erat in arbitrio populi constitutum. Igitur neque inde inferri potest generalis regula pro omnibus regnis, videlicet, quod ad Deum pertinuerit, immediate designare aut eligere personam in throno regni constitutam, sive in initio talis regni, sive in ejus progressu (alias ostendat rex Angliæ quando Deus peculiari revelatione, aut singulari signo elegerit vel ipsum, vel aliquem ex progenitoribus suis in Britanniæ regem); neque etiam potest inde inferri, Deum ordinarie dare aut dedisse principatum regibus temporalibus, etiamsi fortasse in initio Israelitici regni, propter specialem quam assumpserat illius curam, semel atque iterum id fecerit. Quod tandem colligi etiam potest ex alia prohibitione facta illi populo, dicto c. 17 Deuter.: «Non poteris alterius

gentis hominem regem facere;» illa enim prohibitio absque dubio non fuit naturalis, sed positiva. Constat enim, alias gentes et nationes potuisse creare sibi reges ex quacumque provincia vel natione, et in ipsis etiam imperatoribus Romanis ita observatum esse sine ulla injustitia, vel violatione juris naturalis; fuit ergo illa prohibitio positiva et specialis; ergo supposuit potestatem in illo populo creandi sibi regem ex quacumque gente, nisi divinitus prohiberetur, et consequenter ante illam prohibitionem in populo Israel, in aliis vero populis, quos illa prohibitio non pertinebat, semper hanc liberam potestatem fuisse, et per illam reges incepisse, concluditur.

11. *Tertia objectio.* — Tertio, possumus in regis favorem ejusque sententiæ confirmationem urgere loca Scripturæ et Sanctorum, quibus supra probavimus reges esse ministros Dei, et ab ipso habere potestatem; nam in illis locis soli Deo tribuitur hujus potestatis donatio; ergo intelligenda sunt de Deo immediate donante, quia hæc est purior et simplicior interpretatio; nam quidquid illi additur, præter scripturam dicitur. Item minister alicujus, ordinario et meliori modo immediate solet ab eo constitui, cujus est minister. Denique hac ratione nos dicimus, Pontificem habere potestatem suam immediate a Deo, quia Christus ipse illam contulit, et ex vi illius primæ donationis ad alios transfertur, licet per ministerium seu electionem hominum transferatur; ergo eadem ratione potestas regia erit immediate a Deo.

12. *Solutio.* — Ad hæc vero imprimis respondemus, ipsam regiam potestatem esse immediate a Deo auctore naturæ, ut diximus. Quia vero non est per specialem revelationem seu donationem, sed per quamdam naturalem consecutionem, quam ratio naturalis ostendit, ideo immediate solum datur a Deo illi subjecto, in quo ex vi solius rationis naturalis invenitur; hoc autem subjectum est populus ipse, et non aliqua persona ejus, ut declaravi. Quia vero hanc eamdem potestatem populus in regem transfert, ideo potestas regia dicitur esse data a Deo; et

præterea quia ipsamet regis electio non fit sine divina cooperatione, nec sine peculiari providentia ejus. Quod egregie declaravit Chrysostomus, homil. 23 in Epist. ad Rom., ubi tractans verba illa: «Non est potestas, nisi a Deo,» sic inquit: «Quid dicis? omnis ergo princeps a Deo constitutus est? Istud» (inquit) «non dico. Nec enim de quovis principe mihi sermo nunc est, sed de ipsa re,» id est de ipsa potestate. Unde subjungit: «Quod enim principatus sint, quodque hi quidem imperant, illi vero subjecti sunt, quodque non simpliciter ac temere cuncta feruntur, divinæ sapientiæ opus esse dico.' Propterea non dicit: Non enim princeps est, nisi a Deo, sed de re ipsa disserit, dicens: Non enim potestas est, nisi a Deo.» Ubi Theophylact. idem docet. Neque vero necessarium est ut hæc omnia ita distincte in Scriptura explicentur. Nam constat varios effectus eisdem fere verbis Deo in Scriptura attribui, et ex materia subjecta secundum rectam rationem colligendum esse modum, quo a Deo esse dicantur. Nam etiam dicitur sæpe Deus dare regna, propter specialem permissionem, licet per injuriam et seditionem usurpentur, ut rex ipse Angliæ de Jeroboam sentire videtur, et in aliis multo est certius, ut notavit Augustinus, lib. 5 de Civit., cap. 21; et Origen., Homil. 4 in libr. Judicum. Ut autem reges dicantur ministri Dei, satis est quod ab illo habeant potestatem, licet mediante populo, quia ille est modus maxime connaturalis et optimus, qui intra latitudinem naturalis rationis cogitari potest.

13. Ad comparationem autem, seu æquiparationem quæ in hoc fit inter Pontificem et reges, respondeo esse rationem longe dissimilem. Nam imprimis Pontificia monarchia in universam Ecclesiam ab ipso Deo immediate est instituta et præcepta, ita ut mutari non possit. Modus autem regiminis temporalis non est a Deo definitus nec præceptus, sed hominum dispositioni hoc relictum est. Deinde spiritualis potestas nunquam fuit in communitate totius Ecclesiæ, quia Christus non contulit eam corpori Ecclesiæ, sed capiti, seu Vicario suo, ideoque non po-

test Ecclesia in electione Pontificis concurrere tanquam dans potestatem, sed tanquam personam designans. Potestas autem civilis ex natura rei est in ipsa communitate, et per illam in hunc vel illum principem translata est, voluntate ipsius communitatis, eam (ut ita dicam) tanquam rem suam alteri donantis. Unde etiam fit, ut spiritualis jurisdictio suprema Pontificis ita sit jure divino collata, ut limitari non possit, nec minui, nec augeri, etiam per universalem Ecclesiæ consensum, imo nec per ipsiusmet Pontificis voluntatem. Quamdiu enim dignitatem retinet, non potest illam in se minuere vel mutare. Potestas autem regia, vel cujusvis supremi tribunalis temporalis, potuit a principio major vel minor constitui, et successu temporum poterit mutari aut minui, prout ad bonum commune expediens fuerit, per eum qui ad hoc habuerit potestatem.

CAPUT IV

Utrum inter Christianos sit legitima potestas civilis, cui Christiani parere teneantur

1. Quamvis in quæstione hac non sit nobis cum adversariis controversia, quia vero multi ex illis (ut audio, et ut rex Angliæ in sua Præfatione sæpe inculcat), Romanum Pontificem ejus doctrinæ insimulant, quæ jura et dominia principibus debita evertat, quid de hac re vel fides catholica statuat, vel sanior Doctorum sententia tueatur, explicandum existimavi, ut hoc etiam modo ad præcipuam controversiam de summi Pontificis primatu clarior et aptior sternatur via. Duobus ergo modis existimatum est et affirmatum, christianos reges non habere supremam potestatem civilem ad leges ferendas, puniendaque delicta, et jus politicum dicendum. Unus eorum fuit, qui dixerunt in Ecclesia Christi non posse esse ta-

lem potestatem, neque usum ejus legitimum, quia Christiani nulli temporali dominio possunt esse subditi. Alius est eorum qui, licet fateantur esse in Ecclesia temporalem potestatem, negant tamen esse supremam in regibus temporalibus, sed in solo Pontifice, a quo regum potestas per concessionem vel tolerantiam derivatur. De hoc secundo puncto in capite sequenti dicemus; quia vero supponit primum, illud hic breviter expediemus, quia etiam novi sectarii in illo non recte sentiunt.

2. *Antiquorum hæreticorum error.— Primum prædicti erroris fundamentum.*—Multi ergo ex antiquis hæreticis, veluti sequentes aut imitantes Gallæorum errorem in cap. 1 relatum, dixerunt Christianos non esse subjectos principibus temporalibus, præsertim ethnicis. Quod aliqui solum de perfectis Christianis et maxime spiritualibus dixerunt, ut Beguardi; alii de omnibus justis, alii de omnibus Christianis, quos errores hic latius recensere superfluum duco. Hinc effutierunt Anabaptistæ et alii similes, principatum politicum non esse Christianis licitum, præsertim in Christianos. Horum autem errorum diversa cogitari possunt fundamenta. Primum et peculiare respectu principum ethnicorum est, quia indignum et periculosum est, infidelem dominare fidelibus; ideo enim Paulus monet, 2 ad Cor., 6: «Nolite jugum ducere cum infidelibus.» Et rationem variis modis explicat, dicens: «Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras, quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem consensus templo Dei cum idolis?» Cum ergo primatus politicus a Deo sit, non debet intelligi concessus contra ordinem debitum, et cum periculo fidei, nam quæ a Deo sunt, ordinatissima sunt; ergo, eo ipso quod aliquis in Christo baptizatur, et fidem ejus recipit, fit immunis ab ethnicorum principum subjectione. Et confirmari hoc potest ex verbis illis Matth., c. 17, ubi cum Christus Petrum interrogasset: «Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?» et Petrus respondisset: «Ab alienis» conclusit Do-

minus: «Ergo liberi sunt filii;» utique a tributis, et consequenter etiam a potestate, nam hæc duo correlativa sunt. Nomine autem filiorum, Christus omnes fratres suos, ac subinde omnes fideles comprehendit, «quia omnes sunt filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena,» ut dixit Divus Augustinus, lib. 1 Evangelicarum Quæstionum, quæst. 23. Vel alio titulo illi eamdem libertatem participant, quia omnes sunt speciali et excellenti modo de familia Christi, qui est filius naturalis; cum autem filius liber esse dicitur, cum illo comprehenditur eius familia, ut dixit Lyran. in eum locum, quem alii imitantur, et sensit Hieronymus dicens: «Ille pro nobis et crucem sustinuit, et tributa reddidit; nos pro illius honore tributa non reddimus, et quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus.» Quæ verba non possunt restringi, ut quidam volunt, ad solos sacerdotes vel clericos; æque enim illa duo conjunxit, «pro nobis et crucem sustinuit, et tributa reddidit. Subiit autem crucem pro omnibus simpliciter, tam laicis quam clericis; ergo pro omnibus solvit trtbuta; ergo omnes a tributis solvendis temporalibus regibus liberavit; ergo et ab illorum dominatu et jurisdictione illos exemit, quia una libertas aliam comitatur.

3. *Secundum fundamentum.*—Secundum et generalius fundamentum hujus erroris est, quia Christiani liberi sunt etiam a potestate christianorum principum, quia hoc postulat christiana libertas, quam in hoc sensu intelligunt, et maxime exagerant Lutherus et alii hujus temporis sectarii, ad hunc sensum detorquentes varias Scripturas, quibus abunde satisfecimus lib. 1 de Legib., c. 18 et 19, et lib. 3, cap. 31; et ideo illas nunc omittimus. Ex hoc autem principio, seu libertate christiana sic intellecta, recte infertur, in principibus etiam christianis non esse potestatem civilem aut politicam in homines fideles, quia si isti non tenentur parere, illi non habent jus præcipiendi, quia hæc duo correlativa sunt, et uno ablato, alterum auferri necesse est. Unde inducunt etiam testimonia novi Testamenti, in quibus Christianis, et dominari et subjici dicunt

esse prohibitum. Nam de dominatu dicitur Luc., 22: «Reges gentium dominantur eorum,» etc., «vos autem non sic;» vel, ut Matthæus ait, c. 20: «Non ita erit inter vos,» ubi D. Chrysostomus, hom. 56, dixit Christum voluisse discrimen hoc inter gentiles et Christianos consistere. De subjectione autem ait Paulus, 1 ad Cor., cap. 7: «Nolite fieri servi hominum,» et indicat rationem, præmittens: «Pretio empti estis,» quasi dicat, indignum esse redemptos a Christo terrenis subjici potestatibus.

4. *Rejicitur prædicta hæresis ex Scripturis et Patribus.*— Hæc vero sententia tota sine dubio hæretica est. Nam imprimis Apostoli docuerunt fideles jam ad Christum conversos, ut regibus et potestatibus obedirent, non tantum propter vitandam pœnam, nec quia tunc resistere non poterant, nec solum propter scandalum vitandum, sed etiam «propter conscientiam, et quia ministri Dei sunt,» ut ex Petro et Paulo in cap. 1 probavimus. Loquebantur autem hi Apostoli eo tempore, quo imperatores et reges, ac præfecti eorum, seu potestates, infideles erant et idololatræ; ergo ex eorum doctrina habemus, Christianos esse subjectos principibus, etiam ethnicis, et consequenter veros reges infideles potestatem habere in Christianos in suis terris degentes. Deinde ita intellexerunt illa loca, et docuerunt antiquissimi Patres, ut D. Chrysostomus, Ambrosius, Origenes, Epiphanius, et alii in cap. 1 allegati, et expresse Justinus, Apologia 2 ad Antoninum Pium imperatorem ethnicum, aliquantulum a principio, ubi ex professo Christianos ab hac calumnia liberat, dicens: «Tributa vero et census iis, qui a vobis constituti sunt, ubique imprimis conamur pendere, quemadmodum ab eo instituti sumus;» et affert verba Christi, Matthæi, 22: «Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;» et concludit: «Hinc Deum solum adoramus, vobis autem in aliis rebus læti servimus, regesque vos et principes hominum esse profitemur, rogamusque ut vos cum regali potestate sanam bonamque mentem habere inveniamini.» In qui-

bus verbis nomine omnium Christianorum profitetur, esse in-fideles veros reges et principes Christianorum, ut homines sunt, et posse in eos habere potestatem, etiam si sanam mentem non habeant. Idem sensit Ignatius, Epist. 10 ad Smyrnens.; et Op-atus, lib. 3 contra Parmenian., ubi expresse dicit, «etiam si talis esset imperator, qui gentiliter viveret.» Possumus denique ad hoc aferre verba Ambrosii, libr. 4 in Luc., capite 5, in fine, ubi expendens verba Christi, Matth., 17, dicit: «Magnum qui-dem est et spiritale documentum, quo christiani viri subli-mioribus potestatibus docentur debere esse subjecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse solvendam; ubi etiam alludit ad verba Pauli, ad Rom., 31. Unde manifeste loquitur de legitimo rege, etiamsi Christianus non sit, nam ita locutus est Paulus; et Christus de Cæsare, imperatore ethnico, loque-batur, et in eodem sensu loquuntur alii Patres quos statim re-feremus.

5. *Ratione ex D. Thoma sumpta eadem hæresis rejicitur.*— Rationem vero hujus veritatis attigit D. Thomas 2. 2, quæst. 10, art. 10, quia «dominium» (inquit) «vel prælatio introducta sunt ex jure humano, distinctio autem fidelium et infidelium est ex jure divino: jus autem divinum, quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione;» et ideo distinctio fidelium et infidelium secundum se considerata non tollit do-minium et prælationem infidelium supra fideles. Quæ ratio est optima, et potest in hunc modum explicari: nam quando sub-diti alicujus regis gentilis convertuntur ad fidem, non eximun-tur ipso facto, aut ex vi juris divini, a jurisdictione temporali sui legitimi principis, quia non possunt auctoritate propria privare alterum dominio et jure suo; neque etiam eis datum est ut id faciant auctoritate Dei, quia hoc neque illis est reve-latum, nec ratio naturalis id dictat, imo contrarium docet Scriptura, et recta etiam ratio. Tum quia, non interveniente concessione divina, illud esset, per se loquendo, contra jus-titiam; tum etiam quia cederet in scandalum infidelium, et

quamdam ignominiam christianæ religionis, cujus propagati maxime posset illo modo impediri. Confirmatur et explicatu exemplo de matrimonio inter infideles, quia non dissolvitur ips facto per conversionem, verbi gratia, uxoris ad fidem, sed ad huc manet uxor subdita viro infideli, quia retinet potestatem in ipsam, teste D. Paulo, 1 ad Corinth., 7, ut late explica D. Augustinus, lib. 1 de Adulterin. conjugiis in cap. 18. Rati autem est, quam D. Thomas tetigit, quia matrimonium inte infideles consistit jure naturæ, professio autem fidei per se no mutat jus naturæ, vel humanum contractum in illo fundatum Quam rationem indicavit etiam Innocentius, in cap. «Gaude mus,» de divortiis. Ergo eadem ratione non amittitur legitim potestas civilis propter conversionem subditorum ad fidem.

6. *Vis rationis D. Thomæ declaratur.—Regem infidelem sib de novo voluntarie creare fidelibus non licet.*—Est autem vald notandum circa doctrinam D. Thomæ in citato loco, rationem factam solum procedere, quando dominium et potestas princi pis ethnici præexistit ante fidem subditorum, in quo etiam cas videntur maxime procedere testimonia Petri, Pauli, et traditi Patrum. Unde addit Divus Thomas, si sermo sit de instituenda vel tribuenda de novo potestate infidelibus supra fideles, ho nullo modo esse permittendum: «Cederet enim (inquit) hoc in scandalum, et fidei periculum», nam subditi, nisi sint magna virtutis, facile sequuntur imperium principis et religionem: «E similiter (ait) infideles contemnent fidem, si fidelium defectu cognoscant.» Hæc vero doctrina intelligenda est, quando nov subjectio fidelium ad principem infidelem ex fidelium consens et voluntate pendet; in eo enim casu procedunt efficaciter rationes Divi Thomæ, et testimonium Pauli, quod inducit 1 ac Corinth., 6: «Audet aliquis vestrum habens negotium adversu alterum judicari apud iniquos» (id est infideles, ait Divus Thomas), et non apud Sanctos» (id est fideles), ut paulo inferi ipsemet Apostolus declarat, dicens: «Frater cum fratre judici contendit, et hoc apud infideles.» Si enim ad privata etiam ju

icia inter fideles non sunt infideles voluntarie in judices eli-
endi, multo certe minus potest aliqua christiana plebs infide-
em principem sibi præficere, et ideo, ut D. Thomas ait, nullo
odo id permittit Ecclesia.

7. *Rex gentilis justo bello civitatem christianam occupans, erum etiam dominium in illam consequitur.—Quando subjectio ad rincipem vergit in detrimentum fidei, possunt fideles se ab ea exi-ere.*—At vero si contingeret plebem fidelem involuntarie sub-ci denuo principi infideli justo titulo, tunc procederet etiam ssertio posita, et ratio facta. Ut, verbi gratia, si rex gentilis ısto bello civitatem christianam occuparet, tunc verum domi-ium acquireret, nam hoc etiam est de jure gentium a naturali erivatum, quod fides non tollit. Nec Ecclesia, per se loquendo, oc impedit, quando princeps infidelis ethnicus est, et ipsi Ec-esiæ non subditus, prout modo loquimur. Idemque esset, si ontingeret regem infidelem, legitimo jure successionis, chris-anum populum principi christiano antea subjectum obtinere, uia tunc etiam fides subditorum non impedit acquisitionem ominii, nec pendet ex illius populi voluntate, sed necessario enit ex aliqua priori et justa institutione. Hæc autem intelli-enda per se sunt, id est, præcavendo scandala, et pericula delium, quæ sequi etiam possunt ex subjectione fidelium ad ntiquos principes infideles, ideoque in utroque casu si talia commoda probabiliter timerentur, et vitari non possent nisi el non ferendo, vel non acceptando talem principem, fieri pos-et et deberet, quia jus et potestas ad id faciendum Ecclesiæ on deest. Atque hac ratione generaliter dixit D. Thomas, cita-loco, posse Ecclesiam de jure instituere, ut infideles priven-r dominio et prælatione super fideles, qui transferuntur in ios Dei, quamvis propter vitandum scandalum Ecclesia non tatur hac potestate circa principes infideles, alias sibi non ıbditos.

8. Unde ulterius considerandum est, aliquos infideles esse ıbditos Ecclesiæ temporaliter tantum, ut sunt Judæi habitan-

tes in terris principibus christianis subjectis, et de illis infidelibus non agimus, quia non sunt supremi principes, de quibus maxime nunc loquimur. Tamen de illis certum est posse Ecclesiam, vel christianos principes illos ita gubernare in temporalibus, et maxime in his quæ spectant ad libertatem et securitatem fidelium, prout ad bonum fidei expedire judicaverint, quod alterius considerationis est. Alii vero sunt infideles subditi Ecclesiæ spiritualiter, etiamsi alias sint supremi principes temporales, quales sunt hæretici baptizati, qui nomine Christiani sunt, re tamen vera sunt infideles, quia vera fide carent, subditi vero Ecclesiæ sunt ratione baptismi characteris. Et de his vera est dicta resolutio, non solum propter vitandum periculum fidelium, sed etiam propter directam potestatem quam habet Ecclesia ad puniendos hæreticos, etiamsi reges sint, ut infra videbimus. Alii vero sunt infideles nullo modo subditi Ecclesiæ neque temporaliter, neque spiritualiter, neque jure, neque facto. Et in his solum procedit illa doctrina D. Thomæ de potestate indirecta, per quam potest Ecclesia suos fideles subditos a moralibus periculis, et occasionibus amittendi fidem, liberare ac defendere. Nam per se non habet Ecclesia jurisdictionem in hos reges infideles, juxta illud Pauli, 2 ad Cor., 5: «De his qui foris sunt, nihil ad nos»; et ideo sicut non potest illos ad fidem cogere, ita nec propter infidelitatis crimen eos punire; quapropter, neque hoc titulo potest illos privare dominio et jurisdictione quam super Christianos habuerint. Solum ergo id potest facere Ecclesia propter spiritualem gubernationem, et necessariam providentiam circa suos subditos fideles. Quod autem hoc titulo possit, verissimum censeo, quia qui dat gubernandi potestatem, consequenter tribuit quidquid ad illius convenientem usum necessarium est, ut in sequentibus latius ostendendum est.

9. *Quando possit dissolvi matrimonium inter infideles propter alterius conversionem ad fidem.*—Potestque in præsenti optimum argumentum sumi ex doctrina recepta et approbata ab Eccle-

ia, et sumpta ex Paulo, 1 ad Cor., 7, dicente, conjugem prius nfidelem, ad fidem conversum, si alter neque converti ad fidem velit, neque cohabitare sine injuria creatoris, posse dimittere lium, et matrimonium dissolvere; ergo eadem vel majori ratio- ne data est potestas Ecclesiæ ad liberandum fideles a jugo infi- delium quorumcumque, quando ex tali subjectione fides peri- litatur; hic enim æque urget ratio Pauli dicentis : «Non enim ervituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi.» Quin po- ius notari potest in hoc discrimen, nam, quia vinculum matri- monii indissolubile est natura sua , et inter duas tantum leterminatas personas consistit, ut illo titulo dissolvi possit, necesse est ut in particulari de periculo conjugis fidelis constet; t potestas regia in multitudinem hominum cadit, et de se non st adeo immutabilis, ideoque satis est generale et commune ericulum, in quo fideles principibus infidelibus subditi mora- iter loquendo versantur, ut Ecclesia possit omnes a tali sub- ectione liberare, etiamsi de singulorum periculo in particulari on constet, quia leges morales, quæ in universali feruntur, onsiderant ea quæ ut plurimum eveniunt, etiamsi in particu- ari cessare contingat. Nihilominus tamen raro Ecclesia utitur ac potestate, et licite id facit, etiamsi fideles suos in aliquo ericulo relinquat, quia vel non habet vires cum effectu et ructu potestatem suam exequendi, vel quia majora scandala robabiliter timet. Et nihilominus tunc singuli fideles subditi cite poterunt vel fugere, vel alio medio uti ad evadendum pe- culum, si de illo moraliter constet, tum quia magis tenentur onsulere animæ suæ quam juri alterius, tum etiam quia tunc tali principe injuriam et violentiam patiuntur, et ideo parere on tenentur.

10. *Conclusio: inter Christianos esse veros reges ac principes e fide certum est.*—Ex quibus ulterius certissimum ac de fide st, in Ecclesia Christi esse christianos principes ac reges ve- am potestatem politicam seu civilem habentes in subditos ios, etiam christianos et fideles. Hæc assertio non est sub his

terminis, «fidelium et christianorum principum», in toto novo Testamento expressa, fortasse quia quo tempore scriptum est, nondum erant temporales reges ad fidem conversi, et ita non occurrit occasio de illis loquendi. Adducta tamen testimonia sufficienter illam probant, tum ex similitudine, vel certe ex majori ratione; tum etiam quia verba Apostolorum valde indefinita et universalia sunt Ait enim Petrus: «Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti.» Et infra: «Regem honorificate.» Et deinde præcipit servis, subditos esse dominis, «non tantum bonis, sed etiam discolis»; ergo idem a fortiori intelligit de omnibus fidelibus subditis principibus, sive bonis, sive malis; non possunt autem dici boni principes, nisi sint fideles. Denique admonitio Pauli, ad Titum, 3: «Admone illos principibus et potestatibus subditos esse», quam latius tradit ad Roman., 13, non fuit ab eo data pro solo illo tempore primitivæ Ecclesiæ, sed ut perpetuo in ea duraret; ergo nunc etiam habet locum respectu principum christianorum. Potestque idem confirmari testimoniis veteris Testamenti, quibus constat principes fideles habuisse politicum regimen subditorum fidelium, quorum imperio isti obedire tenebantur, ut de Moyse, Josue, et aliis judicibus usque ad Samuelem, et postea de Saule, Davide, et successoribus eorum colligitur, ex Deuteronom., 1 et 17, et ex libris Judicum et Regum, et 2 Paralipomen., 19, ubi etiam fit mentio inferiorum judicum et magistratuum; ergo multo magis illa subordinatio et subjectio servanda est in lege gratiæ, quia non spectat ad cæremonialia legis veteris, et in generali loquendo, non pertinet ad propria judicialia illius legis, sed ad legem moralem juris naturalis, vel immediate, vel mediante aliquo jure humano, quæ jura in lege gratiæ durant, et perfectius obligant.

11. *Evasio.—Rejicitur evasio.*— Dicet vero fortasse aliquis, hoc fundamentum recte concludere ex hypothesi, quod in Ecclesia Christi sint veri reges et principes temporales verum dominium et jurisdictionem in Christianos habentes; nam hoc

posito, lex naturalis justitiæ et obedientiæ evidenter obligant subditos ad parendum. Adversarii autem, qui contrarium errorem defendunt, hoc principium negant, dicentes repugnare institutioni Christi, et libertati christianæ, seu perfectioni legis gratiæ. Contra hoc vero probari potest illa suppositio ex perpetua Ecclesiæ traditione, ab eo tempore quo imperatores et reges ad Christum converti et baptizari cœperunt ; semper enim pro veris regibus et principibus habiti sunt, non minus, imo perfectius et excellentius quam antea essent. Hoc constat ex Historiis Ecclesiasticis Eusebii, et aliorum, præsertim de Constantino, Theodosio, et similibus. Item hoc sæpe profitentur Concilia generalia, ut patet ex Nicæno I, cui Constantinus adfuit, et aliis. Præterea Summi Pontifices scribentes ad reges et principes christianos, illos ut veros principes et dominos temporales recognoscunt, ut patet ex multis Epistolis D. Leonis et D. Gregorii, et ex aliis, quos capite sequenti referemus. Nunc solum notamus verba Symmachy Papæ, Apolog. ad Anastasium imperatorem : «Nos (inquit) potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates.» Concilium etiam Toletanum XII, c. 1, sub excommunicatione declaravit Eringium esse verum regem Hispaniæ ; et Concilium Meldense, capit. 15 et 16, anathema fert in eos, qui regiæ potestati contradicere præsumpserint, et loquitur de regibus christianis, et de illis ait, habere potestatem a Deo, juxta sententiam Apostoli, quam proinde etiam de regibus christianis intelligit.

12. Atque eodem modo intellexerunt apostolica testimonia Chrysostomus, Ambrosius, et alii Patres et optime D. Augustinus, libr. Quarumdam propositionum in Epist. ad Romanos, prop. 72, circa illa verba: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : Rectissime (inquit) admonet ne quis, ex eo quod a Domino in libertatem vocatus est factus Christianus, extollatur in superbiam, et non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, ut potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est,

existimet non se esse subdendum.» Et infra: «Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant potestatibus, in magno errore versatur.» Ubi loquitur Augustinus de suo tempore, quando in Ecclesia jam erant principes christiani, et ita verba Pauli accommodat ad omnes principes pro tempore regnantes. Et verba illa Augustini mutuatus est Anselm. in Paul., et brevius Primasius. Idemque Augustinus, lib. 3 contra Crescon., cap. 51, declarat quam necessarium sit regis officium etiam inter christianos, et quanto melius et salubrius per bonos, id est, pios et fideles reges, quam per malos et infideles exerceatur.

13. Præterea hoc confirmant honorifici tituli, quibus antiqui Patres ad fideles principes scribunt, ut Cyrillus Alexandrinus, in libro de Recta fide, ad Theodosium, ubi prius Christianissimum Regem illum appellat, et postea ad eumdem ait: «Vos estis summarum dignitatum fontes, et supra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium ac origo.» Et infra: «Tam pii et præclari vestri imperii summum præsidium est Dominus noster Jesus Christus; nam per illum reges regnant, etc.» Et infra se ostensurum promittit, «quod gloriosa in Deum pietas regiis honoribus immobile sit fundamentum.» Similia videri possunt in Ambrosio, in Epist. ad Gratianum Augustum, quam ad libros de fide præmittit, ubi etiam illum vocat, «Christianissimum Principem, et Principum Christianissimum.» Item in ejusdem concionibus in obitu Theodosii et in obitu Valentiniani, et in variis Epistolis ad sui temporis imperatores christianos. Idemque agnovit Gregorius Nazianzenus, Orat. 17, cujus verba optima inferius commodiori loco referam.

14. Addo præterea antiquius testimonium Martialis, Episcopi Lemovicensis, qui prope tempora Apostolorum vixit, et in Epist. 2 ad Tolosanos, cap. 8, refert convertisse ad fidem principem quemdam Galliæ, quem regem appellat, ejusque fidem

valde commendat, et addit: «Cui obedire debetis in omnibus, quia princeps vobis a Deo est constitutus, etc.» Notari etiam potest locus Tertulliani, libr. de Idololatria, c. 15, ubi prius ait, reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei Deo, sicut Christus docuit. Unde postea subinfert: «Igitur, quod attinet ad honores regum et imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus et principibus, et potestatibus. Sed intra limites disciplinæ quoadusque ab idololatria separamur.» Ubi licet loquatur de tempore imperatorum gentilium, tamen generaliter doctrinam intelligit. Unde c. 17 addit, Christianos eo tempore potuisse ab imperatoribus dignitatem et administrationem potestatis civilis accipere, dummodo sine ulla idololatriæ labe illam exercerent. Unde tandem recte scripsit Prosper, in lib. Epigrammaton, cap. 34:

Reddendum est quidquid mundi bene postulat ordo,
Propositumque piæ non violat fidei,
Mitibus et Sanctis nulla est spernenda potestas,
Æquum servire est regibus et dominis,
Ut Christi famulis ad verum prosit honorem,
Dilexisse bonos et tolerasse malos.

15. *Ratione probatur assertio.* — Ratione facile etiam persuaderi potest hæc veritas, quia christiana fides aut baptismus non facit aliquem incapacem regiæ dignitatis, vel principatus, aut potestatis politicæ; ergo si quis ante fidem illam habebat, non amittet illam propter baptismum aut fidem, si ad illam convertatur; vel si jam christianus per legitimam electionem, vel alio justo titulo ad illam assumatur, vere illam acquirit, verusque rex, princeps aut magistratus constituitur; ergo subditi etiam fideles et Christiani illi parere tenentur. Illationes quidem qer se et ex dictis evidentes sunt. Antecedens autem probatur, quia vel illa incapacitas esset ex peculiari Christi insti-

tutione, vel ex natura rei, seu naturali aliqua repugnantia; nullum enim aliud fundamentum cogitari potest; utrumque autem illorum omnino falsum est et irrationabile.

16. *Tacite evasioni occurritur.* — De primo patet, tum quia nullibi legimus Christum prohibuisse fidelibus regium principatum, ut facile infra ostendetur, fundamentis contrariæ sententiæ satisfaciendo. Tum etiam quia potius de Christo et de tempore gratiæ prædictum erat, reges terræ fuisse in Christum credituros, ipsumque adoraturos, Psal. 71: «Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum omnes reges terræ, etc.» Unde Psal. 2 prius dicitur adstitisse reges terræ adversus Christum, et postea subditur: «Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore, etc.» Et Isaiæ, 49: «Erunt reges nutritii tui, vultu in terram demisso adorabunt te, et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum.» Et cap. 60: «Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, etc.» Neque dici aut cogitari potest, reges venientes ad Christi fidem eo ipso amittere regna, et reges esse desinere, quia, ut Ecclesia canit, «non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.» Neque alia fuisset suavis vel conveniens providentia, nam si reges ad Christum conversi statim ab ipso privarentur regnis juste possessis, pauci profecto essent ita regnorum contemptores, qui Christiani fieri vellent. Non est ergo credibile Christum, qui omnium ordinum homines ad se vocat, et sapienter ac suaviter media ad illorum conversionem apta disposuit, tam magnum impedimentum conversioni principum temporalium posuisse, talemve institutionem in Ecclesia sua reliquisse.

17. Maxime quia neque ad Ecclesiæ splendorem, neque ad bonum temporale regimen, neque ad spiritualem perfectionem talis institutio pertinebat. Primum patet, quia multo magis illustrat Christi fidem et Ecclesiam, quod imperatores, reges ac principes terræ Christo ejusque Vicario subjiciantur, et hoc

sine dubio est quod in supra positis promissionibus commendatur. Secundum etiam patet: nam ratio supra facta de necessitate politici principatus ad conservationem societatis humanæ non minus habet locum in Ecclesia Christi quam extra illam, quia etiam Christiani indigent communitate politica, in qua pax et justitia serventur, et ad hoc etiam Christiani indigent directione et coactione civili, ut per se notum est; ergo cum Christus nec suam Ecclesiam in temporalibus male gubernari voluerit, neque etiam miraculose illam regere decreverit, non debuit quasi connaturale regimen ab ipsa tollere, et consequenter nec principatum politicum auferre. Tertia denique pars probatur, quia principatus politicus non est contra essentialem Ecclesiæ perfectionem, quæ in vera et viva fide per charitatem operante consistit. Cum enim ille principatus sit justitiæ et rationi naturali consentaneus, non potest esse charitati contrarius. Neque etiam est contra perfectionem consiliorum, nam ad hanc non spectat ut carentia temporalis dominii aut jurisdictionis sub necessitate constituatur, sed solum sub consilio liberæ voluntati relinquatur, juxta illud: «Si vis perfectus esse, etc.» Atque ita perfectio evangelica, et efficacia gratiæ Christi in hoc potius ostenditur, quod multi imperatores et principes voluntarie imperia et regna abdicarunt.

18. *In quo consistat libertas christiana.* — Ex quibus satis probatum manet alterum membrum, nimirum, Christianos non esse incapaces principatus politici ex natura rei, vel ex aliqua naturali repugnantia. Tum quia potius ostensum est ex natura rei esse hoc regimen necessarium Christianis, quibus multo etiam melius est per principes christianos gubernari, quam per non christianos, ut obiter etiam ostensum est, satisque est per se notum; ergo potius ex natura rei necessarium fuit, christianos esse capaces regnorum et magistratuum temporalium. Tum etiam quia si esset aliqua repugnantia, vel esset cum libertate christiana, vel cum fide. At libertas christiana non consistit in exemptione a justis legibus humanis, neque in immunitate a

justa coactione, aut vindicta peccatorum, quando contra pacem et justitiam committantur; sed consistit in exemptione, vel a lege Moysi, vel a timore servili, seu (quod perinde est) consistit in libera servitute ex amore et charitate, cui humanum regimen non repugnat, sed potius illam juvat, si adsit; si vero desit, illius defectum per coactionem supplet. Fidei etiam nihil repugnat prædicta potestas vel subjectio illi respondens, quia utraque est conformis rationi naturali, quæ non est fidei adversa. Quod certe satis confirmat Paulus in epist. ad Philemonem, in qua manifeste supponit, propter fidem, quam Philemon habebat, et Onesimus servus ejus susceperat, nec illi fuisse ablatum jus dominii, nec huic servitutem esse ademptam; ergo a fortiori idem dicendum est de jurisdictione politica, et illi correspondente subjectione.

19. *Solvuntur fundamenta primi erroris.* — Ad primum ergo fundamentum contrarii erroris respondemus, verba illa Pauli: «Nolite jugum ducere cum infidelibus», ad litteram intelligi de infidelibus, ut infideles sunt, id est, nolite cum infidelibus in propriis eorum operibus, quæ ut infideles operantur, communicare. Et hunc sensum probant omnes rationes Pauli. Ex hac autem sententia solum concluditur, fideles non debere obedire principibus infidelibus, si aliquid contra fidem aut contra veram religionem præcipiant. Atque in hunc modum intellexerunt ibi locum illum Ambrosius, Theodoretus, et D. Thomas, et Augustinus, lib. contra Donatistas post collationem, c. 6 et 21. Hieronymus autem, lib. 1 contra Jovinian., et ep. 11 ad Ageruchiam, per jugum intelligit matrimonium, sentiens ibi prohiberi feminæ christianæ cum gentili contrahere. Sed sine dubio Apostolus ibi non loquitur specialiter de vinculo matrimonii, quia neque de illo mentio ibi fit, neque in toto illo contextu occurrit occasio de illo specialiter tractandi. Probabile sane est quod Chrysostomus ibi ait, homil. 6 admonere Paulum fideles generatim, ut nimiam consuetudinem et familiaritatem cum infidelibus evitent, utique propter periculum, ne in fide aut moribus ab eis

corrumpantur. In quo sensu non tradidit Paulus ibi novum præceptum positivum, sed explicat naturale, quo unusquisque tenetur vitare periculum, ne in illo pereat. Atque hoc modo etiam respublica christiana tenetur vitare principem infidelem, et non acceptare illum, si ex ipsius consensu pendeat; vel etiam repellere, si ex illius imperio morale periculum eversionis timeatur, quod tamen non privata, sed publica auctoritate facere debet, quando alioqui princeps jus ad regnum legitimum habet. Atque ita servatur debitus ordo, et vitatur periculum.

20. *Exponitur locus Matt.*, 17.—Ad locum Matth., 17 quoniam tractando de immunitate ecclesiastica latius expendendus est, nunc breviter dico, nomine filiorum non comprehendi ibi omnes fideles, neque etiam omnes justos, quia Christus ad litteram loquitur de filiis naturalibus, ut ex contextu, et ex omnium expositione constat. Ad Augustinum vero respondet D. Thomas, 2. 2, q. 104, art. 6, ad primum, locutum esse in sensu spirituali, et ita filios regni liberos esse a servitute peccati, et a tributo quod ratione illius pendere debebant. Quod non placet Cajetano ibi, et ideo exponit, sub filiis regni, sub quo subsunt regna terrena, intellexisse Augustinum non omnes justos, sed eos qui præsunt quasi filii, ut sunt Episcopi, et alii ecclesiastici. Verumtamen etiam isti filii naturales non sunt, et ideo sub nomine et ratione filiorum (si modo verborum proprietati stetur) non comprehenduntur. Et ideo Jansenius putat, Augustinum esse locutum de solo Christo, etiam si in plurali de filiis loquatur, quia Christus Dominus generatim de filiis naturalibus loquebatur. Neque etiam comprehenduntur sub illa libertate omnes Christiani propter alium titulum, quod sint de Christi familia, ut satis explicuit Paulus, ad Roman., 13, quia illa conjunctio cum Christo in eadem familia, id est, Ecclesia, et valde ampla et generalis est, et alterius ordinis, scilicet, spiritualis, quæ non tollit corporalem servitutem, seu subjectionem, et consequenter nec tollit ordinem justitiæ qui ex illa nascitur. An vero ratione illius tituli immunitas illa ad omnes

ecclesiasticas personas extendatur ex vi verborum Christi, postea videbimus, et verba Hieronymi, quæ hoc attingere videntur, exponemus.

21. *Solvitur secundum fundamentum.*—Ad aliud fundamentum jam responsum est, veram christianam libertatem non excludere honestam subjectionem ad legitimos principes temporales, non solum christianos, sed etiam infideles, ut ex doctrina Apostolorum satis declaratum est, et latius in dicto lib. de Legibus. Ad verba demum Christi Domini respondemus, Christum non intendisse per illa tollere justum principatum inter Christianos, sed solum eos docere, ne gentilium principum ambitionem et tyrannidem imitentur. Et ideo non simpliciter de regibus, sed cum determinatione dixit: «Reges gentium dominantur eorum», ubi etiam verbum «dominandi» indicat nimium affectum, et ambitiosum gubernandi modum, sicut Petrus 1 can., c. 5, dixit: «Non dominantes in clero.» Atque ita exposuit Chrysost., Homil. 56 in Matth., et in alia brevi narratione in Matth., cap. 20. Et ex occasione, in qua Dominus, ad reprimendam discipulorum ambitionem, et de primatu contentionem locutus est, et ex verbis quæ subjunxit: «Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor», manifestissime constat, Christum non exclusisse ordinem, et gradus majoris et minoris, sed affectum discipulorum moderari voluisse.

22. Ad Paulum autem respondetur, cum ait: «Nolite fieri servi hominum», non loqui de civili subjectione, imo nec de servitute pœnali, seu rigorosa; neutra enim repugnat vel derogat pretio redemptionis Christi, nam ibidem paulo antea dixerat: «Servus vocatus es? non sit tibi curæ.» Imo addit posse servitutem præferri libertati, utique propter humilitatem, ut cum Ambrosio et Gregorio D. Thomas exponit. Igitur, cum ait: «Nolite fieri servi hominum», intelligit de servitute, qua homo Christo præfertur, serviendo homini in iis quæ Dei servitati opponuntur. Et quia hoc contrarium esset effectui redemptionis Christi, idcirco optimam rationem Paulus præmisit dicens: «Pre-

io empti estis.» Hoc ergo modo servire hominibus alienum esse debet a redemptis a Christo; subjici autem legitimis principibus, in iis quæ Deo non repugnant, non est indignum, sed potius debitum, juxta ejusdem Redemptoris verba: «Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.

CAPUT V

Utrum reges christiani in civilibus seu temporalibus supremam potestatem habeant, et quo jure?

1. Potestas aliqua tunc suprema dicitur, quando superiorem non cognoscit; nam vox illa «suprema», negationem superioris denotat, cui alter, qui supremam potestatem habere dicitur, obedire teneatur. Intelligitur autem de superiore in terris, seu humano; nam cum Deo nulla fit comparatio; quis enim humanus princeps, nisi atheus vel amens sit, divinæ se subtrahere potestati vel conari præsumat? Excluditur ergo per negationem illam subjectio ad superiorem hominem mortalem. Potest autem illa negatio variis modis sumi, et ideo ut quæstionis titulus intelligatur, et ab aliis quæstionibus quæ hic esse possunt, discernatur, modum ac sensum illius negationis declarare necesse est. Primo enim negare potest simpliciter omnem subjectionem ad superiorem hominem, tam in spirituali materia quam in civili. Secundo, potest negare subjectionem in eadem materia temporali ac civili. Et quamvis in priori quæstione maxima sit dissensio inter nos et regem Angliæ, ipse enim omnino in terris subesse vult, etiam in spiritualibus, quod nos contra fidem et obedientiam christianam esse credimus, nihilominus quæstionem illam nunc non tractamus, quia nondum de spirituali potestate diximus, sine cujus cognitione illius resolutio intelligi nullo modo potest; ideoque in ultimam hujus libri

partem illam remittimus, et in præsenti illam potestatem temporalem supremam vocamus, quæ in eodem ordine seu materia alteri subjecta non sit.

2. *Subjectio duplex, directa, et indirecta; utraque quid.*— Deinde solet in præsenti distingui duplex subjectio, directa scilicet, et indirecta. Directa vocatur, quæ est intra finem et terminos ejusdem potestatis; indirecta, quæ solum nascitur ex directione ad finem altiorem, et ad superiorem ac excellentiorem potestatem pertinentem. Propria enim potestas civilis de se solum directe ordinatur ad convenientem statum, et temporalem felicitatem humanæ reipublicæ pro tempore vitæ præsentis, et ideo etiam potestas ipsa temporalis appellatur. Quamobrem tunc civilis potestas dicitur in suo ordine suprema, quando in eodem, et respectu sui finis ad illam fit ultima resolutio in sua sphæra, seu in tota communitate, quæ illi subest; ita ut a tali principe supremo omnes inferiores magistratus, qui in tali communitate, vel in parte ejus potestatem habent, pendeant, ipse vero princeps summus nulli superiori in ordine ad eumdem finem civilis gubernationis subordinetur. Quia vero felicitas temporalis et civilis ad spiritualem et æternam referenda est, ideo fieri potest ut materia ipsa potestatis civilis aliter dirigenda et gubernanda sit, in ordine ad spirituale bonum, quam sola civilis ratio postulare videatur. Et tunc, quamvis temporalis princeps ejusque potestas in suis actibus directe non pendeat ab alia potestate ejusdem ordinis, et quæ eumdem finem tantum respiciat, nihilominus fieri potest ut necesse sit ipsum dirigi, adjuvari, vel corrigi in sua materia, superiori potestate gubernante homines in ordine ad excellentiorem finem et æternum, et tunc illa dependentia vocatur indirecta, quia illa superior potestas, circa temporalia non per se, aut propter se, sed quasi indirecte, et propter aliud interdum versatur.

3. *Sensus quæstionis aperitur.* — Hinc fit ut negatio illa subjectionis in temporalibus, quam prærogativa supremæ potestatis temporalis includere creditur, in duos præterea sensus

subdistinguenda sit. Potest enim negare vel omnem subjectionem. tam directam quam indirectam, vel tantum directam, et ita duplex alia suboritur quæstio. Prior est, an potestas regis christiani sit priori modo suprema, id est, nec directe, nec indirecte recognoscens superiorem in materia civili et temporali; altera est, an posteriori saltem modo sit suprema, id est directum superiorem in temporalibus non recognoscens. Inter quas quæstiones tanta est diversitas, ut prior ad dogmata fidei pertineat, et in illa fere punctum totius controversiæ inter nos et regem Angliæ versetur; posterior autem neque ad materiam fidei pertineat, nec in ea sit inter nos dissensio. Nihilominus tamen præsens quæstio non in priori sensu, neque de indirecta subjectione, vel potius exemptione accipienda est; quia (si attente consideretur) ad quæstionem de spirituali potestate pertinet, quia indirecta illa subjectio solum ad spiritualem potestatem esse potest, vel (quod perinde est) si qua potestas excogitari potest, cui temporalis suprema indirecte subjiciatur, sola spiritualis esse potest, ut de ipsa disputando videbimus, ideoque in illum etiam locum hanc quæstionem rejicitur. Titulus ergo præsentis quæstionis solum de suprema potestate, quæ in eodem ordine superiorem directe non recognoscat, intelligendus est. Nam licet, ut dixi, in hoc puncto non sit nobis cum rege contentio, quia tamen sæpe ipse de Catholicis conqueritur, quod christianorum principum jurisdictionem, et obedientiam iis debitam abnegemus, ideo quæstionem illam non esse hoc loco prætermittendam censui, ut regiam potestatem christianorum principum in his omnibus, quæ juri naturali consentanea sunt, sartam tectam juxta catholicam doctrinam servari, ex illius resolutione manifestum fiat.

4. *Prima sententia negans.* — Fuit itaque quorumdam Catholicorum, præsertim jurisperitorum sententia, in Ecclesia Christi non solum spirituale regimen, sed etiam temporale, esse monarchicum, ac proinde in universa Ecclesia Catholica unum tantum esse supremum principem temporalem, haben-

tem per se et directe supremam potestatem civilem in universam Ecclesiam, eumque esse Summum Pontificem ex Christi institutione. Unde consequenter collegere, nullam rempublicam, nullumve regem aut imperatorem habere supremam potestatem in temporalibus, quia non possunt esse duo suprema capita in eodem ordine: igitur si Pontifex habet supremam potestatem temporalem directe ac per se, necesse est ut in reliquis omnibus principibus temporalibus non sit suprema potestas, quia nullus erit qui superiorem in temporalibus non recognoscat. Imo aliqui etiam addunt, omnia jura regnorum et dominia Petro collata esse tanquam Christi Vicario, et ita Romanum Pontificem in illo jure succedere, ideoque supremam potestatem civilem in habitu (ut ipsi loquuntur) solum esse in Pontifice, quamvis per alios reges ex tacita vel expressa concessione illam administret. Ita loquuntur præcipui ex antiquis juris Pontificii interpretibus, Glossa, Innocentius, Hostiensis, Joan. Andreas, Panormitanus, Felinus, et Decius, in c. «Novit,» de Judiciis, et in c. «Causam quæ,» 2, et in c. «Per venerabilem,» Qui fil. sint legit., et in c. «Solitæ,» de Major. et obed., et in cap. «Quod super his,» de Voto, et alii in cap. «Quoniam,» d. 10, et in c. «Cum ad verum,» 96 d.; et, ex interpretibus juris Cæsarei, Barthol., Oldrad., Paulus de Castro, et alii, quos Navarr. et Covarr. infra citandi referunt. Quibus accessit D. Anton., 3 p., tit. 22, c. 5, § 13 et 17; Alvarus Pelagius, et August. de Ancona, cum multis aliis a prædictis relati.

5. *Primum fundamentum.* — Fundantur primo in multis decretis Summorum Pontificum, qui hoc affirmare videntur, quæ infra referemus, cum eorum mentem explicabimus. Secundo, in usu, et variis effectibus ostendentibus hanc potestatem. Hujusmodi sunt transferre imperium a Græcis ad Germanos, et instituere modum eligendi imperatorem, et confirmare illum, et interdum etiam deponere, qui omnes sunt actus superioris potestatis temporalis. Si autem imperator non est supremus, multo minus alii reges. Unde interdum etiam reges

fuerunt a Pontificibus depositi. Tertio, ut Scripturas etiam ad hoc probandum inducant, supponunt Christum habuisse directam potestatem non solum spiritualem, sed etiam temporalem. Tum quia ipse dixit: «Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra;» tum etiam quia erat filius Dei naturalis. Unde inferunt, utramque potestatem Vicario suo æqualiter commisisse, tum quia ipse nihil distinxit, sed absolute dixit Petro: «Pasce oves meas,» sub quo verbo «pascendi,» non minus comprehenditur civile regimen quam spirituale; nam de David dicitur, 2 Reg., 5: «Tibi dixit Dominus: Tu pasces populum meum Israel.» Tum etiam quia ad bonum Ecclesiæ regimen, ejusque unitatem et pacem ita expediebat. Unde additur quarto naturalis ratio, quia in uno corpore tantum esse debet unum supremum caput, a quo omnes actiones vitæ, sive corpori, sive spiritui servientes, tanquam a primario fonte procedant; sed Ecclesia est unum corpus mysticum, ut jam supra declaratum est; ergo postulat unum supremum gubernatorem in utroque ordine; imo utramque potestatem in una persona; quia si in personis diversis sint, infinitæ dissensiones et lites orientur, quæ vix possunt humana diligentia et ratione componi, ut experientia ipsa ostendit.

6. *Vera sententia statuitur.* — Nihilominus dicendum est, reges christianos habere potestatem civilem in suo ordine supremam, nullumque alium recognoscere directe superiorem intra eumdem temporalem seu civilem ordinem, a quo in actibus suæ potestatis per se pendeant. Unde fit non dari in Ecclesia unum supremum principem temporalem totius Ecclesiæ, seu omnium regnorum ejus, sed tot esse quot sunt regna seu respublicæ supremæ. Hæc est magis recepta et probata sententia inter Catholicos, quos statim referemus. Probatio autem prioris partis ex posteriori pendet: nam si non est unum caput temporale, consequens necessario est ut sint multi reges supremi, ut a nobis propositum est; nunc enim non intendimus in particulari expendere an hic vel ille rex supremus sit, nec princi-

pes ipsos temporales inter se conferre, id enim a præsenti instituto satis esset alienum.

7. *Imperator non habet supremam potestatem temporalem in universam Ecclesiam.* — Et ob eamdem causam non tractamus nunc quæstionem illam, an imperator sit superior jurisdictione in omnibus Christianorum provinciis et regnis, et consequenter sit supremus monarcha in universa Ecclesia. Quia, licet ad posteriorem partem assertionis posset pertinere, tamen nihil fere pertinet ad dogmata fidei explicanda, ideoque breviter supponimus, imperatorem non habere hoc dominium aut supremam jurisdictionem temporalem in universam Ecclesiam (quidquid Bartholus et nonnulli alii jurisperiti censeant), quia vel nunquam illam habuit, vel, licet habuisset, majori ex parte illam amisit. Quod autem nunquam illam habuerit, probabilissimum est, quia neque supernaturali aut extraordinario modo a Christo Domino vel Romano Pontifice illam habuit, ut ex dicendis a fortiori constabit, neque etiam aliquo humano jure illam acquisivit, quia nunquam vel per electionem, vel per justum bellum unus imperator totum orbem vel totam Ecclesiam sibi subjecit. Ut enim demus antiquos imperatores christianos fuisse legitimos principes totius ditionis suæ, non tamen inde fit fuisse etiam supremos principes omnium Christianorum, quia extra illorum territorium multi populi potuerunt esse Christiani. Nam (ut recte dixit Prosper., lib. 2 de Vocat. gent., c. 6), «gratia christiana non contenta est eosdem limites habere quos Roma, multosque populos sceptro crucis subdidit, quos armis suis ipsa non domuit.» Unde et est illud quod Leo Papa, in serm. 1 Apostolorum, de Roma dixit: «Ut latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena.» Accedit, illud ipsum Romanum imperium in orientale et occidentale fuisse divisum, et deinde occidentale imperium (quod solum in Christianis permansit; orientali a paganis occupato), licet quoad dignitatem in una persona duret, quoad jurisdictionem in multos principes et reges divisum esse. Ex quibus licet aliqui sint imperatori sub-

ecti, plures censentur legitime exempti, jure præscriptionis, ccedente simul populorum consensu, vel titulo justi belli. Ac roinde præter imperatorem plures esse reges temporales ab llius jurisdictione omnino liberos, ut sunt rex Hispaniæ, Galliæ t Angliæ, nunc supponimus.

8. Solum ergo superest probanda assertio de Summo Pontifice, nam si ille non habet proprium dominium jurisdictionis emporalis supremæ in universa regna Ecclesiæ, nullus alius ngi potest qui talem primatum habeat, ac subinde plures erunt eges temporales supremi. Quod ergo Pontifex talem jurisdictionem temporalem in universa Ecclesia non habeat, tenuerunt x Theologis, præcipue Major, Cajetan., Victor., Soto, et Bellarminus (1), qui plures alios refert. Et ex jurisperitis, Covarru., n Regul. «Peccatum,» 2 p., § 9, n. 7; Navarr., in c. «Novit,» otab. 3, latissime, et plures alios referendo, n. 41; et Petrus Bertrand., tract. de Orig. jurisdiction., q. 3. Et (quod caput st) ipsimet Pontifices Summi multis in locis hanc veritatem impliciter recognoscunt.

9. *Auctoritate Summorum Pontificum probatur assertio.* — Inde illorum juribus imprimis probanda est assertio. Nicolaus nim Papa ad Albinum Archiep. ita scribit: «Sancta Dei Ecclea gladium non habet, nisi spiritualem;» nomine autem «gladii» significari solet in jure canonico potestas temporalis; ergo naxime id debet intelligi, et de directa potestate, et de jurisdictione quam S. Ecclesia per se, et, ut sic dicam, ex intrinseca ua ratione habet. Nam in proprio territorio alio titulo compato habere potest Ecclesia, seu ecclesiasticus Prælatus, gladium emporalem, sicut Romanus Pontifex in sua peculiari ditione lum habet. Præterea idem Nicolaus, in epist. ad Michaelem mperatorem sic ait: «Nec imperator jura pontificatus arripuit,

(1) Major, in 4, d. 24, q. 3; Cajet., tom. 1 Opusc., tract. 2, c. 3, 2 2, q. 43, art. 8; Victor., in suis Relectionib.; Soto, lib. 4 de Just.' 2; Bellar., lib. 5 de Sum. Pontif., c. 1 et sequentibus.

nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam Christus sic actibus propriis, et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit,» etc. Idem nobis tradidit Gelasius Papa cum epist. 10 ad Anastasium imperatorem scribit, «duo esse quibus principaliter mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas;» et Gregor. Papa I, lib. 2, indict. 11 ep. 61, alias c. 100, ad Mauritium imperatorem ait: «Ad hoc potestas super omnes homines dominorum meorum pietati data est, ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur:» et Joannes Papa I, in epist. ad Justinianum imperatorem, quæ habetur in lib. «Inter cleros,» C. de Sacra Trinit., ejus supremum principatum et regiam potestatem recognoscit.

10. Præterea Innocentius III, in c. «Novit,» de Judiciis aperte sentit regem Francorum supremam habere jurisdictionem temporalem, quam Papa perturbare aut minuere nolit; et idem infra dicit: «Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium;» aperte significans ad se non pertinere, utique directe, ut recte Glos. et Innocentius adnotarunt. Quod amplius declarat, dum addit: «Nisi forte juri communi per speciale privilegium, vel consuetudinem sit derogatum.» Nam per hanc exceptionem declarat, per jus divinum non esse juri regio derogatum. Idem præterea Innocentius, in c. «Per venerabilem.» Qui fil. sint leg., de rege Francorum expresse dicit, superiorem in temporalibus non recognoscere. Et de Apostolica Sede dicit, «in patrimonio B. Petri libere» (id est directe et absolute) «posse disponere, in quo et Summi Pontificis auctoritatem exercet, et summi principis» (utique temporalis) «exequitur potestatem,» plane sentiens in aliis regnis non ita libere posse circa temporalia disponere. Idem in c. «Solitæ,» de Major. et obed., imperatorem fatetur «in temporalibus præcellere in ditione sua;» et de regali potestate dicit, «in carnalibus præesse,» et in c. «Causam,» 2, Qui fil. sint legitimi, Alexander III expresse dicit, ad regem, non ad Ecclesiam pertinere de temporalibus possessionibus judicare, et loquitur in parti-

cular de rege Angliæ. Satis ergo constat ipsosmet Romanos Pontifices nunquam sibi hujusmodi potestatem arrogasse, quod amplius ex sequenti discursu constabit.

11. *Eadem conclusio rationibus probatur.* — Secundo, principaliter veritas hæc demonstratur, quia nullus potest justus titulus assignari, quod directum dominium jurisdictionis temporalis in omnia Ecclesiæ regna Summo Pontifici conveniat; ergo illam non habet, neque enim sine justo titulo obtineri potest. Assumptum probatur, quia vel ille titulus esset juris divini positivi, vel juris humani; manifestum est enim, ex supra dictis, non posse esse immediate ex jure naturali. Nam probatum est, ex immediato naturali jure solum communitatem humanam perfectam, et politice in corpus unius reipublicæ congregatam, habere supremam jurisdictionem temporalem in se ipsam. At congregatio Ecclesiæ licet sit unum corpus spirituale seu mysticum Christi, et in hoc genere habeat fidei, baptismatis et capitis unitatem, non tamen est unita in ratione unius politicæ congregationis, sed in se continet varia regna et respublicas, quæ in politico genere nullam inter se habent unitatem; ergo ex vi juris naturalis non est in tota communitate Ecclesiæ immediate una suprema jurisdictio temporalis et universalis super totam Ecclesiam, sed tot sunt jurisdictiones temporales supremæ, quot sunt politicæ communitates, quæ non sunt membra unius regni, seu reipublicæ civilis.

12. *Suprema potestas civilis non competit Summo Pontifici jure humano.* — Et hinc non minori evidentia concluditur, talem potestatem non esse in aliquo ecclesiastico principe aliquo titulo humano, quo mediante potestas illa naturalis in ipsum translata fuerit. Quia hic titulus vel est electio et consensus populorum, et hic in præsenti locum non habet, ut per se manifestum est; nunquam enim omnes populi Christiani propria voluntate et consensu uni homini tanquam supremo principi temporali se submiserunt. Vel est titulus justi belli, et de hoc

etiam clarum est non habere locum in aliquo ecclesiastico principe. Vel est titulus legitimæ successionis, et hic etiam esse non potest, præcise sistendo in jure humano, quia supponit legitimum titulum et dominium in prædecessore, et ita ascendendo, necessario sistendum est in aliquo, qui alio priori titulo humano tale dominium sine successione obtinuerit, qui non potest esse, nisi vel consensionis populorum, vel belli, quod aut a principio fuerit justum, aut per tacitum consensum subditorum per legitimum tempus justum fuerit factum; nihil autem istorum habet locum in aliquo Pontifice, cujuscumque temporis vel superioris sæculi cogitetur. Vel denique hic titulus est alicujus donationis ab homine factæ, et de hoc fere eadem est ratio quæ de titulo successionis. Quia nemo potest donare nisi quod habet; nullus autem princeps etiam temporalis habet unquam supremam jurisdictionem temporalem directam in omnes provincias, et regna christiana, ut supra tetigi; ergo nullus est, qui Ecclesiæ, vel Pontifici talem donationem facere potuerit.

13. Quæ omnia recte confirmant illa jura canonica, quæ tradunt Pontificem Romanum legitimum jus, et temporale dominium habere Romani regni, seu patrimonii (quod vocant) S. Petri, per donationem a Constantino imperatore factam, ut patet ex c. «Constantinus,» 1 et 2, 96 dist., et ex c. «Fundamenta,» de Elect., in 6, et c. «Futurum,» 12, q. 1. Nam hinc aperte colligitur, titulo donationis solum habere directe temporalem jurisdictionem in regnum et civitates, quæ sunt de patrimonio Petri, sub quo patrimonio comprehendimus omnem ditionem temporalem, quam nunc possidet Romanus Pontifex, sive totius patrimonii donatio facta fuerit a Constantino, sive ab illo fuerit inchoata, et ab aliis regibus et principibus aucta.

14. *Idem probatur de jure divino.* – Superest dicendum de titulo juris divini positivi, qui solum potuit incipere per Christi Domini donationem, et perseverare per legitimam successionem; a Christo autem Domino nulla talis donatio facta est, et

onsequenter nulla potest esse in tali jurisdictione temporali egitima successio; ergo neque hoc titulo convenit Pontifici huismodi jurisdictio. Quod autem Christus illam jurisdictionem on dederit Ecclesiæ, probatur imprimis, quia si dedisset alii, maxime Petro, ut nunc suppono, ex his quæ inferius de rimatu Romani Pontificis dicenda sunt. Petro autem non doasse satis colligitur ex Matth., 16, ubi ante illa verba: «Quodumque ligaveris,» et «quodcumque solveris,» præmittit Christus promissionem: «Tibi dabo claves regni cœlorum;» non ergo romisit Christus Petro claves regni terreni, ac proinde non romisit temporale dominium, vel jurisdictionem temporalem irectam, sed spiritualem potestatem. Quocirca, quod statim hristus addit: «Quodcumque ligaveris,» vel «quodcumque olveris,» secundum potestatem, quam nomine clavium promierat, sine dubio intelligendum est. Et similiter verbum, «Pasce ves meas,» secundum eamdem potestatem intelligendum est, am ibi promissionem prius factam Christus adimplevit. In ullo autem alio loco indicavit Christus se dare temporale dominium aut regnum proprium directum Petro, vel Ecclesiæ iæ, neque etiam ecclesiastica traditio hoc ostendit, sed potius ppositum, ut visum est; ergo nulla supernaturali via nobis onstare potest de tali jurisdictione temporali et directa Pontiis; ergo non potest cum fundamento illi attribui, cum nonisi supernaturaliter possit illam habere.

15. Deinde est optima conjectura, quia ipse Christus sibi humanitate sua non assumpsit regnum terrenum, seu temorale, cum dominio et jurisdictione temporali directa, qualis t in imperatore, vel aliis principibus humanis; ergo neque am tribuit Vicario suo in terris. Antecedens supponimus, ex s quæ in 1 tomo tertiæ partis (1) de regno Christi diximus, et inc breviter ostenditur ex his quæ Scriptura dicit de pauper-

(1) Disput. 48, sect. 2.

tate Christi Domini, ut est illud 2 ad Cor., 8: «Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.» Unde Joannes II, in Extravagant. «Cum inter nonnullos,» de Verbor. signifi., docens habuisse Christum, non obstante paupertate quarumdam paucarum et usualium rerum dominium, manifest supponit non accepisse regnorum dominium, vel aliarum rerum quarum proprietas hominum divites constituit. Et hoc significavit ipse Dominus, cum Matth., 8, et Luc., 9, dixit: «Filius hominis non habet ubi caput reclinet.» Et de temporali jurisdictione idem significavit Luc., 12, ubi cuidam petenti: «Dic fratri meo ut mecum dividat hæreditatem,» respondit: «Homo, qui me constituit judicem aut divisorem super vos?» quasi dicere non assumpsisse illud judicium, nec ad temporalem jurisdictionem exercendam in mundum venisse, ut recte Ambros. Theophylact. et Euthym. adnotarunt.

16. Et hoc etiam confirmavit idemmet Dominus, Joan., 18 dicens: «Regnum meum non est de hoc mundo,» id est, non est temporale et terrenum, quale est regnum Cæsaris, ut il exponunt Cyrillus, lib. 12 in Joan., cap. 10, et sequentibus et Chrysostomus, hom. 82 in Joan., et optime Augustinus tract. 115, dicens: «Audite omnia regna terrena, non impedi dominationem vestram in hoc mundo, regnum meum non e de hoc mundo.» Unde omnes Patres docent assumpsisse Christum regnum spirituale, quod veram paupertatem non excludi Ideoque Zachar., 9 prædicitur venturus Salvator, qui esset re et pauper, quod in Christo impletum esse declaravit Matth cap. 21, et Joannes, c. 12; et in Psal. 2, de Christo dicitu «Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion monte Sanctum ejus,» et statim additur, «prædicans præceptum ejus. ad significandum regnum illud esse spirituale, non terrenum Unde Augustinus supra, montem illum, super quem Christ est rex constitutus, non esse de hoc mundo dixit, «quia cr dentes in Christum, qui sunt regnum ejus, non sunt de h

undo;» Hilarius autem dixit non esse Jerusalem terrestrem, ed cœlestem. Et hoc etiam modo prædictum est ab Angelo de hristo: «Dabit illi Dominus sedem David patris ejus,» et sta- im subjungit: «Et regnabit in domo Jacob in æternum, et egni ejus non erit finis,» quia non temporale, sed spirituale turum erat, ut adnotarunt Epiphan., hæres. 29, et Hieronyus, Jeremiæ, 22, et Zachar., 6. Ratio vero est, quia temporale egnum non fuit Christo necessarium ad honorem vel majestaem suam, et ad exemplum ac redemptionem nostram fuit mais expediens ut illud non assumeret.

17. *Objectio.* — *Solutio.* — Atque hinc facile probatur prior latio, quia Christus non contulit Vicario suo potestatem quam on ipse assumpsit. Dices, quamvis Christus non habuerit temorale regnum caducum et imperfectum, habuisse tamen etiam humanitate sua propter gratiam unionis dominium quoddam xcellentius, per quod poterat sua voluntate uti quibuscumque ebus vel regnis temporalibus, et consequenter per illud etiam otuisse dare Vicario suo temporalia regna, et directam jurisictionem temporalem. Respondemus, non negari quin id faere potuerit, sicut etiam potuit sibi assumere, sed colligimus on dedisse, cum illud non assumpserit, quia non reliquit in erris, nisi Vicarium illius regni quod ipse de facto assumpsit, uod regnum spirituale est, ut ostendimus, et perfecte quidem onsummatur in gloria, in hoc vero mundo inchoatur in Eccle- a militante. Item quia Christus habuit perfectam spiritualem otestatem sine jurisdictione temporali directa; ergo etiam poiit communicare Vicario suo perfectam, seu sufficientem jurisictionem spiritualem, sine altera directe temporali. Ac deniue quia sicut fuit expediens Christum ipsum non assumere mporalem jurisdictionem, ita etiam conveniens fuit ut Vicario io illam non communicaret, ne aut reges terræ perturbaret, ut spiritualia sæcularibus miscere videretur.

18. Unde possumus ultimo ratione argumentari, quia dominium temporale cum jurisdictione directa et civili in univer-

sam Ecclesiam non erat necessarium ad spirituale regimen Ecclesiæ, ut per se manifestum est, neque etiam ad eumdem finem erat utile, imo potius magno impedimento esse potuisset; ergo non est verisimile a Christo fuisse datum Minor probatur primo, quia temporale regimen est longe diversum ab spirituali, et implicat homines negotiis sæcularibus, quæ maxime avertunt ab spiritualibus, propter quod dixit Paulus, 2 ad Timoth., 2: «Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus;» ergo incredibile est Christum Dominum conjunxisse has duas supremas et universales potestates in uno supremo Pontifice Ecclesiæ, cum moraliter impossibile sit, unum hominem sufficere utrique ponderi universalis gubernationis.

19. *Objectio. — Prima responsio.* — Dices: hac ratione probaretur, Summum Pontificem vel alios Episcopos non posse nec debere esse simul temporales principes. Respondetur imprimis verum esse, Christum Dominum id non instituisse neque præcepisse, neque alicui ex suis ministris seu pastoribus temporalem principatum dedisse. Et hoc probat discursus factus, et confirmant quæ de Christi Domini regno diximus, quia ille nec totius orbis, nec alicujus partis ejus principatum temporalem aut sæculare judicium sumpsit, unde nulli etiam Episcopo, vel Vicario suo illud communicavit; quod ergo ipse de se dixit: «Quis me constituit judicem inter vos,» in unumquemque Episcopum convenit. Quod etiam aliis testimoniis et longo discursu ostendit Bernar., lib. 1 de Considerat., ad Eugenium, c. 6, et lib. 2, cap. 6. Addo nihilominus non prohibuisse Christum, ne Pontifex aut Episcopus possit esse simul temporalis dominus, quia nec talis prohibitio ostendi potest, ut supra tactum est, et ex dicendis magis constabit; neque etiam sequitur ex ratione proposita, quia non est per se malum, eumdem esse ecclesiasticum pastorem et principem temporalem. Quin potius, licet temporalis cura nimis ampla et universalis non recte conveniat cum spirituali sollicitudine, nihilominus principatus aliquis temporalis moderatus potest non solum esse licitus, sed etiam ex-

pediens ad Ecclesiæ splendorem et auctoritatem conservandam, et ad necessarios sumptus, et alios similes honestos fines, ut recte dicitur in cap. «Fundamenta,» de Elect., in 6. Et ideo Christus Dominus hoc non prohibuit, sed humanæ dispositioni, recta ratione regulatæ, et pro temporum opportunitate, id reliquit.

20. *Secunda solutio.—Rejicitur responsio.* — Aliter vero responderi posset rationi factæ, illa solum probari exercitium utriusque jurisdictionis universalis non debuisse simul eidem personæ committi, nihilominus tamen in habitu potuisse utramque jurisdictionem dari Pontifici, datamque esse ea lege et conditione, ut spiritualem per se, temporalem vero per alios ordinarie exerceret. Sed hoc etiam facile impugnatur, non solum quia etiam illa jurisdictio in habitu nullo titulo aut probabili modo ostenditur, ut probatum est, sed etiam quia vel est impertinens, vel odiosa valde. Aut enim qui illam habet, nunquam per se ipsum uti illa debet, et sic erit otiosa et inutilis, quia nunquam poterit quis illa uti per alios, nisi prius per se illa utatur, saltem illam delegando, vel ordinariam committendo. Si vero ad hunc usum data dicatur, interrogo ulterius an Pontifex, verbi gratia, committendo hanc jurisdictionem, illam omnino a se abdicet, et omnem illius curam prorsus relinquat, an vero ita illam committat, ut semper maneat temporaliter superior, et cum potestate revocandi commissionem, vel saltem limitandi eam, vel etiam sub arbitratu corrigendi aut emendandi acta per illam. Si priori modo hæc jurisdictio in habitu cogitetur, est sine fructu, et otiosa. Quid enim refert quod Pontifex habeat hanc potestatem in habitu, si necessario debuit illam dare aliis, per quos exercetur, et postquam dedit, jam non potest actum superioris exercere in illo ordine? Imo potius sequitur jam nunc illam non habere, et solum fingitur aliquando habuisse, ut emanatio hujus potestatis ad principes sæculares Pontifici attribuatur, quod invidiæ satis plenum ducitur, odiumque nimis, et alias est etiam sine fructu et fundamento.

21. Si vero posteriori modo cogitetur hæc potestas ita in habitu, ut possit exire in actum, quando libuerit, vel quando oportuerit, sic augetur odium et invidia, quia jam principes temporales non erunt supremi reges, falsumque erit Sedulii carmen ab Ecclesia receptum, et celebratum satis: «Non eripit mortalia, Qui regna dat cœlestia;» poteritque Pontifex pro libito suo regna temporalia auferre vel mutare, et judicia temporalium rerum, dispensationes, et similia, sibi etiam ad libitum vindicare, saltem valide, nam licet fortasse non bene faceret propter perturbationem ordinis, factum nihilominus teneret, quia esset ex suprema jurisdictione, a qua inferior pendet. Hoc autem non solum odiosum est, et regnum animos perturbare potest non sine causa; verum etiam est per se incredibile, quia est contra universalem pacem Ecclesiæ, et contra universalem ac perpetuum usum ejus. Unde etiam jurisperiti, qui dicunt Summum Pontificem habere supremam jurisdictionem temporalem, id non admittunt. Imo in multis actibus jurisdictionis temporalis absolute negant posse Pontificem extra ditionem suam temporalem illos usurpare, etiam valide, ut communiter tradunt Doctores, in c. «Per venerabilem,» Qui filii sint legitimi. Ac denique si hoc modo haberet Pontifex jurisdictionem temporalem totius Ecclesiæ, non minus oporteret ipsum esse sollicitum de bono temporali regimine omnium regnorum Ecclesiæ, quam de regimine spirituali omnium episcopatuum; nam est eadem ratio et obligatio, servata proportione; et ita procedit ratio facta, quod illa duplex sollicitudo universalis humanas vires et capacitatem moraliter excedat, sitque contra omnem rationem et usum.

22. *Solvuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* — Ex fundamentis contrariæ sententiæ, primum et secundum procedunt tantum de potestate indirecta. Et profecto multi ex auctoribus pro illa sententia relatis, de eadem tantum superiori potestate loquuntur, ut in fine hujus libri declarabimus. Tertium autem fundamentum procedit ex falso principio, quia Christus Domi-

nus dominia temporalia non assumpsit, ut dictum est. Simili modo deficit quartum fundamentum, quia Ecclesia non est una respublica temporalis, sicut est spiritualis, et ideo non indiget una temporali potestate directe suprema, sed una spirituali, quæ ad temporalia extendatur, ut infra etiam videbimus.

CAPUT VI

Utrum sit in Ecclesia Christi spiritualis potestas jurisdictionis externæ et quasi politicæ a temporali distincta?

1. *Potestas ecclesiastica alia ordinis, alia jurisdictionis.* — Diximus hactenus de potestate temporali, ut constet nullum principem christianum jure posse Catholicam Ecclesiam vel doctrinam arguere, quod debitam potestatem illi pro libito eripiat: nunc dicendum est de spirituali potestate, ut etiam ostendamus quid reges schismatici in hoc genere indebite usurpent, et in quibus ecclesiasticæ potestati contra divinum jus obedire et subjici recusent. Quia vero potestas ecclesiastica multiplex est, ideo in titulo restringimus quæstionem ad potestatem jurisdictionis spiritualis et externæ. Duplex enim distingui solet potestas ecclesiastica, scilicet, ordinis et jurisdictionis: ad hæc enim duo membra, alia, quæ adnumerari solent, reducuntur, ut recte Navarrus adnotavit. De potestate ergo ordinis hic non tractamus, non enim pertinet ad præsentem controversiam, quia illa non est potestas superioris in subditos, sed est facultas quædam moralis ad cultum Dei religiosum ordinata, vel per oblationem sacrificii, vel per administrationem aut dispensationem sacramentorum, quæ ad sanctificationem fidelium sunt instituta, vel denique per quascumque alias cæremonias quæ, ad ornatum sacrificii aut sacramentorum, convenienter et ordinate fieri debent. Unde etiam Protestantes non

omnino videntur hanc potestatem negare, quamvis ita illam interpretentur, ut nomine potius quam re illam confiteantur. Sed hoc in tractatu de Sacramentis examinandum est.

2. *Jurisdictio item ecclesiastica duplex. — Sensus quæstionis.* — Potestas item jurisdictionis subdistinguitur in jurisdictionem interni fori pœnitentiæ, et externi fori ecclesiastici. Prior proxime constituit sacerdotes, superiores et judices in quodam divino et secreto foro, quod in sacramento pœnitentiæ exercetur. Et quamvis de hac etiam sit magna contentio hæreticorum hujus temporis contra Ecclesiam Catholicam, illam nunc prætermittimus, quia neque rex Jacobus illam attigit, neque ad exteriorem politiam, etiam ecclesiasticam, spectat. His ergo potestatibus omissis, sermo est de potestate jurisdictionis externæ datæ ad gubernandam Ecclesiam, quatenus est quædam spiritualis respublica, et corpus Christi mysticum, quam spirituali vocamus, ut a temporali eam distinguamus. Unde juxta intentionem nostram idem est quærere an hæc jurisdictio sit et an sit a temporali distincta.

3. *Marsilii hæresis, et fundamentum schismatis Anglicani.* — In hac ergo quæstione fuit hæresis Marsilii Paduani, qui ferme ante quingentos annos inter alias hæreses dixit, Christum nullam jurisdictionem Ecclesiæ suæ, aut Episcopis, vel Romano Pontifici dedisse, vel in laicos, vel in clericos, vel ad præcipiendum seu obligandum, vel ad cogendum seu puniendum; sed solum dedisse sacerdotibus potestatem ministrandi sacramenta, et prædicandi verbum Dei, et in reliquis omnibus, dispositioni et jurisdictioni temporalium principum eos subjectos reliquisse. Ita errorem hunc referunt plures auctores, sed distinctius quam cæteri, Albertus Pighius, lib. 5 de Eccles. Hierarch. Et in hoc errore videtur fuisse fundatus Henricus VIII rex Angliæ, ad schisma contra Ecclesiam Romanam excitandum. Ut enim Pontifici obedientiam negaret, consequenter etiam negavit se habere in terris superiorem tam in spiritualibus quam in temporalibus, et consequenter asseruit in su-

regno se habere totam potestatem supremam, quæ in Ecclesia respective esse potest. Idemque de quocumque rege temporali christiano censuisse videtur, quia non potuit majorem rationem aut titulum talis potestatis in se, quam in aliis supremis regibus invenire; idque diserte ac frequenter vel affirmat, vel supponit rex Jacobus in sua ad christianos principes Præfatione.

4. Ex quo manifeste convincuntur, non agnoscere in Ecclesia aliam potestatem jurisdictionis, præter eam quæ est in regibus temporalibus, vel quæ ab illa manat, quia nullum alium titulum ad illam usurpandam prætendere possunt. Unde, sicut supra diximus, regiam potestatem a populo ad reges manasse, ita referunt Anglicanæ historiæ, regem Henricum ex consensu regni in Parlamento hanc sibi arrogasse potestatem, idemque in simili conventu fuisse in Eduardo, proximo successore, declaratum, posteaque in Elizabetha innovatum. Ergo signum est non aliter de hac potestate quam de politica sentire. Idemque satis ostendit Jacobus rex, cum jure hæreditario et titulo carnalis successionis illam habere profiteatur. Neque ab hoc errore alienus fuit Calvinus aut Lutherus, nam, licet Calvinus primatum Henrici non approbaverit, nihilominus, ex alio principio, hujusmodi spiritualem potestatem negare cogitur. Ille enim cum Luthero et aliis, omnes Christianos pares in sacerdotio faciunt, et distinctionem cleri a populo laico e medio tollunt, atque ita nullam potestatem specialem ponunt in Ecclesia ad gubernandam illam, præter eam quæ est in magistratu politico, vel quæ in aliqua communitate ad servandum rectum ordinem ex natura rei existit.

5. *Fundamenta dictæ hæresis.* — Fundamenta hujus erroris diversa sunt. Nam isti, quos ultimo loco retuli, fundari potuerunt, quia crediderunt in Ecclesia nullum esse verum ac proprium sacrificium, et consequenter nec verum ac proprium sacerdotium, sed tantum spirituale ac metaphoricum, quod omnibus Christianis commune est, de quibus dicitur 1 Petr., 2: «Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiri-

tualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.» Et infra: «Vos autem genus electum, regale sacerdotium.» Marsilius autem, licet sacerdotium non negaverit, et clerum seu presbyteros a populo distinxerit, negavit tamen in clero hierarchicum ordinem, dixitque omnes presbyteros esse æquales Episcopis, et Episcopos Papæ; unde intulit non habere inter se, vel respectu populi, subjectionem aut prælationem, sed omnes dixit esse subjectos politico magistratui. Afferebatque illud Lucæ, 22: «Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic,» quibus verbis arbitratus est, prohibitum esse clericis omnem dominatum seu jurisdictionem. Inducebatque alia testimonia Scripturæ, quæ a sæcularibus curis clericos abstrahunt, ut est illud: «Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, 2 ad Timoth., 2; et illud: «Secularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum,» 1 ad Corinth., 6. De regibus autem Angliæ non mihi constat, quo alio fundamento nitantur, nisi quia, detorquendo Scripturas ad alios sensus, negant in eis esse fundatam spiritualem potestatem, et exaggerant quod Scripturæ præcipiunt omnibus Christianis, principibus et magistratibus temporalibus subesse. Unde in hoc æquiparant Ecclesiam Christi synagogæ, aut reipublicæ fideli quæ in lege naturæ esse poterat, in quibus putant non fuisse aliam potestatem gubernativam, præter eam, quæ vel regibus data est in lege veteri, vel in alio statu ex natura rei esse poterat in tali communitate ordinata per fidem ad veri Dei cultum et religionem, et a populo in principes, vel (quod perinde est) ex consensu populi in primogenitos transferebatur, tanquam una et eadem potestas connaturalis.

6. *Prima assertio de fide. — Probatur ex Scriptura.* — Nihilominus veritas catholica est, dari in Ecclesia spiritualem potestatem veræ et propriæ jurisdictionis, per quam possit christianus populus in ordine ad salutem animæ convenienter gubernari. Hæc assertio de fide certa est, ut communi consensu

Catholici docent, et probatur primo apertissimis Scripturæ testimoniis. Præcipua sunt illa duo: «Quodcumque ligaveris,» etc., Matth., 16; et: «Pasce oves meas,» Matth., 21, quæ inferius ex professo tractanda sunt. Simile etiam est illud Matth. 18: «Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus;» et adjungit: «Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt et soluta in cœlo; ligare enim et solvere manifeste sunt actus jurisdictionis, et ibi non est tantum sermo de jurisdictione in foro interno, seu secreto pœnitentiæ, ut per se constat, nec de jurisdictione temporali. Nam excommunicatio, de qua ibi sermo est, censura est ecclesiastica, quam etiam ipse rex Jacobus interdum spiritualem appellat in præfatione. Sunt etiam expressa verba Pauli, 2 Corint., 13: «Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in destructionem. Potestas autem spiritualis erat, nam temporalis vel regia in Paulo non erat. Item ad eamdem potestatem pertinet quod idem Apostolus ait, Actor., 20: «Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo;» ubi aperte dicit, Episcopis datam esse a Deo potestatem regendi Ecclesiam; regimen autem et gubernatio idem sunt. Unde, nisi magna vis fiat verbis, de potestate jurisdictionis Apostolus loquitur: ut autem significet illud regimen esse spirituale, addit de Ecclesia: «Quam acquisivit sanguine suo,» non enim acquisivit Christus suo sanguine temporale regnum, sed spirituale.

7. Unde optima ratione simul cum Scripturæ testimoniis potest hæc veritas confirmari. Habemus enim ex Scripturis, Christo Deo homini promissum esse a Patre regnum æternum, juxta illud Psal. 131: «De fructu ventris tui ponam super sedem tuam»; et Isai., 9: «Super solium David, et super regnum ejus sedebit.» Et addit Angelus, Lucæ, 1: «Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, regnabit in domo Jacob in æternum, et reg-

ni ejus non erit finis.» Hoc autem Christi regnum non in cœlo tantum, sed in terra etiam tradendum seu inchoandum promissum est, ut patet ex Daniel., 7: «Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.» Et infra: «Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur»; illum autem Filium hominis esse Christum, qui in Evangelio sæpe Filius hominis appellatur, omnes intelligunt, illiusque regnum post alia imperia fuisse in terra inchoandum, et perpetuo esse duraturum, tum illo loco, tum etiam Daniel., 1, aperte prædicitur, et concordat illud Ezechiel., 37: «Faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel, et Rex summus erit Dominus imperans, et non erunt ultra duæ gentes.» Quæ verba de Christo et ejus Ecclesia evidenter intelliguntur, ut ex toto contextu usque ad finem capitis constat. Hoc autem regnum Christi corporale seu temporale non est, sed spirituale et æternum, ut cap. 4 diximus, et colligitur ex verbis ejusdem Ezechielis: «Salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt», etc.; et ex Jerem., 13: «Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra, in diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitavit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.» Et hoc ipsum confirmant alia testimonia ex Scriptura et Patribus, dicto cap. 4 adducta.

8. Ex quo ulterius concludimus, hoc regnum Christi non esse nisi Ecclesiam ejus, in qua ipse spiritualiter regnat, ut dixit Gregorius, lib. 1, in 1 Reg., in ultimis verbis. Et Augustinus, tractat. 115 in Joan.: «Quod est regnum ejus, nisi credentes in eum? Quibus dicit: De mundo non estis » Et infra: «Unde non ait: Regnum meum non est in hoc mundo, sed, Non est de hoc mundo; nec dicit: Non est hic, sed, Non est hinc. Hic est enim usque ad finem sæculi.» Ergo sicut regnum spirituale est,

ita per spiritualem potestatem regi debet. Hoc autem regnum perpetuum est non solum in cœlo, sed etiam in terra, quamdiu mundus durabit, ut ex Augustino retuli, et in libro etiam primo, tractando de Ecclesia ostendi; ergo etiam potestas spiritualis ad regendum illud ita est a Christo huic Ecclesiæ concessa, ut in ea perpetuo duret, quia non potest regnum sine potestate gubernatrice illi proportionata conservari. Unde recte dixit Epiphan., hær. 29: «Thronus David, et regia sedes, est Sacerdotium in S. Ecclesia, quam dignitatem regiam, simulque pontificiam simul conjunctim largitus est Dominus S. Ecclesiæ suæ translato in ipsam throno David non deficiente in æternum.» Et infra: «A domo carnali Juda et Israel regia dignitas translata est, firmiter autem sedet thronus in S. Dei Ecclesia in æternum.

9. *Evasio regis Angliæ, ejusque rationes.— Prima.— Secunda.*— Ad hanc autem rationem tacite respondet rex Jacobus in Præfatione, pagin. 5, 7, his verbis: «Nec si regna terrestria a monarchis terrestribus regi debent, ideo Ecclesiam sequitur a terrestri quoque monarcha debere gubernari.» Cur autem non sequatur, duas rationes indicat. Prior est, «quia neque unus est aliquis totius orbis regnorumque omnium moderator ac monarcha»; altera est, «quia Christus Ecclesiæ suæ monarcha est, Christique vices explet, quem venturum promiserat, Spiritus Sanctus»; et hic illud adjungit: «Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.» Sed in his verbis attingit rex aliam quæstionem de monarchia infra tractandam, quæ diversa est a præsenti. Nunc enim solum tractamus de spirituali potestate suprema, ad regendum regnum Christi, quod est Ecclesia, necessaria, et hanc dicimus esse debere in ipsa Ecclesia, prout in terris versatur, sive sit in una persona, sive in multis, seu in congregatione ex illis composita, quod postea videbimus. Verba autem regis eo tendunt, ut nulla sit necessaria in hoc regno Christi potestas, quæ vices Christi gerat, ut maxime patet ex posteriori ratione, quam de munere Spiritus Sancti affert, ideoque hic prætermitti non potuerunt.

10. *Rejicitur evasio regis.*—Circa primam ergo æquiparationem spiritualis regni Ecclesiæ cum regno terreno dicimus, si cum proportione fiat comparatio, non minus esse necessarium in Ecclesia supremum aliquem gubernatorem terrestrem, id est, visibilem hominem et mortalem, quam sit in regno terrestri. Quia Ecclesia Christi universa non minus est una, seu regnum unum in suo ordine, quam sit regnum quodlibet temporale in suo. Et licet Ecclesia quoad finem et præcipua media spirituale regnum sit, nihilominus, quoad personas ex quibus constat, etiam est terrestris, et actiones, in quibus regi, vel dirigi et corrigi debet, terrestres etiam sunt, id est, externæ et sensibiles, et illis mediantibus servanda est pax, unitas, religio, et cætera omnia quæ ad convenientem hujus corporis gubernationem sunt necessaria; ergo non minus est in hoc regno necessaria potestas suprema, quæ humano et sensibili modo membra ejus et actiones eorum in ordine ad æternam salutem dirigat et gubernet. Et ideo recte Bonifacius II, ep. 1, et Gregorius, libro quarto epist., c. 96, alias epist. 52, ind. 3, de eadem Ecclesia loquentes dixerunt: «Ad hoc divinæ dispensationis provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut una concordiæ fieret ex diversitate connexio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas poterat alia ratione subsistere, nisi hujusmodi magnas eam differentiæ ordo servaret.» Quia vero in hac graduum diversitate et ordine in infinitum procedi non potest, nec in eis esse divisio, ideo necesse est in aliquo supremo capite uniri seu terminari. Unde subjungit Gregorius: «Tunc unumquodque salubriter impletur officium, cum fuerit unus, ad quem possit recurri, præpositus.» Quod profecto sicut in unaquaque congregatione spirituali seu ecclesiastica, et in unoquoque episcopatu, vel particulari Ecclesia seu provincia verum est, ita in universali Ecclesia multo majori ratione est necessarium. Et ideo dixit Anastasius Papa, in Apolog. adversus Anastasium imperatorem: «Si omnis potestas a Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta divinis»,

quam nos nunc spiritualem potestatem vocamus. Optima ergo est illatio quam rex improbat: si terrenum regnum a terrestri monarcha regi debet, etiam Ecclesia suum monarcham, seu supremum gubernatorem in terris habere, necessarium fuit.

11. *Satisfit primæ probationi regis.*—Prior autem regis ratio non solum hoc non expugnat, sed potius comprobat, si alia diversitas inter Ecclesiam et totum orbem quoad regna terrena consideretur. Nam in universo orbe terrarum non est una tantum respublica, vel unum temporale regnum, sed varia et plurima, quæ inter se non componunt unum politicum corpus, et ideo neque unus monarcha, neque (generalius loquendo) una præfectura, vel unum supremum tribunal politicum et humanum pro toto universo esse oportuit. Imo neque moraliter vel humano modo potuit. At vero Ecclesia Christi est unum corpus mysticum perfectum, et unum (ut sic dicam) simplex regnum per universum orbem diffusum, ut in libro primo, tractando de Ecclesia Catholica, dictum est. Et ideo una suprema potestas, quæ toti illi præsit, necessaria est. Quocirca si supponamus Ecclesiæ regimen esse monarchicum, ut infra ostendetur, comparatio ejus cum temporali regno non est cum universo orbe facienda, sed cum singulis orbis regnis, ita ut sicut unumquodque regnum temporale ab uno monarcha terreno regitur, terreno, inquam, quoad personam, quoad potestatem, quoad materiam et proximum finem, ita totum Ecclesiæ regnum ab uno regatur monarcha, terreno quidem quoad personam, cœleste vero quoad potestatem, materiam, et proximum ac principalem finem. Hac enim ratione Christi Ecclesia militans, licet terrenum regnum dici possit, propterea quod ex mortalibus hominibus in terra degentibus constat, nihilominus in Scriptura sæpe regnum cœlorum appellatur, et Christus de illa dixit: «Regnum meum non est hinc.» Ubi Augustinus notat, non dixisse: «Non est hic», quia revera in hoc mundo est, sed «non est hinc», quia licet sit in mundo, non est de mundo, sed de cœlo venit, ideoque tale regnum gubernatore indiget, terrestri simul et cœlesti.

12. *Dissolvitur secunda regis ratio.*—Ad alteram rationem, concedimus quidem Christum Dominum esse principem Ecclesiæ suæ monarcham. Ideoque quamdiu in terris deguit, et cum Apostolis suis conversatus est, illam per se ipsum tanquam supremus illius rex et Pontifex gubernavit, Apostolos elegit, sacerdotes et Episcopos consecravit, et ad prædicandum misit, eisque discipulos adjunxit, et pro illius temporis et status Ecclesiæ opportunitate cætera necessaria providit. Quia vero nunc est absens ab Ecclesia militante quoad visibilem præsentiam, ideo non potest sicut antea, per se ac proxime, pastoris munus Ecclesiæ præstare, et idcirco ad compensandam visibilem præsentiam suam Vicarium seu Præfectum providit, cui Ecclesiæ suæ regimen commisit. Quod quidem non negat rex Angliæ, sed (quod mirabile est) ait hunc Vicarium esse Spiritum Sanctum, quia ad dirigendos et docendos Apostolos non Petrum, ait, sed Spiritum Sanctum relicturum Christus pollicitus est. Sed hoc, vel non proprie, vel non vere, neque ad rem et causam, de qua tractamus, dictum est. Scio quidem Tertullianum aliquando vocasse Spiritum Sanctum Christi Vicarium, libro de Præscription. hæreticor., c. 13 et 28, impropria tamen et metaphorica locutione, solum quia Christus dixit Joan., 14: « Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.» Et infra: « Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.» Per quæ verba promittit Christus Spiritum Sanctum, qui internam virtutem, illustrationem et suggestionem per gratiam suam fidelibus conferat.

13. *Spiritus Sanctus non potest proprie dici vicarius Christi.*—Hæc autem operatio non potest Spiritui Sancto attribui tanquam vicario alterius, si proprietas verbi servetur. Quia vicarius proprie est alterius principalis auctoris minister, qui vices ejus gerit, et ejus potestate sibi commissa utitur; at vero Spiritus interius docet et inspirat tanquam principalis et proxima causa

gratiæ, et internæ virtutis, quomodo Paulus dixit: «Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.» Non potest ergo in proprietate sermonis Spiritus Sanctus dici vicarius Christi. Lato autem et improprio modo Tertullianus ita locutus est, quia Spiritus Sanctus missus fuit, ut loco Christi Apostolos consolaretur, et doceret vel explicaret multa, quæ pro temporis brevitate et opportuninate Christus ipse vel tradere non potuerat, vel non oportuerat. Unde dixit: «Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis», ac si diceret, In me habebatis consolatorem, quamvis autem discedam, eo non carebitis, nam Pater alium dabit vobis, qui loco mei vos consoletur. Et in eodem sensu (ut Euthymius significat) dixit, de Spiritu Sancto: «Quem mittet Pater in nomine meo», id est, ut ea perficiat quæ ego incepi, suggerendo et declarando vobis quæ docui, et addendo, quæ non potestis portare modo, et testimonium de me perhibendo. Hac ergo ratione dici aliquo modo potest Spiritus Sanctus vices Christi gessisse seu explevisse, non per vicariam aut ministerialem virtutem, quod inferioris esset, sed ut principalis causa perficiens quod Christus absolvere in brevi tempore vitæ suæ non potuit. Unde hoc modo quicumque alteri in officio succedit, vel perficit quod alter inchoavit, et perficere non potuit, dici potest vices ejus supplere, etiamsi vicarius ejus proprie non sit, nec per potestatem inferiorem et participatam, et ab altero dependentem operetur.

14. Quod si hoc tantum modo rex Angliæ intellexit, Spiritum Sanctum vices Christi explevisse, immerito sentit illam Spiritus Sancti operationem sufficere ad externum et hominibus accommodatum Ecclesiæ regimen, quia illa virtus et operatio Spiritus Sancti invisibilis est, et mere spiritualis ac interna; homines autem indigent etiam externo et visibili rectore. Deinde, si ille invisibilis influxus Spiritus Sancti sufficiens esset pro Ecclesia visibili, non tantum Spiritus Sanctus, sed etiam Christus ipse absens, et nunc nobis invisibilis, dici posset sui ipsius

præsentis seu visibilis Vicarius, quia de se etiam promisit: «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi», utique invisibili protectione et auxilio, ut in superioribus explicavi. Præterea si Christus, quia est principalis monarcha Ecclesiæ, illi non contulit rectorem visibilem, qui loco ipsius eam gubernaret, cur rex Angliæ, in sua Præfatione (1), se et alios reges vicarios Dei appellat? nam (juxta suam opinionem, qua se credit esse caput Ecclesiæ in regno suo, etiam in spiritualibus) necesse est ut, cum se appellat vicarium Dei, intelligat, non solum quoad regnum temporale, sed etiam quoad ecclesiam Britannicam; ergo repugnat sibi ipsi, cum dicit Christum non reliquisse vicarium sui, præter Spiritum Sanctum.

15. *Veram spiritualem jurisdictionem Christus Dominus Petro contulit.*—Denique falsum est Christum non promisisse Petrum, qui alios dirigeret aut doceret; non enim solum promisit, sed etiam dedit, nam promittendo ei claves, et clavem regiminis, et clavem scientiæ promisit. Item quando illi dixit: «Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua», statim addidit: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.» Ac denique cum illi dixit: «Pasce oves meas», et doctrinam, et regimen seu directionem manifeste comprehendit, ut infra videbimus. Et ultra hæc in multis aliis locis significavit Christus futuram esse in Ecclesia præfecturam spiritualem, et aliquem, vel aliquos ministros suos, qui tanquam proprii et visibiles vicarii vicem ejus gerant. Ita intelligunt Patres illud Lucæ, 10: «Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.» Ambrosius ibidem, et Hilarius, Can. 27 in Matth. Idem colligit Chrysostomus, lib. 2 de Sacerdot., ex Lucæ, 12. Nam cum Christus sub parabola patris familias, qui vult magna vigilantia et sollicitudine a suis subditis expectari et obediri, declarasset quomodo sit Domino serviendum, Petrus eum interrogavit: «Domine, ad nos dicis hanc pa-

(1) Pag. 134.

rabolam, an ad omnes?» Respondit autem Christus: «Quis putas est fidelis dispensator et prudens?» significans, Apostolos specialiter vocatos fuisse ut essent tanquam præcipui servi, quibus aliorum cura demandanda erat; et præcipue Petrum, qui super totam familiam Christi erat constituendus, non solum ad communem vigilantiam, sed etiam ad specialem fidelitatem et prudentiam obligari. Quam curam et obligationem commemorabat Petrus, cum dicebat: «Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum.» Et consonant verba Pauli, 1 Cor., 4: «Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, etc.; et c. 3 dixerat: «Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? ministri ejus cui credidistis», id est, Vicarii ejus, et loco illius Ecclesiam regentes; et ad Rom., 13, temporalem principem, vel judicem, Dei ministrum appellavit.

16. Nam quod illud ministerium apostolicum fuerit, etiam cum potestate et jurisdictione ad ferendum judicium, satis declarat idem Paulus, in fine dict. c. 4, dicens: «Quid vultis? in virga veniam ad vos?» et cap. 5: «Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, etc., tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fiat», etc. Et 2 ad Cor., 13: «Si venero iterum, non parcam», etc. Et expresse ad Hebr., 13: «Obedite præpositis vestris, et subjacete illis, ipsi enim pervigilant», etc. Et 1 ad Timoth., 5: «Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur» Et ad Titum, 1: «Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem», etc. Et c. 2. «Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio.» Denique huc spectant loca Pauli, in quibus describit unitatem corporis Ecclesiæ, et varia membra ejus, ut ad Roman., 12, ubi inter alia ait: «Qui præest in sollicitudine», et 2 ad Cor., 12, et ad Ephes., 4, ubi ponit, «Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores et Doctores in opus mi-

nisterii, in ædificationem corporis Christi.» Quem modum gubernationis dicit esse duraturum, «usque ad consummationem Sanctorum», id est, usque ad mundi finem, ut in superioribus explicatum est.

17. *Distinctio inter spiritualem et temporalem potestatem.*— Atque ex his constat manifeste, hanc potestatem spiritualem esse omnino distinctam a temporali. Primo quidem et principaliter in fine; nam temporalis potestas ordinatur ad servandam reipublicæ pacem, et moralem honestatem, juxta illud Pauli, 1 ad Timoth., 2: «Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.» Potestas autem ecclesiastica ad æternam salutem consequendam ordinatur, juxta illud Pauli ad Ephes., 4: «Ad consummationem Sanctorum», etc.; et illud ad Hebræos, 13: «Obedite præpositis vestris, ipsi enim pervigilant, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri.» Alia differentia est in origine, quia potestas temporalis trahit originem a Deo auctore naturæ media ratione naturali, et ita per se spectata est de jure naturali; prout vero est in rege vel senatu, est de jure humano; potestas autem ecclesiastica est de jure divino positivo, et speciali promissione et concessione Christi: «Tibi dabo claves, Pasce oves meas, Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.» Sicut enim finis, ad quem ordinatur hæc potestas, et actus ac media quæ illi subsunt, sunt supra naturam et vires humanas, ita et potestatem ipsam habere originem supra jus naturæ vel humanum necesse est. Et ideo tandem hæ potestates differunt tanquam materialis et spiritualis, naturalis et supernaturalis, terrestris et cœlestis. Atque ita explicant distinctionem hanc Gelasius Papa, de Vinculo anathematis, et Nicolaus I, in epistol. ad Michaelem Imper., circa finem, dicens: «Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferno demergi, ut christiani imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices

pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus.» Easdem differentias attingit Gregorius VII, l. 4 Epistol., ep. 2 ad Herimannum, easque ex Anastasio Papa, in ep. ad Anastasium imperatorem, et Gregorio in Pastorali, confirmat. Idem docet Symmachus, in Apologia contra eumdem Anastasium imperatorem dicens: «Conferamus honorem imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille humanarum rerum curam gerit, iste divinarum.» Et infra: «Tu humana administras, ille tibi divina dispensat.» Idem Symmachus, in Synodo Romana, et refertur late in cap. «Bene quidem», 96 dist., et plura alia in duobus capitibus sequentibus referemus.

18. *Solvuntur fundamenta errorum in principio capitis relatorum.* — Neque huic doctrinæ catholicæ obstant fundamenta aliorum errorum, quæ in aliis hæresibus fundantur, quas non possumus hoc loco ex professo refutare. In fundamento ergo primi erroris hæreticum est dicere, non esse in Ecclesia Christi verum et visibile sacrificium, aut verum et proprium sacerdotium. Et similiter hæreticum est dicere, omnes fideles esse in sacerdotio æquales, quæ omnia alibi sunt a nobis disputata et probata. Marsilius etiam Paduanus in fide errat, dum supponit omnes clericos, seu sacerdotes et Episcopos, jure divino esse æquales. Nam quoad potestatem ordinis ex institutione Christi Episcopus excedit presbyterum, et presbyter diaconum, etc., ut in tractatu de Sacramento Ordinis late ostenditur. In potestate autem jurisdictionis est de Apostolis certissima differentia, quæ ex adductis testimoniis facile colligi potest, et quoad Petrum, et successores ejus, late in sequentibus ostendetur. Præterea quod ait, Christum prohibuisse Pontificibus temporaliter regnare, imprimis omnino falsum est et erroneum, ut cap. 8 ostendemus. Deinde ad id, quod nunc agimus, nihil refert, quia etiam si illud admitteretur, solum inde posset inferri Episcopos, aut Pontifices, per potestatem quam habent, ut tales sunt, non

temporaliter regnare, sed spiritualiter, quod nos omnino contendimus, cum dicimus potestatem illorum non temporalem esse, sed spiritualem.

19. Et hoc ad summum probat testimonium illud: «Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic» (quod etiam rex Angliæ non omisit), nam etiam in illo sensu non prohibet Christus Apostolis regnare, sed sic regnare sicut reges gentium, id est, temporaliter; necesse est autem ut spiritualiter regnent saltem illi, qui supremam in illo ordine potestatem habent. Nisi velimus dicere, etiam Summum Pontificem non tam proprie regnare spiritualiter quam vice regnare, quia non tanquam supremus rex, sed tanquam Vicarius summi Regis Ecclesiæ præest. Veritas autem est non prohibuisse Dominum regnare, sed gubernare dominando personis, per elationem se illis præferendo, aut inhumaniter subditos tractando, ut dixit Gregorius, in Pastoral., 2 p., cap. 6, qui verba Christi exponit per illa Ecclesiast., 32: «Ducem te constituerunt,» alias, «rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis;» et per illa 1 Petr., 5: «Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; et per illa Pauli, 2 ad Cor., 1: «Non quia dominemur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.» Et similia habet Gregorius, 36 Moral., cap. 19, alias 22, et lib. 1 Registri; et Bernard., lib. 2 de Consider., in principio. Et ita per hæc etiam responsum est ad fundamenta quæ in hoc puncto attingit rex Angliæ; ad alia vero quæ objicit contra primatum Pontificis, et contra verum sensum Scripturarum, quibus ille probatur, in sequentibus dicendum est.

CAPUT VII

Potestatem regendi Ecclesiam in spiritualibus seu ecclesiasticis rebus, in temporalibus regibus seu principibus non existere, auctoritate probatur.

1. *Quomodo sese habeant potestas spiritualis et temporalis, in ordine ad subjectum. — Error Anglicanæ sectæ circa subjectum spiritualis potestatis.* — Præter differentias inter potestatem spiritualem et temporalem in præcedenti capite traditas, intercedit alia, quam, quia origo est, et præcipuum Anglicani schismatis fundamentum, in hoc caput examinandam reservavimus, quamquam ex principiis positis in præcedenti capite manifeste concludatur. Consistit autem hoc discrimen in hoc, quod potentia temporalis et spiritualis per se non respiciunt easdem personas, quibus convenire debeant, sed potius sunt subjecto separabiles, quod plane supponit distinctionem inter illas, et eam indicat. Duobus autem modis extreme contrariis circa discrimen hoc errari potest. Primo, asserendo potestates has non solum esse distinctas, sed etiam esse adeo repugnantes, ut in eadem persona conjungi, divino juri contrarium sit. Et ita videtur errasse Marsilius de Padua, quanquam ille vel spiritualem potestatem cum temporali confundat, vel non in quocumque subjecto, sed solum in sacerdotibus neget posse simul convenire. Verumtamen hic error hoc sensu intellectus fundamentum non habet, et in capite sequenti breviter impugnabitur, quoniam ad præsens institutum parum refert. Alius ergo modus errandi est proprius Anglicanæ sectæ, cujus principium et fundamentum est, potestatem spiritualem non separari a temporali, sed regio sceptro esse annexam. Ita voluit Henricus VIII, quem successores ejus Eduardus et Elizabetha secuti sunt, ut late re-

fert Sander., in tribus primis libris de schismate Anglicano, ubi etiam varias leges ad hujus potestatis amplificationem in illo regno a dictis principibus latas describit.

2. Denique in hoc errore persistit rex Jacobus, ut ex factis ejus satis constat, et in Præfatione sua sæpe profitetur, præsertim pag. 5 Præfationis, dicens: «Nam neque me Pontifice ulla ex parte inferiorem esse credam.» Et in eodem sensu dicit pag. 2, de temporalibus regibus, «quos Deus in altissimo dignitatis gradu, quasi suos vicarios et legatos ad exercenda judicia in suo solio collocavit.» Et iterum ad reges, pag. 10: «Quos Deus præcipuos sibi in terris vicarios in administratione justitiæ esse jussit.» Et in eodem sensu dicit pag. 14, controversiam, quam cum suis subditis catholicis habet, non aliunde esse motam, «quam ab ambitiosa Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem Scripturarum, contra Conciliorum antiquorumque Patrum mentem, sibi in temporalia regum jura injuste usurparunt.» Tandemque ibidem concludit, in hac regum auctoritate asserenda (utique in hoc sensu) totam suam apologiam impendisse. Hujus autem erroris fundamentum solum videtur esse, quia non agnoscit distinctionem inter potestatem spiritualem et temporalem, et quia negat primatum Petri et successorum ejus, de quibus in sequentibus capitibus dicemus.

3. *Prima conclusio: regibus temporalibus, ut tales sunt, nulla spiritualis potestas competit.* — Veritas ergo catholica est, reges temporales, ut tales sunt, seu ratione suæ jurisdictionis supremæ in principatu politico, nullam habere in Ecclesia spiritualem potestatem. Hæc assertio probari potest auctoritate Scripturæ duobus modis. Primo, quia in Testamento novo hæc potestas promissa et data est a Christo illis personis, qui reges temporales non erant. Secundo, quia non invenitur data regibus temporalibus, et ex utroque capite, tam sigillatim quam simul sumpto, recte concluditur non esse in regibus temporalibus, quia non potest esse nisi in illis quibus a Christo data est, et eorum legitimis successoribus. Prior pars sufficienter probatur

testimoniis adductis capite præcedenti, quibus constat Christum singulariter promisisse et dedisse hanc potestatem Petro. Deinde aliunde etiam monstratur, dedisse illam omnibus Apostolis, Joan., 20, quibus, et successoribus eorum sub nomine Ecclesiæ eam promiserat, Matth., 18. Alia etiam testimonia ostendunt, Paulum sæpe esse usum hac potestate, eamque in Episcopis et Ecclesiæ præpositis inveniri, et ab eisdem exerceri; nullus autem istorum rex erat, aut jurisdictionem temporalem administrabat. Unde etiam sumitur efficacissimum argumentum: nam, priusquam in Ecclesia essent reges temporales, erant in Ecclesia pastores cum vera jurisdictione spirituali ad regendam Ecclesiam, ut ex usu ejusdem potestatis, et ex allegatis testimoniis manifeste colligitur; ergo potestas hæc de se non pendet ex regia potestate, neque cum illa ex vi illius conjuncta est; tunc enim reges temporales illam non habebant, neque ab eis illam receperant, qui legitime illa utebantur.

4. Et hinc etiam aperte probatur ex Scripturis (quod etiam capite superiori attigimus), hanc potestatem alterius esse originis, quam temporalem; nam temporalis potestas, prout invenitur in rege, vel alia simili persona, vel proxime, vel per successionem, aut alium humanum titulum, provenit a multitudine populi, qui suam auctoritatem principi contulit; hæc autem potestas illam originem non habuit; nam in primitiva Ecclesia Apostoli illam habuerunt, non a populo christiano, sed ab ipso Christo: et aliis Episcopis illam communicarunt auctoritate sua, et independenter a populo ut patet ex illo Pauli, ad Titum, 1: «Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.» Et 1 ad Tim., 4: «Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi.» Et c. 5, ostendit fuisse cum jurisdictione episcopali, dicens: «Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus,» etc. Cum ergo ex præcedentibus capitibus constet, totam potestatem regiam a populo proxime manasse, consequens profecto est ut ex vi re-

giæ potestatis nulla sit in rege spiritualis jurisdictio vel potestas.

5. Tandem altera probatio ab auctoritate, quam vocant negativa, Scripturæ, in præsenti efficax est ex eodem principio et fundamento. «Nam, ut recte dixit D. Thomas (1), «in his, quæ sunt supra naturam, soli auctoritati creditur», et, «quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus divinitus revelata sunt»; sed spiritualis potestas Ecclesiæ donum est superans naturam, et ex divina voluntate et institutione pendet, tam ut sit, quam ut in tali persona, vel per talem modum aut successionem sit. Nulla est autem divina revelatio vel auctoritas quæ ostendat, Christum potestatem hanc regibus temporalibus dedisse; ergo, ut D. Thomas supra dicit, «ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem». Quæ quidem conditio naturæ in præsenti est, ut temporalis rex solum eam potestatem habeat, quam homines naturali ratione ducti illi conferre potuerunt, ac subinde nudam ac præcisam habeat temporalem potestatem. Quod autem divina auctoritas majori potestati regum testimonium non præbeat, manifestum est. Nam imprimis extra Scripturam adversarii non admittunt verbum Dei, et quamvis admitterent, nulla est sacra seu apostolica traditio, quæ talem potestatem im regibus indicet, sed contrarium potius, ut ex discursu hujus capitis et totius libri præsentis constabit. De Scriptura vero sufficienter id probamus postulando testimonium, ubi Christus hanc potestatem regibus contulerit, quod sine dubio ostendi non poterit, neque in veteri, neque in novo Testamento. Nam testimonia, quæ afferri solent, in quibus regibus obedire præcipimur, frivola sunt, cum nihil de nova potestate a Christo regibus concessa contineant, sed illius tamtum obligationis naturalis uos moneant, qua regibus, in his

(1) 1 p., q. 101, art. 1.

quæ ad eorum jurisdictionem pertinent, præcipientibus obedire tenemur, ut latius inferius respondendo ad objectiones declarabimus. Hic vero ponderati potest, Paulum, ubicumque ecclesiasticam hierarchiam describit, ejusque fundamenta, structuram, ministeria et gubernationes distinguit, numerare quidem Apostolos, Prophetas, Pastores et Doctores, regum autem et imperatorum nullam facere mentionem, non quia illi non essent in Ecclesia futuri, sed quia, quod ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ spectat, illi proprium gradum non constituunt, sed cum laico populo computantur, nec inter eos, qui ad ædificandum in rebus spiritualibus Christi corpus usque ad consummationem Sanctorum positi sunt, sed inter eos, qui ædificandi sunt et consummandi, tantum recensentur. Denique expendi potest, quod Christus Dominus, interrogatus an liceret censum dare Cæsari, accurate respondit: «Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo», indicans profecto, Cæsari, id est, imperatori vel regi solum illud esse reddendum, quod ex vi cæsareæ seu regiæ potestatis debetur. Christus ergo, ut graviter Salmeron notavit, sicut potestatem regiam non abstulit, ita neque illam auxit, neque peculiares jus pascendi oves suas ei commisit. Addit etiam Chrysost., homil. 71 in Matth.: «Cum audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum ac vectigal est». Clarius Ambrosius, in epist. 14, alias 33 ad Marcellinam sororem: «Allegatur (ait) imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli te gravare, imperator, ut putes. te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere, noli te extollere, sed si vis divinitus imperare, esto Deo subditus; scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesia; publicorum tibi mœnium jus commissum est; non sacrorum».

6. *Ex Summis Pontificibus probatur assertio.*—Tertio provanda est assentio Pontificum et juris canonici testimoniis, quæ

licet in propia causa dari videantur, maximam etiam in illa auctoritatem habent, tum propter clavem scientiæ, quam habent ad docendam Ecclesiam, ut in lib. 1 monstravimus, tum etiam quia certam et immutatam Ecclesiæ traditionem ostendunt. Non enim soli moderni, sed etiam antiquissimi Pontifices, Sancti, et Martyres, huic veritati testimonium præbuerunt. Primoque possemus afferre omnia, quæ de primatu Romanæ Ecclesiæ scripserunt, sed hæc postea commemoranda sunt, et ideo nunc tantum ea afferemus, in quibus utramque potestatem inter se conferunt, vel in quibus obedientiam etiam ab imperatoribus et regibus exigunt, quod, si in principibus temporalibus esset suprema spiritualis potestas, facere non possent. Hujusmodi est illud Anastasii II, Pontificis, ad Anastasium imperatorem: «Illud est vero pecularius pro amore imperii vestri, et beatitudine, quæ consequi poterit regnum, pro Apostolico officio prædicamus, ut sicut decet, et Spiritus Sanctus dictat, monitis nostris obedientia præbeatur». Et infra: «Hæc me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos tuos habens Domini in Evangelio verba: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit». Et Gelasius Papa, in epist., 10 ad eundem Anastasium, eamdem potestatem sibi, et non imperatori convenire constantissime docet, ubi inter alia habet illa verba: «Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas», etc. Et Symmachus Papa, ad eumdem imperatorem: «Si Christianus princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire». Et infra: «Conferamus honorem imperatoris cum honore Pontificis». etc. Et infra: «Si omnis potestas a Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta divinis: defer Deo in nobis, et nos deferemus Deo in te». Ubi aperte negat potestatem spiritualem esse in imperatore, sed in Pontifice, et postea subdit: «Omnes catholici principes, sive cum imperii gubernacula susceperunt, sive cum Apostolicæ Sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad

eam protinus sua scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes». Quod scripsit Symmachus, ante mille centum annos, et usque ad nostra tempora servatum videmus.

7. Præterea hoc confirmat definitio ejusdem Symmachi Papæ in Concilio Romano III, «non licere laicis, quamvis religiosis, vel potentibus in quacumque civitate, quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarûm solis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur.» Quæ ratio et definitio in quacumque causa ecclesiastica locum habet. Multa etiam ad hanc veritatem confirmandam congerit Gratian., 96 dist. Et præsertim eam late confirmant Nicolaus Papa in Epistola ad Michaelem imperatorem, ubi inter alia multa inquit: «Cum ad verum ventum est» (id est, ad evangelicam veritatem), «neque imperator jura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut et Christiani imperatores, pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices, pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.» Idem tradit late Gregorius VII, in epistola ad Herimanum, Metensem Episcopum, lib. 4, epistol. 2, et in alia ad eumdem, lib. 8, epist. 21, ubi dictis et factis aliorum Pontificum et imperatorum, eamdem veritatem confirmat. Item Innocentius III, cap. «Solitæ,» imperatorem ait in temporalibus, Pontificem autem in spiritualibus antecellere. Et Bonifacius VIII, in Extravag. unic., de Majorit. et obed., dicit, in Ecclesia esse gladium spiritualem manu sacerdotis exercendum, et gladium temporalem manu laicorum pro Ecclesia, et ad nutum et patientiam sacerdotis, exequendum. Quod tacite confirmat Clemens V, in Extravag. «Meruit,» de Privileg., licet declaret, per Extravagantem Bonifacii, regnem, aut regum Galliæ non magis esse subjectum Apostolicæ Sedi, quam antea esset. Denique hoc confirmat, quod Gratian., dist. 63, cap. 1, refert ex Adriano Papa: «Ut laici principes vel

potentes non intersint ecclesiasticis electionibus, quia in ecclesiasticis nullam habent potestatem.» Habeturque in Concilio Constantinop. IV, alias Synodo VIII, c. 22, ubi etiam c. 12, non solum negatur principibus temporalibus potestas creandi Episcopos; sed etiam deponendus dicitur, qui per eorum tyrannidem fuerit intrusus. Item in septima Synodo, c. 3, irrita dicitur electio Episcopi a principe temporali facta; refertur a Gratiano supra dicta dist. 63, cap. «Omnis.» Sic etiam dixit Innocentius III, in cap. «Ecclesiæ,» de Constituit.: «Laicis super ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.» Et similia habet in c. «Tua,» 1, de Decimis. Quæ sumpta sunt ex Concilio 4, sub Symmach., 3. Multaque alia jura canonica possent afferri, in quibus exemptio causarum ecclesiasticarum a potestate laicorum præscribitur; in illis enim supponitur, non esse in magistratibus temporalibus spiritualem potestatem, sed illa omnia in librum de immunitate ecclesiastica reservamus.

8. His testimoniis adjungi possunt aliorum Patrum sententiæ, qui licet Summi Pontifices non fuerint, Episcopi tamen, Archiepiscopi, et Patriarchæ, aut sancti Ecclesiæ doctores, et in prioribus Ecclesiæ sæculis fuerunt. Inter quos egregie Chrysostomus, homil. 4 et 5 de Verbis Isai., inter alia dixit: «Quanquam admirandus videtur thronus regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis.» Et homil. 88 in Matth., ad Diaconum dicit: «Majorem illo (id est, sæculari principi) potestatem habes», utique in ecclesiastica administratione. Idem plura in lib. 3 de Sacerdotio. Et Cyrillus Hierosolym.: «Nonne (inquit) habet Ecclesia vitulum et leonem simul pascentes, sicut ad hodiernum usque diem cernimus mundanos principes regi et instrui ab ecclesiasticis.» Ubi alludit ad locum Isai., 75: «Lupus et agnus pascentur simul; leo et bos comedent paleas»; et sub verbo «pascendi» duo illa includit, «regi»

et «instrui.» Cyryllus etiam Alexandrinus, in epist. 31 ad Joann. et Synodum Antiochenam, et refertur in Synodo Ephesina, tom. 3, cap. 9, in fine, ubi admonet Episcopos, ut audiant eos, qui alios de hæresi accusare volunt, ne apud extera tribunalia tumultuentur, et subdit: «Est autem multo melius ac justius, ut ecclesiasticæ quæstiones in Ecclesiis agitentur ac formentur, et non apud alios externos, quibus sane hujusmodi causarum tractatio prorsus non convenit.

9. Celebris etiam est sententia Nazianzeni, orat. 17 ad cives gravi timore perculsos, ubi postquam ad subditos concionem habuerat, subjungit: «Quid autem vos, principes et præfecti? ad vos enim nostra se convertit oratio.» Et infra: «An me libere loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque lex Christi imperio meo ac throno subjicit, imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius, nisi vero æquum est spiritum carni fasces submittere, et cœlestia terrenis cedere.» In quibus verbis illa præcipue pondero, «lex Christi subjicit.» Ex quibus constat, juxta sententiam Nazianzeni, institutionem hanc, et potestatum distinctionem divinam esse, et ex lege Christi. Multaque similia ex eodem sumi possunt Orat., 1, quæ est apologia pro absentia sua, et ex Orat., 27, circa finem. Optime etiam Damascenus, Orat., 1 de Imaginibus, circa finem: «Neque enim», ait, «piorum est regum ecclesiastica statuta convellere.» Et infra: «His de rebus statuere atque decernere non ad reges pertinet», etc. Et Orat., 2, parum a principio: «Regum (inquit) partes non sunt, ut Ecclesiæ leges præscribant, quod confirmat testimoniis Pauli, 2 ad Cor., 12, et ad Hebr., 13, supra tractatis. Et apud Theodoretum, libr. 4 Histor., cap. 16, est egregia sententia Eulogii Presbyteri, qui cum a præfecto imperatoris Valentis hæretici moneretur: «Communica cum imperatore», ait Theodoretus: «Dissimulanter, sed valde facete, respondit: Numquid cum imperio est etiam sacerdotii dignitatem consecutus?» Cumque

Præfectus, ironia cognita, in iram provocaretur, ipse iterum respondit, se habere pastorem cujus nutum sequeretur. Simile factum narrat Suidas, verbo, «Leontius, Tripolis Lydiæ Episcopus.» Cum enim Constantius in conventu Episcoporum præsideret, et multa præscriberet, aliis annuentibus, ipse tacebat, cumque ab imperatore interrogaretur cur taceret, respondit: «Miror qui fiat, ut aliis curandis destinatus, alia tractes, qui cum rei militari et reipublicæ præsis, episcopis ea præscribas, quæ ad solos pertinent Episcopos.»

10. Ambrosius præterea in epist. superius allegata ad sororem Marcellinam, 14, alias 33, expresse negat, imperatorem in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Idemque late et constantissime docet in Orat. seu conc. 1 contra Auxentium, ubi inter alia inquit: «Scitis et vos ipsi, quod imperatoribus soleam deferre, non cedere, suppliciis me libenter offerre, non metuere quæ parantur.» Et infra: «Respondi ego quod sacerdotis est, quod imperatoris est faciat imperator.» Et infra de Arianis, qui ab imperatore petebant ecclesiam, inquit: «Videte quanto pejores Ariani sunt, quam Judæi: illi quærebant, utrum solvendum putaret Cæsari jus tributi, isti imperatori volunt dari jus Ecclesiæ.» Et infra: «Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est; bonus enim imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc ut humiliter dicimus, ita constanter exponimus.» In Actis etiam Concilii Aquiliensis, cum Palladius hæreticus damnationem Episcoporum fugiens ad præsentes laicos provocaret, sic respondit Ambros.: «Sacerdotes laicos judicare debent, non laici de sacerdotibus.» Et infra: «Et si in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, ut videatur, qui sacerdotium sibi vendicat, a laicis esse damnatus. Ac per hoc quoniam et in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare, eum pronuncio sacerdotio indignum.

11. Confirmat optime veritatem hanc Athanasius referens prius, et commendans verba Hosii ad Constantium, in epist. ad

solitariam vitam agentes: «Desine, quæso, et memineris te mortalem esse, reformida diem judicii, serva te in illam diem purum, ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit; et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te traheus, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu Thymiamatum, et sacrorum potestatem habes imperator.» Et inferius sic ex propria sententia scribit Athanasius: «Si istud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet imperator? sin contra ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? quando a condito ævo auditum est? quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab imperatore accepit?» Vocat autem titulo Episcopos, quos Constantius sua auctoritate creaverat, qui titulo tenus, ut infra dicit, erant Episcopi, non veritate, quod mirum in modum in Episcopos Anglicanos convenit. Denique Augustinus, in epist. 48 et 162, Donatistas reprehendit, quod in causa ecclesiastica ab Episcoporum judicio ad Constantinum imperatorem appellare ausi fuerint: «Neque ausus est (inquit) christianus imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicarit.» Et infra: «Qua in re illos quemadmodum detestetur audistis.» Et quoniam Constantinus, tandem hæreticorum importunitate victus, sententiam dixit, eum tacite excusat Augustinus, dicens: «Eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, a Sanctis Antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi, quod ulterius dicerent, non haberent.» Et consonat quod eadem de causa refert Optatus Milevitanus, lib. 1 contra Parmen., circa finem: «Donatus (inquit) appellandum esse ab Episcopis credidit», ad quam appellationem Constantinus imperator sic

respondit: «O rabida furoris audacia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.

12. *Ex imperatoribus eadem veritas stabilitur.*—His addere possumus ipsorummet imperatorum confessiones seu testimonia. Justinianus enim imperator, in Authent. «Quomodo oporteat Episcopos», etc., in principio, sic ait: «Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium, et imperium: illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, aut diligentiam exhibens, ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam.» Intellexit ergo Justinianus imperator, non habere imperatorem spiritualem potestatem circa res divinas. Idemque sensisse Constantinum Magnum, qui judicium inter Episcopos in Nicæno Concilio recusavit, ahnoscens, et ad se non pertinere, dicens: «Deus vos constituit sacerdotes, et nobis a Deo dati estis judices, et conveniens non est ut homo judicet Deos; sed ille solum, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat», refert Ruffin.. lib. 1 Histor. additæ ad Euseb., c. 2. Et Adrian. Papa, in epist. ad Michaelem imperatorem, ubi etiam refert Theodosium, in epist. ad Synodum Ephesinam scribentem: «Illicitum est, eum, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.» Refert etiam Sozomenus, lib. 6 Histor., c. 7, cum Episcopi quidam legatum ad Valentinianum imperatorem mitterent, potestatem petentes ad conveniendum in Concilio pro rebus fidei, ipsum respondisse, «sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere se ejusmodi rebus interponere»; quod etiam refert Nicephor., lib. 11, c. 40. Atque de eodem Valentiniano refert Sozomenus, lib. 6 Histor., c. 21, «pie admodum in Deum affectum fuisse adeo, ut neque sacerdotibus quidquam imperare, neque novare aliquid in institutis Ecclesiæ, quod sibi deterius videretur, ut melius, omnino aggrederetur, nam quamvis esset optimus sane imperator, et ad res agendas valde accommodatus, tamen hæc suum judicium longe

superare existimavit.» Etsi Hist. tripartita, lib. 7, c. 8, de eodem Valentiniano refertur, cum Mediolani mortuo Auxentio hæretico, ordinari cuperet Episcopum Catholicum, ad Episcopos dixit: «Nostis aperte, eruditi quippe divinis eloquiis, qualem oporteat esse Pontificem » Et infra: «Talem itaque in Pontificali constituite sede, cui et nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus, et ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario velut curantis medicamenta suscipiamus.» Cumque Episcopi peterent ut ipse decerneret tanquam pius et sapiens, respondit ille: «Super nos est talis electio.» Extat præterea inter epistolas Innocentii I, quædam Honorii Augusti ad Arcadium, in qua scribens in causa Chrysostomi, ait: «Cum, si quid de causa religionis inter Antistites ageretur, episcopale oportuerit esse judicium; ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.» Et infra: «Rebus denique ipsis docetur, quid de his senserit divina majestas», etc. Denique inter Acta octavæ Synodi generalis refertur a Surio oratio Basilii imperatoris, in qua pie admodum et fideliter ad laicos loquitur: «De vobis quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem habere. Hæc enim investigare et quærere, Patriarcharum, Pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi atque solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas et cœlestes adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus», etc.; quæ late, et sapienter ac pie prosequitur.

CAPUT VIII

Eadem veritas rationibus confirmatur

1. *Prima ratio.* — Cum catholica veritas sufficienter auctoritate fundata sit, ratione ex eisdem principiis facile potest demonstrari. Quia potestas regendi in nullo homine inveniri potest sine justo titulo, ex quo principio supra probavimus, in Pontifice non esse directam temporalem potestatem supremam; ex eodem ergo plane convincitur, in temporali rege non esse potestatem ad spirituale regimen. Unde qui primum libenter audiunt, necesse est ut secundum admittant, nisi velint ad libitum voluntatis suæ sine ratione loqui. Quia multo minus invenitur justus titulus spiritualis potestatis in temporali principe, quam temporalis potestatis in spirituali pastore. Assumptum autem principium probatur breviter, quia vel titulus ille esset juris naturalis, vel positivi divini, vel humani; hæc autem omnia facile ex dictis excluduntur. Nam de jure naturali esse non potest, tum quia potestas ipsa naturalis non est, ut jam est probatum; tum etiam quia nulla potestas dominandi vel regendi alios est in particulari persona immediate ex jure naturali, sed in communitate; hæc autem potestas spiritualis non est in communitate humana tanquam ab illa naturaliter fluens, neque, prout est in particulari persona, proxime fundari potest in voluntate ejusdem communitatis, tanquam conferentis seu transferentis in alium talem potestatem, quia est longe altioris ordinis; ergo non potest esse in rege de jure naturali. Et eadem ratione convincitur non esse ex jure humano, quod in solo naturali fundetur, vel ab illo ducat originem, quale est jus gentium vel civile, quia si jus ipsum naturale non attingit talem potestatem, multo minus alia inferiora jura, quæ in illo fundantur.

2. De jure autem divino res est manifesta ex dictis, quia tale jus auctoritate divina probandum est: nulla est autem auctoritas, non solum divina, verum nec probabilis humana, quæ tale jus regibus datum esse ostendat. Imo, licet interdum possit ratione suaderi aliquid esse de jure divino, oportet ut ex principiis revelatis sufficienter colligatur, vel saltem ut, supposita institutione Ecclesiæ, magis consentaneum divinæ providentiæ ostendatur. Nihil autem horum in præsenti intervenit, quia nullum est revelatum principium, ex quo talis potestas spiritualis in regibus verisimiliter comprobetur; quin potius omnia principia revelata illi dogmati repugnant, ut ostensum est. Ac denique omnis ratio convenientis providentiæ, et ecclesiasticæ disciplinæ ostendit, non debuisse cœlestem hanc potestatem temporalibus regibus committi, tum quia temporalibus curis, et negotiis sæcularibus sunt implicatissimi; tum etiam quia litteris Sacris et divinæ scientiæ vacare non possunt, quæ tamen doctrina maxime necessaria est in ecclesiasticis Pastoribus. Propter quod Paulus dicebat Timotheo: «Attende tibi et doctrinæ.» Ubi etiam indicat aliam rationem, quia cum hæc potestas ad spiritualem finem et salutem animarum conferatur, requirit in eo, cui confertur, statum vitæ spiritualis et perfectæ, ut possit non minus verbo et exemplo, quam potestate, subditis prodesse. Reges autem temporales, moraliter loquendo, et ex vi status, hoc vitæ genus non habent vel profitentur, et ideo ad hoc munus apti non erant. Denique ob hanc causam in Ecclesia Christi cum regno non est per se conjunctum sacerdotium; non enim assumpti sunt reges, ut pro hominibus constituantur in iis, quæ sunt ad Deum; ergo eadem ratione neque regimini spirituali apti erant. Atque hinc consequenter excluditur omnis titulus fundatus in jure canonico, tum quia jus canonicum a jure positivo divino derivatur; tum etiam quia nationes factæ non minus in illo procedunt; tum denique quia ostensum est, jus canonicum tali regum præsumptioni omnino repugnare. Atque hic discursus evidentior fiet ex capite se-

buenti, in quo quam sint levia, quæ rex sui juris adduc funit-damenta, ostendemus.

3. *Secunda ratio. — Evasio Protestantium. — Rejicitur.* — Aliam rationem in hunc modum formare possumus, quia si potestas spiritualis esset in temporalibus regibus, tot essent in Ecclesia supremi principes spirituales, quot sunt supremi principes temporales, quod et absurdum est, et principiis fidei multum repugnat. Consecutio manifesta est. Primo, quia si potestas regendi Ecclesiam in spiritualibus intrinsece conjuncta est cum potestate regia, ergo non reducitur in superius principium infra Deum, neque ab alia mortali potestate pendet. Secundo, quia non est major ratio, cur unus rex alteri in spiritualibus subdatur, quam e contrario. Sed forte Protestantes Anglicani, non solum hoc concedunt, verum etiam præcipue intendunt. Neque existimant esse ullum inconveniens, quia non admittunt plura capita in spiritualibus totius Ecclesiæ universalis, sed plurium particularium Ecclesiarum, quæ sunt in diversis regnis tanquam partes Ecclesiæ universalis, atque ita similiter habere poterunt plura capita partialia. Quam vero hoc sit absurdum, et monstrosum in Ecclesia Christi militante in hoc mundo, facile intelliget, qui ex Scripturis consideraverit, Ecclesiam Christi esse unum corpus mysticum perfectissime institutum. Nam tale corpus requirit unam supremam potestatem, quæ supra omnia membra ejus efficaciam habeat, sive illa potestas sit in una persona vera, sive in una congregatione (quod postea videbimus), quia sine tali potestate non potest esse debita unio et conformitas inter membra talis corporis.

4. *Alia evasio præcluditur, et Ecclesiæ supremum caput debere esse unum ostenditur.*—Dicent fortasse satis esse, quod omnes Ecclesiæ particulares in uno capite Christo uniantur. Sed contra hoc est, quia Ecclesia militans, ut est in hoc mundo, est unum spirituale regnum, et corpus mysticum perfecte unum in suo genere; ergo requirit etiam in hoc mundo unum supremum tribunal, sub quo gubernetur, alias non potest dici habere uni-

tatem, prout in hoc mundo versatur. Quod declaratur a simili, nam plura regna, quæ sub diversis regibus aut imperatoribus militant, non sunt unum regnum vel imperium, quia non habent unum supremum regimen in terris, quamvis omnia uniantur in uno rege Deo, qui est supremus Rex etiam temporalis omnium regum. Unde ex illa sententia sequitur aperte, plures Ecclesias, quæ sunt in mundo, non magis constituere universalem Ecclesiam, quæ sit proprie una, quam plura temporalia regna sint una respublica temporalis, vel unum imperium aut regnum. Et declaratur amplius alio exemplo accommodato: nam si in diversis provinciis versentur duo exercitus regis Hispaniæ, sub duobus ducibus supremis, et inter se nullo modo subordinatis, non possunt dici esse unus exercitus, etiamsi in eodem rege remote uniantur, et ab eo alterius rationis influxum recipiant. Ita ergo dicendum esset de diversis regnis quatenus sunt Ecclesiæ distinctæ, si sub supremis capitibus ecclesiasticis militarent.

3. *Objectio.* — Accedit tandem quod unitas Ecclesiæ sine unitate fidei et sacramentorum conservari non potest; hæc autem unitas fidei in diversis regnis et provinciis conservari non posset sine magno miraculo, si partes Ecclesiæ et capita earum in terris essent inter se omnino divisa, et sine subordinatione ad aliquam supremam potestatem, cui omnes in terris obedire teneantur. Nam hoc satis ostendit experientia, hinc enim orta sunt omnia schismata, et Ecclesiarum divisiones. Et ratio est clara, quia si duo reges temporales sunt supremi in spiritualibus, et unus eligat in suo regno talem modum religionis, et alius alium, unus unam fidem suo judicio ex Scriptura sumat, alius contrariam, quomodo poterunt ad unitatem reduci? Atque hinc tandem concluditur, moraliter fieri non posse ut duæ Ecclesiæ supremæ, id est, non recognoscentes in spiritualibus superiorem in terris, sint unitæ etiam in Christo, quia non uniuntur Christo nisi per veram fidem, ac subinde per unam et eamdem fidem, quia vera fides non est, nisi una; sed tales

Ecclesiæ non possent in una fide conservari, ut ostensum est; ergo neque unionem in Christo retinere possent.

6. *Solutio.* — *Instantia.* — Dices, discursum hunc eodem modo procedere de Episcopis, vel Apostolis, etiamsi in eis dicatur superam esse potestas spiritualis. Respondeo, verum esse, etiam illos reducendos esse ad unum supremum caput, ut possit Ecclesiæ unitas conservari. Quod autem et quale sit hoc caput, infra videbimus; nam ex vi prædicti discursus solum sequitur debere esse unum, sive illud sit unus Episcopus, sive una Episcoporum congregatio. Instabis, similiter ab Anglicanis dici posse, quod licet rex temporalis sit etiam in suo regno supremus in spiritualibus, comparatione facta ad quamcumque aliam singularem personam, nihilominus possit ex omnibus regibus christianis Concilium seu conventus congregari, in quo sit spiritualis potestas superior singulis regibus, cujus auctoritate possit unitas Ecclesiæ conservari. A qua responsione non videtur alienus rex Angliæ: nam et auctoritatem legitimi Concilii recognoscere videtur, quandoquidem primis quatuor Conciliis fidem adhibet, et quod jam in usu non sint conqueritur, regibusque potestatem illa congregandi, et non Pontifici convenire contendit.

7. *Responsio.*—Verumtamen evasio hæc non solum rem non expedit, sed potius magis involvit. Nam imprimis si ante illius Concilii vel conventus convocationem nullus rex habet superiorem in spiritualibus, quis habebit potestatem illud congregandi? nam si aliqui repugnent, nemo illos cogere poterit. Quod si etiam Episcopi convocandi sint, nullus rex poterit Episcopos sibi non subditos ad conveniendum compellere, vel authentice vocare; erit ergo res moraliter impossibilis, et ab auctore Ecclesiæ insufficienter provisa. Sicut in rebus politicis, si ad disponendum ea, quæ ad bonum regimen totius universi sunt necessaria, oporteret reges omnes et principes supremos in temporalibus ad comitia convenire, profecto impossibilis esset talis convocatio, et ab omni prudente providentia aliena.

Deinde quis futurus esset præsidens in tali conventu; nullus enim alteri cedere volet, cum sit æque supremus, et præsertim si agendum esset de rebus fidei, nam si in illis inter se dissentirent, unusquisque potius suo spiritui quam aliorum opinionibus credendum putaret. Præsertim si vera esset regis Angliæ regula, qua propriam uniuscujusque scientiam pro fundamento suæ fidei omnibus regibus proponit.

8. Præterquam quod, admisso illo monstroso conventu vel Concilio, si illud esset supra singulos reges, jam nullus temporalis rex esset supremus in spiritualibus, prout rex Angliæ pertinaciter contendit. Et ideo existimo mentem illius non esse admittere potestatem alicujus Concilii tanquam superiorem, sed solum deservire ad quamdam prudentem consultationem, et magis publicam rerum examinationem. Ideo enim de ipsis Conciliis constanter non loquitur, sed quæ vult, approbat, et quæ non placent, rejicit, judicem se illorum constituens. Imo, in quodam loco Præfationis suo arbitrio discernit inter convocandos ad Concilium generale, si nunc congregandum esset.

9. *Evasio quædam refellitur.*—Tandem, si reges supremi in temporalibus habent etiam in suis regnis spiritualem potestatem supremam respectu aliorum regum, nullum relinquitur fundamentum ad asserendum, congregationem talium regum habere in Ecclesia potestatem supra totam ipsam, et supra omnes principes ejus. Quia ex sola rei natura hoc non sequitur, neque affirmari potest. Sicut in temporalibus, licet congregatio regum fieret, non haberet supremam jurisdictionem supra singulos illorum, nisi sponte unusquisque renunciaret juri suo, mutando prius regimen, et ex pluribus monarchiis unam aristocratiam constituendo, quod voluntarium esset, et cogitatione potius confictum, quam in re subsistens. Idem ergo erit in potestate spirituali, si ex natura rei esset cum temporali conjuncta. Quod si quis fingat, Christum ex peculiari institutione voluisse singulos reges esse in spiritualibus subjectos ipsorum congregationi, oportet ut vestigium aliquod hujus institutionis

ostendat. Eo vel maxime quod omnia, quæ contra potestatem singulorum regum diximus, æque contra quamcumque multitudinem seu congregationem illorum procedunt. Est ergo commentitia et plane monstruosa hæc spiritualis potestas suprema temporalium principum, quomodocumque fingatur aut cogitetur.

10. *Tertia ratio.*—Tertiam denique rationem ab incommodis conficere possumus; nam imprimis ex tali positione sequitur, posse reges christianos, si velint, per se ipsos omnes actiones proprias sacerdotum et Episcoporum exercere, quales sunt offerre Deo sacrificium, vel (si hoc non admittunt) ministrare sacramenta, ligare per excommunicationes et censuras, et absolvere ab eis aut a peccatis, et alia, quæ ad publicum Dei cultum pertinent. Hæc autem inaudita sunt in Ecclesia Christi; imo etiam in Judæorum synagoga dictum est regi: «Non est officii tui, Ozia, ut adoleas incensum Domino (1), et quia non cessavit, percussus est lepra. Quod non minus habere locum in rege christiano, recte docuit Chrysostomus, hom. 5, de Verbis Isai. Et præterea si rex temporalis, eo ipso quod est rex, potest has actiones per se ipsum legitime administrare, licebit etiam mulieri easdem per se exercere, nam est capax regiæ potestatis, et cum illa, juxta Protestantium opinionem, eamdem supremam potestatem spiritualem habet. At Paulus (2) mulieres in ecclesia nec loqui permittit, nedum actiones sacras exercere, sed jubet tacere et subditas esse.

11. *Responsio hæreticorum.*—Possunt vero adversarii, distinguendo inter actiones quæ potestatem ordinis requirunt, vel solam jurisdictionem, respondere, posse regem omnem actum jurisdictionis ecclesiasticæ per se exercere, et ad hoc habere supremam potestatem, idque satis esse ut primatum in spiri-

(1) 2 Paral, 26.
(2) 1 ad Cor., 14.

tualibus habeat, etiamsi actiones alias, quæ potestatem ordinis requirunt, per se non valeat exercere. Sed hoc imprimis alienum est ab institutione Christi; nam ipse per illos voluit Ecclesiam regi, quos principales ministros verbi Dei et sacramentorum esse voluit, nimirum per Episcopos, in quibus potestas ordinis per excellentiam existit. Deinde satis absurdum est, ut supremus Ecclesiæ gubernator non possit exercere præcipuos actus, tam ad divinum cultum, quam ad sanctificationem fidelium ordinatos. In republica enim civili nihil efficere possunt inferiores magistratus in ordine ad finem suæ potestatis, quod non possit rex aut imperator altiori potestate in ordine ad eumdem finem præstare; ergo multo magis in christiana republica cum potestas ecclesiastica sive ordinis, sive jurisdictionis ad spiritualem finem, et sanctificationem animarum referatur, ita debuerunt illæ duæ potestates inter se ordinari et institui, ut in supremo principe Ecclesiæ cum omni perfectione et excellentia conjungerentur, ideoque nihil per inferiores fieri, quod non possit a superiori vel supremo perfici, quantum est ex vi potestatis.

12. *Ex principiis Protestantium peculiariter refellitur prædicta responsio.*—Possumus etiam Protestantes ex ipsorum principiis convincere. Nam apud illos potestas ordinis nihil est, nisi deputatio ministrorum a rege vel magistratu temporali facta. Nam si fortasse in Anglia (ut ferunt) aliæ cærimoniæ in constituendis ministris adhibentur, non reputantur necessariæ, nec a Christo institutæ, sed propter quemdam ornatum exteriorem humano arbitrio excogitatæ aut servatæ. Ergo sine illis posset rex ministros ad easdem actiones instituere; ergo multo magis posset per se ipsum omnes illas actiones exercere. Idemque regina Elisabetha ex vi ejusdem dignitatis potuisset, eademque ratione feminas posset in ministros Ecclesiæ suæ constituere. Quis enim credat feminam posse esse caput Ecclesiæ, et non ministrum? Absit autem ab Ecclesia Christi tam absurda gubernatio et hierarchia.

13. *Ab incommodis eadem responsio impugnatur.—Primo.*— Quin potius si suprema spiritualis jurisdictio temporalem consequitur, et potestatem ordinis nullo modo postulat, profecto etiam in rege ethnico esse poterit supra omnem Ecclesiam ditionis suæ, quia tam perfectam potestatem jurisdictionis habet sicut rex christianus, et ex Scriptura non magis probari potest, ad usum talis jurisdictionis esse necessarium baptismum, quam episcopatum, seu clericalem ordinem. Et declaratur hoc amplius: nam in Ecclesia Romana, Constantinus, verbi gratia, priusquam ad fidem converteretur, habebat supremam potestatem temporalem; vel ergo jam etiam habebat spiritualem, et sic admittitur inconveniens illatum, quo nihil potest esse absurdius; vel si Constantinus illam non habebat, profecto apud Sylvestrum erat; ergo etiam post baptizatum Constantinum eamdem potestatem Sylvester retinuit, non Constantinus. Quis enim illam transmutationem, seu translationem potestatis a Sylvestro in Constantinum effecerit? aut quo verbo Dei factum est, ut Constantinus per solum baptismum ex ove factus sit Pastor, et ex spirituali filio in supremum parentem et gubernatorem transierit? Sunt profecto hæc incredibilia et absurda. Quod si Constantinus baptizatus solam potestatem temporalem retinuit, eamdem profecto solam ad posteros transmisit, eademque in alios reges vel principes, qui nunc extant, divisa est. Vel si qui sunt alii reges postea facti Christiani, inde non trahentes originem, eadem ratio ad illos cum proportione applicari potest. Et simili modo, si post baptismum Constantini Sylvester in suo pontificatu cum eadem spirituali potestate perseveravit, eadem ad successores usque ad hodiernum diem pervenit. Idemque est cum proportione de Anglia, et de quocumque christiano regno.

14. *Secundo.*— Aliud etiam absurdum inferre possumus. Nam si cum potestate suprema temporali conjuncta est similis potestas spiritualis, cur non similiter in quolibet inferiori magistratu vel principe temporali, etiam si superiorem recognos-

cat, non est conjuncta utraque potestas cum debita proportione et subordinatione ad superiorem? Est enim eadem ratio, neque ex vi juris naturalis discrimen constitui potest. Et Scriptura non magis dat spiritualem potestatem supremis principibus quam inferioribus. Ubi autem Scriptura de obedientia principibus temporalibus debita loquitur, generaliter tam de regibus, quam de aliis magistratibus loquitur. Sic enim illud Pauli intelligitur: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit» (1); ut magis Petrus exposuit, dicens: «Sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis» (2). Si autem hoc absurdum concedatur, totam hierarchiam ecclesiasticam quoad regimen externæ gubernationis everti necesse est. Non ubi rex temporaliter creditur supremus gubernator in spiritualibus, eo ipso Summus Pontifex inde excluditur; ergo si præfectus regius unius civitatis ibi etiam habet spiritualem præfecturam, excludendus consequenter erit Episcopus ab spirituali regimine, quia non posunt esse duo capita ejusdem ordinis: sed a fortiori excludentur omnes alii præfecti, seu ecclesiastici gubernatores, et ita, velit, nolit rex Angliæ, in Puritanorum anarchiam, quod attinet ad regimen ecclesiasticum, incidemus.

15. *Evasio.—Rejicitur.* —Responderi potest non esse eamdem rationem de supremo rege et inferioribus magistratibus, quia rex per se, et quasi ex necessitate habet utramque potestatem conjunctam; inferiores vero a rege habent suam potestatem, et ideo potest rex sua voluntate illas potestates dividere, et temporalem communicare præfecto civili, spiritualem autem Episcopo. Sed imprimis hoc totum non transcendit voluntatem et institutionem humanam, quam rex suo etiam arbitrio poterit mutare, sicut illam constituit; ergo potest totam hierarchiam

(1) Ad Rom., 13.
(2) 1 Petr., 2.

ecclesiasticam evertere quoad Ecclesiæ regimen. Deinde rex in sua opinione non consequenter loquitur, si hoc concedat; jam enim admittit potestates spiritualem et temporalem esse distinctas, et subjecto separabiles, vel etiam separatas in inferioribus magistratibus; cur ergo non separabuntur in utriusque ordinis capite, aut quo titulo ostendere potest, se utramque potestatem habere?

16. *Prædicta evasio ipsi Jacobo regi repugnat.*—Alia etiam ratione non potest hoc constare cum dictis regis; nam ipse reprehendit Bellarminum, eo quod negaverit, Episcopos immediate a Deo suam potestatem accepisse; sentit ergo ipse Episcopos immediate a Deo jurisdictionem suam habere (3). Quomodo ergo potest nunc dicere, se illis dare jurisdictionem, et in voluntate sua esse positum, illam non ipsis, sed suis magistratibus temporalibus conferre, nisi forte se ipsum faciat jure etiam divino superiorem. Deinde rex Angliæ, in eodem loco, fatetur se a Puritanis dissentire circa jurisdictionem Episcoporum; Puritani autem affirmant jurisdictionem ecclesiasticam conferri a magistratu temporali; ergo, si rex dicit se conferre jurisdictionem Episcopis, non differt a Puritanis in puncto jurisdictionis episcopalis, quidquid de differentia in ordinis dignitate sentiat. Ut ergo gubernatio Ecclesiæ per Episcopos, et non per temporales magistratus, firma et stabilis sit, hanc institutionem esse divinam; et jurisdictionem etiam Episcoporum a Christo descendere oportet, sive mediante Papa, ut Bellarminus probabilius sentit, sive immediate, ut alii etiam Catholici probabiliter volunt. Ad præsentem enim causam non refert; nam quomodocumque sit a Christo per positivam institutionem, non potest esse a temporali rege, neque ab illo per se dependere, et consequenter non potest regia potestas esse directe ac per se supra episcopalem, ac subinde neque suprema in latitudine ecclesias-

(1) In Præfat., p. 54. Lib. de Pontif., c. 25.

ticæ jurisdictionis. Quam repugnantiam in dictis et opinionibus suis, ductus fortasse spiritu contradicendi Bellarmino, rex non consideravit, cum tamen satis clara sit, ut in sequenti capite iterum declarabimus.

CAPUT IX

Solvuntur aliquæ objectiones contra veritatem in superioribus capitibus probatam

Multa sunt quibus rex Angliæ suadere conatur, justo piritualem potestatem, et supremi capitis seu guberna- iritualis nomen in regno suo sibi arrogare; et omnia, ducit, objectiones sunt contra veritatem a nobis proba- ias, licet difficiles non sint, prætermittere non possu- it omnibus satisfaciamus. Quia vero plures illarum ex egum vel imperatorum sumuntur, et ad præsens punctum tinent, ut clarius singulæ suis locis propositæ percipian- ortet hic tres quæstiones distinguere. Una est, quam actamus, an spiritualis potestas sit in principe necessa- uncta cum potestate temporali. Altera est, supponendo estates esse in diversis personis, an sit una altera supe- quæ illa sit; de quo puncto a capite vigesimo primo dic- us. Tertia est generalis quæstio de exemptione clerico- otestate temporali, etiam in causis civilibus, criminalibus tis, quæ sine dubio est longe diversa ab aliis duabus, iis principiis in libro sequenti tractanda. Igitur si quæ empla aut facta catholicorum principum, quæ contra ju- nem ecclesiasticam objici aliquo modo possint, ad quæs- tertiam de immunitate clericorum maxime pertinent, videbimus, et pauca etiam circa secundam quæstionem us. In præsenti vero puncto vix, credo, invenietur ante

Henricum VIII exemplum principis vel solo nomine christiani, licet hæretici, qui ex vi propriæ et innatæ potestatis, actum jurisdictionis spiritualis usurpare, nedum supremam jurisdictionem et primatum spiritualis potestatis sibi arrogare tentaverit. Et ideo, his exemplis omissis, breviter alios titulos expendemus, quibus rex jus suum firmare, aut apparenter defendere tentat.

2. *Prima objectio.* — Primus est, quia jure naturæ hæ duæ potestates conjunctæ sunt, regia et sacerdotalis; ergo hoc jus naturæ manet integrum in lege gratiæ, quia gratia non destruit naturam, neque lex Christi data est ad tollendam legem naturæ, sed perficiendam. Assumptum probatur, quia ante legem Christi et Moysi, jus tamtum naturale observatum est; nam ideo tempus illud naturalis legis vocatur. In illo autem tempore iidem erant reges et sacerdotes, ut constat de Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, et generaliter ex recepta regula, quod eo tempore primogeniti et regni hæredes, erant simul sacerdotes, ut sumitur ex Hieronymo, epist. 126 ad Evagr.; et Ruperto, lib. 5 in Genes., c. 12. Unde Paulus, ad Hebr., 12, Esau profanum vocat, eo quod primogenituram vendiderit, quæ sacra erat ratione sacerdotii.

3. Hunc titulum non invenio a rege expresse propositum; propter complementum autem doctrinæ, et quia rex, allegando in favorem suum quædam testimonia novi Testamenti, illum supponere videtur, omittendum non duxi, quamvis revera frivolus sit. Nam imprimis, admissa illa antiqua consuetudine, quæ non solum inter fideles, sed etiam inter Gentiles viguisse videtur, negamus illam esse de jure naturali, id est, lege naturali præceptam, licet, mediante ratione et voluntate humana, a generalibus principiis juris naturalis originem duxerit. Quia licet sacrificium sit aliquo modo de jure naturali, et consequenter etiam sacerdotium, quod autem tali modo sit institutum, et his vel illis personis attributum, non est jure naturæ præscriptum, sed jure aliquo positivo definiri necesse est. Et hoc modo ante legem Moysi, vel jure gentium, vel moribus populorum introductum

est, ut dignitas sacerdotalis præcipua cum regali esset conjuncta. Qui mos sicut in lege veteri mutatus fuit, etiam in lege nova mutari potuit. Imo ita factum esse, et ad perfectionem legis gratiæ hoc pertinere, docuit Nicolaus Papa, ad Nicolaum imperatorem, dicens: «Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul et sacerdotes existerent quod sanctum Melchisedech fuisse, sacra prodit historia», etc. Et infra: «Sed cum ad verum ventum est, eumdem regem atque Pontificem ultra nec imperator, nec Pontifex usurpavit».

4. *In lege naturæ nulla fuit potestas supernaturalis ordinis. —In lege naturæ nulla jurisdictio spiritualis extitit.* — Deinde si sermo sit de sacerdotio quoad potestatem ordinis, manifesta est differentia, nam in lege naturæ non erat propria et supernaturalis potestas ordinis, sed erat solum ministerium sacrificandi, et intercedendi pro populo, ad quod poterat aliquis sua sponte, vel per consensum populi deputari, quia Deus eo tempore nihil in particulari de sacerdotio vel sacrificio præscripserat; et sic Anacletus Papa, epist. 2, negat Melchisedech, vel Abraham, vel alios illius temporis viros, sacrificium obtulisse «sacerdotali auctoritate,» utique a Deo peculiariter instituta. In lege autem veteri sicut determinavit Deus sacrificia, ita et sacerdotium seu pontificatum, absque interventu populi, vel consensu ejus. Quod etiam altiori et excellentiori modo in nova lege Christus instituit. Si autem sit sermo de sacerdotio quoad potestatem jurisdictionis, supponit imprimis illa objectio vel falsum, vel valde incertum, nimirum, sacerdotem, vel Pontificem in lege naturæ habuisse jurisdictionem spiritualem, quod vel falsum, vel incertum est. Quia talis potestas neque a Deo specialiter data est in illo statu, ut per se notum est, nec ex jure naturali potest hominibus convenire, quia potestas gubernativa humana non transcendit ordinem humanum, et principaliter instituitur ad ordinandum homines ad invicem, ita ut, licet curam etiam habere possit divini cultus, semper in modo ac determinatione illius respiciat commune bonum reipublicæ hu-

manæ, ut in simili dixit D. Thomas, 1. 2, quæst. 99, art. 3. Quapropter non recte fit comparatio inter legem naturæ et gratiæ, quia in lege naturæ omnis potestas gubernativa sub temporali sufficienter comprehendebatur, nam illa eadem posset disponere de iis quæ pertinent ad cultum Dei, prout expediret communi bono humanæ reipublicæ; secus vero est in lege gratiæ, quæ est lex divina, quæ principaliter ordinat homines ad Deum, et bonum ipsius reipublicæ refert ad amicitiam hominum cum Deo. Ideoque sacerdotalis potestas in hac lege spiritualis est, et altioris ordinis, et non potest esse ab ipsis hominibus, vel eorum communitate, sed ab ipsomet Christo manare debuit, sicut de facto manavit, ut supra ostensum est.

5. *Objectio.—Solutio.*—Dices, illud esse verum de hominibus tantum ut homines sunt consideratis; sic enim manifestum est, in eis esse non posse nisi potestatem naturalem; secus vero esse de hominibus christianis ut Christiani sunt, et ut componunt civitatem, non tantum politicam, sed etiam christianam. Nam sicut talis communitas fundatur in fide, et religione supernaturali, ita ex ea habet potestatem altioris ordinis connaturalem ipsi gratiæ ad disponendum ea, quæ spectant ad divinum cultum, consentanee ad veram fidem, et amicitiam Dei; ergo talis censenda nunc est potestas ecclesiastica, et consequenter potuit a tota communitate regi suo temporali conferri. Respondeo, antecedens potuisse habere locum, si Christus Dominus Ecclesiam suam et regimen ejus non instituisset peculiari modo, et longe excellentiori quam ex sola rei natura possit esse in communitate hominum, etiam ut Christiani sunt. Nunc autem Christus sua peculiari institutione prævenit (ut sic dicam) et sublimavit spirituale regimen Ecclesiæ. Primum, instituendo illam per modum unius corporis mystici per totum orbem diffusi, in quo unitas fidei et concordia in substantiali ritu religionis, ad Dei cultum et sanctificationem hominum ordinato, conservari posset; hoc autem sine suprema spirituali potestate fieri non posset, ut supra ostendi. Universalis autem

potestas supra universum mundum non potuit ab ipsis hominibus ubique etiam dispersis procedere; debuit ergo esse a Christo. Item instituit Christus quamdam Ecclesiam, quæ in fide esset columna veritatis, et in moribus semper esset sancta, ideoque talem ei dedit potestatem spiritualem, ut per illam ad utrumque finem recte et sine defectu substantiali posset dirigi; talis ergo potestas necessario esse debet plus quam humana. Denique ex sola rei natura, etiam si homines Ecclesiæ spectentur ut Christiani sunt, non esset necessarium regi per Episcopos, vel alios similes pastores, quibus specialis cura animarum incumbat; nunc autem Ecclesia necessario regi debet per Episcopos et sacerdotes, quorum institutio et distinctio ex divino jure sine dubitatione descendit; ergo potestas gubernativa Ecclesiæ Christi in spiritualibus non est a populo christiano, etiam fide illuminato, sed est ab ipso Christo, vel immediate, vel per participationem ab illo, cui Christus ipse immediate illam communicavit.

6. *Secunda objectio.*—Secunda objectio sumitur ex aliquibus locis veteris Testamenti, in quibus significatur, Pontifices legis veteris fuisse inferiores et subjectos regibus. Sed hanc objectionem nunc omitto, quia quod ad præsentem locum spectat, manifestum est ex veteri Testamento, pontificiam dignitatem et potestatem regiam in diversis fuisse personis, quod nunc tantum tractamus. De comparatione autem harum potestatum infra dicendum est, et ibi melius videbimus an sit necessarium eamdem habitudinem, seu relationem inferioris et superioris habere, seu habuisse in utraque lege, veteri scilicet, et nova.

7. *Tertia objectio ex novo Testamento petita.*—Est ergo tertia objectio sumpta ex testimoniis novi Testamenti, in quibus præcipitur Christianis omnibus, regibus temporalibus obedire, ut sunt in superioribus allegata, et a rege accumulata in Apol., pag. 129, scilicet, Roman, 13, 1 Petri, 2, ubi etiam adjungit illud 1 ad Tim., 2, ubi Paulus præcipit orari pro omnibus, sed

præcipue pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt; et illud Matth., 22: «Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,» etc.; et illud Joan., 18: «Regnum meum non est de hoc mundo;» et illud Luc., 12: «Quis me constituit judicem inter vos?» et illud Luc., 22: «Reges gentium dominantur eorum,» etc.

8. *Solutio ad prima duo testimonia.* — Sed nullum ex his testimoniis ad causam facit, et nonnulla illorum contra regis intentionem probare possunt. Nam imprimis in nullo illorum est sermo in particulari de spirituali potestate, neque in eis insinuatur fuisse regibus temporalibus concessam, aut quod illis in materia talis potestatis præcipientibus obediendum sit. Cum ergo Paulus inquit: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,» generatim loquitur de omnibus superioribus, ut ex tenore verborum constat. Unde recte intelligi possunt cum partitione accommoda, scilicet, unicuique in eo, in quo superior est, obediendum esse ab iis qui ei sunt subjecti. Nam ita etiam inferius dicit: «Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui honorem, honorem,» etc. Est ergo generalis distributio singulis accommodanda juxta mensuram potestatis; quæ autem hæc sit in singulis potestatibus, ibi non explicatur. Demus autem ibi loqui Paulum in particulari de potestate temporali, de qua paulo post dicit: «Non sine causa gladium portat.» Quid aliud ex illo loco sic intellecto colligi potest, nisi obediendum esse principibus temporalibus in his quæ juste et recte præcipiunt? quis autem hoc negat? aut quomodo inde colligi potest etiam in spiritualibus et ecclesiasticis esse illis parendum? Certe Paulus non tantum de principibus christianis, sed etiam eo maxime tempore de regibus ethnicis loquebatur, quibus tanquam dominis temporalibus Christiani etiam obedire tenebantur, nec propterea prudens aliquis dicet, fuisse tunc illos capita Ecclesiarum in regnis suis. Omnia ergo, quæ ibi Paulus, et Petrus in sua epistola, dicunt, ad eumdem sensum referuntur; nam vel intelliguntur respective, ut unicuique reddatur jus suum, vel obedientia debita, juxta gradum potestatis

suæ, vel, si definite de dominis temporalibus intelligantur, etiam sunt in eorum foro et materia intelligenda, prout ratio ipsa justitiæ postulat; ibi enim Apostoli non condunt novum jus, sed jus ipsum naturale observari præcipiunt. Simili enim modo servos monent subditos esse dominis, et mulieres subditas esse viris, etc.

9. *Ex tertio testimonio* 1 *ad Tim.*, 2, *nihil contra statutam veritatem colligi.*—Ad tertium autem testimonium fatemur, Paulum obsecrare, fieri orationes pro omnibus hominibus, et deinde in speciali addere, «pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus.» Quid vero hoc pertinet ad primatum spiritualem regis temporalis? Numquid quia reges in primo loco posuit, ideo dixit illos esse capita Ecclesiarum in spiritualibus? Vana profecto est collectio, et longe aliam rationem reddit Chrysostomus ibi, Homil. 6, videlicet, «ideo addidisse pro regibus, quia neque tunc reges Deum colebant, et multis postea temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, perstiterunt.» Et infra: «Quoniam vero consequens esse cernebat, ut Christiani ad ista torpescerent, neque hujusmodi admitterent monita, siquidem pro gentili, et sacramentorum tempore preces oporteret offerre, vide, quid secutus adjunxit, ut ex consideratione lucri admonitionem facilius libentiusque reciperent: Ut quietam» (inquit) «et tranquillam vitam agamus.» Ergo ex mente Chrysostomi non ideo designavit reges, quia ipsi sint spiritualia capita Ecclesiarum (quod maxime tunc esse non poterant, cum essent gentiles), sed potius ne propter hanc causam fideles putarent non esse pro eis publice orandum. Neque Paulus dixit, «præcipue pro regibus,» illam enim particulam «præcipue,» rex de suo addidit, sed simpliciter locutus est, ac si diceret, etiam reges ethnicos sub «omnibus» comprehendi; nam licet essent gentiles, orandum pro eis erat, ut ad fidem converterentur. Et hoc magis significavit Paulus, in ratione quam subjunxit: «Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui

omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.» Ac denique quamvis Paulus addidisset particulam «præcipue,» nihil referret, nam quia conversio regum et difficilior erat, et ad commune bonum Ecclesiæ magis est necessaria, ideo etiam potuit specialiter ac præcipue commendari.

10. *Testimonium Matth.*, 22, *appositum concludit.—Testimonia etiam Joan.*, 18, *Luc.*, 12 et 22, *doctrinam traditam confirmare ostenditur.*—De verbis autem Christi, «Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari», jam supra, ex mente Chrysostomi, Ambrosii et Athanasii, ostensum est potius probare contrarium, scilicet, «Cæsari», id est, regi temporali, «reddenda esse quæ sunt Cæsaris», id est, temporalis potestatis, quæ præcisa responsio vim habet exclusivæ, ut significavit Theophyl. dicens: «Jesus autem, por hoc quod figuratum erat numisma imagine Cæsaris, persuadet illis deberi Cæsari, quæ ejus sunt, hoc est, quæ habent ejus imagenem, nam in corporalibus et externis obediendum est regi; in internis autem, et spiritualibus, Deo», utique vel immediate præcipienti, vel per pastores suos, juxta verbum Pauli: «Obedite præpositis vestris, et subjacete eis», ad Hebr., 13. De aliis etiam Christi verbis: «Regnum meum non est de hoc mundo», dicimus etiam probare contrarium, quod ex dictis non difficile colligitur. Tria enim ex doctrina Augustini et aliorum Patrum ex illis verbis adnotavimus, scilicet, Christum habere regum, etiam in hoc mundo, licet non de hoc mundo; unde merito colligimus, reges hujus mundi, ex eo quod tales sint, non habere potestatem in regno Christi, quatenus altioris originis est; et pari consecutione, inferimus hoc regnum Christi non carere suis gubernatoribus, qui, licet non sint reges hujus mundi, id est temporales, sunt spirituales pastores et regale sacerdotium. Eademque ratio est de aliis verbis Christi: «Quis me constituit judicem et divisorem inter vos»? probant enim temporales causas per se non pertinere ad Christi regnum, seu Vicarium ejus, unde potius a contrario, seu a commutata proportione inferendum erat, causas spirituales ac temporalem re-

gem non pertinere. Denique idem dicimus de ultimis verbis: «Reges gentium dominantur eorum». Nam Christus non addidit: Vos autem non gubernetis, vel, Non præcipiatis aut corrigatis subditos, sed potius supponit illos futuros fuisse rectores seu pastores, et ideo dixit: «Vos autem non sic», quasi præsupponendo regimen, et distinguendo illud a regno temporali, et modum diversum in illo postulando, quem pluribus verbis declaravit Petrus, priori epist., c. 5, ut in superioribus adnotatum est.

11. *Quarta objectio.*—Quarta objectio sumi potest ex nomine vicarii Dei, quem rex Angliæ cuivis regi temporali attribuit. Et ne videatur novus loquendi modus, ante Jacobum illo usus est Eduardus rex Angliæ, ut ex suis legibus, c. 19, relatum invenio, qui tamen in numero Sanctorum ponitur. Possumusque idem confirmare auctoritate Augustini, lib. Quæstionum veteris et novi Testamenti, p. 2, q. 91, ubi de rege dicit: «Adoratur in terris quasi vicarius Dei». Eleutherius etiam, in quadam epistola ad Lucium, Britanniæ regem, sic scripsisse fertur: «Suscepistis nuper miseratione divina in regno Britanniæ legem et fidem Christi, habetis vos in regno vestro utramque paginam, ex illis Dei gratia per consilium regni vestri sumite legem, vos enim in regno vestro vicarius Dei estis». Ergo præter hunc vicarium non est alius necessarius, qui immediate sub Deo sit, ac subinde in rege est tota potestas vicaria divinæ potestatis, sive illa spiritualis sit, sive temporalis. Augereque possumus hanc objectionem ex Isidoro, lib. 3 Sentent., seu de Summo bono, cap. 49, dicente: «Dedit Deus principibus præsulatum pro regimine populorum». Præsulatus autem nomen est spiritualis potestatis; nam præsul non dicitur, nisi qui spiritualibus præest.

12. *Solutio ad quartam.—Augustinus immerito pro contrario errore citatur.—Supra dictam epistolam falso Eleutherio tribui.*—Respondeo breviter, consecutionem esse nullius momenti, quidquid de modo loquendi in antecedente sumpto sentiatur, de quo non est contendendum, quamvis ea, quæ pro illo allegantur, apo-

crypha sint Nam, liber ille Quæstionum novi et veteris Testamenti, judicio omnium doctiorum, non est Augustini, quia nec stylus est, nec doctrina in multis locis est Augustiniana. Quanquam illa sententia bene explicata vera sit, regem, nimirum, adorari, id est coli et venerari propter dignitatem, in qua Deum quodammodo repræsentat, cujus vicem gerit. Epistola etiam illa, quæ ex Eleutherio citatur, commentitia est, quia neque inter epistolas pontificias, neque in tomis Conciliorum, neque apud catholicos auctores mentio illius invenitur, sed ab aliquo hæretico conficta est, ut notavit Sander., lib. 5 de Clave David, cap. 6. Et illamet verba, quæ ex illa referuntur, id satis ostendunt: est enim phrasis propria Novatorum, et a Pontificibus Romanis prorsus aliena.

13. *Ad verba Isidori respondetur.*—Non negamus autem posse regem in bono et sano sensu vicarium Dei appellari; nam Paulus, ad Rom., 13, reges vocat ministros Dei, quod perinde fere est. Unde Ambrosius ibi ait, principem «vicem Dei agere», et ideo subjectionem esse illi servandam. Idem autem est vicem agere, quod vicarium esse. Hinc autem non recte infertur, reges esse vicarios Dei in spiritualibus; nam Deus primarius rex est tam in regno temporali quam in spirituali Ecclesiæ, et in utroque suos vicarios posuit, in temporali reges, in spirituali Episcopos, et præsertim Summum Pontificem. Unde ex eo quod rex in uno regno vicarius sit, male infertur esse in utroque. Nam etiam reges gentiles, de quibus etiam Paulus loquebatur, sunt ministri Dei, ac subinde vicarii, non tamen in spiritualibus, sed in temporalibus tantum. Idem ergo dicendum est de regibus christianis, quamvis illi possint etiam dici peculiari titulo vicarii Dei, ad defendendam Ecclesiam et protegendum Prælatos, ut possint in pace et cum fructu spiritualia ministrare. Et in hoc sensu S. Eduardus locutus est. Isidorus autem lato quodam modo præsulatum vocavit præfecturam, seu quamcumque regendi potestatem, sicut etiam c. 49 antecedente, sub titulo de «Prælatis» ponit reges, et quascumque sæculi potestates, non

solum fideles, sed etiam infideles. Unde clarum est non loqui de Prælatis in eo rigore, quo jam communi usu vox illa pro ecclesiastico antistite sumitur, sed prout generaliter a verbo «præfero» derivatur, et quemcumque superiorem, vel primarium gubernatorem significare potest.

14. *Quinta objectio ex Patribus.*—Quinto, objici possunt nonnulla Patrum testimonia, qui regi vel imperatori primatum tribuere solent. Sed ex his quædam pertinent ad comparationem utriusque jurisdictionis, quæ infra, ut dixi, tractabuntur. Alia vero sunt hujus loci propria, quia in eis videntur proprios actus spiritualis potestatis regibus tribuere. Tales enim actus sunt, veritatem docere, errores depellere, et similes; et tamen Epiphanius, hæres. 40, dicit, reges datos esse ut omnia ex Deo bene disponantur et administrentur, «et ad bonam» (inquit) «ordinationem terræ, ubi cædes, et pugnæ, ignorantiæque, ac doctrinæ bonæ», etc., significans hæc omnia cadere sub regis curam. Et sic etiam Alcuinus, in Præfat. ad lib. de Trinit., ad Carolum dicit, sapientiam illi datam esse, «ut regat et doceat pia sollicitudine subjectos». Et infra, ad illum pertinere ait, «justa decernere, rata præcipere, sancta admonere, ut quisque lætus cum perpetuæ salutis præcepto domum redeat». Et infra subdit: «Principem populi christiani cuncta scire, et prædicare quæ Deo placent, necesse esse, notissimum est. Neque enim quemquam magis decet, vel meliora nosse, vel plura, quam imperatorem, cujus doctrina omnibus prodesse debet subjectis», etc. Quin potius Concilium Arelatense, sub eodem Carolo M., capite ultimo, post decreta omnia subjungit: «Hæc domino imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divina opitulante clementia, perficiatur». Addi etiam hic possent objectiones ex actibus congregandi generalia Concilia, vel præsidendi in illis, item creandi, vel deponendi Pontifices; hi enim actus

et similes proprii sunt ecclesiasticæ jurisdictionis; et tamen illos sæpius exercuisse imperatores, rex Angliæ in sua Præfat. contendit.

15. *Solutio.—Verus sensus Patrum aperitur.*—Ad priorem partem respondeo, Patres nunquam tribuere regibus proprios actus jurisdictionis spiritualis, sed interdum per modum exhortationis, vel laudis, aut honoris, illos excitare ad exercendos actus aliquos, qui sine jurisdictione excerceri possunt, vel ad procurandum ut alii in Ecclesia cum fructu fiant per Pastores, a quibus legitime exerceri possunt. Unus ex illis actibus esse potest, curare ut ignorantia ab Ecclesia tollatur, et ut bona et sana doctrina conservetur et augeatur, de quo loquitur Epiphanius. Habetque locum etiam in politica republica intra limites suos, ut per se notum est, et sic pertinet ad regem ex vi propriae potestatis. Respectu vero Ecclesiæ, et quoad doctrinam fidei, pertinere potest ad regem, non quidem prædicando publice per se ipsum, neque dando auctoritatem prædicandi, sed præbendo auxilium catholicis Prælatis et prædicatoribus, et sacrarum litterarum studia fundando, suaque potestate seminatores malæ doctrinæ coercendo. Et hunc sensum declararunt Patres Concilii Turonensis, sub Carolo M., in principio: postquam enim commendarunt pietatem et sapientiam imperatoris, subjungunt: «His igitur intentus, pios ac religiosos Dei sacerdotes Ecclesiæ gubernacula in regno sibi divina largitate collato tenentes saluberrimis exhortationibus admonuit, ut operam darent, et actibus eminerent, quibus et se bene operando, et sibi commissos verbis et exemplis instruendo regerent». Et idem supra indicat Alcuinus dicens: «Multa est omnibus fidelibus in vestra pietate gloriandi facultas, dum clementiæ vestræ sollicitudo sacerdotalem, ut decet, habet in prædicatione verbi Dei vigorem.

16. *Germana Concilii Arelaten is expositio.*—Reliqua vero, quæ retulimus, laudis sunt et honoris verba, nam etiam imperator christianus esse potest doctus, et bene instructus in doctrina sacra, et privatim juxta occurrentes occasiones potest

veritatem docere. Simili etiam modo verba Patrum Concilii Arelatensis eo tendunt, ut protectionem et adjutorium ad executionem suorum decretorum ab imperatore petant, ut ex ultima clausula verborum constat; reliqua autem sunt verba modestiæ et urbanitatis, ex quibus nullum judicium vel subjectionis in spiritualibus ex parte Concilii, vel spiritualis potestatis in imperatore, sumi potest. Ad aliam etiam partem objectionis, uno verbo dicimus, illos actus proprie non esse imperatoriæ potestatis; posse tamen, vel aliquando potuisse aliquam cooperationem, seu præparatoriam dispositionem, aut conditionem, quæ spiritualem potestatem non requirit, in eis exercere, ut in sequentibus latius declarabimus.

CAPUT X

Utrum Christus Dominus supremam Ecclesiæ spiritualem potestatem Petro contulerit?

1. Priusquam spiritualem potestatem cum temporali conferamus, ex qua præsens controversia maxime pendet, inquirere oportet an hæc potestas sit in Pontifice Romano, cum quo lis et contentio tota regis Angliæ versatur. Quia vero Romanus Pontifex non potest habere hanc potestatem, nisi per legitimam successionem, et successio ab origine et institutione pendet, quæ a solo Christo fieri potuit, ideo de hac institutione prius videndum est. In quo puncto duæ quæstiones distingui possent, una abstracta (ut sic dicam) seu generalis, an Christus in sua universali Ecclesia monarchicum regimen in aliqua persona, quæ vices ejus gereret, reliquerit. Altera quæstio est contracta, seu particularis, an tali personæ, scilicet, Petro, Christus vices suas et potestatem supra omnes fideles commiserit; simul tamen illas tractabimus, quia quod ad fidem et auctoritatem atti-

net, non possumus melius ostendere institutionem, quam ex singulari Christi facto, et rationem illius ex generali causa institutionis postea investigabimus.

2. Neque oportet in recensendis erroribus, qui in hac materia fuerunt, et nunc a Lutheranis et Calvinistis, cæterisque Protestantibus pertinaciter defenduntur, immorari, quia et notissimi sunt, et nunc solum de Anglicana secta tractamus, cujus caput, et defensor, ejusdem Angliæ rex sæpe in sua præfatione contendit, Christum non dedisse Petro majorem quam cæteris Apostolis potestatem, et p. 22 et 24, et præsertim 58, in alios sensus verba Scripturæ detorquere conatur. Sed illius fundamenta postea expendemus; nunc prius catholica veritas stabilienda est. Et quoniam quamplurimi Catholici et eruditissimi viri in hac veritate confirmanda diligentissime laborarunt, operæ pretium non erit omnia, quæ illi dixerunt, transcribere, et in hunc locum congerere, sed pauca quædam, quæ judicio nostro selectiora et efficaciora videbuntur, ex illis mutuabimur, et qua poterimus brevitate et perspicuitate proponemus.

3. *Conclusio de fide. — Probatur conclusio ex promissione Christi.*—Dicimus ergo Christum Dominum, instituendo Ecclesiam suam militantem, priusquam quoad visibilem præsentiam corporalem eam relinqueret, illam Petro tanquam vicario suo, ac supremo pastori commendasse, ac subinde supremam spiritualem potestatem ad gubernandam illam ei contulisse. Conclusio est certa de fide, quam præcipue probabimus gemino illo testimonio, quo non solus Bellarminus, quem in hoc rex Angliæ reprehendere ausus est, sed omnes Pontifices et Patres eamdem veritatem confirmarunt. Primum est illud Matthæi, 16, ubi Christo quærenti: «Quem dicunt homines esse filium hominis?» cum Petrus respondisset: «Tu es Christus filius Dei vivi», Christus dixit illi: «Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est; et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus

eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.» Hæc fuit Christi promissio, qui fallere non potest in promissis, et ideo dubitari non potest quin postea impleverit quod tunc promisit. Videamus autem cui promiserit et quid promiserit; nam si hæc duo plene et fideliter intelligantur, hoc solum testimonium ad assertionem confirmandam sufficit.

4. *Prædicta promissio Petro in propria persona facta est.*— Primo ergo evidens est ex tenore verborum, promissionem esse factam Petro in sua propria persona; tot enim circumstantiis designata est, ut de hoc dubitari non possit. Primo enim Evangelista retulit Simonem Petrum confessionem divinitatis Christi fecisse. Neque existimo vacare mysterio, quod Evangelista utrumque nomen conjunxit «Simon Petrus.» Nam prius Petrus vocabatur Simon, ut constat Joan., 1. Unde quia hoc erat quasi proprium et primævum nomen Petri, in negotio tam gravi omitti non debuit; nomen autem Petri a Christo fuit illi impositum Joan., 1, et hic adjunctum est, tum propter tollendam omnem ambiguitatem, quia alius etiam Apostolus Simon vocabatur, tum propter mysterium quod statim Christus declaravit. Deinde addit Evangelista, Christum ad eumdem esse locutum. Et ut hoc magis esset testatum, Christus iterum eodem nomine illum appellat, dicens: «Beatus es Simon», et quia nomen Petri ad mysterium explicandum reservabat, ne nomen Simonis videretur ambiguum, addidit aliam circumstantiam propriam illius personæ, dicens: «Bar Jona», id est filius Jonæ, seu Joannis, sicut idem dixerat Joan., 1: «Tu es Simon filius Jona.» Nominavit autem Christus Simonem in dicto loco, simul laudando illum, ut inde etiam intelligi posset qualis esset promissio, et cui fieret; erat enim remunerativa, et illi facienda erat, qui laudem in confessione meruerat. Sicut Hilarius ibi, canon. 26, dixit: «Et dignum plane confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset»; et Hieronymus ibid.:

«Testimonio de se Apostoli reddit vicem; Petrus dixerat: Tu es Christus filius Dei vivi; mercedem recepit vera confessio: Beatus es Simon Bar Jona.» Volens ergo Christus non sola laude, sed etiam mirabili promissione Petrum remunerare, subjungit: «Et ego dico tibi», ubi recte Hieronymus: «Quia tu mihi dixisti: Tu es Christus, etc., et ego dico tibi, non sermone casso, et nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.» Illa ergo particula «tibi», eamdem personam Simonis designat; ad illam ergo verba Christi diriguntur; illi ergo fit promissio. Maxim., Homil. 1, in Natali Petri et Pauli, et Prosp., lib. 2 de Vocat. gent., c. 28.

5. In verbis autem Christi considero, quædam esse tantum affirmativa per modum indicativi: «Tu es Petrus», alia prædictionem et promissionem continentia, scilicet: «Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo», etc. Prima ergo affirmatio eo etiam tendere potuit, ut magis exprimeretur persona, de qua futura erat prædictio, et cui fiebat promissio. Commemorare ergo voluit Christus hunc Simonem esse illum, cui multo antea dixerat: «Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.» Simulque (ut existimo) indicare voluit Christus, quam ob causam nomen Petri Simoni imposuerit, nimirum, propter firmissimam et immovilem fidem quam recepturus erat, cujus primam et insignem confessionem tunc effecit, et ideo audire meruit: «Tu es Petrus.» Unde recte Ambrosius, serm. 6 de Variis actionibus: «Cum vocaretur (inquit) Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus.» Imo addit, quia Christus est petra, «cum fideli Simone nomem suum communicasse.» Quod etiam attigit Chrysostomus, Hom. 10 in Marcum. Optime vero Cyrillus, lib. 2 in Joan., c. 12, adnotat, prævidisse Christum futuram Petri fidem, et ideo illi dixisse: Vocaberis «Cephas, id est, Petrus, vocabulo ipso commode significans, quod in eo tanquam petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.» Denique addit Chrysostomus, Hom. in Psalm. 50, in prima ejus parte, paulo post principium,

«propterea Petrum a Christo appellatum, quia saxea fide prædi-tus erat.» Ubi etiam bis illum appellat «basim fidei»; et Hom. 3, de Pœnit.: «Cum Petro dico, Petram nomino indebilem, crepi-dinem immobilem»,etc., significans Christum vocasse Simonem Petrum propter immobilitatem, non quam in se, aut ex se ha-beret, sed quam in fide accepturus erat, et ideo alibi, «fidei pe-tram firmam et solidam», illum appellat. Quæ omnia eleganter complexus est Leo Papa, sermone de Transfigur., c. 1, di-cens de Petro: «Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petræ ac-ciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi et mortis legibus prævaleret.»

6. Unde ulterius clare intelligitur quid designaverit Chris-tus, cum dixit: «Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.» Nam sine dubio eumdem Petrum designavit, ut fre-quentius antiqui et gravissimi Patres intellexerunt, et ex con-textu aperte constat. Ideo enim Christus prius illi dixit: «Tu es Petrus», ut ad eumdem statim diceret, super ipsum se ædifica-turum Ecclesiam, et ad hoc munus illum per suam gratiam pe-tram effecisse. Deinde ostensum est illa verba, cum sequentibus, continere promissionem remunerativam; ergo eidem fit qui propter bonam confessionem beatificatus est, et nomen Petri meruit; ergo idem per vocem, «hanc petram», designatur. Quod fiet evidentius si consideretur, Christum non esse usum voce «Petri», vel «petræ», tanquam diversi generis. Unde si Christi verba hoc modo Evangelista retulisset: «Tu es petra, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam», nemo dubitaret quin illæ particulæ, «Tu» et «hanc», eamdem petram, atque adeo eamdem personam designarent; at Christus ita locutus est, et Matthæus etiam hebraice vel syriace ita scripsit, nam in illis linguis vox feminina et masculina Petri aut Petræ non distin-guuntur, et ita utroque loco habet «petra» syriaca versio; græ-cus autem et latinus interpres personæ Petri, quia vir erat,

masculinum nomen accommodarunt, fundamentum autem ædificii feminino nomine petram appellarunt, quia in his linguis ita solet cum proprietate vocari.

7. Præterea per illud signum «hoc» vel «hanc», designari solet res singularis præsens; ibi autem non erat alia res nomine petræ significata, et cui jam nomen petræ tanquam proprium, et sine metaphora, esset impositum, nisi persona Petri; ergo illum sine dubio designavit Christus, dicens: «Super hanc petram.» Nam, ut omnis occasio errandi, imo et dubitandi tolleretur, præmisit: «Tu es Petrus», quasi præ oculis ponens eum, quem designare volebat. Præterea, cum Christus proxime subjunxit: «Et tibi dabo claves regni cœlorum», quis dubitet, per pronomen «tibi», Petrum designasse, et ad illum esse locutum, cum ad illum a principio sermonem suum direxerit, et eodem tenore semper cum eodem fuerit locutus? ergo etiam cum dixit: «Et super hanc petram», de eadem persona locutus est. Denique quia non est credibile, in tam claro et continuo contextu Christum nunc ad Petrum loqui, deinde rem aliam per pronomen «hanc», designare, et statim ad Petrum redire. Sic enim incerta et ambigua esset tota sententia et promissio, et supervacanea fuisset diligentia tot modis et circumstantiis determinandi personam, cui promissio fiebat.

8. *Eadem veritas ex Summis Pontificibus confirmatur.*— Atque ita intellexerunt hunc locum quoad hanc partem de persona, cui fit promissio, imprimis omnes Pontifices Romani, qui hoc punctum attigerunt, præsertim Clemens, ep. 1 ad Jacobum, et Anacletus, ep. 2 et 3; Leo supra, et ser. 2 et 3, in die Assumptionis suæ, et epist. 89, cujus alia verba in sequentibus referemus; et multa ex Gregorio adduximus, libro primo, cap. 6, et plura congerit Gratianus in suo decreto, dist. 12, 21 et 22, et in sequentibus plura referemus, in quibus Pontifices suum primatum non in humano, sed in divino jure fundant, ob successionem Petri, ad quem Dominus promittendo in hoc testimonio locutus est.

9. *Idem ex Patribus ostenditur.*—Et eodem modo hæc verba intellexerunt alii Sancti Episcopi, et antiquissimi Doctores Ecclesiæ: Cyprianus, epist. 55 ad Cornelium, dicens, in Petro fundatam esse Ecclesiam; et eodem modo loquitur epist. 69, 71 et 73, et aliis locis, quæ supra lib. 1, cap. 5 et 6, adnotavimus. Item Hilarius, canon. 16 in Matth., ubi post verba supra citata: «Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est», subjungit: «O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, etc.» Idem habet libr. 6 de Trinit., et Psalm. 131; Ambros., lib. 4 de Fide, cap. 3: «Habes (inquit) in Evangelio quod Petro dixit: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; eidem autem supra dicenti: Tu es Christus filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, et super hanc petram, etc.», et subjungit verba valde notanda: «Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit.» Idem optime Psal. 40, circa finem: «Ipse (inquit) est Petrus, cui dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram, etc.»; et addit: «Ubi Petrus, ibi Ecclesia.» Idem late sermone 9 supra citato, et serm. in Cathedram S. Petri, et sermone 11 de Sanctis. Late etiam Augustinus, sermone 29 de Sanctis, qui est quintus S. Petri et Pauli: «Solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certe qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum»; et multa similia habet in serm. 16, qui est de Cathedra Petri, et serm. 49 de Verb. Dom., c. 3; et lib. 2 de Baptism., c. 1, referens hæc verba Cypriani: «Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam», adjungit: «Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, a posteriori Apostolo Paulo esse correctum, etc.»

10. Optime etiam Pacianus, epist. 3 ad Sympronianum,

circa medium: «Ipso (inquit) referente Matthæo ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno»; et statim refert verba: «Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam » Supra etiam retuli Cyrillum Alexandrinum, et Chrysostomum, quibus addi potest Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 18, dicens: Ordinavit Salvator nostram sanctam Ecclesiam Christianam, de qua dixit Petro: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.» Et Nazianz., orat. 26: «Vide (inquit) quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat.» Item Basilius, in c. 2 Isai., cum dixisset Ecclesiam fuisse ædificatam in Prophetis et Apostolis, subdit: «Quorum unus erat Petrus, super quam petram pollicitus fuerat suam se ædificaturum Ecclesiam; et lib. 2 contra Eunomium, circa principium, de Petro ait: «Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ commissam sibi ædificationem suscepit»; et Hom. 29, quæ est de Pœnitentia: «Petrus tertio abnegavit, et collocatus est in fundamento.» Et infra: «Petrus dixerat jam antea, et beatus pronuntiatus fuerat; dixerat: Tu es filius Dei excelsi, et vicissim audierat se esse petram, ita laudatus a Domino; licet enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus; ut Petrus petra erat. Nam Christus vere est immobilis petra, Petrus vero propter petram. Axiomata namque sua Jesus largitur aliis; largitur autem ea non evacuatus, sed nihilominus habens. Lux est. Vos estis lux mundi, inquit; sacerdos est, et facit sacerdotes. Ovis est, et dicit: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Petra est, et petram facit. Quæ sua sunt, largitur servis suis.» Similiter Epiph., in Anchorato, non longe a principio, de Petro loquens sub nomine principis Apostolorum, subjungit: «Ipse autem Dominus constituit eum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, etc.»

11. His Patribus accedunt alii exponentes Matthæum, Theophylact. et Euthymius, sequentes Chrysostomum, sed

præcipue Hieronymus, dicens: «Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitum est nomen, ac secundum metaphoram petræ recte dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te.» Non potuit sane litteralis sensus verius aut clarius explicari. Unde aliis locis sæpe dicit, Ecclesiam Christi super Petrum fuisse fundatam, dialog 1 contra Pelagian, aliquantulum a princ., et ep. 54 et 57; et lib. 1 contra Jovinian., prius Petrum «petram Christi» appellat, postea vero tacitæ occurrens objectioni, et rationem declarans, inquit: «Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves cœlorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.» Ubi est attente considerandum, inter Apostolos et æqualitatem quamdam et caput nihilominus constituere. Æqualitas enim est in apostolatu, in certitudine doctrinæ, super quam fortitudo Ecclesiæ solidatur, et in universali clavium potestate; caput autem unum, quod propter tollenda schismata positum est, auctoritatem et jurisdictionem Petri in alios etiam Apostolos indicat, et perpetuitatem potestatis, sine qua concordia, schismatibus contraria, perpetua in Ecclesia esse non posset.

12. Similemque sententiam habet Leo Papa, ep. 89, c. 1, dicens: «Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortio individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret.» Denique apud alios Patres frequens est, ut Petrum hac ratione vocent Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, petram Ecclesiæ, Pontificem Ecclesiæ

primum, ut videri potest in Isidoro, lib. 2 de Offic. eccles., c. 5, et lib. de Vit. et mor. Sanctor., c. 69, et aliis locis, quæ lib. 1, c. 6, indicavimus. Et Petr. Chrysolog , sermone 107; Laurent. Justinian., lib. de Obed., c. 12; Tertull. sæpe, antequam in hæresim incidisset, eisdem modis de Petro locutus est, ut in lib. de Præscrip., c. 22, et lib. de Monogamia, c. 8 A qua sententia etiam factus hæreticus non discessit, quamvis illam aliquo modo corruperit, lib. de Pudicitia, c. 25, ut c. 17 commodius animadvertemus.

13.—*Petrus, Mat.* 16, *in Ecclesiæ fundamentum designatus fuit.—Probatur ex Patribus.*—Nemo igitur dubitare potest quin Petro facta sit illa promissio; superest jam explicandum quid illi promiserit. Duplex enim in verbis videtur esse promissio: una de fundamento Ecclesiæ, alia de potestate ligandi et solvendi: existimo tamen esse eamdem, prius per metaphoram, et postea per verba magis propria explicatam. Cum ergo Christus dixit fundaturum Ecclesiam super Petrum, promisit Petro, effecturum ipsum Ecclesiæ fundamentum adeo firmum et immobile, ut et totam Ecclesiæ molem sustinere posset, et cum tanta firmitate, ut cadere nunquam aut ruere posset. Hinc Ambrosius, in dicto lib, 4 de Fide, c. 3, dicens in verbis supra allegatis, «cui propria auctoritare regnum dabat», significat Christum ibi promisisse Petro regnum Ecclesiæ; et quia hoc regnum et fide constituitur, et perpetuum esse debet, ideo addit Ambrosius, potuisse etiam Christum firmare fidem Petri, et illum firmamentum Ecclesiæ constituere, indicans hoc totum in illis verbis fuisse Petro promissum. Quod etiam declaravit serm. 2, ex variis, qui est de Cathedra Petri, dicens, Petro esse promissum, ut «tanquam saxum immobile totius orbis christiani compagem molemque contineat». Et similia fere habet Augustinus, dicto serm. 16 de Sanctis. Hieronymus vero, dicto lib. 1 contra Jovinianum, sentit ibi esse promissum Petro, futurum fuisse caput Apostolorum; Cyprianus autem cum Augustino, dicto lib. 2 de Baptism., c. 1, primatum Ecclesiæ sentiunt ibi esse Petro

promissum. Chrysostomus etiam, Homil. 55 in Matthæ., dicit promissum esse Petro, fore Ecclesiæ Pastorem. Hæcque omnia in idem recidunt.

14. *Probatur ratione.* — Ratio denique methaphoræ est, quia singularis aliqua dependentia Ecclesiæ a Petro per illam metaphoram significata est, quæ non potest in alio consistere, nisi quia danda erat Petro singularis potestas ad instruendam et regendam Ecclesiam in fide et moribus, a qua tam ædificatio quam conservatio Ecclesiæ perpetuo penderet. Ut si navis dicatur fundata in aliqua persona, statim per metaphoram intelligitur pendere ab illa tanquam a gubernatore et nauclero, et sic etiam regnum dicitur in rege fundari, et e converso rex dicitur fundamentum regni. Quocirca licet metaphora fundamenti vel petræ alios etiam possit habere usus et significationes, tamen accommodata ad hunc locum et has circumstantias, nulla præter hanc potest esse accommodata, et ideo Patres et Ecclesia ita illam intellexerunt.

15. *Christus per claves supremam spiritualem potestatem Petro contulit.* — Ut vero rem apertius explicaret Christus, addidit aliam metaphoram, et explicationem ejus, dicens: «Tibi dabo claves regni cœlorum»; solet enim nomine clavis potestas regia seu regendi significari, ut patet Isai., 22: «Dabo clavem domus David super humerum ejus», id est, principatum, vel potestatem, de qua paulo antea dixerat: «Potestatem tuam dabo in manu ejus». Christus ergo promittens claves regni cœlorum Petro, nihil aliud promisit, quam potestatem regendi Ecclesiam, quæ in terra est regnum spirituale tendens ad regnum cœlorum consequendum, et ideo per potestatem quamdam cœlestem gubernanda est. Quam potestatem per verba satis propria statim explicavit Christus dicens: «Et quodcumque ligaveris super terram», etc.; his enim verbis expresse promisit Petro singulare potestatem ligandi atque solvendi, quæ potestas non est alia, nisi potestas leges ferendi, quæ homines ligent, seu obligent, vel etiam puniendi, aut censuras ferendi, aut similia one-

ra imponendi, vel auferendi, ut patet, tum ex communi usu talium verborum, tum ex similibus verbis Matth., 18: «Quæcumque ligaveritis», etc., et ex aliis Joan., 20 «Quorum remiseritis peccata», etc. Ergo claves illæ non aliud per metaphoram significant, nisi potestatem spiritualem ad regendam Christi Ecclesiam in ordine ad regnum cœlorum consequendum Ex hoc ergo loco manifeste probatur primatus Petri, quamvis hæretici variis objectionibus et evasionibus illum obscurare nitantur, quibus in sequenti capite respondebimus, ne veritatis positæ confirmationem intermittamus.

16. *Confirmatur eadem assertio ex Joan.*, 21. — *Rejicitur quædam hæreticorum expositio.*—Omnia igitur, quæ de prædicta Christi promissione diximus, ex aliis Christi verbis, Joan., 21, maxime confirmantur, et ex utroque loco simul sumpto, et inter se collato evidentissima fit veritatis testificatio. Nam quod Christus promiserat, ad Patrem ascensurus, implevit, dicens Petro semel et iterum: «Pasce agnos meos»; et tertio: «Pasce oves meas», per quæ verba curam et gubernationem totius Ecclesiæ illi commisit, et Vicarium suum illum constituit, et tunc plane claves regni cœlorum et potestatem ligandi atque solvendi, proprio et peculiari modo illi tribuit, sicque super humeros ejus tanquam super firmum fundamentum et saxum immobile Ecclesiæ ædificium imposuit. Quæ omnia facile persuaderi possunt, si totum Christi factum ejusque verba pura intentione et mente considerentur. Prius enim quam Christus Petrum Pontificem Summum crearet, ter illum interrogavit: «Simon Joannis, diligis me plus his?» et «Diligis me?» seu «amas me?» per quod imprimis significare voluit aliquid magnum et excellens, et sibi maxime charum voluisse Petro commendare, suam nimirum Ecclesiam, quam ipse maxime diligebat, pro qua seipsum tradidit, et Patrem ac matrem reliquit, ut ostendit Paulus ad Ephes. 5. Deinde manifestato amore Petri erga ipsum, dixit illi Christus: «Pasce oves meas». Per quæ verba contendunt hæretici nullam potestatem esse datam Petro, sed solum præceptum prædicandi

verbum Dei, quod est animarum cibus. Sed est vana et ridicula expositio, nam de missione ad prædicandum jam Christus dixerat, Joan., 20: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos»; et dicturus erat postea in discessu suo: «Euntes docete omnes gentes»; quid ergo necesse erat pro solo munere prædicationis tam singulariter cum Petro agere, tantumque pondus verborum et interrogationum præmittere?

17. *Quid verbo* pascendi *in Scriptura significetur.* — Deinde, verbum «pascendi», eo modo quo ibi a Christo usurpatum est, non solum significat actum (ut sic dicam) ministrandi cibos, sed etiam munus et sollicitudinem procurandi omnia, quæ et ad nutriendas oves, et ad illas regendas, tuendas, et in vita conservandas pertinent. Denique omnia, quæ sunt pastoralis muneris, comprehendit. Perinde enim fuit Petro dicere: «Pasce», ac dicere: Pastorem mearum ovium te relinquo. Bonus autem pastor, ut ipsemet Christus dixit, Joan., 10, «intrat per ostium, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas, et ante eas vadit, et eum oves sequuntur, quia sciunt vocem ejus». Et infra: «Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis», et ut ibidem significat, non se gerit sicut mercenarius, qui cum non sit pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; ergo ex Christi sententia, ad munus pastoris intrantis per ostium, id est, per ipsummet Christum, ut ipse explicuit, seu (quod idem est) ab ipso super gregem suum constituti, pertinent non solum cibum ministrare, sed etiam custodire, et regere, et omnia alia quæ pastoralis cura requirit; non ergo solam verbi prædicationem, sed totam hanc curam gregis sui Christus Petro commendavit. Et sine dubio hæc est maxime usitata significatio illius verbi in ea metaphora usurpati, non solum in communi loquendi modo, sed etiam in Scriptura sacra, ut patet ex illo 1 Petr., 5: «Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum», ubi «pascere» sine dubio non significat tantum prædicare, nam per solam concionem non solet fieri coactio; sed significat regimen

seu gubernationem, quæ interdum nimis violenta esse solet, et ideo subjungit: «Non dominantes in cleris». Similiter, verbum «providentes», manifeste ostendit, Petrum esse locutum de providentia et sollicitudine pastoris in regendis et custodiendis ovibus, et non de sola verbi prædicatione. Sic etiam 2 Reg., 5: «Tu pasce populum meum Israel», in cujus explicationem additur: «Tu eris dux super Israel»; et c. 7: «Numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi ut pasceret populum meum Israel», quod statim declaratur per illa verba: «Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum Israel». Et de Christo dicitur Isai., 40: «Sicut pastor gregem suum pascet»; et infinita similia sunt in Prophetis; ergo hoc ipsum significavit Christus Petro, cum illi oves suas pascendas commisit.

18. *Potestas Petri ad totam Ecclesiam extenditur.*—Ac denique cum oves indefinite posuit, omnes absque dubio sine discrimine comprehendit, quia in similibus locutionibus indefinitus sermo æquivalet universali, et quia nulla est majus ratio, de his quam de illis ovibus talia verba interpretandi. Imo, quia ibi nominatim distincti sunt agni et oves, Euthymius existimat significatum esse, non solum imperfectos, sed etiam perfectos Petri curæ fuisse subjectos. Bernardus autem, lib. 2 de Considerat. ad Eugenium, exponit, non solum communem plebem, sed etiam prælatos et Episcopos usque ad ipsos etiam Apostolos, Petro commendatos et subjectos fuisse. Unde sic ait c. 8: «Non modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quæris. Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret, in uno grege

et uno pastore, secundum illud. Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio». Quibus verbis egregie Bernardus prædictum sensum confirmavit et locupletavit.

19. *Tradita expositio verborum Christi ex Patribus confirmatur.*—Neque nova est aut recens hæc interpretatio, eodem enim modo veteres Patres dicta Christi verba intellexerunt. Nam Leo Papa, sermone 3 Assumptionis suæ, in eamdem sententiam dixit: «De toto mundo unum Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, quamvis in populo Dei, multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus;» Chrysostomus, homil. 87 in Joann.: «Quid tandem», ait, «aliis omissis, de his duntaxat Petrum affatur? os erat Apostolorum et princeps, et vertex ipsius cœtus, propterea et Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet jam sibi fiduciam habendam; tamquam enim negationis oblivisceretur, fratrum curam ei committit». Et infra: «Ter autem interrogat, et sæpe idem præcipit, ut demonstret quanti ovium suarum curam faciat, et quod hoc maximum sit amoris argumentum». Cyrillus item, lib. 11, Joan., c. 64: «In singulis», inquit, «confessionibus, variatis parumper verbis, audivit, rationalium ovium curam sibi esse habendam». Et similiter Augustinus, tract. 123: «Nec aliud toties audit a Petro, quam se diligi; nec aliud toties commendat Petro, quam suas oves pasci». Quid autem sit pascere oves Christi, paucis verbis in fine ejusdem tractatus declarat, dicens, «debere eos usque ad sanguinem pro veritate certare, quibus oves ipsas pascendas regendasque committit». Et sermon. 62 de Verb. Domini, explicans eadem verba: «Pasce oves meas: Pertineat (inquit) ad nos cura, ad vos obedientia; ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis», etc., ubi verbo «pascendi», verbum «obediendi» opponit. Intellexit ergo pastoralem curam non consistere tantum in docendo, sed etiam in

regendo et præcipiendo, et hanc esse commissam Petro super totam Ecclesiam. Sicut etiam dicit sermone 48 de Verb. Domini: «Dicit Dominus Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre, amas me? Respondet: Amo. Pasce omnes meas.»

20. Et item Ambrosius, sermone 48 de Tempore, in feriam 3 hebdomadæ sanctæ, eumdem locum tractans, ait: «Qui ante lachrymas prævaricator extitit, post lachrymas pastor asumptus est, et alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit». Et in dict. sermone primo de Sanctis, seu de cathedra Petri: «Tanquam bonus Pastor (inquit) tuendum gregem accepit, ut qui sibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.» Ubi ad utrumque testimonium alludit, et alterum cum altero conjungit. Et ad Galat., 1, declarat, per verbum «pascendi», delegatam esse Petro curam Ecclesiarum, dicens de Paulo: «Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum». Deinde lib. 10 in Lucam, c. 24, in fine: «Dominus (inquit) non dubitabat, qui interrogabat non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in cœlum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat, sic enim habet: Simon Joannis, diligis me? Utique tu scis, Domine, quia amo te. Dicit ei Jesus: Pasce agnos meos». Et infra: «Jam non agnos ut primo, nec oviculas ut secundo, sed oves pascere jubetur perfectiores, ut perfectior gubernaret». Et lib. 5 de Fide, in proœmio, late eumdem locum in eodem sensu explicat, dicens, Petrum esse servum illum prudentem et fidelem, quem constituit Dominus super familiam suam. Idem fere habet lib. de Dignitate Sacerdotali, c. 2. Utrumque vero testimonium optime connectit Cyprian., lib. de Unit. eccles, circa principium, dicens: «Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,» etc. «Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas, et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut

misit me Pater,» etc., «et: Quorum remiseritis peccata», etc.; «tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit». Et infra: «Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur». Et infra: «Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?»

21. *Ex epithetis Petri eadem veritas ostenditur.* — Denique veritatem hanc confirmant varia epitheta, quæ solent Patres Petro tribuere ad illud munus explicandum, et potestatem quam a Christo in dictis locis recepit. Sic enim vocatur «Caput Apostolorum» a Hieronymo, libro primo contra Jovinian., et Optat., libro secundo et septimo Cont. Parmeni.; Cyril. Alex., lib. 12 in Joan., c. 64, caput et principem, et lib. 13 Thesaur., c. 2, apicem Apostolorum vocat. Dicitur etiam constitutus «Pastor pastorum» ab Eusebio Emisseno, in sermone de S. Joanne Evangelista, et rationem reddit, quia «regit subditos et Prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est». Unde Isidorus, de Vita et morte Sanctor., c. 69, Petrum vocat Pastorem humani gregis. Item Origenes, lib. 5, in c. 6 ad Roman., circa finem, ait: «Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitas exigitur». Vocatur item Petrus Christi Vicarius in Concilio Nicæno, c. 39, de quo canone plura dicemus inferius. Et Anselm., Matt., 16, illum vocat principalem Vicarium, quia etiam alii Episcopi omnes, qui potestatem ligandi et solvendi accipiunt, sunt modo suo Vicarii Christi, Petrus autem est principalis. Quem ob eamdem rationem ibi vocat principem Apostolorum, quod est frequens in aliis Patribus. Et sic etiam frequenter dicunt accepisse primatum Ecclesiæ, ut est apud Ambros., 2 ad Cor., 12, et ad Galat., 2; et optime Beda ex dictis verbis: «Pasce oves meas», in Homil. de Vigilia Apostolor. Petri et Pauli. Idemque voluit Chrysostomus, Hom. 80 ad populum,

dicens, «ei per totum terrarum orbem Ecclesiæ præsidentiam traditam esse», seu «orbis terrarum curam esse demandatam», ut ait hom. 87 in Joan.; vel «totius Ecclesiæ gubernacula suscepisse», ut ait Damascenus, orat. de Transfigurat., ubi ad Petrum ita de Ecclesia loquitur: «Hanc Christus suo ipse cruore comparavit, tibi autem ut fidissimo famulo in fidem tradidit». Et infra: «Qui te cœlestis regni clavicularium instituit». Et infra, dicit voluisse Christum Petrum adesse suæ transfigurationi, «ut Antistitem qui totius Ecclesiæ gubernacula suscepisset». Unde tandem dixit Ephrem, sermone de Transfiguratione, sicut unus Moyses Hebræorum princeps fuit, ita Petrum Ecclesiæ Christianorum fuise principem constitutum. Et plura videri possunt in Gregorio, Hom. 21 in Evangel., et lib. 3 Epistolar., ep. 3, alias cap. 67, et lib. 1, ep. 24.

22. *Ratio institutionis primatus Petri.*—Tandem si velimus aliquam rationem hujus divini consilii reddere, oportet institutionem regiminis ab electione personæ separare. Electionis enim nullam possumus propriam reddere causam præter divinum beneplacitum. Nam, licet Deus ea fide et charitate Petrum disposuerit, quæ ad tale ministerium suscipiendum dignum illum redderet, ut ex verbis Matthæi et Joannis supra tractatis manifestum est, nihilominus fides Petri non fuit prima ratio electionis ejus, sed voluntas Dei, nam quia illum elegerat, ideo illum ita vocavit, ut cooperando vocationi Vicarius Christi "eri posset dignissime. Institutionis autem primatus propria ratio fuit, quam Cyprianus, Leo Papa, et alii Patres tetigerunt, unitas Ecclesiæ et optimum regimen ejus, quia si in Ecclesia non fuisset unum caput, ad quod diversa Ecclesiæ membra recurrerent, facile per diversa schismata rumperetur, ut etiam Anselmus supra recte dixit.

23 *Regimen ecclesiasticum, monarchicum esse debet.* — Ut autem optimum esset regimen, oportuit caput hoc unum esse monarcham, nam monarchia forma regiminis est omnium optima, ut ex Patribus, Theologis, philosophis et historiis erudite

ostendit Cardinalis Bellarminus, lib. 1 de Roman. Pontif., c. 2 et sequentibus. Quod si in aliis communitatibus aut regnis humanis hoc verum est, multo certe magis in regimine totius Ecclesiæ fuit necessarium, quia cum respublica ecclesiastica sit amplissima, et pro universo mundo sit instituta, non posset convenienter per unam potestatem supremam gubernari, nisi talis potestas in uno homine resideret. Nam si esset in congregatione multorum, non esset in mundo talis potestas apta ad regendum, nisi quando tales personæ in unum Concilium essent congregatæ. Quomodo ergo posset difficultatibus occurrentibus subveniri, quando talis congregatio deesset, vel a quo posset cum efficacia cogi, si nullum esset in Ecclesia caput, ad quod hujusmodi generalis providentia, et cura Ecclesiæ perpetuo pertineret? Profecto hæc ratio convincit primatum Petri fuisse moraliter necessarium, eademque convincit, fuisse illum principatum non pro sola persona Petri, sed perpetuum, ut convincunt etiam illa verba: «Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam,» sicut in libro primo late probatum est, et sequentibus amplius confirmabitur.

CAPUT XI

Objectionibus contra superioris capitis doctrinam satisfit

1. *Petri primatum nemo novitatis arguere potest.—Petrum non posse dici principem Apostolorum nisi ratione supremæ potestatis.*— Contra primatum Petri intellectum in sensu a nobis superiori capite declarato, nonnulla in transcursu, et quasi obiter attingit rex Jacobus, quibus satisfacere necesse est. Dicit enim ille, in pag. 60 suæ Præfationis, «verum quidem esse Petrum, et ætatis, et temporis, quo a Christo vocatus est, ratione, unum ex primariis Apostolis fuisse, principem ordine illorum

duodecim, quos primos Christus elegit, et de tribus illis unum, quos ordinis servandi gratia cæteris præposuit». Et p. 59, doctrinam, quam Catholicam esse ostendimus, «nuperam», et «novitiam» vocare veritus non est. Quod apud me argumentum efficax est, Protestantes, vel Sanctos Patres non legisse, vel regem suum turpiter decepisse. Nam ex dictis, luce clarius constat, doctrinam traditam de primatu Petri cum ipsa Ecclesia ortam esse, et in verbis Christi, eo modo intellectis, quo ab antiquissimis Patribus exposita sunt, esse fundatam ; nullus ergo, qui non ex industria fallere et falli velit (quod de Serenissimo rege credendum non est), doctrinam hanc nuperam aut novitiam vocare potest. Locutus est ergo ex deceptione et veritatis ignoratione, non tamen probabili, vel quæ illum a gravi lapsu et culpa excuset, cum possit facile ignorantiam et errorem depellere, si velit. Præterquam quod si Petrum fatetur esse principem duodecim Apostolorum, quid, quæso, est quod addit: «Principem ordine,» aut «ordinis servandi gratia?» aut quis est iste ordo, vel in qua excellentia aut dignitate personæ fundatus est? Omnis enim ordo, ut juste ac prudenter inter aliquas personas constituatur, fundamentum aliquod excellentiæ, seu excessus, aut inæqualitatis in eis requirit, quod constituendo ordini proportionatum et accommodatum sit.

2. Si ergo Petrus nullam dignitatem vel potestatem habet majorem, quam cæteri Apostoli, nec jurisdictionem in illos, secundum quem ordinem princeps illorum appellatur? Nam excessus ætatis vel antiquitas vocationis apud Deum parvi momenti sunt, apud quem sicut non est personarum acceptio, ita neque est ætatum differentia ; imo in conspectu illius sæpe sunt novissimi primi, et primi novissimi. Præsertim, quia non constat Petrum fuisse seniorem cæteris Apostolis, aut ante omnes vocatum, cum saltem Andreas illum præcesserit, ut de vocatione sumitur ex Joannis, 1, et de ætate probabile censet Epiphan., hæres. 51. Neque etiam fundari potest ille ordo in gradibus sanctitatis, nam hoc judicium Deo reservatum est, neque

hactenus est nobis revelatum, quis Apostolorum in vera sanctitate apud Deum cæteris major fuerit. Neque item satis est quod Christus familiarius cum illo egisset, et in nonnullis actibus, quibusdam aliis eum prætulisse videatur; nam hac ratione etiam Joannes dici poterit princeps ordine; imo et Jacobus, nam fuit unus ex illis tribus, quos in aliquibus negotiis Christus peculiares socios habere voluit. Præsertim quia sola illa peculiaris favoris aut amoris Christi ostensio non erat sufficiens fundamentum alicujus ordinis inter Apostolos permansuri post Christi discessum. Accedit quod rex semper loquitur de ordine politico in hierarchia ecclesiastica, ad quam præteritus ille favor seu benevolentia parum referebat, neque prudens aliquis Paulum reputabit ordine minorem, quia ex illis tribus non erat, vel quia Christo in mortali corpore viventi familiariter non adhæsit.

3. Denique eo modo quo Petrus inter Apostolos princeps censetur, non ab hominibus, sed a Christo, ac proinde jure divino illum principatum habuit; ergo si fuit princeps ordine, necesse est talem ordinem ab ipso Christo creatum et institutum esse. At non legimus Christum in Ecclesia sua instituisse dignitates aliquas, quæ, propter solum ordinem politicum, specialem honorem, aut sedes primas in sedendo aut loquendo sibi vendicent, sed legimus tantum, 1 ad Cor. 12, Christum posuisse in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, alios Pastores et Doctores, ac denique alias gratias vel ministeria distribuisse; in his autem omnibus non potest dici Petrus princeps inter Apostolos ratione ordinis Ut ergo quod verum est asseramus, cogitatio talis ordinis politici in Ecclesia Christi, ut ab ipso institutæ, nupera est et novitia, nam ordo ille inter Petrum et alios Apostolos in superiori potestate ad regendum et gubernandum tam illos, quam universam Ecclesiam in perpetuum fundatus est. Et hoc docuit nos Christus, et legimus in antiquis Patribus; reliquæ vero adinventiones et novitates humanæ sunt.

4. *Objectio regis contra probationem primatus Petri ex Scrip-*

turis.—Sed imprimis invehitur Rex contra duplicem illam probationem primatus Petri ex locis illis: «Tu es Petrus», etc., et «Pasce oves meas.» Et prius quidem quasi Bellarminum irridens, pag. 22 ait: «Nec posterius disputationis meæ caput aliis machinis adoritur, quam illis Christi verbis: Pasce oves meas; et: Tibi davo claves regni cœlorum.» Postea vero, pag. 24, sic (ait) «novum, et egregium, scilicet, sensum his Christi verbis affinxit: Pasce, etc., quasi hoc significarent, tolle, proscribe, abdica christianos principes atque reges. His quoque quodcumque solveris,» etc. Ac denique pag. 128, eo progreditur, ut «inverecundam ac impudentem vim» appellet, «illam, quam sensui illorum duorum locorum Cardinalis attulit, ut ex eis supremam in temporalibus Pontificis potestatem supra reges ac principes astrueret. In his autem verbis nulla ratio nullumve testimonium objicitur, sed solum convicia et Protestantium calumniæ, quibus rex fidem adhibet, proferuntur, ideoque possemus facile illa præterire; ne autem aliquem, ob rerum confusionem et veritatis ignorationem, movcant, falsa a veris discernere, et rem totam explicare necessarium est.

5. *Solutio.—Ex Scriptura immediate solum primatum Petri in spiritualibus probant Catholici.*—Bellarminus ergo, et nos omnes qui in hac causa unum sumus, ex illis locis non probamus proxime et immediate primatum Petri in civilibus seu temporalibus, sed in ecclesiasticis, seu spiritualibus; an vero hæc potestas spiritualis ad temporalia extendatur, alia quæstio est tractanda et decidenda, et auctoritate ecclesiasticæ traditionis, et vi rationis, ex priori fundamento supremæ spiritualis potestatis, prædictis testimoniis comprobato. At rex ita refert Bellarmini probationem, ac si testimoniis illis. Pontificem absolutum temporalem dominum regnorum omnium esse, et suo arbitrio posse illa dare vel auferre, probare voluerit, quod a vera illius mente longissime distat. Unde in sua re pulsione modeste prudenterque interrogat: «Ubi, quæso, exp sitionem illam tam incivilem et inverecundam in libello meo vidisti? Non

igitur ipse affinxit sensum illum Christi verbis, qui nunquam in libris ejus extat, sed qui te decepit (o rex), eum sensum sine ulla specie verisimilitudinis affinxit. Igitur sensus quem Bellarminus illi testimoniis affinxit, idem est cum illo, quo primatum Petri in spiritualibus probavimus, qui vere quidem egregius est, et non novus, sed communi Patrum antiquorum consensu probatus.

6. *Quando possit Pontifex principibus temporalibus regna adimere.*—Ex hoc vero sensu, per illationem et necessariam consecutionem recte potuit Bellarminus eisdem testimoniis convincere Petri abdicandorum regum potestatem, non quidem omnium arbitratu suo, «ita ut ad libidinem condonare et adimere regna possit,» ut rex pag. 23 loquitur, sed hæreticorum et incorrigibilium, vel ad illorum dignum supplicium, vel ad suarum ovium necessariam defensionem, ac proinde non ex dominio absoluto, vel directa (ut vocant) potestate, sed ex indirecta. Non dicat ergo rex Angliæ, verba, «Pasce oves meas,» ita a nobis exponi ac significarent, «tolle, proscribe, abdica christianos principes», hoc enim nullus Catholicus dixit. Si autem, quod verum est, sincere testatum cupit, dicimus, inter alia multa, quæ in illis verbis, et potestate per ea data continentur, etiam illud esse, «tolle, proscribe, abdica hæreticos reges», qui emendari nolunt, et subditis suis, in rebus ad fidem catholicam pertinentibus, perniciosi sunt. Hic autem sensus nullam vim verbis Christi affert, sed necessaria consecutione ex eis elicitur; nec est novus, sed perpetua Ecclesiæ traditione comprobatus, neque ex illo directa potestas Petri in temporalibus, sed tantum indirecta colligitur, quam a suprema spirituali potestate separari non posse ostendemus.

7. *Secunda objectio.*—Pergit autem rex objiciendo contra expositionem illorum locorum, quatenus ad probandam singularem Petri spiritualem potestatem afferuntur. Et primo argumentari videtur ab auctoritate Doctorum etiam catholicorum, qui variis modis loca illa sunt interpretati, unde Bellarminum

allocutus, pag. 58 ait: «Sed neque est inscius quam rationem veteres afferant, cur Sancto Petro potissimum oves pascere Christus mandaverit.» Deinde ipse approbare videtur expositionem dicentium, utrumque, scilicet: «Tibi dabo claves,» et: «Pasce oves,» Petro quidem dictum esse, sed ad omnes pertinuisse Apostolos, quorum ipse personas sustinebat. Quod inde confirmat, quia alibi potestas clavium in plurali numero concessa est, Matth., 18: «Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.» Ex quibus verbis colligere vult, clavium potestatem non minus cæteris Apostolis, quam Petro fuisse collatam, ac proinde non habuisse primatum. Imo multi sunt ex Protestantibus, qui non solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ potestatem clavium collatam esse velint, quia in dicto loco Matthæ., 18, Christus dixerat: «Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus;» et statim quasi rationem reddens subjungit: «Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo;» signum ergo est locutum fuisse Christum ad Apostolos vel discipulos, prout Ecclesiam repræsentabant, vel virtute continebant.

8. *Responsio. — Verba Joan.*, 21, Pasce, etc., *ad solum Petrum dicta sunt.*—Sed quia hæc objectio utrumque testimonium involvit, et non est in utroque eadem omnino ratio, sigillatim de illis dicere necesse est. Et imprimis de verbis, «pasce oves meas,» non invenio apud veteres Patres dissentientes sententias aut expositiones, neque circa personam, cui singulariter dictum est «Pasce,» neque circa significationem verbi «pascendi,» neque circa personas nomine ovium et agnorum comprehensas. Quamvis enim in exponendis his duabus vocibus ultimis sit aliqua varietas, an illæ duæ voces «agni et oves,» easdem vel diversas personas significent, re tamen vera nulla discrepantia est, quæ ad præsentem causam referat. Omnes enim Catholici conveniunt totum Christi gregem cunctasque oves fuisse Petro commissas, sive sub singulis vocibus agnorum et

ovium, sive sub utraque simul propter diversas proprietates omnes significatæ fuerint. Et hinc necessario sequitur, verba illa ad solum Petrum pertinuisse, eique, non ut gerenti aliorum personam, sed propriissime et speciatim propter singulare munus ipsi commissum, dicta fuisse. Quod ex communi consensu Patrum in præcedenti capite satis probatum est, et ex contextu ipso satis probari potest. Tum quia Christus interrogando Petrum: «Diligis me plus his?» satis distinxit illum a cæteris, ut tantum cum propria ejus persona, non ut repræsentante cæteros, sed ut ab illis distincta, negotium transigeret. Tum etiam quia sub nomine ovium alios Apostolos comprehendit, ut supra probatum est; ergo verbum «pasce,» necessario dictum fuit Petro ut soli, seu ut pastori sub aliqua ratione unice constituto: quia non poterant singuli Apostolorum simul esse pastores eorumdem universorum, neque ipsorum aliquis factus est pastor Petri, sicut Petrus cæterorum omnium est pastor constitutus.

9. Neque aliquis veterum Patrum, ut dixi, aliter quoad hanc partem verba illa intellexit. Quamvis enim nonnulli Patres dicant, quod tunc Christus Petro dixit, cæteris etiam Episcopis et Pastoribus Ecclesiæ dictum esse, intelligunt dictum esse in Petro tanquam in exemplari, et convenire aliis secundum convenientem proportionem. Nam, licet solus Petrus sit universalis pastor Ecclesiæ constitutus, non excluduntur particulares pastores, quorum singulis non omnes, sed quædam ex ovibus committantur, juxta illud 1 Petri, 5: «Pascite, qui in vobis est gregem Dei,» ubi particula, «qui in vobis est,» particularem gregem determinat; et Act., 20: «Attendite vobis, et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.» Sicut ergo alii pastores ad partem sollicitudinis cum Petro assumuntur, ita intelligere debent sibi esse dictum: «Amas me? pasce oves meas.» Non quia quando Christus similia fere verba protulit, ad omnes particulares pastores formaliter loqueretur, vel ad Petrum in persona omnium, sed quia virtus et ratio verborum Christi in omnibus pastoribus cum

proportione locum habent. Non enim possunt esse recte dispositi ad pascendum gregem Christi, nisi ipsum ament Christum. Et hoc sensu dixit Augustinus, libro de Agone Christiano: «Cum Petro dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? pasce oves meas.»

10. *Prima expositio verborum Matth.*, 16, Et super hanc petram, *etc.* — *Secunda expositio.* — *Etiam auctores prædictarum expositionum Petrum fundamentum Ecclesiæ constituunt.* — *Fundamentum Ecclesiæ quomodo in Petrum, et fidem quadret.* — Venio ad alium locum Matth., 16, in quo nonnulla major est expositionum varietas, præsertim quoad illa verba: «Et super hanc petram;» nam interdum Patres exponunt illam particulam «hanc,» designare fidem Christi Dei et hominis, super quam dicunt fundatam esse Ecclesiam, ut indicat Chrysostomus ibi, hom. 55, et Hilarius. Frequenterque alii dicere solent, fidem esse fundamentum Ecclesiæ. Alii vero exponunt Christum dicendo, «super hanc petram,» se ipsum designasse, quia, ut dicitur 1 ad Cor., 3, «fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud, quod positum est, quod est Christus Jesus,» de quo c. 10 dicitur: «Petra autem erat Christus.» Quam expositionem habet Augustinus, tract. 27 et 124 in Joan., et serm. de Verbis Domini. Verumtamen nullus ex his Patribus, qui aliter hunc locum exposuit, negavit Petrum esse peculiari modo petram, et fundamentum Ecclesiæ, ut supra de Hilario et Chrysostomo ostensum est; et idem est de Ambrosio, et aliis, qui solent pro expositione priori allegari. Nam eisdem locis utrumque dicunt, scilicet, et Petrum, et fidem Christi, seu confessionem ejus, esse fundamentum Ecclesiæ. Utrumque enim sub diversis rationibus verum est, quia Petrus tanquam Christi Vicarius, locum ipsius absentis tenens, Ecclesiæ fundamentum est, eamque suo modo post Christum sustinet. Fides autem dicitur fundamentum, tanquam ratio fundandi (ut sic dicam), nam propter fidem singularem Petrus factus est Ecclesiæ fundamentum, et per fidem constitutus est firma petra ad Ecclesiam fun-

dandam accommodata. In hoc ergo sensu dicti Patres locuti sunt, et Chrysostomus, hom. 2 in Psal. 50, recte dixit: «Ob robur confessionis vocatus est Petrus, dicente Domino: Tu es Petrus, et super hanc petram,» etc. Quod si non de fide Petri in specie, sed de fide in genere sermo sit, illa etiam dicitur fundamentum Ecclesiæ, quia est prima ratio, et quasi forma, Ecclesiæ membra constituens, et uniens. Et hoc modo solent interdum illa verba per accommodationem, et in sensu mystico ad totam Ecclesiam et singulos fideles applicari, ut fecit Origenes, tract. 4 in Matth. Qui tamen non negat, in proprio et litterali sensu solum Petrum ibi esse a Christo nomine «petræ» significatum, et in fundamentum Ecclesiæ promissum, ut ex eodem constat, homilia quinta in Exod.

11. *Expenditur.* — Altera vero sententia Augustini, quod petra sit Christus, quoad doctrinam per se spectatam verissima est, quoad sensum autem verborum Christi difficile accommodari potest. Nihil enim verius dici potest, quam Christum esse lapidem angularem, et petram in qua principaliter Ecclesia fundata est, imo solum Christum per se et virtute sua Ecclesiæ fundamentum esse. Quod vero in dicto loco Matthæi de se fuerit Christus locutus, aut dicendo: «Super hanc petram,» se ipsum signaverit, revera non potest litterali ac proprio verborum sensui accommodari, ut ex dictis in superiori capite manifestum est. Unde vel expositio Augustini non ut litteralis, sed ut mystica ab ipso est tradita; vel ad præcedentem expositionem reducenda est. De Christo enim loquitur, ut est objectum fidei, quam confessus est Petrus, et ita eo modo dicitur, per «hanc petram,» Christus indicari, quo fides, utique ut ratio propter quam Petrus factus est Ecclesiæ fundamentum. Sic autem loqui Augustinum de Christo ex ejus verbis sumi potest. Nam lib. 1 Retract., c. 21, sic ait: «Postea sic exposui quod a Domino dictum est: Tu es Petrus, et super hanc petram,» etc., «ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus,» etc. Adde, Augustinum proponere sen-

sum illum non ut certum, sed ut probabilem, et ad illum motum fuisse ex diversitate vocabuli Petri et «petræ,» quæ in re nulla fuit, ut jam dixi. Denique Augustinus alium sensum non excludit, multoque minus de veritate ipsius sententiæ dubitat, quod Petrus etiam fuerit petra, in qua fundata sit Ecclesia; id enim sæpe docet in locis capite superiori allegatis; in dictoque c. 21, lib. 1 Retract., ait, sensum illum ore multorum cantari in versibus B. Ambrosii: «Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit.

12. *Potestas ligandi et solvendi perpetua et independens extitit in Petro, in aliis vero dependenter ab illo.* — Denique quod rex objicit de verbis: «Quæcumque ligaveris,» quod alibi in plurali dictum sit: «Quæcumque ligaveritis,» difficultatem non habet, nam certum est et Petrum et Apostolos potestatem ligandi et solvendi recepisse; verumtamen ipsa verborum differentia ostendit, aliter Petro, aliter omnibus Apostolis potestatem illam fuisse promissam. Nam Petro promissa est ut ordinaria et universalis, ac perpetuo in Ecclesia permansura, aliis vero Apostolis data erat, vel solum quasi delegata pro eorum personis; vel si consideretur ut in Episcopis eorum successoribus permansura erat, data est dependenter a Petro et per Petrum, ut Leo Papa, Anselmus, et alii Patres supra allegati adnotarunt. Et ex circumstantiis utriusque loci id manifeste colligitur, ut ex dictis in superiori capite satis constat. Sicut Joan., 20, generaliter Petro et aliis dixerat Christus: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;» et nihilominus cap. 21 specialiter dicit Petro: «Pasce oves meas,» utique tanquam supremus Pastor, omnibus, etiam ipsis Apostolis superior.

13. *Exponuntur quædam loca Augustini.* — Neque contra veritatem hanc obstant nonnulla testimonia Augustini, quæ hic objici solent, quia dicit Petrum, quando claves accepit, Ecclesiam significasse; intelligit enim significasse Ecclesiam, quia ut Ecclesiæ princeps potestatem clavium accepit, non pro sua persona tantum, sed ut in Christi Ecclesia, et in successoribus,

et aliis Pontificibus et Episcopis, adjutoribus suis, perpetuo durarent. Et ita dixit tract. 50 in Joan.: «Si hoc Petro tantum (id est, pro sua tantum persona) dictum est, non facit hoc Ecclesia», quia nimirum cum Petro potestas extincta fuisset. Unde quia nunc Ecclesia etiam ligat et solvit, infert: ergo «Petrus, quando claves accepit, utique Ecclesiam sanctam significavit.» Quæ illatio nulla fuisset, si intellexisset, Petrum repræsentasse Ecclesiam tanquam vices ejus gerentem, quia id neque necessario sequitur, neque verum est. Cum neque Ecclesia hanc repræsentationem seu delegationem Petro commiserit, nec Christus sua potestate illam fecerit, cum verbis suis illam non significaverit. Ergo intellexit Augustinus, Petrum Ecclesiam tunc repræsentasse ratione sui primatus et sedis; sic enim quod datur capiti propter corpus, censetur dari Ecclesiæ in suo capite, sicut quod datur regi ad regendum, regno dari existimatur. Et sic dixit idem Augustinus, tract. 124 in Joan., Petrum propter primatum suum personam Ecclesiæ gessisse. Quod apertissime explicat dicens: «Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claves regni cœlorum accipit in Petro.»

14. *Expositio verborum Augustini ex Christi verbis comprobatur.*—Denique hic etiam fuit modus loquendi Christi, Matth., 18: «Dic Ecclesiæ», id est, Ecclesiæ pastoribus, ut omnes exponunt, et res ipsa clamat; non enim potest peccatum fratris toti cœtui Ecclesiæ denunciari, sed Pastores nomine Ecclesiæ significantur, quia Ecclesia est in Episcopo tanquam in capite. Simili ergo modo dicitur Petrus in dictis locis Ecclesiam repræsentasse. Et ita etiam solutum relinquitur, quod ex eodem loco Matthæi objiciebatur, quia quod subjunxit Christus, «Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus», simili modo pastores Ecclesiæ intellexit; eisdem ergo, seu ratione illorum dixit: «Quæcumque alligaveritis», ibique in plurali locutus est, quia peccata non erant denuncianda soli supremo Pastori, sed etiam cæteris, ideoque, ut diximus, sine præjudicio singularis potestatis Petri illud dictum est: «Nam si quid cum

eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per Petrum dedit, quod aliis non negavit», ut egregie Leo Papa, serm. 3 Assump. suæ.

15. *Instantia in Præfat., p.* 58.—*Refellitur.*—At vero contra responsionem hanc urget rex ulterius in hæc verba: «Quod ni esset (id est, si non Apostoli omnes, vel Petrus, nomine omnium, æque a Christo claves accepisset), qui potuit, quæso, Paulus Corinthiorum Ecclesiæ auctor esse incestum illum excommunicandi, cum spiritu suo (1)? Dicendum sane fuerat cum spiritu Petri. Qui potuerunt omnes Apostoli censuris suis in nomine Christi uti, nec ullibi ejus Vicarii meminisse?» Verumtamen hæc conjectura parvi momenti est. Nam imprimis licet Petro claves singulariter datæ sint, nihilominus etiam Paulo et aliis Apostolis immediate Christus contulit ligandi et solvendi potestatem, ideo recte potuerunt censuras ferre in nomine et virtute Christi, cujus erant proximi ministri, nulla Petri facta mentione. Deinde etiam si a Petro immediate potestatem accepissent (sicut nunc Episcopi accipiunt, juxta probabiliorem sententiam), non oporteret in ferenda excommunicationis sententia, Vicarii Christi meminisse, sicut neque nunc Episcopi catholici, licet Episcopum Romanum ut Christi Vicarium recognoscant, cum excommunicationis sententiam ferunt, non dicunt in nomine vel virtute Papæ, sed vel simpliciter utuntur sua ordinaria potestate, vel dicere etiam possunt in virtute Christi, vel per potestatem sibi a Christo concessam. Et ratio est, quia licet Petrus sit universalis Pastor Ecclesiæ, non est tamen principalis auctor et dominus, sed illius Vicarius. Unde etiam ipse Petrus, ferendo censuram, dicere poterat in nomine Domini nostri Jesu Christi, id est, vice et auctoritate ejus. Idem ergo facere possunt inferiores Prælati, quia, licet mediante Petro tanquam dispensatore, principaliter a Christo habent

(1) 1 Cor., 5.

uctoritatem. et in virtute illius operantur. Sicut prorex alicu-
is regni vel provinciæ sæpe auctoritatem a rege accipit cons-
tuendi per civitates gubernatores et magistratus, et nihilomi-
us illi omnes in publicis sententiis, et præsertim quando
ladio utuntur, se auctoritate regia, non proregis, id facere pro-
tentur.

16. *Prælatus inferior potest in censura sua addere, se id fa-
re potestate a Pontifice accepta, addere vero in virtute Papæ non
a congruit.*—Nec tamen nego posse ministrum vel legatum
ontificis excommunicando dicere, se id facere potestate a Ponti-
ce accepta. Nam verum dicerent, et sine injuria Christi; quia
er illa verba non attribuitur effectus Pontifici ut principali
ausæ simpliciter, sed tantum in genere ministri, seu Vicarii
ommunicantis jurisdictionem suam. Quod secus fortasse esset,
diceretur in nomine aut virtute Petri, aut Papæ, quia hæc
erba videntur significare auctoritatem principalis domini, ut
ensit D. Thomas, 1 ad Corinth., 5. Et ideo talis modus loquen-
non est in usu. Alio vero, scilicet, auctoritate mihi a Papa
oncessa, vel alio simili, uti solent interdum ecclesiastici judi-
es, præsertim delegati. Dico tamen etiam illum modum lo-
iendi non esse necessarium neque usitatum ab ordinariis Pas-
ribus, ut sunt Episcopi, qui post acceptam potestatem ad
odum causæ proximæ suo jure utuntur. In Apostolis vero, ut
xi, intercessit major ratio, quia non a Petro, sed immediate a
risto habuerunt auctoritatem. Unde constat merito dixisse
aulum, «et spiritu meo», nec debuisse, imo nec potuisse dice-
, «et spiritu Petri», tum propter rationem datam, quia Pau-
s non habebat potestatem a Petro, quia erat Apostolus non
hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum, ut
se dicit ad Galat., 1; tum etiam quia ibi particula illa, «et
iritu meo», non significat virtutem seu potestatem operandi,
l conditionem necessariam ad judicandum, nimirum, notitiam
fficientem causæ, ut patet ex illis verbis: «Absens corpore,
æsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic

operatus est»; nam in eodem sensu subjungit, «congregat vobis, et meo spiritu», id est, mea notitia, et spirituali praesentia. Hæc autem conditio non poterat attribui Petro, imo neque proprie Christo, quia est propria et personalis conditio requisita ex parte ministri, præter quam requiritur auctoritas principalis domini, ideoque Paulus addidit, «cum virtute Domini nostri Jesu Christi.»

17. *Ultima objectio ex variis indiciis.—Primum indicium in Præfatione, pag. 59.—Secundum indicium.—Tertium.—Quartum.* —Tandem objicit rex indicia quædam directe contra Petri primatum. Unum est, «quia in omnibus Apostolorum congressibus Petrum, ut e multis unum, legimus inter illos consedisse», ut in Concilio, cujus fit mentio Actor., 15. Ubi etiam ad nuncios mittendos, solum dicitur: «Visum est Apostolis, et presbyteris toti Ecclesiæ mittere electos viros. Sed merum» (ait rex) «de Ecclesiæ capite silentium. Sic in eorum litteris, Apostolorum, seniorum et fratrum fit mentio, de Petro nec verbum». Alterum indicium est, quia Paulus, 1 ad Cor., 1, æque reprehendit dicentes: «Ego sum Cephæ», ac dicentes: «Ego sum Pauli, ego autem Apollo»; cum tamen si Cephas esset caput Ecclesiæ, damnandi potius essent, qui ab eo non stabant, tanquam a fide catholica recedentes, et soli Petri sectatores habendi essent fideles. Tertium indicium est, quia Paulus, ad Galat., 2, cum Petro tam parum comiter egit, ut illi non se æquaret modo, sed etiam anteferret. Quartum indicium, licet per irrisionem positum, addit, quia Paulus, ad Galat., 1, dicens se profectum Hierosolymam, «ut Petrum viseret, et certis de rebus cum eo ageret», non addit, «eo quoque se ad sacra pedum oscula esse profectum».

18. *Petrus in omnibus congressibus, tanquam caput primum locum obtinuit.*—Hæc vero et similia digna non sunt, quæ contra totius Ecclesiæ auctoritatem, et verba Christi satis expressa proponantur, illis tamen satisfaciendum est, ne aliquid omisisse videamur. Ad primum imprimis dicimus falsum esse quod su-

itur, nam Actor., 1, refertur quidam Apostolorum congressus, tamen non solum Petrus tanquam caput primo loco ponitur, ed etiam ipse, tanquam caput, totum cœtum allocutus est, et e creando duodecimo Apostolo loco Judæ decrevit, quod alii ecuti sunt. Ubi recte Chrysostomus, Homil. 3, inquit: «Quam t fervidus, quam agnoscit creditum a Christo gregem, quam hoc choro princeps est»; ergo teste Chrysostomo, quem alii quuntur, in illo conventu Petrus ut superior cæteris, et uni-ersalem curam gerens, proponitur. Quod etiam notavit Leo apa IX, ep. ad Michaelem, c. 16, dicens, ibi Petrum auctorita-suam usum fuisse. Unde non sine causa fere semper ubi nu-erantur Apostoli, primo loco ponitur Petrus tanquam dux et inceps cæterorum, quod non casu, neque ob aliam excellen-am aut prærogativam factum esse, erudite Bellarminus os-ndit, lib. 1 de Summo Pontif., c. 18. Quocirca etiam in ierosolymitano Concilio primus est qui loquitur, et magna auc-ritate suam sententiam profert, quod etiam ad primatum, et t sic dicam ad præsidentiam ejus in Concilio pertinuisse, mul-adnotarunt. Unde necessarium non fuit, postea in decernenda gatorum missione, vel in forma decreti specialem mentionem tri facere, tum quia Petri et sententiæ ejus jam facta sufli-enter fuerat; tum etiam quia non specialiter nomine Petri, d nomine totius Concilii epistola et definitio scribebatur. Addi iam potest, in auctoritate et spiritu non errandi in fide ha-isse tunc Apostolos quamdam æqualitatem, et ideo quoad hoc nnes in primo ordine positos fuisse.

19. *Ad secundum.*—Ad secundum indicium respondemus, hil ad præsentem causam pertinere; nam, ut notat Chrysos-mus, Orat., 3 in 1 ad Corinth., inter Corinthios «non erant ismata, eo quod in fide dissiderent, sed ex eo quod humana ntentione divisa esset sententia.» Quod satis explicuit idem ulus, tum blande et leniter eos obsecrando, «ut sint perfecti eodem sensu, et in eadem sententia; tum explicando quales sent contentiones, quia de privatis magistris aut baptizatori-

bus gloriabantur, et ab eis nominabantur, dicentes: «Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.» Posuit autem Paulus suum, et Petri, et Apollinis nomen, non quia revera sub his nominibus divisiones et contentiones fierent, sed illa ponendo loco illorum, qui erant capita factionum, vel ne illos nominando magis exacerbaret, vel ut rem magis exaggeraret, nam si sub nominibus Principum Apostolorum non licebat contentiones et divisiones facere, multo minus aliorum nominibus. Cum ergo contentiones solum essent, quod unusquisque de proprio magistro seu ministro gloriabatur, ac si melius ab eo esset baptizatus aut instructus, non oportebat vel damnare eos, qui a Cepha non nominabantur, vel eos laudare, qui de illius baptismo gloriabantur, sed illos tantum commendare, qui dicebant: «Ego sum Christi.» Quia neque illi, qui dicebant: Ego sum Pauli, vel Apollo, a Petro visibili capite in fide dissidebant, sed solum in speciali affectu, vel æstimatione baptismi, aut magistri sui; nec qui Cephæ se esse dicerent, in hoc essent tolerandi, quia, licet Petrus esset visibile caput, non tamen ut princeps supremus, sed ut Vicarius principis, qui est solus Christus, a quo solo nominandi sunt Christiani. Nec per privatos affectus etiam circa Petrum et Paulum dividendus est Christus, seu Christianorum nomen, quia nec baptismus est melior, eo quod a meliori ministro detur, neque similes contentiones in Ecclesia movendæ sunt.

20. *Ad tertium.* — De tertio indicio, sumpto ex facto Pauli resistentis Petro, dici possent multa, nisi nuper in libro nono de Legibus a nobis dicta fuissent, ideoque breviter dico, etiam antiquos hæreticos inde sumpsisse argumentum contra dignitatem, vel potius contra doctrinam Petri. Quibus uno verbo respondet Tertullianus, libro de Præscrip. hæret., dicens: «Cæterum si reprehensus est Petrus, conversationis fuit vitium, non prædicationis.» Falsum ergo est Paulum aut parum comiter egisse cum Petro, aut illum sibi æquasse, nedum antetulisse. Quid enim? si rex Angliæ minus considerate, et cum scandalo

suorum subditorum aliquid ageret, et aliquis familiaris vel consiliarius suus eum moneret id non recte fieri, vel esse injustum, aut aliis esse offendiculo, ideo se regi anteferret, aut illum ut regem non recognosceret? Minime vero, alioqui nunquam licebit subdito fraterne corripere Prælatum suum, aut illi cum debita reverentia resistere, ut scandalum publicum tollatur, quod dici non potest. Igitur ex illo facto Pauli, colligi non potest se anteposuisse Petro in potestate vel prælatione; nam, licet esset inferior, poterat illo charitatis officio uti. Et ita intellexit locum illum Augustinus, ep. 19, et D. Thomas, 2. 2, q. 33, art. 4, ad 2.

21. *Ad quartum.* — Ad quartum, de profectione Pauli ad videndum Petrum, Galat., 1, certe Hieronymus ibi dicere non dubitavit, ascendisse «studio honoris priori Apostolo deferendi; et Ambrosius: «Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.» Et alii etiam Patres ita sæpe loquuntur. Et quamvis fateamur, ex solo illo facto Pauli non colligi necessario prælationem Petri, tamen suppositis aliis testimoniis dignitatem Petri commendantibus, magnum indicium inde sumitur, Paulum recognovisse Petrum ut caput suum et universalem Ecclesiæ pastorem, ideoque quamprimum commode potuit, ascendisse Hierosolymam invisere illum, et debito prosequi honore. Nec dubitandum est quin Paulus pro humilitate sua pedes Petri osculari cuperet; verumtamen nec id modestia et submissio Petri permisisset, nec denique necesse fuit Paulum eo loco referre modum honoris ac reverentiæ, quam Petro exhibuit. De consuetudine autem venerandi Pontificem per pedum oscula, cui tacite rex Angliæ hic detrahere voluit, non est hic dicendi locus; legat cui placuerit Josephum Stephanum, opusc. de Adorat. pedum, in tom. 13 Tractatuum.

CAPUT XII

An primatus Petri perpetuo et per successorem in Ecclesia perseveret

1. *Hæreticorum error.*—Non desunt ex hujus temporis hæreticis, qui non solum absolute negent Petrum, vel Pontificem Romanum esse totius Ecclesiæ pastorem, Christive Vicarium, sed etiam ex hypothesi, licet Petrus illam prærogativam habuisset, cum illo extinctam fuisse dicant, ut hoc modo facilius in Pontifice Romano perseverare abnegent. Ut ergo errorem hunc funditus evertamus, et per eosdem gradus ad veritatem intentam perveniamus, prius ostendemus hoc capite, Petrum non extraordinario jure, seu singulari, vel (ut sic dicam) vitali privilegio, sed jure ordinario, et ratione Ecclesiæ perpetuo duraturæ, Vicarium Christi creatum fuisse, postea vero ad Romanum Pontificem in sequenti capite gradum faciemus.

2. *Conclusio de fide.—Primatus Petri cum ejus vita non fuit extinctus.– Probatur Matt.*, 16.—Principio igitur statuimus, primatum Petri non illi soli pro sua persona fuisse collatum, sed, ut perpetuo in Ecclesia duraret, in eo fuisse institutum. Hoc facile probari potest ex dictis in duobus capitibus præcedentibus. Nam hac ratione, postquam Christus dixit Petro: «Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,» statim adjungit: «Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam,» promittens perpetuam Ecclesiæ durationem in Petro fundatam, tanquam in petra firmissima, et perpetuo duratura, ut supra, lib. 1, late comprobatum est, et confirmatum ex alia Christi promissione: «Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.» Et hac etiam ratione dixit Augustinus, ut præcedenti capite explicuimus, Petrum repræsentasse Ecclesiam, quando illi

claves datæ sunt, quia non pro illius tantum persona, sed pro illius sede, ut perpetuo cum Ecclesia duraret, eamque regeret, suoque modo sustentaret, illi datæ sunt. Unde sicut ex illis verbis: «Tu es Petrus,» etc., intulit Ambrosius, Psal. 40, ita nos inferre possumus: «Ubi Ecclesia, ibi Petrus,» et quamdiu durat Ecclesia, tamdiu durat Petrus, quod etiam significavit idem Ambrosius, subjungens: «Ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna;» et ideo addidit: «Et portæ inferi non prævalebunt ei.» Recte quidem dixit: «Ubi Ecclesia, ibi nulla mors,» quia, licet singuli in Ecclesia moriantur, Ecclesia non moritur; et licet Petrus defecerit, sedes Petri non deficit.

3. Alia præterea verba Christi, «Pasce oves meas» (1), si ejus intentio et institutionis ratio prudenter considerentur, non minus efficaciter dictam veritatem confirmant. Nam imprimis ratio ex Patribus supra adducta, quod Christus indefinite Petro commendans oves suas, universas oves illius curæ commisisse intelligitur, æque in totius temporis ac in cujuscumque loci ovibus procedit, quia sicut futuræ erant oves Christi in diversis locis, ita in diversis temporibus, et in quolibet tempore oves indigebant supremo aliquo Pastore, sicut et in omni loco. Denique cum Christus dixit: «Pasce oves meas,» certum est non fuisse locutum de solis ovibus, quæ jam tunc erant in ovile suum congregatæ, paucæ namque illæ erant, Christus autem futuræ Ecclesiæ suæ ex omnibus gentibus congregandæ providebat. Igitur non tantum præsentes, sed etiam futuras oves suas Petro commendavit, cumque limitationem temporum non adhibuerit, omnium temporum oves Petro commisit, sicut de loco diximus, vel de numero dici potest. Dicet aliquis, recte hinc probari, commendatas fuisse Petro oves etiam futuras, dum ipse viveret, non vero postea futuras. Quomodo enim fu-

(1) Joan, 21.

turas post se oves pascere posset? Respondetur illud esse incredibile, quia alias non satis Christus ovibus suis providisset, cum tamen non minorem curam gereret ovium post mortem Petri futurarum, quam ipso vivente. Unde recte Chrysostomus, hom. 55 in Matt.: «Aperte» (inquid) «hic prædixit magnam eorum, qui crediturí, et erant, et sunt, multitudinem fore, et sublimiora sapere ipsum facit, et Ecclesiæ Pastorem constituit,» utique futuræ, ex omnibus qui erant et sunt crediturí. Neque est difficile ad explicandum quomodo Petrus post mortem suam potuerit pascere oves Christi in hoc mundo relictas. Tum quia hinc intelligimus Christum non tantum Petro in persona sua, sed Sedi Petri, seu Petro ut continenti in se tanquam in semine et fundamento omnes successores suos, oves suas commendasse. Tum etiam quia propter hanc causam ad pastorale munus Petri pertinuit providere modum quo sibi succederetur, ut oves Christi sine Petro Pastore non relinquerentur, etiamsi persona Petri deficeret, et ita usque hodie Petrus pascit oves Christi per successores suos.

4. Atque hoc confirmant optime verba Christi, Joan. 10: «Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus Pastor.» Nam ex illis colligimus, in Ecclesia Christi tam esse futurum semper unum Pastorem sicut unum ovile, ac subinde Pastorem illum a Christo datum et institutum, duraturum esse donec totum ovile Christi congregetur. Significavit etiam Christus in illis verbis, Pastorem unum in Ecclesia sua necessarium esse propter ovilis unitatem; hæc autem unitas ovilis omni tempore servanda erat, quia in omni tempore una est Ecclesia; ergo et unus Pastor a Christo constitutus pro omni tempore datus est, non in eadem persona, sed in eodem throno, sicut Ecclesia una est, non in eisdem personis, sed in ejusdem populi successione. Unde Augustinus, lib. de Pastorib., c. 13: «Hic invenio» (inquit) «omnes pastores bonos in uno pastore. Non enim vere boni pastores desunt, sed in uno sunt. Multi sunt qui divisi sunt. Hic unus

prædicatur, quia unitas commendatur. Neque enim vere modo ideo tacentur pastores, quia non invenit Dominus cui commendet oves suas; tunc autem ideo commendavit, quia Petrum invenit. Imo vero in ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, et uni dicitur: Pasce oves meas.»

5. *Evasio.—Rejicitur.*—Sed dicent forte adversarii, illum unum Pastorem esse Christum, nam statim Augustinus addit: «Omnes boni pastores in uno sunt, unum sunt, illi pascunt, Christus pascit.» Respondetur, Christum quidem esse principalem pastorem, in quo omnes alii pastores simul etiam cum Petro nituntur, et uniuntur, nihilominus tamen etiam in terris necessarium esse unum Pastorem Christi Vicarium, in quo inferiores pastores proxime uniantur et nitantur. Quia sicut Ecclesia militans visibilis est, ita Deus in ea posuit visibiles pastores et Doctores, cum quibus plebs uniri debet, et ut ipsi pastores inter se uniantur, necessarius etiam est unus pastor visibilis, qui locum Christi absentis teneat. Unde Augustinus supra subjungit: «Nam et ipsum Petrum, cui commendavit oves suas, quasi alter alteri unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est Ecclesiæ, et tanquam sponsus et sponsa essent duo in carne una.» Et serm. 24 de Sanctis, cap. 2, in eodem sensu dixit: «In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum.

6. Multo vero clarius et copiosus Cyprianus, libro de Unit. Eccles., circa principium: «Ut unitatem» (inquit) «manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.» Ubi manifeste institutionem et dispositionem unius cathedræ, ad unitatem Ecclesiæ conservandam institutæ, distinguit ab ipsomet Christo instituente. Et similiter præter Christum designat unum alium pastorem, in quo illa cathedra et institutio incepit, ut ab illo originem duceret, non ut cum illo finiretur. Unde subjungit: «Exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una

Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur,» sentiens tantum durare cathedram illam, quantum Ecclesia durat. Et hoc ipsum multis aliis locis significavit idem Cyprianus, præsertim epis. tol. 40: «Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata.» Et epistol. 55, ubi habet illam celebrem sententiam, «inde oriri hæreses, et schismata, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, neque unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur.» Et similia fere habet epistol. 69 ad Florentinum, et epistol. 73 ad Juvaianum: «Petro» (inquit) «primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut illud solveretur in cœlis, quod ipse solvisset in terris.» Quem locum recognoscens Augustinus, lib. 3 de Baptismo, cap. 17, dicit: «Quia in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, manifestum est quod illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta.» Ex ratione ergo illius institutionis, manifestum est non fuisse solum specialem favorem, vel gratiam personæ Petri factam, sed dispositionem regiminis perpetuo in Ecclesia duraturi.

7. *Ratione probatur assertio.*—Unde etiam sumitur ratio moralis, in optima Ecclesiæ gubernatione fundata. Est enim Christus Dominus supremus rex, quem dedit Deus caput supra omnem Ecclesiam, ut ad Ephes. 1 dicitur, id est, supra triumphantem et militantem, quæ una est, et unum corpus Christi, quasi ex illis duabus partibus constitutum, ut ibidem, et ad Colossen. 1, dicitur. Sunt ergo illæ duæ Ecclesiæ quasi duo regna partialia unius integri regni Christi, ideoque ad ipsum tanquam ad proprium regem pertinet utriusque regni gubernatio. Fieri non poterat sine ingenti et extraordinario miraculo, ut simul esset Christus visibiliter præsens in utraque hujus regni parte, et alioqui cœlestis locus post resurrectionem ratione status illi debitus erat, et ad fidem credentium non expediebat ut inter eos Christus visibiliter permaneret, sicut ipse dixit: «Expedit vobis ut ego vadam;» ideoque cœleste regnum

per se ipsum nunc immediate regit. Ergo cum non possit eodem visibili modo partem hanc militantem sui regni gubernare, ad illius sapientiam pertinuit modum regiminis hominibus accommodatum in eo providere. Ergo sicut regnum hoc duraturum est quamdiu mundus duraverit, ita modus regiminis ejus non potest esse alius, nisi quem Christus instituit, et e converso institutio regiminis ejus ita facta est, ut non minus quam regnum ipsum sit duratura, alioqui imperfecta fuisset et insufficiens. Fuit autem illa institutio monarchiæ in Petro, ut vidimus; ergo non tantum pro Petro, sed etiam pro successoribus ejus facta est. Quod his fere verbis declaravit Cyprianus, epist. 27: «Dominus noster Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, et dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam.» Et infra : «Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesiæ super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.» Ubi non solum Pontificatus Romani, sed etiam omnium aliorum Episcoporum successionem ab illa primaria, et quasi radicali institutione derivari significat, quod libro etiam de Unit. Eccles. latius prosequitur.

8. Denique non solum Petro, sed etiam successoribus ejus datam esse potestatem et pastoralem curam, et ita primatum ejus esse perpetuum, aperte declarat Leo Papa, in serm. 2 de Assumpt. sua, dicens: «Et si multis pastoribus curam suarum ovium delegavit, ipse tamen dilecti gregis custodiam non reliquit. De cujus principali æternoque præsidio etiam apostolicæ opis munimen accepimus, quod utique ab opere suo non vacat, et firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, perpetua est, et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.» Et infra: «Manet ergo dispositio veritatis,» et cætera, quæ prosequitur. Et simili modo

Chrysostomus, lib. 2 de Sacerdot., ubi tractans locum Joan. 21, inter alia inquit: «Quanam de causa Christus sanguinem effudit suum? certe ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. » Et adjungit: «Jure igitur ac merito sic loquebatur Christus: Quisnam fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam?» Et infra dicit aperte, successores Petri ea nunc agere, «quæ cum Petrus ageret,» inquit, «illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe præcellere.» Similiter D. Augustinus, libro de Utilit. credendi, c. 16, per successiones Episcoporum ab apostolica sede hanc perpetuitatem declarat; et lib. 11 contra Faustum, c. 2: «Vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, et tot consensione firmatur.» Et eodem modo hanc veritatem declarant Optatus, Pacianus, et alii, quos in sequenti capite commodius referemus.

9. *Objectio.—Diluitur objectio, et retorquendo.*—Sed objicere possunt hæretici, quia alii Apostoli pro suis tantum personis legationem seu dignitatem apostolicam acceperunt; ideoque post mortem non habuerunt in illa dignitate successores: ergo nec Petrus in suo apostolatu successorem habuit, quia licet inter Apostolos fuerit primus, et inter eos principatum aliquem vel potestatem acceperit, propter servandum ordinem et concordiam, nihilominus nulla major ratio successionis in eo quam in aliis reperitur. Respondetur, contrarium posse eodem argumento probari, nam in Apostolis duo considerari possunt a Christo Domino illis collata, scilicet, potestas ordinis, et dignitas apostolica. Prior nihil aliud in eis fuit præter ordinationem, seu consecrationem episcopalem, quæ ad fundamenta Ecclesiæ pertinet, et ideo cum illis extincta non est, sed in illa habent Episcopos successores, ut sentit Cyprianus, lib. de Unit. Ecclesiæ, et aliis epistolis citatis; Augustinus, enarrat. in

Psalm. 44, et Hieronymus, epist. 85 ad Evagrium. Et ideo de hac potestate intelligendum est, quod ibidem ait, omnes Episcopos esse æquales. Posterior vero, id est, apostolica dignitas, multa includebat privilegia, nimirum, potestatem immediate a Christo delegatam ad prædicandum per universum orbem cum auctoritate et speciali potestate ab ipso Christo concessa, juxta illud: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.» Item multas gratias, et prærogativas tali muneri accommodatas, ut fuerunt abundantia spiritus cum confirmatione in gratia, et in fide, cum quadam scientiæ plenitudine, ita ut in rebus fidei nec falli, nec fallere possent, vel docendo, vel scribendo; itemque ut præter donum linguarum, quod ad docendum habebant, haberent etiam directionem spiritus ad canonice scribendum. In hac ergo dignitate, verum est Apostolos non habuisse successores; erat enim extraordinaria, et solum pro initio disseminandi Evangelium et plantandi Ecclesiam requisita, non vero ad ordinarium regimen ejus necessaria.

10. *Romani Episcopi in primatu, non in omnibus privilegiis Petro succedunt.*—Unde etiam in hac parte, quoad multas ex dictis prærogativis Petro non succeditur. Præter hæc autem duo, aliquid singulare tributum est Petro, nimirum, jus supremi Pastoris et Vicarii Christi in ejus Ecclesia, simpliciter et absolute pro quocumque loco et tempore spectata. Et in hoc non est comparandus Petrus cum cæteris Apostolis, alias nihil singulare accepisset, et ideo quoad hanc partem illatio est nullius momenti, et potius (ut dixi) oppositum inferre licet ex singulari concessione, et ex ratione muneris. Potest autem in cæteris Apostolis peculiari modo auctoritas episcopalis quoad jurisdictionem considerari, quatenus ordinarium regimen et sedem alicujus Ecclesiæ receperunt, sicut Jacobus, frater Domini, Hierosolymis constitutus est Episcopus, quod tamen de aliis non est certum, quamvis eadem ratione fieri potuerit. Quoad hanc ergo episcopalem auctoritatem, quia ordinaria est in Ecclesia, etiam succeditur Apostolis, sicut Jacobo Simeon succesit. Et ita

quoad hoc potest aliqualiter admitti comparatio, longe tamen diversa ratione, tum quia hæc ordinaria dignitas episcopalis non est data alicui Apostolo extra Petrum, jure divino, sed mediante Petro, ut de Jacobo refert Eusebius, lib. 2 Histor., cap. 1; et de Joanne, Ephesi commorante, verisimile fit ex Irenæo, lib. 3, c. 3, in fine, ut omittam, quæ de Andrea, Barnaba, et aliis, historiæ referunt. Ubi ergo Apostoli ut proprii Episcopi particulares Ecclesias regebant, jurisdictio illa certis limitibus continebatur, et intra illos tantum eis succedebatur; Petri autem jurisdictio, quam a Christo immediate recepit, fuit universalis pro tota Ecclesia; et ita fuit etiam illi proprium, in hac dignitate successorem habere. (Vide Baron. tomo primo Annal., anno 44, numero 29 et seq.; et anno 51, numero 54.)

CAPUT XIII

Romanum Episcopum verum Petri successorem esse, et in eo Petri potestatem perseverare, ex Divina Scriptura credendum esse, ostenditur.

1. *Prima assertio.*—Supponimus id, quod satis in superioribus probatum est, semper in Ecclesia requiri aliquem Petri in ejus universali regimine successorem: nunc vero addimus, illum in unoquoque tempore unum tantum supremum episcopum, unamque personam esse posse. Quia ostensum est ecclesiasticam rempublicam, ejusque spirituale regimen ita semper conservari debere, sicut a Christo est institutum; est autem monarchicum ex institutione Christi; ergo ita debet per successionem conservari; ergo unus tantum simul, seu quovis tempore potest esse Petri successor, licet per successionem in diversis temporibus multiplicari necessarium sit. Declaratur amplius, quia si plures Episcopi simul Petro succederent, tribus modis id posset intelligi.

2. *Prima ratio conclusionis.*—Primo, ut unusquisque eorum succederet tantum in parte pastoralis muneris, quasi primatum inter se dividendo, ita ut totus quidem esset in omnibus simul, non tamen in singulis; neque in omnibus collective, sed divisus in singulis per partes. Et hunc modum asseruisse referuntur aliqui ex Protestantibus, allegantes illud Cypriani, de Unit. Eccles.: «Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur». Verumtamen hoc nihil aliud est, quam veram successionem in primatu Petri negare; nam eo ipso quod primatus eo modo divideretur inter multos, nullus eorum esset universalis pastor Ecclessiæ, sed tantum ejus partis, quæ illi contingeret; ergo nullus eorum esset verus, et (ut sic dicam) adæquatus successor Petri; nullus enim esset supremus simpliciter, quem cæteri recognoscerent, quod habuit Petrus. Et consequenter nullus esset Petra fundamentalis Ecclesiæ, et ad nullum eorum pertinerent verba Christi, «Pasce oves meas», quatenus per illa omnes oves uni pastori commendatæ sunt. Denique in nullo eorum unitas Ecclesiæ servaretur, sed potius in illis multis Ecclesia scinderetur, sicut Occidens et Oriens in diversa imperia divisa fuerunt, quod quantum repugnet unitati Ecclesiæ supra ostensum est. Nec sensus verborum Cypriani est ille, quem Protestantes fingunt, cum idemmet Cyprianus, tum in eodem libro, tum aliis locis jam sæpe allegatis, unam cathedram maxime commendet, et unum Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, sine quo ejus unitas subsistere non potest. Sensus ergo est, episcopatum totius Ecclesiæ unum esse, sub illo tamen particulares esse Episcopos, qui in partem sollicitudinis vocantur, non ut supremi pastores in suis diœcesibus, sed sub uno, qui supremus est. Quem sensum satis declaravit Cyprianus, subjungens: «Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur». Et post varia exempla sumpta ex multis radiis, ramis, vel fluminibus, qui unitatem habent in origine, de unitate Ecclesiæ ita concludit: «Unum tamen caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis succes-

sibus copiosa», quam matrem alibi in particulari designat, ut mox videbimus.

3. *Secunda ratio.*– Secundo modo cogitari potest successio plurium simul in primatu Petri, non divisim, sed collective, et per modum unius tribunalis, seu congregationis. Et hunc modum excogitare potuerunt qui, non obstante primatu Petri, dixerunt generale Concilium esse supra Papam. Quamquam illi fortasse dicere cogerentur, etiam tempore Petri, Apostolorum vel Episcoporum Concilium fuisse supra Petrum, quia eadem est servanda proportio, neque est major ratio de uno tempore quam de alio, imo nec potest aliter doctrina subsistere, ut statim ostendam. Ita vero sentire de Petro et de ejus primatu non solum fundatum non est in Evangelio, verum etiam verbis Christi repugnat ut constat ex his omnibus, quæ de primatu Petri diximus. Nam Christus Petro commendavit simpliciter oves suas, sive sigillatim singulas, sive simul totum earum gregem, et supra illum Petro tribuit potestatem, et ideo totius corporis Ecclesiæ fundamentum illum constituit. Ipsis autem ovibus, sive divisim, sive simul toti gregi, non solum potestas supra Petrum data non est, verum etiam neque ulla omnimo potestas legitur immediate a Christo collata. Sed de hoc alias, nunc enim satis a nobis probatum est, Petro simpliciter datam esse potestatem supra totam Ecclesiam, non pro ejus persona tantum, sed ut ei succederetur. Hoc ergo supposito, dicimus, successorem in ea potestate, quam Petrus habuit, unam tantum personam esse posse, et non plurium congregationem, alias mutata fuisset Christi institutio ex monarchica in aristocraticam, quod esse non potest sine ejusdem Christi auctoritate, quæ revelata non est, neque per Scripturam, neque per traditionem. Et deinde illa non esset successio, sed esset nova creatio, seu alterius regiminis institutio, cujus originem ostendere oporteret; nam Petri primatus ex vi primæ institutionis per solam successionem perseverat, ut ostensum est. Denique abstrahendo a quæstione de comparatione Papæ et Concilii, certum

est, Petrum habuisse primatum in tota Ecclesia, quamdiu actu non erat congregatum Concilium, cujus congregatio ex voluntate Petri pendebat, cum solus ipse in tota Ecclesia esset superior; ergo successor etiam Petri in hac eadem potestate debet esse una persona, unum episcopatum gerens, quidquid inde circa illius cum Concilio comparationem subsequatur, quod præsenti instituto nihil refert.

4. *Tertio probatur conclusio.*—Tertio tandem modo cogitari potest, habere Petrum simul et pro eodem tempore plures successores, divisim et in solidum habentes integrum primatum, et universalem curam pastoralem. Et hic modus a nullo etiam hæretico assertus aut excogitatus est. Nam imprimis repugnantiam involvit, quia si plures essent primi, nullus eorum esset positive primus, id est, superior omnibus, sed ad summum negative, id est, non habens alium supra se; utrumque autem repugnat. Quia ex priori membro sequitur nullum eorum successisse Petro in primatu, quia Petrus positive fuit omnibus superior, et simpliciter fuit pastor omnium ovium Christi extra ipsum, quod nullus illorum haberet. Ex altero vero membro, et unitas Ecclesiæ destruitur, et corpus monstrosum fingitur, utpote habens simul duo capita æqualia, quæ nec pacem nec concordiam inter se habere potuissent. Et ideo ipsa etiam natura universa hanc potentatuum multitudinem abhorret, ut dixit etiam philosophus, in fine Metaphysicæ; et melius Cyprianus, de Idolor. vanit.; et Athanasius, contra Idola. Unde ipsa etiam bruta animalia ducem unum sequi solent, ut late Hieronymus, epist. 4. Denique si alii Apostoli non habuerunt cum Petro similem æqualitatem, qui fingi potest aliquem postea fuisse Episcopum, successori Petri in jurisdictione æqualem? aut quæ fingi potest institutio vel necessitas plurium simul in unius potestatis adæquate et in solidum successione? Est ergo certum Petri successorem unam tantum personam, seu unum Episcopum esse posse. Quo semel legitime creato ut recte dixit Ciprianus, epist. 52: «Quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foras fiat ne-

cesse est, neque habet ecclesiasticam orditationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, multum de se licet jactans, et sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est». Sit igitur constans in una sede episcopali, seu in una Episcoporum serie, successionem hanc constituendam esse.

5. *Secunda assertio de fide.*—Hinc ergo concludimus solum Romanum Episcopum esse verum successorem Petri, et potestatem Petro datam ad oves Christi pascendas, in illo perseverare. Hæc assertio certa et catholica fide tenenda est, nam, licet expresse et in propriis terminis in sacra Scriptura non legatur, in principiis in illa revelatis virtute continetur, quod per Ecclesiam sufficienter declaratum est; imo, quadam rerum evidentia, et experimento constat. Declaratur imprimis, nam ex Scriptura habemus, Petro datum esse primatum Ecclesiæ ut perpetuo in illa duraturum, ut satis probatum est. Hæc autem duratio, cum non esset futura in una et eadem persona, necessario futura erat per plurium personarum in eadem dignitate successionem, et hoc etiam sufficienter in Scriptura continetur non per additionem aliquam, sed per legitimam ejusdem Scripturæ interpretationem. In qua autem sede vel episcopatu relicta fuerit hæc successio, et personarum series in hac dignitate succedentium, Scriptura non retulit, quia historia canonica novi Testamenti usque ad mortem Petri non pervenit. Ideoque ut Ecclesiæ certo constet in tali sede impletam esse, et hactenus impleri institutionem a Christo factam, et in Scriptura revelatam, satis est ut applicatio (ut sic dicam) illius institutionis et dignitatis ad talem episcopatum per evidentem traditionem, et continuum ac notissimum usum eidem Ecclesiæ sufficientissime proponatur.

6. *Vicarium Christi visibilem et in determinata sede esse debere.*—Nam sicut in primo libro ex ratione, institutione et fine

Ecclesiæ Christi, necessarium esse ostendimus, illam in individuo et in particulari esse visibilem, ita ex institutione et fine muneris Vicarii Christi necessarium est illum esse visibilem Ecclesiæ in particulari ac determinata sede et successione. Quid enim prodesset Ecclesiæ confuse credere, esse in terris aliquem Episcopum, seu episcopatum cum potestate et munere vicarii Christi, si in particulari non agnosceret, ac certo crederet quisnam talis episcopatus esset? Aut quomodo possent oves suum pastorem sequi, vel ad illum recurrere, vel vocem ejus audire et recognoscere, nisi in particulari talem Episcopum in tali sede vel episcopatu sedere crederent? Sicut ergo Ecclesia visibilis non tantum fide humana, sed etiam divina creditur esse Ecclesia, quia sensibilia signa, per quæ videtur, non sunt ratio credendi, sed proponunt, ut evidenter credibile, illam esse veram Ecclesiam, quam Deus semper in mundo esse futuram revelavit, ita non solum fide humana, sed etiam divina credendum est, Romanum Pontificem esse caput visibile hujus Ecclesiæ vice Christi, quia signa illa, quibus hoc caput ostendimus, faciunt credibile evidenter, illum esse quem Christus ex vi suæ institutionis Vicarium suum constituit. Hoc ergo modo dicimus, assertionem positam esse de fide, et in Scriptura, Ecclesiæ traditione adjuncta, sufficienter contineri.

7. *Probatur conclusio.* — Superest ut signa et testimonia hujus evidentis credibilitatis afferamus. Primumque et quasi fundamentale sit, D. Petrum in episcopatu Romano ultimo tempore vitæ suæ sedisse, ibique mortuum fuisse; nam hinc fit consequens ut successores ejus in eadem sede permanserint. Ut antecedens melius intelligatur, tria tempora seu status in Petro post Christi ascensionem distiguere possumus. In primo, præsedit universali Ecclesiæ Christi sine determinatione ad propriam et specialem curam alicujus particularis episcopatus, nisi rum per quinque vel sex annos priusquam Antiochiæ sedem geret, ut ex Eusebio in Chronico, et ex aliis antiquis historiis constat. In secundo, sedit Petrus Antiochiæ ab ultimo Tiberii

anno per septem annos; quibus finitis secundo, vel ut alii volunt, tertio Claudi anno, et 44 vel 45 adventus Christi, Ecclesiam Romanam fundavit, ac sedem suam in eam transtulit, ibique usque ad mortem sedit, quam in eadem urbe Roma per martyrium passus est.

8. *Solum in Romana Sede potuisse Petrum habere primatus successorem.*—Hinc ergo fit, successionem in cathedra Petri non potuisse in Hierosolymitana vel Antiochena Ecclesia contingere. Quia in priori nunquam sedit, sed in ea Jacobum primum omnium sedere fecit, cui Simeon successit, ut diximus, et est in historiis notum. In posteriore autem non permansit, sed ad tempus tamen in ea sedit, et consequenter adhuc vivens, ibi successorem habuit, quem ipse sua auctoritate constituit, vel Evodium, vel Ignatium, de quo videri potest Turrianus, in Constitutiones Clementis, lib. 7, c. 46; et Baronius, in Martyrolog., die 1 februarii. Successit autem Evodius Petro in particulari episcopatu Antiocheno, non vero in primatu seu episcopatu universali. Nam Antiochenam sedem, non a Christo immediate, seu divino jure, sed arbitrio suo, et humano jure Petrus sibi assumpserat, et ideo facile potuit illam relinquere, et alteri tradere. Pontificiam autem dignitatem immediate a Christo et divino jure habuit, ideoque quamdiu vixit, illam non reliquit, neque, ut existimo, relinquere potuit, quia ex immediata electione, et collatione ac præcepto ipsiusmet Christi Ecclesiam universalem habuit sibi commendatam. Relinquitur ergo, ut in Romana sede Petrus habuerit sui pontificatus successorem, tum quia in nulla alia potest esse vestigium, vel ratio hujus successionis, etiamsi sit Alexandrina, quia nunquam Petrus in ea sedit; vel Constantinopolitana, quæ vivente Petro fundata non fuit; tum etiam quia Petrus in morte habere debuit successorem; ergo in episcopatu, in quo mortuus est, scilicet, Romano, illum habuit.

9. *Refellitur evasio quorumdam hæreticorum.*— Non defuerunt nihilominus hæretici, qui ut vim hujus argumenti fuge-

rent, Petrum Romæ sedisse, aut in ea mortuum esse, negaverint. Sed supervacaneum duco, contra eos disputationem longiorem texere, tum quia neque rex Angliæ hoc insinuat, neque, ut opinor, Protestantes Anglicani in hac sententia permanent, licet fortasse aliquando illam tentaverint; tum etiam quia evasio illa nullum habet veritatis vestigium, neque probationem cui respondere necesse sit. Aliunde vero Petrum Romæ fuisse, ipsiusmet verba indicant epist. 1, c. 5: «Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta»; ibi enim nomine Babylonis Romam significari, omnes catholici interpretes et Doctores interpretati sunt, quos moderni ibi congerunt, et ideo eos referre non est necesse; nam inferius etiam tractando de Antichristo aliquid de hoc puncto attingemus. Ac denique in eadem Roma Petrum usque ad mortem pontificatum gessisse, et ibi mortuum esse, omnes Patres antiqui, tam Græci quam Latini, communi consensu tradiderunt, quos late refert Sander., lib. 6 de Visibili monarchia, cap. 10; et Bellarmin, lib. 2 de Romano Pontifice, a principio, per plura capita. Nunc sufficit nobis auctoritas Hieronymi, lib. de Scriptoribus ecclesiast., et ad Gal. 1, 2; et Eusebii, in Chronico, cujus fere verba Hieronymus mutuatus est; et cum eis alii tam latini quam græci historici consentiunt; præter testimonia ipsorummet Pontificum successorum Petri, quæ statim referemus.

10. Addunt denique nonnulli Catholici (1), licet hæreticis daremus Petrum non fuisse Romæ, nihilominus potuisse Pontificem Romanum esse successorem Petri; nam potuit Petrus alibi existens aut sedens, vel Romæ, vel alibi successorem sibi delige-re. Quod quidem vere dictum est, et ex abundantia, ad confusionem hæreticorum, procedit tamen solum de possibili, seu de potestate. Ut autem de facto constet, multum refert quod Petrus Episcopus Romanus fuerit usque ad mortem Nam si Petrus alibi

(1) Sander., lib. 3 de Clave David, c. 6.

sedem habuisset usque ad mortem, ut Romanus Episcopus in pontificia sede illi succederet, oporteret illam institutionem ostendere ex peculiari Petri ordinatione, quæ revera non existit, quia non alibi, sed in Romana sede et urbe mortuus est. Quo posito, non fuit necessaria nova institutio aut voluntas Petri, nam ex natura rei, supposita priori institutione divina, qui in Romana sede Petro successit, primatum etiam ejus consecutus est, et ita per successionem ad reliquos Romanos Pontifices derivatus est.

11. *Alia evasio hæreticorum.*—Aliter vero fugere possunt adversasii, etiamsi, vel inviti, fateri cogantur Petrum fuisse Episcopum Romanum usque ad mortem, videlicet, inde solum sequi, successorem Petri fuisse Episcopum Romanum, non tamen recte inde colligi, eumdem successorem fuisse etiam totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopum et pastorem. Quia hæc duæ dignitates seu episcopatus distincti sunt et separabiles: nam potest esse Pontifex Ecclesiæ universalis, licet non sit Episcopus alicujus diœcesis particularis, sicut in Petro in initio sui pontificatus vidimus. Potest præterea universalis illa dignitas prius conjungi cum particulari episcopatu, et postea ab illo separari, sicut factum vidimus in sede Antiochiæ, ubi Petrus habuit successorem in Antiocheno episcopatu, qui non successit in papatu; ergo potuit idem contingere in morte Petri, et Romano episcopatu; quia in ipso etiam Petro conjunctio talis episcopatus cum primatu non erat de jure divino, sed humano, utique ex voluntate Petri, et ita posuit facile per mortem cessare. Imo eo ipso quod successor Petri a Romana tantum, et non ab universali Ecclesia electus est, videtur consequens, ut in particulari episcopatu, non in universali, successerit.

12. *Refellitur evasio.—Successor Petri in Romano episcopatu, in primatu etiam necessario successit.*—Respondemus, non minus certum esse, primum successorem Petri, et consequenter reliquos, in episcopatu Ecclesiæ Catholicæ, quam in episcopatu Romanæ Ecclesiæ successisse. Hoc probamus, quia una tantum

persona semper Petro successit, ut ex historiis constat et ex Patribus, quos capite sequenti referemus; ergo vel illa persona simul cum episcopatu Romano primatum Ecclesiæ habuit, quod intendimus, vel primatus sine successione relictus est, et periit; hoc autem posterius est impossibile, quia est contra jus divinum, et contra promissionem Christi; ergo prius est omnino certum. Quocirca ex quo Petrus sedem suam Romæ collocavit, et pontificalem dignitatem illi episcopatui conjunxit (sive illa conjunctio fuerit ex divina institutione, per speciale præceptum ac revelationem, ut aliqui volunt, sive fuerit ex humana voluntate Petri, licet divinitus inspirata), eo ipso quod a Petro vivente mutata non est, rata mansit, ideoque qui Petro in episcopatu suffectus est, illi in utraque dignitate necessario successit. Et quidquid sit de illa quæstione, quæ a Theologis disputatur, an possit Summus Pontifex separare primatum a Romana sede, et illum, vel in alio episcopatu collocare, vel ab omni particulari episcopatu separatum relinquere, certum esse existimo, dum aliquis Summus Pontifex id non fecerit, non posse universam Ecclesiam, vacante papatu, id efficere, quia non potest inferior potestas mutare quod per superiorem constitutum est, et quia sicut Petro soli datus est primatus, pro ipso et successoribus ejus, ita ad solum illum, seu ad Summum Pontificem spectat determinare sedem pontificalem, et modum electionis et successionis ejus præscribere. Sic ergo cum Petrus suam sedem Romæ collocaverit, et in illam totum suum primatum et potestatem contulerit, illamque institutionem vivens non mutaverit, non potuit postea Ecclesia acephala per mortem Petri illam institutionem mutare, ideoque successor Petri in episcopatu Romano ex necessitate simul in primatu successit.

13. Neque obstat quod illius successoris electio a clero Romano, et non ab universa Ecclesia facta fuerit, nam (ut dixi) determinare modum successionis, non ad corpus Ecclesiæ, sed ad ipsum Petrum pertinebat, ideoque sicut voluit Petrus pontificatum in sede Romana stabiliter collocare, ita etiam statuit

electionem successoris a clero Romano fieri. Vel certe Petrus ipse Clementem sibi successorem designavit, ut auctor est ipse Clemens, epist. 1 ad Jacobum, fratrem Domini, et lib. 7 Constitut., c. 45, licet (ut probabilior sententia fert) ipse Lino et Cleto prius cesserit, et postea illis successerit. Atque ita omnes illi in pontificatu, simul cum episcopat uRomano successerunt, eodemque modo successio ad omnes sequentes Episcopos Romanos derivata est.

CAPUT XIV

Romanum Pontificem successorem esse Petri, testimoniis Sanctorum Patrum ostenditur

1. Cum ad confirmanda omnia fidei dogmata, magnam vim habeat ecclesiastica traditio, maximam profecto in præsenti articulo habere debet, quia veluti in quodam facto et rerum concursu, continuaque successione consistit. Ideoque necessarium duximus, omni testimoniorum genere veritatem hanc confirmare. Et primo utemur testimoniis antiquorum Patrum, qui non solum affirmant Episcopos Romanos Petro in pontificatu successisse, sed etiam inter præcipua fundamenta et signa veræ et Catholicæ Ecclesiæ hanc enumerant successionem, ut in libro primo sæpe insinuatum est, et nunc breviter recensebimus. Primo enim Irenæus, lib. 3, c. 3, sic inquit: «Quoniam valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ indicantes», etc. Et infra: «Fundantes igitur et instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt». Et postea enumerat successores usque ad Eleuterium. Et in illis verbis adverto simpliciter dicere: «Epis-

copatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt», et sine restrictione ad Romanam Ecclesiam, quia non poterat una ab altera separari, et ideo de Romana Ecclesia præmisit: «Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio».

2. Secundo, Augustinus contra epist. Fundamenti, cap. 4, inter certa indicia Catholicæ Ecclesiæ hoc ponit: «Ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum». Et in Psalm. contra partem Donati: «Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ»; ubi clarissime ostendit, successionem esse in ipsa pontificali dignitate, quæ per Petram significatur. Et ita lib. 2 contra Litter. Petilian., c. 51, eandem dicit esse cathedram Ecclesiæ Romanæ, et cathedram in qua tunc Anastasius sedebat. Ac denique, ep. 165, successionem omnium Pontificum a Petro usque ad Anastasium enumerat. Simili modo Optatus, lib. 2 contra Parmenian.: «Videndum est» (ait) «qui, et ubi prior cathedra sederit». Et infra: «Negare non potes scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur». Ubi clare loquitur de cathedra episcopali supra totam Ecclesiam. Unde addit inferius: «Ergo cathedra unita, quæ est prima de dotibus» (scilicet Ecclesiæ Catholicæ), «sedit prior Petrus, cui successit Linus», etc., usque ad Siricium.

3. Eamdem successionem accurate refert Epiphan., hæres. 27, circa finem, et post illam subjungit: «Et ne quis miretur, quod singula ita exacte recenseamus, per hæc enim semper claritas ostenditur»; sentiens, ad claritatem veræ et Catholicæ doctrinæ, necessariam esse hujusmodi successionem, ejusque

notitiam, quia, ut de Petro ipse dixit in Ancorato, circa principium: «Hæc est petra firma, super quam Ecclesia ædificata est, et portæ inferorum, quæ sunt hæreses et hæresiarchæ, non valebunt adversus illam. Juxta enim omnem modum in ipso firmata est fides, qui accepit claves cœlorum, et solvit in terra, et ligat in cœlo». Quam petram et potestatem usque ad sua tempora per successionem deducit, ut ostendat in ea esse firmatam fidem contra quam hæreses non prævalent. Eamdem Pontificum seriem descripsit versibus Tertullianus, libro 5, contra Marcionem, cap. ultim., ubi loquens de Apostolorum discipulis, qui «successere per orbem», subjungit:

> Ex quibus electum magnum, plebique probatum,
> Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum,
> Maxima Roma Linum primum considere jussit, etc.

quæ prosequitur usque ad Thelesph., de cujus tempore dicit:

> Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ,
> Composita a Petro cujus successor et ipse.
> Namque loco nono cathedram suscepit Higinus.

Et postea Pium et Anicetum recenset. Et lib. de Præscript., c. 30, mentionem facit Eleuterii, qui post Anicetum, imo, et post Soterum sedit. Sic enim ait: «Constat catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec» (supple, relegatus est Marcion) «sub episcopatu Eleuterii Beneditti»; et cap. 36: «Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Stat felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt», ubi per «totam doctrinam» intelligo etiam firmitatem et doctrinæ incorruptionem.

4. Denique D. etiam Hieronymus breviter successionem hanc declarat lib. de Scriptor. Eccles., in Clemente. Et sæpe Cyprianus, agens de electione et ordinatione Cornelii, præser-

tim epistol. 45 ad Cornelium, ubi prius Ecclesiam Romanam vocat, «Ecclesiæ Catholicæ radicem et matricem». Postea vero dicit: «Nunc episcopatus tui et veritas pariter et dignitas apertissima luce, et manifestissima, et firmissima comprobatione fundata est. Ut te» (sicut prius dixerat) «universi collegæ nostri, et communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem, pariter ac charitatem probarent firmiter ac tenerent», ubi clare docet Episcopum Romanum rite electum ita esse Petri successorem, ut in illo universalis fundetur et uniatur Ecclesia, sicut in Petro fundata et unita fuit. Unde loquens de eodem Cornelio, epist 52 ad Antonianum: «Factus est» (inquit) «Cornelius Episcopus, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret». Atque hi quidem Patres de ipsa successione Pontificum in sede et dignitate Petri expressius loquuntur; sunt vero alii plurimi, qui dignitatem ipsam in episcopo Romano recognoscunt et exaggerant, quos infra capite decimo septimo referemus.

CAPUT XV

Pontificem Romanum in dignitate et potestate, ac primatu Ecclesiæ successorem esse Petri, eorumdem Pontificum auctoritate comprobatur.

1. Quamvis hoc probationis genus Protestantes parum moveat, ut infra dicam, nihilominus illud omittendum non censui, tum quia revera est gravissimum, et pro Catholicis utilissimum, multaque argumentorum genera in se complectitur; tum etiam quia rex Jacobus, in sua Præfatione, pag. 60, cum dixisset Petrum esse primum vel principem Apostolorum ætate, vocatione, vel ad summum ordine, non potestate, subjungit:

«Nec aliquid sibi amplius trecentis post Christum annis Romanæ sedis Episcopus arrogavit.» Ut igitur testimonium hoc per errorem et deceptionem a rege datum esse convincam, non solum per trecentos, sed etiam per sexcentos, vel plures Christi annos discurram, et evidenter ostendam Romanos Pontifices a principio nascentis Ecclesiæ, primatum Ecclesiæ non tantum quoad ordinem politicum, sed multo magis quoad superioris auctoritatem et potestatem et Petro, et sibi arrogasse.

2. Ut autem verborum et testimoniorum vis percipiatur, oportet advertere varios esse modos, quibus Pontifices suam dignitatem astruunt. Unus est expresse in Petro declarando excellentiam potestatis, seque appellando successores Petri, et verba de Petro dicta sibi applicando. Alius est, eos dignitatis titulos assumendo, qui non nisi ratione talis primatus eis convenire possunt. Alius est, sibi attribuendo vel reservando actus supremæ jurisdictionis et spiritualis potestatis supra totam Ecclesiam. Cum enim existimari non possit, injuste jurisdictionem usurpare voluisse, supponunt in illa sede successionem in hac suprema dignitate conservari. Ultimus denique est, ex professo pro hac veritate pugnando, et contra errores illi repugnantes disputando. Ex quibus loquendi et probandi modis, et ex variis actibus supremæ potestatis, quos Romani Pontifices semper exercuerunt, varia genera argumentorum ad confirmandam veritatem sumi possunt. Ut tamen perpetua Ecclesiæ traditio evidentius pateat, commodius visum est, servato temporum ordine, quid singuli Pontifices in omnibus sæculis de suo primatu docuerint proponere.

3. Primo ergo Anacletus Papa, epist. 1, Apostolicam Sedem esse dicit, super quam Christus fundavit Ecclesiam, et ideo majores causas ad ipsam pertinere; epist. 2: «Ecclesiæ» (inquit) «gubernacula tenemus;» et epist. 3, ex professo hanc veritatem confirmat et declarat, dicens, Romanam et Apostolicam Ecclesiam ab ipso Salvatore primatum obtinuisse, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias. Secundo, Evaristus,

epist. 1, «Romanum Episcopum caput» vocat, «ad quod in dubiis recurrendum est.» Alexander I, epist. 1, vocat «apicem et caput.» Tertio, Sixtus I, Epist. 1, «omnium ecclesiarum caput.» Quarto, Anicetus, epistola unica, «ad se pertinere,» ait, «terminare omnia Episcoporum judicia.» Quinto, idem habet Eleutherius in sua epistola, c. 2. Sexto, Victor, epist. 1 ad Theophilum, dicens, «contrarium agere, nihil aliud esse, quam Apostolorum successorumque ipsorum terminos transgredi, ac decreta violare.»

4. Zephirinus, epist. 1, ex loco Matth., 16, ubi caput totius Ecclesiæ vocat Romanam Ecclesiam, et ad eam cæteras Apostolica auctoritate instruere, pertinere dicit, et in fine: «Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus a Domino Jesu Christo est glorificata confessio, et cujus fides omnes semper destruit errores » Octavo, idem supponit Anterus ad Episcopos per Bæticam et Toletanam provinciam constitutos, respondens ad eorum consultationem de mutatione Episcoporum, et prius per occasionem dixit. «Petrum,» quem «sanctum magistrum nostrum, et principem Apostolorum» vocat, de Antiochia utilitatis causa translatum esse Romam. Idemque fieri posse declarat in aliis episcopatibus apostolica auctoritate; subjungit: «Hæc ut petistis, licet vobis incognita non sunt, tenenda mandamus.» Et in fine : «State itaque, fratres, et tenete traditiones Apostolorum et Apostolicæ Sedis.» Nono, Fabianus, in epist. 1, pontificiam auctoritatem statim ostendit, tum in titulo ad omnes «comministros ubique Catholicæ Ecclesiæ;» tum in exordio: «Divinis præceptis, et Apostolicis monemur institutis, ut pro cunctarum Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu. Unde consequens est debere vos scire, quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiæ, ut ejus sequentes exempla, ejus veri filii inveniamini, quæ vestra est mater vocata.» Ubi certe supponit appellationem hanc jam tunc fuisse ubique pervulgatam et receptam. Idemque eodem modo colligitur ex epist. 3, quæ ad omnes Orientis Episcopos, et ex epist. 3 ad

Hilarium, ubi de se dicit, «ob hoc divina gratia fuisse ad fastigium sacerdotale provectum, et in quadam sacerdotum Dei specula constitutum ad prohibendum illicita, et docendum sequenda.» Et deinde servandum ordinem ecclesiasticis judiciis præscribit, «salva» (inquit) «in omnibus apostolica auctoritate,» utique Romanæ Ecclesiæ.

5. Decimo, Cornelius, epist. ad Cyprianum, quæ est 46 inter epistolas Cypriani, refert quosdam, per ignorantiam deceptos, schisma contra ipsum fecisse, postea vero, veritate agnita, resipuisse per verba sequentia, quæ illorum propria esse affirmat: «Nos Cornelium Episcopum Sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum a Deo omnipotente, et Christo Domino nostro, scimus.» Et infra: «Mens nostra semper in Catholica Ecclesia fuit, neque enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.» Quam confessionem ita ipse approbat, ut dicat: «Ista eorum professione non moveremur?» Et infra: «Has litteras existimo, te debere ad cæteras Ecclesias mittere.» Undecimo, Lucius, in epistola ad Occidentales, sic incipit: «Litteras dilectionis vestræ, quas ad Beati Petri Apostoli sedem pro vestri causa negotii misistis, libenter suscepimus.» Et postea tanquam universalis Pastor respondet, et multa disponit. Duodecimo, Sixtus II, in epistol. 1, prius dicit, «se illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus a Christo est laudata confessio, et cujus fides nullum unquam fallit, sed omnes hæreses destruit.» Postea vero subdit, licitum esse Episcopis ad Sedem Apostolicam appellare, «cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas, et Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum auctoritas reservavit, quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem Sedis Papæ fieri placuerit.»

6. Decimo tertio, similia habet Dionysius, Epist. 2 ad Severum Episcopum: «Ab initio» (ait) «tantam accepimus a B. Pe-

tro, Apostolorum principe, fiduciam, ut habeamus auctoritatem, auxiliante Domino, universali Ecclesiæ subvenire.» Et postea parochiarum divisionem fieri præcipit, et norman ab ipso datam omnibus fieri notam, «ut non specialis fiat» (ait), «sed generalis hæc præceptio». Decimo quarto, Felix, epist. 1, «majores causas totius Ecclesiæ sibi reservatas esse confirmat.» Decimo quinto, Marcellus, epist. 1 ad Episcopos Antiochenæ provinciæ, sic incipit: «Sollicitudinem omnium Ecclesiarum juxta Apostolum circumferentes,» etc. Quæ late prosequitur, omnia supra dicta confirmando, et addit, «nullam Synodum legitime fieri posse sine Romanæ Sedis auctoritate.» Atque hæc ad regis asseverationem confutandam sufficere possent; nam Marcellus usque ad annum Christi 310 supervixit; ad majorem autem veritatis evidentiam saltem per alia tria subsequentia sæcula discurrendum est.

7. Decimo sexto, Eusebius Epistolam tertiam sic incipit: «Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam Beati Petri Apostoli sacerdotio dicavit, nobisque viam monstrandam circa nos (propter universalem curam, quæ nobis est propter privilegium ejusdem Ecclesiæ) invicem charitatis indulsit,» etc. Decimo septimo, Melchiades, in epist. ad Episcopos Hispaniæ, dicens, ad se pertinere de Episcopis judicare, subdit: «Hos enim Dominus suo judicio reservavit, hocque privilegium Beato clavigero Petro sua vice solummodo commisit. Quod ejus juste prærogativum succrescit sedi, futuris hæreditandum atque tenendum temporibus, quoniam et inter Apostolos fuit quædam discretio potestatis,» etc. Decimo octavo, ex Sylvestro afferre possumus canonem ultimum Romanæ Synodi sub illo constitutæ, qui sic habet: «Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur.» Et subscripserunt ducenti octoginta quatuor Episcopi cum aliquibus presbyteris et diaconis, et ipse etiam Constantinus Augus-

tus. Decimo nono, Marcus, in epistola ad Athanasium, et Episcopos Ægypti: «Hæc» (inquit) «est sancta et Apostolica mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia; «quam etiam esse dicit immaculatam in fide, quia promissio facta Petro in Romanis Pontificibus impletur. Vigesimo, Julius I, epistola ad Orientales, Romanam Sedem primam vocat, et ad illam pertinere dicit jura convocandi Synodos, judicandi Episcopos, et majores causas ad se reservandi, «quia omnibus prælata est non solum canonum, et Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce.» Quod etiam repetit in rescripto contra Orientales pro Athanasio.

8. Vigesimo primo, Liberius, in rescripto ad Athanasium, in principio, auctoritatem dicit se in Petro super universam Ecclesiam accepisse. Vigesimo secundo, Felix II, in rescripto ad Athanasium et Ægyptios, de Romana Sede intelligit Christi verba, Matth., 16. Vigesimo tertio, Damasus, in epistola ad Episcopos Africæ, prius dicit: «Nos qui supra domum Domini, hoc est, universalem Ecclesiam Catholicam Episcopale suscepimus ministerium:» deinde subjungit: «Scitis firmamentum a Deo fixum, et immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutam, et verticem Ecclesiarum.» Et subjungit statim verba Christi. Et inter epistolas hujus Pontificis extat quædam ad ipsum, Aurelii, Carthaginensis Episcopi, postulantis ab ipso statuta et decreta in Romana Sede a fine Petri usque ad ipsum Damasum, «juxta Apostolicæ» (inquit) «Sedis auctoritatem.» Quæ mittens Damasus ait, epist. 5: «Ea te custodire optamus, et aliis prædicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur,» etc. Vigesimo quarto, Siricius, epist. 1 ad Himerium, Tarraconensem Episcopum: «Portamus» (inquit), «onera omnium; imo hæc portat in nobis Beatus Apostolus Petrus.» Et epistola tertia ad universos orthodoxos: «Nobis loqui necessitas imperavit, cui omnium Ecclesiarum cura est.» Vigesimo quinto, Anastasius cunctis Ger-

manicis et Burgundiæ regionis Episcopis sic scribit: «Exigit dilectio vestra, ex auctoritate Sedis Apostolicæ vestris respondere consultis.» Et postea sub hac verborum forma respondet: «Apostolica auctoritate mandamus.»

9. Vigesimo sexto, Innocentius I variis loquendi modis, et in multis epistolis hanc veritatem docet, et universalem potestatem, quam in Evangelio fundat, præcipiendo et decernendo exercet, quæ omnia hic referre prolixum esset. Et ideo satis erit loca designare, scilicet, ep. 1 ad Victricium, 2 ad Exuperium, 3 ad Innocentium, et fere per omnes subsequentes; specialiter vero notanda est epistola decima septima ad Arcadium Imperatorem, in qua his verbis illum excommunicat: «Ego minimus et peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego et rejicio te et illam a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri,» etc., quæ ibi prosequitur, potestate ligandi et solvendi utendo in omnes Episcopos et Patriarchas. Notanda est etiam epistola vigesima septima ad Episcopos Macedoniæ; nam cum Innocentius ab eis epistolam accepisset: «In eis,» ait, «multa posita esse pervidi, quæ stuporem mentibus nostris inducerent.» Et infra illa explicans, dicit: «Quæ cum sæpius repeti fecissem, adverti, Sedi Apostolicæ (ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat) fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur.» In epist. etiam 29, ad Decentium, late idem ostendit. Et optime in epist. 31 et 32 ad Concilia Carthaginense et Milevitanum.

10. Vigesimo septimo, Zosimus epist. 1 ad Hesich. Episcopum: «Miramur,» ait, «ad dilectionem tuam statuta Apostolicæ Sedis non fuisse perlata.» Et infra: «Si quid auctoritati tuæ æstimas defuisse, supplemus.» Et infra: «Sciet quisquis hoc, postposita Patrum et Apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit, a nobis districtius vindicandum.» Vigesimo octavo, Bonifacius I, epist. 2 ad Episcopos Galliæ, de judiciis Episcoporum in gravibus causis ita concludit: «Nostra necesse est auctori-

tate firmentur;» et epist. 3 ad Hilarium Episcopum ita scribit: «Metropolitanæ jure munitus, et præceptionibus nostris fretus accede,» etc. Vigesimo nono, Cœlestinus I, epist. 1 ad Episcopos provinciarum Viennensis et Narbonensis: «In specula» (inquit) «a Deo constituti.» Et infra: «Circa longinqua spiritualis cura non deficit, sed se per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendit.» Et in Epist. 4, ad Ecclesiam Constantinopolitanam, de Athanasio loquens, inquit: «In hac sede quietem communionis invenit, a qua semper Catholicis subvenitur.» Et epist. 5 ad Nestor., curam fidei et omnium Ecclesiarum ad se dicit pertinere; idemque ex cæteris ejus epistolis aperte colligitur.

11. Trigesimo, ex Leone Papa multa in superioribus adducta sunt, nam in omnibus fere epistolis se ostendit universæ Ecclesiæ pastorem, ut epist. 4, in initio, verbis etiam expressit, dicens: «Divinis præceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.» Notanda etiam est epist. 47 ad Synodum Chalcedonensem, in qua, cum dixisset voluntatem imperatoris fuisse ut congregaretur Concilium, addit, «Beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato;» et infra dicit per suos vicarios se in universali Synodo præsidere. Et epist. 53, in qua reprehendit Anatolium, Patriarcham Constantinopolitanum, eo quod Alexandrinæ et Antiochenæ Ecclesiæ præferri voluisset, quod in duabus sequentibus epistolis repetit; et in posteriori, quæ est ad Pulcheriam Augustam, sic inquit: «Consensiones Episcoporum, sanctorum canonum in Nicæna Synodo conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, et per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.» Optima est etiam epist. 84 ad Anastasium, Thessalonicensem Episcopum, cui, ut ipse dicit, vices suas delegaverat, «ut curam» (ait) «quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adjuvares;» et in epist. 89 ad Episcopos Viennensis provinciæ ex professo declarat divinam institutionem

de ecclesiastica monarchia in Petro, et ejus successoribus Romanis Episcopis. Quam inter alia probat ex consuetudine consulendi eamdem Sedem, apellandi ad illam, et quod ab illa fuerint retractata, vel confirmata judicia, quam «dignitatem divinitus datam, se tueri dicit, «non sua quærens, sed quæ sunt Christi.» Idem optime tractat in sermonibus de Assumptione sua, præsertim in tertio.

12. Trigesimo primo, idem profitetur Hilarius Papa, epist. 3 ad Ascanium Episcopum, et in principio Concilii Romani sub ipso congregati. Trigesimo secundo, idem supponit Simplicius, epistol. 1 ad Zenonem, Hispalensem Episcopum, cui Apostolicæ Sedis vices committit; et in epist. 3 ad Zenonem imperatorem quem filium vocat, et ad fidem tuendam excitat, dicens inferius: «Perstat enim in successoribus suis» (id est Leonis Papæ) «hæc et eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit,» etc. Et in epist. 4 ad Acacium, habet illa verba notanda: «Quia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum ex tanta doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis recte sapere videtur, novis assertionibus non indiget edoceri.» Et epist. 9 ad Zenonem Augustum: «Ecclesiarum» (inquit) «omnium curam sustinens,» etc. Quod etiam ostendit in epistola decima tertia ad eumdem, ubi etiam in quodam canone Concilii Nicæni dispensat.

13. Trigesimo tertio, magnus præterea hujus dignitatis defensor fuit Gelasius 1, epist. 2 ad Episcopos Dardaniæ, et 6 ad Episcopos Lucaniæ, cap. 11 et 27, et maxime in epistola 10 ad Anastasium imperatorem, ubi veritatem hanc late confirmat, et quantum Pontifex imperatorem, quem filium vocat, antecellat, declarat. Et in epist. 11 ad Dardanos, testatur Apostolicam Sedem omnes Synodos confirmare, et nullum Episcopum posse judicium ejus subterfugere, etc. Multaque similia habet in commonitorio ad Faustum, et in tomo de Vinculo anathematis, et maxime in decreto de Apocryphis scripturis, in principio. Trigesimo quarto, Anastasius in epistola ad Anastasium Augus-

tum, illum monet ut suis mandatis obediat, quia sedes Petri ex ordinatione divina in universali Ecclesia tenet principatum. Trigesimo quinto, idem latius ostendit Symmachus, in Apologet. contra eumdem Anastasium Augustum, ex quo multa in superioribus desumpsimus. Trigesimo sexto, Hormisda, Epist. 1 ad Anastasium Augustum, jam aliquo modo correctum, eum laudat, dicens: «De orthodoxa concordia cogitatis, Ecclesiæ, in B. Apostoli Petri reverentia, divina specialiter præcepta servantes.» Et infra: «Directis ad nos sacris affatibus, commemorationem Sancti Concilii facere pietas vestra dignata est. De qua re tunc plenissimum poterimus præbere responsum, dum causam congregationis nos volueritis evidenter agnoscere. In quibus verbis satis ostendit decretum Concilii congregandi ad se, et causa cognita pertinere, de qua re plures epistolæ inter eosdem Pontificem et imperatorem videri possunt. Et similia habet idem Pontifex in epist. 22 ad Justinum imperatorem, cum multis sequentibus.

14. Trigesimo septimo, Bonifacius II, in epist. ad Eulalium, Alexandrinum Episcopum, in principio, eamdem dignitatem et fiduciam in potestate Petri ostendit. Trigesimo octavo, idem optime Joanes II, epist. 2 ad Justinianum imperatorem. Trigesimo nono, Vigilius Papa, epist. 1, cap. 7, sic ait: «Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti, dubium est quod Romana Ecclesia forma et fundamentum sit Ecclesiarum», etc. Idem sumitur ex epistola ejusdem 2 ad Justinianum Augustum, quem filium appellat. Idem ex epist. 4 ad Aurelianum Episcopum, et in fragmento Theodori, Episcopi Cæsareæ, et aliorum, et ex epistola 7 ad universum populum Dei. Quadragesimo, Pelagius I, in epist. 1 ad Vigilium, in fine, post confutationem cujusdam erroris, addit: «Det operam tua dilectio, ut omnibus Ecclesiæ filiis innotescat», etc.; et subjungit rationem: «Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus Domino Jesu Christo est glorificata confessio, et cujus fides omnes hæreses destruit». Epistola etiam 3 optima est, et valde notanda

pro his quæ in sequentibus dicemus; et epistola 5, in dubitationibus circa universales Synodos, ad sedem Apostolicam esse recurrendum. Quadragesimo primo, Joannes III, in epistola ad Episcopos Germaniæ et Galliæ dicit, eos suis litteris Apostolicis admonere, antecessorum vestigia sequendo, et iterum versus finem: «Monente (inquit) Dominicæ vocis imperio, quo Beatissimus Apostulos Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, ut Christi oves, qui Christum amat, diligenter et cum magna cura pascat; quoniam ipsius Sanctæ Sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præsumus, ipsius amore cohortamur», etc. Quadragesimo secundo, Pelagius II, epist. 2 contra Joannem, Constantinopolitanum Episcopum, qui primatum ambiebat, inquit: «Rejecta penitus audacia, quæ contra Apostolicam Sedem, et contra ipsam Domini Salvatoris vocem sumpta est, disputandi contra Domini præcepta vana errantium corda conquiescant», et cætera, quæ late prosequitur, docens, Romanam Sedem, instituente Domino, caput esse ommium Ecclesiarum, ad ipsamque pertinere Concilia congregare, nec posse legitima esse, quæ illius auctoritate non fulciantur.

15. Quadragesimo tertio, Magnus tandem Gregorius, qui usque ad sexcentesimum decimum annum Domini Ecclesiæ præsedit, eamdem Pontificiam auctoritatem actibus exercuit, et verbis confirmavit, ut ex epistolis ejus constat, ex quibus aliqua breviter perstringemus. Nam, generatim loquendo, in omnibus fere illis curam universalis pastoris egregie demonstrat, et præsertim notanda est epistola vigesima quarta, libro 1. quæ est ad omnes orbis Patriarchas, in qua onus sibi impositum exaggerat, et quinque generalia Concilia veneratur, et quasi denuo confirmat; et epist. 71: «Quanto Apostolicæ Sedi» (ait) «ab Ecclesiis cæteris reverentia exhibetur, tanto eam in earum decet esse tuitione sollicitam»; et lib. 1, indic. 11, epist. 7, cap. 46, potestatem supra omnes Episcopos, et ad omnes causas arduas terminandas profitetur et exercet. Postea vero libro 3, epistol. 32, alias indict. 13, cap. 76, graviter reprehen-

dit elationem Joannis Constantinop., et minatur coercitionem, nisi resipiscat, et per occasionem dicit: «Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica totius Ecclesiæ cura et principatus committitur». Quæ etiam repetit libro 7, epistola 69, ubi etiam dicit, sine Apostolicæ Sedis consensu et auctoritate nullum Concilium vires habere. Et in eodem libro, epist. 64, agens de eodem Episcopo Constantinopolitano, ait: «In quodam crimine Bysantius primas fuerat accusatus, et piissimus imperator eum juxta statuta canonica per nos voluit judicari». Et infra de eodem primate ait, «quod se dicit sedi Apostolicæ subjici; si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit». Et l. 6, indict. 15, cap. 201, ad Eulogium, Alexandrinum Episcopum, refert illius Patriarchæ epistolam, in qua recognoscit cathedram Petri in Sede Romana, et adjungit: «Quis est qui nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam»? et c. Libro 4, epist. 51, alias cap. 93, pallium mittit cuidam Episcopo. Idem, epist. 54; et sæpe Episcopos confirmat, et interdum deponit vel excommunicat. Et lib. 7, epist. 125: «Quæ semel» (inquit) «Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nihil egent firmitatis», etc.; et innumera similia in illis epistolis inveniuntur.

16. Præcipue vero notandus est insignis locus ejusdem Pontificis super quintum Psalmum Pœnitentiæ, circa illa verba: «Qui laudabant me, adversus me, jurabant». Ibi enim quasi describens hujus temporis schismata, inquit: «Erroris vesania nostris maxime temporibus malitiæ suæ virus exercuit. Et totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbavit. Concitavit enim adversus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit ut inter reges habeatur, qui destruit potius quam regat imperium, et quotcumque habere potest perversitatis suæ socios, eos a consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus sponsam Christi

fficit captivam, cupit abducere, et passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit evacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste potestatis regiæ jura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosorum principum exemplo devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, a quo suæ dominium accepit potestatis. Ipse enim est, qui ait: Per me reges regnant. Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, et divino, ut patet, ingratus beneficio, et contra Deum fastuosus, terminos, quos posuerunt patres nostri, contempto divino timore, trasgreditur, et contra catholicam veritatem suæ furore tyrannidis effertur. In tantum autem suæ demeritatem extendit vesaniæ, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, et in domina gentium terræ jus potestatis usurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: Tibi dabo Ecclesiam meam. Obstruatur ergo os loquentium iniqua, et omnis hæreticorum acies obmutescat; quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis invenitur destructum.»

17. *Posteriores etiam Pontifices æque constanter suum primatum tutati sunt.*—Sicut his sex primis sæculis Romani Pontifices primatus sui testimonium et manifestissima signa dederunt, ita prorsus in omnibus posterioribus sæculis ipsorum successores constantissime docuerunt, et pro hac veritate ad unitatem fidei et Ecclesiæ conservandam necessaria maxime propugnarunt. Non existimo autem opportunum singulorum sententias sigillatim prosequi, tum quia Protestantes de his maxime posterioribus Pontificibus hoc non negant; tum etiam quia omnia jura et decreta canonica, quæ in Decreto et Decretalibus continentur, plena sunt hujusmodi testimoniis. Quædam vero insigniora loca, quæ præsenti controversiæ magis videntur accomodata, designanda breviter censui. Videndæ ergo sunt

epistolæ Honorii I ad Eduinum, regem Anglorum, et Honorium Episcopum, nam ex illis constat, tum regem, tum Episcopos Angliæ, ab Apostolica sede spiritualia jura impetrasse vel accepisse. Nam ibi Pontifex ad regis petitionem duo pallia mitti duobus Metropolitanis, et utrique, ut auctoritate Papæ successorem in morte possit sibi subrogare, concedit. Videri etiam potest epistola Leonis II ad Episcopos Hispaniæ de recipienda sexta Synodo; cujus fit mentio in Concilio Toletan. 14, eamque integram refert ex vetusto et authentico codice Garcias Loaisa in sua collectione Conciliorum Hispaniæ. In illa ergo Leo Romanam Ecclesiam, et Apostolicam sedem, Sanctam Ecclesiam omnium matrem appellat, et de se ait: «Nos licet impares vice tamen Apostolorum Principis fungimur.» Et similiter Benedictus II, in ep. ad idem Concilium in eodem loco relata: «Beati (inquit) Petri Apostolorum Principis licet impares pro commisso, divina ope, ministerio locum implemus.» Est etiam consulenda ep. Agathonis ad Constantinum imperatorem, quæ habetur in sexta Synodo, act. 4, ubi loca Evangelii supra tractata ad Romanam Ecclesiam pertinere ostendit, et in hoc maxime insistit, quod in fide nunquam erravit, nec errare potest.

18. Est etiam valde notanda epistola Adriani I ad imperatores Constantinum et Irenem, quæ habetur in Septima Synodo. Nam in priori parte ejus, imperatorem exhortatur «ad permanendum in fide Petri et Ecclesiæ Romanæ, et ad honorandam Sanctissimam Romanam Ecclesiam, Principem Apostolorum, sicut a superioribus piis imperatoribus factum est, qui ex toto corde Vicarium ejus dilexerunt.» In altera vero parte, quæ a Græcis omissa est, tamen in Vaticana Bibliotheca servatur, et ab Anastasio addita est, de hac sede dicit: «In toto orbe terrarum primatu fungens, caput omnium Ecclesiarum constituta est», etc., reprehenditque Patriarcham Constantinopolit., quod auderet universalis Episcopi nomen assumere, cum neque in secundo ordine sine auctoritate Pontificis Romani unquam potuerit nomen habere. Et addit notanda verba: «Quod

super prælatam sibi Sanctam Romanam Ecclesiam quæ est aput omnium Ecclesiarum, describatur, tanquam Sanctarum ynodorum rebellem, atque hæreticum se manifestare certum st. Quia si universalis est, etiam nostræ Sedis primatum habe- dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus christianis pparet, quia in toto orbe terrarum a Redemptore mundi B. Petro postolo principatus ac potestas data est, et per eumdem Apos- lum Ecclesia Romana usque hactenus tenet principatum, po- statem et auctoritatem.

19. Præterea Nicolaus I, in suis epistolis, sæpe hanc veri- tem profitetur, præsertim ad Photium, et in septima respon- one ejus, copiose vero et efficaciter in epistola 8, ad Michae- m imperatorem, quæ est prima ad ipsum, et in altera ad mdem idem confirmat, et in 10, ad Episcopos Constantinopo- tanæ sedi subjectos, et in 18, 20 et 30, et fere in reliquis. ulta etiam similia habentur in epistolis Joannis VIII, quæ licet tomis Conciliorum non habeantur, in 3 tomo epistolarum ntificalium novissime editæ sunt; specialiter vero in episto- 73 ad Lambertum Comitem, notari possunt illa verba: «Se- em Apostolicam, quam Deus omnipotens supra petram sui no- inis fundare dignatus est, non solum reges et principes terræ, rum etiam imperatores Augusti, et totius orbis domini suis icibus, utpote caput omnium Ecclesiarum Dei honoraverunt, gnisque præconiis ejus Pontifices, Vicarios scilicet B. Petri, postolorum principis, laudaverunt, votisque supplicibus de- ecari studuerunt, et usque in finem sæculi, Petri manente no- ine ac memoria, supplicare non desinent.» Idem epistola 84 Ludovicum regem, Caroli imperatoris filium, quem vice patris um a secretis consiliarium constituit.

20 Deinde Leo IX, in Apologia contra Michaelem et Leo- m, c. 9, inter hæreses Orientalium Episcoporum ponit præ- mptionem assumendi nomen universalis Episcopi, quod ait mano Episcopo oblatum esse a Synodo Chalcedonensi, et et post Christum illi maxime convenire possit, propter mo-

destiam et humilitatem illud non acceptasse; et c. 10 decern de Apostolica Sede neminem mortalium posse facere judiciur «Beatissimo (inquit) et Apostolico Pontifice Sylvestro divinit decernente, spiritualique ejus filio Constantino, religiosissin Augusto, universa Nicæna Synodo approbante ac subscribe te», etc. Videri etiam potest ejus epist. ad Petrum Episcopu Antiochenum, et epistola ad Constantinum Monomachum in peratorem. Gregorius item VII, in suis epistolarum libris mul habet in hujus veritatis confirmationem; specialiter autem vid ri possunt in lib. 1, epist. 63 ad Regem Aragoniæ, et 64 ad A phonsum et Sancium, reges Hispaniæ, ubi fidelitatem eorum Apostolicam Sedem laudat, et concordiam cum illa commenda et lib. 3, epist. 10 ad Henricum regem, ubi in ipsa salutatio ait: «Henrico regi salutem, et Apostolicam benedictionem, tamen Apostolicæ Sedi, sicut christianum regem decet, obedi rit», etc. Et deinceps tota epistola est in confirmationem R mani primatus; et postea excommunicat Sigefredum, Mogun num Archiepiscopum, et alios, propter schisma ab Eccles Romana. Et tandem ipsum etiam regem excommunicat, et «or nes Christianos a vinculo juramenti, quod illi fecerunt, vel f cient, absolvit, et ut nullus ei serviat, interdicit.» Libro aut 4, epist. 12 ad Episcopos et principes regni Theutonicoru refert qualiter idem rex, humiliatus ad pœnitentiam, «absol tionis veniam impetraverit», recepto ab eo securitatis jurame to. Et in eodem libro, epist. ult. ad regem et principes Hisp niæ, eamdem curam universalem profitetur, ut latius ibi vid potest. Innocentius etiam III egregie de primatu Ecclesiæ R manæ scripsit in sermone 2 de Consecr. Pontificis; et in var epistolis decretalibus, tam libro primo quam secundo, sæ idem repetit. Ac denique fere in omnibus Bullis, Constitutio bus, et Extravagantibus, eamdem supremam potestatem mod ni Pontifices exercuerunt semper, et exercent. Est ergo evide in hoc puncto perpetua eorumdem Pontificum traditio, et co sensio.

CAPUT XVI

ccurritur protestantibus, argumentum ex pontificum traditione sumptum eludentibus, et auctoritate conciliorum confirmatur.

1. *Primus evadendi modus.*—Altero vero e duobus modis lent adversarii Ecclesiæ Romanæ allatis testimoniis Pontifim respondere. Prior est, non constare prædictas epistolas detales esse legitimas; imo multa in eis reprehendunt, propter æ earum auctoritatem contemnunt. Verumtamen hæc resnsio non solum apud Catholicos, sed etiam apud quoscumque uditos et prudentes viros tanquam frivola et incredibilis rejienda est, ut late ostendit noster Franciscus Turrianus, in libris defensionem illarum epistolarum editis, in quibus omnibus lumniis Magdeburgensium respondet Nos autem breviter imus, imprimis tantam esse epistolarum antiquitatem, ut neri non possit ad confutandos novos errores fuisse conflictas. æterea de Leonis I epistolis nullus hactenus dubitavit, et ten ipse, in epist. 2, c. 5. «custodire mandat» omnia decreta constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omum prædecessorum suorum. Et clarius Gelasius Papa, qui te mille centum annos fuit, in decreto de Libris authenticis, od Gratianus etiam refert, dist. 15, cap. 3, sic inquit: «Detales epistolæ, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab be Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, verabiliter suscipiendæ sunt.» Idemque post trecentos et quinaginta fere annos confirmavit Nicolaus I, in epist. 42 ad Epispos Galliæ, cujus magnam partem Gratianus inseruit Decreto, tinct. 19, cap. 1. D. Item Hieronymus, epist. 11 ad Geruch., tatur, aliquando juvisse Damasum, Orientis atque Occidentis

consultationibus respondentem. Non potest ergo dubitari fuiss consuetudinem Pontificum Romanorum per has epistolas Eccle siam gubernandi ; ergo neque verisimile est omnes periisse neque alias esse, nisi quæ in Ecclesia Romana receptæ et ser vatæ sunt.

2. Ad hæc multæ ex his epistolis insertæ sunt et connexæ cum epistolis aliorum Patrum, quæ in dubium revocari non pos sunt sine magna impudentia et temeritate. Ut patet ex epistoli Cornelii cum epistolis Cypriani ; Innocentii, cum scriptis Chry sostomi et Augustini. Item ex epistola Marci Pontificis cum epis tola Athanasii ad eumdem ; itemque ex epistola Liberii. Item e multis aliis inter epistolas Hieronymi et Augustini. Item ex epis tola Theodoreti ad Leonem cum responso ejus. Quædam etiam sunt inter alia opera eorumdem Pontificum recepta, ut inter oper Gregorii, Leonis, etc. Neque est major ratio de illis, quam d cæteris operibus dubitandi. Multæ item a gravissimis historio graphis referuntur, ut capite sequenti probabo. Extant prætere antiquissima exemplaria plurium epistolarum in Vaticana Biblio theca, ex quibus summa fide et diligentia novissime editæ sun et correctæ. Denique, quanquam de una vel altera epistola, ve parte ejus posset aliqua ratio dubitationis vel suspicionis oriri nihilominus quod attinet ad præsentem causam, tantam habe mus impositam nubem testium (ut verbis Pauli utar), tantam que concordiam sententiarum et actionum supremæ jurisdic tionis, ut nullus, nisi nimis pertinax et impudens, dubitare possit quin hic fuerit omnium Romanorum Pontificum sensus et consensus, universa item Ecclesia cume eis conspirante e consentiente.

3. *Confutatur alia evasio.* —Tunc vero occurrit altera res ponsio dicentium, in hoc negotio non esse Pontificum testimo nium audiendum, quia nemo in propria causa est legitimus testis. Verumtamen hæc etiam responsio a viro catholico audi ri non potest. Primo, quia revera Pontifices Romani in hoc ne gotio non tam sunt testes in propria causa, quam in causa

hristi et universali totius Ecclesiæ. Deinde, quia non tam unt testes quam judices in similibus causis, nam ad eos spectat ogmata fidei declarare, et Ecclesiæ proponere, ut in superiori- us visum est; hic autem articulus ad dogmata fidei pertinet, t iidem Pontifices eadem certitudine decernunt, et ex divina criptura in superioribus probatum est. Unde sive judices, sive estes dicantur, non proprio, sed divino spiritu ducti, veritatem ocuisse credendi sunt. Præterea, etiam si eorum testimonium t humanum consideretur, maximæ auctoritatis est, et rem fa- it evidenter credibilem; nam credibile non est in hoc puncto er ignorantiam errasse, quia aliqui eorum fuerunt sapientissi- i, nonnulli vero Apostolorum discipuli fuerunt, et cum eis miliariter conversati sunt, præsertim Clemens et Anacletus, uos fuisse Petri diaconos Ignatius testatur in Epist. 5 ad Tral- anos, per illos autem cum Lino, Cleto, et similibus hæc tradi- o ad successores pervenit. Fuerunt etiam illi viri sanctissimi, t propterea credi non possit ex ambitione et arrogantia potes- tem sibi non datam usurpare voluisse. Multi etiam ex illis fi- em suam suo sanguine consignarunt. Cum ergo hunc articulum ter dogmata fidei docerent, non solum verbo, sed etiam vita morte sua illum confirmatum reliquerunt. Denique cum rex ngliæ profiteatur, se non audere antiquis Patribus primorum eculorum resistere, si constanter loqui velit, necesse est ut in ntorum Patrum conspectu taceat, eisque contradicere non ideat. Ut autem illum amplius urgeamus, addemus quatuor oncilia generalia, quæ ipse veneratur, mire cum dictis Ponti- cibus consentientia.

4. *Traditio Pontificum ex quatuor Conciliis generalibus ro- ratur.*—Concilium itaque Nicænum 1, lib. 3, in canonibus mptis ex Julio Papa I, epist. 2, in canon. 1, sic dicitur: «Non ebent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.» t canon. 2: «Episcopi in gravioribus causis libere Apostoli- m appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confu- ant», etc. Et canon. 3: «Dum iterato judicat Apostolicæ

Sedis Pontifex causam Episcopi, nullus alius in ejus loco ordinetur»; et redditur ratio, «quia inconsulto Romano Pontifice, non est permissum tales causas omnino definire», cum Petro dictum sit a Domino: «Quodcumque ligaveris», etc. Et in canonibus 80 ex Græco et Arabico translatis, in can. 39, sic dicitur: «Ita præest Patriarcha iis omnibus, qui sub potestate ejus sunt, sicut ille, qui tenet sedem Romæ, caput est, et princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, et omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, et universam Ecclesiam Christianam, et quicumque contradixerit, a Synodo excommunicatur.» De quo canone videnda sunt, quæ in tom. 1 Conciliorum notantur. Et illi concordat Concilium Sardicense, in can. 4 et 7, quæ sunt de causis Episcoporum a Pontifice Romano terminandis.

5. Deinde in Concilio Constantinopolitano I, can. 3, alias 3, dicitur: «Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum.» In quo canone unum supponitur, et aliud statuitur. Supponitur quidem, Summum Pontificem habere primatum in Ecclesia, et hoc est quod nunc ad nos spectat; nam generale Concilium id supponit, quod pro certo et indubitato habuit. Neque fingere potest rex Angliæ Concilium loqui de primatu solum ratione politici ordinis, quoad aliquem externum splendorem, vel honorem; nam loquitur de primatu eo modo quo ab ipsis Romanis Pontificibus gerebatur, jurisdictione nimirum et potestate; et canon. 2, proxime præcedente, constat Concilium loqui de primatu in regimine et gubernatione Ecclesiæ. Altera vero pars illius canonis multis temporibus recepta non est, ut constat ex Leone Papa, epist. 53, alias 51, ad Anatolium, cap. 2, et ex duabus sequentibus ad Marcianum et Pulcheriam Augustos. Et ex Gregorio, lib. 6 Epistolarum, epist. 31 et 37; et ex Nicolao I. et Leone IX, locis supra citatis. Sed hoc etiam primatum Ecclesiæ Romanæ commendat; ideo enim statutum illud, neque

tunc, neque post multa tempora vim habuit, quia Romana Ecclesia illud non probavit; quando vero illa consensit, habere cœpit effectum, ut constat ex Innocentio III, cum Concilio Lateranensi, cap. «Antiqua,» de Privilegiis.

6. Præterea Concilium Ephesinum I, in epist. ad Cœlestinum Papam, quæ habetur tomo quarto illius Synodi, c. 17, illum tanquam supremum Pastorem et fidei judicem alloquitur in hunc modum: «Sanctitatis Tuæ circa pietatem, zelum, ejusdemque circa fidei sinceritatem, curam nostri omnium Servatori apprime gratam et placitam cum omni admiratione complectimur: est enim vobis tam eximiis in more positum, ut in omnibus celebres sitis, studiaque vestra solida Ecclesiarum firmamenta constituatis.» Ubi certe non tantum de persona Cœlestini, sed de more ipsius sedis loquitur, unde subjungit: «Quia vero necessitas exigebat ut omnia, quæ in hac sacra Synodo acciderunt, Sanctitati Tuæ declarentur, non potuimus hisce nostris litteris ad Tuam Sanctitatem non perscribere», etc. In quibus verbis etiam ostendunt dependentiam a Pontifice Romano. Unde tomo secundo ejusdem Concilii, c. 15, cum totum Concilium, auditis Cœlestini litteris in absentia legatorum ejus, acclamasset, et illius instructionem secutum fuisset, cumque legati postea advenissent, et quod factum fuerat intellexissent, Philippus unus ex illis dixit: «Gratias agimus sanctæ venerandæque huic Synodo, quod litteris Cœlestini Sanctissimi Beatissimique Papæ vobis recitatis, sancta Ecclesiæ membra sanctis vestris vocibus, piisque præconiis, sancto vestro capiti vos exhibueritis; non enim ignara est vestra beatitudo totius fidei, cæterorumque omnium Apostolorum caput Beatum Apostolum Petrum extitisse » Quod iterum latius repetit idem Philippus, dicens nulli esse dubium, Petrum fuisse Christi Vicarium ab ipso constitutum, necnon per successores suos huc usque semper vivere, ejusque successorem et Vicarium sanctum esse Romanum Pontificem. Quos sermones sacra Synodus detestata non est, sed potius consensit legatis apostolicis, et magna confor-

mitate eidem fidei cum illis subscripsit. Et cap. 17, in epist. Synodi ad Imperatores, inter alia referunt, Cœlestinum litteras misisse ad Cyrillum, ut suas in hac parte vices subiens, Romæ definita perficeret, et postea misisse Philippum presbyterum, «qui Sanctissimi Cœlestini» (inquit) «personam hic sustinet.» Multaque alia similia evidentia signa primatus pontificii in illo Concilio leguntur.

7. Neque pauciora reperimus in Concilio Chalcedonensi, in quo fuerunt etiam legati Leonis Papæ, loco illius Concilio præsidentes, ex quibus Paschasius, Act. 1, in principio, sic locutus est: «Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur;» et totum Concilium Leoni tanquam capiti obedivit. Et in Act. 2, lectis Leonis epistolis, omnes Concilii Patres dixerunt: «Ita credimus; Petrus per Leonem ita locutus est.» Et in Act. 3, Leo sæpe vocatur «universalis Patriarcha, et universalis Archiepiscopus;» et circa medium, Julianus Episcopus dixit ad legatos Papæ: «Nunc Vestra Sanctitas Primatum tenet sanctissimi Leonis.» Et infra: «Petimus Vestram Sanctitatem, qui habetis locum Sanctissimi Papæ Leonis, contra eum» (id est, contra Dioscorum) «proferre sententiam,» etc., quæ omnia partim nomine totius Concilii fiebant, partim illis consentiebat. Præter hæc refert Surius, in fine actionis 15 ejusdem Concilii, sequentes sententias: «Veneramur, secundum Scripturas et canonum definitionem, sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse, et maximum omnium Episcoporum.» Item alia: «Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum Antiquæ Romæ, quia Petrum habemus petram refugii, et ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi Episcopi criminati infamiam secundum claves a Domino sibi datas.» Item: «Alia omnia ab eo definita teneantur tanquam a

Vicario Apostolici throni.» Hæ vero sententiæ non inveniuntur nunc in Concilio Chalcedon., sed eas allegat Surius ex D. Thoma, in Opusculo contra errores Græcorum, apud quem invenio 2 et 3, in c. 32, § «Ostenditur etiam quod Petrus;» primam autem ibi non invenio, sed in § «Ostenditur etiam quod Prædictus,» sic inquit: «Legitur in Chalcedonensi Concilio, quod tota Synodus clamavit Leoni Papæ: Sanctissimus Apostolicus et universalis Patriarcha per multos annos vivat.

8. Præter hæc vero sunt expressa testimonia ejusdem Concilii, act. 16, in epist. ad Leonem, in qua referuntur gesta in Concilio, ubi prius ex illo Matth., 16: «Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,» inferunt, «quantam circa sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui et patriæ, et labori, suæ confessionis notitiam prætulerunt, quibus tu quidem sicut membris caput præeras in iis qui tuum tenebant ordinem.» Et infra, Eutychetis scelera referens, ait: «Et eos quidem, qui ea, quæ pastoris sunt, sapiunt, abscidit; eos vero qui lupi demonstrati sunt, super oves imposuit, et post hæc omnia insuper et contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem. Et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas.» Et inferius petunt confirmationem decretorum ab ipsis, et specialiter circa præeminentiam Patriarchæ Constantinopolitani. Et quamvis hoc Pontifex non probaverit, ut supra diximus, tamen in ipsa petitione confitetur Synodus primatum Pontificis, et ita exponunt decretum secundæ Synodi supra relatum: «Quæ præcepit» (aiunt), «post vestram sanctissimam et Apostolicam sedem honorem habere Constantinopolitanam, quæ est secunda ordinata, confidentes quia lucente apud vos apostolico radio, usque ad Constantinopolitanam Ecclesiam consuete gubernando, illum spargentes, hunc sæpius expanditis,» etc.

9. *Ex aliis synodis eadem traditio confirmatur.* — Eodem modo confirmari potest eadem traditio, ex multis quæ haben-

tur in quinta Synodo generali, Constantinopolitana II, a Vigilio Papa confirmata. Item ex sexta Synodo, act. 17 et 18, et ex septima Synodo sub Adriano Papa coacta, quæ sub ejus obedientia, et juxta ejus instructionem in omnibus processit, ut ex act. 7, in fine, colligitur. In octava etiam Synodo extat canon. 21, in quo primatus tribuitur Ecclesiæ Romanæ, quam vocat sedem Petri, principis Apostolorum. Et ut alia omittam, quæ, si legitima fuerunt, sub obedientia Romanæ Sedis semper processerunt, specialiter hanc veritatem docuit Concilium Lateranense, sub Innocentio III, c. 5 et 6; et expressius eam definit Concilium Florentinum in litteris unionis, Græcis cum Latinis consentientibus his verbis: «Definimus sanctam apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem obtinere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam potestatem datam esse,» etc. Denique Concilium Tridentinum a principio, et in toto suo progressu Pontificis auctoritatem recognoscit, ejusque confirmationem in fine postulat, et specialiter session. 6, cap. 1, de Reformatione, eum vocat Dei in terris Vicarium, habentem supremæ sedis auctoritatem.

10. Ex Conciliis etiam provincialibus possent multa congeri, quæ brevitatis causa prætermittimus; videri tamen possunt Concilium Romanum sub Sylvestro, et Romanum III et IV sub Symmacho, et Concilium IV Aurelianense, c. 1; et Concilium Carthaginense, et Milevitanum, in epist. ad Innocentium Papam, quæ sunt 90 et 92 inter epistolas Augustini, in quibus auctoritas Ecclesiæ Romanæ ad plenam hæresis damnationem postulatur. Quod etiam confirmant alii Episcopi cum eodem Augustino, in ep. 93, ad eumdem Innocentium, quarum facit etiam mentionem idem Augustinus, in epist. 106, dicens:

«Ex duobus Conciliis Carthaginensi et Milevitano, relationes ad Apostolorum sedem missæ sunt; scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium præter Conciliorum relationes epistolas familiares,» etc. «Ad omnia nobilis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem.» Et concordat cum illis Concilium Africanum sub Bonifacio, cap. 35.

11. Præter hæc vero animadverti potest Concilium Turonicum II, in cujus c. 21 habentur illa notanda verba: «Quis sacerdotum contra decreta, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat.» Et fere similia habet Concilium Bracharense I, c. 18, ubi omnes Episcopi dixerunt, conveniens esse ut omnia inter ipsos concordi celebrarentur officio, et adjungunt, «præcipue cum et de certis quibusdam causis instructionem apud nos Sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationes suas quondam venerandæ memoriæ Profuturi prudenti ab ipsa Beatissimi Petri accepit cathedra.» Et addidit Lucretius, Bracharensis Episcopus: «Recte Paternitas Vestra auctoritatem Sedis Apostolicæ recordata est,» etc. Et statim 22 et 23 statuunt, ut in ordine Missæ et baptismi prædictam instructionem Romanæ Sedis sequantur. Unde Concilium Toletanum I, in assertione fidei, in ultimo anathematismo dicit: «Si quis in salutaris baptismo contra sedem Sancti Petri aliquid faciat, anathema sit.» Maxime vero nostrum propositum confirmant verba Concilii Toletani III, satis antiqui, can. 1: «Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul et synodicæ Sanctorum Præsulum Romanorum epistolæ.» His enim verbis satis constat, quanta fuerit eo tempore auctoritas non solum Ecclesiæ Romanæ, sed etiam epistolarum decretalium ejus, de quibus simile decretum habetur in Concilio Toletano XIV, capite undecimo.

CAPUT XVII

Eadem traditio Patrum auctoritate confirmatur

1. Quamvis ad confirmandam fidem de Romani Pontificis primatu satis superque sit auctoritas Pontificum et Conciliorum, nihilominus non est omittenda auctoritas Sanctorum Patrum, ex quibus nonnullos supra adduximus, qui successioni Pontificis Romani in cathedra Petri expressum testimonium præbuerunt; nunc vero alii inducendi sunt, qui de excellentia ipsius cathedræ ejusque dignitate testificentur, quibus et concordia traditionis evidentius constabit, et eorum auctoritate fortasse rex Angliæ, qui aliquid Patribus deferre videtur, magis movebitur. Est autem præ oculis habendum eosdem argumentandi modos ex Doctoribus posse desumi, quos in Pontificibus adnotavimus, nimirum ex verbis et titulis, quibus Romanos Pontifices honorant, ex actibus supremæ jurisdictionis spiritualis, quos illis tribuunt, et ex illustrioribus sententiis, quibus eorum primatum profitentur. Prius ergo a Græcis, qui in præsenti causa minus suspecti judicari possunt, incipiemus.

2. Primo ergo Ignatius, in ep. 15 ad Romanos, Romanam Ecclesiam honorificentissime salutat, et de illa dicit: «Quæ præsidet in loco Romanæ regionis.» Polycarpus item cum «Romam venit, ad Anicetum Ecclesiam in urbe regentem,» ut eum de Paschæ quæstione consuleret (teste Hieronymo, de Scriptoribus ecclesiasticis, in Polycarpo; et Irenæo lib. 3, c. 3), satis recognovisse videtur Pontificem Romanum ut Pastorem et fidei magistrum. Clarius vero et uberius Irenæus, lib. 3, c. 3, Romanam Ecclesiam maximam et antiquissimam vocat, et ab Apostolis Petro et Paulo fundatam esse dicit. Et subjungit: «Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse

est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles,» etc.

3. Deinde D. Athanasius, in epist. ad Marcum, Romanorum Episcopum, sic eum salutat: «Domino Sancto, et Apostolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ et Apostolicæ Sedis, atque universalis Ecclesiæ patri, Athanasius, et universi Ægyptiorum Episcopi, salutem.» Et infra petitionem subjungens, ait: «Optamus ut a vestra Sanctitate, sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater omnium Ecclesiarum,» etc. Et infra: «Vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis, et sumus, et esse semper volumus.» Et in epist. ad Felicem II, quæ inter acta ejusdem Felicis in tom. 1 Conciliorum habetur, ipse cum aliis Episcopis Ægypti auxilium Sedis Apostolicæ implorat his verbis: «Vestro Sancto suggerimus apostolatui, ut nostri more solito sollicitudinem gerere digneminí.» Et infra: «Quia semper antecessores nostri et nos a vestra Apostolica S. Sede auxilium hausimus, et nostri vos curam gerere agnovimus, præfatam apostolicam et summam expetimus juxta canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes et dogmata, atque sublevationes ceperunt. Ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus.» Et infra: «Quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus» (scilicet, de fide definire), «canonibus jubentibus. absque Romano nos de majoribus causis nihil debere decernere Pontifice.» Et infra: «Ob id vos, prædecessoresque vestros, Apostolicos, videlicet, Præsules in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam eis habere præcepit.» Et infra: «Cui omne Episcoporum judicium est commissum.» Et infra, de hoc primatu exponit locum Matt., 16, et auctoritate Concilii Nicæn. omnia confirmat. Huic concordat Basilius, epist. 52, quæ est ad eumdem Athanas., dicens: «Visum est mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur, consideret,» etc.

4. Gregorius etiam Nazianzenus, orat. 23, in laudem He-

ronis, commemorat Petrum Alexandrinum, Athanasii successorem, a sede sua pulsum a Lucio Ariano, ad Romanum Pontificem confugisse: «Ac per tacitam» (inquit «accusationem omnibus lachrymas movit, ut calamitatis magnitudinem in oculis, et aspectu deligerent, et auxilium nancisceretur, quemadmodum et nactum esse scimus.» In quibus verbis Nazianzenus, simul cum Petro Alexandrino, Pontificis auctoritatem ad judicandas etiam Orientis causas recognoscit. Quod etiam ex eodem Nazianzeno colligitur, orat. 52, quæ est secunda ad Cledonium, ubi commemorat Vitalium, Apollinaris sectatorem, quemdam fidei libellum fraudulenter edidisse, hæresim occulte profitendo; Damasum autem, fraude cognita, eum ab Ecclesiæ cœtu abdicasse; denique libellum cum anathematismo delevisse. Eodem modo Pontificiam potestatem testatus est Chrysostomus, in epistolis ad Innocentium I, petens ab illo auxilium contra eos qui injuste illum deposuerant, tum declarando depositionem fuisse irritam, tum puniendo malefactores, pro quibus tamen pie intercedit ut, si resipiscant, non excommunicentur, in hoc ipso potestatem Pontificis recognoscens.

5. Simili modo Cyrillus, in epistola ad Cœlestinum (1) in causa Nestorii, rem totam ad ipsum sicut ad caput retulit, et subjungit: «At quamvis res ita habeat, non prius tamen illius communionem deserere ausi sumus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus,» etc.; cui Cœlestinus respondit (2): Nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice et loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita sedulitate sententiam exequeris, nempe ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostræ numerationis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet.» Et infra: «Illico Sanctitas Tua illi Ecclesiæ prospiciat, is vero modis omnibus se a nostro corpore

(1) Quæ est 18 inter epist. Cyrilli, et habetur in Concilio Ephesino, tom. 1, c. 29.

(2) Ep. 12, inter epist. Cyrilli et dicto tom. 1, c. 16.

segregatum esse intelligat.» Cui epistolæ Cyrillus obedivit, ut constat ex ejus epistola ad Nestorium (1), quæ est de excommunicatione, dicens: «Quod nisi juxta tempus in litteris Cœlestini, sacratissimi Reverendissimique Romanorum Episcopi, expressum præstiteris, certo scias nullam tibi deinceps cum Episcopis et sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem, nullum denique inter eos locum futurum esse.» Et similia habet in sequenti epistola ad clerum populumque Constantinopolitanum. Refert præterea D. Thomas, opusc. 1, contra errores Græcorum, c. 32, § «Habetur,» eumdem Cyrillum in libro Thesaurorum dicentem: «Sicut Christus accepit a Patre plenissimam potestatem, sic et Petro, et ejus successoribus plenissime commisit.» Item, «nulli alii quam Petro, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.» Ubi particula «soli» non excludit successores, sed alios Apostolos; nam paulo post dicit dedisse Petro potestatem et Ecclesiæ. Et inferius ait D. Thomas: «Ostenditur etiam quod subesse Romano Pontifici sit de necessitate salutis; dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum: Itaque, fratres, si Christum imitamur, ut ipsius oves vocem ejus audiamus, manentes in Ecclesia Petri,» etc. Nec dubitandum est de his testimoniis, etiamsi nunc in Thesauro non inveniantur, tum propter D. Thomæ auctoritatem; tum etiam quia plures libros Thesauri periisse scimus.

6. *Ex consuetudine graviores causas ad Pontificem deferendi, idem primatus colligitur.* — Denique ex ecclesiasticis historiis a Græcis etiam conscriptis constat, antiquissimam Ecclesiæ praxim fuisse, ut in causis gravioribus ex tota Ecclesia etiam Orientali ad cathedram Petri fieret recursus, ad petendam vel fidei declarationem, vel alicujus hæresis damnationem, vel Synodi congregationem aut confirmationem, vel ad petendum judicium per modum appellationis, aut justæ defensionis, ex qui-

(1) Epist. 10, et dict. tom. 1, c. 14.

bus manifeste constat potestatem supremam Romani Episcopi omnibus Græcis a principio Ecclesiæ agnitam et creditam fuisse. Hujus autem praxis, præter testimonia adducta, optimum argumentum sumitur ex historia Eusebii, lib. 7, c. 24, ubi de Paulo Samosateno ait: «Ubi simul cum orthodoxa fide episcopatum amisisset, et ex Episcopi domo ejus Ecclesiæ propria exire nollet, imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissime quid esset agendum decrevit. Præcepit enim ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ et urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent.» Tanta enim erat fama publica primatus Romani inter Christianos Græcos, ut etiam gentiles non lateret, et ideo imperator, licet infidelis, eam sententiam protulit, sanctissime, ut ait Eusebius approbans sententiam illam, et consequenter etiam primatum, quia fidei conformis fuit, licet ab infideli lata fuerit.

7. Eadem traditio sumitur ex Theodoreto, lib. 2 Hist., c. 22, ubi de Conciliabulo Ariminensi ait: «Præjudicii vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, consentiente», etc.; et lib. 5, c. 10, refert, Damasum, post exortam sectam Apollinaris, illum et discipulum ejus Timotheum abdicasse, et per litteras Orientalibus significasse, quas ibi refert, earumque initium est: «Quod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuit, filii honoratissimi, vobis quoque ipsis maximo sane honori est. Nam, licet in sacta Ecclesia, in qua S. Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractanda sint, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse». Et infra significat idem Pontifex, Orientales Catholicos ad ipsum recurrisse, dicens: «Quid est cur abdicationem Timothei a me rursus requiratis, qui etiam hic judicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Episcopo Alexandrino præsente, abdicatus est una cum magistro Apollinario». Quibus omnibus Theodoretus assentitur. Imo ipse etiam cum

aliquando in fidei suspicionem venisset, ad Leonem Papam per epistolam confugit, dicens: «Ad Apostolicam vestram sedem currimus, ut Ecclesiarum ulceribus medicinam a vobis accipiamus; vobis enim per omnia primos esse convenit. Multis enim, quibus superiores estis, ornatur vestra sedes. Alias enim urbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo», etc. «Vestræ autem redundantem bonorum copiam dedit is, qui est omnium largitor, ea est enim omnium maxima, et præclarissima, et quæ præest orbi terrarum» et cætera, quæ late prosequitur.

8. Huic denique traditioni adstipulatur Socrates, lib. 2 Histor., cap. 3, ubi Concilium Antiochenum illegitimum fuisse significat, quia Julii Pontificis Romani auctoritatem non habuit: «Cum canon (ait) ecclesiasticus jubeat non oportere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiæ sancire. Et c. 11, referens Athanasium, et plures alios Orientales Episcopos ab Ecclesiis suis electos, Romam pervenisse, ut Julium Episcopum Romanum de suo statu certiorem facerent, inquit: «Quoniam Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat», et lib. 4, c. 3, similia referens de Petro Alexandrino, de illo adjungit: «Cum litteris Damasi, Episcopi Romani, reversus esset, populus illis confisus expellit Lucium, Petrum autem in locum illius introducit». Et Sozomenus, libro tertio Histor., capite octavo, referens fugam Athanasii et aliorum ad Julium Romanum Episcopum, abdit: «Quorum criminationes cum Episcopus Romanus intellexisset, in communionem recepit. Et cum propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suas Ecclesias restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit», etc. «Deditque mandatum, ut quidam illorum omnium nomine ad diem constitutum accederent. Et c. 9, alias litteras ejusdem Julii refert, in quibus præter alia illud continebatur, «legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur». Additque (quod notandum est) cum suis litteris apud rebelles Orientis Episcopos nihil proficeret, a

Constante imperatore quasi a sæculari brachio adjutorium postulasse, atque ita tandem Orientales Episcopos Romam venire coegisse; et lib. 6, c. 22, orta controversia de Spiritus Sancti dignitate, inquit: «Episcopus Romanus de ea certior factus, scripsit ad Episcopos Orientis litteras, ut una cum Episcopis et sacerdotibus Occidentis Trinitatem consubstantialem esse, et gloria æqualem crederent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis acquieverunt, sicque illa controversia finem habere visa est». Et hæc de Patribus Græcis sufficiunt.

9. *Patres Latini in eamdem veritatem conspirantes.*—Ex Latinis multa in superioribus capitibus et in primo libro adducta sunt, quæ hic non sunt repetenda, sed breviter insinuanda et aliqua ex parte locupletanda. Primo ergo Tertullianus, lib. de Præscript, c. 36: «Habes Romam, unde (inquit) auctoritas præsto est». Et lib. de Pudicit., c. 1, Episcopum Romanum vocat «Pontificem maximum, et Episcopum Episcoporum, ubi Pamelius plura ejusdem auctoris loca designat, quæ omitto, quia hic auctor cum ad Ecclesia Romana defecerit, non recte de primatu illius sensit, quamvis non omnimo illum ignoraverit. Magnus igitur et fidelis hujus veritatis assertor fuit Ciprianus, qui in suis epistolis sæpissime ad unitatem Ecclesiæ requirit unum supremum caput, illudque esse dicit in Ecclesia Romana, ut videri potest epist. 40, 45, 52 et 55, et 76, cujus verba sæpe retulimus. Item Ambrosius, Orat. de Satyro fratre, et 1 ad Timot., 3, et lib. 1 Epist., in 7, ad Siricium Papam, cum aliis Episcopis sic inquit: «Recognovimus litteras Sanctitatis Tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi januam serves, et pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant et sequantur». Et epist. 4 ad imperatores Gratianum, etc., agens de vitandis Arianis: «Quomodo (inquit) fieri potest ut eum, quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ judicemus? Quid etiam si de fuisset? tamen totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret,

obsecranda foret clementia vestra; inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanat», etc. Et ep. 9 ad Theophylact. Alexandrinum: «Referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant». Et infra: «Ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Eclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujus examinis adipiscamur». Quibus verbis ad Orientalem Episcopum scriptis, de consuetudine Romani Episcopi gubernandi etiam Orientales satis testatur Ambrosius.

10. Ejusdem usus et potestatis testis est Hieronymus, epist. 11, ad Ageruchiam, dicens (ut supre retuli) se aliquando juvisse Damasum in respondendo ad Orientis et Occidentis synodales constitutiones. Et epist. 16 ad Principiam, referens quod supra tactum est de Athanasio et Petro Alexandrino, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, «quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant». In epist. etiam 8 ad Demetriadem, circa finem, Sedem Romanam «Cathedram Apostolicam» vocat, idem de primatu ejus sentiens quod de primatu Petri, de quo ejus sententiam supra retulimus. Idem copiosius in epist. 57 ad Damasum, cujus verba jam in superioribus adducta sunt, ubi etiam docet, habere illam Sedem privilegium Petri non errandi in fide Quod etiam sentit Apolog. 2, seu lib. 3 Apolog. contra Ruffinum, ubi habet illa verba: «Attamen scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam hujusmodi præstigias non recipere etiam si Angelus aliter annunciet quam semel prædicatum est». Et infra: «Et tamen miror quomodo probaverit Italia quod Roma contempsit, Episcopi susceperint quod Sedes Apostolica condemnavit», tacite negans id fieri potuisse, aut se illud credere.

11. Ex Augustino etiam recurrente ad Romanum Pontificem tanquam ad Christi Vicarium, multa supra diximus ex epist. 90, 92 et 93 ejusdem Augustini. Quibus concordat idem

Augustinus, lib. 2 Retract., cap. 50, dicens, «Pelagianam hæresim ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, Inocentio et Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, damnatam esse». Et in epist. 157, in principio, se subditum Romani Pontificis aperte profitetur, dum ait: «Me apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabili Papa Zosimo, Apostolicæ Sedis Episcopo, ecclesiastica necessitas traxerat». Et infra, relatis verbis ejusdem Zosimi, ad probandam necessitatem baptismi in remissionem peccatorum, subjungit: «In his verbis Apostolicæ Sedis tam antigua atque fundata, certa et clara est catolica fides, ut de illa nefas sit dubitare Christiano». Et epist. 102, de Romana Ecclesia inquit: «In qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus»; et ibi etiam refert, in causa Donatistarum iudicium Apostolicæ Sedis expectatum fuisse. Idemque repetit lib. 1 contra epist. Parmen, c. 5, et epist. 16, ubi ait, ad cognoscendam Ecclesiam Catholicam, maxime spectandam esse sucessionem in sede Petri, sentiens illam esse petram super quam fundata est Ecclesia. Quod expressius declaravit in Psalmo contra partem Donati, tom, 7, dicens: «Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede; ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.«

12. Præterea ex eodem fundamento dicit libro 1 contra Julianum, c. 4: «Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam pelagianis laqueis exuisses Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia». Qui locus est valde notandus: nam in eo plane docet Augustinus, definitionem Pontificis facere certam fidem, etiam sine generali Concilio. Unde in libro 2 de Peccato origin., c. 7, etiam de Cœlestio, Pelagii socio, refert, «non fuisse ausum beati Papæ Innocentii litteris obsistere», imo se omnia, quæ Sedes

illa damnaret, damnaturum esse promisisse. Denique libro 1 ad Bonifacium, in principio, inter alia dicit: «Non dedignaris qui non alta sapis, quamvis altius præsideas, esse amicus humilium, et amorem rependere impensum». Et infra: «Cum communis sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio, quamvis ipse in eo præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris», etc.

13. Concordat cum Augustino Prosper contra Collatorem, cap. 10, ubi definitiones Innocentii et Zosimi contra Pelagium infallibiles reputans, tanquam absurdum infert contra Collatorem: «Secundum tuam censuram erravit Papa Innocentius, Petri sede dignissimus». Et infra: «Erravit sacrosancta Beati Petri Sedes, quæ ad universum orbem Papæ Zosimi ore loquitur». Et cap. 41, iterum inquit: «Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit». Et infra: «Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum». Ubi addit etiam Bonifacium, de quo ait: «Contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis». Et de Cœlestino adjungit: «Prædecessorum suorum statuta et decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat». Et de eodem subdit: «Nec segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit», etc. Et infra dicit, eadem cura Scotiam fecisse Christianam. Et in libro de Ingratis, cap. 2, sic ait:

> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris,
> Facta caput mundi, quicquid non possidet armis,
> Religione tenet.

Et similiter libro de Vocat. gentium (1), imitatus Leonem, ait:

(1) Cap. 16, alia 56.

«Roma per Apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis». Quomodo etiam dixit Fulgentius, lib. de Incarnat. et Gratia, cap. 11, «Romanam Ecclesiam Petri et Pauli verbis, tanquam splendentibus radiis illustratam, eorumque decoratam corporibus, mundi cacumen esse». Ex Optato etiam Milevitano, contra Permenian. multa relata sunt; specialiter vero libro secundo: «Negare» (inquit) «non potes scire te in urbe Romana Petro primo episcopalem cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.»

14. Similiter Isidorus, in epistola ad Eugenium, Toletanum Episcopum, cum potestatem Petro datam modo a nobis supra tradito explicasset, subjungit: «Cujus dignitas potestatis, etsi ad omnes Ecclesiarum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Antistiti, singulari quodam privilegio, velut capiti, cæteris membris celsior permanet in æternum». Et in Præfatione ad canonum collectionem, quæ habetur primo tomo Conciliorum, ait, cum Conciliis collegisse decreta et epistolas synodicas Pontificum, «quia in eis pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas». Et in fine: «Synodorum» (inquit) «congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedi privata commissa est potestate, nec ullam Synodum ratam esse legimus, quæ ejus auctoritate non fuerit congregata vel fulta: hæc canonica testatur auctoritas, hæc historia ecclesiastica roborat, hæc Sancti Patres confirmant». Hoc etiam confirmat Beda, in Homil D. Benedicti Angli, tom. 7, de quo ait: «Ad Beatorum Apostolorum limina peregrinaturus advolavit, ut quia rudis adhuc in gente Anglorum fides, et Ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam vivendi formam sumeret, ubi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium». Et lib 2, Histor. Anglor., cap. 1, de Gregorio ait: «Cum primum in toto orbe gereret pontificatum, et conversis jamdudum ad fidem

veritatis esset Prælatus Ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam», etc. Et lib. 3, cap. 25, refert regem Angliæ, et alios illo jam tempore credidisse, claves Petro datas in Ecclesia Romana permanere. Et in lib. 4, c. 1, et sæpe in illa historia, ostendit quanta fuerit semper Romani Pontificis circa Anglos providentia, et eorumdem ad eumdem Pontificem obedientia.

16. Denique omnes etiam posteriores Patres eamdem veritatem constantissime docuerunt, ex quibus duos tantum numerabimus, Anselmum et Bernardum, qui gravissime de pontificia dignitate locuti sunt. Anselmus enim, libro de Incarnatione Verbi, sic incipit: «Domino, et Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, Summo Pontifici Urbano, Frater Anselmus». Et infra: «Quoniam divina providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui vitam et fidem christianam custodiendam, et Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Eccesia, ut ejus auctoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur». Et in Præfatione ad epistolam ad Romanos, dicit illam epistolam primo loco poni, quamvis prima omnium scripta non fuerit, quia et in illo tempore Roma caput totius orbis extitit, et usque hodie Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum obtinet principatum.

17. D. autem Bernardus multo copiosius hoc ipsum docet, epist. 125 ad Gaufridum, ubi inter alia dicit: «Alemaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniarum et Hierosolymorum reges cum universo clero et populis favent et adhærent domino Innocentio, tanquam filii Patri, tanquam capiti membra, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis». Item epist. 141, fere de eodem argumento ad Mediolanenses; et epist. 183 ad Conradum, regem Romanorum: «Legi» (inquit): «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quam sententiam cupio vos, et omnimodis moneo custodire in exhibenda reverentia summæ et Apostolicæ Sedi, et Beati Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab

universo servari imperio». Et de sublimitate illius Sedis egregie loquitur epist. 137 ad Eugenium, et latius lib. 3, de Considerat., ad eumdem, cap. 8, ex quo plura verba in superioribus relata sunt, et ideo illa prætermittimus. Addi etiam hic possent temporalium regum et imperatorum testimonia et exempla, sed ex illis aliqua in superioribus tacta sunt, et pluria in sequentibus afferemus, spiritualem potestatem temporali comparando. Nunc sufficiant notanda verba Constantini imperatoris, in cap. «In memoriam», dist. 19, ubi sic inquit: «Honoremus Sanctam Romanam et Apostolicam Sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus». Præter auctoritatem autem non est hic specialis ratio postulanda. Sufficiunt enim adductæ de perfecto regimine Ecclesiæ, et de necessitate unius capitis in uno corpore ad unitatem ejus et fidei conservandam. Nam quod hoc caput in tali Sede sit constitutum, licet plures habeat morales congruentias, quæ et a Patribus insinuantur, et facile cogitari possunt, propria ratio est voluntas Christi et Petri, quæ ex adductis testimoniis nobis satis innotuit.

CAPUT XVIII

Duabus objectionibus contra primatum Pontificis, ex scriptura et conciliis desumptis, satisfit

1. Contra Pontificis Romani dignitatem et primatum multa sparsim in suo libello objicit rex Angliæ, præter ea quæ contra primatum Petri supra retulimus, ex quibus multa comparationem inter Pontificem et reges temporales attingunt, quæ melius post dictam comparationem factam in sequentibus examinabi-

mus, ubi etiam de potestate Pontificis supra reges in temporalibus dicendum est. Nunc solum his, quæ contra supremam spiritualem Pontificis potestatem absolute objici videntur, respondebimus. Hæc autem, tam in Præfatione quam in Apologia regis, ad tria capita reduci videntur, his exceptis, quæ ex factis regum vel imperatorum desumuntur, de quibus, ut dixi, postea videbimus.

2. *Prima objectio.—Confirmatio.*—Primum caput est, quia hoc dogma nullum vel debile fundamentum habet in verbo Dei, ut dicit in Apolog., pag. 18 et in Præfatione, pag. 22, 28, 60, et aliis quamplurimis locis. Possumusque in hujus objectionis confirmationem ponderare, quod Paulus, ad Ephes. 4, ministeria Ecclesiastica et ordinem Ecclesiæ describens, nullam de Vicario Christi mentionem facit, cum tamen ille aptissimus locus videretur ad illum proponendum, si ad hierarchiam Ecclesiæ pertineret. Unde valde miratur rex, dicta pag. 60, et ignorare se dicit, «quibus artibus Pontifices Romani facti sint Vicarii Christi, imo vero Dii in terra, triplici corona insigniti, cœli nimirum, terræque ac inferorum reges, totius orbis judices, et ipsi a nemine judicandi, fidei capita», et cætera, quæ prosequitur concludens: «Quibus, inquam, artibus ad tantum fastigium ascenderint, equidem nescio.»

3. *Solutio.*—Verumtamen vel hoc ipso intelligere rex posset, si sapere vellet, hoc non esse humana arte factum, sed in virtute illius verbi: «Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam,» ut sancte et catholice antiqui Patres intellexerunt. Qua enim arte Sylvester Papa Constantinum imperatorem ita sibi subjecit, ut Christi Vicarium, et Petri successorem, et majori honore se ipso dignum confiteri non erubuerit, eadem reliqui Sancti Pontifices eamdem dignitatem et potestatem conservarunt, et contra portas inferi defenderunt. Artes etenim illæ non fuerunt aliæ præter verbum Dei, magna virtute spiritus libere prædicatum, et interdum divinis virtutibus et illustrationibus pro temporum,

juxta divinæ providentiæ dispositionem, opportunitate confirmatum. Errat ergo rex, et verbo Dei contradicit, dum ait, primatum Papæ debile in verbo Dei habere fundamentum. Nam et in verbo Dei scripto Petri primatus perpetuus, et per successionem semper duraturus sufficienter continetur, et per verbum ejusdem Christi non scriptum, sensus verbi scripti cum certitudine traditus est. Et præterea successionem illam Petri in Romana Sede permansisse, evidenter est declaratum. Nec possunt rex vel doctores ejus Protestantes vim hujus verbi effugere, nisi et negando veritatem verbi non scripti, et verbum scriptum sua certa scientia, et privato spiritu interpretando. Utrumque autem esse a catholica veritate alienum, imo hæresum omnium et schismatum fundamentum, in primo libro satis demonstrantum est.

4. *Diluitur confirmatio.*—Ad confirmationem a nobis additam ex loco Ephes., 4, respondere possumus ex doctrina Augustini, libro de Fide et operib., c. 9, ubi, tractans locum Actor., 8, de eunucho, quem baptizavit Philippus, licet nihil plus dixerit quam: «Credo filium Dei esse Jesum Christum,» unde aliqui argumentabantur non esse necessarium aliquid aliud docere catechumenos, ut baptizentur, ipse vero respondet: «Scriptura tacuit atque intelligenda admisit cætera, quæ cum illo spadone baptizando Philippus egit.» Sic ergo nos dicimus, licet Paulus tacuerit illo loco de uno Christi Vicario, totius Ecclesiæ pastore, illud intelligendum reliquisse in cæteris, quæ describit.

5. *Instantia.—Ex Scriptura primatus Pontificis, non regum colligitur.*—Potest autem hæc responsio in nos retorqueri: superius enim hoc loco usi sumus ad probandum reges non habere in Ecclesia spiritualem potestatem, quia Paulus nullam, vel in loco, vel in aliis similibus illorum mentionem fecit; quæ illatio eodem prorsus modo eludi potest. Respondeo ex verbis ejusdem Augustini loco citato: «Atque in eo quod ait» (scilicet Lucas): «Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta

omnia, quæ licet taceantur in Scripturis, gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda; pari modo etiam in eo quod scriptum est, evangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, et illa in catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresque pertinent ejus, qui credit in Dominum Jesum Christum.» Ita ergo in præsenti dicimus, Paulum sub illa descriptione Ecclesiæ comprehendisse omnia, quæ vel ex traditione, vel ex aliis Scripturæ locis, ad Ecclesiæ ordinem et hierarchiam pertinere perspicuum est. Est autem satis nobis traditum, et in Scriptura, et extra illam, Ecclesiam visibilem esse unum ovile sub uno pastore visibili, vicem Christi gerente; hunc ergo pastorem sub generali nomine pastorum Paulus explicuit, quia non assumpsit ibi provinciam in particulari explicandi gradus omnes, et ministeria ecclesiastici ordinis. Cujus etiam argumentum est, quia tractans idem argumentum, 1 Corinth., 12, omisit Evangelistas, quos sub Prophetis comprehendit, et ibi ponit virtutes, et alia, quæ in loco ad Ephes. omisit; et in neutro loco ponit presbyteros et diaconos, quamvis ad ecclesiasticam hierarchiam pertinere, ex aliis Scripturæ locis manifestum sit. At vero de regibus nulla Scriptura vel traditio docet, in ecclesiastica hierarchia habere peculiarem locum, aut munus ecclesiastici regiminis aut ministerii, ideoque dum illis locis præcipuis tacentur, prorsus excluduntur; præsertim quia nec sub specifica, nec sub generali verborum forma comprehensi sunt.

6. *Secunda objectio.—Confirmatio.*—Secundam objectionem paucis his verbis indicat rex in Præfat., pag. 60: «Ita interim generalibus Conciliis suberant» (utique Romani Episcopi), «ut et nuper Constantiense Concilium, tribus Pontificibus abdicatis, quartum inauguraverit.» Quæ objectio confirmari potest, quia in aliis casibus deponuntur Pontifices, vel aliter judicantur ab Ecclesia, mediantibus Conciliis. Ita enim fieri posse, dictum Concilium Constantiense definivit, et Basiliense confirmavit, et utrumque id exequi tentavit. Et olim Marcellinus Papa depo-

situs fuit a Concilio Sinuessano; et in casu hæresis deponi posse traditur in cap. «Si Papa,» distinct. 40, et communiter ab omnibus Catholicis receptum est.

7. Respondeo imprimis, objectionem hanc ad quæstionem potius de comparatione Papæ et Concilii generalis, quam ad quæstionem de primatu Pontificis pertinere. Patres enim, qui Conciliis Constantiensi et Basiliensi interfuerunt, et Gersonius, aliique Doctores, qui generale Concilium supra Pontificem esse opinati sunt, nihilominus certa fide credebant Episcopum Romanum esse supremum et universalem Ecclesiæ pastorem, supra omnes Episcopos et Patriarchas, habentem in illos spiritualem jurisdictionem, et in omnes fideles cujuscumque conditionis existant, etiamsi reges vel imperatores sint, et contra hoc objectio facta non procedit, ut per se constat, idque instituto nostro sufficiebat, quidquid de altera quæstione comparata sentiatur. Quia tamen omnino verum esse credimus, in Concilio generali nullam esse jurisdictionem immediate a Christo collatam, ideoque dum legitimus et indubitatus Pontifex vivit, ab illo pendere Concilii generalis jurisdictionem, ac proinde illi subesse (quod alibi tractandum est), ideo breviter dictis objectionibus satisfaciendum est.

8. *Solutio objectionis.*—Ad objectionem ergo principalem respondemus, tempore Concilii Constantiensis tres fuisse in Ecclesia prætensos Pontifices, Gregorius XII, Benedictus XIII, et Joan. XXIII, nominatos. Cum autem certum sit, et supra probatum, non posse simul esse in Ecclesia plures veros Pontifices, fit consequens ut non omnes illi fuerint Pontifices. Unde etiam fieri potuit ut nullus eorum esset certus Pontifex, atque adeo nec Pontifex, quia nondum erat aliquis eorum sufficienti consensu Ecclesiæ receptus, nec credebatur legitime electus. In tali autem casu jus habet Concilium generale, quamvis acephalum, ad inquirendum de vero et legitimo Pontifice, et, si nullum ex prætensoribus legitimum ac certum Pontificem esse invenerit, omnes deponere, vel potius nullum eorum verum

Pontificem esse declarare, ac subinde de vero Pontifice Ecclesiæ providere. Et hoc ad summum fecit Constantiense Concilium, deponendo dictos tres Pontifices, et Martinum V eligendo. Ex hoc autem facto nihil contra Pontificis dignitatem aut potestatem colligi potest, quia cum Pontifices dubii non sint veri Pontifices, potestas Concilii supra illos nihil derogat veris Pontificibus, nam electo postea vero Pontifice per tale Concilium, in illo erit plena pontificia potestas, ipso Concilio superior, quia non ab illo habet potestatem, sed a Christo. Quia vero dicere quis potest Joannem XXIII fuisse Pontificem satis certum, quidquid de hoc sit, addere possumus ipsum tandem voluntarie renunciasse papatui, ut ex historiis constat, et similiter cessit Gregorius XII. Benedictus autem XIII, alias Petrus de Luna, licet nunquam cedere voluerit, mortuus tamen est paulo post Martini electionem, et Clemens quidam, qui in locum ejus fuerat suffectus, paulo post renuntiavit, et Martinus V tanquam unicus et verus Pontifex ab universa Ecclesia cognitus et receptus est.

9. *Refellitur instantia quædam.*— Quod si quis instet, Basiliense Concilium subsequens depositionis sententiam contra Eugenium IV, unicum et indubitatum Pontificem tulisse, et Amadeum, Felicem appellatum, loco illius creavisse, respondetur in hoc errasse Concilium illud, quod mirandum non est quia jam tunc non legitime, nec sub obedientia Apostolicæ Sedis procedebat. Unde etiam erravit in approbanda assertione, quod Concilium generale sit supra Papam, in Concilio Constantiensi traditam. Unde consequentur existimavit, Concilium, semel legitime congregatum, sine suo consensu non posse dissolvi a Pontifice; imo posse ipsum Pontificem ad assistendum Concilio cogere. Quod tamen fundamentum omnino falsum est, et in eo Constantiense Concilium errare potuit, quia nec a vero ac certo Pontifice convocatum fuerat, nec illius præsentiam per se vel legatos habebat. Unde solum ad tollendum schisma legitime coactum fuerat, non ad dogmata fidei definienda. Excessit ergo

terminos potestatis suæ, et ideo errare potuit, et consequenter etiam in hoc erravit Basiliense illud sequens, quia, ut dixi, jam tunc non legitime procedebat. Atque ita prædicta assertio postea a Pontificibus et Concilio Lateranensi sub Leone X reprobata est. Et Eugenius IV, tam assertionem quam sententiam Basiliensis Concilii pro nihilo habuit, ut in eodem Concilio refertur, sess. 38, et cum Eugenio sensit universa Ecclesia, quæ, non obstante illa sententia, tam Eugenium, quam successorem ejus Nicolaum V, pro veris Pontificibus habuit, Antipapa Felice repudiato, qui postea Nicolao cessit, et ita semper Pontificia dignitas integra mansit.

10. *Responsio ad confirmationem.*—Antiquum vero exemplum de Marcellini depositione a rege non objicitur, qui acta illius Concilii non admittit, et contradictionis arguit (1), quia in eis sæpe dicitur, «Pontificem a nemine judicari», et nihilominus Marcellinus inde judicatus exivit; nam sententia anathematis in eum lata est, cui omnes Episcopi subscripserunt, neque enim poterat Marcellinus seipsum excommunicare. Neque desunt etiam ex scriptoribus catholicis, qui de illa historia Marcellini dubitent, ut videre licet in Baronio, tom. 2, ann. 302, numero 95 et seq., et ann. 303, n. 89 et sequentibus. Verumtamen ipsemet admonet, non oportere antiquam historiam communiter in Ecclesia receptam in dubium revocare. Præsertim cum Nicolaus Papa, in epist. od Michaelem imperatorem, illam ut veram referat, et illa utatur ad Apostolicæ Sedis auctoritatem confirmandam.

11. *Ex dicto etiam Concilio Sinuessano primatus Pontificis confirmatur.—Marcellinus non fuit a Concilio depositus.*—Est igitur advertendum, peccatum Marcellini, cujusdam infidelitatis fuisse, et ideo ad Concilium pertinuisse de illo inquirere, tum propter publicum scandalum in materia fidei, tum propter Ec-

(1) In Apolog., p. 105.

clesiæ securitatem. Quia tamen culpa solum fuerat contra confessionem fidei, et non hæresis, ideo Episcopi congregati sæpe dixerunt: «Tu te ore judica, nam prima Sedes a nemine judicatur.» Ex quibus verbis auctoritas suprema Pontificis confirmatur. Ipse autem Marcellinus videtur in se ipsum sententiam protulisse, dicens: «Peccavi coram vobis, et non possum in ordine esse sacerdotum.» Per quæ verba visum est aliquibus renunciasse pontificatui, eamque renunciationem Episcopos acceptasse, et propterea de illis dici: «Subscripserunt in ejus damnationem, et damnaverunt eum», non vi jurisdictionis quam in ipsum, dum fuit Pontifex, haberent, sed voluntarie consentiendo illi, et renuntiationem acceptando. Atque ita nemo eum, dum esset Pontifex, judicavit, sed, ut statim subjungitur, «ore suo damnatus est.» Postquam autem desiit esse Pontifex, potuit etiam a Concilio censuris ligari, ut per se constat. Vel fortasse papatui non cessit, ut est probabilius, quia hoc ibi expresse non dicitur, nec verba citata renunciationem præ se ferunt, sed pœnitentiam, nec Damasus, nec Platina, vel Romanum Breviarium id referunt, sed potius fuisse Pontificem, etiam eo tempore quo martyrium passus est, significant, et clare testatur Baronius, anno Christi 304. Hoc autem supposito, dicendum consequenter est, ipsum non fuisse proprie in ecclesiastico foro damnatum, seu punitum, vel censura ligatum, sed voluntarie ad aliorum exemplum, et in sui peccati vindictam se ipsum separasse, et ab officio quasi suspendisse, seu abstinuisse. Quod judicium Concilium illud probavit, et quasi declaratoriam sententiam criminis tulit, ipsomet Marcellino annuente, et in hoc sensu dicitur, Concilium illud damnasse Marcellinum. Et ita nulla est in dictis illius Concilii contradictio.

12. *Occurritur exemplo de Papa hæretico.— Papa hæreticus a Deo ipso deponitur, non ab hominibus.—Ante depositionem Pontificis sententia criminis declaratoria præmitti debet.*—Ad ultimam

partem illius objectionis de Papa hæretico respondemus imprimis, non esse certum an Papa, etiam ut persona privata, possit in hæresim pertinaciter labi. Unde si vera est sententia, quæ negat Papam esse posse hæreticum, cessat objectio. Quia vero contrarium videntur canones et Concilia supponere, ut patet ex cap. «Si Papa», dist. 40, et ex Concilio Romano, sub Adriano, et ex octava Synodo, admisso illo casu, concedendum est Papam tunc posse judicari, et dignitate privari. Quomodo autem id fiat sine præjudicio dignitatis, varie a Doctoribus explicatur; non est autem in præsenti necessarium singulas sententias referre et examinare. Dico ergo breviter Papam hæreticum non ab hominibus, sed ab ipso Deo deponi, quamvis non sine ministerio Ecclesiæ, seu Concilii ferentis in ipsum sententiam declaratoriam criminis. Sicut enim Papa ab hominibus eligitur, et nihilominus non ab hominibus, sed ab ipso Christo immediate dignitatem recipit, ita etiam licet per sententiam hominum declaretur hæreticus, nihilominus non jure humano, sed divino statim manet dignitate privatus. An vero ad talem privationem seu depositionem necessaria sit talis sententia, vel ipsummet peccatum hæresis sufficiat, saltem externum, et facto ipso notorium, a Doctoribus controvertitur. Mihi autem rationi et recto regimini magis consentaneum videtur, necesssariam esse sententiam criminis declaratoriam, datam a Concilio auctoritatem habente, ut omnia ordinate fiant, et schismatum pericula tollantur.

CAPUT XIX

Explicantur quædam loca Gregorii quæ rex objicit, et veri tituli Romani Episcopi defenduntur

1. *Recensentur testimonia Gregorii.*—Tertia objectio principalis sumitur ex Gregorio in variis epistolis, in quibus repre-

hendit Joannem Constantinopolitanum, eo quod universalem Episcopum seu Patriarcham se ipsum appellaret et nominari vellet, et ad illum magis confundendum, adjungit: «Nullus unquam prædecessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit», lib. 4, indict. 3, cap. 80, alias epist. 39 ad Anastasium Antiochenum, ubi etiam ait: «Sicut enim veneranda mihi Vestra Sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deservio, hoc universitatis nomen oblatum est, sed nullus», etc. Et similia habet, epist. 32 ad Mauricium, 33 et 34 ad Constantiam, et 38 ad eumdem Joannem, et 36 ad Ananium, et lib. 7, epist. 69 ad Eusebium Thessalonicensem. Et addit lib. 6, epist. 30 ad Mauricium, alias c. 194: «Ego fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.» Aliam etiam rationem reddit Gregorius, quia si unus Patriarcha universalis dicitur: «Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Et ideo», ait, «nullus Romanorum Pontificum hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi.» Quæ ratio æque in Summo Pontifice procedit. Unde idem Gregorius, lib. 7, indict. 1, epist. 30 ad Eulogium Alexandrinum, qui ad ipsum scribens, eum universalem Papam vocaverat, ait: «Quod peto dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigit, præbetur.» Et infra: «Si enim universalem me Papam Vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum.» Ubi significat repugnare unum esse universalem Episcopum, et alios esse veros Episcopos. Et hanc sententiam tradidit ante Gregorium Pelagius II, contra eumdem Joannem, in epist. 1 ad illegitimum Concilium Constantinopolitanum. Et ante hos Pontifices legitur in Concilio Carthaginensi III, cap. 26, et in Concilio Africano tempore Bonifacii, canon, qui sic habet: «Primæ sedis Episcopus non appelletur

Princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.»

2. Hoc argumentum valde urget rex Angliæ in Apologia, pag. 106 et 107, et ex allegatis testimoniis Gregorii multa ex his, quæ pro primatu Romani Pontificis adduximus, vel certe omnia enervari putat. Maximeque redarguit Bellarminum, eo quod in favorem primatus Romani Pontificis alio testimonio Gregorii usus fuerit, in quo Apostolicam Sedem, «caput fidei» vocat, lib. 11, ep. 42. «Nam qui nomen (inquit) universalis Episcopi repudiabat, hic caput fidei sese vocari æquo animo laturus erat?» Et ideo ipse exponit de capite, seu gubernatore in genere, sive ille sit Papa, sive rex intra ditiones et fines suos. Et quia videbat expositionem hanc esse violentam, ut revera est, veniam petit, ut si illa rejiciatur, dicere possit, «Gregorium, vel minus caute locutum esse, vel per excessum.» Cum eadem tamen regis venia, ipse simul utrumque committit, quia sine ulla ratione vel fundamento, non solum verbis Gregorii, sed omnium etiam antiquorum Patrum liberam illam censuram adhibet. Imo addere possumus, etiam in verba Christi redundare; non est enim minus esse fundamentum Ecclesiæ, quam esse caput fidei; Christus autem de Petro, id est de Petri sede, ut supra probavi, dixit esse fundamentum Ecclesiæ; excessit ergo, vel incaute locutus est Christus, si excessit vel incaute locutus est Gregorius, Apostolicam Sedem caput fidei appellando.

3. Non enim de sua persona tantum, sed de sede sua loquebatur Gregorius. Sic enim ait: «Illud autem admonemus, ut Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur; tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur injuria, et canonum maneat incolumis atque intemerata semper auctoritas.» Ex hac enim verborum serie constat, eamdem Apostolicam sedem, cui reverentiam exhiberi monuerat, postea vocare «caput fidei, quod a membris nulla est pulsandum injuria, ut eorum status integre perseveret.» Quod ego maxime de fidei statu intelligo, quia qui contra reveren-

tiam Apostolicæ Sedi debitam omnia perturbant, in vera et integra fide perseverare non possunt. Et ideo fortasse modum loquendi mutavit, et quam prius vocaverat «Apostolicam Sedem», postea vocat «caput fidei», ut indicaret magnum periculum imminere, contemnendo obedientiam et reverentiam debitam Apostolicæ Sedi, nam facile transit usque ad periculum amittendi fidem. Et confirmatur, quia non excessit certe neque incaute locutus est Christus, cum dixit Petro: «Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos»; hoc autem munus cum illo privilegio: «Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua», non tantum personæ, sed etiam sedi Petri collatum est, ut libro 1 ostendimus; ergo nullus est excessus, neque incauta locutio, si Pontifex, qui tanquam viva regula fidei ad confirmandos fratres positus est, caput fidei appelletur. Unde Patres Concilii Chalcedonensis, in Epistola ad Leonem Papam, «firmitatem fidei» illum appellant, dicentes: «Firmitas tua filiis, quod decet, adimpleat.»

4. Eo vel maxime quod recte potest intelligi, vocari caput fidei, quia est caput omnium fidelium, posito abstracto pro concreto, ad denotandum non esse veram fidem, nisi in membris hujus capitis, vel fidem ipsam esse, quæ membra cum capite conjungit. Unde fit, ut tam caput, quam membra, fidei appellentur, quia per fidem in unum corpus coalescunt, quod est Ecclesia. Atque ita nihil aliud est esse caput fidei, quam esse caput Ecclesiæ, in quo capite in suo genere fides Ecclesiæ nititur. Quapropter ridiculum est verba illa ad reges temporales accommodare, aut tantum de gubernatore politico, et solum ordinis externi causa leges ferente, caput illud interpretari, cum Gregorius aperte loquatur de capite totius Ecclesiæ, et in spiritualibus; nam propter hanc etiam causam caput fidei vocat. Et quamvis verum sit, in principio epistolæ Gregorium tractasse de concedendo Panormitano Episcopo usu pallii, qui usus ad quamdam ecclesiasticam cæremoniam pertinet, inde sumpta occasione illum postea monet, ut disciplinam ecclesiasticam circa

reverentiam Apostolicæ Sedis, et circa incolumem et intemeratam canonum auctoritatem, et morum integritatem observet et observari faciat, quæ omnia ad ecclesiasticum et spirituale regimen pertinent; igitur de capite hujus regiminis loquebatur Gregorius, cum Sedem Apostolicam caput fidei appellavit.

5. *Legitima testimoniorum Gregorii explicatio traditur, et argumentum regis in eum retorquetur.*—Retorquendo ergo regis argumentum, ex hoc loco legitimus aliorum sensus erui facile potest. Nam si Gregorius sedem suam caput fidei vocavit, quia firmitas fidei, et cura ac sollicitudo conservandi ac propagandi illam, et consequenter etiam honestos mores, qui ex illa pendent, illi sedi commissa est, quando nomen universalis Episcopi recusavit, non supremam pastoralem curam suæ sedis negare, sed verbi invidiam, et elationis vel ambitionis speciem cavere voluit. Neque solum excitato loco, sed ex aliis etiam innumeris, imo ex eisdem, ubi de nomine universalis tractat, manifeste colligitur, Gregorium in se, et in sede sua curam supremi et universalis Pastoris agnovisse. Nam in eadem epist. 32 ad Mauricium, dixit: «Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto et omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est». Et infra: «Cura ei totius Ecclesiæ, et principatus committitur, tamen universalis Apostolus non vocatur». Ecce ubi et principatum agnoscit, et nomen abnuit. Et in epist. 36 et 38, simul nomen illud contemnit, et universali potestate utitur, dissolvendo et reprobando illegitimum Concilium sine auctoritate suæ sedis congregatum, et comminando censuras Joanni, nisi resipisceret. Imo, in lib. 7, epist. 64, eumdem Joannem propter idem nomen reprehendit, licet ipse non negaret se Apostolicæ sedi subjici, ut idem Gregorius refert, qui etiam addit, se nescire Episcopum, qui eidem sedi subjectus non sit; ergo recusando vocabulum universalis, non intendit suæ sedi universalem jurisdictionem negare. Unde etiam epist. 69, tractaturus eamdem causam, sic incipit: «Susceptæ regiminis cura constringimur officii nostri sollicitudinem

vigilanter extendere», etc. Et infra, eamdem curam ostendit, dicens, «acta in Concilio sine Sedis Apostolicæ auctoritate, atque consensu nullas vires habere»; et in fine profert generalem censuram contra violantes sua præcepta, ut omittam alia loca supra citata, in quibus Gregorius primatum Romanæ Ecclesiæ et commendat, et exercet.

6. *Nominis universalis Episcopi duplex acceptio.—Nomen universalis Episcopi, si alios particulares Episcopos non excludit, Pontifici congruit.* — Cum ergo Gregorius nomen universalis Episcopi tanquam profanum vetuit et repudiavit? Respondetur cum Cardinali Bellarmino, lib. 2 de Clericis, cap. ult., in fine, duobus modis posse nomen universalis Episcopi usurpari. Primo, ad significandum unum Episcopum, qui sit proprius et proximus pastor totius Ecclesiæ universalis, et omnium Ecclesiarum ac diœcesum particularium, eo utique modo quo, verbi gratia, Conimbricensis est unicus Episcopus totius diœcesis suæ, in qua potest habere vicarium unum, vel plures, non tamen alium Episcopum. Hoc igitur modo fingere universalem Episcopum totius Ecclesiæ, contra jus divinum est, et ideo vox illa universalis Episcopi, in hac significatione usurpata, profana est et sacrilega. Alio modo potest dici universalis Episcopus, qui per modum causæ universalis jurisdictionem habet in totam Ecclesiam, non excludit autem particulares Episcopos, qui et veri Episcopi sint, et quasi causæ proximæ habentes ordinariam jurisdictionem sub Pontifice Summo. Et in hac significatione sumpta vox illa in se quidem non est profana, quia rem veram, et maxime sacram, et Ecclesiæ necessariam significat, tamen ut usurpata a Patriarcha Constantinopolitana profana erat, et plena superbiæ et præsumptionis, quia per eam sibi tribuebat quod non habebat. Et ob contrariam rationem, attributa in eo sensu Pontifici Romano non est profana, sed veritatem significat, et ideo in Concilio Chalcedonensi Leoni Papæ attributa est, ut Gregorius Papa in dictis epistolis sæpe testatur. Et in eodem sensu æquivalentia nomina a Conciliis et Patribus Episcopo Romano

sunt attributa, ut esse «caput universalis Ecclesiæ», in Concilio Chalcedonensi, act. 16; «habere curam universalis Ecclesiæ», Leo, epist 82; Euseb., epist. 3; Dionys., epist. 2; «Rectorem domus Dei», Ambros., 1 ad Timoth. 3; denique «Episcopum universalis Ecclesiæ», ut sæpe vocatur in epistolis Pontificiis supra allegatis, et in Concilio Chalcedonensi, act. 3, et in multis aliis epistolis Episcoporum vel principum scribentium ad Pontifices Romanos, quæ in Actis Conciliorum, et inter epistolas Pontificias referuntur, et specialiter videri possunt quæ in Concilio Chalcedonensi, act. 3, leguntur.

7. *Cur Gregorius nomem universalis Episcopi devitarit.*— Nihilominus tamen Gregorius nomen universalis Episcopi repudiavit, tum propter humilitatis excessum; nam in hoc melius dicere potuisset rex Angliæ excessisse Gregorium, non per ambitionem, sed propter humilitatis exemplum; tum etiam ut efficacius superbiam Constantinopolitani Episcopi cohiberet; tum denique quia propter vocis ambiguitatem posset alios Episcopos offendere, et hac ratione sæpius utitur Gregorius, et quia hoc periculum in usu aliarum vocum non invenitur, ideo alias detestatus non est. Et per hæc etiam responsum est ad Pelagium Papam, nam eadem ratione, qua Gregorius, motus est, ut ex verbis epistolæ primæ est manifestum, et simul in eadem epistola Romanum Episcopum vocat caput omnium Ecclesiarum.

8. De nomine autem Summi Pontificis nunquam dubitatum est, ut testatur Justinianus imperator, in Authentico de Ecclesia Roman., collat. 1, dicens: «Ut legum originem anterior Roma sortita est, ita et summi pontificatus apicem apud eam esse, nemo est qui dubitet»; imo Concilium Chalcedonense Leoni, in epistola ad eum, dicit: «Summitas tua», etc.; et Gregorius, lib. 1 Dialog., c. 4, referens historiam de Equitio, ait: «Equitius cæpit immensas gratias omnipotenti Deo agere, asserens quod se per Summum Pontificem visitasset», cum nuncius a Pontifice missus ei dixisset, «quia pater ejus apostolicus Pontifex eum videre vellet». Hieronymus vero in Præfatione ad

Evangelia, Damasum vocat «summum sacerdotem», quod perinde est. Canon ergo ille Concilii Carthaginensis et Africani non intelligitur de Romano Pontifice, sed de Primate Africano, ut recte Glossa exposuit in cap. 3, distinct. 99. Neque enim provincialia seu nationalia Concilia, quomodo Papa vocandus esset, statuere poterant; imo fortasse, ne Papæ fieret injuria, primatem suum Summum Pontificem appellari Patres illorum Conciliorum vetuerunt.

CAPUT XX

Aliis objectionibus ex factis imperatorum, et conjecturis desumptis respondetur

1. *Quarta regis objectio, et hujus capitis prima.*—Quarta objectio insinuatur a rege in Præfatione, pagin. 60, Phocæ memoriam faciente, affirmanteque usque ad Procæ tempora Pontifices Romanos imperatoribus paruisse. Unde indicat, quod alii Protestantes asserere solent, Phocam statuisse ut Romanus Episcopus primatum inter alios obtineret. Quibus aliqui ex historicis favere videntur, nam Beda, de Temporib., in Phoca, sic inquit: «Hic, rogante Papa Bonifacio, statuit sedem Romanæ et Apostolicæ Ecclasiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium scribebat». Et eodem fere modo id narrant Paulus diaconus, in lib. 4 de Gestis Longobardorum, c. 14; et Anastasius Bibliothecarius, in sua historia; et Antonius Sabellicus, Æneade 8, lib. 6; et Pomponius Lætus, in compendio Historiarum Romanarum, in Phoca, et plures alii eodem modo historiam referunt. Et propter illa sola verba persuadere volunt Potestantes, eo anno (qui fuit sexcentesimus septimus, ut Genebrardus cum aliis, vel sexcentesimus sextus, ut vult Baronius) incœpisse Romanum Pon-

tificem habere primatum in universam Ecclesiam, præsertim in Orientalem. Quanquam neque in hoc sibi constent, nam Magdeburgenses, centur. 6, dixerunt Romanum Pontificem a Justino imperatore, anno 520 factum esse Patriarcham, nisi forte isti locuti sint de patriarchatu occidentali, illi vero de primatu, qui ad Orientalem etiam Ecclesiam extenderetur.

2. Alii dixerunt Romanam Ecclesiam a Constantino IV habuisse primatum, quia Platina, in Benedicto II, dicit, «Constantinum, Benedicti sanctitate permotum, ad illum sanctionem misisse, ut ille, quem clerus, populus, exercitusque Romanus Pontificem delegisset, eumdem statim verum Christi Vicarium esse, omnes crederent, nulla vel Constantinopolitani principis, vel exarchi Italiæ expectata auctoritate, ut ante fieri consueverat.» Alii in Constantinum I hanc Romani Episcopi referunt dignitatem, quia in edicto Constantini, in capit. penult., d. 96, sic dicitur: «Constantinus imperator, quarta die sui baptismi, privilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut judices regem.» Et postea ponuntur late verba privilegii, quæ etiam referuntur in 1 tom Concil., et approbantur a Gelasio, cum Concilio 70 Episcoporum. Et eisdem fere verbis utitur Leo IX contra Michael., c. 10. Atque hinc alii dixerunt a Concilio Nicæno datum esse privilegium Ecclesiæ Romanæ; nam Leo IX supra dicit Pontificem a nemine judicari posse, «Beatissimo et Apostolico Pontifice Sylvestro decernente, et Constantino Augusto spirituali ejus filio, cum universa Synodo Nicæna approbante.» Similesque locutiones inveniuntur in Concilio IV sub Symmacho, et in aliis supra allegatis. Alii denique ad tempora quidem Apostolorum hanc referunt institutionem, dicunt tamen apostolicam esse, non divinam, quia interdum dicunt antiqui Pontifices Petrum, volentibus aliis Apostolis, in principem eorum constitutum fuisse. De quibus et aliis erroribus videri possunt Turrecrem., lib 2 de Eccl., c. 39 et seq.; et Bellar., lib. 2 de Pontif., c. 17.

3. *Primatum Pontificis ab imperatoribus esse non potuisse convincitur.*—Verumtamen hæc omnia neque fundamentum habent, neque verisimilitudinem ullam, quia primatus Ecclesiæ Romanæ antiquior est omnibus imperatoribus christianis, ut ex traditione antiquissima supra demonstratum est. Præterquam quod etiam probavimus temporales reges nullam habere spiritualem potestatem vel jurisdictionem, qua de rebus ecclesiasticis possint disponere. Primatus autem ecclesiasticus spiritualis et supernaturalis est, ut probavimus; quomodo ergo poterant imperatores illum instituere, aut conferre? Denique probavimus dignitatem hanc esse ex Christi institutione, et ex vi illius durare per continuam successionem, semperque ex eodem divino jure transire ad Romanum Pontificem, supposita determinatione ad talem sedem a Petro facta; ergo vanum est quærere institutionem hujus dignitatis ab imperatoribus. Quin potius neque a Conciliis vel Patribus, neque ab Apostolis, sed ab ipso Domino initium habuit, ut Anacletus et alii Pontifices supra relati testantur, et ex Evangelio ita a Patribus intellecto probavimus. Unde ubicumque scriptum inveniatur ab aliquo ex Patribus, vel scriptoribus catholicis, Romanam Sedem ab aliquo Concilio, vel a Patribus habere Primatum, sensus est, habuisse non tanquam ab instituente vel donante, sed ut a declarante, vel defendente seu conservante talem dignitatem; sic enim Concilium Nicænum declaravit Romanum Episcopum habere primatum in omnes, et addit «semper etiam habuisse.» Optime vero Nicolaus I, in epist. ad Michaelem imperatorem, dixit: «Privilegia hujus sanctæ Ecclesiæ a Christo sunt donata, a Synodis non donata, sed celebrata et honorata.» Sic dixit Justinianus imperator in Authentic. de Ecclesiast. tit., cap. 1: «Sancimus secundum definitionem Synodorum, sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum.

4. *Ad Phocam.—Objectioni occurritur.—Phocas solum Pontificis primatum tutatus est.* — Quod ergo rex Angliæ dixit, ante Phocam Romanos Pontifices paruisse imperatoribus, ad sequen-

tia capita spectat, ubi de comparatione utriusque potestati agemus, et id falsum esse ostendemus. Quod vero insinuat, e clarius contendunt alii Protestantes, Phocam aliquid potestati vel jurisdictionis Romano Pontifici contulisse, falsum est, e aut ex ignorantia, aut (quod verisimilius est) ex malevolenti Protestantium introductum. Est enim ex dictis in præcedent puncto recolendum, inter Gregorium et Joannem Constantino politanum fuisse contentionem de vocabulo «universalis,» qua non tam fuit de re, seu de potestate ipsa (nam Joannes ipse, u vidimus, subditum se esse Gregorio fatebatur), quam de titulo qui propter aliorum offensionem, superbiam et periculum tran seundi in schisma, Romanis Episcopis maxime displicuit. Cum ergo Pelagius et Gregorius, neque suis monitis, neque inter ventu imperatorum, Joannem Constantinopolitanum ad suam sententiam, et saniorem mentem trahere potuissent, et Cyria cus, Joannis successor, in eadem dementia perseveraret, Boni facius III, qui post Sabinianum unius tantum anni Pontificem Gregorio successit, apud Phocam obtinuit, ut Cyriacum com pelleret illum titulum non usurpare, declarando soli Ecclesiæ Romanæ posse competere, ut recte Platina, in Bonifacio III: Blondus, lib. 9, Decad. 1; Genebrar., in Chronico ann. 607; et Baronius, in Annalib. ann. 606, declararunt. Estque per se evi dens, quia multo ante Phocam in Concilio Nicæno et aliis de claratus fuerat Sedis Apostolicæ primatus, et specialiter in Concilio Chalcedonensi proclamatus fuerat Romanus Pontifex universalis Episcopus, quamvis Pontificum modestia ac mode ratio nomen illud acceptare noluerit. Advertit etiam Baronius Cyriacum non negasse subjectionem et obedientiam Romano Pontifici, quia statim post electionem suam responsales suos simul cum Epistola synodali ad Gregorium Papam misit, ut ex eodem Gregorio habetur, lib. 6, epist. 31. Ex quo etiam con stat, Gregorium nunquam fuisse conquestum de usurpata juris dictione, sed de ambitioso titulo, aliis Episcopis, et maxime Sedi Romanæ injurioso. Igitur Phocas auctoritate sua Romanam

Sedem defendit, et superbiam Cyriaci compressit, nihil vero novum Bonifacio contulit.

5. *Ad Justinum.—Ad Constantinum juniorem.*—De Justino autem nullam invenio historiam, quæ in auctoritate sit, referentem, Justinum seniorem aliquid potestatis Romano Episcopo contulisse, non solum in illo anno quingentesimo vigesimo, verum etiam nec in toto tempore imperii sui. Nam licet cum magna fide et reverentia ad Hormisdam Papam sæpe scripserit, et ad Ecclesiam Romanam munera miserit, nunquam tamen specialia privilegia illi sedi contulit; unde igitur errorem illum, vel suspicionem ejus, hæretici sumere potuerunt? Præsertim quia ex actis in Concilio Chalcedonensi et multis aliis supra adductis, evidenter ostensum est primatum Ecclesiæ Romanæ ante Justinum in universo orbe fuisse notissimum. Atque eodem modo facile confutatur, quod de Constantino IV dicebatur, nam hic plus quam ducentis annis post Justinum imperavit; sed primatus Ecclesiæ Romanæ antiquior fuit Justino, et ideo ab illo esse non potuit; ergo multo minus a Constantino noviore oriri potuit. Neque verba Platinæ hoc indicant, sed solum imperatorem Constantinum cessisse consuetudini, qua solebat consensus imperatoris vel hexarchi ad consummatam Pontificis creationem expectari; de potestate autem summi Pontificis nihil Constantinus locutus est, imo ex verbis ejus aperte colligitur, ipsum sensisse Pontificem rite electum statim esse Vicarium Christi.

6. *Ad Constantinum Magnum.* — Eadem responsio locum habet in Constantino Magno, nam ante illius conversionem Pontifex Romanus ecclesiasticam jurisdictionem in universa Ecclesia exercebat non solum in Occidente, sed etiam in Oriente, ut satis in superioribus ostensum est. Nihil ergo ad hanc potestatem pertinens Constantinus Ecclesiæ Romanæ contulit, sed quod invenit, id probavit et credidit; imo etiam sua obedientia et subjectione recognovit, et in reverentiam et honorem tantæ dignitatis temporalia etiam bona Ecclesiæ Romanæ concessit,

ut majorem honorem et splendorem illi conciliaret. Quod é verbis ejusdem edicti constare potest. Nam in principio con tetur, Deum per Apostolos Petrum et Paulum mirabilia erga s operatum esse, «interveniente» (ait) «Patre nostro Sylvestro, universali Papa.» Et infra sic inquit: «Quantam potestate idem Salvator noster suo Apostolo B. Petro contulit in cœlo terra, lucidissime nobis idem venerabilis Pater edixit.» Et infi subjungit: «Judicavimus ut, sicut in terris S. Petrus Vicari filii Dei videtur esse constitutus, etiam et Pontifices, qui suc cessores sunt ipsius principis Apostolorum, principatus potes tatem, amplius quam terrena imperialis amplitudo habere vi detur, obtineant.» Interponit autem hæc verba, «concessam nobis, et a nostro imperio,» quod intelligendum est de con cessione per consensum et recognitionem, non per propriam donationem, ne verba hæc repugnent præcedentibus, in quibu Petrum fuisse Christi Vicarium et Romanum Pontificem ess successorem ejus, confessus est, et ideo ejus principatum pra fert imperiali; non poterat autem imperator dare potestaten imperiali majorem. Vel etiam intelligitur concessisse sedi Petr splendorem et principatum temporalem in spiritualis honorem ut ita in majori esset honore, quam ipsum imperium. Quod sig nificant verba sequentia, in quibus valde notandum est, appel lare imperium «terrenam potentiam, et terrenum thronum, «pontificatum vero «sacrosanctum, et sedem sacratissimam B. Petri,» etc.

7. *Ad Concilium Nicænum.*—Ad ultimam partem de Con cilio Nicæno et aliis, patet etiam responsio ex dictis, et ex ver bis Leonis IX, ibidem citatis; prius enim dicit, Pontificem a nemine judicari, «Sancto Sylvestro divinitus decernente», hoc est, non a se statuente, sed jus divinum declarante; hoc enim verba in rigore indicant, et materia postulat; non enim poterat ipse auctoritate sua se ipsum eximere; declaravit ergo se divinitus exemptum. Et addit Leo, «Constantino Augusto, et Nicæna Synodo approbante et subscribente», utique definiendo,

declarando et promulgando tale esse divinum privilegium Apostolicæ Sedis. Et nihilominus addit Leo, Constantinum contulisse hoc privilegium, quod necessario intelligendum est juxta superius dicta, contulisse, scilicet, approbando, et ut observaretur statuendo. Et sic etiam dixit Joannes II, in epistola ad Justinianum imperatorem: «Romanæ Sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subjicitis, et ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente, præceptum est: Pasce oves meas, quam esse omnium vere Ecclesiarum caput, et Patrum regulæ, et principum statuta declarant, et pietatis vestræ reverendissimi testantur affectus.» Quibus verbis complectitur, quid Christus, quidve Patres et principes huic dignitati contulerint, nam a Christo est institutio et collatio potestatis cum præcepto pascendi, a Patribus vero est declaratio ac definitio, imperatoribus vero proprie competit recognitio et defensio. Denique idem cum proportione dicendum est de Apostolis respectu Petri; non enim alii Apostoli contulerunt Petro potestatem, ut ex Evangelio constat, sed datam a Christo libentissime acceptarunt.

8. *Alia objectio ex conjecturis.*—Præter has objectiones, solent a Protestantibus aliæ fieri ex rationibus seu conjecturis petitæ, ut quod unus homo non possit Ecclesiam per universum orbem diffussam commode gubernare. Unde ad hoc persuadendum solent exaggerare, vel etiam fingere defectus, aut vitia quæ in aliquibus Pontificibus notata sunt, et Rex Angliæ non prætermittit insimulare quædam, quæ in electionibus Pontificum committi affirmat. Denique alii addunt vulgarem, et in multis rebus communem eorum objectionem, quia fit magna injuria Christo, si præter ipsum aliud constituatur totius Ecclesiæ caput.

9. *Solutio.—Plures ex Pontificibus regimini totius Ecclesiæ perfectissime satisfecerunt.*—Sed hæc parvi momenti sunt, nam si hoc Ecclesiæ regimen mere humanum esset, et solis humanis viribus, prudentiave morali, aut solo naturali arbitrio pera-

gendum esset, non immerito unius hominis capacitatem excedere judicaretur; quin potius fatemur neque ordinaria gratiæ auxilia ad id sufficere, nisi Deus longe majora et specialia offerret. Cum autem Christus Dominus et singularem providentiæ suæ præsentiam, et Spiritus Sancti assistentiam suo Vicario promiserit, et pro illius fide peculiariter rogaverit, quamvis humanæ fragilitati difficile sit onus spiritualiter gubernandi totum universum, non est tamen impossibile, nec ita moraliter difficile, quin plures Pontifices, et majori ex parte, egregie illud sustinuerint, et perfecte ac sancte impleverint. Eo vel maxime quod, licet unus sit supremus Pontifex, non tamen solus ubique et immediate gubernat, sed alios etiam Episcopos et Pastores in partem sollicitudinis ex divina institutione vocat, eisque, quantum expedit, partem suæ jurisdictionis communicat, sibique majora et graviora, omnemque recursum ad conservandam unitatem et concordiam necessarium reservat. Atque hoc modo unius regimen non solum fit possibile, sed etiam ad unitatem Ecclesiæ conservandam fuit necessarium, ut ostendimus; imo etiam esset suo modo facile, nisi per errores et schismata perturbaretur.

10. *Criminationes hæreticorum refelluntur.*—Ad ea vero de quibus personas Pontificum eorum hostes criminantur, dicere imprimis possumus cum Augustino, epist. 165: «In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium (nos dicamus usque ad Paulum V), qui nunc eamdem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, neque innocentibus christianis, quibus Dominus prævidens de præpositis malis ait: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim et non faciunt, ut certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocatur.» Deinde addere possumus quod idem Augustinus Donatistis respondit, lib. de Unico baptismo, contra Petilian., c. 16: «Quid opus est ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est,

objecta ab eo crimina diluamus? Nam, licet de criminibus arguantur, numquid etiam convincuntur, aut convicti aliqua instrumentorum firmitate monstrantur?» et cætera, quæ eleganter prosequitur. Non negamus tamen aliqua peccata et scandala de aliquibus Pontificibus in historiis referri, sed hi et pauci sunt comparatione multitudinis tot illustrium et Sanctorum Pontificum, et mirum esse non debet quod in tanta multitudine pauci mali inventi sint, cum inter duodecim Apostolos unus traditor fuerit. Unde sicut iste apostolicam dignitatem non fædavit, ita neque ullus Pontifex pravus Apostolicam Sedem maculavit, quia nullus in eis fuit hæreticus, saltem qui hæresim publice docuerit, et vita mala sanctitatem sedis non diminuit. Et quod de personis Pontificum dicimus, de eorumdem electione dictum intelligatur. Nam quod rex Angliæ obmurmurat, nostra ætate accidisse ignoramus, et licet, fortasse interdum commissum sit, immerito notatur ac reprehenditur, ac si frequens vel perpetuum esset, ideoque merito Bellarminus respondit: «Solemne est adversariis, id, in quo unus aliquando peccavit, ad omnes transferre.» Ac denique licet in tali electione homines ut homines interdum delinquant, non inde necessario fit, ut electio non sit ab Spiritu Sancto, qui novit malis bene uti. etiam ad dignam personam eligendam ; et licet interdum propter sua occulta judicia, permittat ut in electione personæ erretur, nihilominus propter Ecclesiæ bonum et firmam institutionem Spiritus Sanctus assistit, ut rite electo, quicumque ille sit, suam conferat potestatem, et ita peccata hominum non obstant quominus uno vel alio modo electio ab Spiritu Sancto sit.

11. *Pontificis primatus non injuriam Christi, sed ejus singularem erga Ecclesiam providentiam præ se fert.*—Denique ad ultimam partem negamus, in injuriam cedere Christi, quod unum habeat in terris Vicarium, qui suo modo caput visibile militantis et visibilis Ecclesiæ sit, quia hoc est caput ministeriale; ipse autem Christus solus semper est caput principale. Sicut etiam supra de petra dicebamus, vel sicut Christus etiam in

Scriptura dicitur, «Pastor animarum nostrarum», 1 Petr., 2, quod non obstat quominus aliis hominibus dicatur: «Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei», Act, 20. Nam, licet Christus sit «Princeps Pastorum», supremus et principalis, ut dicitur 1 Petr., 5, nihilominus alii etiam sunt pastores tanquam ministri illius principis; imo isti etiam interdum principes appellantur, juxta illud: «Constitues eos principes super omnem terram»; omnes tamen sunt sub illo supremo principe. Ita ergo Papa et est Pastor, et Episcopus, et Princeps Pastorum et Episcoporum, utique mortalium, seu ministerialium, sub immortali et absoluto principe. Atque eodem modo est ministeriale et mortale caput sub principali et immortali. Et ideo hoc non solum non derogat dignitati Christi, sed etiam charitatem et potentiam ejus, et singularem erga Ecclesiam suam providentiam commendat.

CAPUT XXI

Utrum personæ principum seu regum temporalium spirituali potestati summi Pontificis subjectæ sint

1. *Potestas spiritualis et temporalis dupliciter inter se conferuntur.*—Quamvis in præsenti præcipue agendum sit de subordinatione, seu comparatione spiritualis et temporalis potestatis, nam ad illarum perfectam cognitionem hoc præcipue declarandum superest, nihilominus ab ipsis personis, in quibus tales potestates insunt, initium sumimus, quia fundamentum prædictæ subordinationis inde maxime pendet. Quod ut declarem, adverto, prædictas potestates, spiritualem et temporalem, posse comparari vel in nobilitate et excellentia, vel in subordinatione et subjectione unius ad alteram; hæc enim duo adeo diversa sunt, ut possint separari, ad eum modum quo in physicis facultа-

tibus potest una esse excellentior alia (ut visus auditu), etiamsi una alteri in actione sua non subjiciatur vel subordinetur. Nunc ergo non comparamus has potestates in absoluta perfectione et excellentia; nam explicando distinctionem spiritualis potestatis a temporali, satis ostendimus illam esse excellentiorem ista, quod etiam ex professo docui in opere de legibus, et supposita distinctione utriusque potestatis, vix potest habere dubitationem. Quia spiritualis potestas est altior quædam participatio divinæ potestatis, perfectiores effectus, altiorem finem, nobiliorem originem, et quoddam esse divinioris atque excellentioris ordinis habens, ut variis etiam loquendi modis Patres ostendunt, quos in citatis locis adnotavi.

2. *Variæ quæstiones quæ ex unius potestatis ad aliam subordinatione oriuntur.*—Comparamus ergo has potestates in subordinatione ac dependentia unius ab alia, quæ vel inter ipsas potestates formaliter (ut sic dicam) cogitari potest, vel solum inter personas in quibus tales potestates existunt. Inquiri enim potest an una ex his potestatibus possit alteram ad suos actus applicare, vel ab eis cohibere; vel an persona habens unam potestatem subjiciatur habenti aliam quoad actus ad illam pertinentes, in quo etiam quæri potest an hæc subjectio reciproca, vel tantum ex altera parte sit. Quæ omnia, ut punctum difficultatis attingamus, de illis personis tractanda proponimus, in quibus hæ potestates in supremo excellentiæ gradu inveniuntur, ut sunt imperator et Pontifex Summus. Tres igitur resultant quæstiones. Prima est, an Summus Pontifex personas regum et principum temporalium habeat sibi spiritualiter subjectas. Secunda, an Pontifex habeat sibi subjectam non solum personam regis, sed etiam ejus potestatem temporalem, quantumvis supremam, ita ut possit illius actus præcipiendo dirigere, exigere, supplere vel impedire. Tertia his consequens est, an Pontifex, ratione suæ spiritualis potestatis, possit christianos principes non solum dirigere præcipiendo, sed etiam cogere puniendo, etiam usque ad regni privationem, si opus fuerit,

quod est fere punctum et cardo totius controversiæ, et ideo accuratius tractandum est. Possuntque tres similes quæstiones e converso moveri, scilicet, an rex vel imperator personas Papæ vel aliorum Episcoporum habeat sibi in temporalibus et civilibus subjectas. Item, an rex sua temporali potestate possit spirituali dominari, in ordine ad suam gubernationem illam excitando aut cohibendo. Tertio, an possit rex præcipere Pontifici cum potestate coerciva, etiam usque ad depositionem. Ex his autem tribus posterioribus quæstionibus prima ad disputationem de exemptione clericorum a potestate civili pertinet, cui totum librum sequentem dicamus, et ideo ibi copiose tractabitur; hic vero solum de persona Pontificis aliquid attingemus, quantum ad solvendas aliquas objectiones fuerit necessarium. Secunda vero quæstio, supposita resolutione priorum quæstionum, nullam habet difficultatem, et ideo cum illis per quamdam consecutionem expedietur. Tertia vero quæstio annexa est præcedentibus, et quatenus spectare potest ad Pontificem ut Pontifex est, in sequentibus etiam obiter expedietur; quatenus vero de Pontifice ut est homo vel civis, in sequenti libro simul cum prima resolvetur.

3. *Error Protestantium circa regum ad Pontifices subjectionem.*—In hoc ergo capite prima quæstio proposita tractanda est, in qua, sententia Protestantium est, regem temporalem, et in universum principem in temporalibus supremum nulli homini in spiritualibus esse subjectum, ac subinde nec potestatem regis a potestate alicujus hominis pendere. Qui error a Marsilio Paduano originem duxit, et illi maxime adhæsit Henricus VIII, rex Angliæ, quem nunc serenissimus Jacobus imitatur, ut non solum ejus facta, sed etiam verba, quæ in variis locis suæ Præfationis posuit, ostendunt. Nam in hoc sensu, pagin. 2, de temporalibus regibus ait: «Quos Deus in altissimo dignitatis gradu quasi suos vicarios et legatos ad exercenda judicia in suo solio collocavit.» Et clarius in pagin. 5: «Nam neque me Pontifice ulla ex parte inferiorem esse credam.» Et

iterum ad reges, pagin. 10: «Quos Deus præcipuos in terris vicarios in administratione justitiæ esse jussit.» Et in eodem sensu dicit, pagin. 14, controversiam, quam cum suis subditis catholicis habet, non aliunde esse motam, «quam ab ambitiosa Pontificum tyrannide, quam illi contra auctoritatem Scripturarum, contra Conciliorum antiquorumque Patrum mentem, sibi in temporalia regum jura injuste usurparunt.» Tandemque ibidem concludit, in hac regum auctoritate asserenda (utique in hoc sensu) totam suam Apologiam impendisse. In quibus locis, licet interdum de subjectione in temporalibus loquatur, intelligit tamen de subjectione, tam directa quam indirecta; ut enim utramque a regibus excludat, spiritualem etiam negat, ideoque potestatem etiam spiritualem sibi arrogat, et in hoc fundamento tota ejus machina nititur.

4. *Fundamentum prædicti erroris.*—Cum hæc scriberem, liber Illustrissimi Cardinalis Bellarmini ad manus meas pervenit, in quo Guillelmo Barclaio, qui Pontificis potestatem in rebus temporalibus novo quodam modo negavit, respondet. Profitebatur enim ille habere Pontificem supremam potestatem in spiritualibus, etiam supra reges et imperatores, et nihilominus negavit subordinationem potestatis temporalis ad spiritualem, et consequenter etiam negavit, posse Pontificem in temporalibus rebus, ad jus vel dominium regis pertinentibus, mutationem aliquam facere, vel in illis aliquid disponere. Et quanquam in prædicto libro multa ejus fundamenta referantur, nullum tamen grave vel ab auctoritate, vel ab urgente ratione petitum invenio, et qualiacumque illa sint, illis tam plene et erudite Cardinalis satisfacit, ut nihil addere necesse sit. Summa itaque omnium est, quia reges christiani habent supremam potestatem in temporalibus; repugnat autem esse supremam, et esse alteri subjectam, sive directe, sive indirecte. Ad utrumque autem persuadendum ex Scripturis colligit vulgaria testimonia, quibus obedientia ad temporales principes commendatur, et adjungit potestatem Pontificis quoad temporalia nullum in Scriptura

habere fundamentum, neque in usu vel traditione Ecclesiæ. Multa etiam accumulat, in quibus quæstionem hanc de potestate spirituali Pontificis cum quæstione de exemptione clericorum confundit, cum tamen ut sæpe dixi, distinctæ sint, et ex principiis longe diversis definiendæ; ideoque omnia, quæ ad exemptionem pertinuerint, in sequentem librum remittimus; aliis vero in capite sequenti satisfaciemus.

5. *Assertio de fide.—Reges temporales in spiritualibus subjiciuntur Pontifici.*—Principio ergo contra regem Angliæ id statuimus, quod Barclaius admittit, Pontificem Romanum esse spiritualem Patrem et Pastorem summum regum et principum temporalium, quantumcumque in suo ordine supremi sint; ac proinde in his, quæ ad animam et spirituale regimen spectant, reges esse Pontifici Romano subjectos. Hæc assertio directe respondet primæ quæstioni propositæ, estque de fide catholica tenenda. Et nova probatione non indiget; sequitur enim evidenter ex principiis capitibus præcedentibus traditis. Ostendimus enim Papam esse pastorem omnium ovium Christi; ad reges christiani inter oves Christi computantur, alioqui extra ovile et extra Ecclesiam Catholicam erunt; ergo etiam illorum pastor est Papa; ergo e converso ipsi spirituali Pontificis potestati subjacent: nam hæc duo correlativa et inseparabilia sunt. Quapropter Scripturæ, Pontificum, Conciliorum et Patrum testimonia, quæ probant Pontificem Summum succedere Petro in universali potestate regendi Ecclesiam, probant etiam reges subdi eidem potestati Pontificis, saltem in spiritualibus: nam potestas data in totum ovile, seu corpus, ad singulas oves seu partes extenditur. Et qua ratione illa potestas cæteros baptizatos cujuscumque inferioris conditionis sub se complectitur, eadem reges etiam et imperatores comprehendit, quia nullo jure exempti sunt, et regia dignitas cum christiana subjectione non repugnat, alias etiam cum Christiana fide et professione pugnaret, cum ipsa Christi fides obedientiam hanc a suis cultoribus requirat.

6. *Probatur conclusio, primo, ex Concilio Nicæno et Patribus.*—His generalibus rationibus et testimoniis addi possunt specialia verba, imprimis Concilii Nicæni, canon. 39, inter octoginta ex Arabico translata, ubi de Pontifice Romano dicit: «Ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes christianos, et omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Domini nostri Jesu Christi super cunctos populos, et universam Ecclesiam Christianam.» Unde Symmachus Papa, Apolog. ad Anastasium imperatorem, sic ad eum loquitur: «Tu si christianus princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire.» Et Anastasius Papa II, in epist. 1 ad Anastasium imperatorem, obedientiam in his quæ illum monebat, ab ipso requirit. Et Gelasius ad eumdem: «Licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis.» Et infra: «Subdi te debere cognosce religionis ordine,» etc. Ex testimoniis etiam supra allatis, quibus primatum Romanæ Sedis ostendimus, multa expresse declarant, inter oves Petro commissas, etiam reges et imperatores numerari. Præsertim Nazianzenus, in Oratione ad Populum timor., percul.: «Suscipe» (ait) «vocem liberiorem, scito te esse ovem gregis mei.» Et Chrysostomus, Homil. 83: «Si is, qui diademate coronatur, indigne adeat, cohibe; majorem illo potestatem habes.» Et Ambrosius, lib. de Dignitat. Sacerdot., cap. 2, ait, «regum colla submitti pedibus Sacerdotum.»

7. *Ex factis imperatorum probatur secundo assertio.*—Multum denique veritas hæc ex factis, exemplis ac testimoniis christianorum imperatorum ac regum manifestatur; nam imprimis de Philippo primo imperatore christiano memoriæ proditum est, obedivisse Fabiano Papæ, præcipienti ut ad communionem non prius accederet, quam inter publicos pœnitentes sedens peccata defleret, ut Eusebius refert, libro sexto Histor., capite vigesimo quinto, alias vigesimo septimo; et Nicephor., lib. 5, c. 25. De Constantino etiam nota est historia, quod in Concilio

se ab Episcopis judicandum esse dixerit, non de illis judicaturum, apud Ruffin., lib. 1, c 2. Satis etiam pie Justinus imperator, in l. 4, C. de Summ. Trinit. et fide Cathol.: «Nos» (inquit) «reddentes honorem Apostolicæ Sedi, et Vestræ Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, et ut decet Patrem, honorantes Vestram Sanctitatem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis, quoniam nobis semper fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ Sedis, et status Sanctarum Ecclesiarum custodire.» Et alia, quæ prosequitur, quibus satis se ostendit spiritualiter Apostolicæ Sedi subjectum, ut recte intellexit, et laudavit Joannes Pontifex, in rescripto quod in eadem lege refertur, § «Inter claras,» ubi inter alia dicit: «Romanæ Sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subjicitis, et ad ejus deducitis unitatem,» et cætera quæ supra retulimus.

8. Sunt etiam valde notanda verba Caroli Magni imperatoris: «In memoria B. Petri honoremus S. Romanam, et Apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis, quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus». Quæ verba ex capitulis Caroli refert Gratian., in c. 3, dist. 19; et Nauclerus, volum. 2, generat. 28, dicit esse unum ex viginti tribus legum capitulis, quæ Carolus ad suos subditos misit. Et receptum est a Patribus in Concilio Triburiensi, canon. 30. Unde etiam dixit Symmachus Papa, in sexta Synodo Romana: «Non licet imperatori vel cuiquam pietatem custodienti, quidquam, quod apostolicis regulis obviet, agere.» Et refert Gratianus, in c. 2, dist. 10, ubi similia verba ex Calixto, Marcelino et Adriano Papa referuntur. Imo idem Adrianus Papa, in ultimo suorum capitulorum: «Generali (ait) decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, et veluti prævaricator catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicumque regum vel potentum deinceps Romanorum Pontificum

decretorum censuram in quocumque crediderit vel permiserit violandam,» ut est apud Gratianum, in c. «Generali,» 25, q. 1.

9. Possunt præterea his adjungi plura signa reverentiæ, et obedientiæ sedi Apostolicæ data ab imperatoribus et regibus, in omnibus locis ac temporibus. Nam in primis fere omnes vocant «spiritualem Patrem,» et addunt. «Beatissimum Sanctissimum,» aut aliquid æquivalens, ut videre licet in multis epistolis diversorum imperatorum ad Leonem Papam, Hormisdam, Anastasium, et alios, specialiterque notari possunt verba Ladislai regis Ungariæ, in oratione ad Nicolaum V, ubi vocat, «Pontificem maximum, unicum Christianorum Principem, et Regum Regem, ac in terris Deum,» ut extat apud Cocleum, lib. 11, Historiæ Husitarum. Deinde confitentur sæpe, et recognoscunt cathedram Petri in Pontifice Romano, ejusque universalem jurisdictionem in totam Ecclesiam, ut constat ex Constantino, et aliis supra allegatis, et ex Valentiniano, Epist. ad Theodos., in Act. 1, Concilii Chalcedonensis, et in alia ejusdem ad Leonem, ubi eum ait, «habere principatum sacerdotii, fidei præsidentem, et ipso auctore congregandum esse Concilium,» et ex aliis quæ ibi videri possunt. Item ex Justiniano, in Legibus et Authenticis in superioribus citatis, et litteris ad Bonifacium II, quæ inter gesta Bonifacii, tom. 2 Conciliorum, referuntur, ubi prius de Apostolica Sede intelligit illud: «Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam»; et subjungit: «Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata religio». Et infra: «Anathematizamus omnes, qui contra S. Romanam et Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et prædicantes ejus omnia constituta.»

10. Et Federicus I, in Epistola ad Emanuelem, Græcum imperatorem, prius dicit, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum unicam matrem, Dominam, et magistram a Deo esse ordinatam. Unde infert: «Summo Pontifici quem nomine tenus

sanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas et honorem.» Fertur etiam epistola Leonis, Armenorum Regis, ad Innocent. III, «quem Dominum et in Christo Patrem et universalem Papam appellat, et Pastorem, quem Deus Ecclesiæ suæ præesse voluit.» Et subjungit: «Vestri luminis gratia informati, omne regnum nobis a Deo commissum, et omnes Armenos ad unitatem S. Romanæ Ecclesiæ divina inspirante clementia revocare cupimus et obtamus.» Similia scripsit Michael Palæologus ad Gregorium X, sub annum 1274. Et plura Andronicus, imperator Græcus, in epistola quæ extat in Bibliotheca Palatina, ubi Romanam Ecclesiam dicit habere supremum absolutumque principatum super universam catholicam Ecclesiam ab ipso Domino traditum, etc.

11. *Nangius, de Gestis sancti Ludovici, et apud Surium.*— Præterea Carolus rex Franciæ in epistola ad Adrianum II, sic scribit: «Sanctissimo Patri Adriano summo, et universali Pontifici, Carolus, Dei gratia rex, et spiritualis filius vester», etc. Et Hugo, rex Franciæ, ad Joannem Papam XV, inter alia dicit: «Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis et cognoscatis nos et nostros vestra nolle declinare judicia.» Et Ludovicus, etiam rex Galliæ, epistola ad Pium II, prius his verbis illum salutat: «Beatissimo Patri nostro Pio Papæ II, obedientiam filialem,» et deinde subjungit: «Te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut sacra tua monita, præsertim in ecclesiasticis rebus, velut vocem Pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus, te Dominici gregis Pastorem profitemur et scimus, teque jubentem sequimur,» etc. Ita S. Ludovicus, Rex Franciæ, inter documenta ad Philippum filium ante mortem scripta inquit: «Sis devotus, et obediens matri Romanæ Ecclesiæ, ejusque Pontifici, tanquam spirituali patri, te morigerum præbeas.» Præterea Sigismundus, Rex Poloniæ, in epistola ad Concilium Lateranense, sub Leone X, quæ habetur in ejus act. 7, obedientiam præstat Summo Pontifici, et addit: «Juxta consuetudinem majorum meorum.»

12. Et in eodem Concilio, sess. 2, in principio, habetur mandatum regis catholici Ferdinandi, in quo inter alia multa illustrissima suæ fidei testimonia hoc ponit: «Profitemur nos filium sactæ Romanæ Ecclesiæ, matris nostræ, deditissimum, proque ejus honore atque statu animam ponere paratissimum.» Et intra subdit, se mittere egatum, ut intersit Concilio, «ibique (ait) obedientiam debitam præfato beatissimo Domino nostro Papæ, toties, quoties opportunum fuerit, præstandam,» etc. Et similia fere verba ex Carolo V, habentur in edicto Wormaciensi. Neque plura testimonia Hispaniarum regum referre necesse est, quia res est notissima, et quia rex Alphonsus, in suis Legibus, parte prima, tit. 5, l. 2, 3, 4 et 5, ex professo nom solum profitetur, sed etiam erudite Pontificiam dignitatem et potestatem declarat, dicens, ratione illius esse speciali modo, «Vicarium Christi, et successorem Petri,» ac propterea per antonomasiam «apostolicum» appellari, et nominari etiam «Papam,» quia «Pater Patrum, et caput Episcoporum, et aliorum Prælatorum. Et propterea (inquit) omnes Christiani totius orbis, quando ad ipsum accedunt, pedem ejus osculantur.» Addit deinde, in fine legis 4, «eum, qui negaverit Pontificem habere hanc potestatem, vel esse caput Ecclesiæ, non solum excommunicatum esse, sed etiam hæreticum,» Et in l. 5, generaliter et sine excepcione dicit, omnes Christianos teneri ad obediendum Pontifici in spiritualibus, etc.

13. *Plures reges Angliæ assertionem positam amplexati fuere.*—Venio ad reges Angliæ, qui a principio suæ vocationis ad fidem, usque ad Henricum VIII, Romanum Pontificem tanquam supremum Ecclesiæ pastorem recognoverunt. Primus enim Britanniæ rex, Lucius, statim ac fidem suscepit, ad Eleutherium misit Epistolam, «obsecrans (ait Beda) ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox effectum piæ postulationis consecutus est » Quo facto et exemplo ostendit aperte, recognovisse Pontificem ut Pastorem suum; quomodo enim sacramentum tam necesarium, ab alio quam a Pastore suo pos-

tulasset? Item professus est illum habere claves totius Ecclessiæ, et ad illum principaliter pertinere per januam baptismi reges et principes intra Eclesiam recipere. Alioqui cur non potius ab aliquo Episcopo Britannico (si fortasse aliquis tunc ibi erat ex prædicatione et ordinatione Josephi succedens), vel saltem ab aliquo vicino Episcopo baptismum postulasset? Nam, ut ex Irenæo, lib. 1, c. 8, sumimus, jam eo tempore in Germania, Gallia et Hispania, quæ sunt provinciæ, Britanniæ insulæ, quam Roma viciniores, erant fundatæ ecclesiæ et Episcopi creati; cur ergo ad nullum illorum nuncios misit, sed ad Romanum solum? Non certe alia ratione, nisi quia illum tantum universalem jurisdictionem, et superiorem potestatem in ecclesiam habere credidit. Supra etiam retulimus ex Beda (1), regem Osuvi, cum audisset Petro principaliter esse datas claves regni Cœlorum, et illius successorem Romanum Pontificem esse crederet, dixisse: «Ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum novi et valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis. Hæc dicente rege (ait Beda) faverunt assidentes, et ad ea, quæ meliora cognoverant, sese transferre festinabant.» Multaque alia de recursu regum Angliæ ad Apostolicam Sedem in rebus et negotiis ecclesiasticis Beda refert.

14. Item Joannes Papa X, Eduardum regem tanquam ovem suam admonuit, ut refert Polydorus, lib. 6. Estque optima epistola regis Eduardi ad Nicolaum II, quam sic inscribit: «Summo universalis Ecclesiæ Patri Nicolao, Eduardus, gratia Dei Anglorum rex, debitam subjectionem et obedientiam» (2). Et postea, in epistola confitetur et postulat, ut quod prædecessor Papæ ipsi injunxerat sub nomine obedientiæ et pœnitentiæ pro quodam voto, ratum habeat, et ut quædam privilegia confirmet, et postea dicit, se augere et confirmare donationes et consuetudines pecuniarum, quæ habet S. Petrus in Anglia,

(1) Beda, lib. 3, cap. 25.

(2) Baron., anno 1060, n. 9.

easque mittere collectas cum regalibus donis, etc. Similes fere inveniuntur epistolæ alterius Eduardi, regis Angliæ, ad Bonifacium VIII, et alterius ad Clementem VI. Et sunt etiam optima verba regis Richardi II ad Clementem III (1) : «Justiorem exitum facta principum sortiuntur, cum a Sede Apostolica robur et favorem accipiunt, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ colloquio diriguntur. Propterea dignum duximus ad notitiam Beatitudinis Vestræ transmittere, quæ inter nos et dominum Tancredum, illustrem Siciliæ regem publico nuper et necessario sunt celebrata contractu.» Et infra : «Sanctitatem Vestram et Sanctam Romanam Ecclesiam obnixe rogamus, ut sancta Sedes Apostolica fidejussionem pro nobis suscipiat, et ut confidenter id faciat, testimonio præsentium litterarum vobis liberam concedimus potestatem, nos et hæredes nostros, et terram nostram districtius coercere, si contra præfatam pacem venerimus», etc.

15. Præterea Kenulphus, rex Merciorum in Anglia, epistolam scripsit ad Joannem III, Pontificem, in qua prius gratias Deo agit, quia «cum gloriosissimum gregis sui Pastorem Adrianum perpetuo remunerandum super æthera duxisset , suis tamen ovibus pia erexit providentia eum», id est, «Leonem, qui scit ovile dominicum ad caulas superioris vitæ agitare». Et infra : «Quapropter opportunum arbitror tuis sanctis jussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari» (2). Et postea, humiliter benedictione postulata, subjungit : «Hanc benedictionem omnes, qui ante me fuerunt Merciorum reges, meruerunt ab antecessoribus tuis adipisci, hanc ipse humilis peto, et a vobis, o Sanctissime, impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicut te mihi patris persona deligo, et totis obedientiæ viribus semper amplector». Refert etiam Petrus Blesensis epistolam quamdam reginæ Angliæ, quæ apud ipsum est 144, in qua contra tyrannidem cujusdam prin-

(1) Baron., anno 1190.
(2) Baron,, anno 169.

cipis christiani auxilium Cœlestini Papæ implorat : «Quem constituit», inquiens, «Deus super gentes, et regna in omni plenitudine potestatis». Et infra : «Nec ista dissimulare potestis sine criminis et infamiæ nota, cum sitis vicarius crucifixi, successor Petri, Deus etiam Pharaonis». Et cum postea tyrannum claves ludibrio habere retulisset, concludit : «Etsi vestram non vultis injuriam prosequi, vobis tamen Petri opprobrium, et injuriam Christi dissimulare non licet».

16. *Ex Anglorum factis eadem regum subjectio stabilitur.*— Potest præterea hoc loco in signum hujus spiritualis subjectionis regum Angliæ adduci consuetudo illa, cujus supra Eduardus meminit, solvendi tributum Romanæ Ecclesiæ in D. Petri reverentiam, quæ consuetudo ad Ina rege initium sumpsit, teste Polydoro, lib. 1, et a successoribus conservata et aucta est, ut in lib. 5 et aliis locis prosequitur. Posteaque lege lata a Guillelmo, Conquæstore Angliæ, confirmata est, et inter ejus leges dicitur esse decima, et de denario Petri inscribitur. Atque ita usque ad tempora Henrici VIII tributum illud Romanæ Ecclesiæ persolutum est. Unde optime colligit Sander., d. l. 5, c. 6, verisimile non esse, reges Angliæ, qui in honorem Sancti Petri regnum suum vectigale Romanæ Sedi fecerunt, spiritualem ejusdem regni gubernationem eidem Sedi negasse. Potestque indicium hoc locupletari ex his, quæ Azor congerit in 2 p. suarum Instit., lib. 4, c. 35.

17. *Alia eorumdem gesta præsens institutum confirmantia inducuntur.*—Tandem confirmari hoc potest ex antiquo usu et praxi antiquorum catholicorum regum Angliæ, qui semper a Pontificibus postulaverunt, tum dispensationes in votis, aut ecclesiasticis legibus, tum Episcoporum confirmationes, tum etiam pallium Archiepiscopis dari solitum, et sæpe ipsos Archiepiscopos pro suscipiendo pallio Romam interdum mittebant, aliquando vero reges a Pontificibus, ut daretur absentibus, postulabant. Interdum etiam Episcopi et reges, in controversiis quas inter se habebant, ad Pontificem appellabant, de quibus

et multis similibus, videri possunt Neubrigensis, lib. 1 Rerum Anglicarum : et Malmesburiensis, lib. 1 de Gestis Pontificum, et lib. 1 Histor. Novel. Et Petrus Blesensis, epistol. 136, cum aliis multis; et Matthæus Parisius, in Historia regum Angliæ ; Baronius, anno 1100 et 1117, et 1174, et quoties de regibus Angliæ historia occurrit. Aliqua etiam in summam redegit Sanderus, in Clavi David, lib. 5, cap. 6. Quæ his repetere non est necesse, cum ipse etiam Henricus VIII, rex Angliæ (ut supra notavimus), priusquam in schisma incideret, magnum pro Sede Romana ejusque auctoritate testimonium scriptum reliquerit in assertione Sacramentorum contra Lutherum, artic. 2, ubi inter alia dicit : «Non tam injurius ero Pontifici, ut anxie et sollicite de ejus jure disceptem, quasi res haberetur pro dubia». Ideoque dispensationem a Papa postulavit, quia eo tempore se spirituali potestati Pontificis subjectum agnoscebat, secundum fidem, et traditionem quam non solum a prædecessoribus suis, sed ab universo orbe christiano acceperat : cui etiam traditioni in suo libro testimonium perhibuit.

18. *Ratione etiam efficaci eadem regum subjectio demonstratur.*—Denique veritas hæc ex quodam principio in cap. 6 hujus libri demonstrato manifeste sequitur ; probavimus enim temporalem regem ex vi suæ regiæ dignitatis nullam habere potestatem vel jurisdictionem spiritualem. Quod principium non minus verum in regibus Anglicanis est quam in aliis, ut per se notum est, nam propterea rex Jacobus contrarium persuadere nititur omnibus regibus, quia videt causam et rationem esse communem. Ex hoc ergo principio ita concludimus : temporales reges non habent in Ecclesia spiritualem potestatem; ergo necesse est ut in spiritualibus subsint ecclesiasticæ potestati. Probatur consequentia, quia in Ecclesia non sunt nisi oves et pastores, seu ovile et pastor ; sed qui non habet spiritualem potestatem, non est pastor ; ergo oportet ut sit ovis, alioqui in ovili non erit, neque Ecclesiæ membrum. Et quidem contra omnem rationem et rectum ordinem esset, quod in Ecclesia

sint aliqui, qui nec regere spiritualiter possint, nec regi, alioqui neque Papa esset Christi Vicarius integre et perfecte, neque res ordinate fierent, nec Ecclesia posset in unitate et pace conservari, nec denique omnibus fidelibus sufficienter esset ad salutem provisum.

19. Unde hæc ratio non solum probat temporalem regem esse subditum Pontifici in spiritualibus, sed etiam jure ordinario unumquemque regem esse subjectum suo Episcopo, nisi a Pontifice eximatur, et sub protectione seu jurisdictione sua immediate recipiatur. Quod rex Angliæ male fert, et in Bellarmino reprehendit, est tamen manifestum, si debitus ordo hierarchiæ ecclesiasticæ consideretur. Nam reges inter oves nullam jurisdictionem spiritualem habentes computantur; ergo ex vi sui status, et attento solo jure naturali vel divino, non habent majorem exemptionem a jurisdictione Episcoporum, quam cæteri laici in eadem diœcesi commorantes. Et hoc probat exemplum Ambrosii, et similia, et quod dixit Chrysostomus, «majorem illo potestatem habes» (1), et nonnulla alia, quæ supra retulimus. Clarius vero id traditur a Clemente III, in cap. «Omnes Principes», de Majorit. et obedientia, ubi id notat Glossa, Panormitanus et alii Doctores, et in cap. «Solitæ», eodem titul. Ab hoc autem ordinario jure solent eximi reges per privilegia Pontificum, ab ipsius autem Pontificis obedientia eximi nullo modo possunt, et ideo illi præcipue spiritualiter subjecti dicuntur.

(1). Theod., lib. 5 Hist., c. 17.

CAPUT XXII.

Reges christianos non solum quoad personas, sed etiam quoad regiam potestatem, id est, non solum ut homines, sed etiam ut reges christianos, potestati Pontificis subjici.

1. *Prima conclusio.*—Assertioni in præcedenti capite probatæ altera subjicienda est, quæ ex præcedenti sequitur, et secundæ quæstioni in principio præcedentis capitis propositæ respondet, nimirum, Pontificem Summum, ex vi suæ potestatis seu jurisdictionis spiritualis, esse superiorem regibus et principibus temporalibus, ut eos in usu potestatis temporalis dirigat in ordine ad spiritualem finem, ratione cujus potest talem usum præcipere vel prohibere, exigere aut impedire, quantum ad spirituale bonum Ecclesiæ fuerit conveniens. Per potestatem enim directivam non intelligimus solam potestatem consulendi, monendi aut rogandi, hæc enim non sunt propria superioris potestatis, sed intelligimus propriam vim obligandi, et cum morali efficacia movendi, quam aliqui solent coactivam appellare, sed hæc vox magis ad pœnas pertinet, de quibus in capite sequenti dicturi sumus; hic autem de jurisdictione ad obligandum in conscientia loquimur.

2. *Assertio est communis Catholicorum.*—Assertio ergo sic explicata communi consensu Catholicorum recepta est, quos ex parte in cap. 4 hujus libri allegavi. Nam illi auctores, qui absolute docent Papam habere supremam potestatem, etiam temporalem, in universo orbe, hoc præcipue intendunt, et fortasse vel omnes, vel plures illorum in hoc tantum sensu locuti sunt. Nam, licet interdum indistincte, et sine sufficienti declaratione, vel etiam improprie loquantur (quia potestas Papæ temporalis non est, sed spiritualis, quæ temporalia sub se continet, et cir-

ca illa indirecte, id est, propter spiritualia versatur), nihilominus sæpe hunc sensum declarant, et distinctionem vel expresse vel virtute attingunt. Affirmant enim aliqua posse indirecte Pontificem, et directe negant. Ut judicare de feudo, sicut dixit Glossa in c. «Novit», de Judiciis, verb. «Judicare», ubi Innocentius eam sequitur, et Panorm., num. 17 et sequentibus; imo si attente legatur a num. 11, non aliter intellexit habere Pontificem supremam potestatem temporalem. Similiter dixit Glossa, in regula «Possessor», 2, de Regulis jur., in 6, Papam indirecte posse revocare legem civilem intuitu vitandi peccatum; non tamen directe et per se, id est, cessante ratione pertinente ad salutem animæ, ubi licet non utatur formaliter his terminis, directe vel indirecte, in re tamen et per descriptionem eumdem sensum declarat.

3. Simile exemplum est in Glossa, cap. «Per venerabilem», Qui filii sint legitim., verb. «Habeat potestatem», estque de legitimatione ad temporalia, quam Pontifex directe dare non potest, licet possit indirecte. De quo exemplo videri possunt Covar., in 4 Decretal., 2 p., c. 8, § 8, numer. 13 et sequentibus; et Molin., lib. 3 de Primogen., cap. 2, num. 10 et sequentibus, et plures alii, quos allegant. Reliqui vero Doctores, præsertim Theologi, d. cap. 4 allegati, negantes habere Pontificem absolutum dominium regnorum omnium, seu directam potestatem temporalem supra omnes reges, unanimi consensu docent veritatem hanc de potestate Pontificis directiva regum et principum, et jurisdictionis ac regiminis eorum. Qui plures alios Doctores pro hac veritate referunt, et multo plures Bellarminus, in principio responsionis ad Barclajum, ex quibus in sequenti assertione aliquos notabimus.

4. *Probatur prima conclusio.*—Primum ac præcipuum fundamentum ex illis Scripturis sumimus, in quibus Pontifici universalis animarum cura commissa est. Nam ad gerendam hanc curam plena et perfecta potestas data est Petro, et consequenter etiam ejus successoribus, Romanis Episcopis, quia qui suc-

cedit in munere, succedit etiam in potestate; ergo talis potestas data est ad omnia quæ ad hoc regimen necessaria sunt; ergo in illa potestate spirituali includitur vis directiva cujuscumque potestatis temporalis in regibus vel supremis principibus existentis. Assumptum manifestum est, tum ex verbis Domini: «Quodcumque ligaveris», et «Quodcumque solveris»; et «Pasce oves meas»; tum quia ad sapientem Christi Domini providentiam hoc pertinebat. Unde facile etiam prima consequentia ostenditur, quia non solum Christus verus Deus, cujus opera perfecta sunt, sed etiam quilibet prudens gubernator, qui vices suas alicui committit, vel suam potestatem delegat, consequenter dat potestatem ad omnia quæ ad finem vel effectum talis commissionis seu delegationis necessaria sunt, ut prudens ratio naturalis, et jura tam civilia quam canonica disponunt, l. 2, ff. de Jurisdict. omnium Judic.: «Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit.» Et cap. «Præterea», de Offic. deleg.: «Ex eo quod causa alicui committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recepit potestatem.»

5. *Pontifici vim directivam regum inesse, ex parte ipsorum regum ostenditur.*—Superest ut subsumptam illationem probemus, nimirum, in hac spirituali potestate indirecta vim directivam temporalium includi. Hoc enim est quod maxime adversarii negant, expressumque a nobis Scripturæ testimonium postulant, quo talis inclusio doceatur. Nos vero facile respondemus, non in omnibus esse necessarium expressum Scripturæ testimonium, satisque esse si ex scriptis clara et necessaria ratione, vel Patrum traditione et interpretatione colligatur. Dicimus ergo hoc contineri in Scriptura tanquam particulare in universali, vel tanquam unum ex necessariis mediis in fine, seu in potestate dirigendi ad finem talis potestatis spiritualis. Potest autem hoc dupliciter explicari, scilicet, vel ex parte ipsius principis temporalis, vel ex parte subditorum ejus. Nam, ut dixi, reges temporales spiritualiter subditi sunt Petro et succes-

soribus ejus; at vero potestas spiritualis data Petro universalis est ad omnes actus subditorum dirigendos, quibus vita æterna perdi vel comparari potest, ut probat indefinitum verbum «Pasce», et universalis potestas ligandi et solvendi; unus autem ex his actibus in christiano principe est debitus usus potestatis gubernativæ, nam si illa non juste utatur, condemnabitur; ergo ad pastorem spiritualem talis principis pertinet facultas dirigendi illum in usu suæ temporalis potestatis, si alicubi a recta ratione, aut a fide, justitia vel charitate deviet. Sic ergo potestas illa ad temporalia indirecte extenditur, nam usus ipse temporalis potestatis, quatenus animæ obesse vel prodesse potest, sub spiritualibus tanquam particulare sub universali continetur, et tanquam medium necessarium sub fine, ad quem potestas spiritualis ordinatur. Et hanc rationem insinuavit optime Gelasius Papa ad Anastasium imperatorem, ubi distinguit duas potestates, spiritualem et temporalem, et addit (1): «In quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem.» Quapropter verba illa Pauli: «Obedite præpositis vestris, et subjacete eis», ad Hebr., 13, non minus reges comprehendunt quam cæteros, quia et universalia sunt, et ratio a Paulo subjuncta: «Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri», in regibus etiam procedit, ut ex Gelasio dixi; merito ergo dicere possumus in verbis illis potestatem hanc præpositorum Ecclesiæ contineri.

6. *Dilemmate efficaci idem evincitur.*—Alio etiam modo et non minus efficaci hæc inclusio ostenditur ex parte subditorum regis temporalis christiani, quia si ipse iniqua præcipiat, vel, plus quam expedit, permittat subditis illicitos usus temporalium actionum, vel bonorum, in magnum spirituale detrimentum subditorum cedet; sed Pontifex tenetur habere curam spiritua-

(1) Cap. *Duo sunt*, 96 d.

lem totius populi christiani subditi temporalibus regibus; ergo in hoc munere includitur potestas avertendi a christiano populo omnia spiritualia incommoda, quæ ex abusu potestatis temporalis in illum possunt redundare; ergo hoc etiam titulo necesse est ut potestas spiritualis principis ad temporalia indirecte extendatur, dirigendo ubi oportuerit potestatem temporalem, ut ita temporalia disponat, quod spiritualibus non noceant. Et hæc etiam ratio insinuatur a Gelasio supra, si, ut alia lectio habet, legatur, «quanto pro ipsi regiminibus hominum reddituri sunt rationem». Et utrumque etiam significat Nicolaus Papa, ad Michaelem, dicens, «christianos imperatores pro æterna vita Pontificibus indigere».

7. Declaraturque amplius hæc ratio, nam utraque potestas temporalis et spiritualis, prout in Ecclesia existunt, ita conferri et possideri debuerunt, ut communi bono, et saluti christiani populi proficiant; ergo necessarium est ut hæ potestates aliquem ordinem inter se observent, alias non posset pax et unitas in Ecclesia servari, nam sæpe temporalia commoda repugnant spiritualibus, et ideo vel erit bellum justum inter utramque potestatem, vel necesse est, alteram alteri cedere, ut omnia recte ordinentur. Ergo vel potestas spiritualis erit sub temporali, vel e contrario. Primum nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem, quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem; ergo dicendum e contrario est, potestatem temporalem subjectam esse spirituali, ut a suo fine non deflectat. Nam ita subordinantur potestates sicut et fines. Ideoque merito dixit D. Thomas, 2 2, q. 40, art. 2, ad 3, bella subordinari potestati Papæ; quia potentia, virtus, vel ars respiciens superiorem finem, habet sibi subjectas facultates inferiores in ordine ad eumdem finem. Et q. 60, art. 6, ad 3, sic ait: «Potestas temporalis subditur spirituali, sicut corpus animæ; et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus». Et in 2, dist. 44, in expositione textus, ad 4, ait, «sæcularem potestatem esse sub spirituali in

his quæ ad salutem animæ pertinent, et ideo in iisdem magis esse obediendum spirituali potestati quam temporali, licet in his, quæ ad bonum civile pertinent, magis sit obediendum potestati sæculari». In quibus verbis etiam superiorem distinctionem plane indicat. Addit vero limitationem dicens: «Nisi forte potestati spirituali etiam sæcularis potestas conjungatur, sicut in Papa, qui utriusque potestatis apicem tenet.» Quod intelligi posset, unius directe, et alterius indirecte, juxta superiora verba. Quia vero hæc posteriora verba exceptionem continent a prioribus, videtur in eis potius loqui de utraque potestate directa, et consequenter loqui de Pontifice, ut simul est Pontifex, et rex temporalis. Denique habere apicem utriusque potestatis, quia in utroque ordine habet potestatem supremam, licet non æque universalem. Ut etiam dixit Innocentius III, in dicto cap. «Per venerabilem».

8. Atque ad hunc modum intelligenda sunt alia, quæ de hac potestate idem D. Thomas tradit, lib. 1 de Regimine Princ., c. 14, et lib. 3, c. 10, 11, 12 et 13, si tamen ejus est opus. Quibus locis, variis exemplis et similitudinibus ad hanc veritatem declarandam utitur, multisque historiis et gestis Summorum Pontificum eamdem confirmat. Idem optime et satis copiose Alexand. Alens., 2 p., q. 118, memb. 3, art. 1, et 3 p., q. 40, membr. 5, quæst. penult., et 4 p., q. 10, membr. 5, post art. 2, in tract. de Officio Missæ, p. 2, art. 2; Hugo de S. Victor, lib. 2 de Sacram., p. 2, c. 4; Turrecrem., in Sum. de Eccles., lib. 2, c. 113; Waldens., tom. 1, in Doct. fid. antiq., lib. 2, c. 76; Cajetanus, in Apolog. pro Roman. Pontif., c. 13; Henric., Quodlib. 6, quæst. 23, ubi ait, «sacerdotem apostolicum se habere ad reges, sicut architectum civilem ad alios artifices in civitate.» Bellarminus, de Sum. Pontif., l. 5, c. 6, 7 et 8; Albert. Pigh., lib. 5 de Eccles. hierarc., c. 14 et 15; Sander., de Visib. eccles. monarch., præsertim c. 4; Victor., Duplici Relect. de Potest. eccles., et altera de Potest. civili, et in Relect. de Indis, p. 1, n. 29; Dried., de Libert. Christ., lib. 2, c. 2;

Soto, in 4, d. 25, q. 2, art. 5, et lib. 4 de Just., q. 5, art. 4; Navarr., in c. «Novit,» de Judic., notab. 3, num. 19 et sequentibus; Almain., de Potestat. ecclesi., cap. 8; Molin., referens plures, 1 tomo de Justit., disput. 29, et consentiunt jurisperiti, quos infra referemus.

9. *Eadem regum a Pontifice dependentia exemplis declaratur.*—Declaratur præterea hæc dependentia et subordinatio optimis exemplis. Primum est de domino et servo; nam dominus habet peculiarem potestatem in servum, quam sine dubio non habet Papa in servum alienum, unde recte dicitur non habere directam potestatem dominativam in illum, et nihilominus certum est, quemcumque dominum temporalem subesse potestati Pontificis, quoad debitum usum sui dominii, ita ut non sit contrarius spirituali saluti, vel domini, vel servi, et in hoc sensu recte dicitur Pontifex habere superiorem potestatem indirectam in servum alienum. Et simili modo patria potestas directe convenit proprio parenti et non spirituali pastori, et nihilominus illa potestas, quamvis a natura data, subest spirituali potestati, ut ab ea regatur et dirigatur, et ita potest dici spiritualis potestas indirecte extendi ad filiorum Christianorum gubernationem. Pari ergo ratione potestas temporalis regis per spiritualem potestatem Pontificis gubernanda et dirigenda est. Possuntque exempla ad principem ipsum temporalem accommodari, ut ex eis a fortiori argumentum desumatur. Nam rex non habet quidem formalem, ut ita dicam, seu directam potestatem patriam in filium alicujus vassalli sui, nec proprium dominium servi alicujus subditi sui, et nihilominus habet eminentem seu indirectam potestatem ad dirigendum vassallum suum in usu patriæ potestatis, quam habet in filium, et in usu dominii quod habet in servum; ergo multo magis Vicarius Christi habet similem potestatem in reges christianos in ordine ad spirituale bonum totius populi christiani.

10. Explicatur præterea hæc potestas ex usu ejus; multiplex enim esse potest, ad duos tamen præcipue revocatur, qui

juxta duas temporalis principis potestates distingui possunt. Est enim in principe potestas jurisdictionis, quæ proprie dicitur civilis et moralis, de qua præcipue tractamus. Ut autem hæc timeri possit et conservari, conjunctam habere debet aliam potestatem, non juris sed facti, ut sic dicam, quæ physica est et executiva, seu militaris potest appellari. Juxta has ergo duas potestates temporalis principis distinguimus duos modos hujus spiritualis regiminis, seu directionis. Primus pertinet ad actus jurisdictionis civilis; talis est emendatio, seu correctio legum civilium, quando bonis moribus consentaneæ non sunt. Potest enim tunc Pontifex illas emendare, vel contrarias ferendo, vel præcipiendo principibus sæcularibus, ut eas revocent aut corrigant. Quæ est doctrina communis Theologorum, cum D. Thoma 1, 2, q. 96, art. 5. Eamdemque tradunt copiosus jurisperiti, Barthol., in l. «Privilegia,» C. de Sacros. Eccles., q. ult.; Alex., in l. «Captatorias,» C. de Testam. milit.; Anton. et Imola, in c. «Ad si clerici,» de Judiciis; Joan. Andr., Cald. et Abb., in c. 1 de Novi oper. nunciat.; Felin., in c. «Ecclesia,» de Constit., n. 41; Covarr., in Epito., 4 Decret., 2 p., c. 8, § 9, n. 6 et sequentibus; Anton. Gomez, in l. 9 et 10 Tauri, n. 37 et 38; Fortun. Garci., in tractat. de ult. fin. utriusque jur., n. 51, qui alios referunt. Et hic usus frequentissimus est in jure canonico, et communi sensu et more Ecclesiæ approbatus, ideoque non licet catholico viro de potestate Pontificia dubitare.

11. *Materia legis civilis et canonicæ.*—Est autem advertendum, materiam proximam legis civilis interdum esse per se ac directe omnino distinctam a canonica, ut quando est pure temporalis, et nullo modo sacra, nec ad finem spiritualem de se ordinata, ut est, verbi gratia, definire pretium mercium, ordinem judiciorum civilium disponere, etc.: aliquando vero communicare aliquo modo cum materia legis canonicæ ratione rei subtractæ utrique legi, ut leges circa matrimonia, circa funera, circa legata pia, et similes (1). Quando ergo leges civiles sunt

(1) Cap. «Cum contingat,» de Jurejur.; Cap. «Licet,» de Jur., jur.,

hujus posterioris generis, non solum indirecte, sed etiam directe per potestatem spiritualem emendari, et irritari possunt, quia materia illa, vel est directe spiritualis, vel est misti fori, et ideo spiritualis potestas directe circa illam versatur, ideoque omnes leges civiles, quæ in talibus materiis versantur, si contrariæ sint juri canonico, per illud corriguntur, quia ab excellentiori potestate superantur. Et hoc modo leges civiles, circa matrimonia disponentes, per leges canonicas auferuntur, si illis repugnent, et illæ solæ valorem habent, quæ leges canonicas juvant, modo ab eis permisso. Ut verbi gratia, leges civiles permittebant matrimonia inter consanguineos in secundo gradu, quibus prævalent canonicæ illa irritantes.

12. Ad hunc etiam ordinem pertinent canonicæ leges disponentes circa juramenta promissoria, ut omnino serventur, non obstante lege civili, et præcipientes judicibus laicis ut eas servari faciant (1). Item huc etiam spectant canones statuentes contra civiles leges, ut legata pia valeant cum duobus tantum testibus. Nam piæ causæ directe sub potestatem spiritualem cadunt. Leges item civiles, quæ in multis casibus secundas nuptias prohibent et puniunt, per canones derogantur, ut constat ex titulo de secundis nuptiis, et sic de aliis. At vero quando materia legum civilium est pure temporalis, tunc solum indirecte corriguntur per Pontifices, quando vel peccatis favent, vel illis occasionem præbent. Ut sunt leges concedentes præscriptionem cum mala fide, quæ per canones sublatæ sunt, ut constat (2). Idemque est de legibus permittentibus usuras, concubinatus, etc. Vel etiam quando sunt minus consentaneæ æquitati

---

in 6, ubi Glossa, verb. «Excomm.;» L. «Celebran.,» C. «de Nuptiis;» C. «Non debet,» de Consang et affinit.

(1) Tridentinum, sess 24: Cap. «Relatum,» de Test.

(2) Cap. ult., de Præscript.; C. «Possessor,» de Reg. jur., in 6: Authent. Ex complexu, C. de Incertis nupt.; Cap. «Cum haberet,» de Eo qui n matrim.

naturali, ut sunt leges negantes alimenta filiis spuriis, quæ per canones temperantur. Atque eadem servata proportione, si lex aliqua civilis ad spirituale bonum regni judicaretur conveniens, et reges in ea ferenda negligentes essent, posset Pontifex auctoritate sua illam ferre, ut fecit Pius V, dando formam constituendi census, quæ materia satis temporalis est; forma autem visa conveniens ad pericula usurarum vitanda, et ita intervenit eadem ratio indirectæ potestatis.

13. *Leges civiles de rebus ecclesiasticis disponentes ipso jure irritæ sunt.* — Quibus addi potest alius modus irritationis legum civilium ex vi ecclesiasticæ potestatis, nimirum, quando disponunt in materia pure canonica, ut sunt illæ, quæ de clericis vel rebus ecclesiasticis in particulari feruntur, et aliæ similes, quæ libertati ecclesiasticæ derogant. Hæ tamen leges ipso jure naturæ irritæ sunt, et per canones potius irritæ declarantur, quam fiant, quia in aliena materia, et extra sphæram jurisdictionis temporalis versantur; possunt tamen dici virtute spiritualis potestatis irritari, quasi in radice, quando materia illa per spiritualem potestatem canonica effecta est, et pro ecclesiastico foro reservata. Hoc enim etiam potest virtute jurisdictionis spiritualis fieri, quando materia illa divinum cultum vel religionem concernit, ut in materia de Legibus latius dictum est. Extantque de hujusmodi legibus obvia exempla in jure canonico, sub titulis de Immunitate Ecclesiarum, et sub titulo de Constitut., et plura ex illis adducit Glos., in Extravagant., «Quia in futurum,» Joannis XXII, verb. «Torneamenta.» Extra jus vero commune optimum sumitur ex epistola Ludovici, Galliæ regis, ad Pium II, in qua inter alia sic inquit: «Sicut mandasti, pragmaticam sanctionem Sedi infensam, a regno nostro, nostroque Viennensi delphinatu, et omni ditione nostra per præsentes pellimus, dejicimus. stirpitusque abrogamus.»

14. *Quando possit Pontifex judiciis sæcularibus se intromittere.* — Et quod de legibus dictum est, de judiciis ac sententiis potest cum proportione intelligi, nam directe non potest Papa

ecularia judicia usurpare; in casu vero ad spirituale bonum ecessario, potest vel iniquam sententiam irritare, vel causam liquam temporalem ad se avocare. Præsertim quando inter eos s versatur, qui superiorem in temporalibus non recognoscunt, t ad commune bonum Ecclesiæ conveniens judicatur. Sicque icit Innocentius III, in c. «Per venerabilem,» Qui fil sint le- it., super patrimonium Petri plenam se exercere potestatem: In aliis autem regionibus,» ait, «certis causis inspectis tempo- alem jurisdictionem casualiter exercemus.» Et fere idem in ententia dixit Bernardus, lib. 1 de Consider., nam in c. 6, di- t temporalia judicia ad Pontifices non pertinere, addit vero c. 7: «Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa qui- em urgente, aliud vero incumbere istis tanquam magnis.» Ra- o est, quia ad munus Pontificis spectat impedire publica pec- ata, eorumque occasiones morales, præsertim quæ cum vi aliqua el auctoritate inferuntur, auferre; ergo si leges civiles vel ju- cia sæcularia fovent peccata, aut illorum occasionem præbent, ossunt per Pontificem vel irrita declarari, vel etiam irritari, recte dixit Victor., Relect. 1, de Potestat. eccles., q. 3, «Ultrum potestas spiritualis sit supra,» etc., n. 13. Simili iam modo ad Pontificem spectat promovere fidem, religionem pietatem, et ideo in earum favorem potest aliquid statuere præcipere, ut servetur, non obstante quacumque lege civili.

15. Alter usus spiritualis potestatis esse potest in dirigen- temporali, quatenus potestatem et vires exequendi, seu mi- strandi habet (1). Potesque hic usus esse duplex, unus est hibendo abusum illius potestatis, alter movendo ad necessa- um usum, et, si opus fuerit in auxilium fidei vel defensionem ristianæ religionis, illum imperando. Ad utrumque igitur re- let in Pontifice potestas. Et de priori quidem res est per se idens, quia, ut dixit Innocentius III, in cap. «Novit», de Ju-

(1) Vide Sander., lib. 2 de Visib. mon., c. 4.

diciis, cohibere peccata proprium est spiritualis potestatis, c maxime ad id tenetur, quando sunt publice nociva, et contr commune bonum; sed talis est abusus ille potestatis regiæ a nocendum, et injustum bellum inferendum; ergo sine dubio i hoc subditur rex Pontifici, qui sic ei possit talem potestatis su usum prohibere.

16. *Ad defensionem fidei reges a Pontifice compelli possun* —Quod autem etiam posteriori modo possit Pontifex regibu imperare, probatur, quia principes christiani vel ex officio suc vel ex justitia quadam legali, qua membrum reipublicæ il subvenire obligatur, vel ex charitate christiana Ecclesiam de fendere, eique auxilium conferre tenentur. Ergo, necessitat vel causa exigente, potest Pontifex, ut spiritualis Pastor, tan universalis Ecclesiæ, quam ipsorum principum, eos movere ac usum potestatis suæ, eos excitando, et obligando per imperium Assumptum ex terminis videtur notum, quia omnes Christian sunt membra unius corporis Ecclesiæ; membra autem, ut ai Paulus, 1 ad Cor., 12, pro invicem, et maxime pro bono totius corporis sollicita esse debent, unumquodque juxta suam potes tatem et dignitatem; ergo quando principis potentia necessaria est, hæc sollicitudo et cura ei maxime incumbit. Unde Leo Papa, ep. 75 ad Leonem Augustum: «Debes (inquit) incunc tanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi re gimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam» Et Gregorius, lib. 2, indict. 11, epist. 61, seu cap. 100: «Ad hoc potestas pietati imperatorum data est, ut qui bona appetunt adjuventur, et terrestre regnum cœlesti regno famuletur.» Et optime Augustinus, epist. 50, tractans illud Psal. 2: «Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Do mino in timore: Aliter (inquit) servit, quia homo est, aliter, quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit, vivendo fideliter; quia rex est, servit, leges justa præcipientes, et contraria pro hibentes convenienti vigore sanciendo.» Unde Concilium Pari siense, sub Ludovico et Lothario, libro secundo, c. 2: «Rex

inquit primo defensor esse debet Ecclesiæ, servorum Dei», etc. deoque iidem Ludovicus et Lotharius imperatores ad Eugenium Papam scripserunt: «Veraciter nos debitores cognoscimus, ut his, quibus regimen Ecclesiarum, et ovium dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus, opem et auxilium pro qualitate virium nostrarum, et intellectus nostri capacitate feramus.» Et catholicus imperator Carolus V, in edicto Wormaciensi: «Ad honorem», dixit, «Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, et S. Sedis Apostolicæ debitam reverentiam, pro imperialis dignitatis officio debito, necnon zelo et studio, quo nostrorum majorum more et ingenita etiam nobis vi ad defensionem catholicæ fidei, sanctæque Romanæ et universalis Ecclesiæ honorem, tutelam et protectionem, omnes nostras vires, et facultates, imperium, regna, dominium, vitam denique et animam ipsam exponere animus parati.

17. Ex his autem illatio superius facta facile monstratur. Nam si rex aut princeps in hoc auxilio Ecclesiæ præstando sit negligens, sine dubio potest Pontifex illum excitare, et præcipiendo movere. Primum ex illo principio supra probato, quia papa non solum est pastor regis ut hominis, sed etiam ut regis, quia in utroque munere se recte gerere debet, ut salvari possit, et Deo placere; ergo potest Pontifex curare, et illi præcipere ut regis obligationem in hac parte adimpleat. Deinde quamvis non ita urgeret Ecclesiæ necessitas, ut ex lege ipsa charitatis quasi naturalis oriretur obligatio, sufficiente causa interveniente, posset Pontifex illam imponere, quia præceptum esset justum; nam in ordine ad spiritualem finem esset rationi consentaneum, ac subinde esset legitima potestate impositum. Quia cum Pontifex sit caput, et superior in spiritualibus, potestatem habet imponendi ea præcepta, quæ in ordine ad spirtualem finem, et bonum Ecclesiæ, justa et prudentia sunt.

18. Atque hac ratione dixit Bonifacius Papa, in Extrav. «Unam Sanctam», de Major. et obed., tacite approbans senten-

tiam Bernardi, l. 4 de Consider., c. 3, in sede Petri non solum esse spiritualem gladium, sed etiam temporalem: «Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum, et patientiam sacerdotis, quia oportet gladium esse sub gladio.» Quod late probat ostendendo debitam Ecclesiæ institutionem hunc ordinem postulare, et concludit: «Romano Pontifici omnem humanam creaturam subesse definimus, et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.» Atque eodem modo Nicolaus Papa II, de Romana Ecclesia loquens, inquit: «Eam solus ille fundavit, qui beato æternæ vitæ Clavigero, terreni simul et cœlestis imperii jura commisit», utique cœleste, per se exercendo, terrenum vero, ipsius potentia utendo, illam per imperium, si opus fuerit, efficaciter excitando. Et hoc modo idem Pontifex in epistola ad Episcopos Galliæ, illis eorumque defensoribus mandat, «ut spirituali simul et temporali gladio malignos quosdam usque ad recuperationem bonorum Ecclesiæ insequantur.» Quod cum partitione accommoda accipiendum est, nam Episcopi spirituali gladio, defensores autem, id est, Patroni, vel principes gladio materiali Ecclesiam defendere præcipiuntur.

19. Multa similia sumi possunt ex Decreto, dist. 96, c. «Si Imperator», ubi Joannes Papa ait, «ex Dei ordinatione omnes sæculi potestates Ecclesiæ debere esse subjectas»; et Gelas., cap. «Duo sunt», ad imperatorem Anastasium scribens: «Nosti (ait inter alia) ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi voluntatem», etc. Idem, in c. «Quamvis», dist. 22; Innocentius I, in c. «Quoties», 24, q. 1. Similia habentur ex Gregorio VII, in c. «Quis dubitet», et ex Innocentio III, in c. «Solitæ», de Majorit. et obed., ubi potestatem Pontificiam ita ad imperialem comparari ait, sicut animam ad corpus, vel sicut solem ad lunam. Idem in c. «Per venerabilem.» Qui fil. sint legitimi, in hoc sensu dixit: «Certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem in aliis etiam regionibus casualiter exercemus»; id est, non directe sicut in proprio patrimonio Ecclesiæ, sed

ndirecte, quando ratio spiritualis finis id postulat. Quod con-
firmat ex Deuteron. 7: «Si quid difficile et ambiguum», etc.,
et ex 1 Cor., 6: «Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quan-
to magis sæcularia.» Sic denique accipiendum est quod Ber-
nard. supra, et epist. 256 ad Eugenium, dixit: «Exercendus
nunc est uterque gladius; per quem autem, nisi per vos? Petri
uterque est, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse
est, evaginandus.» Expendenda est enim illa particula, «suo
nutu»; est enim de voluntate justa, et prudenti intelligenda,
ut per alteram particulam, «Quoties necesse, satis declaratur.
Supponit autem hæc voluntas potestatem, quæ eminenti qua-
dam ratione materialis gladius appellatur, quatenus per illam
efficaciter moveri potest. Est ergo in Pontifice quoad hanc
etiam partem potestas directiva in principes temporales. Atque
ita satis declarata et probata est assertio posita, quæ in capite
sequenti amplius confirmabitur.

CAPUT XXIII

Pontificem summum potestate coerciva in reges uti posse, usque ad depositionem etiam a regno, si causa subsistat

1. *Scopus controversiæ cum rege Angliæ.*— Hic est, ut dixi, cardo et præcipuus scopus præsentis controversiæ. Nam rex quidem Jacobus, qui Pontificis jurisdictionem in universam Ecclesiam, et præcipue in reges abnegat, de directiva potesta-te parum sollicitus est. At vero potestatem coactivam Pontificis anxie timet, eam præcipue quæ usque ad regni expoliationem protendatur, quia persistendo in errore suo non credit se esse in suo sceptro securum, si a subditis suis talis potestas in Pon-tifice esse credatur. Ut ergo libere possit in sua cæcitate persis-tere, Ecclesiam Christi vult omni remedio contra hæreticos

Principes privare. Quod ante illum etiam Marsilius Patavinus et alii Ecclesiæ hostes commenti sunt. Contrarium autem docent omnes Catholici Doctores, quos supra commemoravi, et latius Bellarminus in novo opusculo allegato eos allegat, est que non minus certum, quam cætera, quæ dicta sunt. Imo, si ea ponderentur attente, et dictum refutare errorem, et veritatem catholicam, usu, auctoritate et ratione comprobatam defendere, difficile non erit.

2. *In Summo Pontifice est vere potestas iniquos reges coercendi.*—Primum enim in Pontifice esse potestatem ad coercendos temporales principes iniquos et incorrigibiles, et præsertim schismaticos, et pertinaces hæreticos, evidenter ex dictis sequitur. Quia vis directiva sine coactiva inefficax est, teste Philosopho, lib. 10 Ethic, cap. ult.; ergo si Pontifex habet potestatem directivam in principes temporales, etiam habet coactivam, si justæ directioni per legem vel præceptum obedire noluerint. Probatur consequentia, nam quæ a Deo sunt, ordinata sunt, et optime instituta; ergo si Pontifici dedit potestatem directivam, dedit coactivam, quoniam institutio aliter facta esset imperfecta et inefficax. Unde contraria ratione docent Theologi non habere Ecclesiam potestatem actus mere internos præcipiendi, quia de illis judicium ferre non potest, et consequenter neque pro illis pœnam imponere, quod ad vim coactivam pertinet, ut auctor est D Thomas, 1, 2, q. 91, art. 4, et 100, art. 9. Ergo e converso, cum Pontifex possit imperando efficaciter dirigere potestatem temporalem in actibus suis, potest etiam cogere et punire principes sibi non obtemperantes, in iis quæ juste præcipit.

3. *Ex Scripturis idem suadetur.*—Atque hæc ratio sine dubio erat sufficiens; quia vero adversarii Scripturas exigunt, ex illis etiam possumus veritatem hanc non obscure confirmare. Paulus enim, 2 Corinth. 10, prius sic inquit: «Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum». Et infra subjungit: «In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam». Et infra: «Nam et si amplius aliquid

gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam». In his autem verbis aperte docet Apostolus habuisse a Deo potestatem vindicandi et puniendi omnem inobedientiam quorumcumque fidelium, quantum ad Ecclesiæ ædificationem et bonum oportuerit; potestas autem ulciscendi seu puniendi coactiva est, ut per se constat. Unde Chrysostomus ibi, homilia 22, sic inquit: «Ad hoc potentiam accepimus, ut ædificemus. Quod si quis obluctetur et dimicet, atque ita affectus sit, ut nulla ratione sanari possit, tum demum altera quoque facultate utamur, eum diruentes, ac prosternentes.» Theophylac. etiam ita exponit: «In promptu habemus pœnam et ultionem». Et infra: «Præcipue quidem ad ædificationem accepi» (utique potestatem); «sin quisquam fuerit incurabilis, demolitione utemur». Et infra: «Si voluero» (inquit) «gloriari, quod Deus aliquid amplius mihi dederit, ut potestatem habeam benefaciendi imprimis, et quando cogor, etiam puniendi, non erubescam, hoc est, non monstrabor arrogans aut mendax». Atque eodem modo ad litteram exponunt Theodoretus et alii Græci; et ex Latinis, Anselmus et Cajetanus ibi, et Augustinus, epistola quinquagesima, dum hoc testimonio utitur ad probandum, posse Ecclesiam hæreticos pœnis ad resipiscendum cogere.

4. *Per virgam in Scriptura potestas coactiva significatur.*— Eamdemque vindicandi potestatem nomine virgæ significavit Paulus, 1 ad Cor. 4, cum dixit: «Vultis in virga veniam ad vos», juxta Scripturæ phrasim: «Reges eos in virga ferrae», Psalm. 2, et locis similibus; et Psalm. 22: «Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt», ut exponit Hieronymus, Zachariæ 1. Idemque sentit de prædictis verbis Pauli, ad Galat. 6. Clarius ita exposuit Augustinus, lib. 3 contra Epist. Parmen., cap. 1, dicens: «Jam hic apparet eum loqui de vindicta, ad cujus significationem virgam nominavit». Et Ambrosius, epist. 18 ad Marcell. sororem: «Quem virga sacramentis abdicavit cœlestibus, eumdem mansuetudo restituit». Et lib. 1 de pœnit., c. 12: «Quid

esset in virga venire, docet invectio fornicationis, accusatio incesti, reprehensio tumoris, postremo condemnatio rei». Idem in sententia habent Gregorius lib. 1, ep. 4; et Tertullianus, lib. de Pudicit., c. 14, ut expositores in eumdem locum prætermittam.

5. *Explodunturevasiones adversariorum.*—Nec video quid ad hæc loca responderi possit, nisi fortasse, vel Paulum loqui ad communem plebem Ecclesiæ sibi subjectam, non de regibus, qui superiores sunt; vel loqui de potestate specialiter concessa, ex qua non licet ad ordinarium Ecclesiæ regimen argumentari. Sed utrumque futile est. Cur enim sermo Pauli reges christianos, et inobedientes, et pertinaces non comprehendit? Num ne quia tunc nulli erant in Ecclesia temporales reges? At fortasse tunc etiam non erant in Ecclesia Angli; ergo etiam illos omnes non comprehendet? Vel forte quia reges sunt in potentia et dignitate temporali altiores? at hoc non obstat quominus jugo Christi et ecclesiasticæ potestati subditi sint, ut ostendimus; ergo si illa potestas coerciva est malorum Christianorum, teste Paulo, est etiam punitiva regum Christianorum; vel si rex Angliæ exemptum se esse gloriatur, aut se non Christianum fateatur, aut privilegium divinum ostendat, et exemptionem verbo Dei factam, alioqui a causa jure cadit, licet facto resiliat. Quamvis autem potestas illa Pauli, quantum spectat ad personam, et apostolicam dignitatem ejus, cum illo fuerit extincta, non sequitur in Ecclesia non perpetuo manere, quia illa eadem potestas perfectius fuit in Petro ordinario jure, et ut ei succederetur, quia ad munus pascendi et conveniens Ecclesiæ regimen necessaria erat, ut in superioribus ostensum est.

6. *Potestas legandi potestatem coercivam includit.*—Et confirmatur tandem ex potestate ligandi et solvendi singulariter data Petro, nam potestas ligandi etiam potestatem coercendi et puniendi includit. Et si adversarii hoc negaverint, oportet ut exceptionem ostendant, nam Christus universim locutus est, dicens: «Quæcumque ligaveris.» Accedit quod ipsemet Christus

ita potestatem illam interpretatus est Matth. 18. Nam cum dixisset: «Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus,» subjungit: «Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis.» Quasi diceret, Si Ecclesiæ liganti non obedierit, sit tibi tanquam ethnicus quia non deerit in Ecclesia potestas an ligandum ita efficax, ut quod ipsa ligaverit, in cœlo etiam ligatum judicetur. Et ita licet Calvinus et sequaces locum hunc, sicut cætera, depravent, ex illo semper Ecclesia intellexit, esse in pastoribus suis potestatem coercendi, saltem per excommunicationis censuram, quæ est spiritualis pœna. Quod tempore Apostolorum esse in Ecclesia usitatum, Paulus satis ostendit, 1 ad Cor. 5, et ita esse perpetua traditione servatum, omnia jura, omnia Concilia, omnia decreta Pontificum, omnia Sanctorum Patrum scripta, denique omnes historiæ testantur, ut ea in medium adducere supervacaneum sit. Maxime vero contra hæreticos esse necessarium hujusmodi coercitionem, satis ostendit Paulus, ad Tit. 3, dicens: «Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita;» et illud 1 Joan. 2: «Nec Ave ei dixeritis.»

7. Solum id, quod ad causam maxime refert, non prætermittam, nimirum, hac censura sæpe usos esse Pontifices contra imperatores et reges, compertissimum esse Innocentius enim I excommunicavit Arcadium et Eudoxiam ob crimina contra Sanctum Chrysostomum commissa, ut patet ex ultima epistolarum ejus et ex Nicephor., lib. 13, c. 34; idemque retulit Gregorius VII, lib. 8 Registr., c. 21; Gregorius II, synodico anathemate obstrinxit Leonem imperatorem cum sectatoribus ejus in eversione imaginum, ut ex Zonara et aliis refert Baron., anno 726, n. 24. Idemque postea Gregorius III confirmavit, ut Platina refert. Idem Gregorius VII, Henricum IV imperatorem, sæpius admonitum, excommunicavit in Romana Synodo, ut habetur in lib. 3 Epistolarum ejus, Epistola 5 et 10. Illamque sententiam a successoribus Pontificibus et a Conciliis confirmatam erudite defendit Cardinalis Bellarminus,

contra Barclaium, c. 9. Idemque Gregorius VII, in alio Romano Concilio, imperatores, reges, et alios temporales principes usurpantes investituras episcopatuum vel aliarum dignitatum ecclesiasticarum, vinculo excommunicationis ipso facto astrinxit, ut habetur lib. 7 Epistolarum, post epist. 14; idemque Poloniam propter gravissimum regis delictum id Sancti Stanislai occisione commissum interdixit, ut est apud Baronium, Anno 1079, n. 40. Præterea Alexander III Federicum I imperatorem excommunicavit, ut refert Platina in Alexandro III, ubi etiam multa alia commemorat, quæ hanc supremam potestatem in Pontifice ostendunt. Postea Innocentius III «Othonem V imperatorem anathemate notavit,» ut ait Platina, in Vita ejus, Gregorius IX Fridericum II excommunicavit, ut habetur ex c. «Ad Apostolicæ, de Sent. et re jud., in 6. Joannes denique XXII Ludovicum, Bavarum, intrusum imperatorem, excommunicavit, ut late refert Albert. Pighius, lib. de Visib. Monar., c. 14. Præterea potestatem hanc in Ecclesia supponit Concilium Lateranense sub Innocentio III, c. 3, cum jubet ut, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur sæculares potestates, quibuscumque fungantur officiis, ut pro defensione fidei publicæ juramentum præstent, etc. Quæ forma ferendi censuras, quæ reges et imperatores comprehendant, frequentissima est, et non est noviter usurpata, sed antiqua satis, cum in privilegio quodam concesso, a Gregorio I, monasterio Sancti Medardi inveniatur, ut post illius epistolas habetur. Eumque Gregorii locum refert alter Gregorius VII, idemque argumentum ex illo sumit lib 8 Reg., ep. 21, ad Herimetensem.

8. Basilius etiam imperator eamdem in Pontifice potestatem supra imperatores in octava Synodo, act. 6, confessus est dicens: «Nicolaus Papa, cum S. Romanorum Ecclesia, anathema pronunciavit contra resistentes hujusmodi decreto, atque sententiæ. Hoc autem nos olim scientes, et paventes judicium anathematis promulgari, obsecundare Synodico judicio Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus.» Eamdem recognovit Philip-

pus I, rex Galliæ, qui excommunicatus ab Urbano II, et postea a Paschali, resipuit, et Romam pro solutione misit, ut videri potest in Baronio, anno 1100 et 1101. Et eamdem agnovit Ludovicus, rex Galliæ, cum ad Alexandrum III scripsit, enixe postulans ut contra regem Angliæ pro morte S. Thomæ Cantuariensis potestate sua uteretur. Et Henricus ipse, rex Angliæ, resistere non est ausus, et pœnitentiam a Pontifice impositam humiliter suscepit, ut Platina refert. Simile exemplum refert Petrus Blesens., epist. 145, de Eleonora, Angliæ regina, quæ in defensionem suam, et filii sui injuste a rege Galliæ in carcere detenti, auxilium Summi Pontificis et usum spiritualis gladii contra regem postulavit. Denique eamdem potestatem in Pontifice agnoscebat rex Angliæ, qui regem Galliæ ad Innocentium III detulit, ut eum corriperet, et si ipsum audire nollet, excommunicaret, ut ex cap. «Novit,» de Judiciis, colligimus, ubi Pontifex habet illa verba: «Non intendimus judicare de feudo.» Et infra: «Sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus.» Unde de eodem Innocentio III refert Matt. Paris., anno 1204, Joannem, Angliæ regem, excommunicasse, et regnum ipsum interdixisse.

9. Quapropter ipse etiam Marsil. Paduanus, ut referunt (1), non est ausus negare, posse Pontificem coercere principes et reges, præsertim hæreticos, per censuras ecclesiasticas excommunicationis, vel etiam interdicti, sed negavit posse ulterius contra illos procedere, Et rex Jacobus, in defensione sui juramenti fidelitatis, non tam acriter videtur resistere potestati excommunicandi, quam temporaliter puniendi, ideoque hoc maxime titulo illud juramentum defendit, quod per illud non cogat subditos abjurare potestatem Papæ ad excommunicandum regem, sed solum ad privandum illum regio dominio ac potes-

(1) Azor, 2 p. Inst., lib. 4, c. 19

tate. Existimat enim, ut in Præfatione, pag. 12, dicit, «Abdicandorum regum jus nullo legitimo titulo Pontifici quæsitum esse. Et hanc,» quam vocat, «injustam Paparum usurpationem, et violentiam sæcularem, excommunicationis, quæ spiritualis censura est, longe, lateque excedere.» Ex quibus verbis satis constat, non ita spiritualem censuram, sicut temporalem coercitionem aversari.

10. *Posse Pontificem temporales reges pœnis etiam temporalibus punire, ostenditur.*—Superest ergo ut contra ipsum, et contra Marsilium, et alios ulterius procedamus, eamdemque Pontificis potestatem, ad coercendos reges temporalibus pœnis ac regnorum privationibus, quando necessitas postulat, extendi posse, ostendamus. Quod eodem fere discursu ex eisdem Scripturæ locis sufficienter fieri potest. Nam Christus Dominus dedit Petro et successoribus potestatem corrigendi omnes Christianos, etiam reges, et consequenter, si inobedientes atque incorrigibiles sint, eos coercendi ac puniendi; sed hanc potestatem non limitavit ad censuras ecclesiasticas; ergo nec potest a nobis, vel ab aliquo Ecclesiæ principe limitari, sed ad ipsummet Romanum Pontificem pertinet decernere, et determinare pœnam convenientem juxta occasionem, vel necessitatem occurrentem. Priorem propositionem satis jam probavimus; posteriorem autem ex verbis Christi sæpe adductis, et recte perpensis, ostendere possumus. Nam verbum Christi: «Pasce oves meas,» indefinitum est; unde quatenus in verbo pascendi includitur etiam potestas coercendi, quæ in omni pastore necessaria est, talis potestas non definitur ad censuras, sed relinquitur determinanda ad modum pœnæ seu coercitionis per prudentiam, et justitiæ æquitatem. Nam quilibet pastor habet potestatem ad coercendas oves, non secundum determinatum modum, sed prout fuerit conveniens et expediens ovibus.

11. Deinde hoc etiam colligimus ex aliis Christi verbis: «Quodcumque ligaveris,» nam illa etiam generalia, et indifferentia sunt. Quod si quis dixerit Matth. 18 fuisse declarata et

determinata ad ligamen censuræ, respondemus, declaratum ibi esse, in illa generali potestate ligandi, includi excommunicationis vinculum, non tamen ad illam solam pœnam imponendam potestatem illam limitari. Tum quia nulla talis limitatio ex illo contextu colligitur; tum etiam quia, licet ibi solius excommunicationis facta sit mentio, nihilominus aliæ censuræ sub illam potestatem cadunt, ut interdictum, suspensio, et aliæ item ecclesiasticæ pœnæ. Imo etiam vinculum præcepti et legis sub illa potestate includitur; et ex vi talium verborum potestas illa, ut directiva est, non determinatur ad hunc modum directionis per personale præceptum, vel per stabilem legem hoc vel illo modo obligantem, sed omnem convenientem directionem indefinite complectitur. Idem ergo est de coactione. Et ita ex illo loco colligit hanc potestatem Innocentius IV, cum Concilio Lugdunensi, in cap. «Ad Apostolicæ,» de Sent. et re jud., in 6.

12. *Ex facto Sancti Petri idem colligitur.*—Præterea potestatem hanc adumbratam esse in facto Petri, ad cujus increpationem Ananias ejusque uxor mortui sunt, indicat Beda, lib. 3 in Luc., c. 4, dicens, verbis Apostoli Ananiam, et uxorem ejus cecidisse, quia expediebat in novo etiam Testamento fieri interdum, licet rarius, tales vindictas ad aliorum correctionem. Et in lib. 3 de Mirabilib. Sacræ Script., c. ult., dicitur nomine Augustini, id factum esse, «ut Apostolica auctoritas quanta esset ostenderetur, et quam magnum fuisset peccatum, et ut cæteri illo exemplo castigarentur.» Clarius Gregorius, lib. 1, ep. 24, tractans de munere pastoris, et de benignitate et severitate, ac zelo justitiæ quem requirit, Petrum in exemplum adducit, dicens: «Hinc est namque quod Petrus, auctore Deo, S. Ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio immoderatius se venerari recusavit, et cum Ananiæ et Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu scrutante deprehendit, et summum se in Ecclesia contra peccata recoluit.» Itaque licet factum illud extraordinarium fue-

rit, et speciali Spiritus Sancti instinctu ac virtute factum, nihilominus, ut infra ait Gregorius: «Zelus ultionis vim aperuit potestatis.

13. Et eamdem ostendit Paulus, 1 ad Corint. 5, quando fornicarium illum non solum excommunicavit, sed etiam «tradidit Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini;» quod enim ait: «In interitum carnis,» clare indicat, præter spiritualem censuram, etiam per corporalem vexationem fuisse punitum, et ad pœnitentiam agendam coactum, ut spiritus ejus salvus fieret. Sicque exponit locum illum Chrysostomus ibi, Orat. 13, dicens, ita fuisse illum traditum dæmoni ad interitum carnis, sicut Job, licet non pro eadem causa, ut «eum flagellet,» ait, «malo ulcere, aut morbo alio;» Theophyl.: «Ut morbo eum maceret, et tabescere faciat.» Anselmus etiam licet aliam expositionem adjungat, in hac magis persistit. Nam in fine c. 24, explicans actus «virgæ,» id est, apostolicæ potestatis ad coercendum, ait: «Alios excommunicando, alios dure increpando, alios corporaliter (ut decet patrem) flagellando.» Et postea, c. 5, interitum carnis significare dicit, «validam corporis afflictionem per diabolum factam.» Refertque habuisse Apostolum potestatem, «ut si quem excommunicasset, statim ille corriperetur a diabolo, et vexaretur, quamdiu et quantum Apostolus vellet.» Qui modus vexationis singularem virtutem quasi executivam, vel dæmoni imperativam requirebat, quæ communiter aliis non datur; sed nihilominus supponit jurisdictionem ad cogendum non sola excommunicatione, sed etiam modis aliis. Eamdemque expositionem significat Pacian., in Paræsi de Pœnit., dum ex illo loco colligit, necessariam esse interdum corporis pœnam et afflictionem; et similiter Ambros., lib. 1 de Pœnit., c. 12, quatenus cum afflictionibus Job illum interitum carnis comparat, sicut fecit Chrysostomus. Igitur juxta hanc Patrum expositionem, ex illo loco habemus, ecclesiasticam correctionem et vindictam non in sola spirituali censura sistere, sed etiam interdum in corporis afflictione, ac proinde pastores

Ecclesiæ temporali punitione in ordine ad spirituale bonum uti posse.

14. *Usus Pontificum eamdem veritatem confirmat.*—Secundo, possumus veritatem hanc auctoritate et praxi Ecclesiæ ostendere. Nam ex his Pontificibus, quos imperatores et reges excommunicasse diximus, Gregorius II Romam cum tota Italia a Leonis imperio recedere fecit, ut ex Theophane refert Baron., anno 730, n. 3 et 4 1). Idemque tribuit Gregorio III Sigebertus, in Chronic. ann. 731, dicens: «Leonem imperatorem erroris redarguit, et populum Romanum, et vectigalia Hesperiæ ab eo avertit » Gregorius autem VII Henricum IV et imperio et regno privavit, ut constat ex sententia supra citata, cujus hæc sunt verba: «Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina, quæso, aures tuas nobis.» Et infra: «Hac itaque fiducia fretus pro Ecclesiæ honore et defensione ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti per tuam potestatem, et auctoritatem, Henrico regi, filio Henrici imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiæ gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecere vel facient, absolvo, et ut nullus ei sicut regi serviat, interdico.» Similiter Innocentius III Othonem, quem excommunicavit, «imperii titulis privavit,» ut ait Platina. Item Innocentius IV in Concilio Lugdunensi, Fridericum II imperatorem, a Gregorio IX jam excommunicatum, imperio privavit, non solum subditos a juramento fidelitatis absolvens, sed etiam «auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam imperatori vel regi pareat, et intendat.» Et excommunicationis censura ipso facto ligando eos, qui deinceps illi tanquam imperatori, vel regi consilium vel auxilium præstiterint, seu favorem. Tandem Clemens VI Ludovicum Bavarum, qui inique imperium occupa-

(1) Vide Sigon., lib. 3, de Regn. Italiæ, an. 726.

verat, jam a prædecessoribus suis excommunicatum, imperio dejecit, aliumque legitimum imperatorem, nimirum, Carolum IV, eligi fecit.

15. Præter hæc autem, quæ ad imperium spectant, in regno Galliæ, Zacharias Papa, in simili casu, titulum regni a Childerico rege in Pipinum transtulit, ut est apud Gregorium VII, l, 8 Registri, ep. 21, c. «Alius,» 14, q. 9; Baron., ann. 751, in prin., et ann. 841, n. 3. Ubi etiam refert mutationem factam in regno Galliæ tempore Lotharii imperatoris, et Ludovici ac Caroli fratrum, qui auctoritate freti Episcoporum, regnum inter se diviserunt, et Lotharium ob scelera sua illo privarunt. Bonifacius etiam VIII Philippum Pulchrum, Galliæ regem, regno privatum declaravit, et illa occasione Extravagant. «Unam Sanctam,» de Majorit. et obedient., edidit; et refert Æmilius, in vita ejusdem Philippi; Gregorius item VII, quando Poloniam propter Stanislai interfectionem interdixit, regem Bonislaum regno privavit, teste Cromero, l. 4 Rerum Poloniæ. Insigne vero exemplum in ipsamet Anglia habemus in Joanne rege, quem, cum ingentia crimina contra religionem, sacerdotes, et alios innocentes committeret, et ab Innocentio III sæpius admonitus, ut inobediens ac pertinax resipere nollet, sed potius quotidie deterior fieret, idem Innocentius post magnam cum Patribus consultationem (ut Polydorus ait) regia dignitate abdicavit, populosque illi subjectos jurejurando absolvit, et christianos principes de ea re certiores factos, ut Joannem tanquam Ecclesiæ hostem persequerentur, admonuit. Qua sententia deterritus Joannes, et imminentis periculi timore perculsus, tandem juravit se Pontificis arbitrio staturum, et diadema capiti ademptum Pandulpho, Pontificis legato, tradidit, numquam id ipse aut hæredes accepturi, nisi a Pontifice Romano. Hæc Polydorus, libro decimo quinto.

16. At vero hæc omnia et similia non temere, nec in angulo, sed aliqua ex illis in Conciliis frequentissimis, et aliquando in generali, ut Lugdunensi, acta sunt, et in conspectu totius

rbis christiani, a quo approbata et executioni mandata fuerunt; rgo incredibile est fuisse actus usurpatæ, et non veræ potesta- is. Accedit, Concilium Lateranense sub Innocentio III, cap. 3, amdem potestatem supponere, dicens: «Si dominus temporalis ionitus ab Ecclesia terram suam purgare neglixerit ab hæretica editate, per metropolitanum excommunicetur. Et si satisfa- ere neglexerit intra annum, sagnificetur hoc Summo Pontifici, t ex tunc ipse vasallos ab ejus fidelitate denunciet abso- utos, et terram exponat Catholicis occupandam», etc. Ex qui- us omnibus tale concluditur argumentum. Universalis Ecclesia rrare non potest in his quæ ad fidem et mores pertinent; sed niversalis Ecclesia consensit in hujusmodi factis, et illa pro- avit tamquam consentanea divino et naturali juri, et similiter pprobat leges cononicas imponentes hujusmodi pœnas princi- ibus temporalibus propter gravissima scelera et contumaciam n illis, maximeque in hæresi; ergo tam est certum posse Pon- ificem coercere vel punire principes temporales his pœnarum eneribus, quam est certum non posse Ecclesiam in fide et mo- ibus errare.

17. *Ratione id convincitur*.—Tertio, declaratur ratione hæc eritas, nam duplici titulo erat necessaria hæc potestas in su- remo capite et pastore Ecclesiæ, scilicet, et propter ipsos im- eratores seu reges, ac quosvis temporales principes, et propter opulos illis subjectos. Priori titulo necessaria est hæc potestas, t possit Pontifex vel rebellem principem corrigere et emendare, el etiam, digne punire; utrumque enim ad Pastorem pertinet; æpe autem contingit ut solæ censuræ ad illos effectus non su- ficiant, ut diuturna experientia satis ostendit; ergo necessario icendum est Christum Vicario suo hanc potestatem contulisse, um non minus illum constituerit pastorem christianorum prin- ipum, quam cæteræ christianæ plebis. Quocirca, quod ad prio- em titulum attinet, quando vel solum, vel principaliter agitur e emendatione principis, qui pecavit, solent maxime Pontifices ensura uti, quia illa est propia medicinalis pœna, de qua locu-

tus est Christus, Math. 18. Quod si contingat principem pe censuram corrigi et emendari, non solet Ecclesia ad rigorosar vindictam per graves et publicas pœnas contra eos procedere potest tamen et solet pœnas aliquas injungere, tum ad resar cienda damna, si quæ forte ab eis illata fuerunt: tum etiam u tam Deo, quam universæ Ecclesiæ aliquam satisfactionem tri buant. Nam resarcire damna, et illatas injurias recompensare non tam est pœna, quam restitutio quædam, et debiti solutio quamvis coactio ad illam faciendam potestatem superiorem requirat. Præter hanc vero recompensationem ex justitia com mutativa debitam, ratio communis boni et justitiæ legalis pos tulat, ut aliqua pœna in vindictam dilecti ad Ecclesiæ satisfactio nem, et aliorum exemplum et timorem adhibeatur. Quand vero, non obstante censura, rex contumax est, et incorrigibili in delicto, tunc graviores pœnæ adhiberi debent, et hujusmod sunt fere omnes casus supra enumerati, ut notavit D. Thomas tertio libro de Regimine Princip., cap. 10.

18. *Confirmatio.*—Et confirmari potest hæc pars, quia circa alios fideles seu Christianos baptizatos habet Ecclesia potesta tem, non solum ad coercendum illos per censuras ad emenda tionem delicti, sed etiam ad vindicanda delicta commissa pe alias pœnas temporales vel corporales, secundum modum ac commodatum ecclesiastico judici et pastori; ergo eamdem po testatem habent legitimi Ecclesiæ Prælati, et maxime Summus Pontifex, in principes temporales, etiam supremos. Assumptum ex perpetuo usu Ecclesiæ manifestum est: solent enim canones imponere pecuniarias pœnas, interdum usque ad bonorum con fiscationem. Interdum etiam imponunt pœnas corporales citra vitæ aut membrorum periculum, ut est flagellationis pœna, in terdum etiam usque ad damnationem ad triremes, et quando necessaria est pœna sanguinis, licet ecclesiastici judices illam ferre non soleant propter status decentiam, possunt reum com mittere judici sæculari, ei præcipiendo ut secundum legum æquitatem illum puniat. Quæ omnia maxime possunt in crimine

æresis considerari. Hæretici enim non solum ad Ecclesia excommunicantur, et aliis spiritualibus afficiuntur pœnis, sed tiam bonis omnibus temporalibus privantur, non solum per leges imperatorum, sed etiam virtute canonum. Ac denique si el contumax fuerit, vel relapsus, per leges imperatorum capite unitur, per canones autem sæcularis judicis arbitrio relinquiur, recepturus pro qualitate facinoris ultionem, justa cap. «Ad bolendam,» de Hæret., cum similibus.

19. *Potestas temporalibus pœnis puniendi est Ecclesiæ necessaria.—Tacita evasio præcluditur.*—Has autem pœnas esse justismas, Ecclesiæ usus satis convincit, et defendit optime Augusnus, ep. 48 et 50, et lib. 3 contra ep. Parmen., c. 1. Esse utem necessariam in Ecclesia Christi, ut ab illo est instituta, anc potestatem, ratio convincit, quia si Ecclesiæ subditi non ossent per hujusmodi pœnas coerceri, facile spirituales conemnerent, et plurimum sibi ac aliis nocerent. Nam ut dicitur rov. 29: «Puer, qui relinquitur voluntati suæ, confundit maem suam.» Unde non esset res christiana convenienter instiuta, nec illi esset sufficienter provisum, si non haberet potesutem cogendi rebelles, qui censuris obtemperare nollent. Nec atisfaciet, qui dixerit, satis esse quod in Christianis principius temporalibus sit hæc potestas, tum quia etiam ipsi princies possunt delinquere, et correctione indigere, ut jam dicam. um etiam quia vindicta malefactorum per se solum pertinet l civiles magistratus, quatenus politico fini, et paci reipublicæ justitiæ humanæ contraria sunt; coercere autem illa, ut sunt ligioni et saluti animæ contraria, per se spectat ad spirituam potestatem, et ideo ad illam maxime pertinere debuit faultas utendi temporalibus pœnis ad talem correctionem, vel er sese illas inferendo, vel temporalis brachii ministerio utendo omnia decenter, ordinate ete fficaciter fiant.

20. *Non magis eximuntur reges a prædicta potestate coerciva ontificis, quam cæteri.*—Superest ut priorem illationem probeus, nimirum, si in cæteros fideles inferioris ordinis potesta-

tem istam habet Ecclesia, etiam in supremos temporales principes, in Petro maxime, et successoribus ejus, eam accepisse. Probatur ergo consecutio ex principio supra posito, quod hi principes tam sunt oves Petri, quam reliqui omnes, neque temporalis dignitas vel potentia eos reddit immunes, seu a tali potestate vel pœna exemptos, quia neque ex Christi verbis, neque ex alio principio vel ratione colligi potest talis libertas, sed potius peccandi licentia. Quin potius multo magis necessaria est in Ecclesia potestas hæc ad coercendos hujusmodi principes quam eorum subditos. Primo quidem quia ipsi liberiores sunt et ita facilius labuntur, et semel lapsi difficilius corriguntur. Deinde quia principum peccata, præsertim contraria fidei et religioni, perniciosiora sunt, facile enim subditos ad sui imitationem pertrahunt, vel exemplo, vel beneficiis, ac promissionibus, vel etiam minis ac terroribus. Propter quod merito dixit Sapiens, Ecclesiastici, cap. 10: «Rex insipiens perdet populum suum. Nam qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. Quod etiam ducti ratione et experientia philosophi docuerunt, ut Cicero ex Platone, lib. 1 Epist. Unde idem Cicero, lib. 3 de Legibus, recte etiam dixit: «Vitiosi principes non solum vitia concipiunt ipsi, sed etiam ea infundunt in civitatem.» Denique quia «principes gravius quam cæteri delinquunt, et ideo etiam per pastores suos gravius punir debent», ut de ipsismet pastoribus dixit Gregorius, in Pastor., p. 3, cap. 5, et refertur a Nicolao Papa contra Lotharium, regem Galliæ, in ep. ad eumdem, et refertur in c. «Pærcipue», 11, q. 3.

21. Atque hinc tandem facile ostendi potest alius titulus hujus potestatis in reges, nimirum, propter defensionem subditorum, nam ad pastorem non solum spectat oves errantes corrigere, vel ad ovile revocare, sed etiam lupos arcere, et ab hostibus defendere, ne extra ovile trahantur et pereant: sed iniquus rex, præsertim schismaticus et hæreticus subditos constituit in magno periculo perditionis, ut ex proxime dictis notum factum est, et ideo Claudianus dixit :

Regis ad exemplum totus componitur orbis,
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Ergo ad Pontificis munus spectat, subditos hæretici vel perversi principis defendere, et ab illo evidenti periculo liberare : ergo Christus, qui bene et optime omnia fecit et instituit, hanc potestatem Petro contulit, eamque sub verbo «Pasce,» et sub potestate ligandi et solvendi comprehendit. Ergo per illam potest et talem principem dominio suo privare et arcere, ne noceat subditis, et hos a juramento fidelitatis solvere, vel solutos declarare, quia illa conditio in tali juramento semper intelligitur inclusa.

22. *Etiamsi Pontifex regem ethnicum punire nequeat, potest fideles subditos ab ejus dominio liberare.* — Qui titulus D. Thomæ, et probatis Theologis, tam gravis et efficax visus est, ut per se solus sufficiat ad privandum regem infidelem dominio et potestate supra fideles, etiam si prior ratio vindictæ et justæ punitionis cesset. Nam juxta Pauli doctrinam, «de his qui foris sunt» Ecclesia non judicat. Unde colligunt iidem Theologi, non posse Pontificem punire regem ethnicum non baptizatum propter infidelitatem, vel alia peccata. Et nihilominus si habeat subditos fideles, potest eos a subjectione illius eripere, propter morale ete videns eversionis periculum, ut docet D. Thom. 2. 2, q. 10, art. 10, et colligitur ex Paulo, 1 ad Cor. 6; reprehendit enim fideles, quod apud infideles judices litigarent, supponitque posse Ecclesiam creare judices, qui inter fideles etiam in temporalibus judicent, ne ad infideles ire cogantur, et ad suadendum ait: «Nescitis quia et Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?» Quæ verba allegat Gregorius, lib. 7, ep. 21, et ex illis infert : «Cui ergo superiendi, claudendique cœli data est potestas, de terra judicare non licet? Absit.» Hinc etiam conjux fidelis separari potest a conjuge infideli, si cum illo non possit sine injuria Creatoris habitare, juxta doctrinam Pauli, 1 ad Corint., 7. Ex et eadem

radice filii baptizati a patrum infidelium potestate et consortio liberantur, ne illorum iterum involvantur erroribus, ut dicitur in Concilio Toletano IV, c. 59. Ergo simili vel majori ratione privatur rex christianus, seu subditus Ecclesiæ ratione baptismi, potestate et dominio in vassallos suos; ergo titulus est per se sufficiens, ut possit Pontifex in hos principes animadvertere, eosque regnis jure privare, et ad hoc uti gladio aliorum principum, ut ita gladius sit sub gladio, ut ad propugnandam et defendendam Ecclesiam mutuo juventur.

23. Possem hoc loco alios titulos explicare, confirmare ac defendere, quibus potest Romanus Pontifex circa temporalia justis ex causis disponere, ut fecit in translatione imperii, et in instituendo modo electionis imperatoris, et in ejus administratione, cum vacat, et in aliis etiam casibus in temporalibus causis jus dicendo; verumtamen nec hujusmodi operis brevitas hæc omnia prosequi permittit, nec intentioni nostræ ac instituto necessaria sunt, et ideo ad alios auctores, qui hæc eruditissime disputarunt, lectorem remitto.

CAPUT XXIV

Objectionibus contra doctrinam superiorum capitum ex Scriptura petitis occurritur

1. Ut catholica doctrina, quam tribus præcedentibus capitibus ostendimus, magis confirmetur, necessarium duximus, in fine hujus libri, nonnullis objectionibus, quibus potestas Pontificis in temporales principes impugnari ab adversariis solet, satisfacere. Et quoniam copiose hoc præstat Cardinalis Bellarminus in ultimo opere contra Barclaium, ideo illas tantum objectiones proponam, quæ vel a rege Angliæ insinuantur, vel nonnullam difficultatem habent, vel quarum resolutio utilitatem

liquam ad majorem veritatis manifestationem afferre possit. dverto autem (quod in superioribus etiam monui) sæpe in is objectionibus confundi causam de primatu et potestate Pon- ificis in laicos, cum causa de exemptione clericorum a juris- lictione et potestate laicorum, quæ controversiæ sicut diversæ unt, ita a nobis (sicut ab aliis catholicis auctoribus) disputa- ione separantur, et ideo omnia, quæ ad exemptionem perti- ient in sequentem librum reservamus, et ibi objectionibus eculiariter ad rem illam pertinentibus satisfaciemus. Quia vero xemptio personæ ipsiusmet Pontificis summi cum ejus dignita- e divino et naturali jure conjuncta est, omnisque subjectio ad mperatores, vel alios reges, illius dignitatem obscurare et ninuere videri potest, ideo prætermittere aliqua non possumus x his, quæ contra Pontificis immunitatem summamque ab om- i humano judicio exemptionem objici solent. Et quamvis su- erior potestas Pontificis in reges et principes, tam in spiritua- bus quam in temporalibus, distinctis assertionibus quasi per artes seu gradus a nobis declarata fuerit, quia tamen rex in- istincte contra primatum loquitur, idcirco eodem fere modo ob- ectiones ejus proponemus; respondendo autem quid per namquamque directe oppugnetur, distincte declarabimus, tque ita singula, quæ a nobis dicta sunt, clarius et facilius de- endemus.

2. *Prima objectio.* — Prima ergo objectio ex Scriptura su- nitur, duasque habet partes: unam scholastico more vocare ossumus positivam, alteram negativam. Priorem indicat rex n Præfatione, pag. 14, dum in generali ait, auctoritatem et otestatem, quam Pontifices sibi in temporalia regum jura surparunt, nihil aliud esse quam ambitiosam tyrannidem con- ra auctoritatem Scripturarum; et de eadem dicit, pag. 22, po- estatem a Pontificibus inique usurpatam cum Scripturis pugna- e. Quæ autem sint hæ Scripturæ in illis locis non declarat, ed ad Apologiam remittit, quam totam in auctoritate regum

asserenda impendisse dicit. In Apologia vero solum invenio, i pag. 25 et 129, quædam Scripturæ testimonia, in quibus obe dientia ad sæculares principes, etiam propter conscientian commendatur, Romanorum, 13, cum aliis, quæ ex novo Testa mento in principio hujus libri satis a nobis tractata sunt. Qui bus ibi adjungit multa ex veteri Testamento, quæ duplic ordinis esse adverto. Quædam enim sunt, in quibus obedienti principum etiam iniquorum et infidelium vel permittitur, v laudatur aut præcipitur, vel alio simili modo stabilitur, ut es illud Josue, 1: «Quemadmodum Moysi obedivimus in omnibus ita et tibi obediemus;» et illud Jerem., 17: «Submittite cord vestra subter jugum regis Babylonis, eique et populo ejus ser vite, ut vivatis.» Item illud adjungit, quod, Exodi, 5, filii Isra veniam abeundi a Pharaone supplicarunt, et quod 1 Esdræ, 1 similem veniam a Cyro, rege Persarum, impetrarunt. Et i hoc ordine annumerari debent alia testimonia Scripturæ, qu postea ipse congerit, in quibus variis honoris titulis regis digni tas in veteri Testamento declaratur, nam reges vocantur «fili Altissimi, dii, uncti Domini, in Dei solio sedentes, famuli Dei angeli Dei, facti juxta cor Dei, lumina Israelis, nutricii Eccle siæ.» In alio ordine ponit facta quædam regum Israel, de qui bus capite sequenti dicemus.

3. *Ad testimonia novi Testamenti responsio.*—Verumtame prædicta testimonia neque ad præsentem causam aliquid con ferunt, neque in se spectata difficultatem habent vel controver siam, præter unum quod peculiaris cujusdam quæstionis occa sionem præbet; illa vero quæstio ejusmodi est, ut tradita verita ab illius resolutione non pendeat, quod per singula discurrendo breviter declaro. Nam imprimis loca novi Testamenti proban quidem esse in regibus veram jurisdictionem civilem a Deo ipso originem trahentem, ideoque regem convenienti modo hono randum esse, illique esse obediendum, non solum ob timorem pœnæ, sed etiam propter conscientiam, quæ omnia secundum fidei doctrinam vera esse in principio hujus libri docuimus.

Inde vero nulla verisimilitudine inferri potest, reges nullum habere superiorem, a quo in spiritualibus, et consequenter etiam in temporalibus in ordine ad spiritualia, regantur, et ideo dixi, testimonia illa nihil ad præsentem causam pertinere. Quin potius neque satis ex illis locis convincitur, regum temporalium potestatem ita esse in suo ordine supremam, ut in temporalibus directe superiorem non recognoscat; hoc enim, ut dixi, in rigore ad fidem non spectat, quamvis longe verissimum sit, et Scripturæ sacræ magis consentaneum, sicut etiam disputando ostendimus.

4. *Ad testimonia veteris Testamenti* —Neque priora testimonia veteris Testamenti aliquid amplius probant, nam ex eis solum habemus, obediendum esse regi vel principi, aut gubernatori communitatis, utique in foro suo validum præceptum ferenti. Hoc enim, et nihil aliud obtulerunt Josue filii Israel, cum dixerunt: «Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi, tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.» Verba autem Jeremiæ, si intelligantur de absoluta Dei voluntate, qua decrevit dare filios Israel subverum dominium et potestatem regis Babylonis, ad summum probant obediendum esse temporalibus regibus, sicut de aliis testimoniis dictum est. Si vero solum intelligantur de voluntate permissiva, qua Deus decreverat permittere in pœnam peccatorum populi judaici, ut rex ille potentia sua, et facto, potius quam jure, illum populum sibi subjugaret, sic verba illa ad rem nihil faciunt, quia non de vero rege, sed de tyranno in loco illo sermo est, cui monentur Israelitæ subjicere colla, non tam propter conscientiam, quam propter majora mala vitanda, ut subjuncta verba indicant: «Servite ei et populo ejus, et vivetis, quare moriemini tu et populus tuus gladio, et peste, et fame?» etc. Et juvat etiam, quod verba illa dicta sunt a Propheta priusquam populus in servitutem Nabuchodonosor redactus esset, et ita potius inducebat eos ad non resistendum dominationi et potentiæ ejus, et consequenter ad serviendum saltem facto, quamvis jure non tenerentur. Eadem-

que ratio est de aliis locis, sive Pharao et Cyrus fuerint veri reges populi Judæorum, sive non, vel (quod perinde est) sive populus Israel jure teneretur veniam illam petere ad discedendum, sive tantum de facto propter potentiam illorum principum ausi non fuerint, sine illorum venia et voluntate discedere.

5. *Prærogativæ a rege Jacobo adductæ expenduntur.— Nomen filiorum Dei non omnibus regibus convenit.*—Multo vero minus urgent testimonia illa, in quibus varii tituli venerationis et honoris regibus tribuuntur, tum quia quidam illorum communes sunt aliis, qui non sunt reges, quidam vero non omnibus regibus conveniunt, sed fuerunt prærogativæ aliquarum personarum. Quod patet breviter discurrendo per singula. Nam imprimis titulum «Filii Dei,» regi temporali tribui, solum colligit rex Angliæ ex illis verbis, quæ de Salomone dixit Deus, 2 Regum 7: «Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium.» Hæc autem verba, ut ibi dicta sunt, profecto non sunt omnibus regibus communia, sed peculiarem promissionem Salomoni factam continent; ut patet, tum ex præcedentibus verbis: «Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum;» tum ex verbis subjunctis: «Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea,» etc. Ex quibus verbis aperte constat, verba illa: «Ego ero illi in Patrem,» etc., in Saulem non convenire, quamvis ille fuerit temporalis rex electus a Deo immediate, ac sine successione, auctore Deo, rex creatus; non est ergo excellentia illa communis omnibus regibus, sed singularis favor promissus Salomoni.

6. Imo sunt qui putent, verba illa neque ipsi Salomoni in proprietate convenire, nec de illo ad litteram dicta esse, sed de solo Christo per Salomonem significato, quia de Christo illa Paulus allegat ad Hæbr. primo, et quia in solo Christo impletum est quod statim Deus promisit: «Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thro-

nus erit firmus tuus jugiter.» Sed licet verum sit verba illa singulari quodam modo in Christum convenire, et de illo dicta esse, vel in historico, vel saltem in mystico sensu, nihilominus negare non possumus de Salomone ad litteram esse dicta; id enim ex illo contextu, et ex 3 Regum 1, et 1 Paralipom. 22 et 28, aperte colligitur. Dicta autem de illo sunt non propter solam regis temporalis dignitatem vel potestatem, alias de omnibus regibus dicta fuissent, et Sauli convenirent, quod falsum esse ostensum est, sed vel propter singularem providentiam, regimen ac protectionem, sub qua Deus Salomonem assumere statuerat, vel quia nunquam illum privare regno decreverat, etiam si peccaret, sed ut filium castigare, ut suis verbis Deus ipse satis declaravit. Vel certe quia sanctum et justum illum facere decreverat, et nomen filiorum Dei, justorum potius quam regum, proprium est. Nam reges si impii sint, filii Dei non sunt. Ideoque si verba illa de filiatione Dei adoptiva intelligantur, conditionem habent adjunctam. «Si perseveraverit facere præcepta mea, et judicia,» ut expresse additur 1 Paralip. 28, et infra refertur dixisse David Salomoni: «Si quæsieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.» Hoc autem modo cuique justo vere dicitur nomine Dei: «Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.» Quæ igitur prærogativa temporalium regum ex illis verbis colligitur?

7. Alter titulus regum, quem rex magni facit, est, quia interdum «dii» vocantur, et allegat Psalm. 81: «Ego dixi: Dii estis.» Sed unde ostendit rex verba ista de regibus temporalibus singulariter dicta esse? certe ostendere id non potest, cum falsum sit. Nam Christus, Joan. 10, aliter illa verba exposuit, cum dixit: «Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est » Nam sermo Dei non est factus ad solos reges, sed magis ad Prophetas, vel etiam ad omnes fideles, et maxime ad justos. Unde Augustinus ibi, tractat. 48, de omnibus hominibus, qui per sermonem Dei, filii Dei per participationem fiunt, Christi expositionem intelligit, et præsertim de fidelibus Judæis, qui

tunc in Deum credebant. Præterea initium ipsius Psalmi, scilicet, «Deus stetit in synagoga deorum,» etc., vix potest ad reges accommodari, ad fideles autem et Prophetas optime, vel etiam ad sacerdotes; maxime vero ad judices, eorumque congregationem, nam subditur: «In medio autem deos dijudicat, usquequo judicatis iniquitatem?» ut Euthymius et alii notant. Sicut etiam Exod. 22, judices dii appellantur, ibi: «Applicabitur ad deos,» id est, ad judices, et infra: «Diis non detrahes,» quanquam hoc de sacerdotibus intelligit Chrysostomus, Psal. 173, in princ., dicens solere Scripturam sacerdotem vocare angelum et deum. Itemque de sacerdotibus et de judicibus multi intelligunt verba Psal. 49: «Deus deorum Dominus locutus est,» et illa Psal. 46: «Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.» Quæ verba possunt quidem reges comprehendere, non tamen solos, sed quoslibet magnates, vel potentes terræ, qui dii dicuntur, non quia sint, sed quia ita dominari volunt, ac si essent dii, vel (si in bonam partem accipienda sit appellatio) quia potestatem et prælationem Dei speciali modo participant. Quo quidem modo multo magis sacerdotes quam reges dii per participationem appellari possunt.

8. *Frequentius sacerdotes quam reges Uncti vocantur in Scriptura.*—Tertia nota regum est, quia «uncti» appellantur, 1 Reg. 24. At hæc appellatio multo frequentius sacerdotibus tribuitur, quia per unctionem consecrabantur, ut est notum Exod. 29, Levit., c. 4 et 8. Unde cum Psalm. 104 dicitur: «Nolite tangere christos meos,» non solum reges, sed etiam sacerdotes comprehenduntur. Et ideo fortasse (quod notandum est) 2 Machabæor. 1, utrumque conjungitur, cum de Aristobulo dicitur, «qui est de genere christorum sacerdotum,» vel ad distinctionem christorum regum, vel ad distinctionem eorum sacerdotum, qui christi non erant, ut inter gentiles, vel in lege naturæ existebant. Denique unctio externa nullam de se confert potestatem, nec aliam indicat dignitatem, nisi illam, ad quam significandam imponitur; si ergo rex loquitur de christo vel uncto hac ex-

terna unctione, unde probat nobis, unctionem regum significasse potestatem eorum supra Pontificem, vel in res ecclesiasticas, et non potius per unctionem Pontificis ipsius primatum et excellentiam supra reges significari? nulla profecto ratio reddi potest. Veritas autem est, ex vi solius unctionis neutrum significari, aut posse probari, sed ex aliis principiis colligendum esse. Quod si non de sola exteriori unctione, sed de invisibili, et interiori sit sermo, cum illa fiat per internam Spiritus Sancti gratiam, sic non soli reges, sed omnes justi, et aliquo modo omnes fideles Uncti possunt appellari, et de illis etiam intelligi possunt citata verba: «Nolite tangere christos meos.» Neque etiam omnes reges hoc modo christi dici possunt, et clarum est Davidem, in loco allegato cum de Saule loqueretur, non in hoc sensu christum illum appellasse.

9. *Hæc laus specialiter regibus Israel attributa est.* — Quarta prærogativa est, «in solio Dei sedere», ex 2 Paralip. 9, ibi: «Sit tibi Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum.» Sed imprimis in verbis illis «thronus Dei», nihil aliud significat, nisi regimen populi Israel, seu regni sedem in illo populo. Nam sicut populus ille singulari modo dicitur Dei, quia illum singulariter elegit ac sanctificavit, et peculiarem illius curam suscepit, juxta illud Exodi 19: «Eritis mihi in peculium de cunctis populis, et regnum sacerdotale, et gens sancta», ita regnum ejus dicitur thronus Dei, et frequentius appellatur thronus Davit, et thronus Israel, 3 Reg., 1 et 2, ac sæpe alibi. Unde sicuc dixit Deus Samueli, 1 Reg., 8: «Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos», ita thronus illius regni dici etiam potuit thronus Dei, quia reges illius regni, et a Deo facti sunt, et quodammodo in regimen ac curam illius regni pro Deo substituti sunt. Illa ergo laus sic intellecta non communis omnibus regibus, sed propria regum Israel, neque in illis aliam excellentiam vel potestatem, sed solam civilem, illi peculiari populo, speciali modo ac electione, a Deo datam, significat. Deinde licet omnes reges dici possint sedere in solio

Dei, quia ministri Dei sunt, et ab eo potestatem habent, quid inde habetur, nisi potestas regum temporalis, et ad summum in suo ordine suprema? Nam in hac significatione non unus tantum datur Dei thronus, sed multiplex, quia ut Nazianzenus dixit, «etiam Episcopus thronum suum habet, in quo positus est regere Ecclesiam Dei», Act., 20. Datur ergo thronus temporalis, et thronus spiritualis, et thronus potest esse sub throno, vel in eodem ordine, ut Episcopus est sub Pontifice, et rex interdum suo modo sub imperatore; vel in diverso, et sic thronus temporalis est sub spirituali, quia licet uterque sit Dei, seu a Deo, tamen «quæ a Deo sunt, ordinata sunt.»

10. *Excellentius multo sacerdotes vocantur Dei ministri, quam reges.*—Quinta excellentia regum ponitur, quod sunt servi Dei, et ita appellantur, 2 Paral. 6. At hæc duobus modis potest regibus attribui. Primo eo ipso quod reges sunt, quia sunt ministri Dei cui præcipue in munere suo serviunt, vel servire debent; et hoc quidem modo prærogativa illa regibus omnibus convenit; multo vero magis, et nobiliori modo sacerdotibus et Pontificibus, quia in rebus majoris momenti et excellentioris ordinis Deo ministrant, et ab ipso immediatius in eo munere constituti sunt, et ideo Paulus sic inchoat epistolam ad Romanos: «Paulus, servus Jesu Christi», et epistolam ad Philippenses: «Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi»; et ad Titum: «Paulus, servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi»; et eodem modo loquuntur Petrus, et Jacobus, et Judas in principio suarum Epistolarum, et Joannes, Apocalyps., 1; Act., vero 4 ac 17, prædicatores Evangelii servi Dei appellantur; imo etiam vocantur «dispensatores mysteriorum Dei», 1 ad Corinth., 4, imo et adjutores et ministri, 1 ad Cor., 3. Alio vero modo servi Dei appellatio dicitur ratione obedientiæ ad Deum, et observantiæ præceptorum ejus juxta illud ad Roman., 6: «Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo.» In quo sensu absque dubio Salomon patrem suum vocavit servum Dei in dicto loco Paralipomenon, et sic neque omnes reges sunt servi Dei, sed

tantum pii, Deoque obsequentes, neque soli reges, sed omnes liberati a peccato, sunt servi Dei, ut ex dictis verbis Pauli, et ex frequentissimo usu Scripturæ manifestum est. Igitur hæc appellatio nullam peculiarem excellentiam in regibus denotat.

11. *David non angelus vocatus, sed in aliqua proprietate ei æquiparatus fuit* —Sexto ponderat rex nomem angeli interdum regibus tribui, solumque adducit locum 2 Reg., 14, ubi mulier quædam dixit ad David : «Tu domine, mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei», quæ superius etiam dixerat : «Sicut Angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.» Possumusque similem locum addere ex 1 Reg., 29, ubi Achis dixit ad David : «Scio, quia bonus es in oculis meis, sicut Angelus Dei.» Verumtamen hæc non omnibus regibus, sed uni tantum David, et non propter dignitatem regiam, quam in posteriori loco allegato nondum consecutus fuerat, sed propter peculiares rationes in ipso inventas illi dicta fuerunt ; videlicet, propter sapientiam, lenitatem animi, et morum probitatem ; persona ergo illius regis, non ipsa regia potestas inde commendatur. Accedit, in illis locis non appellari David angelum sed in aliqua proprietate Angelo comparari, quod longe diversum est, ut per se constat.

12. *Reges nullibi angeli appellantur, sacerdotes vero maxime.*—Neque illa comparatio secundum æqualitatem, sed secundum quamdam imitationem seu proportionem etiam analogam accipienda est. Sic enim particula «sicut», frequenter in Scriptura accipitur, ut Joan., 17: «Unum sint, sicut et nos unum sumus»; et Matth., 5 : « Estote perfecti sicut et Pater vester perfectus est.» Estque simillimus locus Act., 6, ubi de Stephano dicitur : « Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli. » Per quæ verba neque Stephanus angelus appellatur, neque aliqua potestatis excellentia indicatur, sed sola mirabilis pulchritudo aut fulgor, seu luminis splendor, qui tunc in facie ejus apparuit. Est enim illa phrasis hebraica, qua excellentia alicujus virtutis vel pulchritudinis ad instar an-

gelicæ exaggeratur, ut est vulgare. Sic ergo in dicto loco mulier illa voluit laudare sapientiam David, non illum angelum vocare. Unde si vere et in rigore loquamur, nullus est in Scriptura locus, in quo nomen Angeli, vel omnibus regibus, vel alicui temporali regi tribuatur, cum tamen de sacerdote scriptum sit Malach., 2: «Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est», ubi Cyrillus Alexandr.: «Quia voluntatem Dei perspicue nunciat, et legem sermonis hortatricem habet»; et Hieronymus: «Sacerdos Dei angelus dicitur, quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nunciat voluntatem.» Ergo ex angeli appellatione multo magis sacerdotalis dignitas, quam regia commendatur. Nam, licet sacerdos per metaphoram, seu analogiam angelus dicatur, fundatur tamen proportio in ipso munere, seu dignitate sacerdotali, non aliqua proprietate in alicujus sacerdotis persona inventa, sicut de persona regis David explicatum est.

13. Idem paralogismus committitur, cum ex eo, quod de David dixit Samuel: «Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum», 1 Reg., 13, infertur, reges vocari factos juxta cor Dei, quæ aperta est fallacia, tum quia ibi non dicitur David factus juxta cor Dei, quando factus est rex, sed dicitur inventus vir secundum cor Dei, et ideo assumptum esse a Deo, ut esset dux populi; ergo non potestas regia fecit illum secundum cor Dei, sed gratia, quam Deus illi prius contulit, ut jam factum secundum cor suum, regem etiam faceret. Igitur non recte inde infertur aliqua excellentia potestatis regiæ, sed solum ostenditur æquitas electionis Dei, et singularis electio gratiæ circa personam David. Unde non minorem dignitatem et potestatem regiam Sauli contulit Deus, cum tamen illum non invenerit secundum cor suum. Nam Deus, dicens: «Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum», subdit, «quia faciet omnes voluntates meas», ut dicitur Act., c. 13.

14. *Evasio quædam impugnatur.*—Quod si quis dicat, re-

gem propter similitudinem et participationem potestatis dici actum secundum cor Dei, et ita convenire omnibus regibus, respondemus imprimis hunc non esse sensum illius loci, ut probatum est; imo neque inveniri locum in Scriptura, in quo id fundari possit. Deinde addimus, licet id gratis concedatur, nihil amplius inde probari, quam regem participare peculiari quodam modo potestatem Dei, aut regiam institutionem esse placitam Deo, et ab ejus providentia originem ducere. Sed hoc quid attinet ad comparationem cum dignitate sacerdotali, vel pontificia potestate, cum hæc multo magis sit secundum cor Dei, quia et illi placet magis, et altiori modo ab ipso ducit originem? Imo si de Israelitico populo loquamur, speciali ratione pontificia dignitas, magis quam regia dignitas fuit secundum cor Dei; nam priorem ex solo suo beneplacito et sapientia Deus invenit et instituit; posteriorem autem quasi coactus ad populi petitionem concessit, ut ex 1 Reg., 8, sumitur. Multoque majori ratione in christiano populo pontificatus dici potest secundum cor Dei, quia et est divinior, et altioris ordinis, et a Deo etiam ex majori providentia et benevolentia Ecclesiæ suæ concessus.

15. *Ex eo quod reges lucernæ appellantur, nulla spiritualis potestas eis tribuitur.*—Neque est multum dissimile argumentum, quod ex octavo titulo regis sumitur, sumpto ex 2 Reg., 21, ubi David appellatus est a suis subditis «lucerna Israel» Nam etiam verba illa (ut ibi sensit Abulensis) intelligi possunt specialiter dicta de persona David, in quem totius populi oculi tanquam in lucernam intenti erant, propter singularem virtutem et fortitudinem ejus, et ideo valde timebant ne extingueretur, id est, interficeretur, quia per illum magna Dei beneficia gerabant. Sed demus, propter eminentiam dignitatis regiæ lucernam appellari, et sub eadem metaphora nomen illud regibus omnibus convenire, quid inde contra pontificiam eminentiam colligi potest? cum Christus Apostolis, et consequenter etiam successoribus suis dixerit: «Vos estis lux mundi», quod multo

majus est quam esse lucernam, ac subinde in metaphora persistendo majorem dignitatem indicat.

16. Ultimum titulum sumit rex ex Isaiæ, c. 49, ubi de Ecclesia ex gentibus congreganda prædixit: «Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ,» taciteque interpretatur, reges vocari nutritios propter eminentiam potestatis, quam in Ecclesia Christi et in ecclesiasticis rebus habituri erant. Sed imprimis Hieronymus ibi de Apostolis et apostolicis viris locum exponit, sensus autem videtur mysticus. Fatemur ergo, ad litteram esse ibi sermonem de regibus gentium ad fidem Christi convertendis, negamus tamen ibi extolli eorum potestatem, sed futuram pietatem. Qualis fuit in Constantino, Carolo Magno, et fuit etiam et nunc est in nostris catholicis regibus, qui totis suis viribus in adjuvandis fidelibus, et in vera Christi Ecclesia tuenda et propaganda, incumbunt. Et hoc significavit Augustinus, et Unit. Eccles., cap. 7, cum dixit, ab Isaia prædictum esse, reges terræ, qui prius persequebantur Ecclesiam, postea ejus adjutores futuros fuisse. Addit præterea Cyrillus Alexandrin., lib. 4 in Isaiam, et optime, prophetiam illam esse impletam, quia «licet videre propter dominorum pietatem, honore affectos, et omni misericordia dignatos eos, qui in Christum crediderunt, adeo ut nihil aliud quam eorum alumni esse videantur.» Accedit quod ipsum metaphoricum nomen «nutritii» nihil aliud significat, aut indicat, quam curam nutriendi et promovendi prolem, juxta illud Pauli 1 ad Thessalon., 2: «Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.»

17. *Reges sunt Ecclesiæ nutritii in temporalibus, Pontifex vero in spiritualibus.*—Unde non solum reges, sed etiam Apostoli et Pontifices dici possunt Ecclesiæ nutritii, prout Hieronymus voluit, et Paulus indicavit, sed longe diverso modo; nam reges per se (ut ita dicam) sunt nutritii in temporalibus, Apostoli vero in spiritualibus, juxta illud Pauli, 1 ad Corinth., 3: «Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.» Et ita Pontifices per se nutriunt Ecclesiam, ut Ecclesia est; reges vero, ut civilis, seu

olitica congregatio est. Quia vero id quod spirituale est, sup-onit id quod est animale, ideo per bonum civile regimen, et er temporalia beneficia Ecclesia multum in spiritualibus ad-uta est, ideoque boni ac pii reges Ecclesiæ nutritii apellati ünt. Illud enim nomen magis est benignitatis et condescensio-is quam potentiæ et majestatis. Sub qua metaphora Deo etiam ribuitur Oseæ, 2, et aliis locis. Et hunc esse sensum verborum saiæ declarant verba sequentia, ubi eisdem regibus statim sub-ungitur: «Vultu in terram demisso adorabunt te,» id est, Eccle-iam, seu Christum in ea, ut Patres exponunt. Nam quia Chris-us est caput Ecclesiæ, ait Hieronymus, recte Christus adoratur n corpore, et præsertim in Vicario suo. Recte ergo intelligi-nus, prophetiam illam ad litteram impletam esse in imperato-ibus et regibus osculantibus pedes Pontificis, vultu in terram demisso, quod multi præsentes et coram fecerunt, alii per epis-olas paratum animum ostendebant, et specialiter rex Angliæ Eduardus, in epist. ad Clementem VI. Cui consonat aliud ejus-lem Prophetæ vaticinium: «Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum.»

18. *Prærogativas a rege inductas nihil contra supremam Pontificis potestatem conducere concluditur.—Solutio.* —Constat gitur manifeste, ex hujusmodi notis regiæ dignitatis nihil aliud olligi, quam regibus deberi honorem et obedientiam intra suam itionem, et in materia illi subjecta, quod nullus est qui neget, on vero licet inde inferre aliquid quod pontificiæ dignitatis de-oget. Nam omnes illi tituli sacerdoti, et præsertim Summo Pontifici excellentiori modo conveniunt, ut obiter declaratum st. Et præterea sacerdotes et Apostoli dicuntur Ecclesiæ fun-amenta, sal terræ, lux mundi, ministri Christi, dispensatores ysteriorum Dei, adjutores Dei, parentes, seu genitores filio-um Dei, ad Galat., 4, et 1 ad Cor., 4, mediatores inter Deum et omines, legati Christi et Dei, 2 ad Cor., 5, et ad Ephes., 6, lavigeri regni cœlestis, ac proinde thronum regalem habentes, on terrenum, sed cœlestem, ut dixit Chrysostomus, homil. 5

de Verb. Isaiæ. Denique a Christo et Apostolis pastores nominantur, utique rationalium ovium, id est, duces et rectores gregis Christi, ut dixit Ambrosius, lib. 2 in Lucam, et lib. 1 de Dignit. Sacerd., c. 2. Potuissetque rex Angliæ nomenclaturam hanc etiam regi tribuere, quia Davidi dictum est: «Tu pasces populum meum Israel,» 2 Reg., 5, et inde posset contra nos apparentius argumentum sumere, quia nos ex verbo pascendi, Petri potestatem colligimus. Sed ad hoc etiam facile respondemus, verbum pascendi, cum metaphoricum sit, diversa posse significare, et juxta subjectam materiam, et alia Scripturæ loca, et Patrum interpretationem intelligendum esse. His autem modis manifestum est, dictum de David solum significasse gubernationem civilem et temporalem, ut ibidem, et c. 7, statim explicatur, cum dicitur, «ut sit dux super populum meum Israel,» etc. Dictum autem de Petro significat altiorem et spiritualem gubernationem per potestatem ligandi atque solvendi, et claves regni cœlorum, quibus necesse est temporales reges subjici, si cœleste regnum consequi velint.

CAPUT XXV

Alteri objectioni, et factis regum quæ in veteri testamento narrantur sumptæ, satisfit

1. Pro fundamento hujus objectionis conatur rex ex Scriptura ostendere, reges in Judæorum populo «cuncta moderatos esse,» quæ ad ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinent. Quia cum credendum non sit, eos jurisdictionem a Deo non datam usurpasse (cum reges etiam justi et sancti actiones illas exercuerint), recte infertur, potestate regia omnia fecisse. Unde ulterius etiam efficitur, idem posse nunc reges in Eccle-

sia Christi, tum quia neque illi antiqui reges aliam potestatem habebant, præter regiam; neque nunc minor est regum potestas, quam tunc fuerit.

2. *Objiciuntur variæ actiones regum.—Responsio ad singulas.—Jure naturali tenentur reges idola auferre.*—Ut ergo fundamentum illud suadeat, inducit imprimis locum 2 Paralip., 14, ubi tria de rege Josaphat referuntur. Primum, «abstulisse lucos de terra Juda, egressum esse ad populum suum, et revocasse ad Dominum Deum patrum suorum.» Item in Jerusalem «constituisse levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus.» Ex his autem nihil colligi potest, nam lucos auferre, seu idola, quod et alii reges Israel fecerunt, Asa, 3 Reg., 15, et Ezechias, 4 Regum, 18, hoc (inquam) etiam ad reges temporales ex officio pertinet. Nam colere idola est contra rationem naturalem, et contra commune bonum humanæ civitatis, seu reipublicæ. Unde etiam seclusa fide reges gentium ad hoc ipsum tenerentur, si naturali lumine rationis convenienter uti vellent, majorique ratione ad hoc tenentur reges fideles, sive in lege veteri, sive nunc in lege gratiæ. Illa ergo actio non est propria spiritualis seu ecclesiasticæ potestatis, sed communis utrique, seu utriusque fori, ut aiunt, quia ad finem utriusque potestatis conducit. Maxime vero quoad executionem ejus solet esse necessaria potentia regum, ut erat revera in populo Israelitico propter duritiam ejus, et ideo maxime laudantur reges qui idola destruxerunt; qui vero illa induxerunt, vel in eis evertendis fuerunt negligentes, maxime reprehenduntur et notantur. Ex illa ergo actione nihil colligitur, ut magis statim in alia simili declarabitur.

3. Et ad hoc genus actionis spectat, quod multi ex regibus populi Judaici reprehenduntur, eo quod excelsa non abstulerint. Sive enim illa «excelsa» fuerint aliqua idola in excelsis montibus vel collibus ad cultum posita, sive fuerint quælibet altaria in variis montibus aut locis, extra templum seu locum tabernaculi ad immolandum etiam vero Deo erecta, fere semper

illa vox in Scriptura in malam partem accipitur, et significat locum, in quo indebite et superstitiose sacrificabatur. Quia vel idolo immolabatur, vel si vero Deo, non secundum voluntatem ejus, id est, non in loco ab eo deputato, id est in templo jam ædificato, vel antea in loco tabernaculi. De quo videri potest Abulensis, 3 Reg , 3, q. 3. Illo igitur modo quo possunt et debent reges idola evertere, tenebantur etiam reges Israel «excelsa» auferre, non tanquam Pontifices, sed tanquam executores, et adjutores Pontificum. Et ideo in illis contraria negligentia specialiter reprehenditur, quia potestate sua efficacius valebant illa destruere, quam Pontifices doctrinis vel præceptis suis, et præterea quia de regibus ibi præcipue historia texebatur.

4. *Josaphat per sacerdotes populum ad Deum adduxit.*—Idem fere in secunda actione considerari potest. Cum enim ibi dicitur, «Josaphat rursum egressum esse ad populum suum, et revocasse illum ad Deum,» non per se ipsum, sed per nuncios, vel ministros aliquos id fecisse intelligendum est, ut communiter ibi interpretes notant. Nam illa particula «rursum,» jam prius iterum egressum fuisse indicat; non legitur autem alius egressus Josaphat ad populum suum, præter id quod legitur 2 Paralip., 7, scilicet, «tertio anno regni sui misisse de principibus suis, ut docerent in civitatibus Juda, et cum eis Levitas et sacerdotes;» hoc ergo ipsum dicitur in cap. 19 iterum fecisse, scilicet, misisse qui circumirent cunctas civitates ad docendum et erudiendum populum in lege Domini. Hæc autem actio, licet per se et ex officio pertineat ad Pontifices et sacerdotes, suo tamen modo etiam regum est suum providentiæ modum circa illam exhibere. Sic enim etiam nunc reges catholici dicuntur mittere prædicatores ad gentes sibi subditas, quia ad voluntatem, seu petitionem eorum, et sub eorumdem protectione atque ipsorum expensis mittuntur. Ita ergo Josaphat ex providentia regis fidelis, ac zelum Dei habentis, potuit per prædicatores et Doctores egredi ad erudiendum populum, servato tamen ordine et modo, secundum ritum illius temporis necessario. Et

ideo dicitur misisse sacerdotes et Levitas, ad quos illud munus per se pertinebat.

5. *Cur Josaphat principes cum sacerdotibus miserit.* — Quod autem etiam miserit quosdam de «principibus suis,» non obstat, etiamsi fateamur illos principes non fuisse de tribu Levi, sed mere laicos, cum a Levitis distinguantur; hoc, inquam, non obstat, tum quia vel illi laici mitti potuerunt, non ad docendum, sed ut Levitas et sacerdotes tuerentur, et rebelles ac idololatras, qui tunc erant, in officio continerent, et, si opus esset, etiam ad audiendum verbum Dei cogerent. Vel certe licet illi etiam docerent, nullum est inconveniens, quia licet ad laicos non pertineret, vel dubia legis resolvere, aut doctrinam fidei definire (hoc enim sacerdotibus commissum erat, Deuter., 17), nihilominus poterant esse docti, et eruditi in lege ac fide, ut alios instruere et exhortari possent, hoc enim neque ex natura rei malum est, nec invenitur in lege veteri prohibitum, maxime cum id facerent ex consensu sacerdotum. Sicut Actor., 13, cum Paulus et Barnabas ingressi essent quamdam synagogam, principes synagogæ miserunt ad eos dicentes, «Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite,» cum tamen Paulus de tribu Levi non esset, et ideo a Judæis tanquam mere laicus reputaretur (1). Simileque exemplum de Christo habemus Luc., 4. Sic igitur actio illa Josaphat recte intellecta non pertinuit ad propriam ecclesiasticam gubernationem, sed ad regiam protectionem, et fidei defensionem ac propagationem, quod munus jura etiam canonica christianis regibus commendant.

6. Tertia actio fuit constituere judices. Et ibi etiam Levitæ, sacerdotes et principes numerantur. Ubi etiam duo similia explicanda sunt, scilicet, quomodo ad regem pertinuerit Levitas et sacerdotes in eo munere constituere, et quomodo cum eis laicos principes miscuerit. Utrumque autem facile intelligetur,

(1) Videndus Joan. Lorinus, ibi.

si alia verba, quæ inferius adduntur, considerentur, scilicet: «Amasias autem sacerdos et Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit; porro Zabadias, filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.» Ubi aperte distinguuntur officium regis et officium Pontificis, et hic præsidere dicitur in his, quæ ad Deum spectant, rex autem vel vicarius ejus in his quæ ad homines. Ita ergo cum dicuntur constituti sacerdotes, Levitæ et Principes ad judicium faciendum, duplex sub illa voce comprehenditur judicium, ut recte Cajetanus ibi notavit, scilicet, sæculare, et quasi ecclesiasticum, seu ad res sacras pertinens. Et ita facile expeditur posterior interrogatio; non oportet enim judicia, vel personas miscere, sed cum partitione accommoda eos intelligere, nam principibus sæcularibus sæculare judicium committi debuit, Levitis autem ecclesiasticum. Et ita plane oportet intelligi, cum alteri judicio præesse deberet Pontifex, alteri vero gubernator regius, quando et quomodo oporteret.

7. *Josaphat solum designavit sacerdotes potestatem judicandi a Deo habentes.* — Atque eadem fere ratione, quamvis rex dicatur constituisse utrosque judices, non oportet eodem modo de omnibus intelligi, nam judices laicos constituit per se et virtute sua, eligendo illos, et dando illis potestatem; Levitas autem et sacerdotes non ita, sed solum applicando et designando illos ad tale munus, nam potestatem illud exercendi ex institutione divina habebant, vel per Pontificem Summum. Quod declaratur ex aliis verbis: «Amasias sacerdos, et Pontifex vester, præsidebit in his quæ sunt ad Deum, Zabadias in aliis;» quæ licet videantur eodem modo dicta, nihilominus respectu Pontificis non efficiebant, ut sic dicam, seu conferebant potestatem, sed declarabant quid jure suo ad Pontificem pertineret, ut patet ex Deuteron., 17. Respectu vero civilis præsidis, a rege manabat potestas, quia pro rege specialiter constituebatur. Ita ergo licet uno verbo dicatur constituisse hos et illos judices, nihilominus cum distributione accommodata, et legi ac debito

ordini consentanea, de singulis intelligendum est. Principes ergo per se et vi sua judices fecit, Levitas vero solum ad modum causæ per accidens, quasi applicando seu nominando personas, non tamen sine consensu Pontificis eos creando. Atque ita hæc actio fere ejusdem rationis est cum præcedenti, et non pertinet ad propriam jurisdictionem ecclesiastici regiminis, sed solum ad sollicitudinem quamdam, piumque fidelis regis zelum, ut in aliis explicatum est.

8. *Quarta actio a rege Jacobo inducta solvitur.* — Deinde addit rex aliam actionem, quam possumus quarto loco numerare, scilicet, «corruptelas purgare, et abusus tollere.» Ad hanc vero probandam solum adducit locum 2 Reg., vel, ut ipse allegat, 2 Samuel, 5, n. 6, ubi nulla fit mentio de corruptelis purgandis, aut abusibus tollendis; sed solum refertur, cum David iisset in Jerusalem ad Jebusæum, ut civitatem expugnaret, dictum esse illi ab habitatoribus civitatis: «Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, et claudos dicentes: Non ingredietur David huc.» Hæc autem verba non possunt applicari ullo modo ad reformationem morum, vel ablationem abusuum, quia nec de hac re ibi agebatur, neque cogitari potest Jebusæos hoc voluisse consulere Davidi sub illa quasi metaphorica locutione. Unde licet illa verba sint obscura, et ideo ab interpretibus varie exponantur (ut in Glossa, Theodoreto, Abulensi, Carthusiano, Cajetano, et aliis ibi videre licet), nihilominus omnes conveniunt, illis verbis solum fuisse propositum Davidi, ut medium necessarium ad civitatem capiendam, tollere cæcos et claudos. Sive per has voces significentur aliqui inimici David ex Jebusæis, qui insurrexerunt dicentes: «Non ingredietur David huc,» et «cæci appellantur propter errorem mentis, et «claudi,» quia non recte cum David ambulabant. Sive revera fuerint corporaliter claudi et cæci positi supra muros civitatis ad defendendam illam, in ludibrium et irrisionem David (ut videtur probabilius, et magis consentaneum textui secundum Vulgatam editionem); in neutro vero sensu quicquam ad præsentem causam refert, quia de pur-

gandis corruptelis nihil ibi agitur. Nam licet statim subjungatur, proposuisse David præmium pro auferentibus cæcos et claudos, odientes animam David, et inde ortum esse proverbium, «Cæcus et claudus non intrabunt in templum,» non potest inde verisimiliter inferri, Davidem, auferendo cæcos et claudos, voluisse significare, ad se pertinere abusus tollere, et corruptelas purgare; quæ est enim hæc consecutio, connexio, vel conjectura? profecto esse non potest nisi mera divinatio.

9. *Alia adjungitur actio a rege Jacobo.* — Ad hanc vero actionem pertinet etiam alia, quam infra rex ponit, dicens de regibus, «reformationes publicas instituere, convocatis eo fine et congregatis promiscue sacerdotibus, et laicis;» nam ad reformationem publicam maxime spectat, abusus tollere et corruptelas purgare. Ad probandas autem illas reformationes, solum adducit locum jam tractatum 2 Paralip., 17, unde solum habetur, Josaphat ordinasse seu procurasse quamdam reformationem, mittendo principes, sacerdotes et Levitas, qui, docendo et instruendo populos in lege Domini, illos reformarent. Cur autem laici cum Levitis missi fuerint, jam declaratum est, neque ibi legitur alia congregatio ex laicis et Levitis promiscue facta. Sicut ergo diximus missionem illam non fuisse actum jurisdictionis, ita de hac reformatione dicendum est.

10. *Suo modo regibus competit abusus tollere.* — Quapropter (quidquid sit de probationibus) facile concedimus pertinere ad reges intra ordinem suum, et modo sibi accommodato abusus tollere, et corruptelas sui regni purgare. Nam imprimis si corruptelæ et vitia sint contra naturalem justitiam, vel civiles leges justas, vel contra pacem reipublicæ, ad regem directe pertinet, subditos suos a talibus vitiis repugnare. Si vero vitia sint in materia religionis, vel fidei, postquam per eamdem fidem vel per Pontifices (ad quos voluntatem Dei explicare pertinet) illos esse abusus et corruptelas constiterit, etiam ad regem pertinet hujusmodi abusus tollere, vel pœnis et coercitione in sibi subditos utendo, vel etiam sollicite procurando, ut ecclesiastici

pastores simul in hoc suam operam adhibeant, vel denique forti brachio suo occasiones pravarum consuetudinum tollendo, sicut paulo superius de idolorum destructione dicebamus. Nam illa profecto erat in illo populo præcipua pars reformationis morum, et purgationis corruptelarum. Quamvis ergo expresse in veteri Testamento diceretur reges abstulisse abusus, et corruptelas purgasse, modo prædicto, et sine ulla usurpatione primatus ecclesiastici intelligi posset et deberet. Sicut etiam nunc Catholici et pii reges abusus et corruptelas suarum ditionum auferunt. Imo et inferiores principes in suis territoriis, et privatus paterfamilias in domo sua, potest pro modo suo, et juxta capacitatem suam corruptelas a domo sua expellere, et omnem, vel politicam, vel œconomicam providentiam adhibere, quæ ab ipso circa suos subditos exerceri valet, et ad illum finem potest deservire.

11. Atque ad hoc caput spectat exemplum aliud, quod idem rex adducit ex 4 Reg., 18, de serpente æneo ab Ezechia confracto. Illud enim ad similem reformationem et abusuum ablationem pertinet. Nam (ut lib. 2, c. 12, dixi) licet ille serpens Dei jussu fabricatus fuerit, et bonam habuerit significationem, propter quam bonum etiam usum in principio habuit, nihilominus postea cœpit esse Hebræis in occasionem scandali et ruinæ propter illius populi ignorantiam, mentisque cæcitatem, ac duritiam cordis ex prava consuetudine generatam. Ideoque recte potuit rex, serpentem confringendo, illam occasionem ruinæ populo tollere. Quamvis enim ex Dei præcepto factus esset, non propterea jusserat Deus illum conservari, sed ad memoriam divini beneficii, prudenti et pio arbitrio præcedentium principum illius populi servabatur; postquam vero cœpit irreligiose coli et adorari, confringi debuit, juxta legem præcipientem: «Confringite statuas, lucosque succidite.» Et quia hæc lex non solum ad sacerdotes, sed etiam ad reges loquebatur, ideo potuit Josaphat, non jurisdictionem sacerdotalem exercendo, sed legem implendo, serpentem frangere.

12. *David non tetigit arcam Dei.* — Quinto loco ponimus actiones alias recensitas a rege, quæ multo minus quam præcedentes ad causam conducunt : talis quidem est, «arcam Dei ad constitutum locum perducere», 1 Paralip., 13. Nam David, de quo ibi est sermo, non portabat arcam, nec contingebat illam; primum enim solis Levitis, secundum autem solis sacerdotibus licebat, Numer., 4, 2 Reg, 6; non autem Davidi, licet esset rex. Et ideo tantum honoris divini causa arcam comitabatur, quod non solum regi, sed cuilibet de populo licebat, ut paulo inferius ibidem dicitur : «David, et omnis domus Israel ducebant arcam», etc. Et simile habetur 3 Reg., 8. Sed additur, «regem David arcæ præsaltasse.» Sed quid tum? eratne illa actio propria sacerdotum aut regum? profecto magis propria videri poterat hominum inferioris conditionis. Unde paulo inferius in eodem loco, despectus et reprehensus fuit David a Michol, non quia actionem magnæ dignitatis exercuisset, sed quia «tanquam unus de scurris factus esset; ipse vero ex magna devotione et gratitudine erga Deum, respondit : «Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.» Non ergo censuit David illam actionem fuisse dignitatis sacerdotalis, nedum pontificiæ, vel supra illam, sed fuisse magnæ humilitatis, et reverentiæ erga Deum, et ad hoc indicandum expressit Scriptura personam David; addidit vero, 2 Reg., 6 : « David et omnis Israel ludebant coram Domino.»

13. *Facta Salomonis a rege objecta* 1 *Paral.*, 28, 2 *Paral.*, 1. — *Hæc facta nullam spiritualem potestatem præ se ferunt.* — Ejusdem ordinis sunt facta quædam Salomonis, ex quibus etiam regium argumentum sumptum est, scilicet, «templum ædificare, ædificatum dedicare, et sua præsentia consecratum honestare.» At hæc omnia hodie etiam nunc reges faciunt; imo etiam alii inferiores, pii et potentes viri, et non propterea opus ecclesiasticæ potestatis, nedum primatus, exercere censentur. Nam ædificare templum de se tantum est actus religionis, qui præter piam voluntatem solum requirit ex parte ædificantis fa-

cultatem ad necessarios sumptos, ex parte vero Dei necessaria est acceptatio per se, vel per vicarios suos. Tunc autem Deus speciali revelatione satis voluntatem suam ostenderat, ideoque ex parte Salomonis tantum regia potestas et magnificentia cum pia et fideli voluntate desiderari poterat; ergo nihil aliud ex illo facto recte colligitur.

14. *Dedicatio templi quomodo potuerit a Salomone fieri.* — Dedicare vero templum, duo potest significare. Unum est, propria aliqua actione religiosa consecrare illud; aliud est, propria voluntate exterius manifestata illud Deo offerre et donare. Priori modo, dedicare templa pertinet ad sacerdotes vel Pontifices. In illius autem templi dedicatione hæc actio non videtur alia fuisse, nisi vel ex parte hominum sacrificiorum oblationes, quæ ad solos sacerdotes pertinebant, ut jam explicabo; vel ex parte Dei præsentia illa, seu descensus sub specie nebulæ, quæ templum replevit, ad significandum Deo placuisse dedicationem illam, et ideo, ut dicitur 3 Reg., 8, «implevisse gloriam Domini, Domum Domini», quæ actio non fuit hominis, sed divinæ dignationis, cui rex Salomon testimonium dedit, dicens: «Dominus dixit ut habitaret in nebula.» In hoc ergo sensu non potest dici rex Salomon dedicasse templum, neque id de Salomone legitur, nec rex Angliæ illi hoc tribuit, cum solum dicat, sua præsentia opus consecrationis honestasse. Posteriori autem modo recte dicitur Salomon dedicasse templum. Sed inde nullum sumitur argumentum; nam quilibet potest rem vel domum suam ad divinum cultum offerre. Sicut Exod., 35, dicitur: «Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi.» Et statim subditur: «Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt.» Sic ergo in dicto loco, 3 Reg., 8, dicitur: «Dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel.» Denique quod additur, regem sua præsentia opus consecrationis honestasse, clarum est toti populo fuisse commune, et ita nihil ad rem facere.

15. Ad discernendum vero modum præsentiæ, discernendæ sunt actiones, quæ in illa dedicatione peractæ sunt : prima fuit, inferre arcam, tabernaculum, est vasa sanctuarii in templum, et de hac dicitur : «Ferebant ea sacerdotes, et Levitæ»; et additur : «Rex autem Salomon, et omnis multitudo, quæ cum illo convenerat, gradiebatur ante arcam» , ubi rex cum populo conjungitur, et a sacerdotali ordine distinguitur. Altera actio fuit sacrificiorum oblatio, et hæc fiebat sine dubio a sacerdotibus tanquam a propriis ministris; tribui autem videtur tam regi, quam populo, cum de eis dicitur : «Et immolabant et oves, et boves absque æstimatione et numero»; intelliguntur autem immolasse per sacerdotes, ut est frequens in Scriptura, et in communi etiam usu loquendi. Et sic etiam dicitur ibi : «Mactavit Salomon hostias pacificas»; et iterum : «Sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini, fecit quippe ibi holocaustum et sacrificium.» Utique per sacerdotes, in quo nulla potestas supra illos ostenditur, sed potius inferior status et conditio. Unde etiam nunc reges, sicut et cæteri laici, solum per sacerdotem offerunt. Tertia fuit actio orandi, et hæc etiam communis est toti populo. Alia denique fuit, rationem reddere populo de templi ædificatione et dedicatione, quam quidem Salomon cum auctoritate regia et tanquam singularis (ut ita dicam) illius templi patronus exercuit, nihil tamen pontificium usurpavit, neque Pontifice se superiorem ostendit. Igitur totum illud factum nihil omnino ad causam de potestate ecclesiastica, et regia, aut earum comparatione, pertinet.

16. *Alia duo ejusdem ordinis facta.—Hoc factum ad causam nihil refert.* — Denique ad probandam eamdem regis potestatem duo alia facta ejusdem fere ordinis afferuntur, quæ non majorem vim habent, quam præcedentia. Unum est, quod «librum legis e tenebris erutum populo recitare fecerunt», ex 4 Reg. 22. Verumtamen eo loco refertur quidem Elciam Pontificem ad Saphan scribam dixisse : « Librum legis reperi in domo Domini», et additur, dedisse illum Saphan, qui et legit illum,

et postea regi dixit, Elciam sibi librum dedisse, quem etiam egit Saphan coram rege. Quod autem Rex fecerit librum illum populo recitari, in eo capite non dicitur, sed solum, regem lectione libri valde commotum, misisse sacerdotes qui super ea re Deum consulerent. In cap. autem 23 additur, sacerdotes renunciasse regi quidpiam, quod prophetissa quædam dixerat, et subjungitur: «Qui misit, et congregati sunt ad eum omnes senes Juda, et Jerusalem. Ascenditque rex templum Domini, et omnes viri Juda, universique, qui habitabant in Jerusalem, cum eo, sacerdotes et Prophetæ, et omnis populis a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis»; ubi Abulensis exponit, «legit», id est, fecit legere, putat enim Saphan scribam legisse librum, quod non est alienum ab usu illius locutionis, ut ex alia simili capitis 12 recte ipse probat. Nihilominus tamen, ex 2 Paralip., 34, magis colligitur, ipsum regem per se legisse librum, nam ibi expresse dicitur: «Quibus audientibus, in domo Domini legit rex omnia verba voluminis. In hac vero historia quid, quæso, est, quod in rege pontificiam potestatem vel primatum ostendat? An congregare populum, aut legere librum? neutrum sane. Nam congregare populum non est de se spiritualis seu ecclesiastica actio, sed indifferens, quæ auctoritate regia propter varios fines fieri poterat. Ut autem tunc fieret propter spiritualem finem, non provenit ex potestate spirituali regis, sed ex sancto zelo, et intentione illius. Rex enim fidelis, divina gratia, et fide adjutus, potestate sua regia et civili in spirituale bonum sui populi sæpe uti potest, quia licet proxime in materia civili vel indifferenti operetur, potest ad dictum finem illam referre. Legere autem librum, magis fuit opus dignationis, humilitatis ac devotionis, quam potestatis. Et quamvis ipse non legisset, sed recitari fecisset, nullam majorem auctoritatem ostenderet, quia perinde est, per se fecisse, vel per Saphan scribam, et ministrum suum, et quia, licet liber esset sacer, actio legendi illum sacerdotibus et laicis communis est.

17. Aliud factum est, quod illi reges «fœdus inter Deum et populum aliquando redintegrarunt.» Citaturque in margine Apologiæ regis locus Mehem., seu 2 Esdræ, 9, in fine. In illo tamen loco non dicitur, regem redintegrasse fœdus inter Deum et populum, nec dici poterat, quia eo tempore jam non erant reges in Israel. Cum ergo in principio illius capitis dictum fuisset: «Convenerunt filii Israel in jejunio et in saccis;» et infra additum esset: «Surexerunt autem super gradum Levitarum Josue, et quidam alii, et dixerunt: Surgite, benedicite Domino,» etc., in fine capitis concluditur: «Nos ipsi percutimus fœdus, et scribimus, et signant principes nostri, Levitæ nostri, et sacerdotes nostri.» Ex quo contextu plane constat, totum populum, vel sua sponte, vel Levitarum verbis excitatum fœdus redintegrasse, et ideo principes nomine totius populi cum Levitis et sacerdotibus fœdus consignarunt. Quod si quis fortasse ponderet, «principes» (quos laicos fuisse verisimile est) primo loco poni, advertat, etiam Levitas sacerdotibus anteponi, et inde conjectet, posteriorem locum in illo ordine digniorem videri, ut sæpe contingit. Allegatur etiam in eadem margine secundus Regum (nobis quartus) cap. 8, num. 4, sed in toto illo capite nihil invenio. Negare autem non possumus in c. 23, supra tractato, post lectionem libri fœderis addi, «Stetitque rex super gradum, et fœdus percussit» coram Domino. Et paulo post additur: «Acquievitque populus pacto.» Sed in hoc etiam facto nihil aliud, nisi pietas et sanctus zelus principis relucet. Nam illa redintegratio, seu percussio fœderis nihil aliud erat, nisi renovatio quædam fidelitatis ad Deum, seu quasi nova promissio obedientiæ ad legem ejus; hanc autem quilibet homo, vel quilibet populus vel sua sponte, vel alterius exemplo aut verbo provocatus facere potest. Ita ergo illam fecit prædictus rex, et in illa facienda alios anteivit, ut suo exemplo et verbo alios provocaret. Unde recte Cajetanus ibi notat: «Vide quanti boni causa bonus sit Princeps.»

18. Ex his ergo omnibus exemplis et testimoniis, nulla spi-

itualis jurisdictio, vel specialis potestas, in his quæ ad Deum ertinent, in regibus tempore legis veteris fuisse ostenditur. Optime vero ostenditur, bonum ac fidelem regem defensorem sse debere divinæ fidei, ac veræ religionis, et diligenter cura- urum ut omnes errores, et superstitiones contra veram, et ab Ecclesia approbatam doctrinam, vel ingressum non habeant, vel ubi inventi fuerint, expellantur. Hanc ergo fidelitatem ad Deum prædicti reges boni ostenderunt, et in lege nova Constan- inus, Carolus Magnus, et Quintus, et alii reges catholici sum- ma pietate observarunt, quamvis se non Ecclesiæ Parentes, ut Prælatos, vel Prælatis superiores, sed filios, subditos et protectores agnoscerent.

CAPUT XXVI

Argumento sumpto ex comparatione regis et Pontificis satisfit

1. *Objetio regis ex facto Salomonis.*—Post reliqua facta re- gum Israel, inducit rex Angliæ factum Salomonis, qui «Abia- thar Sacerdotem exauthoravit, ut non esset Sacerdos Domini,» t ipse refert, indeque colligit, regem fuisse Pontifice superio- rem, ut inde concludat, idem in Christi Ecclesia servandum esse. Fundaturque hoc argumentum in loco 3 Reg. 2, ubi Salomon quasi in exilium ire jussit Abiathar Pontificem, dicens: «Vade in Anathoth agrum tuum; equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini,» etc. Et infra con- cluditur: «Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini.» De hoc auten facto numquam in Scriptura reprehen- itur Salomon; imo c. 3, abditur: «Dilexit autem Salomon Do- minum, ambulans in præceptis David Patris sui, excepto quod in excelsis immolabat.» Quæ exceptio qualiscumque illa sit quod nunc non refert), ostendit, Salomonem usque ad illud

tempus servasse alia præcepta, et consequenter in facto illo non peccasse. Imo aliqui in eodem facto clementiam Salomonis commendant, quia cum Abiathar esset dignus pœna mortis, propter sacerdotis munus, quod exercuerat, et quia laborum patris sui particeps fuerat, vitam ei condonavit, et in mitiorem exilii et depositionis pœnam commutavit. Ut autem illa eadem pœna juste illata fuerit, necessarium est ut Salomon jurisdictionem et superiorem potestatem in Pontificem habuerit; ergo rex tunc erat Pontifice superior. Quod hoc argumento inter alia ducti fatentur ibi Abulensis, quæst. 28 et 31; et fuit sententia D. Bonaventuræ, in tractatu de Ecclesiast. Hierarch., part. 2, § 1, in fine et in 4, distinct. 24, in expositione litteræ, quam etiam tradidit Divus Thomas, si ejus est opusculum 20, lib. 1 de Regim. principum, c. 14, in fine, quem multi etiam alii graves auctores secuti sunt. Ex hoc ergo facto infert rex Angliæ, etiam in lege nova regem esse Pontifice superiorem, ac subinde habere primatum in regno suo.

2. *Factum Salomonis nullam in eo potestatem spiritualem indicat.*—Hæc vero objectio fundatur in re valde dubia, scilicet, an in lege veteri Pontifex esset exemptus a jurisdictione regis quoad delicta et judicium seu pœnam illorum, quam hic disputare nolumus, quia non putamus veritatem fidei, quam docuimus, ex quæstione illa inter Catholicos controversa pendere. Præsertim quia, ut sæpe dixi, quæstio de exemptione clericorum a jurisdictione laicorum in temporalibus, diversa omnino est a quæstione de primatu et de potestate in spiritualibus. Ex illo autem facto ad summum colligi potest, Pontificem in lege veteri non fuisse exemptum a jurisdictione regia, quoad tribunalia sæcularia, sive civilia, sive criminalia. Inde vero inferre non licet, regem Salomonem habuisse jurisdictionem aliquam in spiritualibus, seu pertinentibus ad Deum, quia causa illa temporalis fuit. Nam crimen, quod Abiathar commisisse supponitur, fuit læsæ majestatis, propter conspirationem cum Adonia contra Salomonem. Pœna item exilii temporalis erat. Depo-

tio autem a pontificali munere vel consecuta est ex priori æna exilii, vel solum fuit separatio quædam ab usu illius mueris, quod facilius tunc fieri potuit, quia duo tunc eo munere ungebantur, scilicet, Sadoc et Abiathar, et ita potuit ex justa causa removeri Abiathar, ut solus Sadoc Pontificatum gereret. t fortasse sicut sacrificia illius temporis carnalia erant, et cæmoniæ illæ vocantur a Paulo, «justificationes culturæ, et sanctum sæculare,» ad Hebr, 9, ita pontificatus ille non erat adeo piritualis, quin posset quis propter gravissimum crimen læsæ majestatis illo privari ab eadem læsa majestate, si jurisdictio i non deerat. Etenim si poterat illum vita privare, ut verba a indicant: «Equidem vir mortis es,» etc., quid mirum quod osset illum pontificatu privare?

3. *Etiam in veteri Testamento Pontifex rege superior extitit. Ozias rex punitus fuit quia sacerdotum munus subire tentavit.*— ddo vero ulterius, etiam hoc concesso seu permisso, non sequi ontificatum eo tempore non fuisse et dignitate, et potestate, mpliciter superiorem regi. Probatur, quia imprimis illa mura erant omnino distincta, et impermista per se, seu directe. am de rege supponimus habuisse supremam potestatem in mporalibus, quod verum simpliciter est de potestate directa, ve extenderetur ad sacerdotes et Pontificem, sive non, a qua unc quæstione abstrahimus, ut dixi. Deinde Pontifici comissa erat potestas, et administratio spiritualium, seu in his, uæ ad Deum, et ad fidei doctrinam, et legis declarationem rtinebant, ut constat ex Deuter., 17: «Si difficile et ambium,» etc., usque ad illud: «Qui autem superbierit nolens edire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino eo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille,» etc. Et ideo Paralip., 19, præsidere dicitur in his quæ sunt ad Deum. In his go non poterat rex se intromittere, ut satis probatur ex facto ziæ regis, qui cum ministerium sacerdotis exercere tentasset, olendo incensum super altare thymiamatis, et sacerdotibus sistentibus comminaretur, percussus est lepra usque ad diem

mortis suæ, ut refertur 2 Paral., 26. Quod factum late expendens Chrysostomus, Homil. 4 de Verbis Isaiæ, etc., sic ad regem affatur: «Mane intra terminos tuos; alii sunt termini regis, alii termini sacerdotii.»

4. Quod autem inter illas duas dignitates major simpliciter fuerit pontificia, expressis verbis subjungit idem Chrysostomus, dicens: «Hoc regnum,» utique sacerdotale, «illo majus est,» id est temporali. «Neque enim (ait) ex his, quæ videntur hic, declaratur rex, neque e gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus est, debet æstimari rex. Ille quidem ea, quæ sunt in terris, sortitus erat administranda, cæterum sacerdotii jus e supernis descendit.» Quod postea late prosequitur. Et quamvis sæpe et in multis de sacerdotio novæ legis loquatur, tamen de veteri etiam loquitur, unde inferius ait: «Major hic principatus, propterea rex caput submittit sacerdotis manui, et ubique in veteri Scriptura sacerdotes inungebant reges.» Unde item Chrysostomus, in Psal. 113, exponens illa verba: «Domus Israel speravit in Domino; adjutor eorum, et protector eorum est; domus Aaron speravit in Domino, adjutor eorum et protector eorum est,» excellentiam sacerdotii inde colligit, dicens: «Dividit orationem in Israelem, et genus sacerdotale, quia non est conferendus privatus cum sacerdote, sed hic eum longe superat.» Itaque majoris honoris causa putat, sacerdotale genus divisum esse a reliquo populo filiorum Israel, sub quibus reges etiam comprehendi manifestum est. Eamdemque excellentiam multi colligunt ex eo quod, Levit., 4, nobilior victima pro Pontifice quam pro rege offerri præcipitur; illud enim fuisse indicium excellentioris dignitatis, notavit Philo, lib. de Victimis, et sequuntur ibi Theodoret., Procopius, et alii. Et ex 19 Exodi, n. 27 et 35, solent alia indicia hujus excellentiæ desumi.

5. *Ratione dicta Pontificis præeminentia ostenditur.*—Ratio vero majoris dignitatis sumi potest ex materia utriusque muneris: nam pontificatus, etiam legalis, proxime ordinabatur ad Deum, et non attingebat homines, nisi per ordinem ad Deum;

egnum vero e contrario totum versatur circa homines, et uantum est ex se, seu ex vi sui objecti, non attingit Deum, isi quantum ad hominum et reipublicæ bonum expedit. Unde ıateria pontificatus altioris ordinis, et aliquo modo spiri-ıalis, etiam tunc erat. Ac denique sicut virtus religionis al-or est quam justitiæ, ita pontificatus, ad quem munera eligionis spectant, dignior est regno, cujus est tractare jus-tiam. Hæc enim ratio etiam in lege veteri locum habebat. tque eadem fere proportione ostendi potest excessus non tan-ım in dignitate, sed etiam in potentia. Nam quod Pontifex ınc etiam haberet suam potestatem, non solum ad ministran-um, sed etiam ad præcipiendum, et judicium in controversiis e lege vel doctrina ferendum, negari non potest, ex locis cita-s Deut., 17, et 2 Paralip., 19 Quod vero ejus potestas in suo rdine suprema fuerit, probant illa verba Deuter., 17: «Qui ıperbierit, nolens obedire sacerdotis imperio», etc. Et ex eis-em colligi potest, etiam regem comprehendere; nam univer-lia sunt; ergo etiam rex erat subjectus huic potestati Ponti-cis, tenebaturque stare definitionibus ac decretis ipsius, ejusque ræceptis in sua materia obedire; ergo ex hac parte erat Pon-fex rege superior. Quod si fortasse Pontifex quoad temporalia el civilia crimina subjiciebatur regi, et ideo diversis respecti-ıs et fundamentis mutuam relationem inferioris et superioris ter se habebant, nihilominus propter excessum in materia et ne, potestas Pontificis major et superior simpliciter appellari otest.

6. *Ex facto Salomonis etiam civilis potestas ejus supra Pon-ficem non satis colligitur.*—Addo præterea ex facto illo Salomo-s (quod ad præsens spectat) non satis colligi, habuisse regem risdictionem supra Pontificem in causa temporali seu crimi-li (quidquid sit, an possit aliunde probari). Probatur primo ia multi censent Salomonem non ut regem, sed ut Prophe-m, deposuisse Abiathar, ut Theodoretus ibi, q. 9, et Procop. idem, et plures ex modernis. Et fundantur in subjectis ver-

bis: «Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo.» Erat enim Abiathar ex semine Heli, cui per Samuelem prædixerat Deus, 1 Reg., 2, fore aliquando, ut pontificatus familiæ suæ auferretur, propter peccata filiorum ejus, quæ fortasse fuerunt in Abiathar completa. Salomon autem spiritu prophetico id intelligens, et divino instinctu permotus executioni mandavit, quod Deus fuerat comminatus. Quod si hoc ita est, nihil ex illo loco colligi potest de potestate seu jurisdictione ordinaria regum supra Pontifices, quia illa fuit extraordinaria. Atque hæc responsio facile sustineri potest, probari autem difficile; quia verba illa, «ut impleretur», etc., frequenter dicuntur, etiamsi comminationes Dei per malos ministros, et mortes aut violentias injustas impleantur. Quia per illa verba non redditur ratio quæ movet hominem ad operandum, sed quæ Deum movit ad permittendum, seu tantum significant consecutionem unius ex alio, non causam. Sicut de militibus crucifigentibus Christum dicitur, divisisse vestimenta, «Ut impleretur», etc., Matth., 27. Nihilominus tamen illa responsio probabilis est, quam auctoritate Innocentii III, in libro sequenti, confirmabimus, et eam defendit Cardinal. Bellarminus, tum ex aliis Scripturæ locis, tum ex ponderatione verbi hebraici, in c. 15, contra Barclai.

7. Alii vero non dubitant dicere Salomonem in eo facto injuste egisse, usurpando potestatem quam non habebat. Ego vero id affirmare non audeo, propter verba Scripturæ, quæ ex c. 3 allegavi, et quia apud antiquos Patres, et expositores non invenio factum illud inter peccata Salomonis numeratum, eive in culpam tributum. Quocirca si nec jurisdictionem, nec peculiarem instinctum, aut revelationem habuit, potius excusarem illum, dicendo, relegase vel separasse Abiathar, qui contra ipsum conspiraverat, non puniendo delictum, sed quasi defensioni suæ, et conservationi pacis et regni consulendo. Nam si Abiathar contra ipsum conspiraverat, et Adoniæ amicitia con-

nctus erat, timere non immerito poterat Salomon, ne post doniæ mortem Abiathar in pontificatus ministerio, et Hierolymis manens, aliquid in suam perniciem moliretur. Tales go circumstantiæ tunc occurrere potuerunt, ut posset rex udenter et sine peccato illo modo cogere Pontificem, etiamsi risdictionem in illum non haberet.

8. *Argumentum, ex veteri pontificatu ad novum desumptum, llum est in præsenti causa.*—Addo vero ultimo, etiam si dare-us (quod nunc non concedimus) Pontificem in lege veteri non isse exemptum a potestate coerciva regis, nullum inde argu-entum sumi ad tempus legis gratiæ. Nam potestas regum in ge gratiæ in se non est major quam fuerit in lege veteri; in raque enim est mere civilis, et naturalis ordinis ac originis, amvis in lege veteri fuerit specialiori modo a Deo collata. gnitas autem et potestas pontificia est longe major, et altioris linis, ut ex hactenus dictis satis constat, et in tractatu de gibus dictum est. Ideoque nullum argumentum fieri potest a ntifice veteri ad Christi Vicarium, in his, quæ ad subjectio-m et imperfectionem pertinent. Nam Mosaico Pontifici non nt datæ claves regni cœlorum, neque illa potestas ligandi et vendi, cujus actio in terris rata habetur in cœlis, quæ Sum-o Pontifici Vicario Christi datæ sunt cum suprema Ecclesiæ bernatione longe majori, quam haberet vetus Pontifex ad re-ndam synagogam, cui nullibi dictum est: «Pasce oves meas», ut dictum est Petro. Ergo multo magis pugnat cum pontifi-tu legis novæ subjectio ad temporalem principem, quam in ge veteri repugnaret, ac proinde ex factis legis veteris nullum gumentum ad legem novam sumi potest. Præterquam quod ntificatus illius legis ad cæremonialia ejus pertinebat, quæ n omnino cessarunt, et nova institutio facta est, secundum am suprema potestas et exemptio Vicario Christi data est.

9. *Instantia hæreticorum.*—*Responsio.*—Sed urgent adver-ii, postulantes a nobis ut hanc institutionem ex Scriptura

ostendamus, utunturque altero modo contra nos argumentan
ex Scripturis, quod supra negativum vocavimus, nimirum, quo
nullibi in novo Testamento scriptum inveniatur, Pontifice
Romanum habere primatum seu potestatem in reges, præser
tim quæ ad temporalia aliquo modo extendatur. Si autem qu
hactenus diximus expendantur, non solum facile huic argume
to respondemus, sed etiam plane evidenter in regem Angli
illud retorquemus. Primum enim, quod attinet ad potestate
et primatum in reges, jam constat ex superius dictis, ubi de
claravimus quomodo hæc potestas ex Scriptura et verbis Chris
ti colligatur, neque esse necessarium ut ipsa etiam collectio i
Scriptura sit expressa, sed satis superque esse, ut traditione e
definitione Ecclesiæ declarata ac firmata sit. Quod vero a
exemptionem pertinet, præterquam quod ex ipsa superiori po
testate manifeste colligitur, ex verbis etiam Christi, et simili Ec
clesiæ traditione in libro sequenti probabitur.

10. *Argumentum adversariorum in ipsos retorquetur.*— A
argumentum ergo negativum, negamus potestatem Pontifici
Romani in reges ex Scriptura non probari. Retorquemus auter
argumentum hoc modo: primatus regis Angliæ non probatur e
Scriptura, et, secundum fidem ejus, nihil est credendum quo
in Scriptura non continetur; ergo secum repugnat, illum asse
rendo, et subditos ad illum credendum cogendo. Major proba
tur, quia ex veteri Testamento non ostenditur, tum quia omni
testimonia, quæ afferuntur, id non probant etiam de statu legi
veteris, ut vidimus; et licet probarent de illo tempore, nihi
pro statu legis novæ efficerent, ut etiam ostensum est. Neque
etiam ex novo Testamento probari potest; nam omnia testimo
nia, quæ rex adducit, nullius momenti sunt, ut ostendimus
Unde Sacellanus ejus (ut relatum invenio) ingenue fassus est
fundamentum illius primatus in solo veteri Testamento quær
oportere, et nullum illius in novo vestigium aut exemplum in
veniri. Idemque argumentum fieri potest contra exemptionem
regis Angliæ a jurisdictione coactiva Pontificis, nam illius fun-

lamentum, si quod esse posset, esset certe in veteri Testamento quærendum ; in novo autem nullum habet, sed pugnat potius cum generalibus verbis Christi : «Quodcumque ligaveris», et, «Pasce oves meas.»

CAPUT XXVII

Aliis objectionibus ex conciliis sumptis satisfit

1. *Prima objectio.*—Addit præterea rex Angliæ in sua Præfatione, pag. 22, «prædictam in reges potestatem, a Pontifices usurpatam cum Conciliis et Patribus pugnare;» dicitque, in sua Apologia id demonstrasse. In ipsa vero Apologia, pag. 29, imprimis inducit Concilium Arelatense, tempore Caroli Magni congregatum, quod in fine capitulorum ita concludit: «Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissime adnotavimus, et D. imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus providentia suppleatur; si quid secus quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur.» Ex quibus verbis colligere vult rex Angliæ, Patres illius Concilii recognovisse imperatorem ut judicem, et superiorem suum, et suorum decretorum.

2. *Solutio.*—Nihil tamen minus ipsi senserunt, aut imperatorem sentire existimarunt. Nam in prologo ejusdem Concilii ita de imperatore loquuntur: «Ecclesiæ Dei statum vigili instantia roborare disponit.» Et infra: «Omnibus Dei sacerdotibus obsecrans et obtestans, ut Ecclesias, quas regendas susceperunt, sua prædicatione instruant,» etc. Et in fine prædictorum verborum, non postulant sua decreta ab imperatore confirmari, sed eius adjutorio perfici, id est, executione mandari. Regimen vero

ecclesiarum non imperatori, sed sibi creditum esse cognoscunt: duo vero imperatoris officia in hujusmodi rebus indicant, scilicet, exhortari et adjuvare pastores Ecclesiæ in suo regimine, quæ, ut sæpe diximus, ad jurisdictionem non pertinent, sed ad pietatem, et humanam potentiam, seu auctoritatem. Est præterea in verbis illis advertendum, in eis non esse sermonem de rebus fidei, sed de decretis pertinentibus ad moralem usum, ut patet ex verbis illis, «quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissime notavimus.» Quia ergo in illis multa decreta erant, quæ laicos simul cum clericis contingebant, ut patet ex cap. 4, 5, 12, 13, 15, 22 et 23, ideo prudenter fecerunt illa imperatori præsentando, ut ejus auctoritate adjuti, ea possent facilius executioni mandare. Cætera autem verba urbanitatis, modestiæ et humilitatis sunt, ut ex usu similium verborum constat, ideoque vanum est ex illis propriam subjectionem vel jurisdictionem colligere.

3. *Secunda objectio ex quibusdam provincialibus Conciliis.—Diluitur.*—Secundo objicit rex, «sex Concilia generalia,» quæ ait, «sese penitus Carolo Magno tradidisse.» Nominat autem Concilium Francofordiense, Arelatense, Turonense, Cabilonense, Moguntinum, ac Rhemense. Sed imprimis non video cur hæc generalia Concilia vocet, cum fere omnia provincialia sint, et ad summum quædam sint nationalia; deinde nihil in dictis Conciliis reperio, propter quod dicantur, «se penitus Carolo tradidisse.» Et imprimis Concilium Francofordiense sine dubio generale non fuit, nam, ut ex titulo Epist. ejusdem Concilii ad præsules Hispaniæ constat, solum Episcopi Germaniæ, Galliæ et Aquitaniæ in eo interfuerunt, et de legatis Apostolicis ejusve confirmatione nulla fit mentio. De Carolo autem Magno in titulo libelli sacrosyllabi solum dicitur, Concilium fuisse habitum sub præsentia Clementissimi Principis Caroli. Ubi Carolus non ut auctor, set ut exhortator et defensor, neque ut pars Concilii, set ut honorificus testis ponitur. Et quamvis in principio libri sacrosyllabi Carolus necessitatem ex-

irpandi quemdam errorem Concilio proponat, postea vero so-
um Concilium est, quod veritatem docet in discursu illius libri,
ujus auctor dicitur fuisse Paulinus, qui in fine libri sic ait:
Nos autem Domini, et charissimi fratres, sequentes præceden-
ium Patrum sanam fidei doctrinam, respuentes per omnia de-
ramenta nugacium hominum, corde credamus ad justitiam, et
re confiteamur ad salutem,» etc. Postea vero solum orat pro
Carolo Magno, «ut Deus eum protegat et defendat,» etc., eum-
ue postea precatur, ut contra visibiles hostes pro Christi amo-
e dimicet. Neque ibi aliud verbum invenio, quo illud Concilium
se penitus Carolo tradiderit.» Satiusque fecisset rex Angliæ, si
n actis illius Concilii considerasset, eumdem Carolum, in epis-
ol. ad Elipandum, et alios Hispanos sacerdotes, non Patrem,
ut primatum Ecclesiæ, sed filium et defensorem S. Dei Eccle-
iæ seipsum appellare. Item potuisset advertere, Patres illius
Concilii, cum in fine dicti libri sententiam protulissent, statim
ddidisse, «reservato per omnia juris privilegio Summi Pontifi-
is Domini et Patris nostri Adriani, primæ sedis Papæ.» Item
otare posset, quod inferius aiunt, «et B. Petri, primi Pastoris
Ecclesiæ.» Ac denique notari potest, solam Synodum Episcopo-
um scripsisse doctrinam fidei ad Elipandum et alios; postea
ero scripsisse Carolum, tanquam protectorem, et defensorem
ynodi.

4. *Ad Concilium Turonense.—Ad Concilium Cabilonense.*— e Concilio Arelatensi jam diximus. In Turonensi autem nihil iud invenitur, nisi quod in ejus præfatione illum laudant, et luberrimis ejus exhortationibus illuc convenisse fatentur; in ne autem his verbis concludunt: «Hæc nos in conventu nostro a ventilavimus, sed quomodo deinceps piissimo Principi nostro e his agendum placebit, nos fideles famuli libenti animo ad utum et voluntatem ejus parati sumus.» Quid enim aliud re-giosi et prudentes, ac modesti Episcopi dicturi erant ad pium mperatorem, qui sancto zelo ea tantum, quæ ad bonum Eccle-æ pertinebant, procurabat, non tanquam Ecclesiæ gubernator,

sed tanquam filius et defensor? In Concilio autem Cabilonensi in principio, habentur similia verba supra tractatis ex Concilio Arelatensi, et ideo idem repetere necesse non est. Nam in illo Concilio solum agitur de moribus, et inter illius decreta etiam inveniuntur aliqua laicis communia, ut c. 18 et 21, et maxime 43. Ubi eam ob causam in adhibendo remedio quibusdam publicis et communibus vitiis, sententia imperatoris expectanda dicitur. Neque aliud verbum in illo Concilio invenio, quo se penitus imperatori tradiderit. Sed in c. 66 tantum decretum est, ut ab omnibus indesinenter oretur pro rege, quod longe diversum est. Imo ibi additur dixisse Concilium, Scripturarum monita et canonum instituta diligenti indagatione inquirenda, et simili observatione perficienda esse, in quo non imperatoria, sed ecclesiastica auctoritas post Scripturas commendatur. Quin potius illi subjectioni Concilii ad imperatorem, quam exaggerat rex Angliæ, repugnant cap. 28 et 37 ejusdem Concilii. Nam in priori dicitur, de gradibus propinquitatum, matrimonia utique prohibentium, vel irritantium, canones ecclesiasticos consulendos esse non regem. Posteriori vero dicitur, Conciliorum canones a sacerdotibus legendos esse et intelligendos, quia per eos vivere debent et docere.

5. *Ad Moguntinum Concilium.*—Idem fere judicium est de Concilio Moguntino, nam licet in Præfatione Concilii Patres eodem honore tractent imperatorem, et omnia ad illum referant, sicut præcedentia, nihilominus satis ibidem distinguunt potestates, et laicis controversias mundanarum legum, «vulgique justitias» (ut aiunt) committunt, et unicuique personæ et statui proprium honorem impendunt: «Secundum dictum» (inquiunt) «B. Petri, primi Pastoris Ecclesiæ (1).» Unde inferius subdunt: «Insuper etiam congruum nobis esse videbatur, ut sacerdotes et Ecclesiæ Dei jure legitimo et inconvulso honora-

(1) 1 Petri, 2.

ntur: de quibus Dominus ait: Qui vos audit, me audit, et qui s recipit, me recipit. Qui autem me recipit, recipit eum qui e misit (1). Et Apostolus ad Hebræos: Obedite, inquit, præpo- is vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi ratio- m reddituri pro animabus vestris (2).» Inferius vero, in c, 6, m de filiis exhæredatis a parentibus quædam disponerent, ioniam civilem materiam attingere videbantur, addunt: «Quan- m ad nos, vel ad nostram pertinet potestatem,» et ad impe- torem aiunt: «Quod si forte extra officium nostrum alicubi ventum fuerit admonere Vestram Clementiam audeamus, ut nendentur.» Ubi aperte sua potestate in causis spiritualibus piis disponunt, ubi autem sæculare auxilium necessariu m , illud ab imperatore postulant. Sicque in c. 7, in causis pau- rum aiunt: «Hoc omnino emendetur per jussionem vestram.» in c. 8, optime de utraque potestate loquuntur.

6. *Ad Concilium Rhemense.*—Denique in Concilio Rhemen- fit quidem in principio honorifica mentio imperatoris, nihil tem ei tribuitur, quod jurisdictionem aliquam in Concilio ei ncedere videatur. Imo cum in principio dicatur (quod in su- rioribus etiam quatuor Conciliis dictum erat), «conventum il- n a Domino Carolo piissimo Cæsare, more priscorum impera- um fuisse congregatum,» quasi in declarationem illius moris ditur, «ordinante Ulfario, ejusdem Sanctæ Sedis Archiepis- po.» Quod paulo post in Conciliis etiam generalibus explica- mus. Nam hæc quinque, de quibus diximus, provincialia tan- n sine dubio fuerunt, et ideo convocatio propria, et cum estate jurisdictionis ad Archiepiscopum pertinebat, tribuitur em imperatori tanquam petenti, et per temporalia subsidia peranti.

7. Tertio, objicit rex quatuor prima generalia Concilia:

(1) Luc., 10.
(2) Hebra., 13.

«Imo, et alia» (inquit) «quatuor sic vulgo appellata, imperatorii prudentiæ ac pietati sese in omnibus subjecisse. Adeo ut Ephesinum illud quater satis distincte inculcet, se accitos coiisse imperatoris oraculo, nutu, sanctione et mandato.» Inducit præterea verba ejusdem Concilii in epistola ad Augustos, ubi Patres dicunt, «universos se supplices ad pietatis ejus dominationem confugere, ut quæ contra Nestorium et illi consentientes gesta sunt, robur suum haberent.»

8. *Solutio.* — Verumtamen in quatuor primis Conciliis dissimulat rex ea omnia, in quibus Episcopi Romani primatus et potestas supra imperatores et supra Concilia generalia ostenditur, et unum tantum vel aliud verbum arripit, quo imperatoria dignitas in suo gradu commendatur, et facilem habet ex aliis locis intelligentiam. Et quoniam de Concilio Nicæno nihil in particulari rex adducit, et multa a nobis in superioribus allegata sunt, nihil hic addere necesse est, præsertim cum sit notum, quantum Constantinus imperator in illo Concilio Episcopis et eorum potestati detulerit.

9. Ex Concilio etiam Constantinopolitano I, nihil rex notat, cum tamen ignorare non debeat quid Patres illius Concilii ad Damasum Papam scripserint, nimirum: «Mandato litterarum superiore anno a Vestra Reverentia post Concilium Aquileiense ad sanctissimum imperatorem Theodosium missarum, ad iterum duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum una nobiscum attulimus» (1). Ecce quomodo imperatores ad cogenda Concilia concurrunt, scilicet, vel impetrando et postulando a Pontifice convocationis mandatum, vel illo obtento illius executionem procurando, vel in virtute illius jubendo.

10. Ex Concilio etiam Ephesino posset rex Theodosii et Valentiniani imperatorum verba, quæ in epistola ad Concilium

(1) Theodoret., lib. 5 Hist., c. 9.

posuerunt, notare. Cum enim Candidianum comitem ad Concilium mitterent, ut esset quasi Concilii protector, et pacis conservator, subjungunt: «Sed ea lege et conditione, ut, cum quæstionibus et controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiæ negotiis et consultationibus sese immiscere. Habetur hæc epistola in tomo primo illius Concilii, cap. 32. Et in cap. 29 habetur epistola Cyrilli ad Cœlestinum Papam, in qua petit ut sententiam suam in causa fidei, quæ tunc contra Nestorium tractabatur, Macedoniæ et totius Orientis Episcopis perspicue per litteras exponat. Et ex tomo secundo, præsertim a c. 13, constat nihil in illa Synodo sine Pontificis auctoritate actum esse. Præterea in actis præambulis ad Concilium Chalcedonense habetur epistola Valentiniani et Marciani Augustorum ad Leonem Papam, ad quem ita loquuntur: «Tuam sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei possidentem sacris litteris in principio justum credimus alloquendam, invitantes atque rogantes, ut pro firmitate et statu nostri imperii æternam divinitatem Tua Sanctitas deprecetur, et ut tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicæ fiat.» In quibus verbis maxime expendo illam particulam, «te auctore;» nam ex illa cum præcedentibus optime explicatur, quid imperator, quidve Pontifex in congregando Concilio conferat, scilicet imperator intercessionem, Pontifex auctoritatem. Eademque verba sufficiunt ad explicanda verba Concilii Ephesini, de convocatione illius per imperatorem. Quæ vero Patres ejusdem Concilii post illius definitionem ad Theodosium scripserunt (1), supplicantes ut in illo gesta, ac definita suum robur obtineant, eumdem supra ex-

(1) Habentur tom. 4 ejusdem Concilii, c. 14.

plicatum sensum habent, scilicet, petiisse Patres illos, ut auctoritate sua fidem protegerent, ac defenderent. Unde inferius (1), in alia epistola ad Augustos, eos exhortantur ut vestigia majorum suorum imitentur, ut «quemadmodum» (inquiunt) «singuli eorum Sanctorum Patrum Synodis imperii sui tempore celebratis paruerunt, Patrumque sanctiones legibus suis munierunt, et quam illis deferrent observantiam, decretis suis ostenderunt, ita et vos,» etc. Ubi clare imperatoris esse docent parere, et observantiam exhibere decretis Synodorum generalium, deinde vero suis legibus ea munire, et executionem procurare. De quo puncto legi etiam potest Synodus tertia Romana sub Symmacho, ubi non solum Patres, sed etiam Theodoricus rex Pontifici tribuunt potestatem cogendi Concilia, licet ad petitionem imperatorum aut regum illa frequenter utatur.

CAPUT XXVIII

Patrum testimoniis, quæ rex objicit, satisfit

1. *Primum Augustini testimonium. — Hoc testimonium nihil favet regi.*—Ulterius objicit rex quasdam Patrum sententias (2). Prima est Augustini, Psal. 124, ubi ait, Julianum, tametsi iniquum, infidelem et idololatram, nihilominus fuisse verum dominum temporalem, illique fuisse a Christianis obediendum. At quis hoc negat? superius enim ex professo a nobis probatum est, infideles etiam esse posse veros reges et dominos, eisque in rebus justis et licitis parendum esse. Quod etiam verum esse dicimus de rege hæretico et schismatico, quamdiu per Ecclesiam non deponitur, seu regno privatur. Atque ita locutus est

(1) Cap. 16.
(2) In Apolog., p. 26.

ugustinus. Quod si rex dicit non posse deponi, oportet ut liunde id probet, nam Augustinus certe id non dicit, et in aliis ocis generaliter docet justum esse, hæreticos per cruciatus et œnas ad fidem compelli. Quod si rex argumentum inde sumat, uod apostata ille impiissimus per Ecclesiam depositus non est, espondemus argumentum nullius esse momenti; non enim leo id facere omisit Ecclesia, quia jure non posset, sed quia tiosum fuisset id tentare quod exequi tunc non poterat.

2. *Secundum testimonium ex Tertulliano.— Hoc testimonium antum supremam regum in temporalibus potestatem commendat.*— ecundum testimonium est Tertulliani, lib. ad Scapulam, c. 2: Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit, cum toto Romano imperio uousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit. Colimus ergo et mperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut ominem a Deo secundum, et quidquid est a Deo consecutum, t solo Deo minorem. Hoc et ipse volet. Sic enim omnibus maor est, dum solo vero Deo minor est.» Hoc vero testimonio et lio Tertulliani nos etiam supra usi sumus, ut potestatem suremam regum temporalium probaremus, nihilque aliud ex erbis illis cum fundamento colligi potest. Nam quod imperatoem vocat «hominem a Deo secundum,» ideo dictum est, quia ordine temporalis regiminis imperator vel rex supremus imediate sub Deo est, et nullum alium in eo ordine superiorem cognoscit. Atque in eodem sensu accipiendum est, quod illum ocat «solo Deo minorem,» utique in suo imperio, obedientia, regimine pure civili ac temporali: Nam alioqui manifestum t posse unum regem vel imperatorem temporalem esse majom alio in potestate et ditione, etiam si unus alteri non subciatur. Majorique ratione Pontifex major est imperatore, quia on solum dignitate et ditione excedit, sed etiam illi superior t in alio excellentiori ordine, et in ordine ad altiorem finem. cque locum habet limitatio, quam in eisdem verbis Tertullia-

nus adhibet: «Colimus imperatorem sic quomodo et nobis licet, et illi expedit, utique in his quæ potestati illius subjacent, et Deo ejusque fidei non repugnant. Nam cum in his excedit et delinquit imperator, jam non legitima potestate utitur, et si Christianus sit, ut talis superiorem habet, a quo corrigatur.

3. *Tertio ex Justino.* — Neque plus probant verba, quæ tertio loco ex Justino adducit, Apolog. 1 pro Christianis, quæ nos etiam supra tractavimus, et nihil probant, nisi imperatorem et regem, quamdiu rex est, esse verum dominum, cui obediendum est in his quæ illi subjacent. Nemo autem dubitabit posse regem, vel regno renunciare, vel illud amittere, et tunc etiam dominium ejus ac potestatem, et consequenter etiam obligationem illi obediendi cessare.

4. *Quarto ex Ambrosio.* — Quarto adducit verba Ambrosii, Oratione contr. Auxent., de Basilic. non tradend., in initio: «Dolere potero, potero flere, potero gemere, adversus arma, milites, Gothos, quoque lachrymæ meæ arma sunt. Talia munimenta sunt sacerdotis. Aliter neque debeo, nec possum resistere. Quibus verbis videtur velle concludere rex Angliæ, Pontifices non posse iniquis schismaticorum regum conatibus potestate resistere, sed solo verbo, exhortatione ac precatione. Longe vero diversa erat mens Ambrosii, quam satis ostendit, quando Theodosio non sola prece, sed imperio, et spirituali potestate restitit. Sententia igitur Ambrosii fuit, non esse sacerdotis officium arma sensibilia, et materialia contra imperatorem tyrannum aut rebellem sumere, et militum castris illi resistere. Et nihilominus non negat habere Ecclesiam potestatem qua illi resistat, sed quia hæc sæpe contra incorrigibiles et contemptores efficax non est, ideo ait ultimum refugium sacerdotis in lachrymis et precibus ad Deum positum esse. Potuisset autem rex Angliæ attentius expendere verba, quæ in fine orationis posuit Ambrosius: «Quid honorificentius quam ut imperator filius Ecclesiæ esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Eccle-

am, non supra Ecclesiam est.» Ergo sicut filius corrigi poterit patre, et ut inferior a superiore, quia si superior non est, rofecto inferiorem esse necesse est; nam duo capita æqualia ue schismate esse non possunt. Estque similis locus, eodem- ue modo explicandus, apud Chrysostomum, Homil. 4 de Verb. ai.: «Nam sacerdotis tantum est arguere, liberamque præstare dmonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non ibrare lanceam, nec arcum tendere, nec jacula mittere, sed ntum arguere, ac liberam præstare admonitionem.» Sub verbo iim arguendi, intelligendum est comprehendi quicquid ad rrectionem ecclesiasticam pertinet, et tunc etiam locum ha- et quod idem Chrysostomus præmittit: «Ubi sacerdos con- mptus est, dignitasque sacerdotii conculcata, neque quicquam æterea potuit sacerdos» (dicit Deo): «Ego quod erat mei offi- i præstiti, nihil amplius possum, succurre sacerdotio, quod nculcatur,» etc. Agit autem de Azaria, qui quantum potuit stitit Oziæ, et cum porportione de Pontifice novæ legis intel- gendum est.

5. *Quinto ex Optato.— Verus ejus sensus.* –Quinto loco ad- ucit verba Optati, lib. 3 contr. Parmen.: «Super imperatorem on est, nisi solus Deus, qui fecit imperatorem.» Sed hæc ver- eodem modo quo similia Tertulliani exponenda sunt, scilicet, mperatorem esse in suo ordine sub Deo supremum, quod non cludit subordinationem ad spiritualem potestatem, quam ut ristianus habet. Et hanc fuisse intentionem Optati ex aliis cis ejus in superioribus allegatis, et ex occasione quam tunc buit imperatoriam dignitatem tuendi, satis manifestum est. gebat enim ibi contra Donatum, qui imperatorum leges des- ciebat, dicens: «Quid est imperatori cum Ecclesia», quæ, ut t, «contra præcepta Apostoli Pauli meditabatur.» De quibus æceptis inferius ait servanda esse, «etiam si imperator genti- er viveret.» Quod ergo, ait, solum Deum esse majorem impe- tore, etiam de imperatore gentili intelligit, de quo cogitare on potuit, habere in Ecclesia primatum, vel spiritualem po-

testatem ; loquitur ergo de imperatore solum quoad temporalem potestatem.

6. *Sextum testimonium ex Gregorio.* — Sexto, majorem vim facit in verbis Gregor., lib. 2, ep. 61, indict. 2, alias c. 100, quæ est ad Mauricium imperatorem, super legem quam tulerat, ut milites in monasterio non susciperentur, quæ erat injusta, et contra supernaturalem finem, et nihilominus non est ausus revocare illam per eam indirectam potestatem, quam nos illi tribuimus; non ergo illam in se agnoscebat. Unde postquam Gregorius, verbis submissionis et humilitatis, imperatorem allocutus fuerat, eum «dominum suum, seque famulum pietatis suæ» appellans, deinceps iniquitatem legis ostendens, inter alia sic inquit : «Ego vero hæc dominis meis loquens, quid sum, nisi pulvis et cinis? sed tamen quia contra Dominum Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum.» Et nihilominus in fine epistolæ ita concludit: «Ego quidem jussioni subjectus eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciavi. Utrobique ergo quæ debui exolvi, qui et imperatori obedientiam præbui, et pro Deo, quod sensi, minime tacui.

7. Respondemus, satis in superioribus ostensum esse, quid D. Gregorius de imperatorum potestate in Ecclesia censerit, cum in Psal. 5 Pœnit , alias 101, circa versum illum : «Tota die exprobrabant mihi inimici mei», contra eumdem Mauricium imperatorem scriptum reliquerit : « In tantum suæ temeritatem extendit vesaniæ, ut caput Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, et in domina gentium terrenæ jus potestatis usurpet.» Et infra, in alium versum: «Initio tu, Domine, terram fundasti», eumdem Mauricium inter Ecclesiæ persecutores annumerat, dicens : «Quid Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur?» Ex hoc ergo loco, alterius intelligentiam recte colligunt Cardinales Baronius

et Bellarminus (1). Cum enim ille imperator, licet catholicus, et alias Ecclesiæ benefactor, sua potestate abuteretur, prudenter egit Gregorius ad eum submisse scribendo, et blande illum exhortando et instruendo, ut facilius illum ad legis emendationem vel revocationem induceret. Igitur non idcirco statim potestate sua usus non est, quia illam non haberet, sed quia non speravit tunc fructum, si rigore uteretur. Et ideo in principio ejusdem epistolæ, ad hoc insinuandum, et ad tuendam sui muneris dignitatem, ait: «Ego autem indignus pietatis Vestræ famulus, in hac suggestione, neque ut Episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed jure privato loquor.» Et nihilominus providentiam erga Ecclesiam eo tempore necessariam non omisit, nam legem illam, quam in fine illius epistolæ ad varias mundi partes transmitti fecisse dicit, non sine debita correctione, et moderatione transmisit, ut constat ex ejusdem epistola ad Episcopos diversarum regionum, quæ habetur lib. 7, indict. 1, ep. 11. Ubi postquam dixit: «Legem quam imperator dedit», etc., «vestræ studui firmitati transmittere», etc., subdit: «Hoc maxime exhortans», etc., «ut nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita, suscipiendi non sint; post sufficientem autem probationem et examinationem», ait suscipiendos esse. In quo manifeste usus est auctoritate quam habebat supra leges civiles, in ordine ad bonum animæ et spiritualem finem moderando legem.

8. *Alia Patrum testimonia imperatoriam dignitatem commendantia, eorumque explicatio.*—Ultimo, possumus addere nonnullas alias Patrum locutiones, quæ nimium potestati, seu dignitati civili favere videntur. Ignatius, epistola ad Smyrnenses: «Honorare oportet et regem, neque enim rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis.» In-

(1) Responsio Baron., ann. 593, n. 14 et sequentibus.—Bellarm., in Respons. ad regem Angliæ.

telligitur autem de præstantia et similitudine in potestate, utique in suo ordine, ut diximus. Unde ibidem de Episcopo etiam ait, esse honorandum, «ut principem sacerdotum, imaginem Dei ferentem, et Christi.» Et infra: «Nec Episcopo, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute, quicquam majus est in Ecclesia.» Quod etiam respective et cum proportione intelligendum est. Cyrillus etiam Alexandrinus, lib. de Recta in Deum fide, ad Theodosium, in principio, sic ait: «A Deo, cujus est summa celsitudo, vobis clarissimi reges humanæ claritudinis fastigium incomparabilibus excellentiis præ omnibus aliis exurgens, et exaltatum, eximiaque ac honesta sors sunt data. Vos enim estis summarum dignitatum fontes, et supra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium ac origo. Et Vestræ quidem majestatis clementissimis nutibus, quidquid regni soliis substratum est, ut vitam legitimam, et admirabilem agat, gubernatur; at qui jugum non ferunt, facile a vestro robore victi cadunt.»

9. *In prædictis aliam dignitatem regia præstantiorem insinuavit Cyrillus.*—Hæc autem verba superius dictam intelligentiam facile recipiunt, et tanta moderatione ac prudentia scripta sunt, ut non solum verum sensum statim per se prodant, sed etiam esse aliam potestatem excellentiorem, et plus quam humanam satis indicent. Ideo enim dixit Cyrillus, datum esse regibus humanæ celsitudinis fastigium, quia sacerdotale et Pontificale plus est, quam humanum. Unde cum postea dixit, imperatorem esse summarum dignitatum fontem, et supra omnem eminentiam, statim addidit, «humanæ felicitatis principium et origo.» Nam illa omnia de dignitatibus terrenis ac temporalibus, quæ ad humanam, id est, naturalem seu civilem felicitatem ordinantur, intelligenda sunt. Quod magis declarant illa verba: «Quidquid regni soliis substractum est, ut vitam legitimam et admirabilem agat, vestris nutibus gubernatur.» Sciebat enim Cyrillus, esse multa quæ regni soliis non substernuntur, quæ tunc clarius explicare non erat necesse; quia non

doctrinam ecclesiasticam tradere tunc instituerat, sed tantum imperatorem ad veram de Christo fidem audiendam benevolum reddere.

10. Ultimo, possunt notari verba Symmachi Papæ, in Apologet. adversus Anastasium imperatorem, ubi comparans Pontificem cum imperatore in honore eis debito, ait: «Ut non dicam superior, certe æqualis honor est.» Verumtamen ex antecedentibus constat sensus et modestia Pontificis. Dixerat enim: «Conferamus honorem imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum.» Ex quo principio potuisset quidem expresse concludere, majorem honorem Pontifici esse debitum, propter modestiam vero noluit. Vocavit autem honorem æqualem, non simpliciter, sed secundum proportionem, quatenus uterque eorum in suo ordine supremus est. Postea vero in discursu Apologiæ diserte affirmat, et probat habere se auctoritatem superiorem, ad cogendum imperatorem, si hæreticus sit, aut cum hæreticis ab Ecclesia damnatis communicet.

CAPUT XXIX

Objectionibus ex rei novitate, et factis imperatorum regumque desumptis satisfit

1. *Primatum Pontificis novitatis arguit rex.*—Conqueritur ulterius rex Angliæ, quod potestas hæc in christianos principes «per ambitionem et abusum sit usurpata», ut in Præfatione ait, pag. 22. Ut autem hoc persuadeat, etiam usum ejus novum esse contendit. Sic enim in Præfatione, pag. 24, dicit, «novum esse et absurdum» sensum illorum verborum Christi: «Pasce oves meas», et «Quodcumque ligaveris», ex quo genus illud potestatis colligitur. Et pag. 60, cum dixisset Petrum fuisse

illorum Apostolorum, quos Christus elegit, principem, tantum ordine quodam, subjungit: «Nec aliquid sibi amplius trecentis post Christum annis Romanæ Sedis Episcopus arrogavit.» Deinde, ut hanc novitatem suadeat, ibidem in generali dicit Romanos Episcopos usque ad Phocæ tempora imperatoribus subjectos fuisse. Sed hoc quam sit a veritate alienum, satis in superioribus ostensum est. Antea vero, pag. 28 et seq., aliqua imperatorum et regum facta recensuerat, quæ ad prædictam novitatem usurpatæ jurisdictionis, et antiquam subjectionem Romanorum Pontificum ostendendam induci possunt, de quibus propterea hic nobis dicendum est.

2. *Quam sit antiquus Pontificis primatus.*—Prius vero ad generalem de novitate querelam refutandam sufficere quidem possent ea, quæ ad probandam hanc potestatem ex antiquo usu et traditione adduximus. Breviter tamen addimus, si sermo sit de ipsa potestate, tam antiquam esse, quam est antiqua monarchiæ ecclesiasticæ institutio, quæ ab ipsomet Christo verbis satis expressis facta est. Nam hunc esse legitimum sensum illorum verborum, eumque non novum, sed antiquissimum, imo et perpetuum in Catholica Ecclesia fuisse, satis demonstratum est. In illa vero institutione ac potestate includi jus hoc ad cogendos christianos principes hæreticos, schismaticos, vel Ecclesiæ inobedientes, perniciosos et incorrigibiles, evidentibus rationibus ac testimoniis ostensum est. Quibus cum rex Angliæ nihil habeat quod respondeat, fingit Catholicos asserere, «posse Pontificem ad libidinem regna tollere, et condonare», ut ait in Præfatione, pag. 23, imo etiam «pro libidine posse illos ad occisionem ducere», ut pag. 24 adjungit. Ubi etiam addit, verba illa Christi: «Pasce oves meas», ita a nobis exponit, «tanquam hoc significarent: Tolle, proscribe, abdica christianos principes atque reges.»

3. Sed (ut iterum jam in superioribus dixi) hæ sunt evasiones frivolæ, vanaque portenta a Protestantibus inventa, ut et regi imponerent, et odium in Catholicos et in veritatem ip-

sam excitarent. Numquid enim, quia rex Angliæ potestatem habet ad coercendos subditos suos justis pœnis, quando deliquerint contra suas leges, ideo dicendus est ad libidinem suam posse occidere subditos, eosve bonis suis privare? Certe neque subditi sui hoc audire vellent, neque ipse tantam tyrannidem sibi attribui permitteret. Cur ergo in Christi Vicario fingit quod de se puderet audire? Vera ergo novitas in hac tyrannica potestate fingenda a Protestantibus reperta est; antiquitas autem legitimæ potestatis Pontificiæ ad justam principum coactionem, etiam usque ad privationem regnorum, si causa sit digna, et ipsi rebelles sint, evidenter a catholicis Doctoribus, suppositis Christi verbis, ostensa est; nec de ipsa potestate aliud dicendum superest.

4. *Imperator Philippus I catholicus extitit, in eumque Pontifex sua potestate usus est.* —Si vero sit sermo de usu, distinguere possumus usum directivæ potestatis et coactivæ, et de utroque facile confitemur non fuisse in Ecclesia erga christianos imperatores aut reges, trecentis post Christum annis, non quia esse non posset, sed quia non erat materia ejus; nulli enim fuerunt illis temporibus christiani principes aut imperatores. Quid ergo mirum si Pontifices, præceptis suis ac legibus, illos gubernare non possent, nec sua potestate cogere, cum Paulus dixerit: «De his qui foris sunt, nihil ad nos?» Solum ergo tunc poterant illis fidem prædicare, quamdiu vero illam voluntarie non suscipiebant, et per baptismum non profitebantur, efficacius dirigi aut regi non poterant Ab hoc autem tempore, breve illud excipio, in quo Philippus imperator christianus fuit, nam in illum Fabianus Pontifex sua potestate, quantum occasio justa tulit, usus est, ut supra ex Eusebio retulimus. Ut hoc exemplo appareat non esse solidam, neque simpliciter veram, illam regis absolutam locutionem, «Neque amplius trecentis post Christum annis Pontifices Romani sibi arrogarunt», quandoquidem, quantum illius temporis occasio tulit, Fabianus ea legitime usus est. Accedit quod illo etiam tempore Ecclesia

usa est sua potestate spirituali in materia etiam temporali, prout ad suum bonum expediebat, nulla habita ratione civilium legum, sed illas corrigendo aut limitando propter spiritualem finem. Exemplum optimum est in lege facta a quodam Concilio Africano (1), ut Cyrillus refert, ep. 66, ne clericus possit in testamento in tutorem nominari, cum leges civiles neminem a tutela eximi posse disponant, ff. de Excus. tutor., per plures leges.

5. Præterea post illa tempora semper Pontifices usi sunt hac potestate in Christianos principes, prius quidem monitis et præceptis eos dirigendo, et ubi oportuit, eorum leges emendando, ut de Gregorio capite præcedenti vidimus, et de aliis supra retulimus: postea vero etiam cogendo, quantum necessitas postulabat et ratio temporum permittebat. Usus enim hujus potestatis coercivæ non est per se necessarius, sed cogente necessitate. Atque utinam necessitas istius usus nunquam fuisset, id est, nunquam fuissent quæ ad illum exercendum obligarent. Quamdiu ergo talia crimina in principibus christianis inventa non sunt, sine præjudicio potestatis potuit talis usus in Ecclesia non esse. E contrario vero, non fuit necesse ut statim ac imperatores christiani apostatæ, vel Ecclesiæ rebelles esse cœperunt, tota sua potestate Ecclesia seu Pontifices in eos usi fuerint; quia ex tali usu non fructum, sed majus Ecclesiæ nocumentum timere potuerunt. Unde Augustinus, respondens simili argumento Donati, epist. 204 ad eumdem, ait: «Repetis sicut audio, quod in Evangelio scriptum est, recessisse a Domino septuaginta discipulos, et arbitrio suæ malæ atque impiæ discessionis fuisse permissos, cæterisque duodecim, qui remanserant, fuisse responsum: «Numquid et vos vultis ire? Et non attendis, quia tunc primum Ecclesia novello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa illa prophetia: Et adorabunt eum omnes

(1) Cap. «Displicet», §. Repetis, 23, q. 4.

Reges terræ, omnes gentes servient illi. Quod utique quanto magis impletur, tanto majore utitur Ecclesia potestate, ut non solum invitet, sed etiam cogat ad bonum.» Idem ergo in illis primis temporibus, Juliani, verbi gratia, vel aliorum accidit, qui per potentiam et tyrannidem more gentilium Ecclesiam persequebantur. Et nihilominus non defuit circa eadem tempora usus hujus potestatis, quando cum fructu adhiberi potuit, ut ex censura Ambrosii in Theodosium, et Innocentii in Arcadium aperte ostenditur, et ita etiam postea successu temporum juxta occurrentes occasiones usus hujus potestatis adhibitus est, ut vidimus.

6. *Argumentum regis, ex imperatoris suffragio in Pontifice eligendo desumptum.*—Sed occurrit rex Angliæ ex contrariis factis ostendens contrarium jus imperatoriæ potestatis in Pontifices, «nam imperatoris (inquit) assensus longo annorum decursu eligendis Pontificibus intervenit», etc. Quæ late prosequitur, ex quibus argumentum excellentioris potestatis imperatoriæ desumere conatur. Quia vero de electione Pontificum in propria materia de Pontifice tractatur latius, nunc breviter fatemur servatum esse aliquo tempore, ut electio Pontificis per consensum imperatoris confirmaretur, ut ex Platina in Firmiano Papa, et ex aliis historiis constat, et aperte ex Gregorio, lib. 7, indict. 1, epist. 1, in fine, ubi voluntate imperatoris se factum esse Pontificem illis verbis affirmat : «Ecce serenissimus dominus imperator fieri simiam leonem jussit. Et quidem provisione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Unde necesse est ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis mysterium infirmo commisit.» Addimus vero deinde multis temporibus factos esse Pontifices sine consensu imperatorum aut regum, nimirum, et ante conversionem imperatorum ad christianam fidem, per trecentos et plures annos, et post conversionem Constantini, per alios ducentos annos usque ad Justinianum Augustum, a cujus tempore imperatores jus illud usurpare cœperunt, ut vulgare est in historiis.

Unde colligimus non recepisse imperatores hanc potestatem divino jure, quia alias nunquam sine illorum suffragio Pontificis electio valide fieri potuisset. Neque etiam habuisse illam ex vi imperii, tum quia alias a principio illam sibi arrogassent; tum præcipue quia imperium terrenum est et humanum, Pontificis autem dignitas suo modo divina et cœlestis est.

7. *Quo jure imperatores in Pontificum electione suffragium aliquando tulerunt.* — Exercuerunt ergo illam potestatem vel usurpatam, vel ab ipsis Pontificibus concessam. Et quidem priori modo illam per vim ac potentiam a Justiniano usque ad Constantinum IV exercuerunt. Atque hanc vim ac tyrannidem deploravit Gregorius in Psal. 5 Pœnit. supra allegatum, et notavit Baron., ann. 590, n. 5, ubi etiam commemorat imperatorum violentiam, avaritiam et simoniam in extorquenda pro sua confirmatione pecunia, quæ consuetudo usque ad Agathonem Papam duravit, ut sumitur ex c. «Agatho», d. 36. Quapropter vana est, quam rex sumit ex hac consuetudine, argumentatio, quia ex summa vi et injuria nullum jus colligi potest. Posteriori autem modo dicunt aliqui, usos esse hac potestate Carolum Magnum et Othonem imperatores, virtute privilegiorum quæ Adrianus I et Leo VIII illis concesserunt, prout Gratianus refert in c. «Hadrianus», 2, et c. «In synodo», d. c. 63. Verumtamen capita illa Gratiani ex falsis historiis desumpta esse, et privilegia illa ab schismaticis fuisse conficta, late ostendit Cardinalis Bellarminus, in sua responsione ad regem, et latius Cardinalis Baron., ann. 774, a n. 10, et ann. 964, a n. 22, ubi inter alias rationes inde argumentum sumit, quod nulla historia narrat, Carolum vel successores ejus tali privilegio usos fuisse. Et ita omnino evertitur regium argumentum.

8. *Privilegium ab uno concessum ab alio æquali revocari potest.* — Et quamvis hanc Cardinalium sententiam omnino veram esse existimem, ne tamen quis putet solutionem argumenti pendere ex reprobatione historiæ, quam nunc examinare non vacat, addendum consuimus (quod etiam Bellarminus non omi-

sit', etiam si vera esset historia, et verum privilegium, satisque de legitimo illius usu constaret, nihil inde inferri contra eminentiam Pontificiæ potestatis; imo in hoc extolli, quod tanta est, ut electio etiam successorum Pontificum ex illius institutione et determinatione pendeat, valueritque partem aliquam, vel electionis vel confirmationis futuri Pontificis imperatoribus ex privilegio communicare. Quod licet aliquis Pontifex concessisset, aliquis etiam successor ejus revocare potuisset. Nam semper summus Pontifex manet imperatore superior, et privilegium, a superiore liberaliter concessum, ab eodem vel æquali successore revocari potest, præsertim si tale privilegium parum sit universali Ecclesiæ utile, quale illud sine dubio, vel potius perniciosum fuisset. Quod autem imperator, non obstante tali privilegio, semper maneat Pontifice inferior, manifestum est, quia per tale privilegium nulla jurisdictio spiritualis imperatori data esset. Nam jus nominandi, eligendi, vel confirmandi non est jurisdictio, sed auctoritas quædam, quæ (qualiscumque illa sit) versatur circa personam eligendam in Pontificem, non tamen circa Pontificem jam electum, supra quem neque ipsemet Pontifex potest jurisdictionem aliquam vel potestatem concedere aut delegare. Neque etiam propter tale privilegium imperator a jurisdictione Pontificis exemptus fuit, quia etiam repugnat Pontificem simile privilegium concedere in diminutionem dignitatis et curæ sibi a Christo demandatæ. Neque ad effectum talis privilegii est talis exemptio necessaria, nam antequam Pontifex eligatur, non habet locum exemptio; postquam vero electus est, etiam qui illum elegerunt, illi subjiciuntur, ut in Cardinalibus et in aliis electoribus patet. Cursu vero et mutatione temporum privilegium illud sublatum est, meliorque electionis forma instituta, de qua alibi, Deo dante, dicetur.

9. *Alia objectio regis, ex actis imperatorum in Pontifices desumpta. —Otho Joannem Pontificem non deposuit.*—Pergit rex, objicitque secundo, «passim occurrere imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus suam potestatem abrogarunt.» Adhi-

betque exempla in Othone imperatore, qui Joannem XII, Pontificem; et in Henrico III, imperatore, qui Benedictum IX, Gregorium VI, et Sylvestrem III deposuerunt. Sed imprimis licet hæc vera essent, nihil contra veritatem efficerent. Quia ex factis, quæ justa et licita non probantur, nullum ostenditur jus. Deinde dicimus partim vera non esse, partim non fideliter narrari. Nam Otho non deposuit Joannem. Aut enim potestate temporali, et hac non potuit legitime in Pontificem uti, non solum quia ex vi pontificatus erat exemptus, ut libro sequenti ostendam, sed etiam quia jam tunc Pontifex erat rex et supremus in temporalibus, sicut nunc est; vel id fecisset Otho spirituali potestate, et hoc etiam dici non potest, quia nec illam habebat, ut ostendimus, nec legimus illam usurpasse, aut eo errore laborasse Othonem, ut se caput Ecclesiæ faceret. Imo, tam de illo quam de aliis imperatoribus catholicis legimus, numquam brachio aut virtute sua, sed alicujus Synodi, quam congregari procurabant, auctoritate, de Pontificum causis vel abdicatione tractasse.

10. *Ex allegatis Pontificibus non omnes legitimi extiterunt.* Unde Platina, in Vita Joannis XII, licet prius dicat Othonem, persuadente clero, Leonem VIII loco Joannis, qui aufugerat, creasse, nihilominus statim id declarat, dicens, cum Romani instarent apud imperatorem, ut alium Pontificem, abrogato Joanne, crearet, respondisse, electionem ad populum et clerum pertinere, et ita clerum elegisse Leonem, Othonem vero illum suscepisse. Imo etiam indicat Joannem non fuisse depositum propter solos mores, sed quia, «Alberici patris potentia pontificatum occupaverat;» nam in his verbis indicare videtur, non fuisse recte electum, sed per vim et potentiam intrusum. Et hoc sensit Onufrius in Additionibus ad Platinam, dum sentit Leonem VIII fuisse rite electum vivente Joanne. Sed quia fortasse verius est, nec Joannem fuisse rite depositum, nec Leonem valide electum, addendun est Othonem excessisse zelo non secundum scientiam, Synodumque fuisse privatam et illegiti-

mam, potuisseque errare, existimando posse deponi Pontificem propter crimina extra hæresim; vel fortasse magis propter violentiam imperatoris, et humanum timorem id fecit, quam quia sentiret legitime fieri potuisse. Vide Baronium, ann. 964, n. 15. Quod vero ad alios tres Pontifices spectat, imprimis falsum est, omnes fuisse veros Pontifices, nam de Sylvestro certum est fuisse intrusum et schismaticum. De aliis vero nonnulla etiam dubitatio est, licet probabilius credatur legitimos Pontifices fuisse. Deinde Sylvester non ab Henrico, sed a Benedicto IX, legitimo Papa, ejectus fuit. Ipse item postea non ab Henrico rejectus, sed sua sponte (vel persuasione cujusdam sancti Abbatis, ut aliqui referunt, vel ut liberius viveret), pecunia accepta, papatui renunciavit. Atque hoc tandem modo Gregorius VI introductus est; quem solum Henricus postea deponendum curavit, in quo potuit idem error qui in Joanne XII contingere, quamvis illum etiam voluntarie cessisse multi tradant. Vide Baronium, anno 1044.

11. *Tertia objectio, ex factis regum.—Responsio.*—Tertio rex post imperatores ad reges transitum facit, et prius generatim dicit, non minori constantia reges hoc in se jus Pontificis temporale aspernatos fuisse: deinde facta quædam aliquorum regum Galliæ et Angliæ refert, ex quibus concludere vult, nullum jus in reges ex divina institutione habere, nec præscriptione illud assequi potuisse, cum per similia facta satis fuerit interrupta. Sed non censui necessarium in examinanda veritate historiarum circa facta hujusmodi immorari, quia, licet omnia, ut referuntur, admittantur, nihil ad concludendum, quod intenditur, conducunt. Primo ex illa generali ratione, quod facta regum temporalium parum valent ad ostendendum divinum jus, tum quia illud per se cognoscere vel docere non illorum munus est, sed Prælatorum Ecclesiæ, et præcipue summorum Pontificum; tum etiam quia nimirum sæpe potentia sua freti, et vel ambitione dominationis, vel turpissimi lucri cupiditate illecti, potestatis regiæ jura transcendunt Secundo, et specialius, quia om-

nia verba et facta, quæ referentur, ad alias causas seu materias pertinent, ex illisque non solum inferri non potest, Romanum Pontificem non habere supremam potestatem in spiritualibus, quæ ad directionem et correctionem regum, etiam in materia temporali, se extendat, verum etiam nec colligi potest, reges illos ita sensisse. Quod brevi discursu, per singula quæ afferuntur discurrendo, demonstro.

12. Primum enim affert inepta quædam verba Philippi Pulchri, Francorum regis, quæ in epistola quadam ad Bonifacium VIII, aliquo animi furore aut impetu iracundiæ ductus, scripsit, ex quibus argumentum sumere contra rationem est. Sed omissa contumelia, quid tandem rex ille affirmavit? «Scias, nos in temporalibus alicui non subesse.» At quid tandem hinc sequitur? aut quis hoc inficiatur? Certe qui definite dixit, se in temporalibus alicui non subesse; tacite confessus est in spiritualibus subesse, cui autem magis quam Pontifici? Quod si ei in spiritualibus subesse fassus est, negare profecto non potuit, si temporalibus contra spiritualia rex abutatur, ratione spiritualium posse etiam in temporalibus vexari et corripi.

13. *S. Ludovicus, rex.* Deinde allegat sanctum Ludovicum, qui «publica sanctione exactiones omnes curiæ Papalis intra regnum suum prohibuit.» Quam ex Arrestis allegat. Cum illorum tamen copiam non habeamus, non possumus certum illius sensum explicare, nihil enim credimus a tanto ac tali rege sancitum, quod justum ac religiosum non fuerit. In tomo autem 6 Bibliothecæ Sanctorum, in fine, quamdam Pragmaticam sanctionem ejusdem regis typis mandatam invenimus, in qua in favorem ecclesiasticæ jurisdictionis, et liberæ provisionis beneficiorum, et cum observantia sacrorum canonum, multa legimus scripta; de exactionibus autem curiæ Romanæ penitus nihil. Alii vero prohibitionem illam non absolute, sed cum limitatione referunt, videlicet, «exactiones, et onera gravissima,» etc., «colligi nullatenus volumus, nisi pro rationabili, pia et urgentissima inevitabili necessitate.» Itaque si quid sanctus

rex sancivit, non fuit spiritu elationis, aut exemptionis ad obedientia Papæ, sed quatenus existimavit justæ sui regni conservationi esse necessarium, et ad suam jurisdictionem temporalem pertinere. Adeo enim fuit ab usurpatione spiritualis potestatis alienus, ut cum ejus legatus ultro Ecclesiarum cathedralium a Papa impetrasset «Bullam provisionum, rex in ignem illam projecerit, dicens: Gratias non agimus tibi de his, quæ in periculum animarum nostrarum impetrasti, videlicet, ut ecclesiis provideamus » Et illa uti noluit. Ita refert Rebuff., in Concordat., in procœmi., § «Quædam nobis,» verb. «Optamus.»

14. *Ludovicus XI.*—Denique rex Angliæ late commemorat factum Ludovici XI, regis Galliæ, qui Pio II, Pontifici, petenti revocari quandam pragmaticam sanctionem non acquievit. Sec hoc etiam nihil ad causam facit, nam tota illa controversia fuit sine schismate, semper enim rex ille obediens Papæ fuit, ut ex litteris ejus ad Pium II supra ostensum est. Nec video cur rex Jacobus potius Pii II Ludovicique XI, quam sequentium Pontificum et regum usque ad Leonem X, mentionem fecerit, cujus tempore lis illa finita est, et pragmatica abrogata in Concilio Lateranensi, sub eodem Leone X, sess. 11, ubi tota illa historia late refertur; et ex illa constat Pontifices nunquam absoluta potestate fuisse in illo negotio usos, sed suaviter processisse, ut, servata concordia, cum fidei unitate tandem res perficeretur.

15. *Error Gersonis de Concilii in Pontificem potestate.*—Deinceps vero post magnam et prolixam exaggerationem, quam rex non probat, ad quæstionem longe distinctam divertit, librumque Gersonis commemorat, in quo graviter quidem lapsus fuit, tribuendo Concilio generali potestatem coactivam in Pontificem, etiam usque ad depositionem propter alia crimina præter hæresim, nullo tamen modo regibus tribuit spiritualem potestatem, nec a subjectione et potestate coerciva Pontificum illos eximit. Nec in dubium revocavit ecclesiasticam monarchiam, quam a Christo esse institutam, et auferri, aut in alium regimen transferri non posse, in eodem loco confirmat; supervacaneum ergo

est, his verborum exaggerationibus et digressionibus veritatem obscurare.

16. Tandem rex Jacobus sex enumerat reges Angliæ, qui vel Episcoporum investituram sibi arrogarunt, vel ecclesiasticarum personarum libertatem violarunt, vel Pontifici obedire noluerunt. Verumtamen hæc facta turpia sunt, et occultanda potius quam in medium producenda, et parum ad rem faciunt. Nam investituræ Episcoporum aliquando fuerunt concessæ vel permissæ regibus; unde Richardus, vel alius similis rex Angliæ, non juri divino innixus, sed fortasse consuetudini vel alicui prætenso privilegio, illam potestatem retinere aut exercere audebat. Et licet inobediens esset ac pertinax, Pontificum prohibitionibus, utique Gregorii VII ac successorum, resistendo, non tamen sibi primatum Ecclesiæ arrogabat, neque absolute obedientiam Pontifici negabat, sed in particulari facto, vel practice tantum errabat, vel colore aliquo jus suum defendere fingebat. Tandem vero resipuit, «et investituras Deo et sancto Petro remissit,» ut ait Guilielmus Malmesburiensis, lib. 5 Histor.

17. Similiter negare non possumus aliquos reges Angliæ pertinaces nimium in usurpanda jurisdictione in personas ecclesiasticas fuisse. Sed ex abusu et tyrannide male colligitur legitima potestas; et præterea error ille seu peccatum ad aliam controversiam pertinet, ut sæpe dixi. Unde iidem ipsi reges primatum Pontificis recognoverunt, ejusque potestatem coactivam timuerunt, ut supra de Henrico II visum est, qui adeo libertatis ecclesiasticæ violator fuit, ut neci S. Thomæ Cantuar. occasionem dederit, et nihilominus Pontifici cervicem submisit, et publicam pœnitentiam egit. Similiter Eduardus, tam I quam II et III, licet in factis illis errarent, a Pontificis obedientia non recedebant, ut ex illorum epistolis supra vidimus, ubi etiam similes litteras Richardi II recensuimus. Quapropter frivolum est quod in hoc puncto rex Jacobus respondet: «Satis est injustam meorum jurium usucapionem, quotiescumque li-

cuit, fuisse interruptam.» Potestas enim Pontificis non humano jure præscripta, sed divino concessa est, ideoque nulla hominum tergiversatio, nulla inobedientia, nullave multorum annorum consuetudo illam mutare potest vel minuere.

CAPUT XXX

Objectionibus ex nonnullis rationibus desumptis satisfit

1. *Prima objectio.— Instantia.* — Quamvis in libro regis Angliæ nullam novam rationem inveniam, qua errorem suum et omnimodam exemptionem a potestate Papæ, præsertim in temporalibus, suadere nitatur, nihilominus ad hujus libri complementum nonnullas, quæ communiter circumferuntur, vel potiores judicantur, breviter proponere et expedire necessarium visum est. Prima igitur esse solet (et videtur etiam esse regis fundamentum,) quia rex est supremus in temporalibus, ut ex Scripturis sumitur, et supra etiam ratione probatum est; ergo non potest esse simul in temporalibus subjectus. Probatur consequentia, quia qui est subjectus in aliqua materia, habet superiorem in illa; repugnat autem esse supremum, et habere superiorem. Dices id esse verum de subjectione et prælatione ejusdem generis, id est, ut utraque sit directa vel indirecta; quod autem idem sit supremus respectu potestatis directæ superioris, quia illam supra se non habet, et nihilominus sit indirecte subjectus alicui, non repugnat. Sed contra, quia, ut juristæ dicunt, quod directe fieri prohibitum est, nequit per aliam viam fieri, etiam indirecte, quia alias enervaretur et inutilis fieret prohibitio; ergo simili modo in præsenti. Quomodocumque enim rex dicatur alteri subjectus (etiam indirecte) in temporalibus, ejus excellentia in illo ordine tollitur.

2. *Solutio.*—Sed nihilominus responsio est optima, et re-

plica est nullius momenti, quia nullum est jus absolute prohibens subjectionem regis supremi in temporalibus, respectu superioris altioris ordinis, et ipsa temporalia excedentis. Quia vel hoc jus est naturale, et hoc non, quia hæc subjectio indirecta est superioris ordinis, et a jure divino positivo manat; vel est jus humanum, et hoc non potest esse juri divino contrarium, nec contra illud prævalere. Quocirca jus naturale in hac parte, sicut est fons et origo principatus civilis, et supremæ potestatis ejus, ita etiam dici potest directe tollere seu prohibere subjectionem ad similem potestatem ejusdem ordinis; respectu vero subjectionis indirectæ ad potestatem alterius ordinis, et spiritualem, quasi negative se habet; quia principem civilem in temporalibus supremum nemini quidem subjicit in eisdem temporalibus, etiam indirecte, non tamen repugnat quominus per jus superioris ordinis subjiciatur. Accedit, quod hæc subjectio indirecta in temporalibus intrinsece conjuncta est cum subjectione in spiritualibus, præsertim respectu potestatis spiritualis supremæ in suo ordine, et ideo nihil repugnat, etiam juxta principia juris humani, regem, directe supremum in temporalibus, fieri indirecte subditum in eisdem, quatenus hæc subjectio intrinsece conjuncta est cum spirituali; sic enim jura ipsa dicunt, id quod est directe prohibitum, posse alia via fieri, quando hoc necessario sequitur ex alio, quod eodem vel altiori jure concessum est. Neque propterea tollitur excellentia supremæ potestatis temporalis, vel supervacanea, aut nullius momenti redditur, tum quia semper retinet negationem directi superioris in eodem ordine, negatio autem indirecti superioris de illius ratione non est; tum etiam quia ille modus negationis, seu supremæ potestatis sufficit ad omnes morales effectus, qui ad rectam gubernationem politicam necessarii sunt et sufficiunt.

3. *Secunda objectio.* —Contra hoc vero objici potest secunda ratio, quia rex infidelis non baptizatus est ita supremus in temporalibus, ut in eis nullum recognoscat superiorem, neque di-

recte, neque indirecte; ergo etiam christiani principes sunt eodem modo supremi; ergo nulli subsunt in temporalibus etiam indirecte, ac subinde neque Pontifici. Probatur consequentia, tum quia non sunt pejoris conditionis fideles principes, quam infideles; tum etiam quia per baptismum non privantur aliis bonis temporalibus; ergo neque regnis, neque suis temporalibus prærogativis, juxta illud: «Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.» Tum denique quia alias hoc esset magnum impedimentum conversionis infidelium regum ad fidem et baptismum, si per illum sua libertate suprema, sive directe, sive indirecte privarentur. Atque ita omnia argumenta, quibus hoc supra de subjectione directa in temporalibus probavimus, de indirecta etiam urgere videntur.

4. *Solutio.—Discrimen inter reges baptizatos et non baptizatos.*—Respondemus, æquiparationem hanc inter fideles et infideles reges non esse cum omni æqualitate admittendam, quia rex non baptizatus non est subjectus directe spirituali potestati Ecclesiæ, et ideo mirum non est quod potestas ejus temporalis non subordinetur spirituali jurisdictioni, neque ab illa pendeat etiam indirecte, quoad vim directivam aut coactivam. Rex autem baptizatus est directe subditus spirituali potestati, ut vidimus, et ideo consequenter etiam potestas ejus temporalis subordinata manet spirituali potestati, saltem indirecte, in ordine ad illius finem. Quocirca potestas temporalis in utroque rege eadem quidem est, vel æqualis, neque in rege Christiano proprie et intrinsece minuitur (ut sic dicam) sed solum ratione subjecti novam incipit habere regulam, vel proximam, et internam, quæ est fides, et prudentia infusa, vel externam, quæ est spiritualis pastor, et lex seu potestas ejus, quatenus ad spiritualem finem ordinatur.

5. Et ita cessant aliæ objectiones, quæ solum probant non fieri diminutionem intrinsecam in illa potestate ratione fidei, non tamen probant non addi prædictam subordinationem, hæc enim intrinsece sequitur ex fide. Et non est imperfectio, sed

potius excellentia illius potestatis, ideoque non addit gravamen vel impedimentum conversioni regum ultra difficultatem intrinsecam, quam ipsa fides, et obedientia ecclesiastica secum afferunt. Hoc autem qualecumque gravamen intrinsece continetur in professione fidei Christianæ (1), in qua includitur tacitum pactum, et promissio obedientiæ ad pastores Ecclesiæ, et ad perdendum omnia propter Christum, si opus fuerit, juxta illud: «Qui venit ad me, et non odit patrem, matrem,» etc., «adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus,» Luc., 14. Et consequenter etiam sequitur obligatio ad perseverandum in fide, et ad defendendum illam pro ratione sui status, ac denique inde etiam oritur, ut quilibet Christianus sit subjectus correctioni ac dignæ pœnæ, si contra hujusmodi obligationem deliquerit. Hæc ergo obligatio et professio communis est christianis principibus, et ideo eidem potestati debita proportione subjiciuntur.

6. Addo vero ultimo, etiam reges ethnicos, juxta sui status capacitatem, spirituali potestati ecclesiasticæ esse subordinatos, et e converso potestatem Ecclesiæ indirecte saltem posse superioris actum in illos exercere. Nam si habeant subditos christianos, potest ab eorum dominatu eos liberare, vel quando eos conantur a fide avertere, ut limitat Durandus, in 2, distinct. 44, q. 3, vel simpliciter et absolute, ratione periculi, ut vult D. Thomas 2. 2, q. 10, art. 10. Quod est probabilius, quia in rebus ad bonos mores pertinentibus, cavendum est morale periculum, priusquam expectetur eventus, et ideo potestas extenditur etiam ad vitandum periculum, quamvis in usu ejus prudenter caveatur scandalum, ut supra diximus. Si vero reges ethnici nullos habent subditos christianos, ordinarie non habet Ecclesia potestatem super illos, etiam ratione subditorum, nisi in casu quo Evangelii prædicationem impedirent, vel subditos

(1) Vide Bellarminum contra Barclaium, cap. 3, n. 3.

cogerent ne illam reciperent. Unde fieri videtur, potestatem formaliter (ut sic dicam) esse eamdem, seu sub eodem titulo et respectu, licet usus illius circa diversas personas, juxta varias conditiones et status illarum, rarior aut frequentior, et major aut minor esse possit. Nonnulla vero intercedit differentia. Quia potestas Pontificis in principes christianos est propria jurisdictio, quæ licet spiritualis sit, indirecte ad temporalia extenditur. At vero circa principes ethnicos non est per modum jurisdictionis in ipsos principes, sed in eorum subditos christianos, propter quos tuendos potest infideles arcere, vel in officio continere, et ideo quidquid circa illos operatur, est per modum defensionis fidelium, non per modum vindictæ, aut punitionis infidelium. Denique addere possumus, sicut potestas regia, ex conjunctione ad fidem, aliquam recipit subjectionem, ita etiam majorem quamdam amplitudinem et excellentiam participare, et ita illud qualecumque onus hoc beneficio compensari. Nam rex christianus ductus regulis fidei multa potest præcipere, dirigendo illa ad fidei defensionem, vel religionis christianæ honorem, vel aliud supernaturale commodum, quæ ductus pura ratione naturali præcipere non posset; et similiter multa punit delicta, quæ ex vi solius rationis naturalis non puniret, ut, verbi gratia, hæresim, vel aliud simile.

7. *Ultima objectio ex triplici medio conflata. — Primum. — Secundum. — Tertium.* — Ultimo adduntur rationes quædam minoris momenti. Una est: Pontifex satis magnam sollicitudinem habet in spirituali cura; ergo non debet temporalibus immisceri, nam, si omnibus, qui Deo militant, hoc prohibuit Paulus, multo magis hoc videtur supremo pastori prohibitum, qui et aliorum exemplar esse debet, et majoribus curis spiritualibus distinetur. Altera ratio est. Quia in Pontifice, per se loquendo, et ex vi pontificatus non invenitur formaliter (ut sic dicam) regia dignitas; ergo nec potest regia potestas illi esse subordinata. Probatur consequentia, quia non potest una potestas alteri

subordinari et subjici, nisi eadem potestas, quæ est in subordinato, inveniatur in eo cui subordinari dicitur. Alia ratio est, quia non potest Papa dispensare in jure naturali, nec divinam institutionem mutare; ergo nec potest aut naturalem obligationem obediendi regi, a subditis, seu vasallis, aut a rege potestatem, quam Deus ipse contulit, auferre.

8. *Solutio.—Ad primum.*—Hæc vero facile expediuntur. Ad primum enim respondemus, illud ad summum procedere de administratione directa rerum temporalium, non vero de indirecta. Tum quia prior est distincta et separabilis ab spirituali potestate, posterior vero non est distincta, sed per se et intrinsece pertinens ad potestatem spiritualem, ideoque non potest illam impedire, cum potius sit usus et exercitium ejus. Tum etiam quia administratio directa temporalium per se et ex instituto circa illa versatur, et ideo necesse est ut præcipua intentione, ac subinde vel fere semper, vel majori ex parte circa illa occupetur; at vero administratio indirecta raro et per occasionem tantum (ut supra ex Bernardo attigimus) occurrit. Ideoque nec dici potest sæcularis cura, nec spiritualem impedire. Addo denique, quamvis Pontifex ex vi pontificatus non habeat directum regimen temporale, non fuisse contra munus ejus, aut contra consilium Pauli, ut aliunde acceptum utrumque simul conjunctum habeat, quia ad commune bonum Ecclesiæ, et ad meliorem usum ipsiusmet spiritualis potestatis, fuit ita conveniens. De quo puncto alibi latius diximus (1), et videri potest Gennadius, in expositione pro Concilio Florentino, cap. 5, sect. 3 et 4.

9. *Ad secundum.*—Ad secundum respondetur negando consequentiam, nam propositio illa, quæ in probatione ejus assumitur, simpliciter loquendo, falsa invenitur, tam in potentiis physicis quam in artibus, et consequenter etiam in moralibus.

(1) Lib. 4 de Leg.

Nam voluntas subjacet intellectui, et ab illo pendet, etiamsi formalis potestas voluntatis in intellectu non inveniatur. Item ars frænefactiva subordinatur equestri, quamvis hæc illam formaliter non includat, et patria potestas subordinatur regiæ, quamvis in rege formaliter non sit patria potestas circa filios suorum subditorum. Sic ergo potestas regia subordinatur Pontificali, etiamsi Pontifex temporalis imperator formaliter non sit. Et ratio est, quia hæc subordinatio fundatur in potestate altioris ordinis, quasi eminenter alteram continente. Item quia oritur ex subordinatione inter fines utriusque potestatis, quæ sufficit ut potestas, quæ ordinatur ad finem inferiorem, subjiciatur potestati respicienti altiorem finem. Illa ergo propositio, quod habens aliquam potestatem non subordinatur alteri, nisi habenti eamdem, seu similem potestatem, ad summum est vera in potestatibus ejusdem ordinis, quarum una est participatio alterius, ut est potestas delegata et ordinaria, seu potestas Vicarii et Prælati. Non habet autem locum illa propositio, quando subordinatio fundatur in eminentia superioris potestatis et finis ejus, ut declaratum est.

10. *Ad tertium.* — Ad tertium respondemus, licet Papa non possit dispensare in jure naturali, posse nihilominus mutare materiam ejus, qua mutatione facta ipsum naturale jus cessat, et ita in præsenti potest de subdito facere non subditum; subjectione autem ablata, cessat ratio et obligatio naturalis obediendi. Subjectio autem ipsa, sicut et potestas regia, non est immediate de jure naturali, sed de jure humano, ut supra ostensum est, et ideo ex justa causa per superiorem Pontificis potestatem auferri potest. Eo vel maxime quod aliqua bona a natura immediate collata, ut libertas et vita, possunt interdum per superiores potestates humanas juste auferri, ut ipso usu licito et honesto satis constat, quia Deus ipse, qui illa dona contulit, dedit etiam hominibus publicam potestatem ad auferenda illa ex justa causa. Sic ergo subordinatio regum temporalium ad spiritualem potestatem ab ipso Deo est, qui talem

potestatem contulit, ideoque non est contra jus naturæ, sed supra illud, et servata proportione illi maxime consentanea existit.

SUMMA PRÆCEDENTIS LIBRI CUM APOSTROPHE AD REGEM ANGLIÆ

11. Cum summi legislatoris, a quo omnis potestas in cœlo et in terra derivatur, inviolabili lege sancitum sit, reddenda esse Cæsari quæ Cæsaris sunt, et quæ sunt Dei Deo, hanc regulam ita in hujus libri doctrina servare studuimus, ut nemo, si recte oculis aspiciat, unicuique datum a nobis esse, quod suum est, dubitare possit. Ostendimus enim duplicem illam, qua mundus hic regitur, potestatem, temporalem et spiritualem, regiam et Pontificiam, a Deo datam esse, et utramque in suo ordine supremam esse comprobavimus. Ita vero illas inter se differre monstravimus, ut regia humanarum ac temporalium rerum curam tantummodo gerat; Pontificia vero rerum temporalium fines transcendens, et spiritualis vitæ finem ultimum intuens, divinis ac æternis rebus ordinandis incumbat. Unde tandem concludimus, tantum inter se potestates has distare, quantum a corpore anima, a temporalibus æterna, a corporalibus spiritualia, et a terrenis cœlestia dissident. Ac proinde sicut æquum est, corpus animæ subjici, et ad sempiterna temporalia referri eisque subordinari, ita necessarium esse ut in Christi Ecclesia, in qua omnia recto et optimo ordine constituta esse debent, regia potestas Pontificiæ subjecta sit, ut ab ea in æternam beatitudinem dirigatur, et, sicubi ab eo fine deflexerit, emendetur ac corrigatur.

12. Hac itaque justa et æquissima distributione servata, Pontifici dedimus quæ sua sunt, quæque illi Princeps pastorum et totius gregis dux contulit; et tibi, quæ tua sunt, rex serenissime, non negavimus. Superest igitur, ut eidem Christi regulæ

ac legi te subjectum esse consideres, ne plus quam oportet, de tua potestate præsumendo, terminos tibi præscriptos transcendas, et quæ divinæ sunt potestatis usurpes. Scito te ovem gregis Christi esse, non pastorem ; noli ergo pastores pascere ac regere, aut fines a supremo Pastore præscriptos transilire. Audi Nazianzenum (1), alicubi imperium suum terreno imperio præferentem, et inter oves suas imperatores et reges annumerantem. Ad quas oves alibi hunc in modum loquitur: «Oves, pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite, satis enim vobis est, si recte pascamini. Judices ne judicate, nec legislaboribus leges præscribite. Non est enim dissensionis et confusionis Deus, sed pacis et ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix, aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est; verum quo vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiam si alioqui præstantiori dignus sit, plus utique laudis habiturus ex eo, quod præsenti gradu acquiescit, quam si eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cum sine periculo alium sequi liceat, præire cum periculo expetat; nec obedientiæ lux, quæ tam terrena, quam cœlestia tuetur, atque conservat, infringatur.»

13. Quid, quæso, rex humanissime, a tuis subditis tam anxie postulas, et summo jure exigis, sicut obedientiam principi debitam? Illam Pauli sententiam in tuo libro frequenter inculcans : «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit»; imple igitur naturalem illam legem a Christo propositam et commendatam : «Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.» Et quam obedientiam a subditis requiris, eam fideliter præsta illi prudenti ac fideli dispensatori, quem Christus super omnia bona sua constituit, tibique ita præposuit, ut rationem pro anima tua redditurus sit. Quod enim Paulus fideles omnes monuit, et præcepit: «Obedite præpositis vestris,

(1) Orat. 17 ad cives gravi timore perculsos.

et subjacete eis, ipsi enim pervigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri», non minus ad regem, si christianus sit, quam ad cæteros fideles pertinet. Quod si fortasse, rex serenissime, verbis meis non dignaris attendere, audi, quæso, Bernardum, ad Conradum regem scribentem, et pro me loquentem: «Regis dedecus regnive diminutionem nunquam volui, violentos odit anima mea. Legi quippe: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; et: Qui potestati resistit, Dei ordinatione resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, et omnimodis moneo custodire in exhibenda reverentia summæ et Apostolicæ Sedi, etB. Petri successori, sicut ipsam vobis vultis ab universo vestro servari imperio.» Et adjungit, quæ non minus libenter usurpo, sequentia verba: «Sunt quæ non putavi scribenda, præsens ea fortassis opportunius intimarem.

FINIS LIBRI TERTII

INDEX

LIBER TERTIUS

Pag.

Liber tertius.—De summi pontificis supra temporales reges excellentia et potestate. 5

Caput primum.—Utrum principatus politicus legitimus et a Deo sit. 7

Caput II.—Utrum principatus politicus immediate a Deo sit, seu ex divina institutione. 14

Caput III.—Fundamentis et objectionibus Regi Angliæ contra doctrinam superioris capitis satisfit. . . . 30

Caput IV.—Utrum inter Christianos sit legitima potestas civilis, cui Christiani parere teneantur. . . . 39

Caput V.—Utrum reges christiani in civilibus seu temporalibus supremam potestatem habeant, et quo jure?. 57

Caput VI.—Utrum sit in Ecclesia Christi spiritualis potestas jurisdictionis externæ et quasi politicæ a temporali distincta? 73

Caput VII.—Potestatem regendi Ecclesiam in spiritualibus seu ecclesiasticis rebus, in temporalibus regibus seu principibus non existere, auctoritate probatur. 89

Caput VIII.—Eadem veritas rationibus confirmatur. . 102

Caput IX.—Solvuntur aliquæ objectiones contra veritatem in superioribus capitibus probatam.. 113

Págs.

Caput X.—Utrum Christus Dominus supremam Ecclesiæ spiritualem potestatem Petro contulerit?. . . 125
Caput XI.—Objectionibus contra superioris capitis doctrinam satisfit. 143
Caput XII.—An primatus Petri perpetuo et per successorem in Ecclesia perseveret.. 160
Caput XIII.—Romanum Episcopum verum Petri successorem esse, et in eo Petri potestatem perseverare, ex Divina Scriptura credendum esse, ostenditur. . 168
Caput XIV.—Romanum Pontificem successorem esse Petri, testimoniis Sanctorum Patrum ostenditur.. . 178
Caput XV.—Pontificem Romanum in dignitate et potestate, ac primatu Ecclesiæ successorem ese Petri eorumdem Pontificum auctoritate comprobatur. . . 181
Caput XVI.—Occurritur protestantibus, argumentum ex pontificum traditione sumptum eludentibus, et auctoritate conciliorum confirmatur. 197
Caput XVII.—Eadem traditio Patrum auctoritate confirmatur. 206
Caput XVIII.—Duabus objectionibus contra primatum Pontificis, ex scriptura et conciliis desumptis, satisfit.. 218
Caput. XIX.—Explicantur quædam loca Gregorii quæ rex objicit, et veri tituli Romani Episcopi defenduntur.. 226
Caput XX.—Aliis objectionibus ex factis imperatorum, et conjecturis desumptis respondetur. 233
Caput XXI.—Utrum personæ principum seu regum temporalium spirituali potestati summi Pontificis subjectæ sint. 242
Caput XXII.—Reges christianos non solum quoad personas, sed etiam quoad regiam potestatem, id est, non solum ut homines, sed etiam ut reges christianos, potestati Pontificis subjici.. 257
Caput XXIII.—Pontificem summum potestate coerciva in reges uti posse, usque ad depositionem etiam a

Pag.
regno. si causa subsistat. 271
Caput XXIV.—Objectionibus contra doctrinam superiorum capitum ex Scriptura petitis occurritur. . . . 288
Caput XXV.—Alteri objectioni, et factis regum quae in veteri testamento narrantur sumptæ, satisfit. . . . 302
Caput XXVI.—Argumento sumpto ex comparatione regis et Pontificis satisfit. 315
Caput XXVII.—Aliis objectionibus ex conciliis sumptis satisfit. 323
Caput XXVIII.—Patrum testimoniis, quæ rex objicit, satisfit. 330
Caput XXIX.—Objectionibus ex rei novitate, et factis imperatorum regumque desumptis satisfit. . . . 337
Caput XXX.—Objectionibus ex nonnullis rationibus desumptis satisfit. 349
Summa præcedentis libri cum apostrophe ad Regem Angliæ. 356

MENDA SIC EMENDA

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
31	23	Conditionis.	Conditiones
104	1	funitdamenta	fundamenta.
106	5	superam	suprema
120	24	regum	regnum
129	3	Petro	Petrum
220	14	demonstrantum.	demonstratum
223	6	Poncilii	Concilii
231	9	Cum	Cur
251	6	egatum	Legatum
274	29	legandi	ligandi
284	12	dilecti	delicti
311	1	sumptos	sumptus

R. P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

TOMUS QUARTUS

DEFENSIO
FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

CUM RESPONSIONE AD APOLOGIAM PRO JURAMENTO FIDELITATIS, ET EPISTOLAM AD PRINCIPES CHRISTIANOS SERENISSIMI JACOBI ANGLIÆ REGIS

R. P. FRANCISCO SUAREZ

E SOCIETATE JESU

Accuratissima completaque editio a Bibliothecariis VERÆ SCIENTIÆ HISPANÆ *compulsata*

TOMUS QUARTUS

BARCINONE

APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA

IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16

1882

Eccles. super. permisu

LIBER QUARTUS

DE

IMMUNITATE ECCESIASTICA

SEU EXEMPTIONE CLERICORUM A JURISDICTIONE TEMPORALIUM PRINCIPUM.

Dogmatis de immunitate ecclesiastica, seu de exemptione clericorum a temporalium principum jurisdictione, veritatem sæpe in superioribus supposuimus, eamque in præsenti libro expendere, confirmare ac defendere, tum in principio hujus operis, tum in cap. 9 superioris libri promisimus, quoniam ad hujus operis complementum, plenamque ad querelas et objectiones regis Angliæ responsionem, necessarium esse judicamus. Rex etenim in fine Apologiæ pro juramento fidelitatis, et in Præfatione (1) ad principes christianos, dogma istud ex libris Bellarmini «mirabundus» (ut ipse ait) referens, non solum audaciam et temeritatem in Cardinali, sed etiam in dogmate ipso

(1) In præfatione, pag. 25

novitatem affingere et reprehendere ausus est. Et inde maximos catholicos reges contra Pontificem excitare ac provocare nititur, quod «eorum præcipue intersit, ne quid prærogativis legalibus detrahatur.» Unde ad illos sic loquitur: «Quod si potentissimus quisque vestrum alte, serioque recogitet, pene tertiam populi solique vestri partem Ecclesiæ esse dicatam, nonne,quæso, illius jacturæ sensus animos vestros percutiet, quæ tantum hominum fundorumque vestro juri subtrahat, ut ubique Pontifici coloniæ, provinciæque constituantur?» (1) et alia prosequitur, quæ infra referemus; nam objectiones, quasdam continent, quibus in discursu hujus libri satisfaciendum est. Prius ergo catholicum dogma de vera libertate seu immunitate ecclesiastica, et clericorum exemptione juxta vera Theologiæ ac juris canonici principia explanare et divinis testimoniis ac rationibus pro nostra tenuitate stabilire curabimus. Deinde vero non solum regias objectiones, sed etiam quæ occurrerint graviores, in medium afferemus, eisque ita, ut spero, satisfaciemus, ut locum in hoc dogmate habere constet, quod alias Chrysostomus dixit: «Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus (2).»

(1) Ib., pag. 27.

(2) Homil. 15 in Joan.

CAPUT I

Quid nominibus ecclesiasticæ immunitatis, libertatis ac exemptionis significetur?

1. *Methodus in hoc libro servanda.*—Quoniam hujus libri materia non solum fidei sed etiam morum doctrinam complectitur, ita a nobis tradenda est, ut et contra Ecclesiæ Catholicæ adversarios veritatem fidei ostendamus, et pro morali usu ac praxi Catholicis inservire possimus Ac propterea non solum sacræ paginæ testimonia, sed etiam leges, tum canonicas, tum civiles, diligenter considerabimus et expendemus, ab his enim maxime doctrina præsertim moralis pendet. Ideoque imprimis voces, quibus jura de hac materia loquentia uti solent, explicandæ sunt, ut ita res ipsa et jura melius intelligi valeant. Sunt autem potissimum hæ voces tres illæ, quas in titulo proposuimus, quas breviter in hoc capite declarabimus.

2. *Immunitatis descriptio.*—Prima vox est «immunitas,» quæ generatim sumpta describi potest, ut sit, «privilegium quo res aliqua, vel persona, a communi aliqua obligatione seu onere eximitur.» Quam descriptionem sumo ex 1. «Munus,» 18, ff. de Verbor. significat., ubi «munus» inter alia onus significare dicitur, de quo subjungit Paulus J. C.: «Cum remittitur, vacationem militiæ, munerisque præstat, inde immunitatem appellari.» Ubi «militiæ» nomen exempli causa positum videtur, quatenus onerosum munus est; immunitas autem generatim esse dicitur vacuitas muneris pro onere sumpti, quæ per quamdam remissionem seu concessionem datur; hæc igitur carentia seu ablatio oneris ad Ecclesiam applicata dicitur immunitas ecclesiastica. Quid autem per hanc particulam ultimam denotetur, ex dicendis constabit. Potest autem in hac immunitate consi-

derari, vel actus remittendi, seu jus speciale, quo aliquis eximitur a communi onere, vel effectus illius juris, qui est carentia seu vacatio talis oneris et obligationis. Et utrumque potest nomine immunitatis significari, ut sumi potest ex titulo de Immunitate nemini conced., C. libro decimo. Immunitatem ergo, ut significat jus vacandi a muneribus, dicimus esse privilegium excusans ab onere communi. Utimur autem nomine privilegii lato modo, ut comprehendere potest jus aliquod naturale vel divinum, alicui specialiter conveniens comparatione aliorum, ut in sequentibus magis declarabimus. Immunitas autem sumpta pro ipso effectu privilegii dici potest vacuitas seu excusatio a munere, utique legitima et aliquo jure fundata. Et fortasse hoc modo distingui possunt duo tituli juris civilis, ff. de Vacat. et excusat. munerum, et de Jure immunitatis. Sed de hoc alias. In præsenti ergo utroque modo sumi potest immunitas, quæ ecclesiastica appellatur, quatenus res vel personas ecclesiasticas ab oneribus, aliis rebus vel personis communibus, eximit, et in talium rerum vel personarum decentiam ac reverentiam concessa est.

3. *Immunitas triplex, locorum, personarum et bonorum.—Immunitas locorum in quo consistat.*—Hæc autem immunitas ex parte subjectorum, seu rerum quibus concessa est et quasi adhæret, duplex vel triplex distingui solet. Una est immunitas locorum, seu templorum, aut ecclesiarum; alia est immunitas personarum, seu clericorum; tertia est immunitas bonorum, quæ ad duas priores revocari potest, quia bona aut sunt Ecclesiarum, aut clericorum, et ratione illorum ab oneribus seu tributis eximuntur. Prima locorum sacrorum immunitas in duobus consistit: primo, in vacatione ab actionibus profanis talium locorum sanctitati repugnantibus, aut ea polluentibus. Secundo, in hoc quod sunt loca refugii, securitatis ac custodiæ, tam reorum ad ea confugientium, quam bonorum quæ in eis reponuntur. Ita sumitur ex titulis de Immunit. Ecclesiarum, et ex 17, q. 4, fere per totam, et notavit specialiter Glos., in c. «Cum

devotissimam,» 12, q. 2, verb. «Pro violata immunitate.» De hac vero immunitatis specie dictum late a nobis est in tom. 1 de Religione, lib. 3 toto, nihilque hoc loco addendum occurrit, maxime cum ad præsentem causam nihil pertineat. Aliæ vero duæ immunitates personarum et bonorum præsentis considerationis maxime sunt, et utramque attingit rex Angliæ, cum ingentem personarum et fundorum partem regio juri subtrahi conqueritur, et ideo de utraque dicemus.

4. *Quid libertas ecclesiastica sit.—Prima opinio.*—Atque ex hujus vocis declaratione, facile intelligitur quid libertas ecclesiastica sit; aliqui enim existimant has voces esse synonymas, alii differentiam aliquam inter eas constituunt. Ut videre licet in Cajetano, in Sum., verb. «Immunitas,» ubi licet prius illas voces confundat, in fine tamen in ordine ad intelligentiam canonum, illas ita distinguit, ut nomine libertatis ecclesiasticæ solam immunitatem personarum in se et in bonis suis, nomine autem ecclesiasticæ immunitatis locorum tantum exemptionem significari velit, ideoque violantem templi immunitatem non censet agere contra libertatem ecclesiasticam, nec censuras contra violantes ecclesiasticam libertatem latas incurrere. Et ad id confirmandum expendit Cajetanus verba Benedicti XII in Extravag. 1, de Privileg, ubi referens casus reservatos, distincte numerat «Ecclesiarum immunitatis et ecclesiasticæ libertatis violatores;» ergo sentit verbis illis diversa privilegia Ecclesiæ significari.

5. *Secunda opinio.*—Nihilominus voces illas idem significare docuit Covar., d. c. 20, lib. 2 Variar., in princ., et secutus est Tuschus, ver. «Ecclesiæ immunitas,» concl. 8, n. 9. Potestque suaderi ex descriptione immunitatis, quia immunitas non est nisi carentia quædam subjectionis et oneris, quæ carentia nomine etiam libertatis significatur, sicut etiam libertas significare solet carentiam servitutis seu necessitatis; ergo, addita eadem determinatione ecclesiasticæ libertatis, sicut et immunitatis, idem utraque voce significabitur. Unde ponderat

Covar., in dicta Extravag. 1, non addi eamdem determinationem, sed variari, cum dicitur, «Ecclesiarum immunitatis, et ecclesiasticæ libertatis,» nam voces, «ecclesiarum,» et «ecclesiasticæ,» non idem significant, quia nomine «ecclesiarum» ibi significantur templa juxta vulgarem usum, et ita per illam vocem compositam solum ibi significatur immunitas sacrorum locorum; cum vero dicitur «ecclesiastica libertas,» nomen «ecclesiastica» sumptum est generaliter ab Ecclesia, maxime ratione ecclesiastici status; et ideo ibi proprie significat exemptionem ecclesiasticarum personarum, tam in se quam in bonis suis. At hæc libertas etiam vocatur in jure immunitas ecclesiastica, in cap. «Adversus,» de Immunitate ecclesiarum, juncto cap. «Non minus.» eodem. Ergo, stante eadem determinatione ecclesiastice libertatis et immunitatis, idem utraque voce significatur. Unde in communi usu Doctorum voces illæ tanquam synonymæ usurpantur, ut videre licet in Joan. Lup., tractat. de Libertat. Ecclesiast., a principio, per totum, et præsertim 1 p., q. 3, et 2 p., q. 11; Rebuff, tract. de Immunit.; et Hieronym. Alban. in tract. alio de Immunit. et reliquis, in Rubricis de Immun.

6. *Præfertur secunda sententia.* — Quocirca hæc posterior sententia in rigore vera est, recteque probatur attento usu et verborum proprietate. Nec Cajetanus simpliciter contradicit, fatetur enim voces illas sæpe confundi; addit vero, in usu canonum censuram ferentium contra violantes ecclesiasticam immunitatem, vel contra ecclesiasticam libertatem, illam differentiam servari, quod priora tantum puniunt inferentes injuriam locis sacris, posteriora vero eos qui agunt contra immunitatem personarum. Quæ etiam differentia non satis firma est, nam prior pars ad summum habet locum, quando in canone est sermo de immunitate ecclesiarum, nam tunc ordinarie nomine ecclesiarum significantur templa, ut dixi, et ex illo addito determinatur canon ad loca sacra. At si canon disponat contra violantes immunitatem ecclesiasticam, plane omnia compre-

... ex actione quam punit, vel ex aliis circumstantiis, constet de immunitate locorum vel personarum specialiter loqui; et ita vox de se indifferens est, et omnia comprehendit, nisi aliunde determinetur. Idemque est si canon loquatur de immunitate «Ecclesiæ» in singulari, tum quia vox «Ecclesiæ» de se solum generaliter determinat immunitatem Ecclesiæ concessam, sive in locis, sive in personis; tum etiam quia præcipue significare solet congregationem fidelium, nisi aliunde determinetur, vel ex contextu constet sermonem esse de materiali templo.

7. *Differentia inter canones delicta contra immunitatem vel libertatem Ecclesiæ punientes.* — Alia vero differentia excogitari potest inter canones punientes eos, qui contra immunitatem Ecclesiæ aliquid faciunt, vel contra libertatem. Duobus enim modis potest immunitas violari. Primo, solo facto, sine usurpatione juris; secundo, sub prætextu juris alicujus seu legitimæ potestatis. Priori modo agit contra immunitatem, qui ecclesiam incendit, infringit, spoliat, bona ecclesiæ surripit; posteriori modo agit contra immunitatem judex qui reum ab ecclesia extrahit. Unde posterior hic modus non solet committi, nisi a gerente publicam potestatem, vel sub aliquo ejus colore seu prætextu; prior vero a quocumque, privata potestate, per violentiam potest committi; utroque autem istorum modorum fit contra immunitatem, proprie vero contra libertatem ecclesiasticam tantum posteriori modo committi videtur. Sic enim qui violentas manus in clericum injicit, contra immunitatem Ecclesiæ agit, non tamen videtur agere contra libertatem ecclesiasticam; e contrario vero judex sæcularis, judicium in clericum usurpans, violator est ecclesiasticæ libertatis proprie (ut ita dicam) et specifice, licet ibi etiam generatim includatur immunitatis violatio, quia non potest jus immunitatis violari sine actione immunitati contraria.

8. *Quando contra immunitatem, et quando contra libertatem Ecclesiæ fiat.* — Simili modo, qui privata auctoritate per solam

vim et injuriam aliquam personam ab ecclesia extrahit, contra immunitatem tantum Ecclesiæ agit; qui autem id facit titulo publicæ potestatis et jurisdictionis, vel qui statuit ut ecclesiæ non habeant privilegium securitatis et asyli delinquentium confugientium ad ipsas, etiam libertatem ecclesiasticam violat, quia non solum usum, sed etiam jus immunitatis Ecclesiæ eripere conatur. Et hoc modo videntur optime intelligi verba Benedicti XII supra citata. Et ratio reddi potest, quia minus requiritur ad agendum contra immunitatem, quam contra libertatem Ecclesiæ, ac subinde latius patet agere contra immunitatem, quam contra libertatem; omnis enim qui libertatem infringit, immunitati etiam derogat, non vero e converso, nam qui negat facto tantum obedientiam Ecclesiæ, ad summum erit schismaticus. Et hac etiam ratione dixit Cardinalis Zabar., in Repetit., c. «Perpendimus,» de Sentent. excomm., n. 2, opposit. 7, odiosius esse clericum judicari a laico, quam ab alio ut privato percuti, nimirum, quia illud prius est contra libertatem ecclesiasticam, hoc vero posterius tantum videtur contra immunitatem. Habetque hoc fundamentum in cap. «Si vero,» de Sentent. excomm., ubi percussio clerici facta a ministro potestatis, non ut ministro, sed ut privata persona, et sine usurpatione jurisdictionis, non censetur semper inducere censuram reservatam Pontifici; percussio autem facta ab officiali potestatis, utique ut ministro ejus, semper declaratur reservata, cujus ratio non videtur esse alia, nisi quia hæc posterior est gravior, et odiosior actio, utpote contraria libertati Ecclesiæ, et non tantum immunitati, sicut prior. Denique differentia hæc etiam videtur proprietati verborum consentanea, nam ille proprie agit contra libertatem alicujus, qui vult illum in servitutem redigere, et onus servitutis illi imponere; qui vero facto tantum injuriam alteri facit, eumque tanquam servum percutit, non proprie agit contra libertatem ejus.

9. Verumtamen in hoc puncto negare quidem non possumus, illos duos modos violandi ecclesiasticam immunitatem esse

distinctos; et ex suo genere gravius multo esse delictum, quando non solum facto, sed etiam prætenso jure immunitas rumpitur, sicut longe gravius est jus decimarum Ecclesiæ negare, quam decimas non solvere. Nihilominus tamen hoc non obstat quominus utroque modo violetur libertas ecclesiastica, sicut immunitas, quia (ut ostendi) immunitas et libertas ecclesiastica, eodem modo determinata, in re idem sunt. Et quamvis verum etiam sit potuisse facile nomen violationis libertatis ecclesiasticæ quasi per antonomasiam applicari ad significandum modum violationis, qui non solum violentia, sed etiam præsumpto et usurpato jure nititur; eo quod libertatis nomine magis jus ipsum significari videatur, et quia frequenter videntur jura hanc violationem immunitatis, contra libertatem ecclesiasticam vocare, ut in dicto c. «Non minus,» et in multis censuris Bullæ Cœnæ videre licet; nihilominus affirmare non possumus differentiam illam esse in jure constantem, nec tanquam regulam constituere, quod censura lata contra violantes libertatem ecclesiasticam non comprehendat omnes violatores immunitatis, nisi ex verbis vel materia legis limitatio talis colligatur. Quia illa regula vel differencia nullo jure satis fundata est, nec est in usu Doctorum, ut constat ex his quæ congerit Joan. Lup., tract. de Libert. ecclesiastic., p. 1, quæst. 10, et aliis quæ enumerat Guilielmus Luveranus, in tract. de Arbore jurisdict., in illius declarat., n. 15; et ex Rebuff., in Concord., tit. de Firma et irrevoc. concord. stabili, § penult , verb. «Quæro quæ sunt statuta.»

10. *Quid exemptio ecclesiastica significet.*—Atque ex his tandem explicata relinquitur tertia vox, «exemptionis ecclesiasticæ», nam in re idem significat quod immunitas vel libertas, et ita communiter solet una vox per aliam explicari seu describi. Videtur tamen nomen exemptionis esse magis facti quam juris, ac proinde magis significare effectum privilegii, quam privilegium ipsum immunitatis. Unde potest non immerito quæri, an omnis exemptio, privilegio concessa templis, rebus aut personis ecclesiasticis, censeatur ad immunitatem vel libertatem ecclesiasti-

cam pertinere, ita ut qui omnem hujusmodi exemptionem violaverit, censeatur contra immunitatem vel libertatem ecclesiasticam agere, et censuras contra ejusdem libertatis usurpatores latas incurrere. Duplex enim potest esse tale privilegium: unum generale, concessum ecclesiis omnibus, ut ecclesiæ sunt, vel personis ecclesiasticis, qua tales sunt; et de ejusmodi privilegio certum est, ad immunitatem ecclesiasticam pertinere, in hoc enim consentiunt omnes, et patebit ex dicendis. Alia vero potest esse exemptio ex privilegio particulari dato tali ecclesiæ, vel dignitati, aut personæ ecclesiasticæ, ex peculiari illius consideratione.

11. *An privilegium alicui specialiter concessum ad immunitatem Ecclesiæ pertineat.—Prima sententia Rebuffi.— Fundamentum.*—Et de hac exemptione est dubium an pertineat ad immunitatem ecclesiasticam, ita ut violatio illius sit ecclesiasticæ immunitatis violatio. Affirmat enim aperte Rebuffus, in Concord., loco proxime citato, referens plures; sequitur Card. Tuschus, verb. «Libertas Ecclesiastica,» concl. 341, num. 17 et sequentibus, ubi alios allegat. Et idem videtur sentire Rochus Curt., tract. de Consuet., sect. 5, circa secundam partem Glossæ, num. 21, et Joan. Lup., dicto tractat. de Liber. ecclesiast., p. 1, q. 10, casu 12 et 10. Moveri potuerunt hi Doctores, vel quia immunitas ecclesiastica comprehendit omnia privilegia ecclesiis vel ecclesiasticis personis concessa, vel quia ad agendum contra libertatem ecclesiasticam, satis est agere contra libertatem unius ecclesiæ. Nam statuta privata unius reipublicæ contra Ecclesiam, tantum ecclesias illius territorii lædunt, et nihilominus sunt contra ecclesiasticam libertatem, quia in una ecclesia offenduntur omnes, sicut in percussione unius clerici totus clerus offenditur, et timidior fit.

12. Nihilominus dicendum est, secundum juris usum et ecclesiasticum morem, solam illam exemptionem ad ecclesiasticam immunitatem vel libertatem pertinere, quæ manat ex generali privilegio dato Ecclesiæ, vel in honorem et reverentiam

templorum, vel ob decentiam et dignitatem ecclesiastici status seu clericalis ordinis. Hæc est communis sententia jurisperitorum, in c. «Noverit,» de Sent. excomm.; et in Authent. «Cassa,» c. de Sacrosanct. eccles., ut testantur Panormitanus, in dicto c. «Noverit,» num. 2, et lib. 1 Consil., in 83, num. 1; et Decius, in dict. Authent. «Cassa, num. 18; Jul. Clar., l. 5, § ultim., q. 77, num. 28; Sylv., verb. «Excommunicatio, 9, Excom. 10; et Lapus, allegat. 3; et alios retuli et secutus sum. tom. 3 de Censur., disp. 21, sect. 2, num. 89 et 90, ubi hoc latius explicui. Et idem sensit Cajetanus, in Summa, verb. «Immunitas,» dicit enim, quoad poenas juris, sub immunitate non venire, nisi exemptiones, quæ ex generali privilegio Ecclesiæ competunt, quoad culpam vero ejusdem rationis esse posse violationem exemptionis speciali privilegio alicui ecclesiæ datæ, cum violatione immunitatis communiter Ecclesiæ concessæ, licet prior culpa non ita puniatur in jure, sicut posterior. Unde sentit, et bene, exemptionem alicujus ecclesiæ ex speciali privilegio in reipsa vere esse quamdam immunitatem et libertatem ecclesiasticam. Quia est liberatio ab onere, quam vox immunitatis generatim significat; est autem concessa rei sacræ, qua talis est, ac subinde religiosa, et suo modo secra merito dici potest, ergo violatio ejus est irreligiosa, sacrilega, et consequenter ejusdem specie cum violatione similis immunitatis concesæ Ecclesiæ per generale privilegium. Et nihilominus jura non puniunt has violationes specialium privilegiorum, neque de illis tractant, quando libertatem et immunitatem ecclesiasticam tuentur, sed de his quæ generaliter ad Ecclesiam et ecclesiasticum statum spectant et ideo diximus, in usu juris, sub immunitate ecclesiastica solas exemptiones ex privilegiis universalibus comprehendi

13. Unde fit ut determinatio illa immunitatis, cum ecclesiastica dicitur, habitudidem dicat ad Ecclesiam secundum communem rationem suam. Non quia debet privilegium esse concessum Ecclesiæ universali in omnibus membris suis, hoc enim necessarium non est, ut constat, sed ut respiciat totam

Ecclesiam pro illis membris vel locis quæ talis immunitatis su[sceptibiles] capaces. Unde etiam recte adnotavit Cajetanus, ad violation[em] hujus immunitatis, non esse necessarium ut in tota Ecclesia, vel in omnibus personis aut locis quibus convenit, violetur, sed satis esse quod violetur in uno seu in quolibet, cui ex generalis privilegii competit. Et hoc solum probat fundamentum contrariæ sententiæ, et aliqui ex prioribus auctoribus non aliud intendunt, præsertim Rochus Curti., qui alios refert. Et est manifestum ex juribus quæ ipse allegat, c. 2, de Reb. Eccles. non alienand., et c. 2, de Foro compet., ubi etiam ratio redditur, quia injuria facta uni personæ contra generale privilegium communitatis, et propter communitatem concessum, in totam communitatem redundat, et ideo est propria violatio immunitatis, quam jura puniunt. Unde etiam obiter intelligitur, licet contingere possit, violationem specialis privilegii et propriæ immunitatis ecclesiasticæ quoad speciem culpæ esse ejusdem rationis, nihilominus ex genere, seu modo suo, violationem immunitatis hoc habere peculiare, quod est veluti communis injuria, ut in communitatem speciali titulo redundans; ita ergo immunitas proprie dicit exemptionem aliquam Ecclesiæ communem.

14. *De qua immunitate in hoc opere agitur.*—Ex quibus tandem concluditur de hac sola propia immunitate seu libertate ecclesiastica in præsenti tractari, et quia jam locorum immunitatem exclusimus, solum de immunitate personarum, vel in se, vel in rebus esse sermonem. Addendum vero est, personis ecclesiasticis duplicem immunitatem seu duplex generale privilegium esse concessum: unum appellatur privilegium canonis, aliut fori. Prius est privilegium (ut ita dicam) securitatis et indemnitatis personarum ecclesiasticarum, cui per canonem «si quis suadente,» 17, q. 4, cautum est, singularem censuram ferendo contra percussores clericorum, Et de hac immunitate nulla est nobis controversia cum rege Angliæ, et alioqui materia illius canonis alibi est a nobis tractata, et ideo de ea

exemptione seu immunitate non erit in præsenti sermo. Privilegium autem fori dicitur illud, quo clericis exemptio a jurisdictione laica concessa est, cui consequenter annexa est exemptio a tributis, et in his controversia versatur.

CAPUT II

Utrum clerici in spiritualibus et ecclesiasticis causis a potestate principum sæcularium jure divino exempti sint

1. *Aliquorum hæreticorum error. — Fundamentum. — Confirmatio.* — Punctum hoc in principiis superiori libro positis virtute definitum est; illud autem hic præmittimus, tum quia rex Angliæ clerum in omnibus rebus et causis sibi fore subjectum in suo regno contendit, idemque respective de cæteris regibus et regnis, cum Marsilio Patavino, et aliis similibus, affirmat; tum etiam quia, hoc errore rejecto, majori claritate et certitudine constabit, in quo propria immunitas et exemptio clericorum posita sit. Fundamentum ergo prædicti erroris est, quia vel nulla est in Ecclesia Christi spiritualis potestas, sed sola civilis seu temporalis, qua omnia, tam sæcularia quam ecclesiastica, gubernanda sunt, et omnes leges ferendæ, et judicia terminanda, in quacumque materia versentur. Quia omnia, tam ecclesiastica quam civilia, comprehenduntur sub politico ordine ac regimine, neque aliter cadunt sub potestatem humanam; totus autem politicus ordo sub regiam potestatem cadit. Vel certe, si illius erroris sectatores aliquam spiritualem potestatem agnoscunt, illam volunt esse in regibus in supremo gradu, ex eodem fere fundamento, quod totus ordo hierarchicus Ecclesiæ est tantum politicus, id est, propter externam politiam ecclesiasticam, quæ unum corpus facit cum civili, et ideo ne-

cesse est totam eidem regi supremo subjici. Unde ad hoc confirmandum expendunt, Paulum omnia, quæ ad humanum regimen spectant, regi supposuisse sine ulla exceptione, dicens: «Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit (1).» Ex quibus verbis quidam intulit, principes sæculares habere auctoritatem ferendi leges in omni materia, et obligantes omnes personas, juxta illud: «Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt (2).» Confirmatur hoc, quia Theodosius imperator, in suo Codice, et postea Justinianus, in suo, multas leges de spiritualibus rebus condiderunt, ut de Sacrosanctis ecclesiis, de Episcopis et clericis, etc. Et plures similes habet Alphonsus, Hispaniæ rex, in suis legibus Partitar., par. 1; ergo «qui illis resistit» (teste Paulo), «Dei ordinationi resistit.»

2. *Conclusio de fide.* — Veritas nihilominus catholica est, clericos in spiritualibus seu ecclesiasticis causis omnino esse immunes a jurisdictione temporalium principum: ita docent omnes catholici scriptores in locis infra allegandis, conveniuntque omnes, immunitatem clericorum quoad hanc partem esse de jure divino; quod æque certum ac de fide esse censeo, quia eisdem principiis et fundamentis nititur. Hæc autem principia tria sunt præcipua, quæ in superiori libro probata sunt. Unum est, esse in Ecclesia potestatem gubernativam spiritualem, a civili distinctam, et superioris ordinis, datam ipsi Ecclesiæ ex singulari Christi institutione et donatione ultra omne jus naturæ. Quod principium in cap. 6 præcedentis libri probatum est. Aliud principium est, hanc potestatem spiritualem non esse in regibus vel principibus temporalibus, seu in pastoribus Ecclesiæ a Christo datis, et præsertim in Summo Pontifice, qui est Romanus Episcopus, et hoc principium probatum est in eodem libro, a cap. 10. Tertium principium est, hanc spiritualem potestatem non esse subordinatam potestati regum, sed potius

(1) Rom., 13.
(2) Prov., 8.

habere illam sibi subjectam, quod in eo libro, a cap. 20, fuse probatum ac defensum est.

3. *Probatur assertio ratione.* — Ex his ergo principiis sic concluditur. Causæ spirituales per spiritualem potestatem stabiliendæ ac definiendæ sunt; sed hæc potestas spiritualis neque est in regibus, neque subordinatur potestati eorum; ergo tales causæ spirituales sunt extra forum et potestatem sæcularium principum, tam directe, quam indirecte; ergo personæ ecclesiasticæ quoad has causas ex vi divini juris extra jurisdictionem principum constituti sunt, ac subinde eodem divino jure tali exemptione seu immunitate gaudent. Major est per se evidens, supposito primo principio, quia si potestas jurisdictionis spiritualis et temporalis distinguuntur, necesse est ut circa distinctas materias versentur, et unaquæque materiam sibi proportionatam vendicet, et intra illam contineatur; ergo spiritualis materia quoad omnem dispositionem et regimen ad potestatem spiritualem pertinet; et e converso, spiritualis potestas in materia spirituali tanquam in propria sphæra operatur, eamque pro adæquato et proprio objecto habet. Minor autem in secundo et tertio principio probata est. Prima vero illatio evidenter ex præmissis infertur, quia nulla potestas operatur directe nisi in sua materia, neque extenditur indirecte, nisi ad materiam potestatis sibi subordinatæ; neutrum autem habet potestas civilis respectu materiæ spiritualis, ut ostensum est; ergo spiritualis materia omnino est extra jurisdictionem temporalium principum. Et inde tandem evidenter concluditur altera illatio, quia imprimis clerici, ut clerici sunt, ad spiritualem materiam pertinent, ratione ordinis, qui spiritualis est, et ex Christi institutione. Deinde personæ sortiuntur forum pro ratione materiarum seu causarum, quia jurisdictionis actus proxime versatur circa aliquam materiam, quam præcipit, vel discutit personæ subjectæ; et ideo si materia est extra jurisdictionem alicujus, etiam personæ, ad quas pertinet talis materia sub ratione tali, erunt ab eadem jurisdictione immunes.

4. *Ex Scripturis ostenditur conclusio.* — Hac ergo manifesta probatione supposita, ex principiis fidei jam probatis, non aliter ostenditur hæc veritas ex Scriptura, quam ex illis locis in quibus Ecclesiæ regimen pastoribus Ecclesiæ a Christo commissum esse ostenditur : «Pasce oves meas,» etc. «Quodcumque ligaveris,» etc. «Qui vos audit, me audit,» etc. Item ex illis, quibus ex institutione Christi ostenditur esse in Ecclesia potestatem judiciariam, et ecclesiasticum tribunal, juxta illud «Quid vultis? in virga veniam ad vos? (1), etc. Et illud : «Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est,» etc. Et infra : «Nam et si amplius gloriatus fuero de potestate nostra,» etc. Item illud «Obedite præpositis vestris,» etc. Et quod ad hanc potestatem pertineat clericorum regimen, satis declaratur ex verbis Pauli ad Timotheum : «Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus» (2). Inde enim satis constat, causas clericorum, saltem ut clerici sunt, ad Prælatos Ecclesiæ pertinere, et ad solos illos. Nam licet exclusiva ibi expresse non addatur, satis ex eo colligitur quod illa potestas superioris ordinis est, et aliis data non est, nisi Ecclesiæ Pastoribus, nec inferiori potestati subordinata est, ut dixi.

5. *Confirmatur ex Summis Pontificibus.* — Atque hoc modo veritatem hanc ex Christi et Apostolorum doctrina sumpserunt sacri Pontifices et Concilia. Huc enim spectant verba illa Joan. Papæ : «Si imperator Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ.» Et infra : «Ut Dei beneficiis non ingratus contra dispositionem cœlestis ordinis nihil usurpet, ad sacerdotes enim voluit Deus, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non autem ad sæculi potestates,» etc. In quibus verbis aperte declarat, hanc institutionem esse de jure divino, et illud verbum «discuti,» ponderandum est, nam ex illo constat, causas cleri-

(1) 1 Cor., 4.
(2) I Timoth., 2.

corum ad forum ecclesiasticum tantum pertinere ex divino jure. Quod saltem de causis ecclesiasticis, et de clericis, ut clerici sunt, necessario intelligendum est. Eamdem doctrinam comprobant et confirmant Gelasius, Nicolaus I, et Symmachus Pontifices, in variis decretis synodalibus, in eadem dist. 69 allegati. Et Felix Papa, atque iterum Nicolaus, in cap. «Certum est,» et cap. «Imperium,» et cap. «Quoniam,» distinct. 10; et Innoc. III, in cap. «Ecclesia,» de Constit., et in cap. «Solitæ,» de Majorit. et obedien., et in cap. «Novit,» de Judiciis, ibique cap. 2, idem habetur ex Concilio Rhemensi sub Eugenio, et ex Honorio Papa, in cap. 2 de Jurament. calum.

6. Scio quidem regem Angliæ cum suis Protestantibus tantorum Pontificum auctoritatem contemnere, eosque tanquam judices in causa propria recusare. Verumtamen jam dixi in præcedenti libro, istorum vel ignorantiam, vel pertinaciam, Pontificum auctoritatem quæ in Christi verbis ac promissionibus fundata est, non posse minuere. Eo vel maxime quod non soli Romani Pontifices, sed alii etiam antiquissimi Patres in eamdem veritatem conspirant, ut ex Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, et aliis multis, in superiori libro, cap. 9, et sequenti, late monstratum est, et ideo eorum sententias iterum referre supervacaneum judico. Quod si de his omnibus dicatur esse Episcopos aut sacerdotes, et in propria causa loqui, certe Ecclesia nunquam habuit alios Pastores aut Doctores a quibus doceretur, et per quos divinas et Apostolicas traditiones acciperet, et in fidei puritate et sana Scripturarum intelligentia conservaretur, «ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut dixit Paulus, ad Ephes., 4. Impium ergo est cogitare, eos in hac causa Ecclesiæ imposuisse, aut humano affectu fuisse locutos, sed Ecclesiæ causam, quæ a sua separari non poterat, defendisse, non potestatem novam sibi arrogando, sed quam a Christo por Apostolos et

eorum successores acceperunt, conservando, et posteris ad Ecclesiæ utilitatem deferendo.

7. Sic ergo confirmata catholica assertione, tam infallibili auctoritate quam firma ratione, et ex eadem probatione intelligi potest primo, hanc immunitatem seu exemptionem clericorum non esse per modum ablationis, seu diminutionis jurisdictionis, quæ prius esset in principibus, sed per modum negationis, quia nunquam talem jurisdictionem habuerunt, neque unde illam habeant, ostendere poterunt. Quia (ut sæpe dixi) Christus Dominus condendo novam spiritualem rempublicam, nullam principibus temporalibus dedit potestatem (ubi enim, aut quando illam contulit?) sed eam dedit Ecclesiæ pastoribus, ideoque temporales reges nullam potestatem habent in ecclesiasticas personas et earum causas, prout tales sunt, neque hujusmodi personæ quoad tales causas regibus subjiciuntur, et hoc modo dicuntur exempti, non quia illorum jurisdictioni subtracti sint, sed quia ipsi reges potestatem in ipsos nunquam acceperunt. Quod declaratur optime ex tempore primitivæ Ecclesiæ, in quo principes temporales infideles erant; nemo enim dicet eos habuisse tunc potestatem ad judicandas ecclesiasticas causas clericorum, et nihilominus tunc Ecclesia non carebat perfecta potestate ad se gubernandum, et ad judicium ferendum in hujusmodi causis, et de hujusmodi personis, quæ ad principes sæculares nullo modo pertinebant. At sæculares principes propter conversionem ad fidem non acquisierunt jurisdictionem aliquam novam in Ecclesiam (quis enim eis illam contulisset?); ergo neque nunc illam habent. Recte igitur dicuntur clerici in his exempti, non per propriam subtractionem, et quasi ex privilegio novo, sed quia ipsi principes ex se carent tali potestate in clericos quoad hujusmodi causas.

8. *Omnes etiam spirituales causæ a sæculari potestate eximuntur.*—Secundo colligo ex dictis, licet hæc exemptio præcipue eluceat in clericis, quia et personæ sacræ sunt, ac divino cultui specialiter dicatæ, ideoque et canonicis legibus princi-

paliter gubernantur, et consequenter causæ ecclesiasticæ in eis maxime et quasi in proprio subjecto locum habent, nihilominus etiam in aliis fidelibus, quatenus spirituales causæ ad eos etiam pertinere possunt, eamdem exemptionem observari, quia non tantum ex proprio statu personæ ecclesiasticæ, sed ex generali ratione talium causarum nascitur, ut declaratum est. Vocantur autem spirituales causæ omnes illæ, quæ ad fidem, sacramenta, sacrificium, et in universum ad divinum cultum, et ad salutem animæ, ejusque a peccatis curationem ac remedium pertinent, ut in lib. 4 de Legib., qui est de legibus canonicis, latius diximus; et tractant Doctores in dicto cap. «Ecclesia,» de Constit.; et varia exempla videri possunt in Tuscho, verb. «Libertas ecclesiastica,» cap. 1; et nonnulla de hoc puncto addemus infra, cap. 15 et 16.

9. *Solutio ad fundamentum contrarii erroris.*—Ultimo, ex dictis patet responsio ad fundamentum contrarii erroris. Principia enim in quibus fundatur, hæretica sunt, satisque in superioribus impugnata. Verba autem Pauli: «Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit;» et verba Sapientiæ: «Per me reges regnant,» ineptissime inducuntur. Nam Paulus loquitur de potestate in suo foro, et intra limites suos præcipiente. Cum enim dixit: «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,» non intellexit omnem hominem debere esse subjectum cuicumque regi, sed suo; nec enim Hispanus tenetur regi Galliæ parere aut subesse; unusquisque ergo suo regi subesse præcipitur; ita ergo etiam dicitur Dei ordinationi resistere, qui potestati se superiori, et ordinate seu in materia sibi subjecta præcipienti resistit. Neque Paulus dixit regi obediendum esse in omni materia, sed simpliciter locutus est, sicut alibi etiam dixit: «Obedite præpositis vestris.» Ideoque necessarium non fuit addere limitationem vel exceptionem, quia in ipsa obedientiæ ratione intrinsece includitur respectus ad superiorem, ut superior est et legitime præcipit. Et in alio loco, sicut dixit Sapiens, reges per sapientiam regnare, ita statim addidit, «et legum conditores justa decernere.»

10. *Ad confirmationem.*—Ad confirmationem de legibus Justiniani in materia canonica, dixi in allegato lib. 4, de Legib. c. 11, illas non esse veras leges, sed per modum instructionis, non per modum juris haberi posse, ideoque in his, in quibus canonibus contradicunt, nullius esse utilitatis, etiam declaratur in l. «Privilegia,» et Authent. «Cassa,» C. de Sacrosanct. eccl. Et specialiter de causis ecclesiasticis id declaravit idem Justinian., Novel 38, quæ habetur collat. 6, tit. 11, Ut Clerici apud proprios Episcop., etc.

11. *Objectio.—Solutio.*—Una vero superest objectio contra illam partem, in qua dictum est, immunitatem hanc esse de jure divino, nam inde fieret esse immutabilem, et non posse per Pontificem minui aut dispensari, quod falsum est. Nam ex consensu Doctorum, potest Pontifex causas ecclesiasticas et spiritualem jurisdictionem laicis committere; poterit ergo clericos in eisdem etiam causis regibus subjicere. Respondeo, hanc exemptionem (ut dixi) esse de jure divino negative, quatenus jus divinum non dedit regibus spiritualem potestatem in clericos, vel ecclesias, aut ecclesiasticas causas. Unde quoad hoc est prorsus immutabilis divina institutio, fieri enim non potest ut rex ex vi suæ regiæ potestatis jus dicere possit clerico in hujusmodi causis. Neque hoc potest per ullam dispensationem honestari, quia repugnantiam contra rationem naturalem involvit. Unde etiam est jure divino prohibitum, ne quis per solam jurisdictionem regiam sine altiori jurisdictione tale judicium usurpet; in hoc ergo dispensatio aut limitatio non cadit.

12. Non est autem sic eodem divino jure prohibitum, ne spiritualis jurisdictio laicis committatur; et ideo licet canones hoc prohibeant, et regulariter non fiat etiam per usitatam dispensationem, nihilominus de absoluta potestate Pontificis fieri non repugnat, ut cum communi sententia in libris de Censuris et Legibus diximus, et tradunt Panorm., Felin. et alii expositores communiter, in cap. «Ecclesia Sanctæ Mariæ,» de Constitutionib. Existimo autem hoc esse intelligendum de jurisdictione

delegata, vel in aliquo particulari casu, nam ordinarium regimen Ecclesiæ non existimo posse regibus aut laicis committi, quia jure divino statutum est, ut per Episcopos gubernetur, ut Actorum 2 constat. Et ob eamdem rationem, existimo fieri non posse ut clerici in propriis, et ecclesiasticis rebus et causis, sæcularibus principibus ordinario jure subjiciantur, etiam per concessionem Pontificis; nam hoc modo multum everteretur ordinarium Ecclesiæ regimen a Christo institutum, et non potest habere justam et rationabilem causam, ob quam valide fieri posse videatur.

CAPUT III

Utrum personæ ecclesiasticæ a jurisdictione principum, etiam in rebus et causis temporalibus, eximi potuerint, et exemptæ sint?

1. In hoc puncto est præcipua controversia cum his schismaticis, qui, licet primatum Romani Pontificis non negent quoad spiritualem potestatem, nihilominus primatum in temporalibus, tam civilibus quam criminalibus, etiam respectu clericorum regibus temporalibus attribuunt, et ideo illud prius generatim proponimus inquirendum, an sit talis exemptio, ut postea originem, proprietates et effectus ejus speciatim declaremus. In quæstione autem proposita duo insinuantur: unum est de potestate, id est, an potuerint clerici eximi a jurisdictione regum in rebus temporalibus; aliud est, an de facto exempti sint. Hæretici enim sectatores Marsilii Paduani, et Illiricus, aliique novorum schismatum inventores, constanter negant factam esse in Ecclesia eam clericorum exemptionem, quam principes temporales supremi observare teneantur. Ut autem hujus assertionis fundamentum aliquod inveniant, negant consequenter po-

tuisse fieri in Ecclesia talem exemptionem sine gravi lapsu et errore contra jus divinum et naturale. Quam rationem astruendi hunc errorem habuisse videntur quidam Paulus Servita, et alii occulti scriptores contra libertatem ecclesiasticam, qui ante paucos annos libellos quosdam contra sedem Apostolicam sparserunt occasione Venetæ dissensionis omnibus notæ, eisque annumerandus videtur Barclaius, cui novissime Illustrissimus Bellarminus respondit; atque hos etiam rex Angliæ laudat et imitatur.

2. Ad illud autem suum fundamentum persuadendum, solum utuntur illis testimoniis Scripturæ, in quibus reges dicuntur ministri Dei, et eorum potestas a Deo esse dicitur, et ideo eorum obedientia præcipitur, tanquam jure naturæ necessaria, «propter conscientiam,» ad Rom., 13, Proverb., 8, cum similibus. Ex quibus hoc etiam principium tanquam certum statuunt, reges a Deo immediate habere potestatem et curam impositam gubernandi omnes homines ditionis suæ. Ex quo tandem inferunt, exemptionem clericorum uniuscujusque regni a suo rege esse repugnantem legi divinæ ac naturali, ac propterea esse impossibilem. Hæc autem ultima illatio in hunc modum potest a nobis deduci, ut umbram aliquam rationis habere videatur; nam hæc exemptio vel potuit fieri a Deo ipso, vel ab aliquo homine; neutrum dici potest; ergo simpliciter introduci non potuit. Minor quoad priorem partem de Deo probatur, tum quia Deus non est sibi contrarius; si ergo ipse præcepit regibus ut haberent curam omnium hominum, qui sub imperio suo nascuntur et degunt, et his omnibus præcepit ut suis regibus obedirent, fieri non potest ut regibus potestatem in clericos subditos ademerit, vel (quod perinde est) ut clericos a principum potestate exemerit. Tum etiam quia hæc exemptio est contraria juri naturali, Deus autem vel omnino non potest dispensare in jure naturali, vel certe ordinaria potestate id non facit, maxime in lege gratiæ; et dispensatione adeo universali.

3. Altera pars de homine probatur imprimis ratione uni-

versali, quia multo minus potest homo quam Deus naturale jus evertere. Deinde utor alio dilemmate, quia si quis hominum talem exemptionem facere potuisset, aut esset Papa, aut imperator, seu rex aut princeps quilibet supremus in suo territorio: nam si hi non possunt, multo certe minus inferiores poterunt. Quod autem Papa non potuerit hanc exemptionem clericis concedere, probatur, quia non potest reges potestate sua privare, neque «regalibus prærogativis detrahere, ut inquit rex Angliæ. Nam eadem est ratio totius et partis; si ergo Papa non potest regem aliquem christianum tota sua jurisdictione privare, ergo neque aliqua illius parte, præsertim adeo magna et notabili, qualis esset «tertia hominum et fundorum pars,» ut idem rex conqueritur. Et confirmatur, quia non potest Papa exemptionem hanc concedere clericis respectu principis ethnici et non baptizati, si clerici sint illius subditi, ut, verbi gratia, nunc est in Japone vel China; ergo neque respectu christianorum principum id facere potest. Probatur consequentia, quia reges christiani non sunt minus supremi in temporalibus quam reges ethnici, et quamvis demus christianos principes esse subditos spiritualiter Summo Pontifici (quod rex Angliæ et Protestantes non admittunt), hoc nihil confert, ut eos possit sua temporali jurisdictione privare; in hoc ergo æquiparantur principibus ethnicis, et nullo modo Ecclesiæ subditis. Dicet fortasse aliquis, hoc ad summum probare, non potuisse Pontifices hoc facere invitis regibus christianis, ex consensu autem illorum potuisse. Sed hoc imprimis non sufficit ad repugnandum adversariis, nam inde schismatici inferent, exemptionem clericorum non esse per se firmam, sed pendere semper ex consensu principum, ac proinde pro eorumdem arbitrio revocari posse. Deinde rex Angliæ dicet se esse supremum in temporalibus, et nunquam consensisse, sed restitisse, non solum se, sed etiam antecessores suos. Denique etiam videndum superest an ipsimet reges consentire potuerint, nam perinde est consentire ac facere; probabimus autem reges non potuisse hanc exemptionem concedere;

ergo neque ex illorum consensu potuerunt Pontifices illam introducere.

4. Quod igitur rex temporalis non possit privilegium talis exemptionis clericis sui regni concedere, ut illos faciat sibi non subditos, probatur imprimis principio a jurisperitis recepto, quod principes non possunt privilegium concedere, quod directe sit contra regiam dignitatem, quia non possunt illam minuere aliquid ei detrahendo, quia neque in eorum utilitatem principaliter creata est, neque illius absolutum dominium acceperunt, sed ut eam pro suis successoribus integram conservarent. Nam ob hanc etiam causam non potest Summus Pontifex suam dignitatem minuere, nec privilegium concedere, quo dignitati suæ aliquid detrahatur. Unde intulit Navar., in c. «Novit,» de Judiciis, corollar. 69, n. 166, nullum regem posse regno vel regnicolis suis privilegium concedere, ut neque sibi, nec magistratibus suis parere teneantur. Quod et confirmat, tum quia tale privilegium esset contra legem naturæ, dictantem principibus et superioribus obediendum esse; tum etiam quia respublica ipsa, si in se retineret potestatem supremam a Deo sibi datam, non posset membrum aliquod reipublicæ a lege sibi obediendi eximere, quia non posset se abdicare illa naturali potestate, quam a natura accepit in cives suos, manente eadem relatione et unione civium cum civitate, seu membrorum cum corpore; ergo neque nunc rex potest id facere, cum potestas ejus eadem sit, quæ in republica præcessit, et in eum translata fuit.

5. *Confirmatio.* — Possumus denique nos hoc confirmare exemplo adducto de Summo Pontifice, qui non potest aliquem hominem baptizatum a sua jurisdictione ita eximere, ut sibi parere non teneatur; nam idem dicendum videtur in rege temporali, quia ita comparatur ad regnum suum et personas ejus in regimine temporali, sicut Papa ad Ecclesiam in spirituali. Ratio autem utrique communis est, quia Deus tam regi quam Pontifici commisit curam subditorum, ac præcepit ut eis jus di-

cerent, et in officio continerent, iniquos puniendo, et bonos defendendo; ergo non potest rex personas sibi a Deo commissas eximere, et liberas relinquere, quia hoc esset contra divinam institutionem, et contra sui muneris naturalem obligationem. Et hoc est quod rex Angliæ et alii contendunt, quando dicunt hanc exemptionem esse contra jus naturale. Tandem confirmatur hæc pars simul cum præcedenti, quia talis exemptio non esset in ædificationem, sed in detrimentum Ecclesiæ; ergo neque a rege, neque a Pontifice introduci potuit. Quam rationem intendisse videtur rex Angliæ, cum principes monet ut recogitent, «quantum spinarum et tribulorum» (inquit) «in mediis vestris ditionibus relinquitur, cum asseratur tam potens hominum factio sub imperiis vestris nasci, educari, opimisque prædiis frui posse, quæ a vestra potestate immunis sit, nec ullo jure vestris legibus judiciisque subjecta.» Sequi autem hoc incommodum ostendere conatur Paulus ille Venetus, quia cum Prælati ecclesiastici non possint in subditos gladio materiali uti, eos pœna mortis mulctando, inde fit ut vitia et peccata in Ecclesia augeantur. Unde concludit, hanc libertatem, quam ecclesiastici prætendunt, nihil aliud esse quam peccandi libertatem.

6. *Vera et catholica sententia. — Probatur primum.* — Nihilominus vera et catholica sententia est, clericos juste potuisse a jurisdictione temporalium principum eximi. Hæc assertio, quatenus auctoritate Ecclesiæ fundanda est, pendet ex facto, de quo nondum dictum est, et ideo prius ostendemus veritatem ipsam de possibili, postea ex facto certitudinem ejus probabimus. Dicimus ergo exemptionem hanc juste fieri potuisse tribus modis in argumentando tactis, videlicet, a Deo, et a Pontifice, et ab imperatore seu regibus. Et quidem prima pars adeo est evidens, ut a nemine possit sine magna cæcitate et impietate negari; nam Deus est absolutus dominus vitæ et mortis, ac libertatis humanæ; ergo, justissime sua potestate et jure utendo, potest quemlibet hominem alterius servum vel dominum

efficere, et subditum vel superiorem, et similiter potest quemcumque hominem proprio dominio aut potestate privare, et prout libuerit alteri eam donare. Et ideo dixit Daniel, cap. 2: «Sit nomen Domini benedictum a sæculo, et usque in sæculum, quia sapientia et fortitudo ejus sunt, et ipse mutat tempora et ætates, transfert regna, et constituit.» Ergo eadem facilitate potuit transferre clericos sub potestatem Pontificis, auferendo regibus potestatem quam in illas personas habere poterant, et illam Pontifici conferendo.

7. *Solvitur ratio contra dictum concessionis modum.*—Neque ratio quæ in contrarium fiebat, ullius est momenti, quia per hujusmodi exemptionem, mutationem, seu translationem, nullam mutationem in ipso Deo fieri necesse est; manens enim ipse immutatus, mutat imperia et humanorum rerum status, et ita in ipsa Ecclesia pro diversis temporibus distinctos esse voluit gubernationis modos juxta consilium voluntatis suæ, sine ulla ejusdem voluntatis mutatione aut contrarietate. Nam, licet Deus alicui regnum vel aliam potestatem tribuat, non cogitur perpetuo illam conservare, sed juxta suæ providentiæ rationem potest illam auferre, et alteri donare, non quia priorem voluntatem retractet, sed quia a principio sub ea lege et conditione, ac dependentia a sua voluntate omnia disposuit. Nec denique in hoc negotio intervenit aliqua dispensatio in jure naturali, sed solum quædam mutatio in materia ejus, quæ non solum a Deo, sed etiam per hominem fieri potest, ut alibi a me latius dictum est, et statim etiam attingant.

8. *Per clericorum exemptionem reges privantur jurisdictione in ipsos.*—Unde duo hic breviter distinguenda sunt, quæ adversarii confundunt, ut tenebris rem involvant, cum tamen res sit clarissima, et cuilibet mediocriter docto manifesta. Aliud est enim eximere aliquem ab obedientia alicujus, auferendo ab alio jurisdictionem, seu omne jus superioris circa talem personam, etiamsi circa alias potestatem retineat. Aliud vero est, conservando in principe vel Prælato eamdem jurisdictionem in

talem personam, idemque jus præcipiendi, nihilominus auferre a subdito obligationem parendi. Exemptio igitur explicata in hoc posteriori sensu (quem theologico more compositum appellare possumus) verissime dicitur esse contra jus naturale quoad hoc indispensabile, quia involvit apertam repugnantiam et contradictionem, etiam in ipsa divina voluntate. Nam inde fieret Deum simul velle, ut superior possit vere præcipere, ac proinde subditum efficaciter obligare, et ut nihilominus possit subditus licite non obedire, et consequenter ut simul sit subditus et non subditus; itemque ut sit bellum justum ex utraque parte, non in ignorantia, sed in re ipsa fundatum, quæ est intolerabilis et incredibilis perplexitas. Quis autem unquam exemptionem clericorum ita intellexit? nullus profecto qui sanæ mentis sit. Alter igitur modus exemptionis non solum possibilis, sed etiam facillimus, imo et quotidianus est in his potestatibus quæ ab hominibus dantur, et ab eisdem auferri aut limitari possunt. Sic enim eximit rex aliquem nobilem a jurisdictione inferioris magistratus, et Pontifex eximit religiosum a jurisdictione Episcopi. Ita ergo eximere potuit Deus clericos a jurisdictione regum sine ulla dispensatione in lege naturali, quia nulla est lex naturalis, quæ præcipiat ut reges in clericos vel omnes incolas suorum regnorum jurisdictionem habeant; sed potius cum reges sint Dei ministri, et ab ipso habeant potestatem in quoslibet subditos, ipsa ratio naturalis dictat posse Deum potestatem illam minuere, et ab illa quos libuerit ex subditis eximere.

9. *Probatur secundum.*—Altera pars erat, non esse impossibile neque contra rationem naturalem, hanc exemptionem a Summo Pontifice efficaciter fieri, ita ut justa sit et valida, ideoque sæculares principes eam admittere et servare teneantur. Quæ pars propriam disputationem postulat, quam cap. 11 trademus, ubi auctoritate et ratione illam directe ostendemus; nunc ergo solum declaranda est, ut constet nullam habere repugnantiam. Duobus ergo modis intelligi potest, Pontificem hanc libertatem clericis conferre, primo, potestate humana seu

mere naturali; secundo, potestate aliquo modo divina, id est supernaturali et divinitus data. Priori modo fatemur Pontificem non potuisse hanc exemptionem introducere, hoc enim saltem probat ratio facta, quod non possit Pontifex jure humano, vel potestate naturali seu acquisita, regum potestatem auferre seu minuere, cum illi sint supremi in suo ordine, et secundum naturalem potestatem ei non subjiciantur.

10. *Objectio.* — *Responsio.* — Dicet forte aliquis titulum præscriptionis humanum esse ac naturalem, potuisse autem Pontificem usu præscribere hoc jus contra temporales principes, eximendi clericos ab eorum potestate. Respondetur hunc titulum non habere locum in præsenti materia, neque in illo fundari Pontifices, ut interdum rex Angliæ existimasse videtur, et in suis verbis indicat. Ratio vero reddi potest, vel generalis, quia illa, quæ sunt de intrinseca ratione supremæ potestatis, non possunt contra supremum principem præscribi, ut est communis sententia juristarum, cum Bartholo, in l. «In omnibus,» ff. de Diversis et temporalibus præscriptionibus; et Panormitan., in cap. «Cum nobis,» de Præscript., et aliis quos refert Covar., in Practicis, cap. 4, et in Regula «Possessor,» p. 2, § 2, n. 8. Vel potest esse ratio peculiaris et propria, quia exemptio clericorum, seclusa concessione seu voluntate ipsorum sæcularium principium, non posset sola humana ratione aut titulo juste inchoari, seu bona fide, et ideo necesse est ut potestas non procedat ab usu, sed potius e contrario usus legitimus supponat potestatem, et ab illa inchoetur.

11. *Pontifex per suam indirectam in reges potestatem potest clericos eximere.* — Oportet ergo ut hæc potestas sit supernaturalis, et a Christo specialiter indita; hoc autem modo, evidens est non repugnare quod Christus dederit Vicario suo hanc potestatem per quamdam participationem ejus dominii et potentiæ, quæ in ipso est per essentiam vel excellentiam. Quid est enim cur hoc fieri non potuerit? aut quæ deformitas aut malitia contra rationem naturalem in hoc excogitari potest? Concessa

enim Pontifici tali potestate, per illam constituitur superior regibus tanquam minister Dei superioris ordinis, et ideo exemptio facta per hujusmodi potestatem erit quidem supra merum jus naturæ, non tamen contra illud. Neque in hoc video esse posse quæstionem, sed solum in hoc, an Christus de facto hanc potestatem Pontifici dederit, quam quæstionem in citato loco tractabimus, et ibi ex professo respondebimus objectionibus circa hoc punctum supra propositis, nam eo præcipue tendunt, ut ostendant de facto non esse datam Pontifici hanc potestatem. Nunc ergo breviter dicimus, argumenta illa solum probare, Pontificem non posse hanc exemptionem conferre clericis per directam potestatem quam in temporalibus habeat supra reges terræ, non tamen probare hoc excedere potestatem spiritualem ejus, quatenus per eam est superior regibus temporalibus, saltem indirecte, et in ordine ad spiritualia, quæ potestas etiam supra reges ethnicos in multis casibus locum habet, ut superiori libro ostensum est. Quomodo vero hæc potestas indirecta ad effectum exemptionis sufficiat, in dicto loco videbimus.

12. *Probatur tertium.*—Tertia pars supra posita fuit de regibus temporalibus, de quibus dicimus potuisse licite juri suo renunciare, et quamvis nulla superiori virtute aut potestate cogerentur, potuisse abdicare se jurisdictione temporali, quam habebant in clericos, eamque in Pontificem Romanum vel alios ecclesiasticos Prælatos transferre. Hanc partem tanquam certam supponunt multa jura civilia et canonica, et communiter eorum interpretes, ac Doctores Theologi, ut in sequentibus capitulis late referemus. Ratio autem aperta est, quia rex supremus est verus dominus, et habet liberam potestatem utendi sua jurisdictione quocumque modo, neque intrinsece malo, neque sibi prohibito; sed actus eximendi clericos a jurisdictione laica est actus dominii, et ejusdem jurisdictionis voluntariæ, qui nec fuit regibus prohibitus, nec est intrinsece malus; ergo potuit valide et licite fieri a quocumque rege supremo. Consequentia optima est et legitima. Majorem etiam non negabit rex Angliæ, est

enim regibus favorabilis, et quidem merito, nam est res clara et evidens ex dictis supra de regia potestate. Quamvis enim rex non sit ita factus reipublicæ dominus, ut possit ad libitum sua potestate uti, et omnia in utilitatem suam convertere, nihilominus verus est dominus, quatenus verum et proprium jus habet præcipiendi, judicandi, gubernandi, et disponendi circa res sui regni in communem utilitatem, et ita juristæ hoc vocant dominium jurisdictionis, quod in supremo principe habet per se et in genere suo independentiam ab omni alio superiore infra Deum, et ideo habet amplissimam et liberam facultatem ad omnem usum non prohibitum, seu rectæ rationi non repugnantem.

13. *Exemptio est actus voluntariæ jurisdictionis.*—Superest ergo ut talem esse probemus concessionem exemptionis, de qua tractamus. Illa enim quidam usus est supremæ jurisdictionis, nam (ut dixi) exemptio privilegium quoddam est, concessio autem privilegii actus est jurisdictionis voluntariæ, ut in lib. 8 de Legib. late tractavimus Recte ergo dictum est, exemptionem hanc esse usum voluntariæ jurisdictionis, quam oportet esse supremam in suo ordine, ut possit etiam a se ipse supremus princeps privilegiatum eximere. Alia etiam ratione dici potest hic actus usus jurisdictionis, quia est quædam jurisdictionis donatio; nemo enim dare potest jurisdictionem, nisi qui illam habet. Est autem peculiare in hoc modo concedendi jurisdictionem, qui per hanc exemptionem fit, ut princeps, qui illam alteri concedit, se ipsum illa privet, quia etiam a sua potestate subditum eximit; quod non invenitur in aliis modis delegandi vel committendi jurisdictionem, nec in exemptione ab inferiori magistratu, quam princeps concedit. Unde si illa exemptio consideretur ut est jurisdictionis collatio, actus jurisdictionis recte appellatur; si vero ut abdicatio proprii juris spectetur, magis videtur esse actus dominii et liberalitatis; sub utraque autem ratione optime cadit in supremum gubernatorem et dominum. Quod ergo hic usus jurisdictionis suæ non sit prohibitus supremo

principi lege positiva, manifestum est, quia non habet superiorem a quo lex illa ferri potuerit. Supponimus enim illam legem non esse positivam divinam, nullibi enim lata est, aut ostendi potest; deinde etiam non esse canonicam, tanquam per se notum sumimus. Et ideo de solo directe superiore loquimur, cum negamus regem habere superiorem, a quo lex illa ferri potuerit, quia deberet esse lex humana et civilis, quæ a solo principe directe superiore in temporalibus fieri poterat. Neque fingi potest lata ab ipsomet rege, quia non potest supremus princeps se per se primo sua lege obligare, sed ad summum per quamdam consecutionem, quando lex communitati imposita similem obligandi rationem habet in principe; hæc autem lex, si daretur, non communitati, sed soli principi imponeretur, idcoque non potest ab eodemmet principe ferri. Nec denique fingi potest quod sit lex a republica lata; nam postquam respublica potestatem suam in regem transtulit, illo est inferior, ut illum non possit positivis legibus obligare.

14. *Exemptio clericorum nec justitiæ. nec rationi naturali repugnat.*—Solum ostendendum superest, illum usum non esse per se et intrinsece malum, seu, quod perinde est, privilegium illud non esse contra justitiam vel naturalem rationem. Quod quidem per se evidens videtur, quia est in favorem fidei et religionis, et nulli nocet nec præjudicat, nisi ipsimet principi concedenti privilegium, quod voluntarie facere potest et pie, si propter dictum finem et sine alicujus nocumento id faciat. Declaratur præterea in hunc modum, quia vel usus ille est per se malus, quia est contra pactum cum republica initum, cum primum in regem transtulit potestatem suam; vel quia est contra naturalem legem justitiæ, qua rex tenetur habere curam suorum subditorum, seu incolarum omnium regni sui, juxta exigentiam sui muneris, quod a republica accepit; utrumque autem sine fundamento excogitatur, facillimeque excludi potest; nulla est ergo vera ratio intrinsecæ malitiæ in tali privilegio.

15. Prior pars minoris probatur, quia gratis fingitur tale

pactum inter rempublicam et regem, nimirum, quod respublica suam potestatem sub ea conditione seu limitatione in regem transtulerit, ut non posset tale privilegium exemptionis aliquibus civibus concedere. Unde enim probari potest talis conditio, aut quod illius signum ostendi potest? Præterea ipsamet respublica non habebat potestatem suam ita limitatam, quia non ex aliquo pacto simili, sed a Deo ipso illam recepit quasi congenitam cum natura, et sub ea tantum conditione, ut illa juste et secundum rectam rationem uteretur; ergo eodem modo illam in regem transtulit, et quidquid aliud fingitur, voluntarium et impertinens est. Præsertim quia si humana respublica consideretur in statu legis naturæ, in quo se ipsam regere posset per rationem rectam, vel naturalem tantum, vel fide illustratam, potuisset et temporales reges sibi, et sacerdotes ad Dei cultum peculiariter dicatos instituere, sacerdotesque a regum potestate eximere, et sub aliquo gubernatore in suo ordine supremo eos constituere; in hoc enim genere institutionis nulla est repugnantia vel deformitas; ergo etiam rex, quamvis simpliciter totam potestatem a republica receperit, posset postea simile privilegium sacerdotibus concedere; ergo supervacaneum est fingere pactum illud, et conditionem seu limitationem sibi a republica impositam, cum ad convenientem reipublicæ gubernationem necessaria non sit. Quin potius talis conditio, si extendatur ut locum habeat etiam respectu sacerdotum, seu Pontificum supernaturali modo a Christo institutorum, sic neque venire poterat in mentem humanæ reipublicæ secundum se spectatæ, et contra rationem et publicam honestatem esset, et ideo nullius momenti vel valoris foret. Igitur ex hoc capite non est ligata potestas regum, quominus recte et valide privilegium hoc clericis dare potuerint, etiam si aliunde illud non haberent.

16. *Ita aliquem eximere, ut nulli subjiciatur, intrinsece malum est.*—Atque inde tandem facile probatur alterum membrum, nimirum privilegium hoc non esse contra naturalem legem jus-

titiæ, qua rex tenetur curam omnium civium habere, ut convenienter gubernentur. Nam rex, concedendo hoc privilegium, non omittit hanc curam, sed altiori et convenientiori modo illi providet. Unde duobus modis cogitari potest, regem, aliquem sibi subditum a sua jurisdictione eximere. Primo, abdicando a se omnem potestatem et jurisdictionem circa illum, et nulli alteri illum subjiciendo, sed omnino vagum, ut sic dicam, et absque lege et gubernatore illum relinquendo. Et hunc modum privilegii fatemur esse inordinatissimum, et intrinsece malum, quia est bonis moribus contrarium, et ex se communitati reipublicæ valde perniciosum. Non est autem hujusmodi clericorum exemptio, ut nunc supponimus. Alio modo potest rex eximere subditum a sua jurisdictione, potestatem in eum alteri tribuendo vel relinquendo; et hic modus malus non est, sed potest habere convenientem rationem, quia per se non repugnat bonis moribus subditorum, quia non relinquuntur sine sufficienti gubernatore, et aliunde potest esse magis decens, magisque ad commune bonum conveniens, propter peculiarem statum aliquorum civium. Talis autem est exemptio clericorum, ut infra probabimus; ergo illam concedere, non fuit contra bonum usum regiæ jurisdictionis et potestatis, ac proinde nec rationi naturali repugnat tale privilegium, nec excedit supremi principis potestatem.

17. *Solvuntur argumenta contra hunc exemptionis modum.*— Neque etiam contra hoc obstant argumenta, quæ supra tertio loco proposita sunt. Quod enim in primo dicitur, non posse principem suam jurisdictionem seu potestatem minuere, eam alteri communicando, non est in universum verum, quando talis divisio vel communicatio jurisdictionis ad bonum reipublicæ conveniens judicatur, quia potestas illa de se mutabilis est, et ad commune bonum reipublicæ ordinatur, et ideo nulli juri repugnat, quod in illa fiat hujusmodi mutatio. Præsertim quia per tale privilegium non privatur respublica tali jurisdictione in se, et in omnibus suis membris, sed ab uno in alium transfertur,

quod multis de causis fieri potest, ut constat. Neque in hoc est æquiparatio cum jurisdictione Summi Pontificis admittenda, quia dignitas Pontificia altiorem habet institutionem, ratione cujus immutabilis est, ut in superioribus dixi, et ideo fieri non potest ut baptizatus aliquis ab ea eximatur, cum jure divino illi subjectus sit, quod secus in potestate regia, quæ simpliciter et proxime est ex institutione humana. Quod autem Navarrus et aliqui juristæ dicunt, non posse regem, aliquem a sua obedientia eximere, intelligendum est de exemptione mere privativa, id est, quæ subditum sine lege, et gubernatore relinquat, non vero de exemptione transferente jurisdictionem in alium, ut declaratum est. Et hoc ipsum confirmat exemplum de ipsamet republica, quod Navarrus adduxit, ut etiam ex dictis constat.

18. *Ad confirmationem.—Ecclesiasticus judex potest pœnam mortis imponere.*—Ad ultimam confirmationem respondeo, impiam et blasphemam esse vocem illam novi Pauli Veneti, libertatem ecclesiasticam clericorum nihil aliud esse, quam libertatem seu licentiam peccandi; nam libertas, quam Pontifices docuerunt et sacri canones defendunt, et pro qua multi Sancti Pontifices usque ad sanguinem decertarunt, et imperatores et catholici reges pie ac fideliter cum universa Ecclesia receperunt et laudarunt, non est licentia libere aut impune peccandi, sed est veneratio quædam ecclesiastici ordinis, et conveniens jurisdictionum distributio, ut omnia in Ecclesia ordinate ac decenter fiant. Neque argumentum Pauli est alicujus momenti. Primo, quia judex ecclesiasticus vel Pontifex potest pœnam corporalem etiam mortis imponere, licet ob decentiam et lenitatem per se ipsum id non faciat, ut significavit Innocentius, in c. 1 Majorit. et obedi., et ibidem Baldus; et notat Bernardus Diaz, in Practic. crimina., c. 61; et Covarr., lib. 2 Variar., cap. 20, num 10, ubi ad hoc expendit cap. 1 de Homicid., in 6, ubi Pontifex imponit pœnam diffidationis propter homicidium per assassinos perpetratum, quæ diffidatio pœnam mortis virtute

includit, ut ibi declarat. Unde quod judex ecclesiasticus per se ipsum non utatur gladio, nec per se proferat sententiam sanguinis, non est quia non possit, saltem Pontifex, vel qui ab eo singularem potestatem receperit, sed quia non decet. Nihilominus tamen quando gravitas delicti postulat, ecclesiasticus judex reum clericum brachio sæculari tradit, ut per eum juxta rigorem legum puniatur; ergo ex hac parte non datur clericis impunitas in similibus delictis perpetrandis. Deinde extra casum pœnæ mortis possunt clerici (ut notat Panormit., in c. «Cum non ab homine», de Judic., n. 26) ab Ecclesia gravissimis pœnis affici; damnantur enim interdum ad perpetuum carcerem, et adeo arctum, ut mors potius diuturna censeri possit quam vita, ut sumitur ex c. «Novimus», § 1, de Verbor. signifi. Deinde etiam est satis gravis pœna diuturnum et onerosum exilium, damnatio ad triremes, fustigatio gravis, et aliæ similes.

19. Ac denique quamvis fortasse ex majori benignitate et lenitate ecclesiastici judicii nonnulli pravi homines sumant occasionem peccandi, non ideo damnabile est privilegium exemptionis ecclesiasticæ, quia illud per accidens est, et contra intentionem Ecclesiæ, et multo majora et necessaria commoda ex illo sequuntur, ut infra ostendemus, nullumque bonum est quo pravi homines non interdum male utantur, neque propterea damnandum est. Sicut in ipso sæculari judicio inter laicos fit aliqua discretio, nam qui nobiles sunt, a gravioribus tormentis et infamibus pœnis per privilegium nobilitatis eximuntur, quo multi illorum ad licentiam peccandi abutuntur, et ob eam causam privilegium ipsum non reprobatur, sed qui male illo utuntur digni censentur illo privari; cur ergo non idem cum proportione dicetur de libertate ecclesiastica, cum clericalis ordo ex genere suo in altiori gradu dignitatis et nobilitatis constitutus sit?

20. *Ultima assertio.—Exemptio clericorum antiqua et sancta.—Probatur.*—Ultimo ergo concludimus, exemptionem clericorum non solum potuisse juste concedi, sed etiam de facto esse

sancte concessam, et in Ecclesia esse antiquissimam. Quam assertionem non solum veram et piam, sed etiam catholicam esse credimus, ita ut absque errore in fide negari non possit. Quia vero in discursu hujus libri late tractanda et confirmanda est, eam nunc breviter sic probamus. Nam imprimis hanc exemptionem servandam esse in Ecclesia docuerunt et præceperunt Pontifices et Concilia, fere ab initio Ecclesiæ usque ad præsentem diem, ut constat ex Alexandro I, epist. ad omnes Orthodoxos, qui sedit ann. 109, testaturque, a temporibus Apostolorum id observatum fuisse, quod postea etiam præcepit Caius Papa, epist. ad Felicem Episcopum, ann. 283; et Marcellinus, epist. 2 ad Universos Episcopos Orientis, ann. 196; Sylvester Papa, in quodam Concilio Romano, quod sub illo primum ordine ponitur, canon. 4, ann. 314; Gelas., apud Gratianum, in c. «Christianis», et c. «Sylvester», 11, q. 1; et Bonifacius V, in epist. ad Episcopos Galliæ, ut refert Gratianus supra, in c. «Nullus», 3, nam in originali non invenitur, et magis videtur caput illud desumptum ex Authentica «Nullus», C. de Episcopis et Clericis. Idem tradit Gregorius, quem Gratianus ibidem refert, ex lib. 9 Epist., indict. 4, ep. 32, ad Romanum defensorem Siciliæ, et idem habet in epist. 74 ad Bonifacium defensorem Corsicæ ubi sic ait (1): «Pervenit ad nos, quod quidam clericorum, te illic posito, a laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noveris reputari, quia hoc fieri, si homo esses, non debuit. Et ideo de cætero sollicitudinem te habere necesse est, ut hoc fieri non permittas, sed si quis contra aliquem clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat», etc. Ommitto posteriores Pontifices, quia de illis res est manifesta, et apparet ex usu quotannis promulgandi Bullam cœnæ Domini.

21. Addo duos antiquiores et gravissimos testes, quos Gratianus prætermisit: unus est Leo I, in epist. 96, ad Episcopos

(1) Cap. Pervenit, 11, q. 1.

et presbyteros Thraciæ, cujus sunt verba notanda : «Tanta sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentia prævalere, etiam hi, quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, ut jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis, juxta divalia constituta, permiserint. Quod cum et juris antiqui formulis, et illibatis frequentius sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore a plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali judicio, passim ad examen sæculare transiere. Quocirca nobis visum est, ut hanc et sacræ legis, et nostri ordinis contumeliam, et ad præsens ulcisceretur plena districtio, et observandam formulam constitueret in futurum, » etc. Alter est Telesphorus, Papa nonus a Petro, qui in sua epistola ad omnes fideles sic inquit : «Discreta esse debet vita clericorum a laicorum conversatione, et sicut laici et sæculares homines nolunt eos recipere in accusationibus et infamationibus suis, ita nec clerici debent eos recipere in impulsationibus suis.» Ostendens per hæc verba, quanta jam tunc fuerit distinctio inter utrumque forum.

22. Multa præterea sacra Concilia generalia et provincialia, antiqua et recentiora, clericos non a laicis, sed ab Episcopis vel a Conciliis provincialibus judicandos esse tradiderunt, ut constat ex Concilio Chalcedonensi, act. 15, c. 9, et ex Carthaginensi III antea coacto, ann. 397, c. 9, ubi inter alia dicitur, male de Ecclesia sentire clericum, qui de judicio sæculari petit auxilium. Et in c. 38, petitur facultas ab eodem Concilio ad implorandum brachium sæculare contra quemdam incorrigibilem Episcopum, et respondet Aurelius, consentientibus aliis, hoc non esse contra formam disciplinæ, quando clericus admonitus contumax fuerit, et contempserit. Et in Concilio Toletano III, c. 13, puniuntur clerici descrentes judicia ecclesiastica, et ad sæcularia euntes. Idemque habetur in Concilio Agathensi, tempore Symmachi, c. 8 et 32 ; Aurelian. III, c. 31 ; Milevit., c. 10 ; Matiscon. I, c. 8 et 32 ; et latius Matiscon. II, c. 9 et 10, ubi notanda sunt illa verba : «Reverendissimi

canones atque sacratissimæ leges de episcopali audientia in ipso pene christianitatis principio sententiam protulerunt; tamen quia, eadem postposita, humana in sacerdotes Dei grassatur temeritas,» etc. Quæ verba sunt valde notanda, tum pro exemptionis antiquitate, tum quia in eis insinuatur, illam magis esse per canones et leges declaratam atque defensam, quam institutam; hoc enim ille modus loquendi indicat, «pro episcopali audientia protulisse sententiam.»

23. Idem refertur ex Concilio Parisiensi, in c. 2 de Foro compet.; et ex Concilio Lateran., sub Alexandro III, in c. «Si clericus,» eodem tit., in quo multa sunt decreta de distinctione utriusque fori, et plura in c. «Qualiter et quando,» et c. «Clerici,» et c. «Cum non ab homine,» de Judiciis. Deinde in Concilio Coloniensi I, p. 9, c. 20, dicitur, «hanc immunitatem esse antiquissimam»; et in Concilio Lateran., sub Leone X, sess. 9, in Bulla reformationis, innovantur omnes sanctiones Apostolicæ in favorem libertatis ecclesiasticæ: «Cum a jure» (inquit), «tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit.» Ac denique Concilium Tridentinum, sess. 25, c. 20, de Reform., sic inquit: «Decernit et præcipit S. Synodus, sacros canones et Concilia generalia omnia, necnon alias sanctiones ecclesiasticas in favorem ecclesiasticarum personarum, ac libertatis ecclesiasticæ, et contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere.» Atque his canonicis decretis concordant jura civilia, quæ postea referemus.

24 *De facto fuisse clericis exemptionem concessam concluditur.* — Ex his ergo testimoniis evidenter concluditur, datum esse in Ecclesia Christi clericis privilegium exemptionis a potestate sæculari. Nam impossibile est tot Pontifices sanctos et sapientes, quorum multi etiam Martyres fuerunt, et tot Concilia Ecclesiam in hoc decepisse. Unde etiam est incredibile, clericos contra imperatores et reges privilegium hoc per tyrannidem vel injuriam usurpasse. Imo de fide certum esse de-

bet, institutionem et observationem hujus privilegii honestam et sanctam fuisse, et esse. Quod in hunc modum ex principiis fidei, et citatis testimoniis colligitur. Quia de fide est, Ecclesiam non posse errare in præceptis morum, quæ universali auctoritate Pontificum aut Conciliorum generalium observari præcipiuntur; sed in Ecclesia per multas leges canonicas et universales approbatur hoc privilegium exemptionis clericorum, et observari præcipitur, et novissime innovantur et confirmantur a Concilio Tridentino, loco citato ; ergo de fide certum est, tam hoc Concilium quam superiora decreta in hoc puncto non errasse ; ergo eodem modo est de fide certum, et privilegium hoc justum ac validum esse, et convenienter institutum. Quibus autem rationibus concessum sit, in sequentibus videbimus, investigando quo jure fuerit introductum. Nam ex dictis in hoc capite, constat tribus modis dari potuisse, scilicet, divino, canonico et civili, et ideo a quo illorum emanaverit inquirendum superest.

CAPUT IV

Utrum Summus Pontifex omni jure divino et humano ab omni jurisdictione sæcularium principum exemptus sit

1. *Sensus quæstionis.* — Quamvis privilegium exemptionis commune sit Summo Pontifici cum reliquis clericis, cum ipse non solum clericus sit, sed etiam clericorum et totius Ecclesiæ princeps et caput, tamen, quia in illo propter singularem eminentiam notior est talis privilegii origo, et quia illius cognitio parare potest viam ad investigandam originem immunitatis aliorum ecclesiasticorum, ideo prius de Papa in particulari sermonem instituimus. De quo etiam hæretici non negant, nunc de facto exemptum esse ab omni sæculari potestate, quia ipse

cum Pontificatu conjunctum habet temporale regnum, in quo superiorem non recognoscit ; quia vero regnum istud non a Deo immediate, sed hominum devotione, vel alio simili humano titulo consecutus est, ideo talis exemptio non est per se conjuncta cum Pontificia dignitate, nec ex divino jure, sed ex humano ducit originem, vel certe, supposito tali statu temporalis principis, ex natura rei sequitur, sicut in aliis regibus, qui exempti sunt ex vi sui status, quia non habent superiorem. Unde ad respondendum quæstioni propositæ, præscindenda est regia dignitas a persona Pontificis, et solum ut Pontifex considerandus est, sicut fuerunt Petrus et successores ejus ante Constantinum.

2. *Error Protestantium. — Opinio Palatii minime permittenda.* — Sic ergo tam Protestantes quam rex Angliæ negabunt plane, habere Pontificem Romanum hanc exemptionem. Vel quia non pius esse credunt quam privatum quemdam Episcopum, vel ad summum Patriarcham ; de omnibus autem Episcopis et Archiepiscopis censent esse subditos suis regibus in temporalibus. Vel certe quia Pontifex neque jure divino exemptus est, ut patet in Petro, et cæteris Apostolis, quibus nunquam Christus tale privilegium concessit ; neque jure canonico, quia non potest Pontifex hoc privilegium sola sua auctoritate sumere ; jus autem canonicum Pontificia auctoritate præcipue nititur. In jure autem civili nihil singulare legitur de Pontifice Romano, magis quam de cæteris, Unde etiam inter Catholicos Palatius, in 4, dist. 25, asserere ausus est, Papam non esse exemptum a potestate civili jure divino, vel canonico, sed jure tantum civili, seu ex privilegio imperatorum. Nam idem sentit de aliis ecclesiasticis, et nihil singulare Pontifici quoad hoc privilegium attribuit. Verumtamen hæc sententia quatenus totum hoc privilegium revocat in solam donationem imperatorum, etiam de aliis clericis Summo Pontifice inferioribus perniciosa est, et minime probanda, ut infra ostendam ; de Summo autem Pontifice omnino reprobanda, et minime toleranda est.

3. *Prima conclusio.* — Dicendum ergo est, Summum Pontificem ex divino jure habere exemptionem et immunitatem ab omni judicio ac jurisdictione sæculari, etiam imperatorum et regum. Hanc assertionem tenent imprimis omnes catholici Doctores, qui generaliter affirmant, exemptionem hanc in toto ecclesiastico statu esse de jure divino, quos cap. 8 referemus. Præter eos vero, qui de inferioribus vel id negant, vel dubii sunt de Summo Pontifice propter ejus singularem dignitatem id ingenue fatetur Soto, lib. 5 de Justit., q. 4, art. 1 ; idem sentit Bannes 2. 2, q. 67, art. 1, dub. 3 ; et sumitur ex Cajetano, eodem loco, et tom. 1 Opusculor., tract. 1, de Potest. Papæ et Concilii, c. 27, ad 2 ; expressius id notant et probant Turrecre., lib. 2 Summ., c. 93 ; et Bellarm., lib. 2 de Sum. Pontif., c. 26 ; sequitur Molina, 1 tom. de Justit., disp. 31 ; Valentia, 3 p., disp. 5, q. 11, punct. 1 ; Henricus, lib. 7 de Indulgent., c. 24 ; et Driedo, lib. 1 de Libert. Christian., c. 9, circa medium, et c. 15, circa finem.

4. *Probatur assertio, primo ex jure canonico.* — Probarique generatim potest hæc assertio ex jure canonico, quatenus in eo simpliciter asseritur, Papam non habere superiorem in terris, a quo possit judicari aut cogi. Ita tradit Concilium Romanum, sub Sylvestro, cap. 20: «Nemo (inquit) judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede justitiam desiderant temperari.» Et ne quis existimet Concilium illud loqui de solo judicio, seu potestate spirituali, subditur statim : «Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur.» Quæ fere verba ex Innocentio Papa refert Gratianus, 9, q. 3, c. «Nemo judicabit primam sedem», etc. Atque eadem verba ex Sylvestro refert Nicolaus Papa, in epist. 1, alias 8, ad Michaelem imperatorem, § «Consonat autem»; et in § sequenti refert similia verba Concilii congregati in casu Marcellini, scilicet: «Prima sedes non judicabitur a quoquam», quam sententiam variis testimoniis et argumentis confirmat. Ac tandem ipse concludit: «Satis evidenter ostendi-

tur, a sæculari potestate, nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem.» Unde, cum tempore Leonis III seditio contra ipsum Romæ mota esset, et Carolus Magnus ad illam sedandam Romam venisset, et in Basilica S. Petri, adstante populo et clero Episcoporum omnium, qui eo ex tota Italia et Francia convenerant, sententias et vota de vita et moribus Pontificis rogaret, ab omnibus una voce responsum est, «Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum caput, a nemine (laico præsertim) judicari debere»; Carolus autem audito tam gravi responso, quæstionem omisit. Ita refert Platina in Vita Leonis, et habetur etiam in tom. 3 Concilior. Et eamdem sententiam late comprobat Ennodius diaconus, in libro pro defensione Symmachi, qui recipitur et probatur in quinta Synodo Romana sub eodem Symmacho. Eamdemque refert, ex dictis Bonifacii Martyris, Gratianus, in cap. «Si Papa», dist. 40, et sumpsit ex Cardinali Deusdedit, in historia de Rebus ecclesiastic., lib. 1, cap. 231, prout late refertur in decreto Gregoriano, sub dictum cap. «Si Papa.» Denique in Synodo octava generali, Constantinopolitana IV, can. 21, egregie locupletatur illa sententia, quia non solum de Papa, sed etiam de aliis Patriarchis dicitur: «Neminem prorsus mundi potentiam eos posse inhonorare, aut a propio throno movere»; et additur, «præcipue quidem sanctissimum Papam senioris Romæ.» Et infra: «Sed nec alium quemquam conscriptiones contra Sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum.» Et infra ait etiam Synodum generalem non posse sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.

5. Ex hoc ergo tam antiquo et constanti dogmate colligimus, privilegium hoc Summi Pontificis non humanum esse, sed divinum, quia neque ipse sibi arrogare illud facto auderet, nisi jure potuisset; non enim tanta facilitate et consensione ab Ecclesia et principibus christianis, sine ulla vi vel coactione (quam profecto neque ipsi Pontifices efficere poterant) admis-

sum fuisset; neque etiam Pontifex id petere jure potuisset, nisi ad hoc potestatem et auctoritatem haberet, quam ratione suæ dignitatis a Christo recepit. Quod si ab ipso Christo auctoritatem habet declinandi omnem jurisdictionem humanam, profecto jure divino ab illa exemptus est. Neque credibile est hoc jus ab imperatoribus accepisse; tum quia ante imperatores christianos dogma illud in Ecclesia cognitum est, ut de tempore Marcellini diximus; tum etiam quia imperator non poterat hoc privilegium concedere pro omnibus regibus et populis non sibi subjectis, cum tamen in dicta Synodo Romana, generaliter et respectu omnium illa sententia proferatur. Tum denique quia Concilia et Pontifices non fundant dogma illud in aliquo beneficio imperatoris, sed in eminentia dignitatis Romanæ Sedis. Et ideo censent tale privilegium esse perpetuum, ac omnino firmum et immutabile, quod non posset habere, si ab imperatore originem habuisset. In quo etiam considero, nec imperatorem ipsum vel regem esse ita exemptum in terris ab omni jurisdictione temporali, ut in nullo casu possit ab hominibus, vel a tota communitate judicari et cogi, quia, ut dictum est lib. 3, potestas cujuscumque monarchæ temporalis manat a republica cum aliqua limitatione et conditione inclusa; exemptio autem Pontificis multo major et altior est: ergo non potest in concessione imperatorum vel regum fundari; datum ergo fuit tale privilegium a Deo ipso. Unde Ennodius supra: «Aliorum (inquit) hominum causas Deus voluit homines terminare, sed sedis istius Præsulis suo sine quæstione reservavit arbitrio» (1).

6. *Quando dicatur aliquid esse de jure divino naturale vel positivo. — Exemptio Summi Pontificis est de jure naturali et positivo divino.* — Ut autem ratione aliqua distinctius declaremus, ubi aut quando Christus privilegium hoc immediate Pontifici contulerit, distinguere oportet duos modos, quibus intelligi

(1) Cap. «Aliorum», 9, q. 3.

potest hoc privilegium esse divinum, scilicet, vel naturali jure, vel positivo. Intelligendum autem est in præsenti materia jus naturale, non respectu naturæ humanæ in sua pura conditione spectatæ, nam hoc modo per se notum est exemptionem hanc non esse de jure naturali; sed naturale in præsenti dicitur, quod est connaturale alicui gratiæ, vel supernaturali dignitati homini collatæ, id es, quod, posita tali dignitate, secundum rectam rationem ex illa necessario sequitur Ex jure autem positivo divino dicetur esse tale privilegium, si per se ac directe, seu propria et peculiari voluntate a Christo Domino Vicario suo collatum esse constiterit. Dicimus ergo utrumque modum verum esse, quod sigillatim ostendendum est.

7. *Probatur assertio quoad primam partem in c.* Patet, 9, *q.* 3.—Et imprimis hanc exemptionem esse de jure divino naturali, his verbis significavit Nicolaus Papa, in epist. citata: «Patet profecto, Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio.» Et infra: «Nemo unquam Apostolico culmini manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari.» Ac si diceret, Pontificem, ex vi Apostolici culminis et auctoritatis, qua major non est, exemptum esse ab humano judicio. Et Ennodius, in loco proxime citato, hanc exemptionem fundat in verbis Christi: «Tu es Petrus», et: «Quodcumque solveris», etc. Ac si diceret, ibi Christum dedisse Petro hanc exemptionem ubi illum Vicarium suum et supremum Ecclesiæ pastorem creavit, etiam si nihil aliud expressisset, quia, nimirum, ex natura rei privilegium hoc talem dignitatem comitatur, et ideo est de jure divino naturali tali dignitati, licet simpliciter et in se sit de jure divino supernaturali, quod in radice (ut sic dicam) positivum etiam dici potest. Ratio autem hujus consecutionis, seu naturalis juris esse debet, quia per illam dignitatem factus est Petrus supra omnes non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, ut supra visum est; ergo eo ipso exemptus est ab omnium potestate, e subjectione.

8. *Difficultas circa propositam probationem.*—Non est autem hæc illatio tam evidens, quin aliquam patiatur difficultatem. Quia Pontifex ex vi suæ dignitatis non est superior omnibus in temporalibus directe, imo ex vi juris divini nullam jurisdictionem directe temporalem habet, sed tantum spiritualem, quæ indirecte tantum extenditur ad temporalia; ergo non repugnat esse subjectum directe temporali jurisdictioni, et habere indirectam potestatem supra temporalem regem; ergo e converso exemptio illa in temporalibus non sequitur intrinsece ex illa spirituali dignitate. Hæc posterior consequentia est evidens, et antecedens in superiori libro probatum est. Prima vero consequentia ostenditur, quia illa duo, subjectio et prælatio, sunt diversarum rationum, et ideo non opponuntur, nec repugnat simul eidem personæ convenire. Et declaratur, quia non secundum eamdem rationem, nec respectu ejusdem, et secundum idem referuntur: nam licet Pontifex ut Pontifex sit superior in suo ordine, ut homo potest esse subjectus in inferiori ordine. Item quia solum potest Papa uti indirecta sua potestate in temporalibus, quando rex, verbi gratia, sua abutitur potestate in ordine ad spiritualem finem; ergo hoc non obstat quominus possit esse subjectus imperatori juste in ipsum animadvertenti per suam directam potestatem. Denique aliis exemplis constat non pugnare, eum, qui uno titulo superior est altero, sub alio esse illi subditum, ut si quis habeat filium regem, naturali titulo patris illo est superior, et nihilominus erit illi ut regi subjectus.

9. *Resolutio prædictæ difficultatis.*—Nihilominus connexio talis privilegii cum tali dignitate multum est rationi consentanea, variisque modis ostendi potest. Primo, quia sicut in naturalibus dans formam dat consequentia ad formam, ita in moralibus dans jurisdictionem censetur dare omnia necessaria ad illius debitum usum et administrationem. Sed in præsenti materia, ut possit Pontifex suam supremam potestatem et jurisdic-

tionem indirectam in temporalibus supra omnes principes temporales exercere, necesse est (moraliter loquendo) ut nulli eorum sit directe subjetus in temporalibus causis, ad personam ipsius Pontificis quocumque titulo aut modo pertinentibus: ergo talis exemptio data est Pontifici ex vi suæ dignitatis. Nam, cum Deus omnia sapientissime et suavissime disponat, non est verisimile dedisse dignitatem et potestatem sine exemptione necessaria vel conveniente ad debitum usum talis potestatis. Quod autem talis dignitas talem exemptionem postulet, ostendi potest, tum quia minime decebat, ut supremum Ecclesiæ caput, cui omnes reges terræ subjici debent, ab eisdem judicari possit, cogi et puniri; tum quia perpetuum fuisset divisionum ac schismatum seminarium; tum etiam quia non possent Pontifices debita libertate et auctoritate sua jurisdictione et potestate uti in reges et principes terræ, si alia via illis essent subjecti, et ab eis possent in vincula conjici et puniri.

10. Secundo, magis hoc declaratur, quia Pontifex ex vi suæ dignitatis et potestatis supremæ potest disponere de omnibus juribus temporalibus, atque etiam de ipsa suprema sæculari potestate, prout necessarium fuerit ad rerum spiritualium convenientem gubernationem, ut supra ostensum est; ergo idem Pontifex ex vi ejusdem spiritualis jurisdictionis habet auctoritatem præcipiendi cuicumque regi, ne in personam suam audeat manum extendere, aut potestatem suam exercere, potestque irritare et pro nihilo ducere quidquid sæcularis potestas in contrarium attentaverit, quia sine dubio hoc maxime pertinet ad spirituale bonum Ecclesiæ, et ad reverentiam debitam Christo, et personæ gerenti vices ejus in terris; ergo plane repugnat Pontificem esse subjectum quoad vim coactivam regi temporali, quia vis coactiva requirit talem potestatem in alium, ut ab illo, superiori potestate, impediri aut ligari non possit. Confirmatur, quia hac ratione in sequentibus ostendemus, posse Pontificem eximere alios clericos a jurisdictione sæculari, non expectato principum temporalium consensu; ergo multo magis

potuit eximere seipsum; hoc autem perinde est ac esse exemptum ex vi dignitatis et potestatis acceptæ; nam qui in sua voluntate et facultate habet non subdi alterius coactioni, profecto ab illa est immunis et exemptus.

11. Tertio explicatur, quia impossibile est magistratum temporalem habere vim coactivam in regem se directe superiorem, a quo in suæ potestatis usu pendet; ergo non minus repugnat Pontificem esse subjectum illo modo potestati temporali. Antecedens receptissimum est apud juristas supra citatos, et sumitur ex cap. «Cum inferior,» de Majorit. et obed., ubi dicitur inferiorem non posse ligare superiorem. Estque aperta ratio, quia repugnat eumdem respectu alterius esse simul inferiorem et superiorem ex fundamento ejusdem jurisdictionis involuntariæ et coactivæ. Ratio autem hujus est, quia coactio non potest fieri per virtutem propriam ejus qui cogitur, et consequenter nec per inferiorem potestatem, quæ pendet a superiori potestate, existente in eo qui cogendus est. Consequentia vero probatur, quia, licet potestas Pontificis non sit directe temporalis, nec ejusdem ordinis cum potestate regum, nihilominus eminenter continet illam, et omnem efficacitatem ejus circa materiam etiam temporalem, habentem sufficientem habitudinem ad spiritualem, qualem esse ostendimus judicium de persona ipsa Papæ; ergo æque repugnat Pontificem subjici tribunali principis temporalis, quem ita habet sibi subditum et subjectum. Eodem ergo divino jure, quo temporales principes ita subjiciuntur Papæ, eodem, inquam, ipse Pontifex ab illorum jurisdictione exemptus est. Superest probanda altera pars de jure divino positivo, quam in sequenti capite prosequemur.

CAPUT V

Expenditur locus Matthæi, « Da eis pro me et te, » pro Summi Pontificis exemptione

1. *Quo sensu exemptio Pontificis sit ex jure divino positivo. —Illatio quædam hæreticorum rejicitur.*—Jus divinum positivum hic appellamus privilegium a Christo concessum peculiari et directa voluntate. Quod ita declaro, ne videatur hæc pars præcedenti contraria, nam, in rigore loquendo, jus positivum dicitur quod naturale non est, sed per liberam Dei voluntatem additum, et ita videtur repugnare hoc privilegium esse simul ex utroque jure divino, naturali et positivo. Ideo ergo dicimus, jus positivum hic latius sumi pro quocumque jure fundato in expressa et directa Christi voluntate, etiamsi fundari etiam possit in alia remota, medio discursu seu ratione naturali. Unde etiam dici potest hoc jus positivum declarans potius privilegium, quod jam erat connaturale ratione prioris dignitatis, quam illud denuo concedens. Sic ergo declarata voce, probatur assertio proposita ex verbis Christi, Matth., 17, ubi cum exactores tributi, quod eo tempore Judæi Augusto viritim solvebant, Petrum interrogassent: «Magister vester non solvit didrachma?» et ipse affirmando respondisset, postea Christus ut Petrum, et in eo Ecclesiam suam instrueret, eum interrogat: «Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?» Petrus autem respondit, «ab alienis,» unde intulit Christus: «Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare,» etc.; «et invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te.» Ex quo facto non solum non colligunt hæretici immunitatem Petri a solutione tributorum, sed potius inferunt, Christum etiam fuisse debitorem tributi, quandoqui-

dem jussit illud pro se solvere. Sed errant manifeste, tum quia Christus argumento suo colligere voluit, se esse immunem a solutione tributi, quia filius regis terreni immunis est a tributis; tum etiam quia postea expresse dicit: «Ut non scandalizemus eos,» quasi diceret. Quamvis non simus debitores tributi, ut isti non offendantur, solve pro me et pro te. Ut ibi Hieronymus, Chrysostomus et omnes intelligunt; et Augustinus, serm. 6 de Verb. Apost., c. 7, de Christo ait: «Non debebat, et persolvebat;» et Ambrosius, in Annotationibus in Exod., cap. 31: «Non debebat» (ait) «filius Dei, non debebat Petrus, sed ne scandalizentur, ait,» etc.

2. *Dubium primum, de quibus filiis fuerit locutus Christus Dominus. — Prima ratio dubitandi.* — Prius vero quam ex hac Christi sententia hoc sedis Apostolicæ privilegium colligamus, inquirendum est de quibus filiis Christus fuerit locutus, et quæ sit vis argumentationis, et consecutio verborum ejus. Aut enim locutus est de solis filiis propriis et naturalibus, vel latius etiam de adoptivis et impropriis; hoc posterius dici non potest, alias omnes justi essent exempti a tributis principum, quia omnes sunt filii adoptivi, et quia de æterna justitia singulorum hominum constare non potest, omnes Christiani erunt exempti, quia omnes sunt in statu filiorum, vel quantum est ex vi professionis suæ illum habere possunt, et per fidem et baptismum jam inchoatum habent, propter quod solent in Scriptura, præsertim a Paulo, omnes fideles sancti vocari. Imo etiam omnes homines possent eamdem exemptionem a subjectione aliorum hominum prætendere, quia omnes sunt filii Dei per creationem, hic enim titulus satis est ut omnes possint Deum tanquam Patrem invocare.

3. *Secunda ratio dubitandi.* — Si autem Christus Dominus de solis filiis naturalibus est locutus, duo insurgunt dubia: unum est, quomodo recte inferat Christus se esse liberum, quia ipse non erat filius naturalis Augusti Cæsaris, ut hoc titulo esset immunis a tributo quod Cæsari pendebatur. Nam filius

naturalis unius regis non est exemptus a solvendo tributo cuicumque regi, sed tantum patri suo; nam si filius unius regis extra ditionem paternam in alienis provinciis versetur, fieri poterit vectigalis alterius regis. Quod, servata proportione, optime accommodatur Christo, qui licet ut Deus sit filius naturalis regis, et ideo, ut sic, liber sit a tributo respectu Patris, et a fortiori respectu omnium humanorum regum, quia omnes sunt sub ditione paterna, et consequenter ipsi etiam ei subsunt, nihilominus ut homo non est filius naturalis Dei cum illa proprietate, sed est filius per gratiam, ergo cum de se tanquam homine loqueretur, non potuit ex titulo filiationis recte inferre se esse liberum, et solum propter vitandum scandalum tributum solvere. Sicut etiam licet Christus, ut Deus, sit rex et dominus omnium hominum, nihilominus multi putant, ut hominem non fuisse regem, neque habuisse dominium regnorum temporalium; ergo eadem ratione nihil obstabat filiatio naturalis quominus ut homo esset tributi debitor. Altera dubitatio, et major est, quia videtur Christus in hac exemptione secum Petrum conjungere, et ex vi ejusdem principii, quod liberi sunt filii, æque immunem illum facere, quandoquidem proxime intulit, «ut non scandalizemus eos, solve pro me et pro te;» perinde enim fuit ac si diceret, Ambo liberi sumus, expedit autem eos non scandalizare, et ideo pro utroque solve. Hæc autem illatio in Petro nullum habebat fundamentum, quia nullo modo erat filius naturalis.

4. *Resolutio primi dubii.*—Ad primam interrogationem Augustinus, lib. 1 Quæst. Evangelicarum, q. 13, indicat Christum, cum intulit: «Ergo liberi sunt filii,» locutum esse de filiis non tantum naturalibus, sed etiam adoptivis, seu per gratiam, sic enim ait: «Quod dixit: Ergo liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est, liberos esse regni filios, id est, non esse vectigales; multo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna.» Non sunt autem in regno terreno filii supremi regis, id est, Dei, nisi per gra-

tiam; extendit ergo Augustinus illationem Christi etiam ad filios per gratiam. Nihilominus dicendum sine dubio est, Christum locutum esse de filiis propriis et naturalibus, nam hoc plane convincunt rationes prius factæ. Et præterea quia Christus non interrogavit Petrum, nisi de illis filiis de quibus ipse poterat verba simpliciter dicta intelligere; Petrus autem sine dubio non intellexit interrogationem, nisi de filiis naturalibus, quia de filiis per gratiam vel tunc intelligere non valebat, vel saltem ex illo simplici et communi sermone in illam cogitationem tunc ascendere non poterat. Sicut quando respondit, «ab alienis,» nihil de injustis aut peccatoribus cogitavit, sed tantum de extraneis, qui filii naturales non sunt.

5. Unde Chrysostomus ibi, hom. 59, ex illis verbis probat, Christum esse naturalem filium Dei, dicens: «Perpendis quomodo distinxit filios a non filiis; si enim filius non esset, hoc profecto regum exemplo usus non fuisset. Sed filius quisquam (inquies) est, non autem pro prius. Non ergo filius, quod si non filius, nec proprius, nec omnino ejus, sed alienus. Ita exemplum nullas vires habebit. Non enim de filiis simpliciter, sed de propriis et regum hæredibus disputat. Atque ita distinguendo alienos opposuit, quo vocabulo eos appellavit, qui ab ipsis regibus nati non sunt, suos vero ex se genuerunt.» Et hoc ipsum indicavit Hilarius, canon. 17 in Matth., dicens: «Numquid ambiguum est, filios regum tributis obnoxios non esse, et quibus regni veritas est, liberos esse a servitute?» nam per regni veritatem, veram et naturalem regiam originem indicavit. Et infra, utens fere argumento Chrysostomi, ait: «Ut ostenderet legi se non esse subjectum, et ut in se paternæ dignitatis gloriam contestaretur, terreni regni posuit exemplum, censu aut tributis filios regum non teneri.» Argumentum ergo Christi a naturalibus filiis sumptum est. Augustinus autem vel in sensu mystico ad filios Dei per gratiam, et ad immunitatem eorum a servitute peccati et tributo dæmoni solvendo inde digressus est, ut de Origene notavit D. Thomas, in eumdem Matthæi locum.

Vel certe Augustinus etiam de filiis naturalibus locutus est; nam, licet filius Dei naturalis unicus tantum sit, potuit in plurali loqui, ut formam verborum Christi observaret, nam perinde esset, etiam si tales filii Dei plures essent, ut notarunt Jansenius, in c. 69 Concordiæ, et Salmeron, tom. 6 de Mirac. Christi, tract. 37.

6. *Ad secundam rationem dubitandi.*—Ad priorem vero dubitationem secundo loco propositam respondent omnes Patres allegati, et cæteri expositores, argumentum Christi esse a fortiori desumptum a filiis naturalibus regum temporalium ad filium naturalem regis illius, sub quo sunt omnia regna terrena, ut supra dixit Augustinus. Unde ad objectionem in contrarium factam respondemus, verum quidem esse filium regis terreni solum in paterno regno esse immunem a tributo, non vero respectu alterius regis, si aliqua ratione ei subjiciatur, vel in ejus ditione versetur. Imo etiam in regno paterno non est filius exemptus a jurisdictione patris, sed ex voluntate ejus exemptus est ab omnibus ministris ejus, et ab exactione tributorum, omnique alia jurisdictione, quæ per ministros patris exercetur. Negamus autem consecutionem vel similitudinem rationis ad Christum filium Regis cœlestis. Nam unusquisque rex terrenus limitatus est, et non habet sibi subjectos alios reges supremos. Deus autem est rex omnium regum, et ideo filius naturalis ejus etiam est supra omnes illos, ac subinde liber et immunis ab omni tributo, et ab eorum jurisdictione exemptus, cum illi non sint nisi quidam ministri supremi regis patris sui.

7. *Christus Dominus, etiam ut homo, est naturalis Dei filius.*—Ad replicam autem, quia hoc procedit de Christo ut Deus est, et non ut homo, respondemus negando assumptum, nam Christus etiam ut homo est filius Dei naturalis propter gratiam unionis, per quam ipsa naturalis filiatio substantialiter est humanitati conjuncta, et consequenter etiam gratia creata facta est illi homini connaturalis. Eademque ratione inde etiam habuit Christus, ut tanquam homo non solum liber esset ab

omni terreni regis potestate et tributo, verum etiam ut esset per quamdam singularem excellentiam rex regum, et Dominus dominantium, sicut de illo dicitur Apocalyp, 17. Proprietatem enim et dominium hujus regni, quod nunc habet in cœlis, semper in terris habuit ratione unionis, quamvis usum illius in vita mortali non acceperit, quomodo intelligendi sunt, qui negant Christum ut hominem fuisse regem, vel fortasse loquuntur de proprio regno temporali et caduco, quod verum est, Christum non accepisse, nec jure hæreditario habuisse. Habuit vero supra omnia regna terrena regnum et dominium altioris rationis, et potestatem excellentiæ, et ideo etiam habuit innatam libertatem ab omni tributo mortali regi vel imperatori debito, quam immunitatem habet ratione filiationis naturalis, et ideo optime de se, etiam ut homine, argumentatus est.

8. *Ad tertiam dubitationem. — Prima sententia. — Rejicitur prædicta sententia.* — Major difficultas est in altera dubitatione, quæ postulat cur Christus Petrum in hac libertate secum conjunxerit, et quasi æqualem fecerit, dicens illi: «Ut non scandalizemus eos, solve pro me et te.» Aliqui negant id colligi ex prædictis verbis, vel aliquod in illis verbis latere mysterium. Sed Christum in plurali dixisse Petro, «ne scandalizemus eos,» non quia Petrus solum ratione scandali vitandi teneretur solvere tributum, sed vel quia de propria persona potuit facile ita loqui, plurali pro singulari utendo, vel quia scandalum Christi in Petrum et alios Apostolos redundaret. Atque ita postea Christum jussisse Petro solvere tributum, etiam pro se, ex statere invento in ore piscis, quia cum Petrus esset debitor tributi, voluit Christus simul illi subvenire, et fortasse illi soli, quia Apostoli tunc non aderant. Quam sententiam libenter hæretici arripiunt. Mihi tamen verisimilis non est. Nam imprimis dum aiunt hi expositores, tunc temporis alios Apostolos ibi non adfuisse, nullo fundamento loquuntur, sed divinant. Deinde ipse modus, quo exactores tributi Petrum in plurali

interrogarunt: «Magister vester non solvit didrachma?» satis indicat, non tantum Petrum, sed etiam alios Apostolos tunc adfuisse cum Christo, unde communiter Patres id supponunt, ut statim referam.

9. *Petrum in aliqua dignitate temporali sibi prælatum existimabant Apostoli.*—Addo ulterius, verisimile non esse Christum in eo facto nullum intendisse mysterium, aut peculiarem affectum erga Petrum non ostendisse. Quia cum Christus ibi docuerit se esse filium Dei naturalem, et ideo non esse obnoxium solutioni tributi, sed tantum propter vitandum scandalum præcepisse ut solveretur, et in hac prærogativa et modo solvendi tributum Petrum sibi specialiter conjunxerit, sine dubio significare voluit se communicaturum Petro quamdam participationem sui privilegii, ratione cujus, etiam ipse non esset debitor tributi, nisi propter scandalum vitandum. Et addit Chrysostomus ibi, Christum conjunxisse secum Petrum in solutione tributi, in retributionem fidei, per quam ad rem ita natura incredibilem illico paruit; illamque retributionem vocat honoris excellentiam, quam Christus Petro ostendit, dicens: «Da eis pro me et te.» Unde etiam alii Apostoli intellexerunt. Christum in eo facto Petrum ipsis prætulisse. Hinc enim orta est occasio interrogandi Christum: «Quis putas, major est in regno cœlorum,» ut statim in initio cap. 18 Matthæus refert, et exponit ibi Hieronymus dicens: «Post inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio?» et respondet: «Quia viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.» In quo, si recte illud comprehendissent, non decipiebantur, sed errabant, putantes illam excellentiam vel dignitatem futuram fuisse in aliquo regno temporali more humano, et ex invidia interrogabant. Et propterea Hieronymus addit: «Videns Jesus cogitationes eorum, et causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ humilitatis conten-

ione sanare, dicens: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.»

10. Eamdemque doctrinam habet Chrysostomus, homil. 59 in Matthæum, dicens, aliquid humanum passos fuisse discipulos in illa interrogatione, et ad illud significandum, addidisse Evangelium illam particulam: «In illa hora,» quando «scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit.» Et infra dicit, ex multis causis fuisse inflammatos discipulos, et numerat singularem promissionem: «Tibi dabo claves,» et: «Beatus es Simon Bar Jona,» et his adjungit præsentia verba: «Da pro me et te,» sentiens singularem excellentiam et prærogativam per illa significasse. Idem tradit Origenes, tract. 5 in Joan., expendens eodem modo verbum illud: «In illa hora,» et dicens: «Ego arbitror, quoniam maximum hunc existimantes honorem in Petrum a Christo collatum, quasi per hoc indicasset, Petrum cæteris discipulis meliorem, cupiebant, quod suspicabantur, caute cognoscere,» etc. Idemque habetur nomine Augustini in libro Quæstionum novi et veteris Testamenti, q. 75, ubi ait, præcepisse Christum singulariter solvere pro Petro, quia constituerat illum facere caput aliorum Apostolorum, et pastorem gregis sui, et comparat illa verba cum illis: «Ego rogabo pro te.» Quod etiam notavit Lyran., Matth., 17 et 18, et fere alii Doctores catholici fatentur, ibi esse significatam specialem prærogativam Petri, quamvis in illa explicanda non omnes conveniant.

11. *Aliorum opinio.—Privilegium Petri ad successores transit.*—Aliqui ergo existimant Christum ostendisse ibi peculiarem amorem et curam Petri, non vero exemptionem. Sed hoc parvi momenti est in re adeo mirabili, tanta diligentia ab Evangelista observata, et a Patribus exaggerata. Alii, agnoscentes aliquod altius mysterium, ad mysticos sensus divertunt, ut videtur esse Augustinus, sermon. 6 de Verbis Apostoli, dicens, Petrum Ecclesiam repræsentasse, pro qua Christus indebitam mortem solvit, ut eam a debito,» mortis liberaret, quod Anselmus et D. Thomas sequuntur. Ita vero est hoc accipiendum, ut

litteralis sensus non omittatur. Negari ergo non potest quin Christus specialiter jusserit, solvi tributum pro persona Petri, sicut et pro se, hoc enim in proprietate significant verba illa: «Da eis pro me et te,» et ita notant Patres nuper allegati, æquiparando hæc verba cum illis: «Tibi dabo claves,» et: «Ego rogabo pro te;» nam in omnibus illis pronomen illud designat individuam personam Petri. Significavit ergo Christus in illis verbis Petrum futurum esse exemptum a solutione tributi, sicut ipse erat. Atque ita credimus ex hoc loco, ut minimum colligi, Christum concessisse Petro privilegium hoc exemptionis, quia futurus erat princeps Ecclesiæ, Christique Vicarius. Unde consequenter fit, hoc privilegium non fuisse personale in Petro, sed reale ratione dignitatis, atque ad successores transire ex vi divini juris, et peculiaris institutionis seu voluntatis Christi. Quam sententiam satis significant Hieronymus, Chrysostomus, Theophylact., Eutym., et alii, quatenus dicunt, illam prærogativam fuisse concessam Petro, quia erat caput Apostolorum, et quatenus æquiparant hunc locum cum aliis, in quibus Christus, loquens ad Petrum, cum illo et successoribus ejus loquitur.

12. *In dictis verbis Christi potestatem alios a tributis eximendi demonstrat.*—Ad difficultatem autem propositam, quomodo Christus extendat illationem ad Petrum, qui non erat filius Dei naturalis, respondent multi, tacite supposuisse Christum aliud principium, scilicet, sub filiis regum comprehendi domesticos et familiares eorum, nam etiam hi solent esse a tributis exempti, ratione filiorum quibus adhærent. Sed de hac ratione dicemus inferius; nam si vera est, non solum ad Pontificem, sed etiam ad alios extenditur privilegium illud, ut divinum est. Dico ergo significasse Christum, non solum se esse immunem a solutione tributi, sed etiam potuisse illud privilegium communicare Petro tanquam sibi conjunctissimo, et valde simili in potestate quam illi concessurus erat supra totam Ecclesiam, et supra omnes reges terræ. Quocirca quando

Christus, post factam illationem: «Ergo liberi sunt filii», adjunxit: «Ut autem non scandalizemus eos, da pro me, et te», non oportet ut hæc posteriora verba intelligantur adjuncta ex vi prioris illationis, sed per modum novæ declarationis et extensionis ex speciali Christi voluntate. Vel certe dici potest, quia argumentum Christi fuerat a minori ad majus, ut supra declaravi, ideo Christum non fuisse contentum inferendo, se esse immunem a tributis, sed etiam Petrum secum conjunxisse, ut ostenderet se, utpote filium Dei naturalem, longe altiori modo esse immunem quam sint filii regum terræ, quia non solum est immunis ab illis, sed etiam est superior omnibus illis, et potuit Petro suam potestatem seu participationem ejus ita communicare, ut ejusdem etiam exemptionis illum faceret participem.

13. *Objectio.—Responsio.—Ex immunitate a tributis recte colligitur immunitas a sæculari potestate.*—Sed instabit tandem aliquis: nam licet concedamus ex hoc loco colligi exemptionem a tributis, non sequitur colligi etiam exemptionem ab omni subjectione et potestate coerciva principum. Nam filius regis terreni licet sit liber a tributo patri solvendo, non est liber a potestate directiva patris, quia tenetur ejus leges servare; nec a potestate coerciva, nam potest rex filium suum punire secundum justitiæ æquitatem. Respondeo, concedendo illationem non esse formalem (ut aiunt), quia non tenet in omni materia, ut argumentum factum probat. Nihilominus tamen in præsenti materia, et ratione illius, recte colligimus unam exemptionem ex alia. Nam imprimis in ipso Christo sicut ex filiatione naturali infertur immunitas a tributo, ita infertur immunitas ob omni subjectione, et jurisdictione principum temporalium, quia filiatio, quæ est ratio unius exemptionis, necessario etiam est ratio alterius, quia est ratio dominationis et excellentiæ supra omnes reges. Simili ergo modo, seu accomodata proportione, intelligimus hoc privilegium esse communicatum Petro, ideoque ex immunitate a tributis colligimus exemptionem ab omni

subjectione, et jurisdictione temporali, quia ratione dignitati et potestatis supra ipsos reges communicata est.

CAPUT VI

Objectionibus contra resolutionem superiorum capitum satisfit

1. *Prima objectio.—Solutio.*—Quoniam Summi Pontificii exemptio cum ejus dignitate et potestate supra reges tempo rales conjuncta est, ideo eædem fere objectiones contra exemptionem hanc, quæ contra potestatem opponuntur; et quia fer omnes in superiori libro tractavimus, ideo illas breviter attingendo, unam vel alteram addemus, quæ hujus loci visæ sun magis propriæ. Prima objectio sumitur ex lege veteri in qu Summus Pontifex a jurisdictione regis exemptus non erat; im ab eo puniri poterat, ut factum Salomonis ostendit, 3 Reg., 2 ubi Salomon exauthoravit Abiathar propter crimen læsæ majes tatis, illum auctoritate regia puniendo. Huic vero objection supra respondimus, assumptum non satis probari ex illo facto tum quia fortasse Salomon id fecit non ut rex, sed ut propheta tum etiam quia unum factum non ostendit jus, cum a regibus multa per violentiam fiant. Unde cum ex aliis locis Scriptura non probetur subjectio Pontificis ad regem in lege veteri, relin quitur vel falsum esse illud antecedens, vel saltem incertum Deinde adjunximus, quidquid fuerit in veteri lege, nullum inde sumi posse argumentum ad Pontificatum legis gratiæ, qui lon ge altioris est ordinis. Nunc ergo solum addendum occurrit, ob jectionem similem factam esse ante quadringentos annos al imperatore Constantinop., in epist. ad Innocentium III, ex qua sumptum est caput «Solitæ», de Major. et obed., qui non de Salomone, sed de Davide argumentabatur, «quia David

rex Abiathar Pontifici præeminebat (1).» Cui Pontifex eisdem modis respondet, dicens : «David quamvis regni diadema obtineret, non tam ex dignitate regia, quam auctoritate prophetica imperabat. Verum quidquid horum fuerit in veteri Testamento, nunc aliud est in novo, ex quo Christus factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech.» Et concludit : «Circa illum præcipue, qui successor est Petri, et Vicarius Jesu Christi.»

2. *Secunda objectio.*—Secundo objici potest, quia ea, quæ sunt jure divino a Christo constituta, statim a principio Ecclesiæ habuerunt effectum; sed Pontifex Romanus non solum a principio Ecclesiæ, verum etiam toto tempore quo imperatores Romani fuerunt ethnici, non fuerunt ab eorum jurisdictione exempti; ergo non habuerunt a Christo hujusmodi exemptionem. Minor propositio probatur ex Paulo, ad Rom. decimo tertio, dicente : «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.» In quo loco præcipue loquitur Paulus de politico principatu, etde obedientia regibus debita, ut ibi notant expositores, et Augustinus, epist. 54 ad Macedonium, et Basilius, in Constit. monasticis, c. 23. Et ipse Paulus inferius aperte ostendit, cum dicit : «Non sine causa gladium portat»; et cum ait : «Ideo enim et tributa præstatis.» Itaque ut iidem Patres advertunt, illud specialiter monuit contra nonnullos, qui eo tempore prædicare cœperant, Christianos non teneri ad parendum principibus temporalibus; ipse autem contrarium de omnibus Christianis docet, et ut nullum excipi declaret, inquit : «Omnis anima», etc., ut ibi expendit Chrysostomus, Hom. 23, dicens : Ostendens quod ista imperentur omnibus, et sacerdotibus, et monachis, et non tantum sæcularibus, id statim in ipso exordio declarat, cum dicit : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiam si Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris, neque enim pietatem subvertit

(1) Vide Turrecrematam, lib. 2 Summæ Ecclesiast., c. 96, ad 4.

ista subjectio.» Et eodem modo loquuntur ibi Theodoretus Theophylactus, et OEcumen. Juxta Apostoli ergo sententiam sic expositam, etiam Petrus erat tunc subditus potestatibus sublimioribus. Cum enim Chrysostomus dixisset, etiam Apostolos fuisse subditos, et sententiam auxerit, dicens: «Sive quisquis tandem fueris», profecto etiam Petrum comprehendere visus est. Multo ergo majori ratione Pontifices successores Petri fuerunt subditi imperatoribus, saltem quamdiu isti christiani non fuerunt. Et ratione potest hoc confirmari, quia princeps ethnicus non est subditus Pontifici; ergo potest esse illi superior; ergo de facto erat superior, quia habebat potestatem universalem in omnes, et non habebat subjectionem ratione cujus privaretur potestate in Petrum vel successores ejus.

3. *Responsio.*—Respondetur concedendo privilegium hoc, quatenus a Christo Domino concessum est Petro et successoribus ejus, habuisse suum proximum effectum, statim ac Christus Petro contulit Pontificiam dignitatem, quia illud privilegium, vel cum ipsa dignitate intrinsece conjunctum est, et quasi ab illa manat, vel per specialem Christi voluntatem datum est, quæ voluntas efficax fuit, neque impediri potuit per ullam temporalem potestatem. Et non minus comprehendit exemptionem a subjectione respectu infidelium principum quam fidelium, tum quia Christus, Matth., 17, absolute locutus est, et occasio sermonis ejus sumpta fuit ex tributo quod imperatori ethnico solvebatur; tum etiam quia non est major ratio de principe fideli, quam de infideli. Imo si Pontifex, verbi gratia, Sylvester fuisset subditus Constantino ante conversionem ejus, etiam post conversionem manerat subditus, quia, ut supra dixi, nullus rex infidelis ipso facto amittit jurisdictionem aliquam propter conversionem ad fidem. Denique quando Concilia et Patres docent, Pontificem non habere superiorem in terris, omnem excludunt, sive fidelis, sive infidelis sit.

4. *Pontifices Summi semper fuerunt exempti.* — Digo ergo, et Petrum, et ejus successores, toto tempore gentilium impe-

ratorum fuisse exemptos ab eorum jurisdictione quoad privilegium, licet usum privilegii pro eo tempore habere non potuerint, quod nihil repugnat juri divino. Sicut etiam eo tempore habuerunt dignitatem et potestatem supra omnes imperatores a Christo datam, non expectato temporalium principum consensu, usum autem ex exercitium illius potestatis circa eosdem principes non statim habuerunt Petrus aut successores, quia juxta ejusdem Christi ordinationem ex voluntaria fidei receptione pendebat. Eadem ergo ratio est de prædicto privilegio accessorio dignitati, nam illud contulit solus Christus sine dependentia a consensu principum, seu aliorum hominum, usus autem partim ex voluntate, partim ex potentia et factis hominum pendebat.

5. *Ad verba Pauli.* — Nec verba D. Pauli, quantumvis generalia videantur, excludunt privilegium speciale a Christo concessum, nam regula juris est, generale jus per speciale limitari, etiam si speciale antiquius sit, quæ regula hic satis accommodari potest. Præsertim quia D. Paulus ibi solum explicat jus antiquum et naturale, docetque observandum esse a Christianis, ac proinde tradit (ut Theophylact. ibi ait) Evangelium non docere defectionem aut inobedientiam erga magistratus, sed moderationem et obedientiam. Hoc autem jus naturale non violatur, sed materia ejus ex parte mutatur per privilegium exemptionis a Christo concessum, quod ibi Paulus non exclusit, neque illius mentionem fecit, quia necessarium non erat. Quanquam si attente verba Pauli considerentur, ex forma illorum intelligi potest, Vicarium Christi sub eis non comprehendi, dicit enim : «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,» quæ verba sunt respectiva, et comprehendunt tam privatos homines respectu eorum qui proxime præsunt, quam magistratus inferiorum ordinum respectu sublimiorum potestatum. At vero comparatione Vicarii Christi nulla est in terris sublimior potestas, et ideo in eo non habet locum sententia Pauli.

6. *Ad Chrysostomum.* — Ad Chrysostomum vero, quod attinet ad præsentem quæstionem, similiter respondemus generatim fuisse locutum, neque ibi exclusisse speciale privilegium Petri, neque tractasse quæstionem, an Vicarius Christi habeat in terris potestatem sublimiorem, cui ex vi naturalis et divini juris parere teneatur. Quod vero spectat ad alia specialia exempla, quæ inducit de Apostolis, sacerdotibus et monachis, infra ex professo tractandum est, an illorum exemptio sit de jure divino vel humano. Nunc solum dicimus, quidquid sit de aliis etiam Apostolis, de Petro ut Christi Vicario esse specialem rationem ; tum propter specialem dignitatem, tum propter verba Christi illum singulariter eximentis a debito solvendi tributum Quapropter jus hoc exemptionis æquale fuit in Pontificibus respectu ethnicorum principum et Christianorum, quia privilegium, ut dixi, non fuit pendens ex fide subditorum, licet usus sine illa esse non potuerit.

7. *Ad rationem in eadem objectione factam.* — Neque obstat ratio in contrarium facta, quia licet princeps infidelis pro illo statu non sit directe subditus Petro, nihilominus ex divino jure tenetur illi subdi, suscipiendo fidem , et baptismum, per quem unusquisque fit de grege Christi, et consequenter subditus Petro. Et præterea etiam ante baptismum est hujusmodi princeps indirecte subditus Petro, qui jus habet cogendi infideles principes, ne Evangelii prædicationem in suis terris impediant, neve subditos suos ad fidem negandam, vel non suscipiendam cogant, aut alio modo religioni christianæ infesti sint. Hac ergo ratione Pontifices simpliciter facti fuerunt a Christo immunes a potestate principum temporalium, sive fidelium, sive infidelium, nam infidelitas non facit eos melioris conditionis, neque eorum auget jurisdictionem ; quoad usum vero non potuerunt Pontifices temporibus infidelium principum judicia illorum declinare, sicut etiam non poterant se vel dignitatem suam ab omni injuria vindicare, quod mirum esse non debet, cum etiam sub fidelibus principibus interdum similia

passi sint, id permittente Deo, vel ad eorum probationem, vel ad majorem fidei confirmationem.

8. *Tertia objectio ex factis imperatorum. — Responsio. — Cur suffragium eligendi Pontificem imperatori jurisdictionem aliquam in ipsum non impertiat.* — Ex quo facile etiam solvitur tertia objectio, quæ et a rege Angliæ, et ab aliis schismaticis et schismatum fautoribus sæpius inculcatur, sumiturque ex factis quorumdam imperatorum, qui superiorem potestatem in Summos Pontifices sæpius exercuerunt, vel illos eligendo, seu in sede collocando et confirmando, vel eos puniendo et exauthorando. Ad quod præcipue inducunt factum Othonis I (quem imperatorem piissimum fuisse dicunt), qui Joannem XII, alias XIII, propter pravos mores a sede deposuit. De hoc tamen argumento dixi multa in superiori libro, cap. ult., ad quem locum lectorem remittimus; hic enim solum illud commemoravimus, ne objectionem in hoc puncto frequentem intactam relinqueremus. Addere vero possumus, priorem objectionis partem ad præsentem causam nullo modo pertinere. Quid enim? si daremus imperatores aut reges posse esse Pontificum electores, numquid propterea esse possent eorum legislatores aut judices, aut propter aliquam in eos jurisdictionem superiores? Profecto Cardinales sunt electores Pontificum, et nihilominus, postquam Pontificem elegerunt, nullam in illum habent potestatem vel jurisdictionem; imo potius illi sunt omnino subjecti. Ratio vero est, quia dum suffragia ferunt, aliquem sibi æqualem nominant vel eligunt, ille autem, qui rite electus est, a Christo ipso statim investitur, et fit superior suis electoribus, quibus antea erat æqualis, vel fortasse inferior. Accedit, quod ipsi electores a Sede Apostolica habent eligendi potestatem tanquam a superiore et Christi Vicario, ad quem spectat modum eligendi sibi successorem præscribere. Idem ergo cum proportione dicendum est de imperatore, etiamsi vel ad eligendum Pontificem, vel ad confirmandam suo consensu electionem ejus fuerit admissus, quia non propterea

factus est superior Pontifice, sed manat semper inferior Pontifice jam instituto, sicut etiam erat subditus illi, a quo talem prærogativam accepit.

9. *Depositio Pontificis per civilem potestatem fieri nequit.* — De altera vero objectionis parte, in citato loco ostendi historias, in quibus factum illud et alia similia referuntur, et incertas esse ac varias, seu inter se dissentientes, et non satis fideliter referri. Nam ex eis non solum colligi non potest imperatorem jure deposuisse aliquem Pontificem, verum etiam neque facto id tentasse ex vi propriæ jurisdictionis, judicii ac sententiæ, sed aut apertam vim aut tyrannidem, per quam aliqui principes christiani manus violentas in Pontificem injecerunt, vel ad summum industria et auctoritate sua procurando, ut congregaretur aliqua Synodus, quæ sententiam depositionis in Pontificem ferat, quidquid sit de potestate talis Synodi, et an ex errore vel malitia processerit; nam ita accidisse in facto Joannis XII citato loco ostendimus. Et sane cum pœna depositionis canonica sit, in illa peculiarem deformitatem et repugnantiam habet, quod per potestatem sæcularem possit imponi. Neque in eum errorem incidere potest, nisi qui de Pontificia dignitate nihil supernaturale vel spirituale, sed tantum politicum seu civile cogitaverit. Et ideo si quis imperator vere fidelis temerario ausu et indiscreto zelo de Pontifice dijudicando tractavit, non per se, ut dixi, sed per congregationem aliquam, quæ speciem saltem potestatis spiritualis habere videretur, deponendum curavit. Quia vero illa depositio summa est in eo genere spiritualis pœnæ, et jus divinum attingit, a quo per se et immediate est Pontificia dignitas, ideo ex parte Pontificis maximam causam requirit, qualis est sola hæresis, quæ fundamentum talis dignitatis quodam modo tollit; ex parte vero Ecclesiæ requirit sententiam, non cujuscumque Synodi, sed legitimæ et universalis, et nihilominus ex parte Dei necesse est ut ipsemet talem dignitatem auferat, quam ipse per se contulit.

10. *Quarta objectio, ex Matt.*, 18.— *Solutio.*— *Replica.*—

Quartam objectionem sumunt hæretici ex verbis Christi, Matth., 18: «Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum», etc.; ac tandem «dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.» Hanc enim Christi sententiam et legem non minus erga Pontificem, quam erga alios fideles procedere censent, quia etiam Papa est homo, et potest coram aliis et cum eorum scandalo et injuria delinquere; ergo potest et debet corripi, vel secreto, vel coram testibus; et si emendari noluerit, poterit Ecclesiæ denunciari; quam si non audierit, poterit per eam excommunicari, ut ab aliis tanquam ethnicus et publicanus habeatur; ergo subest Pontifex potestati coercivæ Ecclesiæ. Dices, hinc ad summum sequi, Pontificem non esse omnino exemptum a potestate spirituali, non vero non esse exemptum a potestate sæculari. Sed contra, nam ex primo potest inferri secundum, saltem quantum est ex vi juris divini, quia si Papa non est divino jure exemptus a foro ecclesiastico, non habet illam supremam dignitatem, in qua præcipue fundabamus jus divinum de exemptione illius a sæculari potestate. Item, quia si Pontifex potest per Ecclesiam excommunicari, eadem ratione poterit gravius puniri pro qualitate delicti; ergo poterit etiam degradari et brachio sæculari remitti; ergo non est omnino exemptus jure divino a jurisdictione sæculari, alias non posset per Ecclesiam iterum sæculari potestati subjici.

11. *Solutio.—Ecclesia nullam habet vim coercivam in Pontificem.*— Respondeo imprimis hæc posteriora argumenta efficacia non esse, tum quia, licet fingeretur Pontificem esse subjectum alicui tribunali ecclesiastico, verbi gratia, Concilio generali, nihilominus posset esse jure divino exemptus a sæcularibus, vel ex speciali privilegio Christi, vel quia semper manet super omnes principes sæculares, etiam si per impossibile in ordine spiritualium potestatum Concilio subesset. Tum etiam quia eadem argumenta fieri possunt de Episcopis et inferioribus clericis, de quibus postea dicemus. Deinde addo, etiam si argumenta illa admittantur, potius ostendere incommoda et absurda, quæ ex

priori antecedente sequuntur, quam illud confirment. Negamus ergo posse Ecclesiam vim coercivam in Pontificem exercere, sive per censuram, sive quocumque alio modo, nisi prius a Pontificatu cadat, vel per voluntariam renunciationem ab Ecclesia acceptatam, vel per culpam hæresis ab Ecclesia judice declaratam. Quia quamdiu persona illa verus Papa existit, jurisdictionem habet supra totam Ecclesiam, etiam simul sumptam, ideoque necessario est jure divino exemptus spiritualiter, id est, non subditus sublimiori potestati spirituali extra Christum, quia nulla talis in mundo invenitur, ut in superiori libro satis tractatum est.

12. *Quomodo fraterna correctio erga Pontificem exerceri valeat.*—Unde ad objectionem respondeo, correctionem fraternam habere posse locum erga Summum Pontificem, quatenus est charitatis officium, et intra illud sistitur, hoc enim modo potest interdum major a minori, et Prælatus a subdito admoneri, sicut Paulus cum Petro se gessit, ut explicuerunt Augustinus, epist. 19 ad Hieronymum, et Gregorius, homil. 18 in Ezechiel. Cessat autem correctionis progressus, quando ad viam coactionis fit transitus. Itaque cum reverentia corripi vel admoneri potest Pontifex, prius solus, si crimen sit secretum, deinde coram aliquibus, si res et necessitas postulet. Quod vero ulterius sequitur, «Dic Ecclesiæ», in eo locum non habet, quia ibi nomine Ecclesiæ, non corpus Ecclesiæ, sed Prælati ejus intelliguntur; nec enim potest peccator toti corpori Ecclesiæ denunciari, sed pastori. Unde necesse est ut respective, seu cum proportione accommoda intelligatur, ita ut unusquisque peccator suo pastori ac prælato denunciari debeat, nam extraneus non potest efficaciter corripere aut cogere sibi non subditum. Quia ergo Pontifex superiorem Prælatum non habet, in eo locum non habet illa denunciatio, sed potius quia ipse est supremus Pastor totius Ecclesiæ, satis Ecclesiæ dicitur peccatum ejus, cum ipsi dicitur. Posset autem respectu Pontificis non male intelligi nomine «Ecclesiæ», confessor ejus, qui eum monere, et suo modo

corripere, et peculiariter obligare in foro suo potest. Quod autem sequitur: «Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus», proprie non potest in Pontifice locum habere, quia excommunicari non potest, cum non habeat vim coercivam superiorem. Neque hoc est inconveniens, quia præceptum illud affirmativum est, et circa unumquemque obligat juxta capacitatem ejus.

13. *Objectio.* — Contra hoc vero insurgit statim quinta objectio, nam sequitur Christum non satis providisse Ecclesiæ suæ, nec convenienter illius regimen instituisse. Nam ut nos dicimus, dedit uni homini supremam in sua Ecclesia potestatem, eumque constituit, «Super gentes, et regna, ut evellat, et destruat, et disperdat, et dissipet, et ædificet, et plantet» (1). Potest autem talis esse Papa, ut potestate sua in destructionem utatur, nam libertati suæ relinquitur, et peccator esse potest; ergo si in Ecclesia non est potestas ad coercendum illum, imperfecte instituta est, insufficienterque est illi provisum. Quale enim est corpus, quod membrum putridum non possit per violentiam aliquam purgare, vel si hoc non sufficiat, abscindere ne totum corpus corrumpat? Ergo cum Ecclesia sit unum corpus mysticum, et Papa sit unum membrum ejus, quod eo plus potest illi nocere, quo potentius et principalius est, necessarium est ad hujus Ecclesiæ conservationem, ut in ea sit aliqua potestas, quæ jure et facto valeat iniquo Pontifici resistere, et illum cogere, vel abscindere, etiam si necesse sit; hæc autem potestas non est alia, nisi potestas regia, vel imperatoria; ergo.

14. *Solutio.* — *Nulla potitur Ecclesia potestate coerciva in Pontificem.* — *Objectio in regem Angliæ retorquetur.* — Respondeo, hoc etiam argumento usos esse qui existimarunt, Concilium generale esse supra Pontificem, posseque illum deponere, non tantum in causa hæresis, sed etiam propter alia crimina Eccle-

(1) Jerem., 1.

siæ valde nociva. Et quidem, si argumentum tantam efficaciam haberet, ut propter illud esset in Ecclesia admittenda aliqua potestas coerciva Pontificum abutentium potestate sua in Ecclesiæ perniciem, potius ponenda esset illa potestas spiritualis quam temporalis, et in generali Concilio potius quam in aliqua particulari persona. Et ita non procederet objectio; negatur enim ultima propositio assumpta, nimirum potestatem hujusmodi solum regiam vel imperatoriam esse posse. Vera nihilominus responsio est, non esse in Ecclesia talem potestatem supra Pontificem, neque spiritualem, neque temporalem, ut satis in superioribus probatum est. Objectio autem facta retorqueri potest contra regem Angliæ multo majori ratione, nam ipse vult ita esse caput in imperio suo, ut neque in spiritualibus, neque in temporalibus superiorem habeat, idemque de quolibet supremo rege affirmare cogitur, ne tantam dignitatem pro sola sua libidine usurpare videatur. Nonne est ergo multo majus incommodum, ut in Ecclesia Christi, quæ unum corpus esse debet, sint multa capita ita suprema, ut quodlibet illorum suos subditos dijudicet, et ipsum a nemine judicetur, quam quod sit unum tantum hoc habens singulare privilegium sub Spiritus Sancti directione specialiter constitutum?

15. Dico ergo potius in hoc ostendi singularem Christi providentiam in suam Ecclesiam. Nam regna terrena sunt inter se divisa, et non subordinata, quia in temporalibus et civilibus non habent unitatem, et ideo sicut sunt multa corpora, ita non est inconveniens quod habeant multa capita suprema, et licet in unoquoque regno possint sequi incommoda, ex eo quod rex supremus a nemine judicari in temporalibus, vel puniri possit, illa incommoda vel tolerantur propter majora commoda (quod in humana providentia sæpe fieri necessarium est, et ad rectitudinem prudentiæ pertinet), vel unaquæque respublica habet suas leges et modos justos, quibus his incommodis occurrat. At vero respectu Ecclesiæ Christi non erat conveniens, ut intra illam essent plura capita simpliciter suprema, neque plures re-

ges ita supremi in temporalibus, ut nulli superiori capiti subordinarentur, saltem in ordine ad spiritualem finem, ideoque optima institutio postulabat unum supremum caput. Et ad maiorem unitatem, et facilius ac suavius regimen, oportuit illud esse unicam personam, et ad tollenda schismata fuit etiam conveniens, ut sub nulla ratione suis subditis subjiceretur. Ex quo eadem necessarium fuit, ut unum illud caput a solo Deo puniri vel deponi per coactionem, et potestatem superiorem possit.

16. Quod si hinc contingat sequi aliquos defectus vel incommoda, mirum non est, quia, quanquam hæc sit divina institutio, versatur circa homines, et per ipsos exercetur, et ideo necessario aliquid de providentia humana participat, quæ non semper omnia incommoda evitat, sed pauciora eligit. Unde illa imperfectio non potest attribui Christo, sed homini, nam Christus, quantum in se est, sufficientia media providit ad hæc incommoda vitanda. Et majora quidem, quæque fidem vel sanctitatem Ecclesiæ maculare possent, omnino prævenit et abstulit, dando Vicario suo certam et infallibilem directionem in definiendis rebus ad fidem vel mores Ecclesiæ pertinentibus. Item quia hæresis serpit ut cancer, et tollit Ecclesiæ fundamentum, etiam jus statuit, virtute cujus a dignitate caderet Papa, si esset hæreticus, dando etiam Ecclesiæ facultatem ut de tali crimine cognosceret, et sententiam declarantem illud, et divinam depositionem inde subsecutam, proferre possit. At vero in reliquis, quæ ad mores pertinent, non pertinebat ad suavem et sapientem providentiam Christi, aut Pontifices omnes libertate morali privare, aut eos in gratia confirmare, et ideo in eis etiam peccata permisit. Noluit tamen ut per homines coerceri aut puniri possent, ne debitus ordo providentiæ et regiminis inverteretur, et majora mala ac perturbationes sequerentur.

17. *Varii modi protectionis Pontificum a Christo provisi* (1).

(1) Vide Cajetanum in Opusc. de Potest. Papæ, c. 27.

—Et nihilominus varia remedia providit, quibus hoc malu vel impediretur, vel ei, quoad fieri posset, subveniretur. Primu ac præcipuum est internum auxilium Spiritus Sancti, quo longe majus et specialius Pontifici paratum esse credimus simul cum angelica custodia singulari et excellentiori. Secun dum est oratio tum universalis Ecclesiæ, tum singulorum fide lium, quæ pro ipso capite semper esse debet major et frequen tior, et tunc oportet esse ferventiorem, quando contigerit capu languere. Tertium et optimum medium est secreta admonitio vel, si peccata scandalosa fuerint, etiam publica, servata debit reverentia et humilitate, et si necessitas id postulet, interdu fieri potest hæc admonitio per reges et principes temporales quorum auctoritas apud Pontificem multum valere potest e debet, si prædictam modestiam, et animi submissionem con junctam habet.

18. *Pontifici bellum injustum inferenti resisti potest.*—Quar tum remedium, non quidem iniquum, sed magis humanum e periculosum, ideoque non sine extrema necessitate adhiben dum, est justa defensio; nam si Pontifex manifestam violen tiam et injustam vim inferat, ei resisti potest per modum de fensionis, intra terminos inculpatæ tutelæ; quia vim vi repeller naturale remedium est, et nemini denegatur, et non requiri potestatem superiorem, vel jurisdictionem in eo qui se defendit sed solum jus et vires ad se tuendum. Nam si in alterum malun inferat, non illum punit, sed illo medio proprium malum juste evitat. Quocirca si Pontifex corporalem vim inferat per aggres sionem, vel injustum bellum, ei poterit per similem actionen resisti ad defensionem, non ad offensionem. Si autem violentia esset spiritualis, præcipiendo iniqua, vel sacra profanando au destruendo, ei proportionato modo resisti poterit, procurand ne talia executioni mandentur. Hæc tamen rara sunt, et, u hæc licentia sumatur, esse debent evidentissima. Denique (quo valde notandum est) hoc modo per mille et sexcentos annos Ecclesia gubernata est, recognoscendo in Pontifice hanc potes-

latem, et exemptionem, et hunc honorem, et reverentiam illi referendo, et tolerando iniquos, qui comparatione Sanctorum et bonorum pauci fuerunt, neque in hac tolerantia tot incommoda passa est Ecclesia, quot in temporibus schismatum, et rebellionum potestatum temporalium adversus Pontifices, sustinuit; ergo gratis et sine fundamento fingunt hæretici imperfectionem vel defectum in hac institutione, quam potius Deo dignam esse, ipsa experientia, præter alia quæ adduximus, ostendit.

CAPUT VII

Sextæ objectioni satisfit, et tractatur quæstio an Papa possit se humano judicio submittere

1. *Sexta objectio.*—Ultima superest objectio, quia Pontifex Romanus saltem voluntate propria potest renunciare huic privilegio, non tantum renunciando papatui (quod clarum est), sed etiam dignitate retenta; ergo signum est non esse hanc exemptionem de jure divino, neque ex natura rei esse necessario cum dignitate conjunctam, nam si talis esset, nec immutari nec separari posset per humanam voluntatem. Antecedens probatur ex usu, nam id fecit Leo IV, judicio Michaelis imperatoris et legatorum ejus se subjiciendo, ut refertur in c. «Nos si incompetenter,» 2, q. 7; et Symmachus regis temporalis judicio se submisit, ut sumitur ex Concilio tertio Romano, sub eodem; et Gregorius Papa, in c. «Si quis,» 42, 2, q. 7, sic ait, referente Gratiano: «Si quis super his nos arguere voluerit, et extra auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apostolicam,» etc., «ut ibi ante confessionem S. Petri mecum juste decertet, quatenus inibi unus ex nobis sententiam accipiat suam;» ubi se committit alterius judicio. Et Sixtus III, in c.

«Mandasti,» 2, q. 5, dicit, cum injuste criminaretur, coram Va lentiano Augusto et Synodo se purgasse, et addit: «Sed non alii qui noluerint, aut sponte hoc non elegerint, faciendo forman exemplumque dans.» Idemque refertur de Leone III, in c. «Au ditum,» eadem causa et quæst. De Marcellino etiam constat, s cujusdam Synodi judicio submisisse (1). Denique in sacrament confessionis Pontifex se submittit jurisdictioni privati confesso ris; cur ergo non poterit se etiam submittere in causa civil vel temporali? Aliqui etiam inducunt Christi exemplum, qui s potestati Pilati supposuit, dando illi veram potestatem supra se ut ostendunt ejus verba, apud Joan., cap. 19: «Non habere potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper.» Qu exemplo utitur D. Thomas 2. 2, q. 67, art. 1, ad 2, ut probe posse superiorem subjici judicio inferioris, ubi etiam simplici ter ait, Leonem Papam subjecisse se judicio imperatoris.

2. *Prima conclusio: Pontifex jurisdictioni temporali se sub jicere nequit.—Probatur.—Solutio ad sextam objectionem.—Pon tifex exemptioni suæ renunciare non potest.*—Hoc punctum lat tractatur a Theologis, in 4, d. 18 et 19, scilicet, D. Thoma Paludan., Bonavent., Richardo, Alberto, et aliis; et a Cajetano dicta q. 67, art. 1; et a Canonistis, in cap. «Ecclesia S. Mariæ,» de Constit., ubi late Panorm., n. 7; et Felin., 2; et Baldus in l. «Est receptum,» C. de Jurisdict. omni. jud. Breviter tamen quod ad rem præsentem spectat, dicendum imprimis est, Papam non posse ita se subjicere imperatori, ut illius temporali, seu civili jurisdictioni subjectus vere maneat, et ab illo cogi ve obligari possit ratione talis jurisdictionis. In hoc conveniunt auctores allegati, et probatur, quia imperator non habet juris dictionem civilem supra Pontificem, illam enim ei abstuli Christus, eximendo Pontificem. Nec etiam Pontifex potest illam ei tribuere, quia ut Pontifex est (ita enim nunc de illo loqui-

(1) Vide quæ de hoc facto Leonis III citantur in decreto Gregoriano, et Paulum Æmilium, lib. 3, de Gestis Francor.

nur) non habet temporalem jurisdictionem directam etiam supra alios, nedum supra se ipsum; ergo nec potest illam dare imperatori supra se, quia in hoc genere non dat quod non habet; ergo non potest se submittere jurisdictioni sæcularis imperatoris. Probatur consequentia, quia non posset se submittere, nisi tando illi talem jurisdictionem; quia ipse jam illam non habet; ergo licet Pontifex velit judicari ab ipso, si non det illi jurisdictionem, non submittetur jurisdictioni illius, neque imperator poterit Pontificem judicare tanquam habens jurisdictionem in ipsum. Loquor autem de jurisdictione temporali, quia sola subjectio respectu temporalis jurisdictionis, est contraria exemptioni, de qua nunc tractamus. Potestque hoc confirmari ex alio principio, quod nemo potest renunciare privilegio in favorem communitatis et dignitatis concesso; talis autem est exemptio Papæ; non enim intuitu personæ, sed in honorem ipsius Christi data est; de quo argumento plura inferius. Et hoc etiam probat objectio facta, quæ per hoc solvitur; negamus enim posse Pontificem renuntiare suæ exemptioni, se alteri, præsertim laico, subjiciendo; quia tali jurisdictioni non potest Pontifex subjici, ut dixi, quia non potest illam dare non habenti. Nec potest facere ut jurisdictio temporalium regum, supra quam Christus Vicarium suum constituit, supra illum extendatur. Ita ergo sufficienter objectioni satisfit.

3. *Secunda conclusio: Pontifex non potest spirituali potestati quoad vim coercivam se submittere.—Probatur assertio.*—Quia vero, quæ in illa adducuntur, probant posse Pontificem aliquo modo voluntarie se submittere alterius judicio, declarare oportet quomodo id intelligendum sit. Dico ergo ulterius non posse Pontificem se submittere in foro exteriori jurisdictioni ecclesiasticæ, seu spirituali, alteri commissæ, quoad vim coactivam ejus, sive directe in causis spiritualibus, sive indirecte in temporalibus, tam omnibus quam singulis, vel una, aut altera causa. Ita sentiunt plures ex auctoribus citatis, et optime Bellarminus, lib. 2 de Conciliis, c. 18; et Turrecrem., lib. 2 Sum.,

c. 104 et 105; et idem sensit Cajetan., tract. 2 de Potest. Papæ
Et probatur aperte, quia nulla jurisdictio ecclesiastica ess
potest in aliquo extra Pontificem, quæ non pendeat et mane
ab ipso Pontifice; ergo nunquam potest Pontifex illi subdi quoa
vim coactivam. Antecedens supponimus, nam, licet non s
certum omnem jurisdictionem episcopalem manare a Pontifice
est tamen probabilius. Et præterea certum est omnem hujus
modi jurisdictionem pendere a Pontifice, posseque ab illo e
ampliari et restringi quoad causas, personas, et loca; quo
nobis nunc satis est. Imo, licet fingeremus datam esse alicu
jure divino aliquam jurisdictionem ecclesiasticam independen
tem a Pontifice, id est, quæ ab illo tolli aut limitari non posse
nihilominus illa non posset sufficere ad judicandum Pontificem
quia, ut supponimus, ipse jure divino exemptus est ab omn
humano superiore; illa ergo jurisdictio licet esse jure divin
data, non esset supra Pontificem, neque supra totam Eccle
siam, quia hæc soli Petro commissa est, sed ad summum esse
in hoc vel in illo episcopatu, et in aliquo inferiori gradu
Igitur cogitari non potest, Pontificem judicari ab aliquo pe
potestatem spiritualem, nisi per potestatem manantem ab ipso

4. *Pontifex non habet potestatem coactivam sui ipsius.*—Hin
ergo evidenter concluditur hanc jurisdictionem non posse ess
propriam et coactivam. Probatur primo, quia Pontifex non ac
cepit talem potestatem supra se ipsum; nemo enim habet vin
coactivam in se, quia licet se punire possit, volens id facit, e
sic non cogitur; ergo nec potest alteri talem potestatem commu
nicare. Secundo, quia Pontificis causæ divino judicio sunt reser
vatæ, ut dicunt Canones, qui maxime loquuntur in ordine ac
forum externum et coactivum; ergo non potest Pontifex illas
causas alteri committere, quantum ad idem genus judicii coac-
tivi, quia non potest inferior dare jurisdictionem in casibus seu
causis reservatis superiori. Tertio, quia non potest Papa ita
committere aliquam causam inferiori, quin ipse maneat semper
superior in illa causa, et consequenter possit vel revocare juris-

lictionem, si velit, vel de sententia ab inferiori data dijudicare, luia hoc totum intrinsecum est dignitati Pontificiæ, ideoque ita nest Pontifici ex vi juris divini, ut nunquam possit illud a se bdicare, nisi toti pontificatui renunciando. Ergo, licet fingatur ontifex committere alteri jurisdictionem in se ipsum, illa non otest esse vere coactiva, quia tam in duratione quam in exeutione pendet a voluntate Pontificis; quod autem ita voluntum est, non potest esse coactum. Quæ ratio æque procedit in mnibus et in singulis causis; nam in nulla potest Pontifex a se bdicare supremam jurisdictionem, quam habet.

5. *In casu hæresis depositio Pontificis fit a solo Deo.*—Conrmatur hoc, quia Pontifex in nullo casu, etiam si alicui se ubdere velit, potest per censuram compelli, ut est communis onsensus Theologorum, in 4, dist. 18 et 19, et in tractatu de ensuris latius diximus. Ratio autem non est alia, nisi quia emper manet superior illo, cui jurisdictionem committit, et deo nec contumax esse potest respectu hominis, neque ligari ensura, aut alia violenta pœna affici aut deponi. Nam, licet in asu hæresis possit deponi, tunc revera non deponitur ab hoinine, sed ab ipso Deo, præmissa legitimi Concilii declaratione, t dixi, et ita ibi non intercedit voluntaria subjectio, neque tiam involuntaria coactio personæ Pontificis, quamdiu Pontiex est, sed solum cognitio et examinatio causæ, quam ipse in o casu juste impedire non potest, quia est concessa a Deo tanquam justa et necessaria defensio.

6. *Ultima conclusio: Pontifex solum tanquam arbitro potest lteri se subdere.*—Concludo igitur ultimo, quod attinet ad exernum judicium humanum, solum posse Pontificem se submitere judicio alterius tanquam arbitro, non tanquam proprio udici jurisdictione utenti in ipsam personam Pontificis. Ita exlicuit suam sententiam D. Thomas, in dicta solutione ad 2, et equuntur alii allegati. Et sequitur a sufficienti partium enuneratione, nam Pontifex potest se aliquo modo submittere judicio aliorum etiam in causis personalibus, de quibus præcipue

tractamus, ut probant ea quæ in objectione adduximus ; se
non potest subjici propriæ jurisdictioni alicujus, ut ostendimu
ergo saltem potest se submittere judicio alterius ut arbitri, qu
non est alius modus subjectionis voluntariæ. Dico autem «vo
luntariæ», quia, licet per vim et tyrannidem, aut usurpata
jurisdictionem possit Pontifex ab aliquo judicari, et ipse Ponti
fex possit etiam id permittere, vel etiam eligere ad vitandu
majus malum, ut fortasse fecit Paulus, quando appellavit Cæsa
rem, nihilominus illa submissio simpliciter est involuntaria, é
judicium de se violentum est et iniquum ; in subjectione aute
voluntaria, de qua tractamus, judicium de se fieri potest sin
vi, vel injuria aliqua. Ratio autem est jam tacta, quia tunc no
fertur sententia juridica in jurisdictione seu superioritate fun
data, sed fertur sententia arbitraria fundata in facto, seu con
ventione aliqua. Et ita in illo actu non se gerit Pontifex u
Pontifex, committendo jurisdictionem suam, sed ut homo
qui voluntarie vult facere, quod quilibet privatus posse
præstare.

7. *Objectio.*— *Solutio.*— Dices, postquam Pontifex se sub
jecit alicujus judicio, tenetur in conscientia, et interdum e
justitia, parere sententiæ latæ, si justa sit ; ergo procedit e
potestate superiori, et ex vi coactiva, quia omnis necessita
quædam coactio est. Ad hoc Cajetanus, loco citato, concedit il
intercedere aliquam potestatem superiorem, saltem secundu
quid, et eodem modo dicit servari ibi vim coactivam, ac deni
que indicat illam sententiam ferri in virtute jurisdictionis
Pontifice commissæ. Sed hoc ultimum, ut dixi, admittendu
non est ; in reliquis vero potest esse æquivocatio in verbis, qua
cavenda est. Et ideo respondeo breviter, in sententia arbitrari
non requiri potestatem superioris, sed purum judicium arbitri
nec esse necessariam vim coactivam, et ideo dixit D. Thoma
ibidem, solere in arbitriis adhiberi pœnam, quia in judice no
est coactio. Quod adeo verum est, ut neque ad ipsam pœnam
possit cogere. Unde quamvis Papa, cum se submittit alicuju

judicio, possit promittere sub aliqua pœna stare sententiæ, non poterit ad illam pœnam cogi, licet in conscientia possit interdum ad illam obligari.

8. Ad argumentum ergo nego consequentiam, quia necessitas obligationis in conscientia non oritur ex vi coactiva, sed ex directiva, quæ potest admitti in tali sententia. Adverto tamen hoc esse intelligendum de virtute ostensiva potius quam effectiva, quia talis sententia respectu Pontificis non habet vim præcepti, quod possit Pontificem in conscientia obligare, quam vocamus vim directivam effective, sed habet vim puræ sententiæ declarativæ ostendentis debitum justitiæ, quod ex injuria, vel pacto, vel alio simili titulo potest cadere in Pontificem ex vi legis naturalis, et ita est res perspicua. Et ob eamdem causam non existimo necessariam distinctionem Cajetani, dicentis Papem posse se subjicere judicio aliorum in quibusdam causis, et non aliis; verius enim et facilius dicitur, in omnibus se posse submittere quoad vim directivam modo explicato, in nullis autem quoad coactivam.

9. *Pontifex non potest ad pœnam ab arbitro impositam cogi.* —Ad objectionem ergo principalem respondetur, in prædicto modo subjectionis voluntariæ nullam intervenire renunciationem privilegii exemptionis, ut constat. Ad primum autem exemplum Leonis IV, respondetur non excessisse prædictum modum arbitrariæ sententiæ, ut ex textu et ex historiis constat. Idem dicendum est de Symmacho, in quo tamen facto est considerandum, cum Theodoricus abuti vellet modestia Pontificis, et per modum superioris judicare, clamasse Concilium, Pontificem a nemine judicari posse, utique illo modo, ipse etiam consentiente. Sicut etiam in alio Concilio de Marcellino conclamatum fuerat. Et similiter alia facta Sixti et Leonis III clariora sunt, quia in eis Pontifices non se submiserunt aliorum judicio, sed solum ad tollendum fortasse scandalum, se voluntarie purgare voluerunt, utique, vel publico juramento, vel aliis probationibus et rationibus innocentiam suam ostendendo.

10. *Solutio objectionis in principio positæ.* — Verba autem Gregorii, quæ a Gratiano, in dicto capite «Si quis», referuntur, suntque Gregorii IV, in Epist. unic. ad Episcopos Europæ, quæ in fine secundi tomi Epistolarum Decretalium refertur, nihil ad præsentem causam faciunt; proprius tamen illorum sensus satis intelligi non potest, nisi et finis epistolæ et præcedentia verba considerentur. Scripsit enim Pontifex illam epistolam in defensionem Aldrici Episcopi, qui accusatus forte ab aliquibus, ad Sedem Apostolicam confugerat, ejusque auxilium imploraverat. Et hac occasione decernit ibi Pontifex Apostolicæ Sedis privilegium esse, ut omnibus liceat ad illam appellare, et ut «nihil prius de eo» qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, ejusque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejusdem Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate.» Postquam autem hæc verissima principia graviter fundavit, subjungit: «Super quibus si quis nos arguere voluerit, aut extra auctoritatem nos facere contendit, veniat ad Sedem Apostolicam», et cætera quæ supra retulimus. Unde constat, ipsum non tractare de aliqua propria causa, vel judicio personæ suæ, sed de dogmatibus fidei, et de auctoritate Sedis Apostolicæ, ad cujus judicium, non ad aliud humanum provocat, ut patet, cum dicit: «Veniat ad Sedem Apostolicam, quo omnia ecclesiastica negotia, de quibus quæstio habetur, confluere jussa sunt.» Ad demostrandam autem confidentiam de virtute doctrinæ addidit idem. Pontifex: «Ut ibi ante confessionem S. Petri mecum juste decertet», utique non in forensi judicio, sed in veritate inquirenda, neque testibus factum aliquod comprobantibus, sed Pontificum, Conciliorum, et consuetudinis auctoritate. Et concludit, «quatenus inibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam», id est, ut ille vincat, qui suam sententiam melius probaverit. Non tamen dubitans, sed, ut dixi, certus de sua veritate ita loquitur (1).

(1) Ita legit Gratianus, at in originali Romano habetur «mihi»; sed prius videtur melius.

11. *Cur Pontifex judicio confessoris et non alterius se subdat. —Pontificem suo confessori jurisdictionem tribuere probabilius.* —Ad exemplum de foro confessionis, respondemus esse in multis dissimilem rationem. Primo, quia Pontifex non est ullo jure exemptus a judicio sacramentalis confessionis, cum sit homo et peccator, et obligetur eodem præcepto pœnitentiæ vel confessionis. Secundo, quia illud judicium est altius et divinius quocumque judicio externo, unde in illo principalis judex est solus Deus, et confessor solum est instrumentum Dei, ejusque vicem immediate gerit. Tertio, dicunt aliqui confessorem in illo foro habere jurisdictionem immediate a Deo, Pontificem autem solum applicare materiam, seu eligere confessorem, quod est probabile, præcipue in illo casu speciali. Mihi autem probabilius est, Papam dare jurisdictionem confessori supra se ipsum ut peccatorem, sed in hoc esse illam jurisdictionem dissimilem, quod non est omnino coactiva, sed medicinalis, cujus signum est, quia confessor non potest pœnitentem omnino cogere ad pœnam satisfactoriam, sed oportet ab illo voluntarie acceptari. Item est alia dissimilitudo, quia jurisdictio illius fori, licet, quatenus immediate datur ab homine, ab illo pendeat in conservari, quia ab eodem revocari potest, nihilominus in se est altior et divinior, quia etiam de occultissimis, et quæ in corde latebant, judicat, et de omnibus ultimam sententiam profert, a qua neque ad Pontificem, neque ad ullum hominem appellari potest.

12. *Utrum Christus Dominus Pilato se subjecerit.*—Ad exemplum de Christo Domino, aliqui existimant Christum vere se subjecisse jurisdictioni Pilati, dando illi veram potestatem supra se ipsum, ut hominem, in quam sententiam inclinat Toletus, Joan., 19, annotat. 4; et refert Irenæum, lib. 4, cap. 34. Sed adverto aliud esse loqui de potestate Pilati absolute, aliud de potestate respectu Christi, qui etiam respectus potest esse aut juris aut facti. Potestas ergo ipsa, qua de facto Pilatus utebatur in Christum, a Deo erat, et sic non permissive tantum,

sed etiam positive intelligi potest, quod Christus dixit: «Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper,» ut ibi sentit Augustinus, tract. 116, et Bernard., ep. 42. At vero potestas illa ut relata ad Christum non fuit data in illum tanquam in subditum, quia illa jurisdictio per se et in se spectata in illum tanquam in subditum non cadebat, ut probant sufficienter verba Christi, Matth , 17, et quæ circa illa capite præcedenti tractavimus. Solum ergo per violentiam Judæorum, et per ignorantiam Pilati, factum est ut illa potestas exerceretur circa Christum, et quoad hoc permissive tantum intelligitur, potestatem illam esse a Deo, ut recte ibi docent Chrysostomus, Hom., 83, et Cyrillus, lib. 12, c. 22; et certe non aliud docuit Irenæus. Quocirca subjectio illa Christi Domini ex parte sua tantum fuit tolerantiæ et permissionis, et non alicujus concessionis potestatis, vel jurisdictionis, nec renunciationis alicujus privilegii, et ideo exemplum nihil proposito deservit.

CAPUT VIII

Utrum clerici omnes sub Pontifice existentes a jurisdictione temporalium Principum jure divino exempti sint, et tractantur duæ contrariæ opiniones.

1. *Prima sententia negans.*—In hoc puncto duæ sunt opiniones contrariæ, et valde communes, quas in hoc capite cum suis fundamentis breviter referam; in sequenti vero meum qualecumque judicium interponam. Prima itaque sententia absolute negat hanc immunitatem esse de jure divino. Quam tenent multi Doctores, ex quibus quidam affirmant esse de jure humano, et tacite indicant exclusivam. Alii, vel in genere, vel in specie, declarant, non esse de jure naturali. Sic refertur pro hac sententia D. Thomas, ad Romanos 13, lect. 1, ubi ait Sacerdo-

tes esse immunes a tributis solvendis, concessione principum consentanea æquitati naturali; eadem autem vel major ratio est de exemptione a foro, seu jurisdictione principum, ut supra tactum est, et in sequentibus dicetur. Henricus etiam, Quodlib. 9, quæst. 13, dicit immunitatem clericorum esse ex statutis Papæ et imperatorum, ubi licet non ponat expresse negativam partem, scilicet, non esse de jure divino, satis eam significat, dum originem hujus immunitatis humanis tribuit statutis. Expressius tenet Almain., in 4, dist. 25, q. 1, ubi refert Ochamum et communem sententiam Parisiensium.

2. Latius hoc tenent moderni Theologi, Medin, C. de Restit., q. 15, ubi præcipue agit de tributorum exemptione, sed ad omnia extendit sermonem. Idem tenet Victor., in Relect. 1, de Potestate eccles., q. 6, concl. 2; Sot., in 4, dist. 25, q. 2, art. 2; Ledesm., 2 part. quarti, quæst. 20, artic. 4, versic. «Hæsitabit,» concl. 2 et 3; Palatius, in 4, dist. 25, disput. 3, circa finem; Salon. 2. 2, quæst. 67, art. 1, controvers. 1, c. 4; et Bannez, ibid., dub. 2; Albertus Pighius, lib. 5 Ecclesiasticæ Hierarch., c. 7, ubi hac ratione constituit differentiam inter principes ethnicos et fideles, quod clerici fuerunt sub jurisdictione sæcularium principum, quamdiu ethnici fuerunt, vel nunc etiam sunt in regnis ubi reges sunt gentiles, principibus autem christianis non subjiciuntur. Ratio autem differentiæ est, quia principes ethnici nec cesserunt juri suo, nec legibus ecclesiasticis subduntur, sicut christiani principes. Quæ doctrina aperte supponit, exemptionem hanc tantum esse de jure humano; et sequitur Jansenius, c. 69 Concordiæ; indicat Maldonat., Matth., 17, exponendo Hieronymum; expressius Salmeron, tom. 6, in Evangel., tract. 37, versus finem. Et eamdem opinionem tenet Molina, 1 de Just., disp. 31; Henriq., lib. 7 de Indulg., c. 24. Ex Canonistis idem sentit Innocentius, c. 2, de Majorit. et obed. Licet enim sub distinctione loquatur, tamen hanc partem posteriori loco ponit, et in eam magis inclinat. Eamdem tenet Covarr., in lib. Practic. Quæstionum, cap. 31, ubi alios refert.

3. *Primum fundamentum.*—Fundamentum hujus sententiæ duobus modis explicari potest, negative, scilicet, et positive. Negativum argumentum est, quia nec auctoritate, nec ratione satis probatur hoc divinum jus. Estque hoc argumentum negativum efficax, supposito antecedenti, quia non sunt præcepta juris divini admittenda sine testimonio satis certo, aut ratione cogente. Quod autem hoc non constet, declaratur, quia vel illud jus est positivum, et hoc nullo testimonio sufficienter probatur; vel est naturale, et hoc oportet ut ratione convincatur, quam invenire facile non est. Prior pars probatur, quia unus tantum locus Evangelii solet ad hoc jus divinum positivum probandum adduci, verba, scilicet, Christi, Matth., 17: «Ergo liberi sunt filii,» quæ non videntur efficacia, quia supra diximus intelligi de filiis naturalibus, et Christum, propter singularem participationem suæ dignitatis, quam Petro tribuebat, ad ipsum illa extendisse. Sed instatur, alia consideratione extendi ad totum clerum, quia est veluti specialis familia Christi, exemptio autem filii naturalis extendi solet ad familiares.

4. At vero hæc verborum Christi inductio non videtur multum urgere, tum quia non est ex natura rei necessarium, ut, exempto naturali filio, eximatur familia, sed hoc pendet ex voluntate patris seu principis, quam voluntatem Christus ibi non ita erga alios declaravit, sicut erga Petrum; imo specialiter designando Petrum, alios excludere seu non comprehendere visus est; tum etiam quia, licet sæpius eximatur familia cum patrono, non semper, imo raro æqualiter; quomodo ergo inde concludi potest æqualis exemptio a potestate sæcularium principum, omnium clericorum cum Petro, vel etiam Christo? vel, si æqualis non infertur, quanta colligitur? Præsertim quia hic magis urget difficultas quædam supra tacta, quod illo loco tantum est sermo de exemptione a tributis; est autem multo difficilior exemptio a foro, et jurisdictione respectu familiæ, cum neque ipsismet filiis concedi soleat.

5. Posterior vero pars de jure naturali probatur, quia hoc

jus debet esse fundatum in aliqua proprietate supernaturali, quia, ut supra de Pontifice explicui, hoc jus non regulatur mero lumine naturali, sed ut illustrato per fidem, supposita aliqua proprietate vel dignitate supernaturali. In præsenti autem nulla videtur esse proprietas supernaturalis, ad quam talis exemptio necessario consequatur. Probatur, quia si aliqua esset, maxime character clericalis; hoc autem non ita videtur tum quia servus ordinatus contra voluntatem domini non statim liberatur a servitute ex vi characteris, juxta cap. 2 et penult., de Servis non ordin.; neque omnes habentes characterem hoc gaudent privilegio, sed multi illo privantur, ut infra videbimus. Tum etiam quia per characterem clericalem solum dedicatur homo peculiari modo divino cultui, seu recipit peculiarem potestatem ad ministrandum in illo; non repugnat autem ex natura rei, aliquem esse peculiari modo deputatum divino obsequio, et simul esse subditum temporali principi, in his quæ divino obsequio non repugnant. Tum etiam quia alias daretur ansa dicentibus, Christianos omnes esse exemptos a jurisdictione principum temporalium ex vi characteris baptismalis, quia per illum sunt peculiari modo consignati et consecrati cultui divino, multo aliter quam reliqui homines. Tum præterea quia multi sunt clerici non habentes characterem, ut qui tantum sunt tonsurati; et nihilominus, si aliæ conditiones necessariæ concurrant, habent eamdem exemptionem quam alii clerici; ergo signum est non oriri ex illo jure naturali. Idemque argumentum sumitur ex aliis personis ecclesiasticis fruentibus hac exemptione, etiam si nec tonsuram habeant, ut sunt religiosi laici, seu conversi, et religiosæ feminæ, et si qui sunt hujusmodi. Tum denique quia quod est de jure divino isto modo, ita est necessarium, ut contrarium sit intrinsece malum; clericum autem judicari per jurisdictionem laicam non est intrinsece malum; ergo oppositum, nimirum, quod clericus sit exemptus a tali jurisdictione, non est de jure divino naturali.

6. *Secundum fundamentum. — Prima confirmatio.* — Atque

hæc ultima ratio non tantum negative, sed etiam positive (quod secundo loco proposui), videtur hanc sententiam persuadere. Nam quod est contra jus divinum nunquam licet; subjectio autem huic exemptioni contraria sæpe licet; ergo signum est hanc exemptionem non esse de jure divino. Et confirmatur primo, quia clerici non semper fuerunt in Ecclesia exempti a foro judicis sæcularis, ut ex Paulo, ad Romanos, 13, cum expositione Crysostomi et aliorum colligitur; ergo non est de jure divino, alioqui simul cum ipsa Ecclesia natum fuisset. Potestque argumentum in hunc modum explicari. Quia longe aliter fuerunt a principio nascentis Ecclesiæ exempti clerici a foro sæculari in causis spiritualibus ac in temporalibus. Nam in prioribus nullo modo tenebantur laicis obedire in conscientia, nec poterant ad illorum tribunalia recurrere pro expeditione talium causarum. At in posterioribus tenebantur eis obedire, et poterant ad illos recurrere, quantum erat ex vi jurisdictionis. Ergo signum est distinctionem fori in spiritualibus longe aliter esse de jure divino, quam distinctionem fori in temporalibus. Ergo singum est hoc privilegium quoad temporalia non esse immediate et per se ex divino jure.

7. *Secunda confirmatio.— Evasio quædam refellitur.* — Secundo hoc confirmatur, quia Ecclesia interdum tradit clericum brachio sæculari, ut ab eo possit etiam morte puniri, præmissa declaratione per quam privat clericum privilegio fori, et in jure sunt aliqui casus, in quibus privantur clerici tali privilegio; ergo signum est privilegium illud non esse juris divini. Nam quæ sunt jure divino statuta, mutari aut auferri non possunt. Nec satisfaciet qui dixerit tunc non auferri privilegium, nec mutari jus divinum, quia judex sæcularis non sua auctoritate, vel ut causa principalis (ut sic dicam), sed ut Ecclesiæ minister, et per ejus potestatem in clericum animadvertit. Hoc (inquam) non satisfacit, tum quia jura et Doctores passim dicunt, tunc privari clericum suo privilegio fori, seu (quod idem est) non gaudere immunitate ecclesiastica; tum etiam quia

cum judex utitur gladio materiali ad pœnam mortis, certe non imperat per jurisdictionem spiritualem, sed per temporalem, quia spiritualis non extenditur ad hujusmodi pœnam, nisi permissive, ut sic dicam. Quapropter non se gerit tunc ut causa per se influens (ut ita rem explicem), sed ut removens prohibens, utique auferendo privilegium, et tollendo pro illo casu præceptum prohibens laicum judicare clericum; ergo signum est illud non esse juris divini.

8. *Tertia confirmatio.— Evasio.— Impugnatur.*— Denique similis confirmatio sumi potest ex eo quod, si hæc exemptio esset de jure divino, esset æqualis in omnibus clericis, quia jus divinum naturale nihil inter eos distinguit; non est autem ita, quia imprimis clerici conjugati non ita gaudent hoc privilegio, sicut alii, ut constat ex jure (1). Item clerici minores, licet conjugati non sint, nisi beneficium ecclesiasticum habeant, vel tonsuram, et habitum clericalem deferant, non gaudent privilegio fori. Deinde, licet clericus conveniri non possit coram judice laico, potest tamen reconveniri saltem in causa civili, licet non in criminali, ut ex jure notat Sylvester, verb. *Judex*, n. 4 (2). Item in causa feudi non servatur exemptio, et in nonnullis aliis casibus, et præsertim solet in jure excipi. Nisi consensus Prælati accedat, c. 2, de Judiciis; ergo non est uniformitas neque æqualitas in hac exemptione. Quod si quis dicat, attento jure divino solo, uniformem esse exemptionem de omnibus et pro omnibus, varietatem autem illam esse humano jure inductam, contra hoc facit, quia hoc videtur signum sufficiens, ipsam immunitatem absolute non esse de jure divino, alias non posset jure humano ita variari. Sicut nos colligimus jurisdictionem Episcoporum non esse immediate de jure divino, quia per hominem limitari, ampliari et variari potest.

9. *Secunda sententia affirmans.*—Nihilominus est secunda

(1) Cap unic. *de Cleric. conjug.*, in 6.

(2) Conc. Trid., sess. 23, c. 6, de Reform.

sententia, quæ simpliciter affirmat exemptionem clericorum esse de jure divino, quæ satis communis est; auctores tamen ejus fere non declarant an de jure divino positivo vel naturali loquantur: plures tamen eorum de jure naturali loqui videntur, quantum ex rationibus et allegationibus eorum colligi potest, quamvis nonnulli aliquid etiam de jure positivo divino attingant. Ita ergo potest pro hac sententia imprimis allegari Glossa in c. «Si imperator», verb. «Et discuti», 69 dist., quæ aperte dicit, constitutiones Ecclesiæ, eximentes clericos a foro sæculari, esse declarationes juris divini, quo talis exemptio illis concessa est ante omnem constitutionem Ecclesiæ. Non tamen declarat illa Glossa quale sit illud jus divinum, nec etiam expresse loquitur de exemptione in causis temporalibus. Possetque intelligi de causis ecclesiasticis, de quibus textus ipse maxime loqui videtur. In eamdem sententiam inclinat Glossa, in c. «Quanquam», verb. «Divisio», de Censib., in 6, ubi etiam textus favet, dum ait, ecclesias et sacerdotes non solum humano, sed etiam divino jure a jugo tributorum temporalium esse exemptos. Quæ duæ Glossæ communiter in illis locis receptæ sunt, ut late cum aliis multis Doctoribus refert Covarruvias supra citatus. Hanc item sententiam non improbat Innocentius, in cap. 2, de Majorit. et obedient. Tenet Rota, in titul. de Consuet., decis. 3 et 10, in antiquis; Abbas, in c. «Ecclesia S. Mariæ», de Constit., n. 6, ubi Felinus, numero etiam 6, plures alios allegat, et expressius declarat contra rationem naturalem esse, ut clerici judicentur a laicis. Quod latius declarat Rebuff., alios referens in Concordat., titul. ultim. Idemque tenet Navarr., in c. «Novit», de Judic., notab. 6, num. 30, saltem quoad exemptionem in criminalibus causis, de quibus idem sentit quod de exemptione in spiritualibus, licet de civilibus aliter sentiat. Ex Theologis tenet Almain., de Potest. Ecclesiast., c. 8, ubi censuit hanc opinionem probabiliorem, et refert quemdam Carlerium, in tract. contra Bohemos, qui illam defendit. Eam etiam tenet Bellarminus, in libro primo de Cleric., cap. 28,

roposit. 5, et cap. 29, et latius in disp. speciali, tom. 2, in ine, et tandem in lib. Recogni., circa eadem loca, et circa ib. 2 de Pontifi., c. 29. Tenet etiam Julius Clar., referens alios, ib. 5, § fin., q. 30; Bened., collect. 37; et indicat Sylvest., verb. Immunitas», 1, quæst. 4; et Angel., eodem verb., n. 33.

10. *Fundamenta hujus sententiæ ad tria capita reducuntur.*— Fundamenta hujus sententiæ, quædam generalia sunt, et ab utroque jure, divino positivo vel naturali, abstrahentia; alia jus naturale attingunt; alia vero positivum. In primo ordine ponimus jura canonica, quæ hoc significant, in quo ordine allegari solent multa jura, quæ supra in c. 2 retuli, sed illa omitto, quia loquuntur de exemptione in causis spiritualibus, et ideo ad exemptionem in temporalibus in rigore extendi non possunt. Afferuntur etiam multa quæ in fine capitis tertii adduxi, quæ similiter prætermitto, quia, licet affirment exemptionem in temporalibus, de origine ejus nihil dicunt; quomodo autem induci possint, infra declarabo. Ex antiquis ergo decretis solum invenio cap. «Relatum», 11, q. 1, quod est Alexandri Papæ, ep. 1, quod pro hac parte induci potest, quatenus contra violatores immunitatis personarum ecclesiasticarum ita concludit: «Taliter prævaricantes prævaricati sunt in Deum suum, et non obediunt præceptis ejus.» Secundo, facit textus Concilii Lateranensis, sub Innocent. III, in c. «Nimis», de Jurejuran., quod sic habet: «Nimis de jure divino quidem laici usurpare nituntur, cum viros ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt.»

11. Tertio, facit c. «Quanquam», de Censib., in 6, quatenus dicit: «Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum jure humano, quinimo et divino a sæcularium personarum exactionibus sunt immunes.» Ubi, licet sit sermo de exemptione a tributis, inde sumitur argumentum ad privilegium fori, vel a paritate rationis, vel quia Paulus, ad Rom. 13, dixit: «Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.» Et subdit inferius: «Ideo enim et tributa præs-

tatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes», signifi cans illa duo esse conjuncta, jus regendi temporaliter, et ju exigendi tributum, et consequenter e converso inferri posse, jus divinum exemit clericos a tributis, etiam a civili subjection eos eximisse. Quarto, induci possunt c. «Continua», 11, q. 1 et c. «Futuram», 12, quæst. 1, quatenus in eis referuntur ver ba Constantini imperatoris, quæ in Concilio Nicæno Episcopi dixit: «Vos a nemine judicari potestis, sed judicio Dei reserva mini»; nam ex vi juris divini locutus videtur, cum eo tempor nondum esset jus humanum in hac parte satis stabilitum.

12. Quinto, ex recentioribus Conciliis generalibus est opti mum testimonium Concilii Lateranensis, sub Leone X, in ses sione nona, in Bulla reformationis curiæ dicentis: «Cum a juri tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiastica personas attributa sit», etc, Nam si ab aliquo jure laici non ha bent potestatem in clericos, profecto illam non habent, quia sine justo titulo, et in aliquo jure fundato illam haberè non pos sunt; ergo, sicut laici, quantum est ex vi juris divini, hac ca rent potestate, ita clerici ex vi ejusdem juris divini sunt ex empti, quia nemo subditus est potestate carenti. Sexto, ho valde confirmat Concilium Tridentinum, sessione 25, c. 20, de Reformatione, dicens: «Ecclesiæ et personarum ecclesiastica rum immunitatem, Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam.» Illud autem dicitur esse de jure divino, quod De ordinatione statutum est. Tandem ad idem faciunt verba Conci lii Coloniens., 1 part., c. 20, dicentis, hanc immunitatem esse «vetustissimam, jure pariter divino ac humano introductam.»

13. *Fundamenta immunitatem juri naturali tribuentia.* — In secundo ordine ponenda sunt ea fundamenta, quæ hoc esse jus divinum naturale suadent. Et quamvis, ut dixi, hoc jus non sit pure naturalis ordinis, sed per connaturalitatem ad sacerdotium supernaturale, nihilominus ab ipsa pura natura magnum indi cium, et quasi a fortiori argumentum sumitur. Nam inter infi deles, sui qualescumque sacerdotes quasi ductu naturalis lumi

s ab oneribus laicorum erant exempti; ergo multo magis hæc xemptio erit de jure divino naturali in lege gratiæ. Quo argu- ento fere utitur Pontifex in c. «Non minus», de Immunit. cclesiarum, adducens exemplum Pharaonis, «qui», ut ait, egis divinæ notitiam non habebat, et nihilominus, omnibus iis servituti subjectis, sacerdotes et possessiones eorum in ristina libertate dimisit, et eis alimoniam de publico adminis- avit», Genes, 47; et simile est factum Artaxerxis, qui sacer- otes, levitas, et alios ministros domus Dei a vectigalibus, ibutis et annonis liberos fecit, I Esdræ, 7. Denique Anacletus apa, epistola 2, ad hoc inducit illud Zachar., 3: «Qui tangit os, tangit pupillam oculi mei.» Cui consonat illud Psalm. 104: Nolite tangere christos meos», id est sacerdotes. Nam in his erbis declaratur peculiaris reverentia, quæ sacerdotibus debe- ur ex dictamine juris naturalis, quia sunt peculiariter Deo icati et conjuncti, juxta illud Numeror., 3: «Eruntque Levitæ ei»; et cap. 18 dicuntur traditi «in donum Domino»; et ideo, osue, 13, Dominus dicitur possessio Leviticæ tribus. Sicut ergo aturalis ratio dictat, sacerdotes esse peculiariter venerandos, ta etiam dictat non esse subjiciendos sæcularibus judiciis.

14. *Ratio pro hac parte.* — Hoc autem argumenti genus najorem profecto vim habet in statu clericorum legis gratiæ, quia excellentiori modo sunt Deo consecrati. Unde in hunc nodum argumentari possumus. Personæ ecclesiasticæ sunt peciali consecratione Deo dicatæ, et sacræ effectæ; ergo ex ure naturæ debetur illis peculiaris reverentia ad religionem pertinens; ergo etiam exemptio talium personarum a jugo sæ- cularis potestatis est quasi connaturalis, seu jure naturæ debita tatui talium personarum, præsertim quoad causas criminales et personales earum. Sicut vas aureum et argenteum, quod ex e posset licite communi usui deservire, eo ipso quod consecra- um est in calicem, ex natura rei manet liberum, et immune a ali usu; nec potest sine sacrilegio ad illum transferri juxta re- gulam 51, de Regul. jur., in 6: «Semel Deo dicatum non est

ad usus humanos transferendum», cum similibus. Sic ergo vi detur dicendum de persona, quæ Deo consecrata est, respect subjectionis ad tribunal sæculare. Quia non posset usus tali subjectionis non cedere in magnam irreverentiam talium per sonarum, et totius ecclesiastici status.

15. *Prima confirmatio.*—Confirmant juristæ rationem hanc primo, quia sacerdos ex vi sui status est superior laico, dis tinct. 96, cap. «Duo sunt»; sed ex natura rei inferior debet ho norem superiori; ergo et laicus clerico. Contra hunc auten honorem clericis debitum fit, si in judicium sæculare vocentur et ex natura rei id redundat in vilipendium et ignominiam ec clesiasticæ dignitatis, et præbet occasionem vulgari popul contemnendi clerum; ergo ex talium personarum statu ex na tura rei sequitur talis exemptio. Quam rationem optime decla rant, et confirmant verba Concilii Matisconen., cap. 9, ub improbans violentias sæcularium judicum contra clericos, ratio nem hanc subdit: «Nefas est enim, ut illius manibus Episcopu aut jussione de Ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat et cui, invocato nomine Domini, ad salvationem corporis, ani mæque Eucharistiam sæpe porrexit.» Ponderandum est enim quod, ad probandum id esse «nefas», non positivam legem, sed dignitatem sacerdotalem et rationem in illa fundatam adducit. Secundo confirmatur, quia contra rationem est ut inferior judi cet superiorem, c. «Cum inferior», et cap. «Solitæ», de Majorit et obed.; et ideo nulla consuetudine introduci potest, ut infe rior acquirat jurisdictionem in superiorem, ut Doctores colli gunt ex c. «Inferior», dist. 21. Est ergo naturali rationi contra rium, ut laicus inferior sacerdotem se superiorem judicet. Quod recte confirmant verba Gregorii VII, libro 8, epist. 21, quæ re tulit Gratian., dist. 96, cap. 9: «Quis dubitet, Sacerdotes Chris ti, regum et principum, omniumque fidelium patres, et magis tros censeri. Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non

olum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse et solvi?» De-ique addunt Felinus et Rebuff., contra rationem esse, ut ali-uis feratur ad tribunal suspectum odii et inimicitiarum; sed ici ordinarie sunt infesti clericis, cap. «Laicos,» 2, q. 7, cap. Clericos,» de Immunit. Ecclesiæ, in 6; ergo.

16. *Fundamenta exemptionem juri divino positivo ascribentia.* — Ultimo loco adducuntur fundamenta, quæ suadeant exemp-ionem hanc esse de jure divino positivo, quæ tria potissima unt. Prius sumitur ex verbis Christi jam tractatis, Matth., 17: Ergo liberi sunt filii,» ubi sub filiis comprehendi cleri-os tanquam familiares Christi, indicat Hieronymus ibi, di-ens: «Ille pro nobis et crucem sustinuit, et tributa reddi-lit; nos pro illius amore tributa non reddimus, et quasi filii egis a vectigalibus immunes sumus;» sub illo enim pronomine Nos, se et alios presbyteros seu clericos solos comprehendere videtur, quia non est verisimile loqui de omnibus Christianis. Eademque expositio tribui solet Augustino, libro primo Quæs-ionum Evangel., quæstion. 23, quatenus ex dictis verbis infert, in quolibet regno terreno liberos esse filios summi regis, sub quo sunt omnia regna terrena;» nam per filios summi regis non potuit intelligere omnes justos, et ideo verisimile est intelle-xisse Episcopos, presbyteros et clericos, eo quod tales præsunt n regno Dei tanquam regis filii, ut exposuit Cajetanus, Matth., 17. Sed hæc re vera non fuit mens illorum Patrum, ut in superiori-bus dixi, neque habet fundamentum in verbis Christi, et ideo aliter verba illa inducuntur per quamdam extensionem. Nam filii regum ita sunt liberi, ut etiam familiæ eorum cum eis exi-mantur; clerici autem peculiari modo sunt familiares Dei et Salvatoris, ut dixit Thelesphorus Papa, in ep. ad omnes fideles; ergo Christus in illis verbis secum illos comprehendit, et sub Petro, quando illi dixit: «Da eis pro me et pro te,» quia Petrus vicem totius ecclesiastici status tunc gerebat, ut indicavit Au-gustinus, ser. 6, de Verb. Apostoli.

17. *Objectio. — Responsio.* — Dices hanc extensionem non

contineri in verbis Christi, neque præceptum aliquod vel institutionem, quæ juris divini esse possit, ibi traditam esse. Neque etiam exemptionem familiæ cum filio naturali esse fundatam in aliquo jure naturali, sed in quadam congruentia et usu humano, et ideo non posse inde satis inferri dictam divinam institutionem. Respondent verum esse, Christum non dixisse aperte familiam esse liberam cum filiis, neque etiam sequi per necessariam et evidentem consecutionem; propterea enim prædicta sententia quoad hanc partem nec de fide est, nec omnino certa. Nihilominus tamen verisimillimum est extensionem illam esse de mente Christi, tum quia argumentatur a fortiori a filiis naturalibus hominum ad se ipsum, et ideo si in aliis privilegium extenditur ad familiam, excellentiori modo extendi debet ad familiam Christi, quia et ejus privilegium ratione tantæ dignitatis majus esse debet, et ejus familia nobilior et excellentior est; tum etiam quia, licet conjunctio familiæ in exemptione non videtur necessaria in rigore juris seu consecutionis naturalis, est tamen valde consentanea rationi; per se autem credibile est Christum assumpsisse privilegium exemptionis optimo modo magisque rationi consentaneo.

18. *Corroboratur hæc pars ex traditione Ecclesiæ.* — Accedit altera probatio ex traditione Ecclesiæ; quando enim traditio est constans ac perpetua, ostendere solet jus divinum, præsertim quando non apparet ratio illam tribuendi apostolicæ institutioni; talis autem esse videtur traditio hujus exemptionis; est enim adeo antiqua, ut nullum ejus agnoscatur initium; nam pro temporum opportunitate semper observata est, præcipue vero post tempora christianorum imperatorum, ut c. 12 latius videbimus. Sub imperatoribus autem ethnicis non potuit quidem executioni mandari respectu magistratuum infidelium, qui Ecclesiæ non parebant, quod ad factum pertinet; jus autem Ecclesiæ non defuit; cujus signum est, quia semper Prælati ecclesiastici hoc jus immunitatis observari fecerunt, quantum inter ipsos fideles fieri poterat. Et hoc ostendunt antiqui canones, in

ne cap. 3 allegati, qui nunquam referunt hanc consuetudinem
n aliquam institutionem apostolicam, sed tanquam divinam
lam venerantur, et observari student. His ergo modis utraque
x his opinionibus probabiliter fundata videtur.

CAPUT IX

Privilegium fori clericorum jure divino et humano esse fundatum, et quomodo id intelligendum sit

1. *Conclusio.—Jus humanum duplex.*—Resolutio certa et ndubitata in hac materia est, clericos esse exemptos a potes-ate civili, «jure divino pariter et humano:» nam his fere verbis oc docent jura canonica supra relata, et sacra Concilia, præ-ertim Lateranense sub Innocentio III, et aliud sub Leone X, 'ridentinum et Coloniense, quæ supra citavi. Unde necesse est t auctores omnes, pro utraque opinione allegati in capite præ-edenti, in hac generali resolutione consentiant. Quam etiam robant utriusque sententiæ fundamenta, nam revera probant oc privilegium esse aliquo modo in utroque jure fundatum.)uomodo autem hoc intelligendum sit, id est, quid in hoc ne-otio sit singulis juribus tribuendum, explicandum pro viribus st, et inde etiam constabit quæ sit diversitas inter prædictas ententias, vel an ad concordiam redigi possint. Quoniam vero is humanum duplex est, scilicet, civile et canonicum, et de lis in capitibus 11 et 12 ex professo dicendum est, ideo nunc reviter suppono, hanc exemptionem non dependere per se ex ire civili, quia de se illud antecedit, esse tamen ab illo, vel anquam a continente et approbante, vel tanquam a donante, uantum est ex parte sua, seu, si opus sit, vel tanquam a præ-piente judicibus laicis, ut immunitatem clericorum observent.

De jure autem canonico, certum est et satis probatum, præciper
hujus immunitatis observantiam. An vero hoc præcipiat confe
rendo illam, vel solum declarando quam Deus contulit et obser
vari voluit, pendet ex modo quo talis jurisdictio esse potest
jure divino, et ideo simul explicabitur. An vero solum jus ca
nonicum per se sufficeret ad hoc privilegium conferendum
etiam si nec a Deo ipso datum esset, nec jus civile cooperare
tur, sed potius resisteret, in capite undecimo videbimus.

2. *Prima positæ assertionis explicatio.*—Prima ergo explica
tio resolutionis positæ esse potest, ut per jus humanum intelli
gatur jus civile, per divinum autem, jus canonicum, quod in
terdum divinum appellatur, quatenus et potestate divina e
supernaturaliter collata latum est, et quia de rebus divinis e
ad bonum animæ pertinentibus potissime disponit, et in dicti
vel exemplis Scripturæ frequenter fundatur. Et sic exposuit ju
divinum in præsenti materia Hostiensis, in c. «Nimis,» d
Jurejurand , ita interpretando caput illud, quem secutus es
Salmeron, dicto tract. 37, ita exponendo c. *Quanquam*, de Cen
sibus, in 6. Et juxta hanc expositionem omnino rejicitur secund
sententia præcedenti capite tractata; ideo enim per jus divinur
allegati auctores in dictis juribus canonicum interpretantur, u
defendant hanc exemptionem nullo modo esse a jure divin
proprio, id est, quod a Deo ipso immediate originem trahit.

3. *Probatur prædicta expositio.*—Ab hac vero sententi
recedit Panormit., in d. c. «Nimis,» in fine. Et sane merito
Tum quia valde improprie jus mere canonicum divinum appella
tur, raroque aut nunquam usus ille in ipsomet jure canonic
invenitur. Tum quod licet in uno vel altero loco posset illa inter
pretatio permitti, præsertim si aliæ circumstantiæ juvarent
nihilominus quando tot jura et Concilia in jure divino asserend
conveniunt, valde violenta est incredibilis illa interpretatio
Accedit quod Concilium Tridentinum, fortasse ad excludendan
illam verbi æquivocationem seu abusionem, expresse distinxi
inter jus canonicum et divinum, dicens, personarum ecclesias

carum immunitatem, «Dei ordinatione,» et «canonicis sanc-
onibus» esse constitutam. Quid enim sunt «canonicæ sanctio-
es,» nisi jus canonicum? Illæ autem sanctiones etiam sunt ex
dinatione divina, mediis pastoribus Ecclesiæ; ergo distinguun-
ir ab illa ordinatione divina, quæ est immediate a Deo; hoc
item est jus divinum proprium; ergo de illo loquitur Conci-
um, et tacite cætera jura de eodem interpretatur. Concilium
iam Lateranense, sub Leone X, cum ait, nec divino nec hu-
ano jure potestatem aliquam esse datam laicis in clericos,
ecesse est ut de divino jure proprio loquatur, alias non satis
robasset laicos non habere hujusmodi potestatem, quia posset
uis dicere, habere illam proprio jure naturali et divino, ut
æretici contendunt. Sit ergo certum, assertionem seu resolu-
onem propositam, intelligendam esse de jure divino proprio
eu immediato, et sub humano canonicum præsertim compre-
endi, licet non excludatur civile; quia Concilia hoc aperte
serunt, neque possunt aliter commode explicari, quod satis
st ut simpliciter sit confitendum ita esse, quamvis in decla-
ndo modo, quo jus divinum ad conferendum hoc privilegium
oncurrit, possit salva fide esse inter Catholicos controversia, et
arietas.

4. *Secunda ejusdem assertionis declaratio.*—Secunda ergo
eclaratio assertionis esse potest, privilegium exemptionis par-
m esse de jure divino proxime ac proprie, partim esse de jure
anonico institutum. Nam jure divino duobus modis existit:
rimo, quia ab ipso Christo immediate datum est Pontifici;
ecundo, quia illi data est potestas et præceptum divinum com-
unicandi privilegium illud toti clericali statui. Jure autem
anonico quasi completum et executioni mandatum est hoc
rivilegium, in particulari ac definito modo illud conferendo
ngulis clericorum ordinibus sub Pontifice Summo contentis,
t ita per hoc jus canonicum quasi determinatum et executioni
andatum est generale præceptum divinum eximendi clericos
jurisdictione sæculari, quod hæc opinio esse supponit, et per

illud maxime a præcedenti differt. Potest autem intelligi ta
præceptum esse vel positivi juris divini, vel naturalis. Prio
modo, vel intelligitur esse contentum sub illo generali præcep
dato Petro: «Pasce oves meas,» utique singulas, juxta earu
statum et conditionem; vel dicitur divinum, quia per imitatio
nem et similitudinem ex testimoniis et exemplis veteris Te
tamenti sumptum est. Sicut præceptum decimarum dici sol
ex jure divino manasse, ut in c. «Tua nobis,» 2, et c. «Dec
mas,» 1, de Decim. (1). Et ideo sicut decimarum præceptu
quoad cottam jure canonico completum est, ita et hoc exem
tionis privilegium. Maxime vero censeri potest illud præceptu
juris divini naturalis, quia, supposita divina institutione cler
calis ordinis, ex principiis naturalibus deducitur per illatione
vel evidentem, vel ita necessariam moraliter, ut eam ob causa
obligetur supremus Ecclesiæ Prælatus privilegium illud inf
rioribus clericis communicare, et sub certa lege et modo illu
constituere.

5. *Hæc declaratio amplius elucidatur.* — Ut autem fund
mentum hujus declarationis seu sententiæ intelligatur, quatu
assertiones in ea distingui possunt. Prima est, jure canonic
præceptum esse ut clerici sint exempti: et hæc pars verissim
est, abstrahendo pro nunc a modo talis præcepti, et ita assert
in superioribus probata est, et in capite sequenti amplius co
firmabitur. Secundo, supponit hæc opinio esse in Ecclesia p
testatem ad dandam clericis hanc exemptionem, etiam da
hypothesi quod jure divino id factum non esset. Et hoc etia
facile concedi potest, de quo in 11 cap. dicemus. Tertio, affi
mat hæc sententia exemptionem hanc esse jure divino præcep
tam, quod omnino verum esse censemus, non solum de impr
prio præcepto divino per imitationem, nec per solam morale
deductionem ex principiis divini juris, quæ per humanam con

(1) Bellar., lib. 2 de Cler., c. 28, 29 et 30.

utionem compleatur, sed per proprium et rigorosum præcep-
m, vel immediate a Christo Domino latum, vel saltem media
tione naturali. Ratio est, quia sine hac exemptione non potest
ecentia et dignitas clericalis status cum debita reverentia et
onestate conservari; ergo cui Christus illius status curam com-
isit, illi certe præcepit ut clerum a sæculari potestate exemp-
m haberet, vel conservaret, sive explicite hoc ei præcipiendo,
ve implicite, et ex vi muneris, quod illi committebat, ex quo
er illationem moraliter evidentem talis obligatio colligitur.

6. *Jus divinum singulis clericis præbere immediate exemptio-
m negat hæc opinio.—Primum fundamentum.*— Quarto, docet
ec sententia privilegium hoc non esse singulis clericis aut
ericorum ordinibus immediate a Deo datum, sed soli Pontifici,
t per ipsum applicetur et distribuatur reliquis. Et in hoc con-
enit hæc sententia cum prima opinione capite præcedenti
lata, et ita eisdem nititur fundamentis. Præcipue, quia usus
se videtur hoc declarare, quia hæc exemptio non omnibus
ersonis, neque in omnibus temporibus, neque in omnibus
isibus est æqualis, et variari amplius potest; ergo signum est
on fuisse ita distributam immediate jure divino, sed fideli
spensationi Vicarii Christi commissam. Item, quia hoc sufficit
l ea quæ canones de hac exemptione docent, et in summa
ducuntur ad verba Concilii Tridentini, dicentis exemptionem
anc «Dei ordinatione, et ecclesiasticis sanctionibus esse cons-
tutam.» Nam primum propriissime verificatur propter dictam
bligationem et præceptum juris divini, secundum autem ra-
one executionis ecclesiasticæ.

7. *Secundum fundamentum.*—Et declarari potest ex quæs-
one simili, quæ de jurisdictione Episcoporum tractari solet,
n sit immediate de jure divino, vel a Pontifice. Et in ea reso-
tio probabilior esse solet, jus quidem divinum immediate
præcipere ut Ecclesia per Episcopos tanquam per ordinarios
astores et principes gubernetur, et quia hoc sine jurisdictione
cere non possunt, ideo eodem jure divino præceptum esse, ut

eis sufficiens jurisdictio communicetur, et nihilominus in re ipsa et in effectu immediate per Pontificem communicari. Ita ergo de privilegio exemptionis clericis tribuendo affirmat hæc opinio. Est enim similitudo et proportio non parva; nam, sicut exemptio clericorum in genere est de jure divino, ita Episcopale munus est de jure divino; et e converso, sicut jurisdictio Episcoporum non est certa, et determinata jure divino, sed per Pontifices ampliari et restringi potest, ita etiam exemptio non est determinata jure divino pro singulis clericis, causis, locis aut temporibus, sed per Pontifices variari, augeri et minui potest; ergo sicut jurisdictio Episcoporum, licet ex præcepto divino sit, tamen immediate per Papam confertur, ut ab eodem certum modum et mensuram recipiat, ita privilegium hoc immediate concessioni Pontificum relictum est, ut per eum certum modum ac determinationem acciperet, sine qua non poterat convenienter actu conferri, sub obligatione tamen conferendi illud tanquam fidelis dispensator, et prudens.

8. *Tertium fundamentum.*—Et hæc regula generalis est in aliis Ecclesiæ observantiis, quæ in particulari non habent certam determinationem ex divino jure, licet in generali habeant necessitatem ex jure divino positivo, vel naturali; talia enim licet possint dici ex divino jure quoad generalem obligationem nihilominus quoad institutionem propriam et particularem solent esse inmediate ex jure humano. Ita videre licet in censuris quæ fundamentum habent in illo jure divino: «Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus;» et nihilominus censuræ; prout illis utitur Ecclesia, immediate sunt ab illius institutione. Idem conspici potest in multis ritibus et cæremoniis ecclesiasticis; nam jus divinum generatim præcipit sacramenta, verbi gratia, et sacrificium decenti modo et ornatu fieri; quia tamen ipsum divinum jus immediate hoc non determinat, in effectu talis institutio ecclesiastica est, originem ducens a divino jure, et similia multa exempla afferri possent. Generalis autem ratio est, quia jus divinum immediate non sta

nit ea quæ mutationi et variationi obnoxia sunt, et quia pro-
ria institutio non fit, nisi in particulari, et cum certo modo ac
ensura.

9. *Tertia conclusionis expositio.*—Tertia declaratio propo-
tæ assertionis est, privilegium exemptionis clericorum inme-
iate et cum omni proprietate esse de jure divino, quia ab ipso
hristo non solum promissum vel jussum, sed etiam datum,
t actu concessum est, et nihilominus esse etiam de jure cano-
ico declarante jus divinum, et privilegium hoc conservante,
el, prout expedit, moderante. Juxta quam declarationem re-
llitur omnino prior sententia superiori capite tractata, et pos-
erior in sensu maxime proprio et rigoroso stabilitur; et licet
auci ex auctoribus pro illa relatis illam sic declarent, nihilomi-
us multi profecto ita sensisse videntur, præsertim Carlerius,
uem refert et sequitur Almainus. Idemque sensit Rebuff. et
lii, qui dicunt clericos jure nunquam fuisse subjectos impera-
oribus, etiam ethnicis, a principio Ecclesiæ, quod etiam sentit
urrecrem., lib. 2 Summæ, de Ecclesia, cap. 96, ad 3. Estque
æc opinio et declaratio prædictæ assertionis valde pia, ratio-
ique maxime consentanea, ideoque a nobis defendenda et dili-
enter explicanda est.

10. *Exemptio clericorum Pontifici quoad modum subordina-
r.* - Et imprimis licet admittamus hoc privilegium esse a
hristo immediate datum clericis, nihilominus non negamus
uin subordinatum fuerit Petro et successoribus ejus quoad
odum servandum in usu ejus, tam ex parte personarum qui-
us applicandum est privilegium, quam ex parte rerum, causa-
um, vel negotiorum in quibus talis exemptio servari debet.
oc enim aliqua ex argumentis factis pro priori sententia, et
ia, quæ ex usu Ecclesiæ sumi possunt, manifeste convincunt.
idemus enim clericum in causa civili, si actoris personam ge-
t contra reum laicum, non esse exemptum in tali actione a
bunali laico, sed teneri ad sequendum forum rei. Cur autem
c ita est, nisi quia Ecclesia determinavit ut exemptio cleri-

corum intra hos limites contineretur, potuissetque aliter id dis ponere, si aliter expedire judicasset? Similiter omnes concedun clericos obligari quoad vim directivam ad servandas quasdar leges, quæ ad communem et convenientem statum civium spec tant; quod non aliunde provenit, nisi quia Ecclesia ita expedir judicavit, ut alibi ostendi. Igitur istud privilegium exemptionis quod a jure divino indifferens et quasi generale est, subes quoad determinationem, limitationem, vel ampliationem eccle siasticæ potestati. Neque vero dici potest hæc omnia solum fier ab Ecclesia per modum declarationis juris divini vel naturalis quia sine dubio multa fiunt ex prudenti arbitrio humano, e ideo diversis temporibus mutantur, ut quod clerici conjugat gaudeant hoc privilegio in his rebus, et non in illis, et cleric minores cum his circumstantiis, et non sine illis; et quod in tali crimine clericus tradatur brachio sæculari, et non in alio in terdum graviori. Fiunt ergo hæc non tantum per potestatem interpretandi, sed etiam constituendi jus novum, et limitand vel extendi antiquum.

11. *Quomodo institutio divina cum dependentia exemptionis a Pontifice subsistat.*—Ut autem explicemus quomodo hæc cohæ reant, cum Ecclesia non habeat potestatem supra jus divinum suppono, ex tractatu de Legibus, hoc nomem «jus» interdum significare propriam legem, seu præceptum; aliquando vero, et satis propriæ, ac frequenter significare facultatem utendi, ve (ut ita dicam) quasi jus facti, sicut distinguuntur jura servitu tis, vel jus in re, et ad rem, et similia. His ergo duobus modis potest etiam in præsenti jus divinum accipi. Nam privilegium ipsum exemptionis, quatenus est libertas quædam a subjectione alterius, est facultas quædam moralis ad non parendum tali po testati, vel libere operandi sine respectu vel impedimento illius; hæc ergo facultas a Deo ipso data dicitur jus divinum, non tanquam præceptum, sed tanquam Dei donum. Sicut libertas a servitute, quæ homini est naturalis, dicitur optime in hoc sensu esse de jure divino naturali. Posito autem tali privilegio, sequi-

ur etiam lex divina, præcipiens ut habenti tale privilegium non fiat vis nec coactio, sed immunitas illi data servetur, et ita intervenit etiam in tali exemptione jus divinum præcipiens, contra quod fit exemptionem clericorum violando.

12. Ex hoc autem duplici jure, illud, quod in facultate generali consistit, et est veluti quoddam donum, quod proprie dicitur privilegium, hoc, inquam, licet divinum sit, id est, a Deo datum, amissibile seu mutabile esse potest ex justis causis; sicut vita ipsa, et corporis membra, et jus libertatis naturalis a Deo donata sunt, et de jure naturæ esse dicuntur; et nihilominus ex justa causa auferri vel minui possunt per potestatem humanam, quam intelligimus a Deo esse concessam, quia communi bono reipublicæ humanæ ita expediebat. Sic ergo intelligi debet, quamvis privilegium exemptionis a Deo ipso fuerit clericis datum, nihilominus ex justa causa et per legitimam potestatem minui posse vel auferri, quia communi bono Ecclesiæ ita erat necessarium. Unde consequenter fit, ut aliud jus divinum præcipiens observantiam talis privilegii, non contineat absolutam prohibitionem, ne tale privilegium minui vel auferri possit, sed ne id fiat sine legitima potestate et justa causa, sicut dicimus de libertate naturali.

13. *Exemptio hæc duobus modis potuit a Christo concedi.* — Est autem illa potestas solum in Pontifice, quia est potestas spiritualis et supernaturalis, et dispensativa mysteriorum Dei, et potestas ligandi et solvendi, et suprema in suo ordine. Legitima autem causa, generatim loquendo, erit, quoties limitatio aliqua vel privatio hujus exemptionis ad convenientem Ecclesiæ ordinem et decentiam, aut bonos mores ecclesiastici status, necessaria vel conveniens judicabitur, quod judicium prudentiæ illius, cui claves datæ sunt, etiam est commissum. Sic ergo intelligitur facile, non obstante varietate quam in usu legitimo hujus exemptionis videmus, de jure divino esse potuisse, quia per illam varietatem non agitur contra aliquod præceptum divinum, neque in illo dispensatur, sed ipsummet

præceptum includit talem limitationem, vel conditionem accommodatam tali privilegio et conditioni ejus, ut explicatum est. Atque hoc modo solvi facile possunt argumenta, quæ prima sententia contra hoc divinum jus directe et positive objiciebat.

14. Hoc autem privilegium sic declaratum duobus modis intelligi potest fuisse a Christo Domino datum statui clericali, scilicet, vel quia tali modo Ecclesiam suam diversosque ordines, et actus illius, et modum gubernationis ejus instituit, ut inde per naturalem ac necessariam consecutionem hoc privilegium sequatur; vel etiam quia peculiari et expressa voluntate hanc exemptionem clericis concesserit. Hic posterior modus satis fit verisimilis ex verbis Christi, Matth., 17, prout illa præcedenti capite pro secunda sententia expendimus, adjuncta etiam ecclesiastica traditione, quæ est optima verborum et legum Christi interpres. Atque hæc pars ex priori magis confirmabitur: nam ratio, qua ex institutione ipsa Ecclesiæ et status clericalis privilegium hoc deducitur, etiam suadet, Christum, in verbis: «Ergo liberi sunt filii,» totum clericalem statum voluisse comprehendere. Quod ergo priori saltem modo sit hoc privilegium de jure divino naturali, suposita divina institutione ecclesiastici status et totius Ecclesiæ, probatur in hunc modum. Quia clerici, tam quoad corpus quam quoad animam sunt Petro specialiter subjecti jure divino evangelico; ergo eodem jure sunt a jurisdictione principum sæcularium exempti.

15. *Confirmatur.* — Assumpta propositio declaratur ex doctrina D. Hieronymi, quæ refertur in cap. «Duo sunt,» 11, q. 1, ubi duo distinguit genera Christianorum, unum mancipatum divino officio, et deditum contemplationi et orationi, ut est status clericorum et religiosorum ; aliud genus est Christianorum laicorum, qui licet generali ratione divino servitio destinati sint, secundum communem vivendi modum temporalibus rebus principaliter intendunt. Cum ergo Christiani omnes Petro in spiritualibus sint subjecti jure divino, ut libro 3 ostensum est, et illa subjectio dici possit quoad animam, quia tantum est in

spiritualibus rebus et ad cultum Dei pertinentibus, de clericis dicimus, fuisse subjectos Petro eodem divino jure, non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpora. Quod probatur ex dicta doctrina, quia specialiter sunt dicati et traditi Deo et cultui ejus, non solum quoad animam, sed etiam quoad corpora ; ergo consequenter quoad utrumque sunt etiam Petro subjecti. Probatur consequentia, quia, eo ipso quod clerici sunt dicati Deo secundum corpus et animum, pertinent utroque modo ad jus Dei peculiare ; multoque majori ratione dicendi sunt traditi in donum Domino, ac proinde majori titulo esse Dei, quam Levitæ, de quibus hæc dicta sunt Numer., 3 et 18 ; ergo eo ipso constituti sunt clerici secundum utramque rationem sub propria jurisdictione, Petro, ut Christi Vicario, collata. Nam peculium Christi, et quidquid ad peculiare jus ejus pertinet, Vicario suo tanquam proprio œconomo et dipensatori commisit.

16. Et confirmatur, nam bona ecclesiarum et res sacræ jure divino sunt commissæ Prælatis ecclesiasticis, et præsertim Petro, quoad curam et dispensationem earum, nimirum, quia pertinent peculiari modo ad dominium Dei et patrimonium Christi ; ergo eadem et majori ratione tota gubernatio clericorum, tam in his quæ ad corpus et temporalem vitam, quam in his, quæ ad animam spectant, Petro est specialiter per Christum commissa. Antecedens expresse traditur Synodo Romana IV, sub Symmacho. Dicitur enim non posse laicos, etiam religiosos et potentes, aliquid quomodolibet de ecclesiasticis facultatibus decernere, quarum «suis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur.» Consequentia vero non minus certa videtur, tum quia magis pertinent ad Christum, et res ecclesiasticas, personæ ipsæ, quam ecclesiasticæ facultates ; tum etiam quia universa cura divini cultus est sub jurisdictione Petri ex divino jure, quia immediate ordinatur ad spiritualem finem, et hac ratione res omnes, quæ ad cultum Dei dicatæ sunt, simpliciter et absolute sunt sub jurisdictione

et administratione Ecclesiæ, inter quas res Deo dicatas primum locum tenent personæ clericorum; ergo simpliciter et absolute, et secundum omnem rationem, jure divino commissæ sunt jurisdictioni et dispositioni Petri.

17. Hoc ergo posito, prima consequentia, nimirum, si commissi sunt Petro, consequenter fuisse a jurisdictione principum temporalium exemptos, per sese videtur evidens ex illo evangelico dogmate : «Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet» (1). Similis enim impotentia et moralis repugnantia invenitur in hoc, quod clerici secundum idem, id est, secundum corpus, sint subjecti Pontifici et regi, quia possent interdum contraria præcipere, et necessarium esset uni obedire et alterum contemnere. Ut, verbi gratia, posset rex præcipere clerico ut militet, vel aliis actionibus temporalibus occupetur ; Pontifex autem illa prohibere poterit, vel alia repugnantia præcipere. Item cum clerici quoad actiones corporis debeant esse divinis ministeriis addicti, et a sæcularibus negotiis abstracti , necesse est ut a Pontifice habeant regulam et modum vivendi et operandi, et utendi etiam temporalibus rebus vel officiis; ergo non possunt esse simul sub jurisdictione principum temporalium, etiam quoad ea quæ ad corpus pertinent. Sicut vasa, Deo sacrata, eo ipso et ex natura rei a profanis usibus exempta sunt ; et contractus matrimonii, in sacramentum consecratus , eo ipso in forum ecclesiasticum transit, et a sæculari exemptus est.

18. *Clerici tam quoad vim directivam quam coactivam sunt exempti.* — Hinc ergo optime infertur, clericos esse exemptos absolute a jurisdictione temporali principum, quia hæc jurisdictio præcipue versatur circa subditos ratione corporum, et consequenter circa omnia illa, quæ ad convenientem conserva-

(1) Matth., 6.

tionem vitæ corporalis ordinantur, in tertio libro late ostensum est; ergo si clerici sunt exempti a jurisdictione principum, etiam secundum corpora, profecto ab eorum jurisdictione temporali exempti sunt. Unde etiam concluditur non solum esse exemptos clericos a potestate principum quoad vim directivam, utique disponendo vel gubernando illos in his, quæ ad actiones præsentis vitæ spectant, sed etiam quoad vim coactivam; tum quia una subjectio non separatur ab alia, nec potest recte consistere sine alia, et ideo quoad utramque sunt Pontifici subjecti ex divino jure, et consequenter ab aliis exempti; tum etiam quia non minus necessaria est hæc exemptio ad cultum Dei, et convenientem usum rerum cultui divino dicatarum, quam alia. Ideoque merito dixit Nicolaus Papa, in epist. ad Michaelem imperatorem: «Illi, quibus tantum humanis rebus, et non divinis præesse permissum est, quomodo de his per quos divina ministrantur, judidare præsumant, penitus ignoramus.» Et hoc etiam multum confirmant verba illa Concilii Lateranensis, sub Leone X: «A jure tam divino quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa est.» In quibus imprimis adverto de omni potestate esse sermonem, ac proinde non spiritualem tantum, sed temporalem comprehendere; imo hanc posteriorem præcipue, quia de altera nulla erat controversia. Deinde supponit Concilium laicos non posse habere ullam jurisdictionem in ecclesiasticas personas, nisi aliquo jure divino vel humano sit illis concessum. Unde necesse est ut vel supponat jure naturali laicos illam non habere, vel certe ut sub jure divino tam positivum quam naturale includat, alias diminute procederet, et nihil concluderet. Ergo intentio Concilii est, laicos ex vi juris divini non habere talem jurisdictionem in clericos, quia neque jus divinum positivum illam tribuit, ut est per se notum, nec naturale illam permittit, sed clericos eximit a jurisdictione laicorum, eo ipso quod speciali titulo eos Pontifici subjecit. Denique adverto, etiam aliam partem de jure humano, de canonico maxime intelligi, de quo est illa sen-

tentia manifesta. De civili autem nullam rationem videtur Concilium habuisse, quia supponit non esse potestatem in principibus temporalibus ad tale jus validum constituendum, cum ad hoc ipsum jure divino potestatem non habeant.

19. *Exemptionem hanc in omni rigore esse de jure divino.*— His præterea addi possunt alia Concilia generalia, et provincialia supra adducta, quæ constanter docent esse hanc exemptionem de jure divino; quod potest et debet cum proprietate intelligi juxta materiæ capacitatem. Non dicitur autem proprie de jure divino, quod immediate ab Ecclesia statuitur, etiam si ex præcepto vel potestate jure divino datis originem ducat. Sicut potestas regia non est, nec proprie dici potest esse de jure divino, etiamsi a naturali lege et potestate ducat originem. Et ob eamdem rationem nec cæremoniæ ecclesiasticæ extra sacramenta dicuntur esse de jure divino, neque etiam jurisdictio Episcoporum, juxta opinionem eorum, qui a Pontifice immediate conferri censent. Cum ergo Concilia de hac exemptione tam constanter et absolute dicant esse de jure divino, profecto cum majori proprietate intelligenda sunt. Et sumiliter Concilium Tridentinum ait hanc exemptionem esse ex ordinatione divina, rectissime intelligitur juxta communem modum jurium, quod sit ordinata et constituta ab ipso Deo, et declarata ac stabilita per canonicas sanctiones. Accedit quod ipsimet imperatores, non lege quidem humana seu ecclesiastica, sed ratione fide illustrata ducti, exemptionem hanc recognoscere potius quam concedere visi sunt.

20. Sic Carolus Magnus, in suo Capitulari, lib. 6, c. 109, cum ita sanxisset: «Clerici non sæcularibus judicibus, sed Episcopali audientiæ reserventur,» rationem declarat dicens: «Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.» Est autem «fas,» teste Isidoro (1),

(1) Isidor., 5 Etym., c. 2, et c. 1, d. 1.

lex divina, quæ et ad Deum pertinet, et ex quadam naturali æquitate descendit ; tale igitur sensit Carolus esse jus exemptionis clericorum, cui consonat, quod in Concilio Matiscon. 2, c. 9, «nefas esse» dicitur Episcoporum immunitatem violare, quod in can. 10 ad alios clericos extenditur. Estque attente ponderandum quod in initio illius c. 9 dicitur, «reverendissimos canones atque sacratissimas leges de Episcopali audientia in ipso pene christianitatis principio sententiam protulisse.» Loquitur enim Concilium apertissime de audientia quoad temporales et personales causas, ut statim explicat, et non dicit leges humanas illam introduxisse, sed pro illa sententiam dedisse, utique declaratoriam juris quasi connaturalis jurisdictionis Episcopalis et ecclesiasticæ exemptionis. Theodosius etiam imperator, ut Ambrosius, epist. 32, alias lib. 2, epist. 13, ad Valentinianum, refert, æque sancivit «in causa fidei, vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicem esse debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis : Hoc est» (ait Ambrosius) «sacerdotes de sacerdotibus,» quasi utrumque ejusdem juris divini sit. Quod etiam sensit Constantinus in facto et verbis sæpe repetitis ex Gregorio, lib. 4, epist. 13, ind. 13, alias c. 75; Ruffin., et allis ecclesiasticis historiis.

21. *Ex sacerdotio legis veteris idem ulterius confirmatur.*— His addi possunt conjecturæ ex jure legis veteris sumptæ. Nam si sacerdotes et Levitæ in illa lege erant a temporali potestate exempti, nemo negabit idem dicendum esse in lege nova ex vi divini juris, saltem naturalis. Tum quia hoc pertinet ad majorem perfectionem sacerdotii legis novæ. Tum etiam quia si talis exemptio in populo Israelitico inventa est, non fuit certe ex lege aliqua humana; nulla enim talis lex vel in Scriptura legitur, vel cum fundamento cogitari potest, præsertim cum hujusmodi leges eo tempore fuerint rarissimæ, quia omnia erant in ipsa Dei lege minutatim præcepta. Colligebatur ergo ex ipso statu sacerdotali, et ex generalibus verbis, quibus Levitica tribus ad illum assumpta est, et donata Deo, et potestati Pontifi-

cis omnino subjecta et subordinata; ergo eodem modo colligendum est simile jus divinum in lege nova. Non quia antiquum, prout cæremoniale erat, in lege nova obliget, sed quia illud antiquum jus non in vi cæremonialis, sed in vi moralis ad tale sacerdotium consecutum fuit. Ergo simili modo ex suppositione melioris sacerdotii idem morale jus divinum in lege nova consecutum est. Quod autem illud jus exemptionis fuerit in lege veteri, fit valde verisimile ex modo loquendi Scripturæ, Numer., 3: «Eruntque levitæ mei», utique peculiari titulo et donatione. De qua c. 8 dicitur: «Cum Levitæ fuerint coram Domino ponent filii Israel manus suas super eos; et offert Aaron debitum munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus.» Et infra: «Consecrabis Levitas oblatos Domino, et separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.» Et infra: «Quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel.» Et infra: «Sanctificavi eos mihi, tradidique eos dono Aaron, et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi», etc. Et similia repetuntur cap. 18, et ad Aaron dicitur: «Excubabunt Levitæ ad præcepta tua.»

22. Ex his ergo et similibus modis loquendi satis probabiliter colligitur, ex vi illius separationis ac deputationis Leviticæ tribus ad ministerium templi, fuisse exemptam a jurisdictione civili, quæ ex natura rei erat in communitate illius populi. Primo, quia populus abdicando a se partem illam, et donando illam Deo, aliqua potestate et quasi dominio se privavit, et illam in Deum transtulit; hæc autem esse non poterat, nisi potestas jurisdictionis, quia non erat alia potestas dominativa in communitate illa respectu illius partis, et consequenter Deus acceptando donationem, speciali titulo illud jus sibi reservavit, et Pontifici illius populi commisit. Secundo, quia ex vi illius separationis immunes facti sunt sacerdotes et Levitæ ab oneribus et muneribus mere sæcularibus et temporalibus, quæ vel possent Levitas a ministerio templi distrahere, vel essent incongrua, et indecentia illi statui. Cujus signum est, quod Nu-

mer., 1, quando Deus jussit populum numerari, «Levitæ non sunt numerati cum eis», quia dixit Deus Moysi: Tribum «Levi noli numerare. Quia Levitæ sacri erant (ait Joseph., lib. 3 Antiq., c. 11), et immunes a militia.» Et eadem ratione ab aliis sæcularibus muneribus et tributis, ut sensit etiam Abulens., q. 23, in c. 1 Numer., dicens tribum Levi, cum esset destinata ad ministerium tabernaculi, non potuisse vacare aliis oneribus et necessitatibus populi. Et propterea Levitæ non acceperunt partem in terra promissa, sed loco illius acceperunt jura Sanctuarii, Numer., 18, Deuteron., 18, Josue, 13. Hinc addit etiam ibidem Abulens. non fuisse numeratos Levitas cum reliqua multitudine, quia non faciebant cum illis unum populum: «Omnes enim», ait, «decem tribus erant unus populus, et communicabant cum omnibus, et diviserunt sibi totam terram, et vacabant rebus pure sæcularibus; Levitæ autem in nullo conveniebant cum populo.» Et hinc etiam tribus Levi quasi separata est ab aliis, et præter illam solent duodecim tribus populi numerari. Sic enim in dict. c. 1 Numer., censentur duodecim tribus, excepta Levi, quia, ut notat Josephus supra, pro Levi inter capita tribuum ponitur Manasses, et pro Joseph ponitur Ephraim, quos Jacob in adoptionem a Josepho impetraverat, Genes., 48.

23. *Cur Scriptura duodecim tantum tribus numeret.*—Estque considerandum, quod licet juxta dictam computationem et adoptationem fuerint tredecim tribus, nunquam in Scriptura nisi duodecim numerantur propter numeri perfectionem. Observatum autem est, quoties tribus numerantur in ordine ad spiritualia, numerari Levi, et aut tribus Ephraim et Manasse reduci ad unam Joseph, ut Genes., 46, et Exod., 28, Deuteron., 27; vel excludi aliquam, ut Apoc., 7, omittitur tribus Dan, propter Antichristum. Cum vero recensentur tribus in ordine ad sæcularia vel temporalia excludi Leviticam, et Manasse ac Ephraim in duas distingui, ut Numer., 1, Deuter., 18, etc., quia in ordi-

ne ad temporalia erat tribus Levi quasi separata ab aliis. Atqu eodem modo quando sub Jeroboam divisæ sunt duodecim tri bus, et duæ, scilicet, Juda et Benjamin manserunt sub Ro boam, et reliquæ decem ad Jeroboam transierunt, in illis no numeratur Levi, ut ex 2 Reg., 11, et 2 Paral , 11, aperte sum tur, quia nimirum (ut conjectare licet) illa ad temporale re num non pertinebat. Ex his ergo probabiliter colligitur exemp tio sacerdotalis tribus a jurisdictione regum in lege veteri. I non parum confirmatur ex auctoritate et potestate præcipien data Pontifici illius legis, Deuter., 17, de qua in superiori libr dictum est. Multo ergo majori ratione credi debet talis exemp tio in lege nova divino jure clericali statui concessa.

24. *Ultima assertionis declaratio secundæ præfertur.* — Tan dem, rejectis prima sententia capite præcedenti relata, et prim declaratione assertionis catholicæ in hoc capite posita, quæ cu dicta prima opinione coincidit, et conferendo hanc postrema declarationem cum secunda, quod hæc postrema præferend sit, in hunc modum potest morali ratione declarari. Convenium enim duæ illæ declarationes seu sententiæ, privilegium eccle siasticæ immunitatis esse ex jure divino et humano, cujus ra tio reddi potest, quia oportuit tale privilegium esse perpetuum fixum et immobile, et ideo debuit esse de jure divino, simulqu necessarium fuit esse aliqua ex parte mutabile vel variabile, ideo juri etiam humano aliquo modo substerni debuit. Conjunc tio autem utriusque juris circa tale privilegium duplici mod cogitari vel fieri potuit: primo, ut jus divinum tantum remot tale privilegium concedi præciperet, jus vero humanum illu constitueret hominum arbitrio. Secundo e converso, ut jus di vinum illud proxime contulerit, commiserit tamen homini u illud in particulari moderari et accommodare posset. At vero e his duobus modis hic posterior convenientior est; ergo creden dum est isto modo fuisse a Christo datum Ecclesiæ suæ hoc pri vilegium.

25. Declaratur minor ex illis duabus proprietatibus, qua

in hoc privilegio considerari possunt, scilicet stabilitas et aliqua varietas ; nam prior multo major erit et securior, si hoc privilegium immediate per ipsum jus divinum constitutum sit et concessum. Sic enim per nullam humanam potestatem, sive temporalem, sive ecclesiasticam, poterit omnino auferri, quod ad conservationem ecclesiastici status et reverentiam divino cultui debitam necessarium fuit. Item hoc modo nulla usurpatio vel præsumpta humana præscriptio poterit contra hanc immunitatem prævalere, quod ad cohibendam temporalium regum vim et ambitionem etiam convenientissimum ac pene necessarium fuit. Denique hoc modo etiam ipsi Pastores Ecclesiæ cautiores erunt in mutationibus faciendis in his privilegiis, majorique titulo poterunt importunis precibus principum sæcularium resistere, ne facultates vel licentias huic privilegio aliquo modo derogantes, absque gravissimis et urgentibus causis illis concedant. Posteriori autem parti in usu hujus privilegii necessariæ, nimirum, ut in particularibus casibus, vel personis interdum variari vel mutari possit, sufficientissime provisum fuit, subordinando privilegium potestati Pontificis quoad hanc mutationem ex causa faciendam ; ergo hæc fuit convenientissima institutio. Tertia ergo sententia, quæ in hunc modum privilegium hoc declarat, alteri præferenda est.

26. *Diluuntur secundæ declarationis fundamenta.*—Ac propterea non recte æquiparatur hoc privilegium cum aliis observantiis vel cæremoniis ecclesiasticis, quarum institutio in particulari est de jure humano, licet generale præceptum illarum sit de jure divino ; est enim in multis dissimilis ratio. Primo, quia illarum institutio per divinum jus fieri non poterat in genere, abstrahendo nimirum a particularibus cæremoniis, quia institutio est actio seu effectio quædam, quæ non potest circa genus, sed circa particularia versari ; præceptum autem optime potuit in generali ferri, committendo arbitrio alterius particularem institutionem seu determinationem. Hanc enim immediate per divinum jus fieri non expediebat nec oportebat, nisi quoad

ritus substantiales sacramentorum et divini sacrificii. Exemptio autem optime potuit absolute concedi per jus divinum in generali, seu in universali, ut ita dicam, quia ibi generalitas non consistit in abstractione a particularibus, sed in comprehensione omnium personarum ecclesiasticarum, et omnium effectuum immunitatis, seu totalis libertatis a temporali jurisdictione, et ita dicimus de facto esse institutam jure divino, dando clericis absolutam exemptionem ab omni jurisdictione laicorum, quam clerici haberent, etiamsi Ecclesia nihil in hoc disposuisset. Secundo, quia aliæ cæremoniæ vel ritus Ecclesiæ non sunt tam proxime de dictamine juris naturalis, neque ita immediate consequuntur ex aliqua priori institutione divina, sicut hæc exemptio, ut satis declaratum est. Tertio, quia alii ritus particulares non erant ita necessarii ad bonum regimen Ecclesiæ, et ad splendorem et decentiam religionis, sicut hoc privilegium. Et eadem ratione non est simile exemplum de jurisdictione Episcoporum. Quia, quod Episcopi recipiant a Christo immediate jurisdictionem, nec invenitur scriptum aut satis insinuatum in Scriptura, nec habet necessariam connexionem cum alia prior Christi institutione, neque ita necessarium ad bonum Ecclesiæ regimen, nec conveniens erat ut omnibus et singulis tota spiritualis jurisdictio sine ulla limitatione daretur, et cum varietate et limitatione non poterat immediate a Christo ipso concedi, et idcirco convenientius fuit ut Vicario suo illam distributionem committeret. Præterquam quod ad majorem unionem et subordinationem membrorum cum capite, multo convenientius erat ut in hoc omnes inferiores Episcopi a Vicario Christi penderent. In exemptione autem longe diversa ratio in his omnibus invenitur, ut declaratum est.

CAPUT X

Quomodo singulis clericorum vel personarum ecclesiasticarum ordinibus exemptio ecclesiastica jure divino conveniat

1. *Varii gradus personarum exemptionem gaudentium.*—Ut veritas in superiori capite confirmata magis elucescat, operæ pretium visum est, in singulis statibus seu ordinibus personarum ecclesiasticarum illam explicare, et in singulis proprias rationes hujus privilegii expendere; nam in quibusdam inveniri poterunt majores vel urgentiores quam in aliis, licet in omnibus sufficientes sint. Varii ergo distingui possunt gradus ecclesiasticarum personarum sub Petro; nam de Petro et ejus successoribus jam diximus. In primo ac præcipuo gradu fuerunt alii Apostoli a Petro; in secundo sunt Episcopi, qui Apostolis non ut Apostolis, sed ut Episcopis successerunt. Sub his sunt sacerdotes, ex quibus quidam sunt parochi, et pastores animarum, alii sunt simplices sacerdotes, vel omnino, vel in aliqua dignitate constituti. Sub sacerdotibus sunt inferiores clerici in sacris, et sub his alii in minoribus ordinibus constituti, conjugati vel non conjugati. Ac denique sunt aliæ personæ, quæ, licet ordinem aut tonsuram non habeant, ratione status ecclesiasticæ censentur, et privilegio canonis gaudent. De his igitur omnibus sigillatim dicendum est.

2. *Prima opinio negans.—Primum fundamentum.*—Primum dubium est, an Apostoli extra Petrum habuerint hoc privilegium, ita ut jure licuisset non parere imperatoribus, si facto possent; et e converso magistratus sæculares injuste eos judicarent propter usurpatam jurisdictionem, nisi forte ignorantia privilegii eos excusaverit. Rex enim Angliæ, in Præfatione, pag. 139, constanter negat hanc Apostolorum exemptionem

dicens, «primitivæ Ecclesiæ temporibus nunquam id fuisse in dubium revocatum.» Quam sententiam aliqui etiam Catholici, saniore quidem mente, et non cum tanta exaggeratione defendunt. Quibus favere videntur Chrysostomus, et Theophylact., ad Rom., 13, dicentes etiam Apostolos non eximi ab obedientia et subjectione magistratuum temporalium; et loquuntur non solum quoad vim directivam, sed etiam, quoad coactivam, prout Apostolus etiam loquebatur. Et inter alios auctores modernos hoc expressius docuerunt Albertus Pighi. et Jansenius, in locis jam citatis. Qui generaliter in hoc fundantur, quod clerici non erant exempti a potestate principum ethnicorum, quando in eorum regnis degebant, quia illi principes non erant sub jurisdictione Ecclesiæ, quæ ratio etiam in Apostolis locum habuit. Verumtamen illa ratio non probat, sed supponit hoc privilegium non fuisse Apostolis a Christo concessum; nam si Christus illud concedere voluit, nihil obstare posset quod infideles principes non essent Petro aut Ecclesiæ directe subjecti, quia ipsi Christo subjecti erant, ideoque potuit ab eorum jurisdictione eximere quos vellet, sicut exemit Petrum.

3. *Secundum fundamentum. — Tertium.*— Si ergo Apostoli hoc privilegium non habuerunt, non est quia principes infideles erant extra jurisdictionem Ecclesiæ, sed quia hoc pendet ex voluntate Christi, et de hac non constat per aliquam revelationem scriptam aut non scriptam; privilegium autem extraordinarium et supernaturale asserendum non est nec credendum sine testimonio voluntatis principis. Secundo, quia tale privilegium fuisset Apostolis inutile, quia nunquam illo erant usuri, neque in effectu habituri erant talem facultatem. Tertio addi solet, quod Paulus, Act , 25, Cæsarem appellavit, tanquam judicem et legitimum superiorem suum in causa criminali de qua tractabatur. Quem locum vehementer urget rex Angliæ, eumque ita intellexit Albertus Pighius, et approbavit aliquando Bellarminus, quos Lorinus secutus est. Et suaderi hoc potest, quia alias non bene fecisset Paulus appellando ad judicem non

suum, et tacite renunciando privilegio, cui nullus Prælatus renunciare potest. Denique sumi potest argumentum ex Matth., 17, ubi Christus pro se tantum et Petro tributum solvi jussit, et per hoc alii Apostoli intellexerunt (ut supra ex Patribus retuli) aliquod speciale privilegium Petro fuisse collatum; non est ergo cur dicamus fuisse commune cæteris Apostolis.

4. *Secunda sententia affirmans.*— Contrariam sententiam supponit Turrecremata, loco citato, eamque tandem prætulit Bellarminus, qui hac ratione dicunt, Paulum non jure, sed facto, Cæsarem appellasse, non tanquam ad superiorem suum, nam ab illius jurisdictione exemptus erat, utique jure divino, sed quia alia ratione non poterat inimicorum insidias evitare, neque locus ille in rigore amplius cogit, ut statim dicam. Unde sententia hæc omnino præferenda est, et præter generalia fundamenta de toto statu clericali, confirmari potest, primo, ex his quæ de Petro diximus; nam, licet Petrus respectu Apostolorum esset illis superior, nihilominus respectu Ecclesiæ, et omnium temporalium, et totius orbis, habebant quamdam cum Petro æqualitatem, nam fuerunt principes constituti super omnem terram, et ab ipso Christo immediate habuerunt jurisdictionem directam vel indirectam super omnes principes terræ; ergo ex vi illius excellentiæ fuerunt exempti a jurisdictione principum sæcularium. Est enim præposterum et indecorum, superiores principes ab inferioribus judicari, et pastores ovibus subdi. Hinc etiam verba Christi: «Ergo liberi sunt filii,» ad Apostolos extendi possunt majori certe ratione, quam ad quoslibet alios clericos. Tum quia illi magis proprie et stricte fuerunt de familia Christi filii Dei; fuerunt enim magis illi conjuncti, et unum collegium cum illo componebant; et mensa, et si qua habebant temporalia bona, omnibus erant communia. Tum etiam quia singulari modo participarunt excellentiam et potestatem, quam Christus in homines habuit, et ideo etiam in exemptione ab humanis potestatibus illum imitari debuerunt, atque ita sub nomine filiorum veniunt tanquam accessorium

sub principale. His ergo modis satis videtur constare de Christi voluntate.

5. *Solvuntur fundamenta contrariæ opinionis.*—Neque refert quod Apostoli nunquam erant illa libertate usuri, nam erat quasi connaturalis eorum dignitati, vel certe maxime decens, et ideo non debuerunt illa nobilitate (ut sic dicam) vel ingenuitate privari, etiam si propter hominum ignorationem vel malitiam permittendi non essent illa gaudere, sicut etiam de ipso Petro dicendum est. Et ita etiam contingere potuit in facto Pauli, in quo non fuisse præsidem legitimum judicem probat novissime et optime Cardinalis Bellarm., in cap. 13 suæ Apolog., quia causa Pauli, quæ tunc agebatur, non erat civilis, sed religionis, utique de prædicatione Pauli ad gentes, Act., 22, de Resurrectione mortuorum, cap. 23, et quod esset sectæ Nazaræorum defensor, cap. 24, «ac denique de quæstionibus suæ superstitionis, et de quodam Jesu,» ut ipse præses dixit, c. 25. In causa autem religionis non poterat laicus et ethnicus homo esse legitimus judex. Neque propterea male fecit appellando ad judicem laicum et infidelem, quia vitari non poterat simile judicium, in quo jam sub inferiori judice laico etiam, et infideli erat constitutus, et ideo prudenter fecit appellando ad legitimum superiorem ejusdem inferioris judicis et suorum accusatorum, quorum injustam vexationem hoc modo redimebat. Præsertim quia etiam potuit Paulus Cæsarem appellare intentione implorandi ejus auxilium, eo meliori modo quo posset. Sic enim factum illud interpretari videtur Athanasius. Apol. ad Constantium; implorare autem auxilium principis sæcularis contra vim et injuriam illatam ab inferiori judice laico, non est illicitum, neque libertati ecclesiasticæ repugnans, imo illi maxime consentaneum, ut ibidem significare voluit Athanasius, et Augustinus, epist. 48, 50 et 204, contra Donatistas docuit. Et hoc significant verba Pauli, Act., 28: «Coactus sum appellare Cæsarem,» videlicet, ut eum eriperet e manibus Judæorum; a quibus per solum præsidem liberari non posse timebat.

6. *An Episcopi sint exempti.* — Secundo loco dicendum est de Episcopis, in quibus considerari potest potestas ordinis, in qua Apostolis æquales sunt, et superiores sacerdotibus, unde hoc titulo potest aliqua major ratio hujus privilegii in eis considerari quam in sacerdotibus, major vero sumitur ex munere pastorali. Nam præter potestatem ordinis considerari potest et debet in Episcopis pastoralis dignitas, et potestas jurisdictionis Episcopalis, ratione cujus sunt spirituales principes Ecclesiæ, non quidem universales, sicut Apostoli, sed in suis diœcesibus, propter quod dicuntur esse successores Apostolorum. Hac ergo ratione post Apostolos videtur efficacius probari, habere Episcopos a Christo Domino hoc privilegium fori sæcularis. Nam ad illos possunt cum proportione applicari rationes de Apostolis factæ. Quia illi sunt altiori modo quam cæteri de familia Christi, et cum Pontifice specialiter vocali in partem sollicitudinis, et ideo ab eo fratres vocantur; merito ergo censeri possunt inter filios a Christo comprehensi, cum dixit: «Ergo liberi sunt filii.» Tum etiam quia Episcopi sunt Patres principum sæcularium, et simpliciter illis superiores, et ideo indignum est, et indecens, ut ab eis judicentur.

7. Unde Anacletus Papa, de Episcopis loquens, in Epist. 2, c. 2, sic ait: «Unde liquet, quod summi sacerdotes, id est, Episcopi a Deo sunt judicandi, non ab humanis, aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, et non per alium, vendentes et ementes ejecit de templo (1)», et cætera quæ prosequitur. Et idem optime confirmant verba Gregorii VII, lib. 8, in ep. 21, quæ supra jam retuli: «Quis dubitet sacerdotes Christi, regum, et principum, omniumque fidelium patres et magistros censeri? nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi co-

(1) Cap Accusatio, l. c. 2, q. 7.

netur subjugare, et iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, a quo credit, non solum in terra, sed etiam in cœlis se posse ligari ac solvi»; ubi constat præcipue de Episcopis loqui, quibus convenit ligandi et solvendi potestas in exteriori foro, seu judicio ecclesiastico.

8. Unde statim idem Pontifex, ex altero Gregorio, lib. 4, epist. 32, c. 75, refert historiam supra tactam de Constantino, qui in Concilio Nicæno, «nullam judicis sententiam super Episcopos dare præsumpsit, sed illos etiam deos vocans, non suo debere subesse judicio, verum se ab illorum pendere arbitrio judicavit.» Imo addit Melchiades Papa, in cap. «Futuram», 2, q. 1, dixisse Constantinum, «Episcopos solius Dei judicio reservari.» Unde colligunt adversarii, verba illa Constantini urbanitatis tantum fuisse, quoniam alias Episcopi neque a Papa possent judicari. Sed longe aliter hoc declarat et confirmat Melchiades Papa, in epist. ad Episcopos Hispaniæ, dicens, «episcopos, quos sibi Dominus tanquam oculos elegit, et columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, et solvendi dedit potestatem, suo judicio servavit, hocque privilegio B. clavigero Petro sui vice solummodo commisit.» In quibus verbis omnes Episcopos in hoc videtur Papæ similes efficere, quod illos Deus judicio suo reservavit. Unde ex hac parte divina ordinatione erunt exempti a judicio mere humano, seu sæculari. Differunt tamen a Pontifice, quia in terris habent judicem, cui Deus suas vices commisit. Pontifex autem superiorem hominem non habet, a quo judicetur. Quæ omnia etiam de Apostolis a fortiori procedunt, et videntur hanc partem multum persuadere.

9. *De exemptione sacerdotum.*—Tertio dicendum est de sacerdotibus, in quibus non invenitur ratio illa specialis quam in Episcopis consideravimus, quia non habent propriam jurisdictionem ecclesiasticam in foro externo, et ideo non sunt Ecclesiæ principes, nec superiores principibus laicis quoad potestatem imperandi, et judicandi illos in exteriori foro. Sunt tamen illis statu et gradu digniores, et Christi personam in suis ministe-

riis excellentiori modo repræsentant. Præsertim in tremendi sacrificii oblatione, et in peccatorum absolutione, ubi Christi personam gerunt. Et ad illa munera ex vi sui ordinis et status deputati sunt, ideoque in verbis: «Ergo liberi sunt filii», merito censendi sunt sacerdotes comprehensi, quia peculiari titulo et modo sunt de familia Christi, licet non in tam excellenti gradu, sicut Episcopi. Quod vero pertinet ad jus naturale, videtur etiam habere majorem congruentiam in sacerdotibus, quam in inferioribus, ratione characteris sacerdotalis. Primo quidem quatenus dat potestatem in corpus Christi verum, nam per illam maxime participant sacerdotium Christi, et efficiuntur res maxime sacræ, ideoque sunt eo ipso abstractæ a jurisdictione sæculari, et spirituali potestati subjectæ. Deinde accedit potestas in corpus Christi mysticum, ratione cujus fiunt spirituales patres laicorum et judices loco Dei in spiritualibus causis, quæ ad Deum maxime spectant, et in foro maxime sacro. Ratione quarum potestatum maxime in sacerdotes legis gratiæ conveniunt tituli regum et deorum, quibus Scriptura solet ornare sacerdotes, ut jura etiam canonica supra citata expendunt, ad considerandum quam sit indecens sacerdotes a laicis judicari. Quæ indecentia ex natura rei inest, et fundatur in excellentia sacerdotalis characteris; ergo valde credibile est ex vi illius esse exemptos.

10. *An inferiores clerici jure divino eximantur.—Prima opinio negans.*—Atque hinc tandem constat quid dicendum sit de inferioribus clericis. Aliqui enim dixerunt illos non esse exemptos jure divino, etiam si majoribus ordinibus consecrati exemptionem a jure divino habeant, quod sensit Bernard. Diaz de Lugo, in Pract., cap. 65; et Joan. Lupus, tract. de Libert. Christ., p. 2, q. 5. Quod omnino non placet, tum quia quod aliquis ordo peculiari modo major aut sacer reputetur, ex jure positivo pendet, juxta cap. «Miramur», de Servis non ordinand.; tum etiam quia jura supra allegata generaliter et sine distinctione loquuntur. Tum denique quia non solum clericis in

minoribus ordinibus constitutis, sed etiam in universum personis ecclesiasticis, sive recipientibus characterem per aliquem ordinem, qui sit verum sacramentum, sive per quemcumque alium ritum vel modum ab Ecclesia institutum, possunt cum proportione applicari discursus facti. Nam omnes sub peculiari familia Christi comprehenduntur, et omnes ad ordinem rerum sacrarum et ecclesiasticarum pertinent, et magis aut minus non variant speciem. Sicut bona ecclesiastica quædam sunt magis propria quam alia, et inter res sacras quædam sunt aliis sacratiores, et nihilominus omnes æque sunt Ecclesiæ commissæ, et a sæculari potestate exemptæ ex divino jure. Idem ergo erit in personis.

11. *Sententia Navarri præfertur. — Objectio ipsius.*—Melius ergo Navarr., in c. «Novit», de Judiciis, notab. 6, n. 30, respondendo ad sextum argumentum, n. 15, absolute docet, ex vi characteris clericalis sequi ex natura rei exemptionem a jurisdictione laica personæ sic sacratæ, non solum quatenus sacra est, sed etiam quatenus homo est. Objicit tamen sibi, quia sequeretur omnem Christianum ex vi characteris baptismalis eximi a potestate laica, quia per illum characterem est Deo consecratus.

12. *Responsio ejusdem.*—Quod si respondeatur verum esse, Christianum ut charactere insignitum subdi spirituali potestati, et non sæculari, id est, in his quæ ad Christianismum pertinent, ut hominem vero subdi potestati sæculari, replicabitur facile, quia idem dicetur de clerico ut affecto charactere clericali. Unde ipse Navarrus laborat in differentia assignanda, rejectisque aliorum sententiis, tandem respondet negando illationem, constituendoque discrimen inter utrumque characterem, «quia baptismalis», inquit, «non discernit inter Christianos, sed potius illos congregat in unum corpus, clericalis autem distinguit inter clerum et christianum populum.» Quod amplius non declarat, sed potius dicit se omittere quædam quæ in alia editione objecerat, quia facilem solutionem habebant.

13. *Declaratur amplius solutio Navarri.—Confirmatio.*— Sed nihilominus videtur res indigere expositione, quia difficultas non videtur soluta. Nam imprimis omnis forma, constituens et uniens aliquo modo omnes similem formam habentes, distinguit illos a reliquis forma illa carentibus, et sic character baptismalis distinguit ab ethnicis, seu infidelibus, Ecclesiæ non subditis, unde solum differt a clericali, quia baptismalis solum distinguit ab his qui omnino sunt extra Ecclesiam, clericalis autem distinguit inter fideles. At hoc non videtur sufficere, ut unus efficiat exemptum, et non alius, quia etiam character sacerdotalis distinguit non solum inter fideles sed etiam inter clericos superioris et inferioris ordinis; ergo licet character sacerdotalis secum afferat exemptionem, non erit idem in inferioribus, vel certe non æqualiter. Simileque argumentum fieri poterit in inferioribus, præsertim distinguendo clericos in sacris a minoribus. Vel certe si character clericalis in primo gradu, vel etiam tonsura, quæ primo facit distinctionem clerici a non clerico per specialem quamdam consecrationem, eo ipso affert exemptionem personæ, etiam character baptismalis, cum faciat primam distinctionem Christiani a non Christiano, consecrando personam baptizatam Christo, afferet secum simile privilegium. Et augetur difficultas, quia saltem afferet character baptismalis exemptionem a potestate principum ethnicorum, quod dici non potest, ut supra visum est. Sequela patet, nam character ordinis, quia distinguit clericum a laico, eximit personam clerici a judicio laici; ergo servando eamdem proportionem, baptismalis character distinguendo Christianum ab ethnico, ab istius jurisdictione eumdem eximet. Et confirmatur, quia non minor indecentia nec minus periculum invenitur in hoc, quod fidelis judicetur ab infideli, quam in hoc quod clericus judicetur a laico, et ideo Paulus, 1 ad Cor., 6, reprehendit fideles qui apud infideles litigabant, et non apud sanctos, id est, fideles, ubi D. Thomas varias rationes indecentiæ et periculi adducit, quæ, servata proportione, ad utramque causam æque possunt applicari, ut

legenti et consideranti facile patebit. Unde Alexander Papa, inde e converso sumit argumentum ad exemptionem clericorum persuadendam, cap. «Relatum», 11, q. 1.

14. *Auctoris responsio.* — His vero non obstantibus, et suppositis quæ de charactere sacerdotali diximus, respondemus idem esse dicendum de omni charactere ordinis. Ad quod asserendum non parum juvat sententia Alexandri I, in canone proxime allegato, cum aliis quæ supra retulimus. Ratio vero est, quia, licet isti characteres differant secundum magis et minus, tamen in hoc conveniunt, quod consecrant personam, dedicando illam divino cultui et alicui ministerio sacro, inchoando ab aliquo inferiori, et de se ordinato ad supremum, quod est sacerdotale, vel episcopale, et hac ratione talis character statim constituit personam sacram, et eximit a sæcularibus. Et in hoc potest constitui discrimen inter characterem ordinis et baptismi, nam character baptismi non sacrat personam deputando illam ministerio sacro, sed tantum consignat illam Christo, eamque ad fidem ejus retinendam specialiter obligat, et de se communis est omnibus hominibus, per accidensque est quod aliquibus non insit. Ideoque per se non distinguit inter fidelem et infidelem, in his quæ ad temporalem vitam et politicum statum spectant, et propterea non ita secum affert exemptionem a jurisdictione fidelium in eisdem rebus civilibus et humanis, sicut character ordinis eximit clericum a potestate laici, quia dicando personam ministerio sacro, per se distinguit utrumque statum clericalem et laicalem, et hoc fortasse est discrimen, quod Navar. indicare voluit, in d. cap. «Novit.»

15. *Hac exemptione gaudent quæcumque personæ in statu ecclesiastico ab Ecclesia constitutæ.* — Atque hinc tandem videtur idem dicendum de aliis personis, quæ alio quocumque modo ab Ecclesia instituto seu determinato in statu ecclesiastico constituuntur. Quod sensit Navarr. supra, conjungens monachatum cum clericatu; monachatus enim non imprimit characterem, et ex Ecclesiæ institutione vel determinatione existit. Idemque

dici potest de prima tonsura, quæ initium est clericatus sine impressione characteris, et si quæ sunt similia. Et confirmari potest ex cap. «Duo sunt,» 12, quæst. 1, ubi duo distinguuntur genera Christianorum, et unum esse dicitur, «quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici, et Deo devoti.» Ex quibus verbis colligere licet, eamdem esse rationem exemptionis in hoc toto genere personarum, quia totum est Deo et divino cultui dicatum, quod est fundamentum exemptionis, licet modus consecrationis diversus sit; ergo omnes hæ personæ eodem jure censentur, quantum ad exemptionem.

16. Atque ita ad hoc totum genus personarum applicari poterit jus positivum divinum, quia ex hoc toto personarum genere integra Christi familia completur, juxta sententiam Thelesphori Papæ, in epistola sua, ubi de omnibus ecclesiasticis personis sub nomine clericorum loquitur, et familiares Christi appellat. Potest etiam ad omnes applicari jus divinum naturale, quatenus in generali ratione consecrationis, seu dedicationis ad divinum cultum fundatur, ut dixi. Neque obstabit quod modus hujus consecrationis seu dedicationis ad divinum cultum in multis ex his personis sit ex Ecclesiæ institutione, quia nihilominus facta tali institutione resultare potest jus naturale. Sicut licet consecratio calicis sit de jure ecclesiastico, exemptio calicis consecrati ab omni usu communi, et non sacro, naturali jure consequitur. Vel, sicut in materia de Simonia diximus, licet consecratio aut benedictio alicujus rei sit de jure ecclesiastico, nihilominus quod vendi non possit, quatenus consecrata, est de jure naturali; ita ergo in præsenti dici potest.

CAPUT XI

Utrum secluso jure divino immediato potuisset exemptio clericorum per jus canonicum sine adminiculo juris civili introduci.

1. *Sensus quæstionis.*—Hæc quæstio simpliciter et absolute proposita necessaria non est, cum ostenderimus præcedenti capite, hoc privilegium a jure divino esse immediate concessum, et supra cap. 3 etiam probatum sit, jure canonico esse stabilitum; nihilominus tamen ex hypothesi tractanda a nobis est proposita quæstio, tum ad materiæ complementum, ne opinionem ullam intactam et indiscussam relinquamus; tum ut ecclesiasticam potestatem tueamur, et nonnullis objectionibus, quæ contra superiorem resolutionem militant, satisfaciamus. Quærimus enim an, remoto jure divino immediate concedente hoc privilegium, potuerit summus Pontifex suprema sua potestate illud concedere sine consensu sæcularium principum, vel tantum, supposita eorum donatione aut consensione, illius observantiam præcipere et tueri valuerit. In quo puncto non solum Marsilius Patavinus, et alii hæretici et schismatici, qui illius doctrinam sequuntur, negant potestatem ecclesiasticam ad hoc sufficere sine sæcularis consensu; verum etiam aliqui ex Catholicis eis in hac parte consentire videntur. Id enim supponunt, qui dicunt hanc immunitatem esse de jure civili primario, ut sentiunt Medina, C. de Restitut., q. 15, qui ait, hoc privilegium esse ex concessione sæcularis potestatis, significans aliter induci non potuisse. Idemque aperte sentit Palacius, in 4, dist. 25, disput. 3, circa finem, et antea id tradiderat Hostiens., in Summ., lib. 3, tit. de Immunit. eccles., § «Sed nec alia,» circa finem, dicens: «Non poterat autem imperator cogi ab initio, ut

privilegia daret, sed ex quo dedit, auferre non potest;» et, ut Rebuff. et Covarr. allegandi referunt, illam sententiam ex professo docuit Petrus de Ferrara, in sua Practic. in forma libelli, verb. «Plenam».

2. Fundamentum hujus sententiæ esse potuit, quia principes sæculares a principio jure naturæ, vel saltem gentium, habebant jurisdictionem civilem in personas clericorum, et illa non fuerunt immediate privati ab ipso Deo, ut ipsi sentiunt, et nos disputationis gratia permittimus; ergo neque a Pontifice possunt privari, quia, sicut non possunt privari dominiis suis, ita nec parte illorum, qualis est hæc jurisdictio, et quasi dominium super personas clericorum; ergo nec potest concedere Pontifex privilegium exemptionis, quia hoc subsistere non potest, nisi principes jurisdictione priventur. Dices, licet Pontifex directe non possit privare principem sæcularem dominio suo, indirecte interdum id posse per spiritualem potestatem, et hoc modo posse hoc privilegium concedere. Sed contra, quia hic usus indirectæ potestatis solum habet locum quasi per accidens, vel per modum defensionis subditorum fidelium, quando princeps illis esset perniciosus, et occasio ruinæ, vel per modum punitionis ecclesiasticæ, quando princeps criminosus et incorrigibilis fit dignus tali pœna, in quibus casibus etiam laicos subditos potest Pontifex eximere a subjectione talium principum; hic autem loquimur per se, et nulla interveniente causa vel culpa ex parte principis. Et hoc argumentum maxime urget in principibus infidelibus, quia non sunt subditi Ecclesiæ potestati, nec directe, neque etiam indirecte; extenditur autem ad principes fideles, quia per conversionem ad fidem non sunt facti deterioris conditionis, nec parte aliqua jurisdictionis sunt privati.

3. *Confirmatio.*—Potestque de utrisque hoc confirmari. De fidelibus quidem, quia legimus Episcopos, vel judicium ab imperatoribus postulasse, quamdiu illi juri suo non cesserunt, ut in facto Constantini et Episcoporum Concilii Nicæni sæpe com-

memorato plane ostenditur; vel privilegium hoc ab imperatoribus impetrasse, quando illud habere desiderarunt, ut colligitur ex Novella 83: «Ut clerici apud proprios Episcopos,» etc., tit. 11, collat. 6, ubi Justinianus ait, se plures leges scripsisse, quibus voluit ecclesiasticos ab Episcopis tantum judicari, et postea subjungit: «Petiti sumus a Menna, Deo amabili Archiepiscopo, reverendissimis clericis hoc dare privilegium,» etc. Et in multis aliis legibus, quas capite sequenti referemus, imperatores significant privilegium hoc ab ipsis donari, et a sua voluntate pendere. Imo concilium Toletanum III, c. 21, privilegium exemptionis pro servis Ecclesiarum, Episcoporum et clericorum, a rege Hispaniæ postulavit, ut habetur in cap. «Ecclesiarum servos,» 12, q. 2.

4. De principibus autem infidelibus fieri potest argumentum, quia antequam convertantur ad fidem, possunt expresse conditionem exigere, et cum eo pacto converti, ut nullus subditorum suorum ab eorum jurisdictione eximatur, sive clericus sit, sive laicus; at si reges Japoniæ, Chinæ, aut similes, sub ea conditione baptismum peterent, et aliter illum acceptare nollent, non propterea esset illis denegandus, quia conditio illa neque est intrinsece mala, neque repugnat voluntati credendi omnia necessaria ad salutem et illis obediendi; ergo admittenda vel saltem toleranda esset propter tantum bonum, quale est unius regni integra conversio; semel autem admissa conditio servanda esset, cum non sit injusta; ergo signum est habere temporales principes jus, ut licet ad fidem convertantur, sui subditis, aut parte illorum non priventur, et consequenter licet illam conditionem expresse non ponant, implicite illam includunt vel supponunt, quia nullus censetur juri suo renunciare nisi satis expresse id declaret.

5. *Secunda et vera sententia.*—Nihilominus vera et certa sententia est, sive hoc privilegium exemptionis immediate sit ab ipso Christo omnibus clericis collatum, sive non sit, potuisse Pontifices illud conferre, ejusque observantiam principibus sæ-

ularibus præcipere, et ad consentiendum eos cogere. Ita docuit nnocentius, in cap. 2, de Majorit., et obedient. Nam propoens quæstionem, quis exemit clericos, prius dicit, quod «Papa, onsentiente imperatore;» postea, «quod exempti sunt a Deo;» t tandem ait, vel dic, «quod Papa, etiam sine consensu impeatoris eos potuit eximere a jurisdictione imperatoris per suas onstitutiones, quia cum clerici spirituales res sint, et ex toto orpus suum et animam dederunt in servitium et sortem Christi, er consequens Papæ judicio, et constitutionibus subsunt.» adem est communis sententia Canonistarum, in c. «Ecclesia . Mariæ,» de Constitut., præsertim Panormit., Felin. et Deci., t Rebuff. in Concordat., titul. ult , ubi sententiam Petri de errara falsam et damnatam appellat, et idem tenet Alvarus elagius, lib. 1 de Planct. Eccles., cap. 44, in fine referens, et d litteram sequens sententiam Innocentii. Idem Driedo, lib. 1 e Libertate Christian., c. 9; et Covarr., in lib. Practic. Quæson., cap. 31, concl. 3 et 4; Soto, 4, d. 25, quæst. 2, art. 2, oncl. 6; Molin., tom. 1, tract. 2, de Justit., disput. 31, § «Tera vero;» Henriq., l. 7 de Indul., c. 24.

6. *Probatur primo.—Evasio.*—Probatur primo ex illis decretis, quibus observantia hujus immunitatis sub censuris, ipsis tiam principibus temporalibus præcipitur, ut constat ex . «Noverit,» et c. «Gravem,» de Sent. excom., et cap. ult., de Rebus Eccles. non alienand.,» et c. «Quanquam,» de Cenib., in 6, et fere toto tit. de Immunit. Ecclesiar., in decretal., t Sexto, et ex Bulla Cœnæ Domini, tot annis a tot Pontificibus epetita; nam in ea per varios articulos, et latis gravissimis ensuris etiam contra principes et reges temporales hanc liertatem Ecclesiæ defendunt. Dicere vero posset aliquis, hæc mnia decreta esse noviora, et supponere privilegium exemponis prius ab imperatoribus collatum, et ita jam supponere onsensum temporalis principis, qui semel datus retractari non otest; et ideo facta illa suppositione, locum habere omnia illa ræcepta, nihilominus tamen in principio necessarium fuisse

consensum principum, et sine illo non potuisse Ecclesiam sin
lia præcepta ferre.

7. *Exploditur dicta evasio.*—Sed hoc profecto incredibi
est, tum quia dicti Pontifices non fundantur in illo principi
quod privilegium Ecclesiæ datum ab imperatore ab eo revoca
non potest; nam, licet illud verum sit, ut infra videbimus, n
est tamen ita certum, sicut est certum illa decreta et censur
obligare omnes principes etiam supremos ad immunitate
ecclesiasticam non violandam. Non ergo nituntur Pontifices
illo principio, sed vel in jure divino, vel in suprema potestat
quam a Christo habent ad regendam Ecclesiam, et præserti
res sacras et ecclesiasticas, ut expedire censuerint ad divinu
cultum, et ad supernaturalem hominum finem. Unde multi etia
ex antiquioribus Pontificibus clericos a laicis judicari, vel ap
illos causam movere, vetuerunt, etiam illis temporibus, quib
imperatores infideles erant, ut patet ex c. «Relatum,» 11, q.
et aliis quæ cap. 3 et 4 allegavimus. Præcipue vero veritate
hanc confirmat Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 20,
Reformat., quia, nulla facta juris civilis mentione, dicit, «Ecc
siæ et ecclesiasticarum personarum immunitatem divina or
natione et ecclesiasticis sanctionibus esse constitutam.» In q
aperte supponit, immunitatem hanc, non a jure civili, seu
concessionibus principum sæcularium duxisse originem, ali
propriam et immediatam hujus immunitatis causam tacuiss
et in rigore, aut falsa, aut nimis diminuta fuisset doctrin
Deinde vero admonet, imperatorem, reges, etc., ut, «quo la
gius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt orna
eo sanctius, quæ ecclesiastici juris sunt tanquam Dei præcip
ejusque patrocinio tecta venerentur, et debitam sacris Summ
rum Pontificum, et Conciliorum constitutionibus observantia
præstent.»

8. *Secundum fundamentum.*—Ratione vero, et Scriptu
auctoritate simul fundata est hæc veritas in potestate data Pe
ad gubernandam Ecclesiam, et ad ligandum et solvendum

mnibus, quæ ad bonum religionis christianæ, et conveniens Ecclesiæ regimen necessaria fuerint. Nam hæc exemptio, per se loquendo, et quasi ex natura rei est valde necessaria religioni christianæ, ut res ecclesiasticæ et divinus cultus debita generatione tractentur; ergo propter hunc finem data est Petro et Pontifici potestas ad solvendum, seu eximendum clericos a potestate civili, et ad ligandum ipsam potestatem civilem, ut personis ecclesiasticis hanc immunitatem custodiat. Consequentia hæc evidens est ex dictis supra de potestate Pontificis circa temporalia in ordine ad spiritualem finem; ibi enim ostensum est hanc potestatem esse divinam et supernaturalem, ac subinde per se sufficientem, ut in sua materia efficaciter operari possit, non expectato subditorum consensu, etiam si sint temporales principes, sed illos ad consentiendum obligando, et si necessarium fuerit, cogendo. Antecedens autem satis declaratum et probatum relinquitur ex duobus capitibus præcedentibus. Nam si hæc exemptio est proprie et complete de jure divino positivo vel naturali, clarum est posse et debere Pontificem cogere christianos principes ad illud jus observandum. Si vero ad minimum est hæc immunitas valde propinqua juri naturali, et valde consentanea juri divino, et consensioni omnium gentium, ut omnes Doctores sine dissensione fatentur, profecto negari non potest quin hæc exemptio ex natura rei sit ita necessaria religioni, et cultui divino, ut sine illa convenienter administrari non possit.

9. *Roboratur discursus factus.* — Potestque hoc amplius declarari ratione supra tacta, quam in hoc puncto indicavit etiam Innocentius supra, quia res sacræ, ex vi consecrationis, ecclesiasticæ potestati ita subduntur, ut non solum circa consecrationem ipsam, sed etiam circa materiam et usum convenientem illius jam consecratæ disponat, et prohibeat non solum ea quæ sunt intrinsece mala, sed etiam illa quæ frequenter ac honeste possunt in irreverentiam rerum sacrarum vergere; personæ autem ecclesiasticæ sunt res valde sacræ, et per sub-

jectionem ad sæcularem jurisdictionem possunt et a divi
cultu valde distrahi, et a sæcularibus hominibus irrevcrent
tractari et contemni, si eorum crimina inter laicos publice
tribunalia communia deferrentur; ergo talis exemptio per
spectat ad potestatem spiritualem propter spiritualem finer
Denique hac de causa potuit Ecclesia circa matrimonium di
ponere non solum quatenus sacramentum est, sed etiam qu
tenus est quidam contractus, quia jam est materia rei sacræ,
sic etiam disponit de bonis ecclesiarum, et de decimis, et
aliis multis, quæ materialiter temporalia sunt; ergo eamde
potestatem habet in hac materia, quæ suo etiam modo sac
est, et ad divinum cultum non minus necessaria.

10. *Quæsitum.—Resolutio.—An Episcopi in suis diœcesib
clericis hanc exemptionem per se conferre valeant.—Ratio dul
tandi pro affirmativa parte.*—Sed quæret aliquis an solus Po
tifex hanc habeat potestatem non solum respectu totius Eccl
siæ, sed etiam respectu singulorum episcopatuum. Nam pric
modo clarum est, solum Pontificem habere hanc potestate
universalem pro tota Ecclesia, per quod non excludimus Conc
lium generale; nam in illo esse debet Pontificia auctoritas,
per illam confirmandum est, ut leges ferre possit universa
Ecclesiam ligantes. Solum ergo quæri potest, si hoc privilegiu
non esset a Christo vel Pontifice generatim in tota Eccles
clericis datum, an singuli Episcopi in propriis diœcesibus illi
suis clericis dare possent. Ratio autem partem affirmante
suadens esse potest, quia unicuique Episcopo incumbit cu
disponendi omnia in sua Ecclesia, quæ ad conveniens illi
regimen spectant, et ad hunc finem unusquisque Episcop
potest in sua diœcesi quidquid sibi prohibitum non est, vel p
superiorem non est aliter præscriptum; sed hoc non invenit
eis prohibitum; ergo licet exemptio non esset per Pontific
introducta, unusquisque Episcopus in sua diœcesi posset illa
tribuere.

11. *Ratio pro parte negativa.—Confirmatio.*—In contra

rium vero est, quia Episcopi in suis diœcesibus non possunt quidquid eis non prohibetur, sed tantum quod eis conceditur, quia non habent jurisdictionem ex jure divino, sed a Pontifice; hoc autem non legitur eis concessum. Deinde majores causæ Pontifici sunt reservatæ, ut dicitur in cap. «Majores,» de Baptism. Exemptio autem clericorum, per quam supremi principes temporales sua jurisdictione ex parte privantur, gravissima res est, magnaque indiget auctoritate et potestate ; ergo vel a Christo facta est, vel ejus Vicario est reservata. Et confirmatur, quia Episcopi non possunt in suis diœcesibus hanc exemptionem augere ; ergo nec possent introducere, si non esset. Denique ex hujusmodi exemptione possunt scandala et perturbationes inter principes et Prælatos oriri, nisi magna prudentia et auctoritate fiat ; ergo quidquid circa hoc privilegium statui potest, ad solam Pontificis auctoritatem et potestatem pertinere credendum est.

12. *Pars negativa præponitur.* — Hæc ergo posterior pars verisimilior est, quam etiam praxis Ecclesiæ confirmat. Pontifices enim maximam habuere curam disponendi omnia quæ ad hanc exemptionem pertinent, neque hanc facultatem Episcopis reliquerunt. Estque optima ratio, quia hoc privilegium (ut dicitur in c. «Si diligenti,» de Foro compet.) non in favorem hujus vel illius personæ, neque etiam in favorem hujus vel illius episcopatus, sed simpliciter «in favorem totius collegii ecclesiastici» inductum est ; ergo potestas illud conferendi est in solo capite universali totius collegii, vel principali, quod est Christus, vel in ejus Vicario, qui est Summus Pontifex. Hoc autem intelligendum est de hoc privilegio ut pure canonico, et per solam spiritualem potestatem concesso independenter a consensu vel donatione secularium principum.

13. *Episcopi possunt prohibere ne clerici sæcularia judicia adeant.* — Duobus autem modis possent Episcopi exemptionem præcipere in suis episcopatibus, etiam si non esset generaliter introducta. Primo, ex parte clericorum tantum, præcipiendo

clericis sibi subditis, ut in omnibus causis ab ipsis movendis seu in quibus ipsis liberum esset judicem eligere, vitaren laicum judicem, et suum Episcopum adirent. Hoc enim præceptum justum esset et in rigore non derogaret jurisdiction laicorum ; ergo non excederet ordinariam potestatem Episcoporum. Sicut enim Paulus, 1 ad Corinth., 6, reprehendit fideles inter se moventes lites, quia coram infidelibus illas tractabant (e sive id reprehenderit, quia malum, sive quia minus decens e periculosum, non est dubium quin illud prohibere potuerit) ita etiam Episcopi prohibere possent clericis ne, quantum in ipsis est, coram laicis litigarent, etiam si alias exempti non essent, quia, sicut non decet fidelem coram infideli causam agere, ita, servata proportione, indecens et periculosum est clericos a laicis judicari, argumento cap. «Relatum,» 11, q. 1. Alio modo posset quilibet Episcopus in sua diœcesi præcipere observantiam alicujus exemptionis, acceptando privilegium aliquod a principe, seu supremo domino terræ concessum, quod est per se manifestum, quia tale privilegium esset Ecclesiæ beneficium, quod laico facere licet, et Episcopo acceptare, quo semel obtento, potestatem habet Episcopus præcipiendi observationem ejus, quia tunc jam non privat laicum potestate sua, sed rem ecclesiasticam tuetur ac defendit.

14. *Ad fundamentum contrariæ sententiæ. — Usus indirectus potestatis spiritualis etiam absque sæcularium principum criminibus est necessarius.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ recte ibi responsum est, ex hypothesi, quod Christus per se ipsum hoc privilegium clericis non contulerit, Pontifices per potestatem spiritualem potuisse illud concedere, et consequenter et quasi indirecte auferre a principibus sæcularibus jurisdictionem quam in personas clericorum habebant, vel habere debuissent, si clerici non essent. Ad replicam autem ibi factam, quod hic indirectus usus potestatis spiritualis solum habet locum per accidens, propter crimina vel tyrannidem principis, negatur assumptum, nam etiam extenditur spiritualis potestas

ad temporalia, etiam si nulla interveniat culpa ex parte principis temporalis, sed causa sufficiens ex parte materiæ, qualis est connexio, vel conjunctio sufficiens rei materialis cum spirituali, vel talis habitudo ad spiritualem finem, ut ratione illius expediat, per spiritualem potestatem dirigi et ordinari. Tunc enim Pontifex circa talia habet cœlestis et terreni imperii jura, ut dixit Nicolaus Papa II, in c. 1, dist. 22. Atque in hoc sensu non repugnat usum hujus potestatis spiritualis esse per se, licet sit indirectus ; vocatur enim per se , quia non est per modum pœnæ , neque per occasionem alicujus mili casu insurgentis, sed quia, supposita conditione humana, et tali institutione ecclesiastici status, exemptio est moraliter necessaria ad spiritualem finem ; et nihilominus ille usus indirectus appellatur, quia non est propter temporalem finem, sed propter spiritualem, ut supra declaratum est.

15. *Servus sacris ordinibus initiatus a servitute eximitur.* — Ratio autem est, quia hæc potestas per se data est ad ordinarium et conveniens regimen ecclesiasticæ monarchiæ, et ideo per se potest quidquid moraliter expedit ad finem ejus, etiamsi ad eum finem aliquid circa temporalia disponere vel immutare necesse sit. Eo vel maxime quod temporalibus regibus non data est potestas propter ipsorum commodum, sed propter convenientem reipublicæ gubernationem. Ergo si in ipsa republica talis mutatio fiat, ratione cujus ad ejusdem majus bonum expediat personas aliquas excipere a principum jurisdictione, mirum non est quod Ecclesiæ princeps, qui altiorem curam et providentiam habet ejusdem reipublicæ ad altiorem ordinem et statum elevatæ, propter eumdem finem id possit præstare. Maxime cum hæc respublica ecclesiastica, ut per Christum instituta est, supernaturalis sit, et divinum cultum principaliter respiciat, ad quem præcipue hæc immunitas ordinatur. Potestque hoc declarari exemplo. Nam si servus ordinetur in sacris, interdum liberatur a servitute, c. «Per venerabilem», Qui filii sint legitimi , et c. «Si servus» , 54 dist., c. «Miramur»,

de Servis non ordinand. Quod potuit Ecclesia statuere in dibitum usum, et decentiam sacramenti ordinis et ministerii, etiam privando dominum potestate quam antea habebat in servum, vel reddito illi pretio, vel etiam non reddito, quando dominus in ordinationem consensit. Ergo mirum non est quod ratione ordinum possint clerici per ecclesiasticam potestatem a jurisdictione temporali liberari, nam majus in suo genere est dominium servi, quam solius jurisdictionis, et principes sæculares, præsertim fideles, consensum suum, vel expresse, vel tacite præbent tali ordinationi, et Ecclesia habet jus non dandi illis ministros in spiritualibus, nisi veluti sub hoc pacto, et conditione (quæ justissima est), ut immunitate tali statui convenienti gaudeant; ergo merito potest Pontifex sola sua auctoritate hanc immunitatem stabilire, et sæculares principes ad eam observandam obligare.

16. *Invitis principibus ethnicis potest Ecclesia clericos ab eorum jurisdictione eximere.* — Quia vero in fine illius argumenti dicitur, illud maximam vim habere respectu principum infidelium, addendum est, etiam tempore infidelium principum potuisse Ecclesiam, et nunc etiam posse in regnis et provinciis principum infidelium, in quibus sunt fundatæ Ecclesiæ, posse (inquam) hoc privilegium clericis concedere, invitis principibus. Oportet autem potestatem a facto seu jus ab usu distinguere. Nos enim de jure ac potestate loquimur, et eodem principio et rationibus factis nitimur. Et declaratur, nam supra cum D. Thoma diximus posse Ecclesiam omnes fideles a potestate infidelium eximere propter periculum; ergo majori ratione poterit sacerdotes et clericos eximere ob reverentiam divini cultus. Pontificis enim potestas in ordine ad suum finem, etiam supra infideles extenditur, et ideo jus habet instituendi quæ ad verum Dei cultum pertinent, et quæ ad illum decent et expediunt, etiam invitis principibus infidelibus. Sicut posset præcipere ne in templis secularia judicia fiant, etiam a magistratibus infidelibus, et habet jus illos cogendi ad id observandum, si posset. Quod enim

pertinet ad factum sive usum, non ita potest cum fructu et effectu uti Ecclesia hac potestate cum principibus infidelibus, quia ipsi non cognoscunt in Papa potestatem ullo modo superiorem, nec possunt cogi per censuras, seu per gladium spirituale; uti autem materiali gladio belli difficile est, vel interdum magis noxium. Et ideo facilius potuit Ecclesia illo tempore dissimulare. Quomodo autem tunc se gesserit aut gerere potuerit, infra inquiremus.

17. *Ad confirmationem.*—Ad priorem partem confirmationis, quæ erat de usu antiquo Prælatorum Ecclesiæ postulandi ab imperatoribus, vel judicium in causis et controversiis suis, vel privilegium exemptionis pro suo clero, responderi potest imprimis, illud in principio Ecclesiæ locum fortasse habuisse, quia tunc exemptio clericorum vel non satis erat usu introducta, vel non satis erat erat nota imperatori recens ad fidem converso, ut erat Constantinus tempore Concilii Nicæni. Et ideo tunc Episcopos judicium ab illo postulasse voluntarie, et non coacte. Vel dici etiam potest Episcopos non accessisse ad Constantinum, tanquam ad judicem in eos juridictionem habentem, sed vel tamquam ad defensorem et protectorem, quod est imperatoris munus, vel certe, quod verisimilius apparet, tanquam ad arbitrum quem voluntarie eligebant, quia tunc non erat prohibitum; ipse autem propter Episcoporum reverentiam munus illud acceptare recusavit. Atque eadem ratione potuerunt olim Episcopi hoc privilegium ab imperatoribus postulare, non quia jure ipsis Episcopis non competeret, sed quia vel facto illis non permittebatur, etiam a fidelibus magistratibus, quibus fortasse tunc jus illud clericorum satis notum non erat; vel certe ex urbanitate, et ut res suavius fieret, consensum principis postularunt. Ac denique aliqui imperatores ita in suis legibus loquuntur, ac si essent hujus privilegii auctores, quia fortasse per ignorantiam ita existimabant, vel ut ostenderent omnino juri suo renunciare, et quantum est ex se ita donare, ac si ab eorum sola voluntate et potestate penderet.

18 *Princeps ethnicus sub conditione exemptionem clericorum non observandi ad fidem admitti non debet.—Prima ratio.*—In altera parte illius confirmationis, petitur an possit infidelis princeps ad baptismum admitti, nolens in suo regno exemptionem clericorum permittere, imo sub conditione et pacto postulans ne tali jurisdictione privari possit. In quo puncto imprimis dicimus, etiamsi demus Pontificem in tali casu posse id permittere quia non est intrinsece malum, ac proinde potest talis princeps esse dispositus ad fidem et baptismum, nihilominus inde non sequi hanc immunittaem per se et jure pendere a voluntate prin cipum, sed solum sequi, Pontificem posse aliquando dissimulare, et non uti sua potestate ad concedendum vel exequendum de facto tale privilegium, propter majora mala vitanda. Addo vero præterea, tam iniquam esse illam conditionem, et contrariam juri divino, aut immediate, aut saltem mediate, ut permittenda non sit, neque baptismus sub tali pacto alicui principi concedendus. Primo, quia nunquam potest Papa renunciare potestati quam habet ad concedendum hoc privilegium, vel usum ejus, quoties Ecclesiæ universali vel particulari expedire judicaverit; per illud autem pactum videretur renunciare huic potestati, alias conditio esset frivola, et nullius effectus; ergo nunquam licet illam admittere. Imo, licet sub ea conditione aliquem principem ad Ecclesiam reciperet, illam postea servare non teneretur, tum quia esset contra bonos mores Ecclesiæ; tum etiam quia per iniquam vim esset extorta, sicut est in mutuo conditio solvendi usuras.

19. *Secunda ratio.*—Unde oritur altera ratio, cur hoc non liceat, scilicet, quia talis princeps est indispositus ad baptismum recipiendum, tum quia graviter peccat vim illam Ecclesiæ inferendo; tum etiam quia videtur suum temporalem statum baptismo anteponere, quandoquidem non vult illum admittere, nisi tali conditione sibi concessa. Tum denique quia ex illa conditione admissa in uno regno posset Ecclesia perturbari in aliis provinciis jam catholicis, et in illa etiam quæ de novo con-

vertitur, nunquam posset immunitas ecclesiastica convenienter introduci, semperque perturbationes et scandala timeri possent, Quamobrem, absolute loquendo, iniqua videtur et nullo modo admittenda hujusmodi conditio, præsertim absolute, et sine temporis determinatione, vel alia honesta limitatione proposita.

20. Quod si hæc vera sunt (ut re vera sunt), ubi Ecclesia non videtur habere jus acquisitum super principem nondum baptizatum, profecto longe fortiori ratione permittenda non est talis resistentia in principe jam fideli seu baptizato, qui subditus est Ecclesiæ, ejusque justis legibus obedire tenetur. Neque verum est illam conditionem esse implicite inclusam in voluntaria susceptione baptismi; cum enim sit iniqua et rejicienda, si forte exprimatur, quomodo potest implicite includi? Conditio ergo quæ implicita cogitari potest, solum est ut temporalis princeps suis juribus non privetur, in his omnibus quæ fidei aut Ecclesiæ obedientiæ non repugnant.

CAPUT XII

Utrum privilegium fori clericorum etiam jure civili fundatum sit.

1. *Sensus quæstionis.*—Hujus tituli seu quæstionis sensus ex doctrina capitis superioris accipiendus est, jam enim non quærimus an prima origo, vel principalis aut necessaria causa hujus privilegii sit jus civile, seu voluntas aut donatio principum sæcularium; sed an de facto ipsis consentientibus introductum sit, vel certe an sit de jure civili eo modo quo esse potest, vel expedit, quicumque tandem ille modus sit.

2, *Prima conclusio.—Exemptio clericorum etiam est de juri civili.*—Hoc ergo sensu proposito, assertio certa, et communi consensu recepta, est hoc privilegium etiam esse concessum

clericis jure civili, seu a principibus temporalibus; quæ intelligitur ab eo tempore quo principes facti sunt Christiani; nam antea, clarum est infideles principes nullum privilegium clericis concessisse; statim vero ac imperatores christiani esse cœperunt, immunitatem clericis concesserunt. Unde primus omnium creditur hoc privilegium acceptasse Constantinus (nam de Philippo propter temporis brevitatem ratio non habetur). Nonnullique dixerunt tempore Julii I, Pontificis, Constantinum huic privilegio annuisse, prout refert Almainus. in 4, d. 25, q. 1, quos ipse etiam sequitur, sed id nec probari potest, nec cum veritate historiarum consistere. Nam Constantinus in initio Pontificatus Julii I mortuus est, unde probabile est auctores illos de Constantio loqui voluisse. Alii vero censent Constantinum in Concilio Nicæno privilegium hoc ecclesiasticum inchoasse, quando Episcopis dixit, a solo Deo fore judicandos, quod significat Palacius, in 4, d. 25, disp. 3. Sed revera ex verbis illis Constantini non colligitur Constantinum novum privilegium dedisse, sed vel Episcoporum dissensiones, illos simul honorando, uno verbo componere ac sopire voluisse, vel certe recognovisse in Episcopis aliquam immunitatem divinitus eorum dignitati concessam.

3. *Constantinus exemptionem clericorum concessit.*—Præterea, dubium non est quin Constantinus privilegia immunitatis clericis concesserit, nam l. 1, C. de Episcop. et cleric., clericos et mancipia eorum eximit «a novis collationibus,» et ne hospites suscipere cogantur, quæ lex habetur etiam in Codice Theodosiano, l. 16, l. 8, sed Constantio tribuitur, et illi adduntur hæc verba, quæ Justinianus omisit: «Et si qui de vobis alimoniæ causa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur (1);» et in l. 1 de Lustral. collat., in eodem Codice Theodosian., idem Constantinus clericos eripit a quodam tributo, quod «lustralis

(1) Refert Gratianus in c. «Generaliter», § Novarum, 16, q. 1.

collatio» vocabatur, fortasse quia per lustra exigebatur. Præterea, in l. 1 de Episcop. et cleric., in eodem Theodosiano Codice, idem sancit, «ne clerici contra indulta sibi praivilegia nominationibus, seu susceptionibus prægraventur;» loquitur autem de nominationibus ad publica officia sæcularia, et a muneribus civilibus, a quibus clericos immunes esse voluit, ut clarius explicat in l. 2 ejusdem tituli, et rationem addit, dicens: «Ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis evocentur.» Et simile rescriptum Constantini refert Eusebius, per quod clericos Africanæ provinciæ «ab omnibus omnino communibus et civilibus rerum publicarum ministeriis immunes et absolutos vult (1).» Rationem vero addit generalem omnibus clericis, «ut nullo modo per errorem, vel per sacrilegium, ac profanam prolapsionem, quæ in hujusmodi negotiis accidere solent, a culto divinæ majestati debito abstrahantur. Idemque privilegium supponit, et quomodo servandum sit declarat idem Constantinus, in l. 6, eodem tit., in Theodosiano Codice.

4. Quia vero in his legibus non fit expressa mentio privilegii fori, licet cum aliis connexum esse videatur, addenda est lex 7, eodem tit. et cod., in qua sic dicit idem Constantinus: «Clerici, qui per injuriam hæreticorum ad curiam devocati sunt, absolvantur, et de cætero ad similitudinem Orientis ad curias minime advocentur, sed immunitate plenissima potiantur.» Ubi oportet advertere, licet de hæreticis in illo rescripto mentio fiat, quia per occasionem persecutionis Donatistarum datum fuit illud privilegium, nihilominus ipsum privilegium latum fuisse absolute, supponiturque antea fuisse concessum in Oriente, et ad Occidentalem Ecclesiam extenditur (2). Imo, quod maxime notandum est, tantum aliquando Constantinus detulit judicio Episcoporum, ut omnibus etiam laicis in causis civilibus ad Episcopos provocare concesserit, eorumque sen-

(1) Euseb., l. 10 Hist., c. 7; Nicephor., l. 7, c. 42; Sozomen., l. 1, c. 9

(2) Vide Baronium, ann. Christi 330, in fine.

tentias magistratuum sæcularium sententiis prætulerit, ut constat ex l. 1 de Episcopali judicio, in Codice Theodosiano, et ex Sozomeno, lib. 1 Histor., c. 9.

5. *Constantius etiam eadem privilegia clericis concessit.* — Præterea in eodem codice Theodosiano, tit. de Episcop. et cleric., habentur variæ leges Constantii imperatoris, in quibus similia privilegia clericis concedit, nam in l. 9 clericos eximit a «curialibus muneribus, et ab omni inquietudine curialium functionum»; et in leg. 10, concedit eis «immunitatem ab exactionibus munerum sordidorum», et «a negotiatorum dispendiis», quæ videtur fuisse exemptio a tributis solvendis, ex iis, quæ sua industria lucrabantur, hoc enim significat in ratione quam subdit, dicens: «Cum certum sit quæstus, quos ex tabernaculis atque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos.» Et additur: «Parangariarum quoque pari modo cesset exactio»; et infra: «A censibus etiam jubemus perseverare immunes.» Et similiter in l. 11 eximit clericos «a muneribus curialibus.» Addit vero notandam restrictionem, dicens: «Clerici, qui in totum nihil possident, ac patrimonio inutiles sunt», quia fortasse tunc clerici illum statum profitebantur.

6. Verumtamen in his non satis explicatur privilegium fori, quamvis interdum per generalia verba insinuari videatur. In lege autem 12 prohibet idem Imperator, «Episcopos in judiciis publicis accusari, ne libera sit (inquit) ad arguendos eos animis curialibus copia»; et ideo subjungit, «causas Episcoporum ad Episcopos esse deferendas.» Conjectatque Baronius, hoc privilegium concessisse Constantium ad petitionem Hilarii, qui in libro ad eumdem, cujus initium est, «Benignifica natura tua», sic inquit: «Provideat et discernat Clementia Tua, ne judices posthac præsumant et usurpent, ac putent se causas cognoscere clericorum», etc; ubi expendo verba «præsumant» atque «usurpent», quibus non tam novum privilegium quam ne antiquum violaretur, postulare visus est. Atque ita Constantius antiquum potius privilegium confirmavit, quam novum con-

cesserit; eodemque modo in l. 13 ejusdem tituli, simul cum Juliano confirmat privilegia clericis urbis Romæ concessa; et l. 14, itidem confirmat exemptiones clericorum a tributis a Constantino concessas.

7. *Cæteri etiam imperatores eamdem exemptionem confirmarunt.—Valentinianus exemptione clericos privavit.*—Præterea hæc immunitas a posterioribus imperatoribus confirmata est, licet interdum eam restringere vel mutare tentaverint. Valentinianus enim I, ut refert Ambrosius, lib. 2, ep. 13, alias ep. 32, «non solum sermone respondit, verum etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt (ait Ambrosius), hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad episcopale judicium pertinere.» Postea vero quia multi, causa vitandi onera curalia, atque potiendi Ecclesiæ privilegiis, clerici fiebant, idem Valentinianus de Episcopis et clericis statuit, ut non nisi qui decennio in clericatu perseverasset, clericorum immunitatibus potiretur, ut colligitur ex l. 19, de Episcop. et cler., in codice Theodosiano. Postmodum vero Gratian, in l. ult. de Episcopal. judic., statuit, «ne clerici ad judicia sæcularia pertrahantur.» Et deinceps Honorius absolute idem privilegium fori clericis restituit, ut constat ex l. 41, de Episc. et cler., in Codice Theodos., dicens de clericorum causis: «Hujusmodi causas dumtaxat Episcopi sub testificatione multorum actis audire debent», et in l. 29, 30 et 38, confirmat privilegia omnia a suis prædecessoribus clericis concessa, inter quæ sine dubio privilegium fori continetur. Expressiusque colligitur ex l. 45, 46 et 47 ejusdem tituli. Unde idem servatum esse sub Theodosio Juniore colligi potest ex epist. 54 Augustini, cujus verba paulo post referemus. Postea vero Valentinianus III clericos privilegio fori omnino privavit, ut constat ex libro Novellarum ejus, tit. 12.

8. Refert item Baronius, ann. 455, n. 25, Marcianum, Valentiniani successorem, personas ecclesiasticas pristinæ restituisse libertati, revocatis legibus contra illam a prædecessoribus promulgatis; solum tamen allegat Novellam ejusdem imperatoris, quæ est ultima in lib. 3 Novell., in Cod. Theodos., et in l. «Generali», C. de Sacros. Eccles.; in illa vero solum revocantur leges, quibus prohibebantur clerici ne aliquid ex testamento relictum a viduis caperent, de privilegio autem fori nihil ibi legitur. In quodam vero scholio ad Novellam Valentiniani notatur, illius revocationem retractasse Majorianum Augustum, quod etiam notat Baron., ann. Christi 452, n. 52, dicens: «Hæc quidem Valentinianus turpiter Romæ promulgat, sed quam inique et impie, lata a successore Majoriano his contraria sanctio demonstravit.» Non referunt autem hi auctores sanctionem Majoriani, nec inter Novellas ejus, quæ lib. 4 Novellar., post Codicem Theodosianum habentur, continetur. Neque de statu hujus privilegii ab illo tempore usque ad Justinianum aliquid ab imperatoribus clarius statutum, quod certo affirmare valeam, invenio.

9. *Privilegium fori ante Justinianum clericis fuisse concessum.*—Ex dictis autem manifeste falsum esse convincitur, quod quidam schismaticorum fautores hoc tempore dixerunt, distinctionem fori inter ecclesiasticos et laicos ante Justinianum in Ecclesia non fuisse. Nam ex dictis ostenditur, plures imperatores hanc fori distinctionem concessisse seu admisisse, ut de Constantino, Honorio, et Valentiniano I, et aliis, ostendimus. Item multo antiquior Justiniano est gravis illa in Concilio Aquileiensi Ambrosii sententia, «non laicos de sacerdotibus, sed potius sacerdotes de laicis judicare debere», quam etiam habet in dicta ep. 13 ad Valentinianum Augustum, et in ea distinctionem fori significat. Quam etiam supponit Augustinus, in ep. 53, ad Macedonium proconsulem, et judicem sæcularem, qui cum Augustinum interrogasset cur Sacerdotes in sæculari foro pro reis intercederent, ipse Augustinus vicissim respondet: «Scio ego

te ipsum cum aliis amicis tuis in Ecclesia Carthaginensi interces-sisse pro clerico, cui merito succensebat Episcopus, et utique nullum ibi discrimen sanguinis in incruenta disciplina timeba-tur.» In quibus verbis aperte supponit et declarat fori distinc-tionem, quæ jam tunc in usu erat. Quin potius Concilium Matisconense II, c. 9, distinctionem hanc «in ipso pene chris-tianitatis principio, non solum canonum, sed etiam legum in-terventu introductam esse», asseruit.

10 *In criminalibus clericos a laicis judicari voluit Justinia-nus.—An privilegium fori per Carolum Magnum fuerit restitu-tum.*—Justinianus ergo non fuit auctor distinctionis fori eccle-siastici a sæculari, nec privilegium fori clericis primus ipse concessit. Quin potius, licet antiqua de hoc foro privilegia con-cedere aut innovare visus fuerit, ea tamen ad civiles causas limitavit. Nam in criminalibus, quando crimina non ecclesias-tica, sed communia sunt, ut furta, homicidia, etc., voluit cleri-cos a laicis judicari et puniri, ut constat ex Novella 83, alias Authent. «Ut clerici apud proprios Episcopos», etc, et ex Authent. «Cassa», et Authentica «Clericus», C. de Episcop. et cleric. Aliqui vero existimant, privilegium fori iterum fuisse plene restitutum per Carolum Magnum, per quamdam legem qua renovavit aliam Constantini et Theodosii, quam supra re-tulimus, qua statuebatur ut omnes causæ etiam laicorum pos-sint per Episcoporum sententiam terminari, prout refert Gra-tian., in c. «Omnes», 11, q. 1; et latius Baronius, tom. 9, ann. 801, circa medium. Sed imprimis lex illa non de crimina-libus causis, sed de civilibus loquebatur; valde enim alienum esset ab episcopali munere, in criminalibus causis laicorum sententiam dicere. Deinde per illam legem non concedebatur clericis privilegium fori, sed potius facultas dabatur laicis, ut coram Episcopis possent suas civiles causas tractare ac defi-nire. Denique hoc ipsum privilegium vel receptum non fuit, vel certe non multum duravit, sed usu abrogatum est, ut no-tant Glossa, Hugo, Turrecremat., et alii Doctores, in dicto c.

«Omnes», et c. «Quicumque», 11, q. 1, et latius notat Glossa, in c. «Relatum», eadem causa et quæst. Quocirca, licet ex historiis constet, Carolum Magnum multa beneficia et privilegia clericis et sacerdotibus contulisse, an vero singulare aliquid circa hoc privilegium fori statuerit, scriptum non invenio, neque de aliis imperatoribus, qui post illum usque ad Fridericum II fuerunt.

11. *Privilegium fori in civilibus et criminalib. plenissime statuit Fridericus. — Variis etiam legibus civilibus hoc privilegium in Hispania introductum est.*—Hic autem Fridericus sub Honorio III plenissimum privilegium fori, tam in criminalibus quam in civilibus causis, clericis contulit, ut constat ex ejus Constitutione, quæ habetur in volumine post libros feudorum, et ex Authentic. «Statuimus», Cod. de Episcop. et cleric., ex Authent. «Cassa», Cod. de Sacrosanct. Eccles. Quas leges acceptavit Papa in fine dictæ Constitutionis, his verbis: «Nos Honorius Episcopus, servus servorum Dei, has leges a Friderico, Romanorum imperatore, filio nostro charissimo, pro utilitate omnium Christianorum editas laudamus, approbamus, et confirmamus tanquam in æternum valituras.» Atque ita receptum fuit hoc jus in toto orbe christiano, ex quo satis constat privilegium hoc jure communi civili stabilitum esse. Quod etiam imitatæ sunt leges particularium regnorum, præsertim Hispaniæ, tam in antiquioribus legibus, Partita 1, tit. 6, l. 51, et sequentibus, quam in nova Recopilatione, lib. 1, tit. 3, a principio, præsertim leg. 11 et 12; et Lusitaniæ, l. 2 Ordinationum per varias leges, idemque de legibus aliorum catholicorum regnorum arbitramur.

CAPUT XIII

Difficultati quæ ex præcedenti capite oritur occurritur, et quomodo Ecclesia diversis temporibus privilegio fori usa fuerit, explicatur.

1. *Primum dubium circa usum privilegii fori. — Rationes dubitandi.* — Ex dictis in præcedenti capite circa usum hujus privilegii fori dubium nascitur, nam videtur sequi, aut Ecclesiam non fuisse usam hoc privilegio plene et constanter ante Frederici II tempora, aut multis temporibus, renuentibus imperatoribus, illud observasse; primum autem videtur magnum esse inconveniens, secundum vero difficile creditu est; quid ergo dicendum est de istius usus antiquitate et modo? Nam quod pastores Ecclesiæ contra imperatorum voluntatem privilegium hoc non exercuerint, sed dissimulaverint, eorumque voluntati ac potentiæ cesserint, colligi potest, tum quia frequenter in suis decretis imperatorum aut regum consensum, seu jurium civilium concordiam allegant; tum etiam quia non legimus censuras fulminasse contra aliquem imperatorem, qui ante Fredericum II privilegium fori, vel omnino, vel ex parte clericis abstulerit, ut de Valentiniano et Justiniano retulimus. Imo ipsimet imperatores, qui maxime videntur clericis in hoc privilegio favisse, interdum in aliquibus causis, etiam ipsismet Episcopis et clericis postulantibus, hanc jurisdictionem assumebant, quibus Pontifices non resistebant, sed potius videndo et tacendo consentire videbantur.

2. *Secundum dubium. an clerici ab imperiali potestate fuerint exempti. — Ratio dubitandi pro negativa parte.* — Atque hinc nascitur alia difficultas, quam Barclaius, c. 35, apud Bellarminum tetigit, quia licet multi imperatores concesserint clericis hanc

exemptionem a suis judicibus et magistratibus, non tamen legimus eos a sua propria et imperiali potestate exemisse. Nunquam enim id declararunt, quod tamen in tam speciali privilegio necessarium videbatur. Et factis oppositum ostendebant, ut dixi. Ipseque allegat modernum factum Caroli V, qui Hermannum, Archiepiscopum Coloniensem, in jus ad se vocari jussit, ut de criminibus sibi objectis se purgaret. Possetque allegare difficilia verba Justiniani, in Auth. «Nullus Episcopus,» C. de Episc. et cleric., quæ sic habent: «Nullus Episcopus invitus ad civilem, vel militarem judicem in qualibet causa producatur, vel exhibeatur, nisi princeps jubeat.» Ubi constat concedi exemptionem ab inferioribus, non ab ipso principe. Et idem sumi potest ex Auth. «Sed hodie,» eodem tit., ibi, «Nisi cum ex jussione principis ad alias provincias vocantur.»

3. *Ratio pro parte affirmante.*—In contrarium vero est, primo, quia hoc repugnat multis Conciliis, asserentibus hanc immunitatem esse antiquissimam, et a principio christianitatis observatam. Quod etiam ratio suadet, quia videtur incredibile, Ecclesiam tanto tempore caruisse usu et observantia immunitatis, ad bonum religionis et decentiam Ecclesiastici status prorsus necessaria. Præsertim cum ex divino jure proprie et immediate sit, vel saltem adeo illi propinqua, ut sine illa non possit conservari. Secundo, quia inde sequeretur etiam nunc non gaudere clericos integra exemptione, quia saltem erunt subjecti jurisdictioni imperatoris, regum, et quorumcumque supremorum principum, quia nec Fredericus II aliter in hanc exemptionem consensit, quam sui prædecessores, sed quod ipsi fecerant, «instauravit, innovavit et servari mandavit,» neque etiam alii imperatores vel reges post Fredericum magis se sua jurisdictione abdicarunt; consequens autem intolerabilis error est, quamvis Barclaius illud insolenter admittat.

4. *Ad resolutionem duo tempora distinguuntur.* — In hoc puncto breviter duo tempora distinguenda sunt: unum est, a principio Ecclesiæ usque ad Constantinum, quando principes

temporales ethnici erant; aliud est a Constantino usque ad Fredericum II; omittimus autem tertium tempus a Frederico usque ad nostra tempora, quia de his quadringentis annis nullus dubitat, quin Ecclesia Catholica plene ac integre hoc privilegium servaverit, juxta sacrorum canonum dispositionem, sine contradictione alicujus principis christiani, qui hæreticus vel schismaticus habitus non fuerit. Præterea circa duo prima tempora præmittenda est alia distinctio supra data, de jure utendi hoc privilegio, et de facto seu de ipso usu cum effectu; sæpe enim privilegiatus suo privilegio non utitur, licet jure possit, quia de facto non valet. Hæc autem impotentia facti esse potest, vel in singulis privatis personis ecclesiasticis, si ad sæcularia judicia ire cogantur, vel in Summo Pontifice, si cum effectu vel fructu non possit sæculari potestati hanc vim inferenti resistere.

5. *Prima conclusio.*— De primo ergo tempore, dicendum est hoc privilegium non potuisse ab Ecclesia plene observari seu vindicari, non ex defectu juris, sed ex defectu potentiæ facti, seu executiva (ut sic dicam). Hæc assertio in superioribus insinuata est, et quoad priorem partem de jure sufficienter probata est, quia hoc privilegium et immediate est jure divino concessum, et licet non esset, data est Ecclesiæ potestas et imposita obligatio inducendi illud. Est autem notanda differentia inter hos duos modos, quibus hoc privilegium potuit esse de jure divino, quia juxta illos distingui etiam poterit duplex modus habendi jus circa hoc privilegium. Nam priori modo erit jus illud in re respectu omnium et singulorum clericorum; posteriori autem modo erit tantum jus ad rem. Si enim privilegium priori modo est a Christo concessum, omnes clerici in quocumque tempore fuerunt actu exempti a jurisdictione principum ethnicorum, et hoc vocamus jus in re, et consequenter principes etiam fuerunt privati jurisdictione in clericos, quia hæc duo connexa sunt. Ex quo etiam sequitur potuisse illo tempore clericos in conscientia non parere legibus vel sententiis princi-

pum, vel judicum ethnicorum; et si ab eis cogerentur, vim vi repellere, si viribus valerent, quia si infideles jurisdictionem non habebant in ipsos, injuriam ab eis patiebantur clerici, et in conscientia non tenebantur illam sustinere, nisi fortasse propter vitandum scandalum, vel aliam similem extrinsecam rationem.

6. At vero si privilegium tantum posteriori modo, id est, per Pontifices, in vi potestatis ac præcepti juris divini, est concessum, sic solum habuerunt clerici in illo primo tempore jus quoddam ad illud privilegium, non tamen jus in illo, quia non fuerunt actu exempti, donec Ecclesia illud instituit et actu concessit. Et consequenter principes infideles eo tempore non fuerunt privati jurisdictione sua, quam habebant in personas clericorum, quia non legimus Ecclesiam eo tempore usam esse potestate, seu jure quod habebat ad eximendos clericos, seu privandos principes jurisdictione in ipsos. Unde ulterius fit, obligatos fuisse clericos eo tempore in conscientia parere legibus et sententiis magistratuum, etiam ethnicorum, quia ex vera jurisdictione procedebant. Et eadem ratione tenebantur subesse vi coactivæ illorum, si alioqui juste illa uterentur.

7. *In usu privilegii fori prudenter semper se gessit Ecclesia.* — Inter hos autem duos modos explicandi hoc jus, licet prior sit probabilior, tamen in utroque optime declaratur, morem, quem in usu talis privilegii Ecclesia servavit, semper fuisse rationi ac prudenti gubernationi Ecclesiæ consentaneum. Nam, licet Pontifices eo tempore haberent potestatem et præceptum eximendi clericos omnino a jurisdictione sæcularium principum, nihilominus prudenter se gerebant, non utendo illa potestate, quia Ecclesiæ non expediebat, quia sine fructu, et cum scandalo, et impedimento fidei id agere tentarent, ideoque jus divinum non transgrediebantur, quia præceptum illud affirmativum erat, cujus natura est non obligare pro semper, et ita pro illo tempore non obligavit. Et similiter, licet privilegium fori fuerit priori modo immediate a Christo concessum, proba-

bilissime et prudentissime explicatur, datum esse cum tali dependentia ab Ecclesiæ pastore et gubernatore, ut sine illius consensu et determinatione non liceat singulis privatis personis illo privilegio suo arbitrio uti. Nam hæc dependentia negari non potest, ut jam dixi, tum quia ipso usu et experientia probatur; tum etiam quia erat valde necessaria ad pacem et bonum Ecclesiæ regimen. Unde fit absolute dicendum esse, non potuisse clericos eo tempore in conscientia resistere jurisdictioni principum sæcularium, quia Ecclesia nihil in hoc declaraverat aut statuerat, et alioqui illi principes suo jure bona fide existimato utebantur, licet alioqui infideles essent. Et hic modus explicandi hoc jus est consentaneus Paulo, ad Rom., 13, et sententiis Patrum, præsertim Chrysostomi, et Græcorum illum exponentium.

8. *Principes ethnici nunquam habuerunt veram jurisdictionem in clericos.*—Ex quibus colligere licet, an dicendum sit clericos illo tempore fuisse exemptos jure, licet facto non essent, et (quod perinde est) fuisse subjectos jurisdictioni principum facto, non jure, ac subinde usurpato judicio, non vero; vel potius aliquo modo fuerint vere et jure subjecti. Dicendum enim censeo, clericos ex parte sua jure fuisse exemptos, quia jure divino hoc potiebantur privilegio, ut dictum est. Et consequenter sæculares principes ethnicos non habuisse jurisdictionem propriam in illos; per ignorantiam vero a formali tyrannide excusari potuisse. Et nihilominus ad vitanda majora mala, et ne per ignorantiam daretur bellum justum ex utraque parte, permisisse tunc pastores Ecclesiæ, ut ecclesiasticæ personæ regibus, et magistratibus temporalibus parerent; voluerintque illos haberi ut legitimos judices et superiores in rebus temporalibus et honestis; quia minus malum erat illos tolerare, et quasi eis committere vices suas, quam vel statum ecclesiasticum perturbare, vel clericos sine legitimis judicibus in ipso usu relinquere. Hoc ergo modo, non obstante immunitate jure divino concessa clericis, potuerunt illo tempore judicari a laicis, non proprie usur-

pato judicio, sed vero, si alioqui causa erat temporalis, et legitime tractabatur.

9. *Clerici inter fideles semper privilegio fori gavisi fuerunt.* — Addendum vero ulterius est, habuisse clericos illo tempore aliquo modo usum hujus privilegii intra ipsam Ecclesiam respectu aliorum fidelium, ita etiam disponente Ecclesia, quantum status illius temporis permittebat. Probatur et declaratur in hunc modum, quia semper Ecclesia prohibuit fidelibus ne clericos ad laicos judices deferrent, sed ad ecclesiasticum forum. Quam legem invenimus, non solum a multis Conciliis post tempora christianorum principum coactis, et supra, in fine capitis 3, allegatis, sed etiam a nonnullis Pontificibus antiquioribus latam, præsertim ad Alexandro, Caio et Marcellino, in suis epistolis decretalibus, quas in eodem loco citavi. Quamvis enim eo tempore infideles principes suam exercerent jurisdictionem, et ideo eorum magistratus possent esse veri judices in causis clericorum modo declarato, clericusque accusatus vel citatus coram judice laico infideli teneretur comparere ad jussionem talis judicis, nihilominus potuit Ecclesia episcopale forum erigere, in quo causæ clericorum, quantum fieri poterat ex parte Ecclesiæ, tractarentur. Nam ad hoc semper habuit et potestatem a Christo datam, et illam exequendi opportunitatem. Ideoque a tempore Apostolorum usum etiam ejus habuit, ut aperte sumitur ex illo primæ ad Timot., 5: «Adversus presbyterum accusationem non recipias, nisi sub duobus vel tribus testibus»; quæ verba supponunt jam tunc fuisse episcopale tribunal pro clericorum causis dijudicandis erectum.

10. *Sententia Patrum, de senioribus locum Pauli intelligentium, traditæ resolutioni non adversatur.* — Estque attente considerandum, Paulum non loqui de solis causis ecclesiasticis, sed de querelis contra clericos in causis criminalibus; nam in illis fit propria accusatio; et cum Paulus indefinite et simpliciter loquatur, non est restringenda illius sententia ad crimina ecclesiastica; de quocumque ergo crimine poterat et debebat

tunc presbyter accusari in tribunali ecclesiastico. Nec refert quod Chrysostomus, Theophylact., et Græci nomen presbyteri, non ad dignitatem sacerdotii, sed ad ætatem senectutis accommodant; non, inquam, hoc obstat, tum quia etiam in illo sensu probatur ex illo loco tribunal ecclesiasticum pro causis fidelium, et majori ratione pro causis clericorum; non enim esse poterant pejoris conditionis, si alii admittebantur, quod nunc non examinamus, quia ad causam præsentem parum refert. Tum etiam quia probabilior est expositio Ambrosii, si ejus sunt commentarii, et Hieronymi, cum eadem correctione; Anselmi, D. Thomæ, et Latinorum, qui de sacerdotibus locum illum interpretantur. Nam de illis loquebatur Paulus in verbis proxime præcedentibus, dicens: «Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina», et statim subjungit: «Adversus presbyterum noli accusationem recipere», etc. Eratque major ratio erigendi tribunal ecclesiasticum pro clericis, quam pro aliis senioribus laicis fidelibus, quia specialiori ratione sunt clerici sub cura et regimine Prælatorum, quam communis plebs fidelium, eo quod specialius sunt ad ecclesiastica ministeria destinati, ut dictum est. Atque hoc modo fuit ab initio in Ecclesia aliqua distinctio fori ecclesiastici a civili, non solum pro causis ecclesiasticis, sed etiam pro aliis, et pro criminibus saltem clericorum, ut supra etiam notatum est.

11. *Ecclesia semper potuit cogere fideles ad exemptionem clericorum servandam.*—Hac ergo distinctione supposita, optime potuit Ecclesia illo tempore prohibere ne clerici accusarentur vel deferrentur ad tribunalia laicorum per alios clericos, vel fideles. Quamvis enim hoc prohibere non potuerit infidelibus, inter quos fideles tunc vivebant, quia neque erant subditi Ecclesiæ, neque illos cogere valebat, et ita poterant movere litem, vel accusationem contra clericum coram suo judice, quem solum ut legitimum recognoscebant, nihilominus fidelibus subditis potuit Ecclesia præcipere, ut si presbyterum accusare vellent,

id facerent in tribunali ecclesiastico, quia ita erat valde conveniens ac necessarium ad servandum divinum jus, et ad honorem christianæ religionis, et decentiam ecclesiastici status, quam in omni tempore, quantum illius conditio, et status patiebatur, Ecclesiæ Prælati procurare debuerunt.

12. Prohibitio autem illa erat justa illo tempore, quia, licet principes sæculares suam exercerent jurisdictionem, fideles eorum subditi non tenebantur aliquo jure ad movendam accusationem vel litem coram ipsis, sed poterant quocumque alio honesto modo suas controversias vel lites componere; ergo licite ac prudenter potuit Ecclesia prævenire, ac præcipere fidelibus ut adversus clericum in ecclesiastico judicio agerent, non in sæculari, et consequenter potuit etiam graviter punire per ecclesiasticas censuras transgressores hujus præcepti. Eo vel maxime quod, licet per hoc præceptum aliquo modo subtraherentur hujusmodi causæ judicibus laicis, eorumque jurisdictio ex parte impediretur, vel tolleretur, id totum licebat, non solum ex vi divini privilegii, sed etiam quia indirecte saltem cadebat sub potestatem spiritualem Ecclesiæ, propter bonum religionis et supernaturalem finem, et usus talis potestatis exerceri tunc potuit sine scandalo infidelium, aut impedimento vel perturbatione fidei. Merito ergo Ecclesia sicut de jure potuit, ita de facto prohibuit, ne clerici ad tribunalia sæcularia deferrentur. Quod Alexander Papa confirmat, quia si Paulus Christianorum causas ad ecclesias deferri et ibidem terminari præcepit (1 ad Corint., 6), etiam potuerunt Pontifices præcipere, ut sacerdotes coram solis Episcopis accusarentur, quo argumento usum etiam est Concilium Carthaginense III, c. 9; et de illo videri potest divus Thomas super locum Pauli.

13. Sic igitur cœpit Ecclesia illo tempore, eo modo quo potuit, clericos a sæcularium judicio eripere, eodemque modo cœpit eorum immunitatem tueri, non quidem plene, et omni ex parte, quia tunc non erat opportunum, sed, ut dixi, quantum fieri poterat ex parte fidelium. Unde merito potest illa prohibitio

quoddam privilegium fori clericorum appellari, sicut prohibitio sub speciali censura, ne quis in clericum violentas manus injicere audeat, est magnum privilegium clericorum, quod canonis appellatur. Sicut enim hæc prohibitio canonis facta est in gratiam status ecclesiastici, ita etiam illa antiqua posita fuit, ut clerici, tanquam res sacræ et religiosæ, judicio etiam quodammodo sacro, quoad fieri posset, reservarentur. Auctumque fuit hoc privilegium illo tempore per aliam ecclesiasticam legem, qua concessum est clericis, ne possent a laicis, sed tantum a clericis accusari; vel e converso prohibitum erat laicis, ne clericos accusare auderent, de qua prohibitione multa decreta refert Gratianus 2, q. 7, ex quibus antiquiora sunt Evaristi, in epist. 2; Fabiani, epist. 1 et 2; Eusebii, epist. 1 et 2; hæc tamem prohibitio postea magis declarata vel limitata est, ut in tota illa quæstione videri potest. Et hæc de illo primo tempore sufficiunt.

14. *Secunda conclusio : cum imperatoribus christianis exemptione gaudere clerici cœperunt. — Probatur.* — De secundo tempore, dicendum est fere ab initio imperatorum christianorum clericos fuisse exemptos a foro sæculari, tum jure proprio, et in re obtento per privilegium actu concessum; tum etiam facto, nisi quando per injuriam, vel tyrannidem impediebantur seu cogebantur. Hæc assertio ex dictis in capite præcedenti facile probari potest. Et prima quidem pars nota est, quia hoc privilegium ab ipso Christo immediate collatum est. Imo, quamvis esset necessaria applicatio aliqua per Pontificem, probari posset in hunc modum. Nam Ecclesia, seu Pontifices semper, quantum in ipsis fuit, voluerunt immunitatem hanc clericorum conservare, quia ad hoc ex lege divina tenentur, et quia ad bonum religionis est maxime conveniens; in tempore autem ethnicorum principum propter incapacitatem illorum hoc perficere non tentarunt; ergo, eo ipso quod christiani principes huic immunitati faciles se præbuerunt, Pontifices usum illius introduxerunt, ac perfecte statuerunt. Ostendimus autem Cons-

tantinum, factum Christianum, immunitatem hanc vel recognovisse et admisisse, vel, si opus erat donasse ; ergo statim etiam Pastores Ecclesiæ et donationem acceptarunt, et si quid amplius ex parte sua necessarium erat, addiderunt ; ergo ex tunc cœperunt clerici habere non solum jus ad immunitatem, sed etiam privilegium ipsum, et usum ejus actu concessum.

15. Unde facile persuadetur secunda pars assertionis, quia ut observantia hujus privilegii non solum jure, sed etiam facto introduceretur, solus consensus et auctoritas christianorum principum desiderabatur; sed Constantinus, ut diximus, statim præbuit consensum, et ut excutioni mandaretur, auctoritate sua statuit; ergo nihil obstare potuit quominus hæc immunitas facto et usu executioni mandaretur. Idemque credendum est de aliis, qui Constantino simul cum imperio in fide et pietate successerunt, paucis exceptis, qui vel per ignorantiam, vel per ambitionem aliquid contra hanc immunitatem attentarunt. Quod satis confirmant cætera, quæ de aliis imperatoribus usque ad Fredericum adduximus. Et in dicto titulo de Episcopis et clericis, inveniuntur multæ leges imperatorum, in quibus reprehenduntur magistratus civiles aliquid agentes contra hanc clericorum immunitatem; et si quæ contrariæ consuetudines paulatim erant introductæ, reprobantur ac retractantur; ergo signum est ordinarie et justis judicibus servatam esse exemptionem etiam facto. Unde imperator Fredericus, qui clarius et generalius hoc confirmavit, non quasi rem novam illam decernit, sed ut jam stabilitam «per imperiales et canonicas sanctiones;» ideoque in citata lege statuit, ut nullus præsumat, clericum ad sæculare judicium adducere, «contra imperiales» (inquit) «et canonicas sanctiones;» ergo jam ante illud factum erat præsumptuosum et iniquum, ac subinde contrarium erat legitimum, et illo tempore debitum.

16. Et hinc aperte sequitur ultima assertionis pars. Nam quod ad usum attinet, negare non possumus, in discursu illorum temporum multa esse facta et tentata contra hanc immu-

nitatem non solum ab inferioribus magistratibus, sed etiam ab ipsis imperatoribus; inde vero non licet inferre, facta illa aut valida aut licita fuisse, nam sæculares judices sunt clericis infesti, ut de laicis dicitur in c. «Laici,» cum similibus, 2, q. 7, semperque suam jurisdictionem amplificare student, vel humana ambitione propria, vel affectu placendi temporalibus principibus; vel interdum quidem ex zelo justitiæ, non tamen secundum scientiam. Quidquid ergo eo tempore contra immunitatem fiebat a quocumque magistratu vel principe christiano, non minus erat iniquum et tyrannicum, quam quod posterioribus temporibus usque ad hodiernum diem factum est, vel fit. Quia post concessum et firmatum privilegium exemptionis, quidquid contra illud fit, est opus usurpatæ jurisdictionis ac potestatis, ac subinde injustum et tyrannicum. Atque in hoc ordine ponenda est quælibet privilegii prius concessi retractatio, per sæcularem potestatem etiam imperatoriam facta, quia non potest Imperator auferre quod Christus donavit, sive immediate per se ipsum, sive per Vicarium suum. Neque refert quod privilegium non fuerit datum sine consensu imperatoris, quia non fuit ille consensus causa propria et per se talis privilegii, imo nec conditio ad illius valorem simpliciter necessaria, sed tantum ad usum fuit ex benigna et prudenti Ecclesiæ providentia expectata, ideoque retractatio illius consensus postea subsecuta privilegium auferre aut immutare non poterat. Imo, licet hoc privilegium fuisset principaliter ab imperatoribus datum, ab eisdem postea revocari non potuisset, ut infra latius ostendam.

17. Quapropter, non obstante revocatione a Valentiniano vel quolibet alio facta, locum semper et veritatem habuit hæc pars assertionis, quod omnia, quæ in illo tempore postea fiebant, iniqua erant et tyrannica, quia semper subsistebat privilegium, cui erant contraria, et quia, cum ipsa revocatio per tyrannidem facta esset, quidquid in virtute illius fiebat, eamdem iniquitatem participabat. Loquor autem semper de ipso opere secundum se spectato, non de personis quæ forte per ig-

norantiam interdum excusari potuerunt. Nam certe imperatores illo tempore non videntur propriam originem et excellentiam hujus privilegii cognovisse, ideo enim ita de illo loquuntur, ac si esset proprium ipsorum imperatorum donum, ab eorum nimirum arbitrio pendens, atque ita aliqui eorum per ignorantiam humanam, et absque hæresi, cogitare potuerunt se posse privilegium semel datum auferre. Sed quidquid de eorum culpa vel excusatione sit, factum ipsum, in se spectatum, et injustum et nullius valoris vel efficacitatis fuit. Et ideo Patres Concilii Andegavensis, qui post revocationem a Valentiniano III factam in Gallia congregati fuerunt, nulla ratione legis Valentinianæ habita, pro defensione immunitatis statuerunt ut clericis contra Episcopale judicium resilire non liceat, neque inconsultis sacerdotibus sæcularium judicia expetere, ut refert Baron., ann. 453, n. 53; illud enim Concilium in tomis Conciliorum non habetur. Et Concilium Chalcedonense, quod proxime post Valentinianum III celebratum fuit, c. 9, similiter distinctionem fori servandam a Clericis præcepit. Et licet hæc Concilia solis sacerdotibus, ne ad judices sæculares accedant, præcipere videantur, tamen Concilium Matisconense I, post 130 annos celebratum, c. 6, etiam judices ab Ecclesiæ liminibus arcendos disponit, qui clericos judicare præsumpserint. Ex quibus satis intelligitur, revocationem illam nullius valoris, vel momenti ab Ecclesiæ Patribus reputatam esse. Quod postea etiam imperatores melius intellexerunt, et ideo ad pristinum statum immunitatem ecclesiasticam restituerunt.

18. *Solvuntur rationes dubitandi in primo dubio positæ.*—Ad primam ergo difficultatem in principio positam facilis est responsio; dicimus enim semper Ecclesiam usam fuisse ecclesiastico foro pro suis clericis, non tamen semper potuisse æqualiter illos eximere a sæculari, quia tempore infidelium imperatorum, ut dixi, respectu illorum immunitatem non exercuit; quod licet sine incommodo fieri non potuerit, patienter sustinendum fuit, quia vel sine majori incommodo vitari non poterat, vel certe

quia simpliciter et cum effectu executioni mandari non poterat. Post tempora vero christianorum imperatorum semper Ecclesia retinuit integrum privilegium suum; expectavit autem in principio, ad usum ejus, consensum christiani imperatoris, ut res suavius et efficacius fieret ad imitationem divinæ sapientiæ et prudentiæ. Et ob eamdem causam Pontifices in suis decretis legum civilium consensum allegant. Et ob eamdem rationem, licet alioqui imperatores in illis antiquis temporibus tergiver- entur, et aliquid contra hanc immunitatem agerent, non sta- a Pontificibus damnabantur aut puniebantur, quia nondum is illis erat notum et explicatum jus et fundamentum exemp- nis, nec fortasse tunc erant illius capaces, et ideo non pote- t sine majori detrimento violenter cogi, sed magis opportu- num Patres judicarunt interdum aliquid dissimulare, et paulatim veritatem docere, usumque immunitatis introducere. Nunquam vero Episcopi vel Pontifices in causis ecclesiasticis, vel clericorum, judicium sæculare ab imperatoribus postularunt, nisi fortasse hæretici aut schismatici; Catholici autem solum ad judicium legitimum et ecclesiasticum sine impedimento obtinendum auctoritatem principum interponebant. Quod paucis verbis recte explicatur in Concilio Milevitano, cap. 19: «Placuit, ut quicumque ab imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur. Si autem episcopale judicium ab imperatore postulaverit, nihil ei obsit» (1). Et idem declaratum est in Concilio Carthaginensi III, c. 38, et habetur in cap. «Petimus,» 11, q. 1, et simile ibidem habetur in capite sequenti, et sumitur ex cap. «Christianis,» 11, q. 1, quod est Gelasii Papæ, scribentis ad quemdam comitem, ut quosdam clericos a violentia cujusdam principis sæcularis tueretur: «Sublimitatis» (inquit) «tuæ tuitione vallentur.» De qua re videri etiam potest epist. 68 Augustini.

(1) Cap. «Placuit,» 11, q. 1.

19. *Satisfit rationibus in dubio secundo positis.*—Ad alteram difficultatem quam Barclaius movit, respondetur, licet fortasse aliqui imperatores ita per ignorantiam vel errorem hoc privilegium intellexerint, ut per illud a sua suprema potestate clericos non eximi existimaverint, nihilominus ipsos deceptos esse, quia Ecclesia aliter exemptionem hanc introduxit aut declaravit. Nam in d. c. «Placuit» proxime citato, expresse dixit Concilium Milevitanum, «etiam ab imperatore» non posse peti clericorum judicium, et in d. c. «Christianis,» Gelasius Papa, [illegible] immunitatem Ecclesiæ esse censet, «per auctoritatem re[illegible] contra clericum procedere; et Gregorius Papa, lib. 4, ep[illegible] alias c. 75, ad Mauritium imperatorem scribit, ne «terren[illegible] testate ita dominetur clericis, ut debitam reverentiam eis non impendat (1). Ubi tacite eum reprehendit, quoniam tunc tyrannice in sacerdotes imperare studebat, ut ipse Gregorius deplorat, in Psal. 4 Pœnitentiæ (ut supra retuli), moderate autem ad illum loquitur, ne fortasse ad majorem sævitiam provocaretur. Non omisit tamen illi proponere exemplum Constantini, qui Episcopis inter se dissidentibus respondit: «Ite, et inter vos causas discutite, quia dignum non est ut judicemus Deos» (2). Præterea in multis aliis decretis absolute dicitur, laicos non habere jurisdictionem ullam in clericos, ut expresse dicitur in Concilio Constantiensi, sess. 31; et Concilio Lateranensi, sub Leone X, sess. 9, et aliis quæ supra retulimus; manifestum autem est laicorum nomine etiam imperatores comprehendi, nam cum non sint clerici, laici profecto sunt.

20. *Evasio quædam præcluditur.*—Denique ipsi etiam imperatores, licet de se ipsis in speciali non loquantur, sæpe tamen loquuntur generaliter, et cum tanta declaratione, ut satis eumdem sensum significent. Constantinus enim, in dicta l. 7 Codicis Theodosiani, de Episc. et Cleric., statuit ut clerici, in

(1) Cap. «Sacerdotibus,» 11, q. 1.

(2) Vide Rebuffium, lib. 10 hist., c. 2.

Occidente sicut in Oriente, «immunitate plenissima potiantur;» et Theodosius, in l. ult. ejusdem tituli confirmans hoc privilegium, dicit causas clericorum reservari «episcopali audientiæ;» eximuntur ergo ab omni laicali, etiam imperiali. Neque potest dici hoc solum intelligi in prima instantia, per modum vero appellationis semper licuisse ad imperatorem provocare; hoc enim et gratis dicitur, et falsum esse probatur. Tum quia ab Episcopis nunquam fuit in Ecclesia appellatum ad imperatorem, sed vel ad Metropolitanos, aut Patriarchas; vel tandem ad Summum Pontificem, ut expresse in Conc. Chalcedonensi, c. 9, traditum est. A Summo autem Pontifice nunquam licuit ad aliud tribunal, sive ecclesiasticum, sive laicum, appellare, ut dixit Gelasius Papa ad Episcopos Dardaniæ, et ad Faustum, et Concilium Sardicense, canon. 4 et 7, et tradunt multa alia decreta Pontificum et Conciliorum, quæ superiori libro ad probandam supremam Pontificis auctoritatem retulimus. Igitur causæ clericorum, eo ipso quod reservatæ sunt Episcopis, intra forum ecclesiasticum terminandæ sunt, ac subinde extra totum forum laicum, usque ad ipsum imperatoris tribunal, constitutæ sunt. Et certe ratio, quam illa lex ultima reddit, hoc satis confirmat: «Fas enim» (inquit) «non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio;» nam profecto potestas imperatoria temporalis etiam est; ergo etiam illa sub indefinita voce, quæ universali æquivalet, comprehenditur. Ac denique eodem modo, indefinita et generali locutione idem privilegium concessit Fredericus II, illudque Honorius III confirmavit.

21. *Ad facta Caroli V.*—Ad facta vero imperatorum, quæ in contrarium allegantur vel allegari possunt, generatim respondemus, fortasse multa illorum non fuisse exercendo actum jurisdictionis, sed intercessionis, vel auxilii, quod solet brachium sæculare ecclesiastico tribuere, ut in superioribus de Constantino et aliis diximus. Vel certe interdum excusari possunt, quia non propria auctoritate, sed petentibus ipsis Prælatis, et quasi arbitri inter illos judicabant, vel potius dissidia componebant;

denique si aliqua ex his vel aliis rationibus excusari non possunt, respondendum est, excessisse jurisdictionem usurpando, ut de Mauritio dixit Gregorius paulo antea citatus, et de Valentiniano III jam diximus, et late ostendit Baronius, ann. 452 et 453. Ad novissimum autem exemplum Caroli V, quem scimus fuisse insignem ecclesiasticæ libertatis protectorem et observatorem, respondemus, Carolum potuisse ad se vocare Hermannum Archiepiscopum, non ut Archiepiscopum, sed ut principem imperii. Item potuisse vocare non ut judicem, sed ut protectorem cleri, et Academiæ Coloniensis. Nam Surius, qui factum illud refert anno 1545, in Commentario, simul dicit: «Hujus anni mense Junio Cæsar clerum, et Academiam Coloniensem in suum patrocinium recepit.» Ut ergo afflictis patrocinaretur, potuit vocare Episcopum, ut veritatem agnosceret, et Eclesiæ nocumenta vitaret, donec Papa causam ad se traheret; quod paulo post fecit, in sequenti mense Julio Hermannum citando, quem postea etiam Pontifex deposuit, cooperante Carolo, ut idem auctor, in initio ann. 1547, refert. Denique ad verba Justiniani in illis authenticis nihil invenio a Glossis vel jurisperitis dictum: mihi autem videtur excessisse in his legibus circa res eclesiasticas condendis, et non satis perspectam habuisse vim et originem ecclesiasticæ immunitatis, et ideo multa per errorem, et sine legitima potestate circa illam disposuisse, ut jam supra tactum est, et in sequentibus iterum atque iterum occurret.

CAPUT XIV

Qualis sit clericorum exemptio in causis civilibus

1. *Causa formalis privilegii fori.—Materia privilegii fori duplex.*—Hactenus solum ostendimus immunitatem clericorum ipsis convenire, seu privilegium fori illis esse concessum, si-

mulque originem hujus privilegii explicavimus, et rationem ejus reddendo, efficientem et finalem causam ejusdem privilegii declaravimus; consequenter igitur sequitur, ut quid sit hoc privilegium explicemus, quod fieri non potest nisi inquirendo quid per hujusmodi privilegium conferatur; nam tota ratio et essentia cujuscumque privilegii in jure, seu potestate quæ per illud datur, secundum suam generalem rationem consistit; speciem autem sumit ex materia in qua vel circa quam versatur. Atque ita etiam fiet, ut quidquid de causa veluti materiali hujus privilegii desiderari potest, simul explicetur. Nam de formali quidem nihil est quod dicamus, quia ipsa libertas seu inmunitas est quasi moralis et interna forma, in qua privilegium ipsum consistit; forma autem externa non est nisi concessio ipsa, quæ per verba Scripturæ aut canonum fit, quæ verba, in his quæ hactenus diximus, et in discursu totius libri, sæpius tractantur et expenduntur. Ex materia igitur, immunitatis illius cognitio maxime pendet; hæc autem materia in duo membra distingui potest: in uno continentur res, actiones, vel passiones; aut munera, aliaque similia, a quibus datur exemptio; sub alio, personæ quibus hæc exemptio datur, comprehenduntur. De his igitur sigillatim dicendum est, atque ita non solum essentiam et causas, sed simul etiam effectus hujus privilegii explicabimus.

2. *Prima conclusio: clerici in causis civilibus a judicio sæculari exepmti sunt.—Probatur.*—Prima ergo, et (ut sic dicam) antiquissima materia hujus privilegii est forum civile, seu tribunal sæculare, in quo temporales lites ad externa bona fortunæ pertinentes tractantur. Certum ergo est, clericos exemptos esse a sæculari foro in causis civilibus. Probatur primo ex jure canonico, c. 2, de Foro compet., ubi in generali sermo est; sicut etiam 11, q 1, c. 1 et 3, cum multis aliis, similiter indefinite præcipitur ut clerici ad sæcularia judicia non pertrahantur; et in cap. «Nullus clericus,» additur distributio: «Omne negotium clericorum in Episcopi sui,» etc.; et in cap. «Nullus Episcopus,»

in specie dicitur: «Neque pro civili causa;» et in cap. «Placuit: Quicumque ab imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit;» et in cap. «Placuit,» 2, ibi: «Vel civilis causa fuerit commota,» et similia multa in ea quæstione leguntur. Et in cap. «Sæculares,» de Foro competent., in sexto, dicitur, censura ecclesiastica esse compescendos judices sæculares, qui personas ecclesiasticas ad solvenda debita, audita et judicata causa compellere præsumunt, quæ causa sine dubio civilis est.

3. *Ratione idem suadetur.*—Idem præterea certum et constans est in jure civili antiquorum imperatorum, qui de toto foro indefinite loquuntur. Et licet imperator Leo cum sociis, in Leg. «Omnes,» Codice de Episcopis et clericis, in certis casibus, et cum quibusdam conditionibus concesserit, ut clerici conveniri possent in foro sæculari, etiam in civilibus causis, postea hoc revocatum est, tum per Justinianum, qui de causis civilibus absolute locutus est in Auth. «Ut clerici apud proprios Episcopos,» etc., collat. 6, alias novella 83, tum maxime per Fridericum, qui in sua constitutione de utrisque causis, civilibus et criminalibus, in specie locutus est. Et notavit Gloss., in Auth. «Statuimus,» verb. «Vel civili,» C. de Episc. et Cleric. Et ita hæc pars indubitata est inter catholicos Doctores. Ratio vero seu congruentia est, quia in hac materia eadem vel major necessitas hujus exemptionis est, quæ in quavis alia invenitur, tum quia lites civiles frequentiores esse solent; tum etiam quia majus erat periculum, ne circa hæc temporalia sæculares judices minus favorabiles clericis essent, vel saltem in exhibenda illis justitia in judicio essent remissi, ut dicitur in c. «Cum sit generale,» de Foro comp.

4. *Prædicta exemptione solum quando sunt rei gaudent clerici.*—Huic vero regulæ addenda est declaratio, nimirum, clericos esse exemptos in causis civilibus, quando sunt rei, seu ad litem provocati; nam si sint actores, sequi debent forum rei, ut statuit Pelagius Papa relatus in c. «Experientia,» et c. «Si quisquam,» 11, allegans generalem regulam utriusque juris,

quod actor sequitur forum rei, cap. «Neminem», cum multis aliis, 3, q. 6, l. ult., C. «Ubi in rem actio, et in l. 2, et in l. 4, de Jurisdict. et ubi quis convenire debeat, in Codice Theodosiano. Unde regula hæc non solum procedit, quando clericus provocat clericum diversi episcopatus, seu distincti fori ecclesiastici, sed etiam quando clericus a laico postulat; tunc enim non potest uti privilegio fori, quia sequi debet forum rei.

3. *An Ecclesia potuerit privilegium fori absque limitatione concedere.—Prima ratio pro negativa parte.—Prima confirmatio.* —Ut autem hujus declarationis rationem reddamus, quæri potest an Ecclesia ita limitaverit hoc privilegium, quia non potuerit majus concedere vel solum quia noluit. Videtur enim illud prius asserendum, nam si Ecclesia potuisset clericos abstrahere a judiciis sæcularibus, etiam quando sunt actores litium civilium, profecto fecisset; nam eadem necessitas tunc intercedit, quia non minora nocumenta possunt clericis provenire ex communicatione cum laicis in sæcularibus judiciis, sive actores, sive rei existant, idemque periculum erit perdendi causas, et infestos habendi judices sæculares, juxta regulam c. 2, de Imm. eccl., in 6; ergo si Ecclesia id non fecit, ideo est quia non potuit. Et confirmatur, quia Pontifex non potest usurpare jurisdictionem laicorum, juxta c. «Novit.» de Judic., et alia supra tractata; sed si clericum etiam actorem eximeret a sæculari judicio, usurparet jurisdictionem laicorum; ergo non potest id facere. Probatur minor, primo, quia judices laici privarentur jurisdictione, quæ ad eos pertinebat. Secundo et melius, quia reus cogeretur comparere coram non suo judice, nimirum, ecclesiastico, et ita Ecclesia usurparet jurisdictionen in laicum.

6. *Secunda confirmatio.—Tertia confirmatio.*—In quo est notanda differentia inter actorem et reum: nam actor non coactus venit ad judicium, sed voluntarie movet illud, et ideo quando agit contra clericum, mirum non est quod ad judicem per se non suum, sed clerici ire compellatur, quia melioris conditionis esse debet is, qui cogitur, quam qui cogit; at vero quando lai-

cus est reus, cogitur comparere, et ideo compelli non potest, nisi coram directo suo judice, alias usurparetur jurisdictio in ipsum; ergo eadem ratione non potuit concedi clerico actori privilegium trahendi laicum ad suum forum, seu (quod idem est) extra forum illius. Et confirmatur ex Bart., in dict. l. 3, de jurisdict. omnium judic., ubi quærit, an possit fieri statutum, ut reus sequatur forum actoris, et respondet, pro subditis posse principem hujusmodi facere statuta, non autem posse statuere ut homo non suæ jurisdictionis teneatur sequi forum actoris, quia nemo potest statuere de his, quæ suæ jurisdictionis non sunt. Quæ decisio Bartoli, et ratio ejus, æque videtur in præsenti procedere, quia laicus in temporalibus Ecclesiæ jurisdictionem non subest. Potestque amplius confirmari, nam si fidelis litem civilem moveret contra infidelem Ecclesiæ non subditum, non posset Ecclesia cogere reum infidelem ad sequendum forum actoris fidelis; ergo idem erit in præsenti casu.

7. *Prima conclusio*: *Ecclesia potuit clericum etiam actorem eximere.*—Nihilominus dicendum est non deesse in Ecclesia potestatem ad eximendum clericum etiam actorem a foro sæculari, licet ex suavi providentia et prudenti gubernatione id non fecerit, propter quamdam naturalem æquitatem, cui consentaneum est ut is, qui impetitur, et invitus trahitur ad judicium, extra forum suum ire non cogatur, ne duplex incommodum sustineat. Nam propter hanc etiam æquitatem, «cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori,» ut habet regula 11 juris, in sexto. Prior pars assertionis sumi potest ex Glossa, in c. «Si clericus,» verb. «De consuetudine,» et in capite «Ex transmissa,» in principio, de Foro competent., quatenus dicit non solum posse Papam, sed etiam frequenter concedere rescripta et privilegia clericis, ut in quacumque causa, etiam agendo contra laicum, ad suum forum illum venire compellant; quam sententiam sequitur ibi Panormitan., et refert Archidiac. et Speculatorem. Hostiensis vero, in Summa, tit. de Foro compet., § «Quibus ex causis,» vers. «Ex præmissis,» di-

cit, in curia Romana indistincte clericum contra laicum impetrare hujusmodi favorem.

8. *Probatur assertio.*—Ex hac ergo consuetudine et sententia communi probatur assertio, quia privilegium favorabile, quod Papa potest concedere multis clericis ut singulis, potest etiam omnibus clericis in favorem totius communitatis et status clericalis concedere, si judicet expedire; sed sæpe concedit multis personis ecclesiasticis, ut etiam agendo sint exempti a foro sæculari; ergo potuit etiam idem concedere toti statui clericali. Major probatur primo, quia eadem est ratio totius et partis, quod ad potestatem attinet, si causa proportionata subsit. Secundo, quia illa consuetudo sufficienter ostendit, hujusmodi privilegium ex suo genere et forma non esse intrinsece malum, nec contra naturalem justitiam; ergo nec respectu totius cleri potest talis iniquitas probabili ratione ostendi; ergo non est cur tale privilegium excedat Pontificiam potestatem. Quæ ratio absolute probat assertionem, et ostendit consuetudinem illam concedendi talia privilegia personis aliquibus esse justam, et rationi consentaneam, quod magis respondendo ad argumenta comprobabitur. Accedit, quod cum ostensum sit privilegium hoc exemptionis esse immediate concessum jure divino, difficilius videtur ad explicandum, quomodo potuerit Ecclesia hanc limitationem facere, quam utrum possit illam non facere; quia stando in jure divino, privilegium absolutum omnino est, et sine limitatione concessum; ergo potuisset Ecclesia ita illud exequi, et plenum illius usum conservare. Quia vero, ut diximus sæpe, hoc privilegium ita fuit datum a Christo, ut dispositioni Pontificum quoad moderationem, extensionem, vel particularem mutationem commissum sit, ideo potuit Ecclesia prædicto modo illud moderari, et ex parte cedere juri suo, propter congruentes rationes, quæ solvendo argumenta magis explicabuntur, et altera pars assertionis confirmabitur.

9. *Solvuntur rationes in contrarium factæ.*—Ad primam ergo conjecturam respondemus negando consequentiam; non enim

omnia, quæ fieri possunt vel licent, expediunt. Unde, licet verum sit non deesse congruentias, ob quas posset Ecclesia hunc favorem concedere clero, nihilominus voluerunt Pontifices conformari legibus civilibus in hac regula, ut actor sequatur forum rei, ut dicitur in dicto cap. «Si quisquam,» 11, q. 1, tum quia hoc est valde consentaneum æquitati naturali, ut dixi; tum etiam quia hujusmodi actiones et motiones litium pro rebus temporalibus, ordinarie procedunt ex nimio affectu divitiarum, qui personas ecclesiasticas non decet, ideoque, regulariter loquendo, vitare debent clerici hujusmodi actiones, præsertim pro suis secularibus bonis, nisi evidens et gravis ratio cogat. Ne igitur Ecclesia hujusmodi lites fovere videretur, noluit clericos eximere agendo, sed tantum respondendo, quia tunc solum se defendunt, quod et justum et honestum est. Potuit etiam id facere Ecclesia, ne judicia ecclesiastica tot litibus laicorum gravarentur, et ne laicos etiam offenderet, et forensem jurisdictionem nimium affectare videretur. Ideoque quando privatæ exceptiones vel favores ab illa regula fiunt per specialia privilegia, non propter solas generales rationes decentiæ aut commodi clericalis status, sed adjunctis aliis specialibus, juxta varias occurrentes circumstantias, conceduntur.

10. *Ad Bartolum.*—Ad secundam confirmationem, et ad Bartoli doctrinam respondetur, posse in contrarium retorqueri: nam si princeps potest inter subditos statuere, vel privilegium dare, ut reus sequatur forum actoris, etiam Papa poterit idem privilegium dare clericis respectu aliorum fidelium, quia omnes sunt ejus subditi. Neque obstat quod fideles laici non sint directe subditi Papæ in temporalibus; nam satis est quod indirecte subdantur; nam, sicut spiritualis potestas sufficit ad disponendum circa temporalia, quando spiritualis ratio et finis id requirit, quod est indirecte disponere, ita eadem potestas sufficit ad concedendum illud privilegium inter directe subditos in spiritualibus, et indirecte in temporalibus. Quam ob causam, quando Papa concedit hujusmodi specialia privilegia, non usur-

pat jurisdictionem sæcularis judicis, sed potestate sua superiori illam alteri committit. Neque etiam reus cogitur comparare coram judice non suo, sed ab uno judice in alium causa transfertur per eum qui legitimam potestatem habet. Quod ergo in particularibus privilegiis dicimus, in generali etiam dicendum esset, si de absoluta potestate Pontificis concederetur. Unde ultimam ampliationem addo, potestatem hanc Pontificiam de se etiam extendi ad concedendum hoc privilegium respectu infidelium, si ad bonum fidei, et vitanda moralia pericula necessarium esset, ut in superioribus dictum est; usus tamen hujus potestatis in effectu non ita potest executioni mandari circa infideles, quia non possunt spiritualiter cogi sicut fideles, et ad cogendos illos corporaliter sæpe vires non suppetunt.

11. *An prædictum privilegium fori exceptionem admittat.—Prima exceptio ab aliquibus assignata.—Rejicitur prædicta exceptio.*—Interrogari autem potest, an prædicta regula, ejusve declaratio aliquam exceptionem patiatur. Ad quod breviter affirmando respondemus. Advertendum est autem exceptionem hanc assignari posse, vel ex parte personarum quibus hoc privilegium conceditur, vel ex parte causarum seu materiarum de quibus tractatur. Nunc ergo priorem modum excipiendi omittimus; nam infra agendum est de personis, ibique dicemus quænam simpliciter hoc privilegio gaudeant, quæ vero cum aliqua limitatione. In posteri ergo genere, prima exceptio ab aliquibus assignatur de causis realibus, id est, fundatis in re mere temporali, non interveniente actione aliqua personali ipsius clerici, in qua lis seu causa fundetur; quia tunc persona non est obligata, nec trahitur ad judicium, sed res, quæ mere temporalis est. Privilegium autem fori solum eximit personas clericorum, ne conveniri possint civiliter. Hæc autem exceptio vera non est, et multum derogat privilegio clericorum, et ideo communiter rejicitur, ut bene notavit Abbas. in c. «Qualiter,» de Judic., n. 8, et in c. «Ecclesia,» de Constitut., n. 22, et usu ipso satis improbatur. Ratio est, quia generalis regula jurium eximit

clericos, ne conveniri possint civiliter in judicio sæculari; at vero causa realis civilis est, nec potest tractari sine citatione personæ ad quam bona pertinent; ergo, si talis causa pertinet ad judicem laicum, etiam si dominus bonorum sit clericus, necessarium erit clericum ipsum conveniri civiliter coram judice sæculari; hæc autem est exceptio a regula, quæ nullo jure probatur, ergo admittenda non est. Præsertim quia est parum consentanea aliis juribus, ut in Panor. supra, Felin., et aliis videri potest.

12. *Secunda exceptio.*—Alia igitur exceptio vera et communis est de feudis, seu bonis feudalibus, nam in causis quæ ad hæc bona pertinent, licet clericus sit reus, et conveniatur a laico, coram domino feudi conveniri debet, etiamsi laicus sit, cujus ratio non est alia, nisi quia in favorem feudorum ita in jure dispositum est, c. «Ex transmissa,» et c. «Verum,» de Foro compet., ubi late expositores. Vel certe ratio etiam reddi potest, quia res, quæ in feudum dantur, a principio sub hoc onere vel conditione conferuntur, et ideo servanda est.

13. *Tertia exceptio.*—Unde alia est generalis exceptio, quæ sub his verbis interdum per leges civiles traditur, scilicet, ut clericus conveniendus sit in causa civili coram ecclesiastico judice, «nisi bona, super quibus lis movetur, regalia sint,» nam sub hac conditione data censetur. Idemque est, quoties bona a principio data fuerunt clericis vel Ecclesiæ, sub ea conditione, ut semper sub eodem foro maneant, sub quo tunc existebant. Nam talis conditio non est per se mala, et voluntarie potuit apponi, et ideo servanda est, juxta regulam communiter a jurisperitis receptam, quando aliqua bona dantur Ecclesiæ sub aliqua conditione, onere, aut pacto non illicito, servandum esse, quia servare pactum est de jure naturæ, cui jus canonicum non contradicit; imo expresse et in propria specie id confirmat c. «Verum,» de Condit. appsitis, ubi id notant Parnorm. et alii Doctores, Joan. Andr. et Hostiens, in c. «Verum,» de Foro comp.; Felin., in c. «Ecclesia S. Mariæ,» de Constit.; et

Ancharran., cons. 223. Præter has exceptiones solent addi aliæ, quas attigit Navarr., in cap. «Novit,» de Judiciis, notabil. 6, ex Stephano Aufrerio, decisi. 126 et 167; et ex Gullielmo Benedicto, in Repetition., c. «Rainutius,» de Testam.; illas tamen omitto, quia incertæ sunt, et quia materia hæc non tam ad Theologos, quam ad jurisperitos pertinet. Unde alias exceptiones late prosequitur Gregor. Lopez, in l. 57, tit. 6, partit. 1.

14. *Quarta exceptio.*—Circa declarationem autem assertionis notari possunt exceptiones aliæ. Una est, si bona, de quibus lis movetur, sint Ecclesiæ vel clerici, nam tunc clericus potest trahere laicum coram ecclesiastico judice. Ita tenet Panorm., in cap. «Ecclesia S. Mariæ,» n. 22, ubi dicit esse casum singularem, in c. «Si clericus laicum,» de Foro compet., ubi idem ipse docet, ita interpretans illum textum. Addit etiam ita servari in curia, ut refert (inquit) et sequitur Collector., in c. «Quaeliter,» et in c. «Clerici,» de Judiciis. In contrariam tamen sententiam inclinat Felin., in dicto c. «Si clericus laicum,» n. 4. Fundamentum ejus est, quia hoc non statuitur directe in dict. c. «Si clericus,» ut constat ex verbis ejus: «Si clericus laicum de rebus suis vel Ecclesiæ impetierit, et laicus res ipsas, non Ecclesiæ aut clerici, sed suas proprias asseverat, debet de rigore juris ad forensem judicem trahi.» In quibus verbis solum disponitur, quando laicus negat res esse Ecclesiæ vel clerici, non posse trahi ad judicium ecclesiasticum. Hinc autem non potest inferri, quando id non negat, posse trahi, nisi ad summum a contrario sensu. Quod argumentum non est efficax, quando talis sensus est contra alias generales regulas juris, prout est in præsenti, quod reus non est trahendus ad forum actoris, sed ad suum. Et hæc sententia mihi magis placet.

15. *Qui bona Ecclesiæ injuste rapit, coram judice ecclesiastico conveniri debet.—Objectio quædam refellitur.*—Potest autem notari aliqua differentia inter bona Ecclesiæ et bona clericorum. Nam si certo constet bona Ecclesiæ rapta esse, vel injuste ablata, vel retenta, tunc ratione sacrilegii potest conveniri

laicus coram ecclesiastico judice; secus vero erit, si non constet injuste detineri, et laicus contendat aliquo justo titulo se illa possidere. Et hoc tantum probatur in dict. cap., et in cap. «Similiter,» 16, q. 1, sumpto ex Concilio VI Romano sub Symmacho. Bona autem clericorum non sunt ita sacra, sicut res Ecclesiæ, et ideo accipi possunt etiam injuste sine sacrilegio, ideoque licet de illis propter hanc causam lis moveatur, coram laico judice conveniendus erit reus laicus, nisi allegetur vis aliqua clerico facta, quæ sacrilegium involvat, ut sensit Innocent., in capit. «Cum sit,» de Foro compet. Objici autem potest, quia in dicta Synodo sub Symmacho res Episcoporum æquiparantur in hoc bonis Ecclesiæ. Sed consideranda est ratio Pontificis, «quia Episcoporum res non dubitantur esse Ecclesiæ.» Et ita intelligo textum illum secundum consuetudinem illius temporis, in quo dominium bonorum Episcopi apud Ecclesiam esse censebatur; nunc autem satis nota est distinctio dominiorum, et ideo alia est ratio.

16. *Quinta exceptio.*—Alia exceptio est, quod ex consuetudine interdum actor ecclesiasticus potest reum trahere ad forum suum, et ita fit exceptio in hac materia circa illam regulam, quod actor sequitur forum rei. Nisi ubi aliud sit consuetudine introductum. Hæc exceptio colligi solet ex c. «Si Clericus,» de Foro comp., ubi postquam Alexander III dixit, actorem de rigore juris debere sequi forum rei, addit: «Licet in plerisque partibus aliter de consuetudine habeatur.» Quæ verba duobus modis intelligi possunt: primo, ut prædicta regula et rigor juris servetur, etiam si contraria consuetudo allegetur, quia est contra omnia jura, ut ibi ait Glossa. Secundo, ut regula illa et rigor juris servetur, nisi ubi fuerit illi per consuetudinem derogatum. Et hic posterior est legitimus sensus, ut ibi Hostiensis, Joannes Andreas, Panormitanus et alii expositores agnoscunt, et in illo fundant prædictam exceptionem. Quam aperte indicant ipsa verba Pontificis, quæ in ipso Concilio Lateranensi, sub Alexandro III, p. 8, cap. 7, sic leguntur:

«Licet in plerisque partibus aliter de consuetudine fiat,» quod factum non reprobat, sed potius tacite approbat. Et ratio est, quia illa consuetudo non est mala, nec contra jus naturale, ut ex proxime dictis constat; ergo ex hac parte potest derogare juri positivo; aliunde vero est etiam favorabilis religioni, et ideo merito approbanda et servanda est.

17. *Nulla consuetudine potest clericus reus ad sæculare judicium trahi.*—In quo est notanda differentia inter hanc consuetudidem et aliam (si alicubi introducatur), ut actor laicus ad suum forum trahat clericum provocatum; nam, licet prior valida sit, hæc est invalida, quia prior favet ecclesiasticæ libertati illamque auget, posterior vero est immunitati contraria, multumque divino juri derogat. Ideoque in jure esse reprobatam et iidem interpretes in eodem c. notant, et infra suo loco latius dicemus. Dicit tamen Glossa, in d. cap. «Si clericus,» hanc consuetudinem per occasionem negligentiæ judicum sæcularium introductam esse, quia clericis justitiam non exhibebant, argumento c. «Cum sit generale,» et c. «Licet,» et cap. «Ex tenore,» de Foro compet. Verumtamen hoc ad factum pertinet; potest enim illa consuetudo ex pietate laicorum vel ex quadam incogitantia introduci. Et quacumque occasione introducatur, exceptio locum habet, quia et textus ille simpliciter loquitur, et ratio eadem procedit. Similisque exceptio esse potest, ut actor sequatur forum rei, nisi aliud ei sit speciali privilegio legitime concessum, quæ satis constat ex dictis, nihilque addere oportet, nisi quod tenor privilegii juxta communes privilegiorum regulas observetur.

18. *Sexta exceptio. – Declaratur exceptio.*—Hinc vero addi potest alia exceptio, nimirum, ut etiam seclusa consuetudine vel privilegio, si judex laicus negligat justitiam exhibere clerico actori, possit laicus coram ecclesiastico judice conveniri. Ita videtur sentire Glossa in c. «Cum sit generale,» verbo «Remissi,» et in c. «Licet,» verbo «Vacante,» de Foro comp., quam ibi approbant Doctores, et in illis textibus fundant, quam-

vis ex eis non satis colligatur, nisi in casibus in illis expressis, videlicet, in quibusdam causis criminalibus, de quibus in capite sequenti dicendum est, vel quando imperium aut magistratus ita vacat, ut clerici judicem sæcularem non inveniant, ad quem recurrant, ut justitiam ipsis exhibeat. Nihilominus tamen ex paritate rationis admittenda est exceptio. Intelligenda tamen videtur hoc modo, ut quando laicus judex est negligens, recurrere possit clericus ad judicem ecclesiasticum, qui potest laicum per censuras compellere, ut suo munere juste utatur, argumento c. «Administratores,» 23, quæst. quinta, quia illa est gravis culpa, et clericis injuriosa, et ideo ad judicem ecclesiasticum pertinet remedium adhibere. Unde si judex laicus contumax fuerit, merito potest judex ecclesiasticus causam ad se advocare, partim in pœnam judicis negligentis et contumacis, partim in clerici defensionem. Et ita etiam facile possunt intelligi aliæ exceptiones, quas ponit Glossa, in dicto cap. «Licet,» de quibus ibi etiam expositores videri possunt.

19. *An propter ecclesiastici judicis negligentiam possit clericus reus ad sæculare judicium trahi.—Ratio dubitandi.*—Quæri autem potest an hæc exceptio de negligentia judicis laici similiter habeat locum, quando judex ecclesiasticus est negligens respectu actoris laici rem suam a clerico postulantis. Videtur enim esse admittenda, quia Justinianus, in Authentica de Sanctissimis Episcopis, collat. 9, alias novel. 123, capit. 21, § «Si quis autem pecuniaria,» statuit, in casu negligentiæ judicis ecclesiastici licitum esse actori laico, coram sæculari judice clericum vocare. Et in novell. 83, seu Authent. «Ut clerici apud proprios Episcopos,» etc., hoc ad ālios casus extendit. Et refertur in cap. «Si quis cum clerico,» 11, quæst. 1. Et favet cap. «Filiis,» 16, quæst. 7, ubi Glossa, verb. «Regis,» idem sentit. Verumtamen in hoc nulla ratio habenda est decisionum Justiniani, qui non potuit exemptionem clericorum limitare, quia materia hæc non juris civilis est, sed canonici, ut infra generalius dicam.

20. *Resolvitur dubium.* —Dicendum ergo est non licere

propter negligentiam judicis ecclesiastici clericum conveniri coram sæculari. Ita statuit Innocentius III, in c. «Qualiter et quando,» de Judiciis, ubi Prælatis præcepit, ut laicis, de clericis conquerentibus, plenam faciant justitiam exhibere, ne hac occasione clerici a laicis trahantur ad judicium sæculare, «quod» (inquit) «omnino fieri prohibemus.» Quæ prohibitio ita intelligenda est, ut non solum vetet simpliciter clericos trahi ad sæcularia judicia, quod jam antea prohibitum erat; sed etiam prohibeat ut propter illam causam, vel occasionem, aut sub illo colore non fiat. Et ita intellexerunt textum illum Glossa ibi, et optime Panormitan., n. 7, et idem tenet Glossa, in c. «Placuit,» 1, 11, q. 1, verbo «Petierit;» et Archidiacon., in dicto capite «Filiis.» Ratio autem est, quia judex sæcularis nullam habet jurisdictionem in clericum reum, nec imperator illam dare potest, aut rex; nec propter negligentiam judicis ecclesiastici ipso facto illam acquirit ex vi juris naturalis, divini, aut canonici; ergo non potest sine jurisdictione talem causam suscipere. Deinde judex laicus est inferior ecclesiastico; inferior autem non potest supplere defectum superioris. Ergo.

21. *Cur negligentia judicis sæcularis possit suppleri per ecclesiasticum, non vero e converso. — Exponuntur jura in contrarium adducta.* — Et hinc facile colligitur differentia inter judices sæcularem et ecclesiasticum; nam sæcularis est inferior, et ideo negligentia ejus potest suppleri per ecclesiasticum, utique in virtute juris canonici, quod est supra civile, et ita statuit per potestatem, quam Pontifex habet ad corrigendos defectus judicum sæcularium. Judex autem ecclesiasticus est superior, et ideo sæcularis non potest per se, et (ut ita dicam) virtute sua ejus defectum supplere; neque etiam virtute juris civilis, quod etiam potestatem in clericum non habet, nec directam, nec indirectam. Neque jus canonicum talem potestatem ei dare voluit, neque id permittere, propter decentiam clericorum et Prælatorum Ecclesiæ. In illo ergo casu remedium postulan-

dum est a superiori Prælato. Quod autem in dicto cap. «Filiis» dicitur, si Prælatus sit negligens, implorari posse regem, vel intelligitur tantum in speciali casu, quando bona Ecclesiæ per clericos dilapidantur, in quo loquitur ille textus; vel intelligitur adiri posse regem non ut judicem, sed ut protectorem et defensorem, ut auctoritate sua moneat Prælatum, et sua potentia res Ecclesiæ interim tueatur ac defendat, donec Summus Pontifex consuli possit. Quomodo intelligenda et concilianda sunt multa jura, quæ a Gratiano referuntur, 11, q. 1, cap. «Si quis clericus,» cap. «Placuit,» cap. «Christianis,» et 23, q. 3 cap. «Ab Imperatoribus,» et q. 5, cap. «Regum,» et cap. «Administratores.» De quibus infra, capite ultimo, aliquid addemus.

CAPUT XV

Qualis sit exemptio clericorum in causis criminalibus

1. *Prima assertio. — Jura canonica exemptionem a foro sæculari absolute concedentia.* — Regula generalis est, personas ecclesiasticas gaudere immunitate seu privilegio fori in causis criminalibus, «non solum in criminibus ecclesiasticis, sed etiam in civilibus,» ut verbis utamur Justiniani ita distinguentis loco statim citando. Assertio hæc certissima est, et ab omnibus scriptoribus catholicis recepta; et negari non potest nisi negando aliquod principium fidei. Tam evidenter enim traditur in jure canonico, ut nemo qui magna ignorantia non laboret, negare possit assertionem, nisi qui negaverit, esse in Ecclesia potestatem ad hujusmodi exemptionem vel tuendam, vel concedendam; quod repugnat principiis fidei, ut ostendimus. Decreta autem canonica de hac re antiqua habentur 11, quæst. 1. Ex quibus aliqua indefinite prohibent, ne clerici ad judicium

sæculare deferantur, ut capit. 1, cap. «Placuit», cum similibus; quæ, ut supra dixi, omnem causam, tam civilem quam criminalem, comprehendunt; alia prohibent laicis accusare, distringere, comprehendere, vel punire clericum, ut c. 2, cap. «Nullus clericus,» c. «Si quis clericos,» cum aliis. Illa autem verba propria sunt criminalium causarum. Alia loquuntur expresse et in specie de criminali causa, c. «Nullus Episcopus,» c. «Clericus nullus», capit. «Placuit», 2, ex Concilio Carthag., cap. 9, et c. «Clericum», 3, ex Concilio Agath., c. 3.

2. *Lectiones diversæ cap.* Clericum, 3. — In quo canone advertendum est, aliter legi in ipso Concilio quam a Gratiano citetur. Gratianus enim in casu accusandi ait : «Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem pulsare,» etc. in Concilio vero legitur in casu nominandi : «Clericus non præsumat apud sæcularem judicem quemquam pulsare.» Et eodem modo legitur simile decretum, in epist. 2 Marcellini Papæ, unde videtur Concilium illud sumpsisse. Illæ autem lectiones sensus multum diversos reddunt, ut constat. Unde verisimile est, vel Gratiani codices fuisse corruptos, vel ipsum Gratianum usum fuisse aliquo Concilio male conscripto, quia nec præsumi potest, Gratianum ex industria verba concilii mutasse, neque ita probabile est in epistola Pontificis et in Concilio mendum accidisse. Sed hoc nihil obstat, tum quia alia decreta sufficiunt ad confirmandam veritatem; tum etiam quia ibidem adduntur alia verba, quæ eamdem exemptionem significant. Nam Marcellinus, postquam dixit : «Clericus nullum præsumat ad sæculare judicium attrahere», addit : «Nec laico quemlibet clericum liceat accusare»; quod si absolute ut sonat intelligatur, majus certe privilegium clericorum est; si vero referatur ad judicium sæculare tantum, ut est probabile, juxta verba proxime præcedentia, ibi continetur exemptio clerici in criminali causa a judicio sæculari. Nam ideo accusari non potest, quia judicari non potest. Quod si a laico accusari non debet, multo minus a clerico, quod ibi tanquam notum supponitur.

3. Concilium etiam postquam prohibuit clericum ne alium pulset, addit: «Sed si pulsatus fuerit» (utique clericus, de illo enim sermonem prosequitur), «non respondeat, nec proponat, neque audeat criminale negotium in judicio sæculari præponere», vel potius «proponere», ut legit Gratianus. Juxta quem sensum, utrumque in illo canone continetur, scilicet, ut clericus non accuset laicum coram judice sæculari, præsertim criminaliter, inconsulto suo Episcopo, et ut accusatus seu pulsatus non respondeat. In quo privilegium fori quoad criminalia continetur; ideo enim clericus respondere non debet, quia non in suo foro pulsatur. Et ita quoad sensum in idem redit Gratiani lectio, ordine commutato. Nam priori loco, cum ait: «Clericum», etc., declarat privilegium clerici; in fine vero cum dicit: «Nec criminale negotium audeat in sæculari judicio proponere», alteram prohibitionem factam clerico accusandi laicum criminaliter sine licentia Episcopi insinuat. Quam prius tradiderat Fabianus Papa, epist. 2, et habetur in c. «Si quis sacerdotes», 2, q. 7. Et similis canon habetur in Conc. Aurelianensi III, c. 31.

4. Decreta etiam posteriora eamdem immunitatem in criminalibus decernunt, cap. «Clerici», et capit. «Qualiter et quando», de Judiciis, et cap. 2, et cap. «Si diligenti», cum similibus, de Foro competenti. Et in dicto capit. «Clerici», dicit Alexander III, in hoc jus civile cum canonico concordare, quia leges tradunt generaliter ut de omni crimine clericus debeat coram ecclesiastico judice conveniri. Quod est verum de moderno jure civili; nam Fridericus, in sua constitutione, id specialiter expressit, et habetur in Authent. «Statuimus», de Episcop. et Cleric.; et Honorius III illud acceptavit, et per omnia posteriora jura regnorum catholicorum confirmatum est.

5. *Quid de criminibus clericorum Gratianus statuerit.*—Jure vero antiquiori civili contrarium statuerat Justinianus, dicta novell., 83, ubi distinguit duplicia crimina, quædam ecclesiastica, ut error in fide, sacrilegium, delicta in administratio-

ne ordinum aut beneficiorum ; et de his concedit ut clericus ad solum ecclesiasticum forum deferatur, quæ non est concessio (quidquid ipse existimasse videatur) sed recognitio et confessio divini juris. Alia vocat delicta civilia, et de his voluit judicium etiam in personis clericorum ad sæculares judices pertinere. Addit vero limitationem his verbis : «Illud palam est, si reum esse putaverit eum, qui convenitur, provinciæ præses, et pœna judicaverit dignum, prius hunc spoliari ab Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu.» Quod videtur intellexisse quantum ad executionem pœnæ ; nam ad inchoandam, et prosequendam causam, et ad cognitionem illius sumendam, nulla requirebatur facultas vel diligentia Episcopi. Et ita sentit Glossa ibi.

6. Addit tamen eadem Glossa, ad sententiam condemnatoriam ferendam, præmittendam fuisse spoliationem illam, seu privationem sacerdotii, quamvis sententiam absolutoriam posset judex sæcularis proferre sine cooperatione Episcopi. Sed non video quomodo possit Episcopus aliquem degradare (hoc enim est spoliare sacerdotio) ante latam sententiam de crimine, et de pœna propter illud inferenda. Unde verba ipsa hoc indicant, ibi : «Si reum esse putaverit, et pœna judicaverit dignum.» Oportebat ergo antecedere hoc judicium, utique forense et authenticum, quod per sententiam condemnatoriam profertur. Cum ergo subjungit, «prius hunc spoliari», sub intelligendum est, prius quam pœna infligatur, non prius quam sententia feratur. Et ita declaratur in Authent. «Clericus», C. de Episcop. et cler., ibi : «Nec tamen puniatur, etiam si reus fuerit inventus. Ac præterea non videtur id posse intelligi generaliter de omni sententia condemnatoria, nec de omni pœna; sed de pœna sanguinis, vel corporali adeo gravi aut contumeliosa, ut privationem sacerdotii prærequirat ; hanc enim non omnis pœna præexigit, ut patet in exilio, perpetuo carcere, pecuniaria, et similibus. Igitur ex vi illius legis omnino privabantur clerici privilegio fori in criminibus non canonicis

quoad totum negotium et causam, præterquam in executione quarumdam pœnarum, quæ postulant degradationem per Episcopum faciendam. Postea vero idem Justinianus, in Authentica de Sanctissimis Episcopis, cap. 21, hoc limitavit, fecitque hæc crimina clericorum misti fori, et quando ad sæculare prius deferuntur, alium ordinem constituit, qui ibi videri potest. Et ante Justiniannm prius hoc fuerat statutum a Valente et sociis, in l. 23 de Episcop. et Cleric., in Codice Theodosiano.

7. *Prædictæ leges Justiniani nullæ fuerunt.*—Verumtamen hæ leges non solum revocatæ sunt per constitutionem Friderici (ut notavit Glossa, in dicta Auth. «Statuimus»), sed etiam per jura canonica; imo a principio fuerunt invalidæ, et nullius effectus, quia et erant contra jus divinum, et contra jura canonica, et contra priorum imperatorum concessiones, præsertim Constantini, l. 7, C. de Episc. et cleric., quam cum aliis similibus innovarunt Theodosius et Valentinianus, in l. 46 et 47 ejusdem tituli, ubi prius generaliter omnia privilegia a piis imperatoribus antea clericis concessa innovantur; postea vero additur: «Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares judices debere deduci infaustus præsumptor (utique Julianus Apostata) edixerat, Episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.»

8. Solum unus superest scrupulus in jure canonico ex Concilio Matisconensi I, cap. 7, ubi prius regula generalis his verbis traditur: «Nullus clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui a sæculari judice injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur.» Postea vero additur exceptio, in qua est difficultas: «Quod si quicumque judex cujuscumque clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab ecclesiæ liminibus arceatur.» Ubi dicens, «absque causa criminali» videtur exceptionem constituere, regulæ a

nobis positæ contrariam. Unde videtur illud Concilium, quod paulo post tempora Justiniani celebratum est, jus civile illius temporis fuisse imitatum, vel fortasse in Gallia fuisse tunc illam consuetudinem. Adverto tamen ibi non excipere Concilium omne judicium criminale, alias esset exceptio regulæ contraria, sed excipere quædam peccata, quæ per antonomasiam crimina vocat, qualia sunt quæ ibi numerat. Et hoc modo potuit esse exceptio tolerabilis eo tempore, et solum pro illa provincia, in qua forte tunc Episcopi poterant similem facultatem laicis dare, ut infra videbimus. Nunc autem neque Episcopis hoc licet, ut infra etiam ostendam, nec similis exceptio admittenda est, ut mox dicam.

9. *An assertio tradita exceptionem patiatur.—Conclusio.*— Dubitari ergo potest an regula posita aliquam admittat exceptionem. Quæ interrogatio, ut capite præcedenti dixi, intelligi potest, vel ex parte personarum, vel ex parte materiæ, seu criminum. De personis dicam infra, nunc autem suppono nullas personas excipi, nisi quæ vel per legem canonicam, vel per justam sententiam ecclesiasticam, vel per Pontificis delegationem judici laico factam, hoc privilegio privantur. De criminibus autem dico, nullum omnino a prædicta regula excipi ex vi juris communis. Probatur, quia ita est in jure expressum, in c. «Cum non ab homine», de Judic., ibi: «Sive in furto, sive in homicidio, sive in perjurio, sive in alio crimine», etc. Et in c. «At si clerici», eodem tit., prius absolute dicitur, clericos non solum non posse pro crimine a judice sæculari condemnari, verum etiam acta coram tali judice, etiam si in eis clericus convictus sit vel confessus, nihil ei nocere. Et ex illo textu, cum § sequenti constat, tam majora quam minora crimina clericorum ad ecclesiasticum judicem pertinere. Et in c. «Clerici» dicitur, sacros canones imitari leges generaliter statuentes, ut de omni crimine clericus debeat coram ecclesiastico judice conveniri. Denique in communi jure nulla talis exceptio invenitur, neque etiam consuetudine introduci potest, quæ legis vim habeat, ut

expresse dicitur in dicto cap. «Clerici»; ergo non potest talis exceptio cum fundamento affirmari.

10. *Ratione confirmatur assertio.*—Addi etiam potest ratio satis congrua, quia si exceptio admittenda esset, vel id foret propter gravitatem criminis, vel propter levitatem: hoc posterius nullus dicet, quia leviora peccata facilius possunt per proprium ecclesiasticum judicem cognosci et puniri. Crimina vero graviora clericorum, magis necessarium est non tractari a laicis, imo neque cognosci aut sciri, si fieri posset; et præterea per ecclesiasticum judicem possunt sufficienter vel curari vel vindicari. Quod si ad hoc fuerit necessaria potentia sæcularis, non propterea debuit judicium talium criminum sæcularibus committi; multo enim convenientius est ut ipsi non se intromittant donec vocentur, et ut requisiti ab ecclesiastico judice, auxilium suum impendere teneantur, juxta cap. «Ut famæ», de Sentent. excommunicat. Dixi nihilominus hoc intelligendum esse «de jure communi», nam ex privilegio solent in aliquibus regnis excipi aliqua crimina clericorum, de quibus magistratus civiles cognoscere possunt, ut crimen læsæ majestatis, fabricationis falsæ monetæ, etc.; oportet tamen ut privilegium illud Pontificium sit, quia nullus rex vel princeps sæcularis potest hoc privilegium dare, ut infra dicetur.

11. *An regula posita amplietur.*—Secundo quæri potest, an regula hæc aliquam ampliationem admittat. Ad quod breviter respondeo, ex parte materiæ seu criminum non posse ampliari, quia extenditur ad omnia crimina, quibus nullum addi potest. Ex parte vero judicii seu judicis, notari potest duplex ampliatio. Una est, ut neque directe neque per modum reconventionis possit laicus judex de crimine clerici cognoscere, ut notavit Joannes Lup., tract. de Libert. Eccles., p. 2, q. 1, n. 2, ex cap. «Qualiter et quando», de Judiciis, in quo expendo particulam illam, «omnino prohibemus», nam perinde fuit dicere «omnino», quod quocumque modo. Item ampliatur ab eodem auctore, ut etiam in casu negligentiæ judicis ecclesiastici non possit sæ-

cularis de quocumque crimine clerici cognoscere, hoc enim a fortiori probant supra dicta in fine capitis præcedentis. Quid vero possit interdum agere sæcularis potestas circa clericum malefactorem per modum defensionis vel auxilii, infra videbimus.

12. *Responsio.—Etiam in criminalibus actor debet sequi forum rei.*—Tertio quæri potest, an in materia criminali locum habeat declaratio de actore et reo, capite præcedenti data in materia civili. Respondeo, sine dubio esse eamdem vel majorem rationem de criminibus, quam de causis civilibus (1). Ita docent auctores allegati præcedenti capite. Et eisdem juribus probari potest, nam præter ea quæ generaliter loquuntur, in c. «Si quisquam», 11, quæst. 1, dicitur canones imitari leges in dicta regula, quod actor sequi debet forum rei; hæc autem regula expresse traditur pro causis criminalibus in l. «In criminali», Cod. de Juris. omni. judic., in l. ult., Cod. «Ubi in rem actio.» Rationes etiam supra factæ non minus de criminalibus causis procedunt, quam de civilibus. Imo major quædam ratio in rebus criminalibus intercedit, quia minus decet magisque periculosum est, clericum contra laicum actionem criminalem intentare, quam civilem, quia in criminali intercedit quædam vindicta et periculum odii, et ita potest facilius scandalum generare. Quod adeo verum est, ut ob hanc causam antiqui canones prohibuerint clericum, inconsulto Episcopo, laicum accusare.

13. *Malefactores Ecclesiarum et clericorum percussores in judicio ecclesiastico conveniri possunt.*—Nihilominus tamen in hac materia additur quædam exceptio in cap. «Cum sit generale», de Foro compet., his verbis: «In favorem Ecclesiæ est introductum, ut malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum rectores possint sub quo maluerint judice

(1) Vide Julium Clar., § final, q. 36; et Stephan. Aufrer., in Clementin. «Ut cleric.», de Offic. ordina., limitat. 13.

convenire»; ubi solum adverto, non excipere omnes malefactores clericorum, alias exceptio destrueret regulam; excipit ergo malefactores Ecclesiarum, quales sunt raptores, et similes, ut ibi Glossa notat. Verum est tamen etiam percussores clericorum posse ad ecclesiasticum judicium deferri, non ratione personæ accusantis, si sit clericus, quasi ipsa trahat reum ad suum forum, sed ratione sacrilegii, quod est ecclesiastici vel saltem misti fori. Reliqua de hac declaratione videri possunt in Glossa et Doctoribus ibi. Et quæ de alia moderatione fundata in negligentia judicis laici supra diximus, hic applicanda sunt, ut constat.

14. *An privilegium fori ad crimina ante illud commissa extendatur.—Ratio dubitandi pro parte negativa.*—Tandem inquiri hic potest, an hoc privilegium seu exemptio extendatur ad præterita, id est, ad crimina ante clericatum commissa, seu eo tempore quo aliquis non gaudebat privilegio fori quacumque ex causa, etiamsi alias clericus esset. Ratio dubitandi est, quia qui deliquit in statu clericali, licet postea relinquat statum clericalem (ut contingere potest in clericis non ordinatis in sacris, et in religiosis non professis, vel professis, qui per dispensationem statum mutarunt), ille (inquam) semper gaudet privilegio quoad illud delictum durante statu commissum, ut docent Covarr., in Pract., c. 31, numero octavo; Juli. Clar., § final., q. 36, numero undecimo; Barbosa, in l. «Titia», ff. Solut. matrim., qui alios referunt. Et fundamentum est, quia ad gaudendum privilegio attenditur status temporis, in quo delictum committitur, juxta l. 2, ff. de Pœnis. Item quia quando commissum est delictum, fuit immune a jurisdictione sæculari; ergo etiam si relinquatur status, non subjicitur illi. Quia nullum est jus canonicum quod talem pœnam imponat, vel quod declaret amissionem privilegii per dimissionem status retrotrahi ad tempus præteritum, in quo durabat status, seu ad delictum tunc commissum; non est autem sine jure vel evidenti ratione irritandum privilegium, neque asserendum aliquid, quod pœnale

est et odiosum. Ergo simili modo qui in statu laici deliquit, et postea accipit ordinem, vel statum ecclesiasticum, non gaudebit privilegio pro his delictis quæ antea commisit, cum esset in statu laici. Probatur consequentia, tum quia sequitur ex eodem principio, quod ad gaudendum privilegio attenditur tempus delicti; ergo qui non erat clericus, vel, si erat, non vivebat in statu clericali, et tunc commisit delictum, licet postea ordinetur, vel accipiat insignia clericalia, erit subjectus sæculari judicio quoad illud delictum. Tum etiam quia illud delictum a principio pertinuit ad forum sæculare, et nullum est jus quod extrahat illud, vel quod retrotrahat privilegium ad illum effectum; ergo. Et ita videntur sentire Covarr. et Barbosa in locis allegatis.

15. *Ratio pro parte affirmante.* — In contrarium vero facere videtur primo, quia privilegia amplianda sunt, quantum proprietas verborum patitur, maxime in favorem religionis; sed jura concedentia hoc privilegium simpliciter eximunt personas ipsas insignitas charactere, vel dicatas Deo tali modo, et non limitant ad delicta commissa post clericatum vel ante; ergo non est limitandum, sed extendendum privilegium. Secundo, quia etiamsi delictum præcesserit, non potest non cedere in ignominiam clericatus, quod ille, qui jam est clericus, puniatur a laico vel judicetur; ergo, cum privilegium magis respiciat decentiam clericatus, quam commodum personæ, habere debet locum etiam quoad delictum præcedens. Sicut is, qui antea erat servus, si ordinetur, per jus eximitur a servitute propter honorem clericatus, licet non semper eodem modo, ut ex materia de irregularitate constat. Ergo etiam in præsenti licet quis ratione delicti sit obnoxius foro sæculari, per ordinationem liberabitur, saltem a foro, licet non a debito alicujus pœnæ. Tertio, qui post delictum confugit ad ecclesiam materialem, gaudet immunitate; quid ergo mirum quod illa gaudeat, qui confugit ad spiritualem gradum ecclesiasticum?

16. *Vera resolutio.*—De hoc puncto disputat Panormitanus

late, in cap. unic. de Obligatis ad ratiocinia, et plures alii ibi, et in locis quos refert copiose Felin., in cap. ultimo de Constitut., numero decimo quarto, circa finem; et ex modernioribus Avendan., in tractat. de Mandat. Reg. exequend., cap. 22; et Covarr., in Pract., cap. 32, num. 4. Qui varias referunt sententias, et multis distinctionibus utuntur, quas hic referre et discutere prolixum esset, et alienum a nostro instituto. Maxime quia non afferunt jura canonica, quæ in hoc aliquid clare disponant. Quocirca loquendo in generali, et conjectura utendo, mihi placet sententia dicens, ordinem subsecutum post delictum eximere personam clerici a jurisdictione sæculari, etiam pro illo dilicto. Primo, propter rationes factas. Deinde a simili vel a fortiori, ex l. «Hos accusare,» ff. de Accusat., quatenus ait, legatum provinciæ accusandum non esse de illo crimine, quod ante legationem commisit. Ergo eadem vel majori ratione clericus, qui in statu laici deliquit, non est de illo crimine in judicio sæculari accusandus.

17. *Quorumdam limitatio rejicitur.* — Solent autem juristæ adhibere limitationem: «Nisi mala fide assumpserit clericatum;» per malam autem fidem intelligunt, assumere clericatum ad fugiendum sæculare forum, unde ipsi clerico imponunt onus probandi non habuisse malam fidem. Sed certe non videtur pertinere ad dolum vel malam fidem, quod quis ex intentione se eximendi ab illo foro, et custodiendi suam personam, illum statum assumat; sicut non est mala fides confugere ad ecclesiam post delictum ad se tuendum; illa enim intentio non est mala, unde si in cæteris bona fides servetur, non videtur obstare. Majam ergo fidem ego intelligerem, si quis ficte vel simulate, et ad tempus assumpsisset illum statum ad evitandum forum. Quapropter quoad hoc censeo aliter esse judicandum, si quis ordinatur in sacris, vel tantum in minoribus. Nam ille prior assumit statum perpetuum et immutabilem, et ideo non potest de illo præsumi fictio, nisi evidenter appareat; ideoque censeo illum manere immunem, etiam si constet, occasione delicti et

ad mutandum forum id fecisse, quia id nec est malum, nec grave incommodum reipublicæ affert.

18. At ille qui tantum minores ordines assumit, potest facile mala fide id facere, id est, non quia velit se vere cultui Dei dicare, sed solum ad tempus, ut facilius liberetur, et postea mutet statum, et tunc censeo procedere priorem limitationem. Multoque magis in clerico jam ordinato in minoribus, qui tempore delicti habitum et tonsuram non gestabat, et postea assumit, et vult gaudere privilegio. Merito enim timeri potest dolose incedere; tunc ergo non gaudebit privilegio, nisi contrarium animum probet, quod difficillimum est. Addunt vero iidem Doctores aliam limitationem, nimirum, «posse clericum bona fide ordinatum gaudere privilegio, si causa esset integra;» nam si esset jam inchoata coram judice sæculari, alia esset ratio, juxta capit. «Proposuisti,» de Foro comp. Item addunt, in illis casibus, in quibus hic clericus judicatur a sæculari judice de priori crimine, non posse ab illo corporaliter puniri, sed aliis modis. De quibus et aliis punctis similibus ad prædictos auctores lectorem remitto.

CAPUT XVI

An privilegium fori exemptionem a legibus civilibus includat, et qualis illa sit

1. *Laici suis legibus nullatenus ecclesiasticas personas ligant.* —Supponimus ecclesiasticam immunitatem includere exemptionem ab obligatione et vinculo civilium legum, quatenus a potestate et jurisdictione humana vim aliquam habent. Hoc certissimum est in jure canonico, licet fortasse in civili expresse et in particulari non inveniatur. Quod nihil obstat, quia jus canonicum sufficit, ut supra dixi. Hoc autem canonicum jus habetur in c. «Ecclesia Sanctæ Mariæ,» de Constitut., et dist. 96,

per multa capita, in quibus locis etiam dicitur laicos nullam habere potestatem seu jurisdictionem in ecclesias, vel ecclesiasticas personas. Quod etiam multa Concilia testantur, ut in superioribus probatum est. Constat autem neminem posse sua lege obligare eum, in quem jurisdictionem non habet; ergo neque legislatores laici possunt suis legibus clericos ligare, quia, ut dictum est, nullam jurisdictionem in eos habent; jurisdictio autem legislativa magna est; cum ergo Concilia «nullam» dicant, etiam hanc negant. Juvatque Authent. «Cassa,» Cod. de Episcop. et cleric., ubi cassa et irrita dicuntur esse omnia statuta laicorum ecclesiasticæ libertati contraria; nam, eo ipso quod leges civiles fiant ad ligandos clericos, libertati ecclesiasticæ repugnant. Hoc igitur in genere certum est; quomodo autem sit intelligendum, ampliandum vel limitandum, explicandum superest.

2. *An privilegium fori clericorum exemptionem a legibus civilibus includat.* — Prius autem adverto, aliquos dubitare an, sicut immunitas ecclesiastica, ita etiam privilegium fori clericorum hanc exemptionem a vinculo civilium legum includat. Dico tamen quæstionem hanc esse de solo nomine. Nam si nomen fori stricte sumatur, solum comprehendere videbitur exemptionem a judiciis fori sæcularis, tam in causis civilibus quam criminalibus, quia forum proprie significat locum ubi judicia exercentur, et consequenter etiam ipsum judicium, vel jurisdictionem, per quam exercetur. Unde si privilegium fori ita stricte sumatur, non comprehendet totam clericorum libertatem. Nam immunitas seu exemptio clericorum, de qua tractamus, plura comprehendit, ut in principio hujus libri dixi, scilicet, immunitatem ab aliquibus oneribus, muneribus, tributis, et legibus sæcularibus, quæ omnia libertas ecclesiastica comprehendit. Potest tamen privilegium fori in tota hac amplitudine accipi. Sic enim duo solent distingui privilegia clericorum, scilicet, canonis et fori, ex quibus prius solum significat specialem immunitatem a violenta manus impositione, et ideo sub privilegio

fori, ut adæquata sit numeratio, reliqua libertas tota personarum ecclesiasticarum comprehendenda est. Et ita loquitur expresse Sylvest., verb. «Ecclesia,» 1, quæst. 5, vers. «Primum.» Nec sine fundamento, nam privilegium fori, ut dixi, non solum eximit clericum a jurisdictione temporali inferiorum magistratuum, sed etiam a suprema regum et imperatorum jurisdictione; quia ergo ab illa eadem jurisdictione manant omnes leges civiles, et omnia onera, quæ per hujusmodi leges possunt imponi, ideo privilegium fori extensum est ad exemptionem ab his omnibus significandam. Quapropter, explicata exemptione a judiciis, ut hoc privilegium integre declaremus, superest ut exemptionem a legibus exponamus; nam sub hac omnes aliæ immunitates includuntur.

3. *Vis legis civilis duplex: directiva et coactiva, et utraque quid.*—Ad hoc autem explicandum, oportet supponere, multiplicem esse vim legis humanæ, id est, civilis, de qua specialiter loquimur. Duo tamen sunt præcipua capita, ad quæ alia reduci possunt, scilicet, vis directiva et coactiva. Et ne sit in verbis æquivocatio (ut esse solet), per vim directivam intelligimus potestatem præcipiendi sub obligatione non solius pœnæ, sed etiam conscientiæ. Vis autem coactiva est vis cogendi per pœnam, nam, licet hæc coactio ordinarie fiat in executione per homines, scilicet, per judicem et ministros ejus, tamen etiam fit suo modo per legem, idque dupliciter, scilicet, vel imponendo tantum debitum, seu reatum certæ pœnæ transgressoribus legis, vel infligendo etiam ipsam pœnam, quando talis est, ut executione hominis non indigeat, sed per legem ipsam fieri possit, si sufficienter in ea exprimatur.

4. *Plures alii effectus legum civilium ad prædictam vim directivam et coactivam reducuntur.*—Præter has duas potestates legis numerari possunt aliæ, ut taxare pretia rerum, quod optime potest ad vim directivam reduci, quia ratio justitiæ obligans in conscientia inde resultat. Item irritare contractus, vel illos cum eo rigore prohibendo, vel instituendo formam sine qua validi

non sint, quod aliquibus visum est pœnale, et ideo ex virtute coactiva proficisci. Sed hoc non semper ita est, nam interdum fit propter solam directionem morum, et bonum regimen reipublicæ; et tum magis pertinet ad vim directivam. Item habet lex vim imponendi tributum reale vel personale, et huc etiam spectat impositio cujuscumque oneris, vel sæcularis muneris, præsertim sordidi et vilis, seu onerosi, magis quam honorifici. Et ex hac parte reputatur hæc virtus legis quasi coactiva, quamvis revera proprie talis non sit, quia per se hæc non imponuntur per modum pœnæ propter culpam, vel legis transgressionem, sed directe et per se, quia in humana republica necessaria sunt. Declarandum est ergo quomodo per privilegium fori clerici ab his omnibus eximantur; in hoc vero capite solum dicemus de legibus ut præcipientibus vel prohibentibus, sive pure, sive adjecta pœna; in capitibus vero sequentibus de aliis legibus, præsertim onerosis, dicemus.

5. *Distinctio legum civilium ex parte personarum, et ex parte materiæ.*—Prius vero iterum distinguendæ sunt leges civiles ex parte personarum et ex parte materiæ. Nam communiter hæ leges generaliter feruntur pro omnibus civibus, abstrahendo a laicis et clericis; utrique enim cives sunt, et civitatem componunt. Aliquando vero feruntur pro solis laicis; possent etiam aliquando ferri pro solis clericis; possent (inquam) facto; quid vero de jure dicendum sit, videbimus. Deinde materia legis aliquando esse petest propria clericorum, quæ potius erit ecclesiastica quam civilis; aliquando est propria laicorum; sæpius vero est communis utrisque. Item aliquando materia, vel dispositio legis, sive in specie, sive generatim factæ, est onerosa clericis, vel eorum statui minus decens, aliquando vero est favorabilis, interdum vero est indifferens. Quia licet respectu communitatis utilis sit, nihilominus respectu singularum personarum interdum affert incommodum, licet frequentius omnium commodis prospiciat; juxta hanc ergo legum varietatem, varie etiam de hac exemptione judicandum est.

6. *Leges civiles pro solis laicis latæ clericos non obligant.*— Nonnulla vero ex dictis colligere possumus, quæ clara et extra controversiam sunt. Primum est, leges civiles, latas pro solis laicis, clericos non obligare. Hoc enim verum est, non solum ratione exemptionis, sed etiam propter formam talis legis, nulla enim lex obligat, nisi personas ad quas loquitur seu dirigitur. Secundum est, leges etiam civiles, quæ disponunt in materia mere laica et sæcurari, licet cum laicis personis in particulari non loquantur, sed indefinite ferantur, clericos non obligare ut leges civiles ordinantes judicia sæcularia non obligant in foro ecclesiastico, et sic de aliis. Ratio est clara, tum propter exemptionem, tum etiam quia materia legis restringit ejus obligationem, ad eas personas quarum propria est talis materia, ut est per se clarum.

7. *Leges civiles in materia ecclesiastica statuentes nullæ sunt.* —Tertio dicendum est, leges civiles, si in materia ecclesiastica disponant, nullam obligationem inducere, propter exemptionem talis materiæ. Hæc assertio constat ex dictis supra, cap. 2, ubi ostendimus, res omnes, et causas ecclesiasticas a jurisdictione laicorum exemptas esse; ergo leges latæ a laicis circa hujusmodi materias sunt ipso jure nullæ ex defectu jurisdictionis. De qua re plene dixi in tomo de legib., lib. 4, c. 11. Unde quarto addendum est, leges civiles disponentes circa personas clericorum in particulari, etiam si in materia civili disponere videantur, non obligare clericos, ratione exemptionis illorum. Hæc assertio simul cum præcedenti expresse traditur in cap.«Ecclesia S. Mariæ,» de Constitut., et c. «Quæ in Ecclesiarum,» eodem tit., et cap. ult. de Rebus eccles. non alien., et in c. «Bene quidem,» cum multis sequentibus, 96 dist , quibus locis late hanc materiam tractant auctores, præsertim Panormitanus, et Felinus, et Barthol., in leg. «Cunctos populos,» Cod. de Summ. Trinitat. Ratio autem ibidem redditur, quia super Ecclesiis et Ecclesiasticis personis nulla est laicis attributa potestas, «quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.

Hinc enim fit, ut hujusmodi leges non obligent clericos, non quia sint validæ, et ad illos non extendantur; sed potius quia nullæ sunt ex defectutjurisdictionis in personas ad quas diriguntur.

8. *Objectio.—Confirmatio.*—Dices hoc ad suumum procedere, quando tales leges civiles detrimentum, vel onus aliquod aferunt clericis, secus vero esse debere, si sint favorabiles clericis, quia privilegium, quod in favorem datum est, non debet ita extendi, ut privilegiato noceat; sed quod hujnsmodi leges sint nullæ, etiamsi sint favorabiles clericis, in nocumentum eorum caderet; ergo non est verisimile, privilegium exemptionis ad hunc effectum extendi. Et confirmatur, nam princeps laicus potest clerico privilegium validum conferre, ut sumitur ex cap. «Novit,» de Judiciis, et ex multis aliis canonibus et legibus in superioribus allegatis, in quibus imperatores Ecclesiis et Prælatis, vel ministris earum privilegia conferunt; privilegium autem quædam lex favorabilis est, ergo.

9. *Ad confirmationem.*—Nihilominus dicendum est quarto, tales leges, etiamsi favorabiles videantur, non posse obligare; de his enim etiam loquitur dict. c. «Ecclesia S. Mariæ,» ut bene ibi Panormitanus exponit in principio et in fine. Et ratio textus ibi convincit, quia talis lex, revera non est lex etiamsi videatur favorabilis, quia a jurisdictione non procedit; ergo non potest obligare. Item est optima ratio, quia, eo ipso quod lex prohibet vel præcipit clericis in particulari, supponit et exercet potestatem superiorem in illos; ergo supponit potestatem quæ non est, ac proinde nulla est. Imo, eo ipso non potest censeri favorabilis, quia magis nocet usurpando jurisdictionem, quam prosit aliquid commodi afferendo. Et ita responsum est ad contrariam conjecturam. Ad confirmationem respondetur, aliud esse de privilegio, nam privilegii concessio non est actus jurisdictionis, sed dici potest actus liberalitatis et dominii illius rei vel juris quod per privilegium datur, et ideo potest quispiam dare privilegium non subdito, imo et superiori, et sic etiam potest laicus concedere privilegium clerico. Nec privilegium habet propriam rationem

legis respectu privilegiati, quia per se non imponit illi obligationem, et ita non datur prohibendo vel jubendo privilegiato, sed concedendo; aliis vero solet præcipere observantiam privilegii, et sic habet privilegium propriam rationem legis, ut in materia de legibus latius declaravi. Atque ita leges civiles concedentes privilegia clericis favent quidem clericis, non tamen ligant; obligant autem laicos, ut clericis talia privilegia observent.

10. *Leges civiles circa Ecclesiarum vel clericorum bona disponentes nullæ sunt.—Ratio prioris partis.*—Quinto addere possumus ampliando superiorem assertionem, leges etiam civiles in particulari disponentes circa bona Ecclesiarum vel clericorum non esse validas, nec posse Ecclesias aut clericos obligare. Ita docent Glos et Doctores, præsertim Abbas, in d. c. «Ecclesia,» n. 20 et 21. Et quod attinet ad Ecclesiarum bona habetur expresse in illo textu, et in d. c. «Bene quidem,» cujus decisionem Innocentius III in priori capite allegat. Nam ibi statutum cujusdam Basilii laici, quia in particulari statuebat circa bona Ecclesiæ. etiam in eorum favorem, irritum censetur, quia non fuit auctoritate Apostolica confirmatum. Idem sumitur ex cap. «Quæ in Ecclesiarum,» eodem tit., et cap. ultim. de Reb. eccles. non alien., et ex cap. «Decernimus,» de Judic., ubi negotia omnia ecclesiastica exempta dicuntur a sæculari foro. Ratio autem est, quia bona ecclesiastica inter res sacras computantur, et ideo prorsus sunt exempta a jurisdictione laicorum, non solum humano, sed etiam divino jure, juxta ea quæ in decretis traduntur, tota distinct. 96, et quæ supra, capit. 2, tractata sunt.

11. In bonis autem propriis seu patrimonialibus clericorum non militat ratio dicta, quia bona propria clericorum non sunt sacra, sicut bona Ecclesiarum, et ideo necesse non est ut eadem vel tanta exemptione gaudeant, quanta bona ecclesiastica, seu Ecclesiarum. Ratio autem differentiæ reddi potest, quia ecclesiastica bona videntur esse sub immediato dominio Dei, et ideo nemo potest circa illa disponere, nisi vel Deus ipse, vel dispen-

satores suorum mysteriorum et bonorum ab ipso constituti. Bona autem clericorum immediate sunt sub dominio talium hominum, quod illis convenit, non ut clericis, sed ut cives vel homines sunt, et ideo circa talia bona videntur posse disponere leges civiles.

12. *Ratio posterioris partis.*—Sed nihilominus etiam in his bonis clericorum, veram esse censeo sententiam Panormitani, quanquam jura, quæ allegat, non directe hoc disponant, sed per argumentum a simili, vel a paritate rationis afferantur. Ratio vero illam convincit, quia non potest lex civilis aliquid in particulari disponere circa bona clericorum, nisi obligando clericos ad talis legis observationem, quia bona adhærent personæ, et lex disponens circa bona non potest nisi per aliquam personam observari. Sed lex civilis non potest in particulari obligare personas clericorum; ergo nec circa illorum bona in particulari disponere. Item lex non fertur sine jurisdictione; nemo autem habet jurisdictionem seu potestatem juridice disponendi circa bona alicujus, nisi habeat jurisdictionem supra personam. Cum ergo rex temporalis jurisdictionem non habeat circa personam clerici, neque habere potest circa bona, quæ adhærent personæ tanquam accessorium principali; ergo lex facta a potestate civili circa bona clericorum in particulari est nulla tanquam sine jurisdictione facta, Ratio autem in contrarium, solum probat non ita certum esse, bona clericorum esse jure divino exempta a potestate civili, sicut est certum de ecclesiasticis bonis, quia non sunt ita immediate et quasi per se exempta. Nam res sacræ et bona Ecclesiæ exempta sunt propter sanctitatem quamdam, quam participant per immediatam habitudinem ad Deum; bona autem clericorum exempta sunt propter habitudinem ad tales personas exemptas; hoc autem non obstat quominus illarum exemptionem participent.

13. *Prima opinio.*—Sexto addendum est, leges civiles, quæ generaliter loquuntur ad cives, abstrahendo a clericis vel laicis, et disponentes in materia temporali omnibus communi, ad

eorumque mutuam societatem et uniformitatem pertinente, obligare clericos quoad vim directivam. In hac assertione conveniunt omnes Catholici, quos in superioribus retuli, et late tractavi in lib. 3 de Legibus, c. 34. Et ratio ex parte causæ finalis est, quia uniformis observantia talium legum est necessaria ad reipublicæ pacem, et ad servandam inter cives æquitatem; ergo et obligatio directiva debet esse generalis omnibus. Ex parte autem principii efficientis, seu potestatis talis obligationem imponentis, non omnes eamdem reddunt rationem. Multi enim putant id provenire ex vi potestatis et jurisdictionis principis temporalis: quoad has leges ferendas, dicunt retinuisse jurisdictionem in omnes, etiam clericos, quia ita erat necessarium ad convenientem totius reipublicæ gubernationem, et ideo non oportuit clericos eximi quoad hanc partem, cum usus talis exemptionis non esset futurus utilis reipublicæ christianæ, ac proinde non esset in illa observandus. Unde, sicut supra diximus clericum ut actorem contra laicum esse obnoxium judicio sæculari in causa temporali, ac subinde quoad hunc actum non esse exemptum, ita non est inconveniens clericum, ut civem communicantem cum laicis in hujusmodi actionibus communibus, non esse exemptum a virtute et jurisdictione legis civilis, quoad vim directivam. Atque hunc modum dicendi avide arripiunt hæretici et schismatici, illumque approbant multi catholici Doctores, quos in loco citato retuli, et non est improbabilis, secluso schismaticorum spiritu et errore circa totam exemptionem clericorum.

14. *Secunda opinio.*—Aliorum tamen sententia est, clericos non obligari ad observandas hujusmodi leges ex vi ipsarum legum, id est, ex vi jurisdictionis quam legislatores civiles habeant in clericos, sed ex vi rationis, id est, quia, posita tali lege justa de re ad omnes pertinente, et quæ a clericis decenter et sine speciali gravamine servari potest, ratio naturalis dictat esse servandam etiam a clericis, vel quia sunt partes talis communitatis, et turpis est pars quæ non concordat toti in his quæ

commode potest, vel quia non servabitur æquitas debita inter clericos et laicos, si laici hujusmodi leges servent, et non clerici. Quæ posterior ratio maxime locum habet in legibus definientibus medium justitiæ, quales sunt illæ, quæ valorem et pretium rerum taxant; de quibus propterea nemo dubitat, servandas esse a clericis ex vi justitiæ naturalis, sive obligentur vi talium legum, sive non. Eademque ratio procedit de legibus disponentibus circa quasdam actiones humanas, quasi reciprocas, et quamdam mutuam habitudinem inter ipsos cives includentes quia tales leges non possunt, vel cum securitate, vel cum æquitate servari a laicis, quin serventur a clericis, ut sunt leges prohibentes talia arma, vel ne tali tempore aut loco ferantur; vel prohibentes ne tales res aut merces extra regnum trahantur, et similes. Prior vero ratio habere poterit locum circa leges disponentes de aliis actionibus civium, in quibus non invenitur hic mutuus respectus æquitatis aut securitatis, conservationis aut rerum abundantiæ ad omnes pertinentis; sed solum pertinent ad convenientem vivendi modum uniuscujusque secundum politicum statum, ut sunt, verbi gratia, leges prohibentes ludum alearum, et similes, quibus regulariter adjungitur ratio scandali, si a clericis non serventur.

15. Atque hanc sententiam, quod leges hujusmodi non obligent clericos ex vi jurisdictionis laicæ, sed ex vi rationis, defendit Bellarminus in suis controversiis, præsertim in ultima editione, et sæpius illam inculcat in his posterioribus opusculis, scilicet, in libro Recognitionum, et in libro contra Barclaium, et in Apologiis contra regem Angliæ. Et ideo rex ipse sæpius circa hunc articulum ipsum mordet, ut in Præfatione, pag. 25, et in catalogo mendaciorum sub titulo, «Nova dogmata,» ut in fine Apologiæ. Verumtamen neque sententia hæc nova est, nec peculiaris Bellarmini, sed antiqua, et multorum gravium auctorum, ut in citato de Legibus ostendi; et ideo immerito rex vel illam novitatis accusat, vel de Bellarmino specialiter conqueritur. Neque etiam rationem aliquam vel testimonium alicujus

momenti affert, sed solum Bellarminum, vel odii, vel affectus in reges temporales minus propensi insimulat, quod valde frivolum est, nisi forte apud illos, qui veritatem suis inordinatis affectibus repugnantem odium reputant.

16. *Auctoris sententia.*—Aliunde vero illa sententia optime fundatur in divino jure concedente simpliciter hoc privilegium. Additis testimoniis Conciliorum et canonum dicentium, laicis supra clericos nullam esse attributam potestatem vel jurisdictionem, sine qua non possunt directe, et ex vi legis illos obligare. Item hac ratione non possunt reges obligare clericos legibus, illis peculiariter impositis; ergo eadem non possunt eos obligare ex vi sui præcepti per leges communes, quia lex quoad vim suam non transcendit potestatem ferentis illam. Et ita sententia hæc quoad hanc partem negativam probabilior est, et vera; quoad aliam vero partem, explicandi obligationem ex sola vi rationis, est quidem probabilis; tamen, si nude et præcise intelligatur, sæpe invenietur insufficiens ad gravem obligationem convincendam. Et ideo libenter addere soleo, obligationem illam etiam niti in virtute canonum disponentium, ut hujusmodi leges a clericis serventur, quos in citato loco retuli cum auctoribus, qui obligationem talium legum hoc modo declarant, et rationibus quæ hunc modum dicendi confirmant. Quæ non repugnat sententiæ dicenti, has leges obligare ex vi rationis, quia illa non excludit acceptationem canonum, aut virtutem eorum, nec prohibet recursum ad illam, quando sola vis rationis gravem obligationem in clericis ad hujusmodi leges civiles servandas non ostenderit.

17. *An clerici sint a vi directiva legum civilium exempti.* – Sed quæres, supposita hac sententia, quod clerici non obligentur ad observationem harum legum ex vi illarum, sed aliunde, an clerici simpliciter dicendi sint exempti, vel potius non exempti a vi directiva talium legum. Et ratio dubitandi est, quia si non obligantur in virtute illarum, non potest esse nisi ratione exemptionis a jurisdictione qua feruntur tales leges, ut declaratum

est; ergo simpliciter dicendi sunt exempti a talibus legibus. Item qui non tenetur ex obedientia legi parere, profecto exemptus est ab illa; clerici autem, si non obligantur talibus legibus ex vi illarum, non tenentur illas servare ex vi obedientiæ auctoribus earum debitæ; ergo sunt exempti a talibus legibus. In contrarium vero est, quia clerici absolute tenentur observare tales leges; ergo absolute non sunt ab illis exempti, quia exemptio absolute dicit libertatem, et carentiam obligationis; quomodo ergo obligatus manens potest dici exemptus?

18. *Variæ sententiæ.—Auctoris judicium.* — Propter quas rationes varie solent loqui auctores. Aliqui enim, licet dicant clericos non obligari his legibus virtute illarum, negant nihilominus esse exemptos ab illis. Alii vero consequenter putant dicendum, illos esse exemptos etiam a vi directiva talium legum, quando quidem non vi illarum obligantur, sed rationis, vel canonici juris. Mihi tamen videtur controversia solum de modo loquendi, existimoque proprie dici posse, illos non esse exemptos ab observantia talium legum, neque ad obligatione faciendi id, quod per ipsas præcipitur, et vitandi quod prohibetur. Et nihilominus posse etiam dici, esse exemptos a virtute, seu proprio vinculo earumdem legum, nam hæc duo non repugnant, et utrumque probant rationes pro utraque parte factæ. Et ita potest de clericis dici, observare has leges ut liberos a jugo illarum, quia non sunt liberi a jugo rationis naturalis, et juris canonici, quod ad perfectam exemptionem pertinet, et ipsorum statui consentaneum est.

19. *Leges civiles etiam non noxiæ non obligant clericos quoad vim coactivam.*—Ultimo dicendum est, leges civiles, etiam communes omnibus civibus, et clericis non noxias, neque indecentes, non obligare clericos quoad vim coactivam, ac subinde exemptionem ab hujusmodi vi talium legum ad plenam ecclesiasticorum libertatem maxime pertinere. Assertio est certa, in qua conveniunt omnes doctores catholici, quos loco supra citato allegavi. Sequiturque manifeste ex præcedenti; nam, si

verum est has leges non obligare clericos virtute sua etiam obligatione directiva, multo minus poterunt cogere illos vi coactiva. Declaratur autem simpliciter in hunc modum, quia lex in tantum ligat vi coactiva, in quantum pœnam imponit, quod duobus modis potest efficere, scilicet, vel ipso facto inferendo pœnam, vel præscribendo per judicem inferendam. Priori modo non potest lex civilis per se ipsam punire clericum, quia exemptus est in criminalibus a foro sæculari, ut supra probavimus, quod verum est non solum de foro inferioris judicis, sed etiam supremi regis, ut etiam ostendi; ergo lex civilis seu regia non procedit a potestate coactiva clerici; ergo non potest per se ipsam illum punire, quia virtus ejus commensuratur potestati a qua procedit. Et confirmatur, quia non potest princeps temporalis in actuali, seu personali judicio sententiam (quam ab homine vocant) contra clericum proferre; ergo nec potest per legem sententiam latam in clericum dicere, seu sub tali sententia clericum comprehendere, quia extra forum suum jus diceret.

20. Neque etiam leges imponentes pœnam posteriori modo possunt exercere vim suam in clericos, quia non exercent illam, nisi mediante judice: aut ergo judex ille erit laicus, aut clericus. Si sit judex laicus, non solum non potest exequi talem pœnam in clericum, verum etiam nec condemnare illum, nec cognoscere de causa, vel de peccato ejus, etiamsi legem civilem fuerit transgressus, quia non est judex competens ejus in aliqua causa, sive civili, sive criminali, ad quam clericus ut reus trahatur, sicut ostensum est; ergo per judicem sæcularem non potest lex civilis suam vim coactivam in clericum exercere. Si autem judex sit ecclesiasticus, non tenetur pœnam legis civilis clerico imponere; tum quia sæpe non erit vel decens, vel accommodata statui clericali; tum maxime quia judex ecclesiasticus non tenetur secundum leges civiles judicare, aut pœnas imponere, sed secundum jus canonicum; quod si in illo nulla lex sit designans pœnam pro tali delicto inferendam, judex eccle-

siasticus arbitrio suo illam imponet. Et poterit quidem, si opportunum, et absque inconvenienti fieri posse judicaverit, leges civiles imitari (nam canones ipsi hoc non dedignantur, ut ipsimet dicunt), non tamen tenetur. Nam lex civiliis, designando pœnam per judicem imponendam, instruit obligando judicem sæcularem, non ecclesiasticum, super quem jurisdictionem non habet. Et quamvis lex illa ut imponens pœnam in communi loquatur, abstrahendo a judice sæculari vei ecclesiastico, nihilominus sub ea ratione non est ex illis legibus communibus quas clerici observare tenentur. Quia uniformitas in suppliciis, et pœnis in omnibus membris reipublicæ non pertinet ad bonum regimen ejus, ideoque nec canones illam præcipiunt, nec ratio naturalis illam dictat, sed potius postulat ut pro diversitate statuum diversis modis transgressores puniantur. Definire autem pœnas clericis accommodatas pro quocumque delicto, non pertinet ad leges civiles, sed ad ecclesiasticas, et ubi illæ defuerint, arbitrio ecclesiastici judicis merito relinquuntur, quia ipse etiam melius judicabit de qualitate pœnæ clerico imponendæ, quam civilis potestas, sive per sententiam, sive per legem loquatur; ergo nullo modo lex civilis sub vi sua coactiva clericum comprehendit.

21. *Objectio.*—Dices: ergo clericus puniri non poterit propter transgressionem legis civilis, vel saltem judex ecclesiasticus non tenebitur illum propter tale delictum punire; consequens est valde absurdum, quia inefficax valde esset vis directiva sine ulla coactiva, et delicta publica contra commune bonum manerent impunita. Prior sequela probatur, quia clericus exemptus est a vi coactiva legis civilis; ergo exemptus est non solum a tali specie poenæ, sed etiam simpliciter a pœna, quia alias lex illa aliquam vim coactivam exerceret in clericum, ligando illum ad pœnam, seu debitum pœnæ inferendo. Et a fortiori non tenebitur judex ecclesiasticus tale delictum punire, quia vel reus ex vi talis legis simpliciter non subjicitur pœnæ, vel certe judex ipse non tenetur secundum talem

legem judicare, et ideo sicut non tenetur reum punire tali modo, ita nec simpliciter punire.

22. *Solutio.* —Respondetur negando sequelam quoad utramque partem; nam transgressor talis legis quamvis sit clericus, eo ipso quod transgreditur legem, quam quocumque titulo servare tenetur, fit reus pœnæ, non ex vi legis civilis, sed ex vi juris naturalis et gentium, quo peccator fit reus pœnæ, non solum apud Deum, sed etiam apud homines, quando crimen rempublicam offendit. Et ita cessat ratio in contrarium, quia hic reatus pœnæ non oritur proprie ex vi coactiva legis civilis tanquam ex causa, sed ex lege naturali; lex autem civilis solum fuit quasi remota occasio, quia, non posita illa lege, actio illa non fuisset mala, et consequenter nec pœna digna. Similiter ad alteram partem dico, teneri judicem ecclesiasticum punire simile delictum clerici, si ad judicium suum deferatur, non ex vi legis civilis, ut probat argumentum, sed ex vi legis justitiæ, et officii sui, quo tenetur vindicare et emendare delicta subditorum suorum, contra quamcumque legem commissa. Eo vel maxime quod illud crimen magis est contra legem canonicam, vel naturalem, quam contra legem civilem, etiamsi existentiam talis legis prærequirat.

23. *An leges civiles clericorum contractus irritare valeant.*— Quæri tandem hic potest an hæc exemptio clericorum respectu civilium legum extendatur ad vim irritandi aliquos actus, seu contractus humanos, quam hæ leges interdum exercent; quod est quærere an lex civilis irritans contractus, qui tam a clericis quam a laicis fieri solent, irritet etiam illos factos a clericis, ut, verbi gratia, an testamentum factum a clerico sine solemnitate requisita jure civili, sit validum, etc. Respondeo breviter, distinguendum esse de irritatione; quædam enim est pœnalis, et quæ in pœnam imponitur, vel quæ resultat ex inhabilitate aliqua ipso jure imposita per legem in pœnam alicujus criminis; alia vero est irritatio, quæ per se fit propter bonum commune, etiam si culpa operantis non intercedat. Dico ergo legem civi-

lem irritantem, si proprie pœnalis sit, non comprehendere clericos quoad vim, seu actum irritandi. Probatur, quia lex civilis non ligat clericum quoad vim coadtivam, nec quoad pœnam ipso facto impositam, quæcumque illa sit, ut probatum est; sed talis irritatio fit per vim coactivam legis, et per modum cujusdam pœnæ imponitur; ergo non ligat clericum irritando actum ejus; sicut etiam si imponat aliquam inhabilitatem ad similem actum, non inducit illam in clericum, quia omnes rationes factæ de cæteris pœnis, etiam in his procedunt.

24. At vero si lex civilis per se directe irritet actum propter bonum commune, dicendum est comprehendere clericos quoad vim irritandi, quia tunc non pertinet ad vim coactivam, sed ad directivam. Essetque hoc manifestum, si verum esset leges hujusmodi obligare clericos ex vi legis et jurisdictionis, quia tunc nihil est quod eximat clericum a tali effectu legis, cum ab eadem jurisdictione directiva morum procedat. Verumtamen etiam tenendo has leges solum obligare clericos vi rationis, id asseruit Vazquez l. 2, disp. 167, c. 4, quia talis (inquit) irritatio necessaria est, ut pax et bona reipublicæ gubernatio constet. Quod non caret difficultate, quia irritatio hæc positiva, seu per hominem inducta, non fit sine jurisdictione et potestate supra personam, vel voluntatem, cujus actus irritatur. Et ideo merito addere possumus, leges civiles habere hunc effectum, quia per jus canonicum simpliciter quoad vim directivam acceptantur, atque ita irritatio illa fundatur in jurisdictione potius ecclesiastica, quam civili. Unde etiam prædicta assertio limitanda est, ut non procedat, quando jus canonicum alia via sustinet actum, vel in favorem clerici, vel (ut sic dicam in favorem ipsius actus; tunc enim prævalet jus canonicum respectu clericorum. Ut, verbi gratia, testamentum clerici valet sine solemnitate civili, quia jus canonicum minori contentum est in favorem ultimæ voluntatis, c. «Cum esses», de Testament., et idem est in similibus.

CAPUT XVII

Quale sit Ecclesiarum privilegium quoad suam suorumque bonorum exemptionem ab oneribus, et a potestate sæculari

1. Superest dicendum de alia virtute legis humanæ, quæ est ad imponendum onera vel tributa subditis; et quoniam hæc interdum personis, interdum rebus ipsis solent imponi, ideo de illis sigillatim dicendum est. Quia vero non solum clerici, sed etiam Ecclesiæ ipsæ hac gaudent immunitate, dicemus prius de Ecclesiis ipsis, et ecclesiasticis bonis, postea vero de clericis et eorum bonis. Distinguimus ergo in primis bona ecclesiastica a bonis clericorum; nam priora, ut supra dixi, sunt magis sacra et religiosa, quia ad divinum cultum et ad opera pietatis per se ordinantur, bona autem clericorum de se mere temporalia sunt, quamvis personis ecclesiasticis quasi adhæreant, et ideo de his postea dicemus.

2. *Aliquæ Ecclesiæ acceptiones præmittuntur.* — Nunc circa bona ecclesiastica est ulterius advertendum, multa sub illis comprehendi posse, inter quæ primum locum tenent ipsæmet Ecclesiæ, a quibus reliqua bona sacra ecclesiastica denominari videntur. Quæri autem potest quid nomine Ecclesiarum, vel Ecclesiæ hic intelligamus. Potest enim intelligi vel templum ipsum, quod ad usum sacrificii, sacramentorum, et ut in eo fideles ad orandum, et verbum Dei audiendum conveniant, dedicatum et consecratum est; vel potest nomine Ecclesiæ particularis intelligi collegium clericorum, qui unicuique ecclesiæ seu templo ad servitium ejus, et divini cultus et fidelium curam, cæterarumque rerum sacrarum et bonorum custodiam et administrationem deputati sunt. Vel tertio nomine Ecclesiæ particularis intelligi potest tota congregatio fidelium ad eam-

dem ecclesiam seu templum pertinentium, quatenus in illa recipiunt sacramenta, et illius Pastori, in his quæ ad animam pertinent, proxime subsunt, et secundum eam rationem peculiarem unionem spiritualem habent.

3. *Quæ ex dictis acceptionibus præsenti inserviat instituto declaratur.*—Et quamvis verum sit vocem illam in omnibus his significationibus esse usitatam, præsertim in prima et tertia, nihilominus hæc ultima præsenti instituto non inservit. Quia Ecclesia illo modo sumpta non habet peculiarem exemptionem, seu libertatem ecclesiasticam, præter eam, quæ ad spirituale regimen spectat, de qua diximus in c. 2. Neque illa congregatio habet alia ecclesiastica bona, præter ea quæ ad clerum vel templum spectant. Ecclesia etiam secundo modo accepta, quæ frequentius dicitur clerus, vel capitulum, si consideretur ut persona quædam ficta, eamdem rationem exemptionis habet quam clerici, et ideo sub illis comprehenditur; si vero spectetur quoad bona ad usum sacrum et templi deputata, ejusque curæ commissa, sic non habet exemptionem aliam, præter illam quam de bonis ecclesiasticis explicaturi sumus. Superest ergo ut de ecclesia loquamur, ut est locus sacer, ad cujus servitium vel ornatum, et ad ministeria sacra quæ in illa fiunt, cæteraque opera pietatis alia bona ecclesiastica ordinantur.

4. *Variæ ecclesiarum immunitates.*—Potest item Ecclesia hoc modo sumpta considerari, vel sub generali ratione rei sacræ, et sic habet exemptiones, seu immunitates cæteris rebus sacris, cum quibus in illa generali ratione convenit, communes, de quibus statim dicemus. Vel etiam considerari potest Ecclesia sub ratione propria loci, seu domus quæ ad custodiendas vel protegendas personas quæ in ea existunt, vel ad eam confugiunt, vel ad custodiam rerum quæ in ea collocantur, ordinatur. Et sub hac ratione habent ecclesiæ et loca sacra, quatenus talia sunt, privilegia quædam propria, et sibi specialiter accommodata. Quæ privilegia in generali sumpta ex ratione naturali resultant, in particulari vero aliqua sunt per leges canonicas

determinata vel declarata. Supposita enim institutione et benedictione, vel dedicatione sacra talis loci, ratio ipsa naturalis dictat, ut ab omni actione indecente, vel quæ sit contra reverentiam tali loco debitam, servetur immunis. Quæ autem actiones cedant in injuriam vel irreverentiam loci sacri, si per legem ecclesiasticam non definiatur, prudenti arbitrio relinquendum erit.

5. Magna autem ex parte hoc determinavit ecclesiastica lex, privilegia aliquarum immunitatum ecclesiis conferendo. Primo, definiendo per quas actiones ecclesia polluitur juxta ecclesiasticam institutionem, easque vetando. Secundo, prohibendo ne ecclesiæ ut laicæ domus tractentur, in eis communia supellectilia sine magna necessitate recipiendo seu admittendo, c. 2, de Custodia Eucharistiæ. Tertio, præbendo ecclesiis immunitatem, et exemptionem ab actionibus forensibus, quæ ad sæcularia judicia, vel ad tractanda negotia politica aut bellica, vel ad mercaturam pertinent. Quarto, tribuendo ecclesiæ peculiarem vim custodiendi bona in eis deposita, vel quovis modo collocata, ut sine speciali sacrilegio per injuriam inde subtrahi non possint. Denique, ut alia omittam, datum est templis privilegium tuendi reos ad ea confugientes, ita ut a ministris sæcularis justitiæ sine injuria et gravi sacrilegio inde non possint per violentiam extrahi. De quibus immunitatibus dixi late in tract. 2 de Relig., toto lib. 3, et præsertim de hac ultima, a c. 8 usque ad finem, et ideo illam nunc prætermittimus. Solum enim ea tetigimus, ut constet quomodo ecclesia, prout est locus sacer, ab oneribus, seu actionibus, et (ut ita dicam) passionibus profanis, et ab Ecclesia prohibitis exempta sit. De exemptione autem a tributis respectu ecclesiæ sic acceptæ nihil dicere necesse est, quia, licet sit res immobilis, non est res (ut ita dicam) fructifera temporalium bonorum, seu fructuum, et ideo non est capax tributi, præterquam quod quatenus ecclesia est res sacra, habet, ut dixi, omnem exemptionem communem aliis bonis et rebus sacris, de quibus jam dicendum est.

6. *Bona ecclesiastica duplicia, quædam specialiter consecrata, alia non ita.*—Præter ecclesias ergo cætera ecclesiastica bona in duo membra distingui possunt: quædam sunt, quæ proprie dicuntur res sacræ, quia vel per specialem benedictionem consecratæ sunt, vel sunt instrumenta divini cultus; aliæ vero sunt quæ generale nomen retinent, et proprie dicuntur bona ecclesiastica, sive mobilia, sive immobilia, quæ, quatenus ad Dei cultum, sustentationem ministrorum, subsidium pauperum, et alias templorum expensas destinata sunt, inter res sacras computantur, teste D. Thom. 2. 2, q. 99, art. 4, et q. 185, art. 7. De rebus sacris prioris ordinis, certum est gaudere multis immunitatibus a communibus usibus, vel ministeriis, et ab omni injuria et iniqua alienatione. Nam hoc genus immunitatis ratione naturali fundatum est, quia sancta debent sancte tractari; ea vero, quæ Deo dicata sunt quamdam sanctitatem participant; ergo ipsa ratio dictat non esse ad usus profanos transferenda. Et ita in lege veteri vasa templi in magna erant veneratione, et ideo specialiter consecrabantur, ut ait D. Thomas 1. 2, q. 102, art. 4, ad 9, et propterea non poterant ad alios usus profanos, vel communes applicari. Unde, Daniel., 5, Balthasar, rex Babyloniæ, qui vasa templi in quodam suo convivio profanare ausus est, statim divinam sensit vindictam, ut ibi Hieronymus et Theodor. notant, et Stephanus Papa 1, ep. 1, ad Hilar., c. 3, et habetur in c. «Vestimenta», de Cons., dist. 1. Quin etiam inter gentiles suo modo fuit hoc jus rebus sacris conservatum, ut colligimus ex l. «Inter stipulantem», § «Sacra», ff. de Verb. obligat.; nunc autem maxime jure canonico confirmatum est, ut constat ex c. «Ligna», cum multis sequent., de Cons., dist. 1, et cap. «Quæ semel», cum sequent., 19, quæst. 3, et rex reg. «Semel», de Regulis juris, in 6; et novo etiam jure civili declaratum hoc est in l. «Sancimus», Cod. de Sacrosanct. Eccles.

7. *Res divino cultui dicatæ ab humanis usibus eximuntur.*—Pertinet autem hæc immunitas ad quamdam venerationem, seu honorarium cultum hujusmodi rerum sacrarum, et ideo in ma-

teria de adoratione explicata est. Et propter eamdem causam non ita convenit hæc immunitas aliis bonis ecclesiasticis secundi ordinis, quia illa non sunt proxima instrumenta divini cultus. Ideoque priora bona dici solent exempta ab humano commercio et usu; hæc vero posteriora esse possunt in humano commercio, et ad ordinarios usus applicari, dummodo debito modo et cum pietate fiat (1). Ut sumitur ex c. «Sine exceptione», c. «Aurum», et cap. «Gloria», cum aliis multis, 12, quæst. 2. Nam quia hæc etiam posteriora bona aliquo modo sacra sunt, hoc saltem ex vi suæ institutionis requirunt, ut solum in religiosos vel pios usus proxime consumantur, quia ad hunc finem Ecclesiæ data sunt, ut multi canones tradunt in dicta 12. quæst. 2. Quod bona sint immobilia vel pretiosa, peculiare habent privilegium, ut alienari non possint, nisi modo et ratione jure canonico præscriptis, cap. «Nulli», cum alias, de Rebus Ecclesiæ non alienandis.

8. *Omnia ecclesiarum bona gaudent privilegio fori.* —Præterea omnia ista bona ecclesiastica dici possunt gaudere privilegio fori, seu, quod idem est, esse exempta ab omni jurisdictione, seu potestate sæcularium principum seu magistratuum. Primo, quoad administrationem, nam per Ecclesiæ ministros custodiri, conservari, transferri, aut permutari, distribui, vel quando oportuerit, alienari debent, non per laicos, quibus nulla super hæc bona est atributa potestas, juxta supra dicta in cap. 2, et 15, et ex dictis ibi constat, immunitatem harum rerum quoad hanc partem ex jure divino descendere, supposita institutione Ecclesiæ, et potestate data Petro et successoribus ejus, ad universas res ecclesiasticas per se, vel per ministros suos, administrandas. Unde in Concilio Lateranensi, sub Leone X, in Bulla de Reformatione curiæ, § «Et cum fructuum», dicitur prohibitum esse jure divino, ne laici jus administrandi bona ecclesiastica usurpent.

(1) Vide Sarmient., de Reddit. eccles.

9. *Ratio dictæ exemptionis.*—Ratio vero est, quia hæc bona si considerentur ut sacra, per se ordinantur ad spiritualem et supernaturalem finem, et ideo ex vi juris divini administratio eorum ad spiritualem potestatem pertinet. Si vero considerentur ratione materiæ, sic, eo ipso quod tradita sunt Ecclesiæ, facta sunt extra dominium et potestatem laicorum, et divino cultui dicata sunt, et sub speciali ratione sub dominio Dei constituta, ut significavit Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 1, de Refor., prohibens Episcopis, ne res ecclesiasticas, «quæ Dei sunt», consanguineis donent, qui modus loquendi est frequens in sacris canonibus, ut videre licet in multis decretis, 12, quæst. 1 et 2, 16, q. 1 et 7, et in cap. «Cum secundum Apostolum», de Præbend., ubi hæc bona vocantur patrimonium Christi, quod etiam habetur in cap. «Cum ex eo», de Elect., in 6; et in c. «Tua nobis», de Præben. decimæ peculiari titulo et modo dicuntur esse bona Dei. Ergo administratio talium bonorum ad eos pertinet, quos Deus dispensatores suorum bonorum constituit; hujusmodi autem dispensatores sunt præcipue Romanus Pontifex, et sub illo Episcopi in suis diœcesibus, juxta mensuram potestatis sibi concessæ, ut Pontifices et varia Concilia docuerunt, quæ apud Gratianum videri possunt, dist. 96, præsertim cap. 1 et ultimo, et dicta 12, q. 1 et 2, et 17, q. 1 et 7. Et optime Ambrosius, in cap. «Convenior», 23, q. 8, ex epist. 33, ad Sororem. Et propterea sacrilegi appellantur, qui per potestates sæculares hujusmodi bona ecclesiastica usurpant, tanquam rerum sacrarum violatores.

10. *Bona ecclesiastica etiam a legibus civilibus sunt exempta.* —Secundo dici possunt hæc bona gaudere privilegio fori, quia exempta sunt a legibus civilibus, ita ut nihil circa illa in particulari disponere possint, ut ex dictis in capite præcedenti satis notum est, et sumitur ex cap. «Ecclesia», et cap. «Quæ in Ecclesiarum», de Constitut., et cap. ult., de Rebus Ecclesiæ non alienandis. Et traditur apertissime in Concilio Romano, sub Symmacho, quod allegavit Innocentius III, in dicto cap. «Ec-

clesia», et refertur in cap. «Bene quidem», 96 dist., ubi lex quædam super ecclesiastica bona lata a quodam Basilio, homine laico, et urbis Romæ Præfecto, licet esset favorabilis Ecclesiæ, nulla declaratur ex defectu potestatis. Ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis, vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo aliquid decernere de eclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur. Ratio ergo est, quia tales leges sunt nullæ, utpote sine jurisdictione factæ; nam sicut civilis magistratus aut princeps non habet potestatem administrandi ecclesiastica bona, ita nec jurisdictionem habet ad ferendas leges, per quas circa eadem bona aliquid disponat. Tum quia eadem ratio versatur, videlicet, quod hæc bona, eo ipso quod speciali titulo facta sunt divina et spiritualia, per specialem habitudinem ad supernaturalem finem, constituta sunt extra objectum et materiam jurisdictionis temporalis. Tum etiam quia dispositiones legum circa aliqua bona continent (ut sic dicam) principalem dispositionem, et administrationem talium bonorum quasi eminenter, seu virtute; quia hujusmodi leges sunt regulæ per quas dirigi debet talium bonorum administratio; ergo qui talia bona administrare non possunt, multo minus poterunt leges circa illa condere. Quapropter non minus juris divini est hæc exemptio a lege civili, quam ab administratione laicorum. Est tamen variis modis determinata hæc exemptio per ecclesiasticos canones, præscribentes modum circa alienationes, translationes, et alios modos dispensandi, vel administrandi hæc bona, ut videre licet in decretis antiquis allegatis, præsertim 12, q. 1, et toto titulo de Rebus Eccles. non alien., et in cap. «Pastoralis», de His quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli. Unde per easdem leges canonicas aucta est hæc exemptio per varia privilegia ecclesiis concessa circa bona sua, ut circa alienationes, præscriptiones, et similia, de quibus hic non est dicendi locus, sed videri possunt Doctores Canonistæ in cap. «Nulli», de Rebus

Ecclesiæ non alienandis, et Summistæ, præsertim Sylv., verb. «Alienatio», et verb. «Ecclesia», 2 et 3.

11. *Bona ecclesiastica exempta sunt a judiciis sæcularibus.*— Tertio, eadem ratione gaudent hæc bona exemptione ab onere judicii sæcularis. In quo breviter advertendum est, duobus modis posse hæc bona considerari: primo, præcise quatenus res sacræ sunt, et ut sic manifestum est non posse circa illa versari sæcularia judicia, nam si dubitatio aliqua vel lis circa illa, ut sacra sunt, moveatur, ex ipsa rei natura et divino jure ad ecclesiasticum judicium pertinet, quia est materia sacra et spiritualis; ut si tractetur, an ecclesia sit polluta, necne, vel an calix sit recte consecratus, et similia. Alio modo possunt hæc bona considerari ratione materiæ, secundum quam temporalia bona sunt, et de illarum dominio, vel jure utendi aut fruendi illis litigari potest, et hoc modo etiam constat hæc bona esse exempta a judicio sæculari, ut notant Glossa, Panormit. et Doctores, in cap. «Ecclesia sanctæ Mariæ», de Constit., per illum textum, et per cap. «Si clericus», cum similibus, de Foro comp., et cap. «Decernimus», de Judiciis, cum aliis quæ cap. 13 adduximus. Hæc enim pars fere coincidit cum his quæ ibi diximus de exemptione clericorum in causis civilibus. Nam si clerici eximuntur quoad propria bona a sæculari judicio, multo magis quoad bona ecclesiastica. Unde hoc intelligendum est cum declaratione ibi addita, nimirum, ut procedat, quando ipsa Ecclesia est rea, seu in judicium vocatur a laico, vel (quod perinde est) quando laicus prætendit talia bona esse sua, vel aliquod in eis jus habere. At vero si e converso Ecclesia, seu Pastor ejus pro hujusmodi bonis, quæ ecclesiastica esse prætendit, laicum conveniat, tunc non habet locum exemptio a sæculari judicio, quia reus in foro suo conveniri debet, nisi fortasse sacrilegium intercesserit, ratione cujus potest reus immediate trahi ad judicium ecclesiasticum, ut in prædicto capite satis explicatum est.

CAPUT XVIII

An exemptio a tributis sæcularibus conveniat ecclesiis, earumque bonis, quatenus Christi patrimonium sunt

1. *Bona ecclesiastica quædam mobilia, alia immobilia, utraque quid.*—Ecclesiarum nomine, ut præcedenti capite explicavi, ipsa materialia templa vel loca sacra intelligimus; per ecclesiastica autem bona res omnes sacras, et quæ ad usus ecclesiarum, Deo, seu ipsis ecclesiis donatæ sunt, et sub administratione ejusdem ecclesiæ, seu ministrorum ejus perseverant. Nam de bonis propriis clericorum postea dicemus. Distingui autem possunt hæc bona in immobilia et mobilia. Sub immobilibus non solum fundos, prædia, domos, et similia corporalia bona, quæ fixam radicem habent, sed etiam jura fructifera, ut census, quibus annui redditus respondent, et servitutes, et similia bona perpetua, quæ incorporalia dicuntur, comprehendimus, juxta juris consuetudinem, in Clementin. «Exivi», § «Cum annui redditus», de Verbor. signific., et quæ notantur a Doctoribus, in cap. «Nulli», de Reb. eccles. non alienand.; et Glos., in cap. 2, de Reb. eccl. non alienand., verb. «Jura.» Sub mobilibus autem cæteras res omnes ecclesiæ usibus deputatas, cujuscumque æstimationis vel valoris sint, compléctimur. Nam licet, in ordine ad perpetuam conservationem, prohibendamque alienationem, soleant res pretiosæ ecclesiæ sub immobilibus comprehendi, quia eodem jure censentur, ut notat Panormitan., in cap. «Tua», de His quæ fiunt a Prælatis, etc., tamen in ordine ad tributa non habent peculiarem rationem, et ideo inter mobilia censentur sicut revera talia sunt, juxta l. «Lex quæ mancipia», Cod. de Administrat. tutorum. Ea vero, quæ se moventia vocantur, licet immobilia proprie dici non possint, ut per se constat, qua-

tenus fructifera esse solent, et per quamdam successionem possunt esse perpetua, ad illa nunc revocantur.

2. *Sæcularia tributa quæ.*—Per tributa vero sæcularia, illa intelligimus quæ a regibus seu temporalibus monarchis, vel aliis magistratibus jure possunt vel solent imponi. Nam de tributis quæ a Summo Pontifice possunt exigi, et ecclesiastica possunt vocari, non est in præsenti consideratio; illa enim non sunt contra exemptionem ecclesiasticam, nam hæc est a potestate civili, non a Pontificia. Imo, quia hæc bona subsunt plene potestati Pontificis, eximuntur a potestate sæculari, eoque ista exemptio refertur, ut illa subjectio plene possit impleri; ideoque dubium non est quin ecclesiastica bona possint aliquibus tributis ecclesiasticis subjici, saltem per Summum Pontificem, qui est supremus eorum dispensator. Qualia vero et ob quas causas futura sint, et an ab inferioribus Prælatis introduci possint, non est, ut dixi, præsentis considerationis, sed in materia de præbendis et beneficiis ecclesiasticis tractandum est.

3. *Tributa sæcularia duplicia.*—Deinde tributa sæcularia, quamvis multiplicia sint, ut in lib. 5 de Legib. dixi, in præsenti in duo capita distingui possunt, juxta divisionem positam rerum mobilium et immobilium: quædam ergo tributa de rebus immobilibus postulantur, et solent vocari tributa realia, seu pensiones aut vectigalia, quamvis hæc nomina interdum communiora sint. Alia vero sunt tributa quæ de rebus mobilibus petuntur, ut gabella, quæ etiam vectigal a vectando appellatur. Est enim differentia notanda inter res mobiles et immobiles, quod mobiles, quia non sunt fructiferæ, de se non sunt capaces tributorum, nisi quatenus subsunt negotiationi, vel transportationi ab uno loco in alium, et ideo talia tributa inde accipiunt nomina vectigalium, etc. Res autem immobiles, quatenus fructiferæ sunt, per se sunt capaces alicujus pensionis, et ideo hac voce circa illas utemur.

4. *Prima conclusio: omnia ecclesiastica bona a tributis sunt exempta.*—Dico ergo bona ecclesiastica, tam mobilia quam im-

mobilia, a tributorum solutione esse exempta. Conclusio est certa, et communis Doctorum, locis infra citandis, et sumitur ex c. «Non minus», et cap. «Adversus», de Immunit. ecclesiar., et cap. «Quanquam», de Censib., in 6, et c. 1, de Immunit. ecclesiast., in 6 ; et Clement. 1, eodem titul., et in Extravag. «Quod olim», eodem. Item in jure civili confirmata est hæc immunitas, præsertim in constitutione Friderici post libros Feudorum, et habetur etiam in l. 1, § «Item nulla», C. de Episcop. et Cleric. Denique optimum argumentum sumitur ex cap. 2 de Censib., quatenus dicit tributum esse signum subjectionis; cum ergo neque ecclesiæ, neque earum bona sint subjecta potestati sæculari, neque etiam tributis sæcularibus subjici possunt. Quæ ratio generalis est de omnibus ecclesiasticis bonis, et ita etiam loquuntur alia jura.

3. *Ratione probatur conclusio.* — Ut autem fundamentum hujus immunitatis in his bonis specialiter declaremus, advertere oportet duos respectus in eis considerari posse, ut in eis hæc immunitas fundetur: unus est, quod hujusmodi res sunt sub speciali dominio Dei, ut dixi ; alius est, quia tales res sunt specialiter consecratæ aut benedictæ. Prior respectus generalis est omnibus his bonis, quæ ecclesiastica nuncupantur, et ideo de illo in hoc capite dicemus ; de altero vero, qui minus universalis est, dicemus capite sequenti. Dico ergo, habitudinem illam ad Deum tanquam ad peculiarem dominum sufficere ad fundandam dictam exemptionem, non solum in humano, sed etiam in divino et naturali jure. Nam, si dominus bonorum non potest esse subjectus tributis, neque etiam ipsa bona possunt tributis onerari, ut infra etiam de clericis dicemus, tum quia bona adhærent personæ, et sequuntur conditionem ejus tanquam accessorium principale ; tum etiam quia solutio talis tributi per se non potest ab alio, nisi a domino bonorum postulari, et ita necesse est ut in ipsum redundet, et virtute illi tributum imponatur. At vero dominus horum bonorum ecclesiasticorum non potest esse subjectus tributis, cum sit ipse-

met Christus ; ergo neque ipsa ecclesiastica bona. Atque hic optime accommodantur verba Christi : «Ergo liberi sunt filii», nam filius naturalis regis, sicut in persona sua exemptus est a tributo, ita et in suis propriis bonis ; ergo multo magis bona ecclesiastica, quæ propria sunt Christi, et veluti proprium patrimonium ejus, ut Concilia loquuntur, libera sunt a vectigalibus et tributis.

6. *Objectio.* — Dices, proprium et quasi proximum dominium horum bonorum revera non esse immediate apud Deum, vel Christum solum, sed apud aliquos homines, vel hominum congregationem habentem jus utendi, et fruendi talibus bonis et de illis disponendi in omnem usum lege non prohibitum. Ut verbi gratia, bona alicujus monasterii ecclesiastica sunt, et tamen dominium illorum est apud conventum talis monasterii, et bona alicujus Ecclesiæ matricis sunt sub dominio totius cleri talis Ecclesiæ, ut est quædam particularis et spiritualis congregatio ex clericis coalescens. Ergo ille titulus divini dominii non est sufficiens ad fundandam hanc exemptionem a tributis, quia tributum magis consideratur respectu proximi domini, nam ab illo solvendum est. Alioqui etiam «Domini est terra, et plenitudo ejus» ; omnia enim altius et perfectius sunt sub dominio divino, quam humano ; tamen, quia illud dominium divinum non excludit humanum, sub hoc posteriori respectu bona humana capacia sunt tributorum ; ergo idem erit cum proportione in bonis ecclesiasticis. Nam, licet peculiari modo dicantur esse Dei, quia ad ejus cultum peculiari modo ordinata sunt, nihilominus quatenus sunt bona temporalia, quibus homines uti debent, non possunt non esse sub aliquo humano dominio.

7. *Prima responsio.* — Duobus modis respondemus: primo, negando assumptum ; est enim valde probabilis sententia Navarri asserentis bona ecclesiastica proxime et immediate esse sub dominio Dei, et Christi Domini, non per metaphoram, sed per omnimodam proprietatem, ita ut nullus homo vel homi-

num congregatio habeat proprium dominium, sed tantum dispensationem cum majori vel minori plenitudine potestatis. Quam sententiam dicit Navarrus esse communem consensum omnium catholicorum Doctorum. Et eam late probat decretis Pontificum et Conciliorum, ac rationibus, ut videre licet in Apologia de Redditibus ecclesiasticis, q. 1, monito 18 et 24, et in noviori editione tract. de Redditib., q. 1, monit. 16, 21 et 30, et q. 3, monit. 31, n. 7.

8. *Bona ecclesiastica esse immediate sub dominio Dei probatur.* — Estque hæc opinio satis pia et probabilis, quæ hac ratione præter alias suaderi potest, quia si aliquis homo esset dominus bonorum, maxime Summus Pontifex, nam apud illum est suprema potestas dispensandi omnia ecclesiastica bona, ut supra visum est, et passim in canonibus traditur, dist. 96, 12, q. 2, et in titulis de Reb. Eccles. non alienand., et de Immunit. Ecclesiar. At Pontifex ipse non habet proprium dominium rerum ecclesiasticarum, etiam illarum quæ specialiter sunt Ecclesiæ Romanæ, ut sumitur ex Concilio Romano III, sub Symmacho, c. «Non licet», 12, q. 2. Non enim potest suo arbitrio hæc bona expendere, vel alienare, sed tantum ut fidelis dispensator et prudens ; ergo nec tota Ecclesia universalis habet tale dominium in talia bona, quia ipsi videantur in suo capite donata, sicut neque aliqua Ecclesia particularis habet proprium dominium suorum bonorum ecclesiasticorum, quia quælibet Ecclesia pendet a Pontifice in suorum bonorum administratione, et universalis Ecclesia etiam in hoc est illo inferior ; ergo omnes isti sunt tantum dispensatores horum bonorum, et non veri domini. Neque est inconveniens quod aliqua bona humana et temporalia fiant extra dominium mortalium hominum, quia fideles altiori mente quam humana, scilicet, per fidem operando, illa Christo donare potuerunt, et voluerunt, et ipse quamvis per ministros suos illa acceptet, fieri potest, et fit proprius illorum dominus.

9. Quia vero non desunt graves auctores qui dominium

harum rerum apud homines esse dicunt, saltem apud Ecclesiam, vel universalem, vel particularem respective, juxta intentionem eorum qui talia bona Ecclesiis donarunt, ut videre licet in Turrecr., c. «Videntes», 12, q. 1, in art. 2, et Cajet. 2. 2, q. 43, art. 8, ideo respondendum est aliter, abstrahendo ab opinionibus, inter quas fortasse, quod ad hoc punctum attinet, magis est quæstio de nomine quam de re. Dico ergo, esto talia bona sint sub aliquo humano dominio, hoc non obstare quominus a tributis exempta esse debeant divino jure, Tum quia, non obstante illo dominio Ecclesiæ, negari non potest quin ad jus Christi Domini peculiari modo pertineant, cum ad ejus cultum et honorem peculiariter donata sint, propter quod patrimonium Christi dicuntur, ut vidimus; et in canon. 39 Apostolor., alias 40, vocantur hæc bona «Dominica», seu «res Dominicæ»; hoc ergo satis est, ut neque ad alios usus applicari, nec tributaria fieri debeant. Tum etiam quia illæmet personæ, vel communitates quibus talium rerum dominium attribuitur, non sunt subjectæ sæcularium principum jurisdictioni; ergo nec talia bona debent ab eisdem principibus tributis subjici, juxta regulam paulo antea positam. Assumptum declaratur, quia Ecclesia, sub cujus dominio dicuntur esse hæc bona, non habet hoc dominium, ut est communitas civilis, sed ut ecclesiastica, et ut est corpus Christi mysticum; sed Ecclesia, ut talis est, non subest sæculari principi, sed Pontifici; ergo nec ecclesiastica bona.

CAPUT XIX

An exemptio a tributis sæcularibus conveniat ecclesiæ, et rebus sacris ob earum specialem sanctitatem seu consecrationem.

1. Aliud fundamentum hujus exemptionis esse potest peculiaris consecratio, aut benedictio, vel deputatio talium rerum, ut sint quasi proxima instrumenta divini cultus. Quæ ratio non est ita universalis sicut præcedens; in his tamen rebus, in quibus reperitur, sufficientem causam huic exemptioni a tributis præbet. Et imprimis inter bona immobilia tantum ecclesiæ ipsæ, seu templa, et similia loca divino cultui proxime dicata, hunc peculiarem modum sanctitatis participant. Jam cætera bona immobilia, ut sunt prædia Ecclesiarum, et similia, non habent hujusmodi respectum, sed solum illum, ratione cujus remote pertinent ad divinum cultum, quatenus ad sustentationem ministrorum ordinantur. Et ideo D. Thom. 2. 2, q. 99, art. 1, hæc bona collocat in ultimo gradu tertiæ speciei rerum sacrarum, cum tamen templis et locis sacris secundam speciem tribuat.

2. *Prima conclusio : locis sacris etiam ratione consecrationis debetur immunitas.* — Inter bona ergo immobilia ecclesiastica, templa, et loca sacra merentur (ut ita dicam) hujusmodi exemptionem a tributis ob peculiarem titulum sanctitatis. Ita infertur ex c. «Secundum canonica», et c. «Sancitum est», 23, q. 8, et c. 1, de Censib., in quibus area ecclesiæ seu fundus ubi ædificata est, imo et horti juxta ecclesiam positi, et prædia ad dotem ecclesiæ peculiariter collata (quæ solent mansus appellari), a tributis eximuntur; ergo multo magis domus ipsæ, seu fabricæ templorum aut ecclesiarum, eadem gaudent exemp-

tione. Nam reliqua, quæ adjacent ecclesiæ, et sunt quasi par tes ejus, eximuntur propter sanctitatem ipsarum ecclesiarum ergo multo magis ipsæ ecclesiæ, juxta dialecticorum regulam «Propterquod unumquodque tale», etc. Quamvis possit etiam alia ratio in ecclesiis considerari, quia non sunt res fructiferæ aliquorum temporalium proventuum, neque habent usum civi lem, seu sæcularem pretio æstimabilem, sed tantum usum sa crum, ad quem sanctificatæ sunt, vel peculiariter dicatæ; e ideo intrinsece sunt incapaces temporalis tributi. Et eadem ratio exemptionis invenitur in area ecclesiæ, et in atriis, et in aliis partibus, vel locis adjacentibus ecclesiæ, quæ alium fruc tum non habent præter ejusdem ecclesiæ usum, seu servitium. Dos autem seu mansus ecclesiæ licet temporales proventus ferr possit, quia vero omnes illi fructus ad ecclesiæ sustentationem censentur necessarii, ideo cum ipsa ecclesia dos ejus eximitur.

3. *Bona ecclesiastica, ad sustentationem ministrorum ordinata, non eximuntur ratione alicujus consecrationis.*—In aliis autem ecclesiasticis bonis, tam immobilibus quam mobilibus, quæ tan tum ad sustentationem ministrorum, vel expensas ecclesiæ ordinantur, ut sunt pecunia, triticum, vinum, et aliæ res usu consumptibiles, non habet locum ratio specialis consecrationis ut constat, sed solum eximuntur in prædictis juribus, vel ex ratione generali divini dominii, vel quia integre et sine dimi nutione ad sustentationem ecclesiæ necessariæ sunt. Hæc ta men posterior ratio minus universalis videri potest, quia inter dum possunt esse abundantiores alicujus ecclesiæ fructus, ita ut sumptus computentur, sicut revera fieri debet, atque ita illa ratio, moraliter loquendo, erit etiam adæquata et universalis. Alia vero sunt mobilia bona ecclesiæ, quæ peculiari et latiori modo res sacræ dicuntur, quas D. Thomas supra, in tertia spe cie et in secundo gradu ejus numerat. In primo enim gradu po nit sacramenta, quæ ad præsens non referunt; in secundo vero ponit vasa consecrata, imagines sacras, et reliquias Sanctorum, sub quibus comprehendit etiam vestimenta sacra; imo et ge-

eraliter addit omnia quæ ad ornatum ecclesiæ et ministrorum ertinent; eademque ratio, vel major est de chrismate, et oleo enedicto, quæ ab sacramenta reduci possunt; itemque de Ag- us Dei, granis benedictis, et similibus.

4. *An res sacræ si ratione materiæ vendantur, tributis subji- antur.* — De hoc ergo posteriori genere rerum sacrarum dubi- ri potest, an, secluso respectu ad peculiare dominium Dei, vel ecclesiæ, ex vi solius consecrationis, seu quasi sanctificationis iam habent, exemptæ sint a tributis, quorum res mobiles sunt paces, ut gabellarum, si ratione materiæ vendantur, aut vec- galium, si ab uno in alium locum transferantur. In quo dubio hil invenio specialiter dictum ab auctoribus. Solum enim de onis ecclesiasticis in generali tractant, et de illis, tam mobili- us quam immobilibus, indefinite, ac proinde universaliter de- iiunt a tributis esse exempta. Sub bonis autem ecclesiasticis nnes res sacras, quas enumeravimus, plane comprehendunt, consequenter sentiunt omnes illas eadem exemptione gau- re. Potest autem hæc sententia fundari in alio principio, ni- irum, quod illi duo respectus supra positi, scilicet, rei exis- ntis sub peculiari dominio Dei, et rei specialiter sacratæ et vino cultui proxime dicatæ, ita distinguantur, ut prior res- ctus possit separari a posteriori, tanquam universalior illo; hilominus posterior nunquam separetur a priori, quia, eo ipso od res aliqua est aliquo modo sacra, desinit esse sub humano minio, et ad solum divinum proxime pertinet, et inde conse- enter fit ut a tributo humano sit exempta, remote quidem tione consecrationis, proxime vero ratione personæ Christi, b cujus dominio existit.

5. *An res sacræ ex vi solius consecrationis ab humano domi- o eximantur.* — Illud autem fundamentum, nimirum, rem sa- am, eo ipso quod talis est, extra humanum dominium fieri, lde commune est inter jurisperitos; ita enim sentit Glossa de ous inanimatis, in c. «Frequens,» dist. 54, v. «Reddi,» et c. «Comperimus,» 14, q. 6, et in c. «Episcopus in Diœce-

sim,» 7, q. 1, v. «Altaria,» quas Glossa sibi Doctores probant Verum est illas expresse non dicere, rem inanimem consecra tam non posse esse sub humano dominio, sed non posse a vulgares et communes usus iterum converti, et ideo si res ant consecrationem erat sub alicujus dominio, et invito domin consecrata sit, non esse illi restituendam. Quod videtur apert docere Gregorius, in d. capit. «Comperimus,» alias lib. 6, ep. 58 in d. 2 Clarius Navarr., in dicta Apolog. de Reddit., monit. 24 n. 5, universaliter ait, bona sacra nullius puri hominis vel ho minum esse, sed Dei tantum, et Domini nostri Jesu Christi Quod probat ex § «Nullus,» Inst. de Rerum divis., ubi res sa cræ nullius esse dicuntur, ubi ratio redditur his verbis: «Quod enim divini juris est, id nullius in bonis est.» Non dicitur au tem esse nullius, quia ita careat domino, ut possit fieri prim occupantis; ergo dicitur nullius, quia non est sub dominio ali cujus puri hominis, sed sub speciali dominio Dei, ut notavi Glossa, in dicto § «Nullius,» et in l. 2, ff. de Rerum divis., quæ Glossæ ibi communiter approbantur, ut Navarr. refert. Et pro hac sententia allegari possunt jurisperiti dicentes, si quis fure tur calicem ex privata domo, non competere actionem furt contra illum domino domus, nisi fortasse nomine Dei, quia res sacra nullius hominis est, sed solius Dei, ut videre licet apud Sylvestr., v. «Sacrilegium,» § 2. Denique confirmari potest hæc sententia, quia laicis non licet vasa aut vestimenta contrecta re, c. «In sancta,» et cap. «Vestimenta,» de Consecr., dist. 1 cum similibus; ergo multo minus capaces sunt dominii taliun rerum.

6. *Res sacræ ex vi solius consecrationis non eximuntur ab humano dominio.* — Hoc autem fundamentum ita indistincte sumptum non videtur verum, saltem in eo rigore in quo Na varrus loquitur. Primo, quia nullum est jus ecclesiasticum, quo omnes privatæ personæ, vel communitates humanæ incapaces fiant dominii talium rerum, eo ipso quod consecratæ sunt; ne que etiam ex natura rei sunt incapaces, nam possunt habere

erum titulum dominii circa rem ipsam, seu circa materiam rei onsecratæ, nulla enim ratio est cur consecratio sola dominium uferat. Multi enim Theologi dicunt hominem habere domiium, etiam ipsius gratiæ, quæ multo magis supernaturalis est uam vas consecratum. Deinde si persona privata sit ecclesiasica, præsertim sacerdos, non est cur non possit esse proprie ominus calicis, vel aliarum rerum sacris ministeriis deservienium, quia ex parte materiæ potest illas suis sumptibus facere, t ex parte consecrationis potest illis libere et suo jure uti legimo usu, quod satis est ad rationem dominii. Si vero sit laicus, otest etiam habere titulum dominii circa materiam. Et licet ost consecrationem non possit per se ipsum licite illis rebus ti, propter incapacitatem personæ, potest tamen illis uti per lios convenientes ministros, et similiter aliis potest facultatem oncedere utendi hujusmodi rebus, et ipso invito nemo potest ales res vel usum earum usurpare sine injustitia; ergo signum st privatum hominem, etiam laicum, posse habere talium reum dominium. Denique usus etiam et experientia hoc persuaet, nam multæ privatæ personæ possident tanquam proprias ujusmodi res consecratas, ut vestimenta sacra, et calices, et aramenta altarium, quæ sæpe habent in suis privatis oratoriis, quibus, vel etiam in propriis cubiculis habent sacras imagies, reliquias Sanctorum, et alias res benedictas, de quibus iam disponunt tanquam proprii domini, donando, mutando, el etiam vendendo, quantum ex parte materiæ fieri potest, uæ omnia non solum ecclesiasticis, sed etiam laicis licita esse lem usus persuadet, nam ab hominibus piis et prudentibus unt, et a Prælatis sine reprehensione vel contradictione toleantur.

7. *Verum furtum committit, qui rem consecratam alicujus rivatæ personæ surripit.* — Quapropter non videtur verum esse, uod prædictæ Glossæ absolute dicunt, hujusmodi res semel onsecratas non esse laicis reddendas, etiam si ante consecraonem ipsorum essent, et ipsis invitis consecratæ sint. Nam

imprimis hoc non dicit Gregorius, in d. c. «Comperimus,» in quo loquebatur de quibusdam synagogis Judæorum, quæ ipsis invitis in ecclesias fuerant translatæ et consecratæ, de quibus ait Gregorius, licet consecratæ fuissent sine causa, nihilominus non esse reddendas Judæis, sed pretium domorum solvendum; et rationem reddit, «quia quod semel consecratum est, non valet Judæis restitui.» Ubi non loquitur universe de laicis fidelibus, sed de Judæis infidelibus, qui ad usus profanos illas domos convertere volebant, quod post consecrationem non licet. Unde ex illa sententia pro laicis fidelibus ad summum colligere licet, non esse illis res sacras reddendas, imo nec permittendas, ut eis ad profanos seu communes actus utantur; si autem solum ad sacros usus illas possidere et retinere velint, non est cur illis non tradantur, si alioqui jus proprium in hujusmodi res habere supponantur. Atque ob similem rationem non videtur vera alia juristarum assertio, videlicet, non committere verum furtum, qui calicem, verbi gratia, aut aliam rem consecratam a privata persona, quæ eam tanquam propriam possidet, surripit. Nam, licet illi furto addatur circumstantia sacrilegii, non ideo tollitur vera malitia furti, nam est injusta acceptio rei alienæ, invito domino. Neque illa injustitia est contra alium, præterquam contra illum qui rem illam, licet sacram, tanquam propriam possidet; ergo contra illum furtum committitur, et non est cur actio furti illi denegetur. Non videtur ergo illo modo satis expediri proposita difficultas.

8. *Res consecratæ, etiamsi ab humano dominio non eximantur, manent a tributis exemptæ. — Materia rei semel consecratæ iterum ad profanos usus applicari nequit.* — Nihilominus tamen probabilius mihi videtur, hujusmodi res ex vi suæ consecrationis exemptas esse a vectigalibus et similibus tributis, quia jura et doctores indifferenter loquuntur de bonis ecclesiasticis, sub quibus omnes res sacras comprehendunt. Item quia est hoc valde consentaneum divino et naturali juri, quia his rebus tanquam sacris debetur honorarius et religiosus cultus, ut in sep-

Synodo dicitur; ergo contra rationem est, ut per exactio-
tributorum profanentur. Præterea, quia licet negare non
possimus, hujusmodi res sacras interdum esse sub dominio pri-
atorum fidelium, nihilominus etiam verum est, ad Deum spe-
iali jure et titulo pertinere, quatenus ad illius cultum ita
parate sunt, ut jam non possint ad profanos usus converti, præ-
sertim quamdiu consecrationem, et formam ad illam necessa-
riam retinent; imo, etiam si illam amittant, materia ipsa prop-
ter respectum ad priorem consecrationem a communibus usibus
separatur, juxta cap. «Ligna,» et cap. «Altares,» de Consecr.,
dist. 1. Ex quo etiam fit ut, licet manere possint sub hominis
dominio, nihilominus dominium illud valde restringatur, et
coarctetur ad solum usum sacrum; ergo merito hujusmodi res
exemptæ esse debent a tributo, tum quia videtur peti propter
habitudinem, quam habent ad usum sacrum, cum jam non ha-
beant alium moralem usum; tum quia videtur exorbitans et
iniquum, temporale tributum exigere a domino talis rei, cum
jam illam non ut temporalem, sed ut sacram, et quodammodo
spiritualem possideat.

CAPUT XX

Utrum quælibet bona cum ecclesiastica fiunt, eo ipso sint ab omni tributo et onere civili illis inhærente exempta

1. Hæc quæstio maxime locum habet in rebus immobilibus, nibus solent imponi onera realia, quæ ipsis moraliter inhærent, t cum illis incedunt, et ratione illarum solvuntur, quatenus ructiferæ sunt, vel usum habent pretio æstimabilem, distinctum dominio. Rebus autem mobilibus non solent imponi ista nera, seu tributa realia propter contrariam rationem, quod per e fructiferæ non sunt, ideoque solum de illis exiguntur tri-

buta, mediante aliqua actione, qualis est negotiatio, vectio, etc. Non repugnat tamen super rem mobilem imponi onus per modum alicujus servitutis, et ideo generalis proponitur quæstio, an quæcumque bona desinant esse cuicumque civili aut sæculari oneri subjecta, eo ipso quod ecclesiastica sunt.

2. *Prima sententia negans.*—Ratio autem dubitandi est, nam pensio aliqua seu tributum potest super hæc bona imponi, vel postquam facta sunt ecclesiastica bona, vel antequam Ecclesiæ donata fuerunt. De prioribus tributis certissimum est, bona hæc, postquam ecclesiastica facta sunt, non posse fieri tributaria; quod in universum sine exceptione procedit, ut jura allata probant, et omnes scriptores catholici sine dissensione fatentur. De posterioribus autem oneribus est non parva controversia, nam communis sententia tenet, bona ecclesiastica non eximi a tributis realibus quæ ipsis inerant, priusquam ecclesiastica fierent. Ita tenet Barthol., in leg. «De iis,» Cod. de Episc. et Cleric., et in leg. «Placet,» Cod. de Sacros. eccles.; Innocent., in c. «Non minus», de Immunit. eccl., n. 4; Glossa, in c. «Secundum canonicam,» 23, q. 8, quam ibi sequitur Archidiaconus; item Glossa, in c. «Tributum,» v. «De exterioribus,» et in c. «Sancitum,» v. «Annua,» et in c. «Secundum,» eadem causa et quæst., et in capite primo de Immunitat. ecclesiarum, in 6, verb. «Bonorum,» ubi idem Joann. Monachus et Joannes Andreas docent; et Panormitan. in dicto capit. 1 de Censib., numero sexto et septimo, et in cap. ultim. de Vita et honestate Clericorum, num. duodecimo. Ubi declarat opinionem hanc esse intelligendam, quando onus est perpetuum et invariabile, quia tunc intelligitur esse annexum possessionibus, non vero alias. Idem habet in cons. 26, volum. 1, et cons. 3 et 6, volum. 2. Et hanc opinionem sequitur Sylvest., verb. «Immunitas, 1, quæst. 5, versicul. «Tertium,» quamvis fateatur hoc in Italia non servari; et Angelus, eodem verb. «Immunitas,» n. 36, ubi distincte explicat hoc procedere, sive onus impositum fuerit ex dispositione publica, puta principis, sive ex disposi-

tione privata. Et idem cum eadem declaratione latius tradit Gregor. Lopez, partit. 1, titul. 6, l. 51, Gloss. 4, et tit. 15, l. 1, Gloss. 4, in fine, ubi etiam leges regni Castellæ in eamdem sententiam allegat.

3. *Primum fundamentum.—Secundum.— Tertium. — Prima confirmatio. — Secunda confirmatio.* — Fundatur hæc sententia primo in aliquibus juribus civilibus, præcipue in l. ult., Cod. de Exaction. tributorum, lib. 10, Auth. «Idem prædium,» C. de Sacros. Eccles., quæ refertur etiam a Gratiano, in § «Idem prædium,» 10, q. 2, quatenus ibi supponitur, prædium Ecclesiæ posse habere onus fiscale, id est, tributi solvendi principi, ut notat etiam Glossa ult., in Authent. «Sicut alienatio,» Cod. eodem. Expressius hoc fundatur in leg. «Placet,» Cod. de Sacros. Eccles., et leg. «De iis,» Cod. de Episc. et Cleric., et a simili in l. 1, Cod. de Indiction,, lib. 10, ubi dicitur, similia bona transire ad fiscum cum onere, etiam si fiscus jure civili soleat in privilegiis Ecclesiæ æquiparari. Secundo fundatur in juribus canonicis, cap. «Convenior,» cum aliis proxime allegatis, ex 23, q. 8, et c. «Si tributum,» et c. «Magnæ,» 11, q. 1. Tertio additur urgens ratio, quia res habens annexum onus transit cum onere suo; ergo si bona antequam essent Ecclesiæ, habebant hoc onus annexum, cum illo transeunt ad Ecclesiam, quando illi donantur, vel ab illa emuntur, et consequenter Ecclesia tenebitur ad solvendum onus seu tributum ratione rei acceptæ. Consequentia videtur clara, et antecedens imprimis est vulgare in jure, c. «Ex clericis,» de Pignor., et in c. «Si quis laicus,» 16, q. 1, cum similibus. Et ratione videtur efficaciter probari, quia nemo potest plus juris in alterum transferre, quam ipse habeat; ergo qui non habet dominium rei, nisi cum tali onere, non potest illam, nisi cum eodem onere, in Ecclesiam transferre, quia sicut non erat in potestate sua rem illam habere vel possidere sine tali onere, ita nec potest facere ut ab alio sine onere possideatur. Et confirmatur ac declaratur hæc ratio, quia alias fieret injuria principi, vel alteri habenti jus ad

illud onus, quia privaretur jure suo sine suo consensu, quod est contra naturalem justitiam. Et confirmatur secundo, quia alias donationes immobilium bonorum ecclesiis factæ cederent in magnum præjudicium principum temporalium, quia privarentur magna parte suorum proventuum, quibus ad sustentanda onera, et honorem sui muneris, maxime indigent. Quod argumentum sæpius inculcat in suo libello rex Angliæ, ut christianos principes contra immunitatem ecclesiasticam moveat.

4. *Secunda sententia affirmans.*—Nihilominus non desunt auctores qui absolute dicant, bona ecclesiastica non solum non posse novis tributis onerari, verum etiam eximi a tributis solvendis, quibus bona onerata erant, priusquam ipsi Ecclesiæ acquirerentur, seu (quod perinde est) bona ipsa liberari a talibus oneribus, eo ipso quod in Ecclesiam transferuntur. Pro hac sententia citat Panormitan. Glossam, in dicta leg. «Placet,» Cod. de Sacros. Eccles., et in dict. leg. «De iis,» Cod. de Episc. et Cleric., quia dicit leges illas revocatas esse per constitutionem Friderici; quod etiam asseruit Cynus, in dict. leg. «Placet,» in fine. Verumtamen hinc non satis colligitur, illas glossas fuisse hujus sententiæ, nisi supponatur Fridericum in sua constitutione locutum esse de oneribus etiam realibus adhærentibus ipsis bonis, priusquam ad Ecclesiam pervenirent, quod tamen dictæ Glossæ non declarant: in hoc autem favent, quod indefinite et sine limitatione loquuntur. Hanc vero sententiam late, et satis diligenter et erudite persuadere conatur Cardinalis Albanus, in tract. de Immunit. ecclesiast., cujus sententia valde pia, et ad veritatem accedere mihi videtur. Quia vero nimis indistincte et absolute loquitur, et rationes ejus aliquid, ultra id quod verum est, suadere possunt, ideo, distinctione adhibita, videtur resolutio hujus dubii clarius proponenda.

5. *Duo modi imponendi onera rebus immobilibus.*—Duobus itaque modis potest onus reale esse impositum rei immobili. Primo, ex vi proprii dominii circa talem rem, et interveniente aliquo pacto inter eum cui pensio solvenda est, et eum qui est

dominus talis rei; vel e converso inter eum qui prius fuit dominus talis rei, et eum in quem illam transtulit cum tali onere, sive in eum transtulerit dominium directum, sive tantum utile. Exemplum prioris membri est, quando quis emit censum super domum vel vineam alterius, nam tunc res illa manet tali pensione onerata, quam dominus rei censuario seu pensionario solvere tenetur, obligatione reali ex vi talis contractus, nec potest rem illam vendere aut alienare sine tali onere. Exempla vero alterius membri sunt, quando dominus dat alteri bona sua in feudum, vel in emphyteusim, vulgo «prazo,» et quantum est ex natura rei potest etiam dari in censum, transferendo totum dominium rei in alium propter solam obligationem solvendi tale onus, vel cum illa conjungendo aliquam partem pretii, prout æqualitas justitiæ postulaverit. Alio modo potest onus esse impositum prædio, non ex vi dominii illius, sed ex vi supremæ jurisdictionis regiæ super tale prædium, vel in tali territorio; hoc enim modo potest princeps imponere tributa in terris sibi subjectis, sicut in personis, vel in rebus mobilibus. Et de hoc secundo genere realium onerum est propria controversia, quia hæc sunt proprie tributa, et ita illa simpliciter appellabimus; alia vero vel generali nomine «pensiones,» aut «privata onera,» vocabimus.

6. *Bona Ecclesiæ non eximuntur a tributis, vi alicujus pacti antea contractis.* —Dico ergo primo: bona temporalia, quæ antequam fiant Ecclesiæ, habent annexum reale onus privatum, seu pensionem solvendam alteri ex vi dominii et pacti præcedentis, etiam si ecclesiastica fiant, eidem subjacent oneri, quod Ecclesia solvere tenetur, nec privilegium exemptionis ipsam a tali onere liberat. In hoc videtur mihi non solum vera, sed etiam certa communis sententia. Neque dissentit Cardinalis Albanus, imo expresse id concedit in quarta ratione pro communi sententia, cum ejus solutione. Et haberi potest hæc assertio, ex cap. «Verum,» de Conditionibus apposit., ubi dicitur, quando bona dantur Ecclesiæ interposita conditione, servandam esse,

si autem non servetur, non statim posse revocari donationem, nisi forte in ea sit additum, «quod, ea cessante, debeat revocari;» ergo etiam si conditio sit onerosa, servanda est; ergo pari modo si olim fuit imposita, et ipsi rei quasi adhæret, servanda est. Idem aperte colligitur ex cap. «Cum dilecti,» de Donat. Ratione item probatur ex illo principio, quod res transit cum onere suo; item ex illo, quod donatio pia, seu religionis ratio non invertit justitiæ ordinem; esset autem contra justitiam, privare alterum, ipso invito, jure quod habet in tali re ad talem pensionem, cum sit verus dominus illius juris, eo modo quo tales res incorporeæ (ut a juristis vocantur) sub dominium cadere possunt.

7. *Ratione suadetur conclusio.*—Ex quibus principiis hæc potest ratio confici, quia quando Ecclesia acquirit hujusmodi bona quocumque modo, sive per legatum, sive per donationem, sive per emptionem, etc., vel liberatur res ab illo onere ex vi voluntatis ejus a quo illam recipit, vel vi alicujus legis positivæ, vel ex natura rei. Nihil horum dici potest; ergo nullo modo liberatur. Supponimus enim non concurrere voluntatem ejus cui pensio debetur; nam si ipse velit remittere, non est quæstio; illud tamen est accidentarium et extrinsecum; hic vero tractamus de hac præcisa ratione, quod bona ecclesiastica fiant. Primum autem membrum antecedentis per se est evidens, quia nullus potest in alium plus juris transferre, quam ipse habeat; tum etiam quia nullus potest disponere de jure alterius ipso invito, cum unusquisque sit rei suæ moderator et arbiter, l. «In re Mandata», C. «Mandati.» Secundum patet, quia nulla talis lex positiva ostendi potest, sive divina, sive humana, nam quæ de hac materia loquuntur, de propriis tributis tractant. De illis enim loquebatur Christus, cum interrogavit Petrum: «Reges gentium a quibus accipiunt tributum?» etc. Et de eisdem tantum loquuntur leges et canones, ut statim videbimus. Et moraliter loquendo, non possunt amplius extendi, quia justitiæ repugnarent. Nam etiam huma-

næ leges non possunt ita absolute privare homines suis rebus et dominiis, nisi ubi evidens necessitas vel magna utilitas boni communis cogeret, quod in præsenti dici non potest, ut per se constat.

8. Tertium denique membrum de jure naturali, seu «ex natura rei», probatur, quia non est contra rationem, vel decentiam religionis, ut Ecclesia sustineat et solvat hujusmodi onera realia. Solum enim inde sequitur, ut Ecclesia minus ditetur, quod per se non est indecens, neque aliud inconveniens affert, præsertim quando talia bona, vel liberaliter dantur Ecclesiæ, vel ipsa justo pretio illa comparat. Nam si pertineant ad ipsum locum sacrum, vel ad dotem ejus, tunc habent specialem rationem, propter quam aliquid est in jure de illis peculiariter statutum, quod servandum est, ut capite sequenti dicemus. Denique servare contractus justos, et solvere debita, quæ ex illis proxime vel remote nascuntur, non solum non repugnat Ecclesiæ, sed potius illam maxime decet, quia nemo a contractibus reperitur immunis, neque ab obligatione quæ ex illis nascitur, cum Deus ipse obligetur ex pacto, ut dixit Bald., in l. 1, ff. de Pactis, magis ut Theologus, quam ut jurisperitus, et ideo Magistrum Sententiarum allegat. Unde si attente res consideretur, Ecclesia non solum non est incapax hujus oneris, seu obligationis, quando in bonis præcessit, antequam Ecclesiæ fierent, verum etiam illud posset imponere in bonis suis, nisi esset sibi prohibita alienatio ecclesiasticorum bonorum; ideoque habita facultate alienandi, vel in casibus in prohibitione exceptis, etiam potest super bona sua hoc onus imponere, ut quotidie fieri videmus; ergo signum est non repugnare hoc ecclesiasticis bonis; ergo ex natura rei non cessat tale onus, quando in bonis ipsis præcessit.

9. *Assertionis ampliatio.*—Ex quibus colligo, assertionem hanc veram esse, ac procedere non solum quando onus a privata persona, sed etiam quando a principe impositum fuit, si ex simili pacto, et peculiari dominio talis rei, et non ex mera potes-

tate jurisdictionis processit. Quod ideo adverto, quia fortasse ad intelligendos auctores communis sententiæ poterit deservire. Ratio autem clara est, quia sicut persona privata potest habere proprium dominium alicujus prædii, et ex vi ejusdem dominii onus aliquod prædio imponere, ita etiam rex, ut per se manifestum est; hoc autem posito, rationes pro assertione factæ æque procedunt in principe ac in quocumque privato. Unde in his tributis seu pensionibus, quæ in certa mensura, seu invariabili quantitate, de aliquibus prædiis aut agris solvuntur principibus, attente considerandum est an illa prædia olim fuerint sub proprio dominio principis, et illa dederit in feudum vel emphyteusim, vel simpliciter pro tali pensione. Nam si de hoc constare potuerit, profecto in eis procedet sententia communis, ut talia bona licet ecclesiastica fiant, cum onere suo ad Ecclesiam transeant, ut ex dictis satis aperte sequitur. Potest autem de hujusmodi origine constare, vel per scripturas antiquas, vel per constantem traditionem. Et juxta prædictos auctores magnum signum erit, si talis pensio nunquam minuatur vel augeatur, etiam si alia propria tributa regalia multipliciter varientur, et quod bona illa nunquam fuisse legantur aut credantur extra jus regium, vel sub alterius dominio sine onere solvendi regi talem pensionem. Quia hoc videtur esse sufficiens indicium illius originis, et quia cum contrarium constare non possit, merito in favorem regis præsumitur.

10. *Objectio.*—Objici vero potest contra assertionem, quod de Joseph legitur, Genes., 47, quod cum totam terram Ægypti Pharaoni tributariam redderet, nihilominus terram sacerdotalem exemerit. Illud enim tributum non ex mera jurisdictione regia, sed ex pacto proficiscebatur. Nam cum Ægyptii triticum a rege vellent emere, et pecuniam non haberent, possessiones loco pretii dabant, quas sub tributario onere solvendi quintam partem fructuum regi, ab eodem, tanquam a proprio illarum domino, acceperunt; ergo cum terra sacerdotalis ab illo tributo exempta fuerit, satis significatum est bona ecclesiastica libera

esse debere, etiam ab his pensionibus quæ ex pacto imponuntur.

11. *Solutio.*—Respondeo imprimis, ibi non esse sermonem de tributo prius imposito, sed de imponendo possessionibus quæ prius liberæ sacerdotibus datæ fuerant, sic enim dicitur: «Præter terram sacerdotum, quæ a rege data fuerat eis»; non ergo fuit terra illa exempta a tributo antea imposito, sed ab imponendo. Deinde (quod præcipuum est) terra illa sacerdotum non fuit tunc exempta ab illo tributo ex peculiari privilegio, sed quia non fuit subjecta pacto in quo tributum illud fundatum fuit: Laici enim, quia fame et egestate premebantur, vendebant pro tritico possessiones, et postea per onus tributarium illas redimebant; de sacerdotibus autem subditur: «Quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et ideo non sunt compulsi vendere possessiones suas.» Sic ergo manserunt ab illo tributo liberæ, quia nulla venditio vel redemptio illarum facta est, et ita non fuit in illis necessaria peculiaris exemptio a privilegio, cum pactum, quod erat fundamentum tributi, in eis non intervenerit. Favor ergo sacerdotum tantummodo fuit, quod ex publicis horreis cibaria illis necessaria præbebantur; quod nunc per decimarum solutionem in Ecclesia servatur, quæ possunt integre donari, etiamsi de aliquibus ecclesiasticis bonis pensiones aliquæ ex præcedente pacto solvantur.

12. *Bona Ecclesiæ eximuntur a tributis ex vi regiæ potestatis impositis* —Dico secundo: bona ecclesiastica exempta sunt a propriis tributis, quæ ex vi regiæ jurisdictionis imposita sunt, etiamsi talia bona prius quam ad Ecclesiam pervenirent, illi tributo et oneri essent subjecta. Hæc videtur fuisse præcipua intentio Cardinalis Albani, et videtur etiam sumi ex mente Abbatis, in cons. 26, volum. 1, ubi eadem fere distinctione a nobis data utitur. Et fortasse alii auctores non contradicunt, nam Innocentius aperte loquitur, quando Ecclesia ex pacto obligata est, non vero dicit ex sola jurisdictione principis posse obligari.

13. Denique sententiam hanc eodem modo declaratam invenio apud Guttierrez, lib. 1 Practicar. quæst., quæst. 3, n 13, ubi exponit verba legis cujusdam Hispaniæ, lib. 1 Novæ Recopilat., tit. 3, l. 11, quæ sic habent: «Los clérigos que compraren heredades tributarias en que sea el tributo apropiado á la heredad, paguen el tal tributo», id est, clerici ementes prædia, quibus tributa imposita sunt, et quasi inhærent, solvant hujusmodi tributa. Ait autem dictus auctor intelligendam esse dictam legem, «quando prædia antea erant affecta onere tributorum expresse et specialiter ex conventione partium, secus vero si tantum sint affecta vel obnoxia tributis ex generali lege; quia si talia bona pervenerint ad clericum, non transeunt cum onere.» Nec refert quod non de bonis Ecclesiarum, sed clericorum loquatur a fortiori enim id sequitur, quia, per se loquendo, major et excellentior est exemptio Ecclesiarum. Unde paulo inferius generaliter loquitur de bonis Ecclesiæ, seu ecclesiasticis, referens pro hac sententia Alphonsum Guerrero, in Thesauro Christianæ religion., capit. 36; et Otaloram, Didacum Perez, et Quesada, modernos jurisperitos Hispanos.

14. *Quo jure ecclesiastica bona eximantur.—Prima opinio.—Rejicitur dicta opinio.*—Ut autem assertionem probemus, supponimus, quando talia bona traduntur Ecclesiæ, non liberari ab his tributis ex efficacia voluntatis privatæ personæ donantis, vel aliter contrahentis cum Ecclesia; nam rationes prioris sententiæ, et aliæ factæ in priori assertione, manifeste convincunt nullum privatum dominum aliquorum bonorum posse illa eximere a tributis debitis principi, sua auctoritate et voluntate. Necesse est ergo ut hæc exemptio fiat per superiorem aliquam voluntatem, vel aliquo jure declaratam, vel ab ipso principe per expressum ac personalem consensum demonstratam. Unde quia difficile est invenire jus quo talis voluntas ostendatur, dixerunt aliqui, necessarium esse ut quando hujusmodi bona tributis subjecta in Ecclesiam transferuntur, princeps, ad quem spectant tributa, actu et specialiter consentiat, vel saltem ut

donationi seu translationi præbeat assensum, nam tunc virtualiter consentit remissioni, alioqui, aiunt, vel donatio non tenebit, vel bona cum suo onere transibunt. Sed hæc limitatio destruit assertionem, nam illo modo non fiet exemptio illa ex vi privilegii ecclesiarum, sed per novam principis remissionem, cujus contrarium in assertione intendimus, et in eo sensu disputatur quæstio; nam quod princeps sua voluntatæ possit remittere tributa, nemo unquam dubitavit. Item ex illa declaratione sequitur, Ecclesiam vel non posse acquirere hujusmodi bona sine consensu principis, vel, si absque ejus consensu illa acquirat, necessario fieri tributariam quoad talia bona; primum autem expresse repugnat juri canonico, in cap. 1 de Immunit. ecclesiar., in 6; secundum vero falsum esse contendimus.

15. *Secunda opinio, dictam exemptionem juri divino et canonico tribuens. — Fundamenta primæ partis.* — Propter hoc ergo Albanus supra conatur ostendere, hæc bona eximi ab hujusmodi tributis ex vi juris divini, canonici et civilis. Ut autem probet esse juris divini, solum inducit locum Genesis paulo antea tractatum (1), et locum Esdræ, lib. 1, cap. 7, ubi Artaxerxes rex sacerdotes et Levitas a tributis exemit. Sed in priori loco, ut dixi, et notat Abulensis, non concessit rex Pharao specialem exemptionem terris sacerdotum, sed quia egestas non compulit sacerdotes ad vendendas terras suas, consequenter factum est ut tributariæ non manserint. In altero vero loco non est sermo de tributis realibus adhærentibus rebus immobilibus, sed de tributis personalibus aut mixtis, quæ ratione bonorum mobilium imponi solent; neque est sermo de antiquis tributis rebus ipsis prius impositis, sed de nova impositione, quæ personis sacris tam in se, quam in bonis suis fieri prohibetur. Verba enim regis hæc fuere: «Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus Nathinæis,

(1) Gen., 47.

et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.» Nihil ergo inde colligi potest de tributis prius impositis, et quas adhærentibus ipsis terris, si personis illis vel templo denuo acquirerentur. Præterquam quod ex illis locis non colligitur jus positivum divinum, ut per se constat, sed ad summum indicatur jus naturale; an vero tale illud sit, ut per se inducat necessitatem talis exemptionis, et illam conferat, vel tantum honestatem, vel ad summum obligationem, ut princeps illam concedat, ex illis locis non satis definiri potest, sed aliis rationibus inquirendum est, ut in superioribus est generaliter disputatum, et in hoc particulari puncto statim attingetur.

16. *Unde possit colligi jure divino eximi.—Objectio.—Responsum.—Cur tributum exemptioni repugnet, non vero pensio.*— Quocirca solum video posse probabiliter colligi hoc jus divinum ex verbis Christi: «Ergo liberi sunt filii» (1), inducendo illa prout supra insinuavi, quia naturalis filius regis ita est exemptus a tributis, ut bona etiam ejus immunia fiant; ergo hoc jus maxime servandum est Christo et bonis ejus, qualia sunt ecclesiastica bona, ut ostendimus. Filius autem naturalis regis non solum gaudet naturali privilegio, ut super bona jam sua non imponantur nova tributa, sed etiam ut, si de novo acquirat ea bona, quæ apud alios subditos erant tributaria, sub suo dominio fiant libera et ingenua, sicut ipse est; ergo multo magis Christus, et bona ejus ecclesiastica cum hac amplitudine hoc gaudent privilegio. Quod si quis objiciat, locum illum isto modo inductum etiam contra priorem conclusionem probare posse, respondetur negando assumptum, nam etiam filius naturalis regis non liberatur ab omni onere ex pacto antiquiori bonis inhærente, etiam respectu inferiorum, cum nec rex ipse sit liber ab omni obligatione ex pacto. Rationem autem differentiæ bene

(1) Matth., 17.

attigit Panormit., in dicto cons. 26, et ex illo Albanus, circa finem, respondendo ad quartam rationem, quia propria tributa repugnant exemptioni ipsius personæ cujus sunt bona, nam propter illam præstantur, ut significavit Paulus, ad Rom., 13; aliud autem pensionis genus non est professio, vel indicium subjectionis, sed justitiæ, et obligationis ejus ex pacto ortæ, quæ nulli personæ, quantumvis liberæ et excellenti, seu supremæ, repugnat.

17. *Fundamenta secundæ partis.* — Secundo, ut prædictus auctor hoc jus esse etiam canonicum ostendat, inducit c. «Sancitum,» 23, q. 8, quod idem est cum cap. 1 de Censib., et dicit esse textum expressum, quia in eo decernitur, tributa, quæ antea exhibebantur de aliquibus bonis, postquam illa facta sunt Ecclesiæ, solvenda non esse. Idemque confirmat ex cap. «Secundum canonicam,» 23, q. 8. Quod si quis respondeat ibi non esse sermonem de universis bonis seu prædiis ecclesiæ, sed de manso, domibus, atriis et hortis juxta ecclesiam positis, contra hoc objicit, alienum esse ab omni ratione et veritate, discrimen inter hæc et alia bona ecclesiæ constituere, tum quia eadem ratio immunitatis, quæ est in horto et manso, viget in aliis prædiis quæ Ecclesiæ acquiruntur, scilicet, quia omnia sunt dicata Deo, seu sunt Dei, quæ ratio est fundamentum hujus immunitatis; tum etiam quia una et eadem substantia ecclesiæ non debet diverso jure censeri, cap. «Cognovimus,» cum Glossa, 12, q. 2. Unde concludit, textus illos irrefragabiles esse.

18. *Ex adductis juribus non probatur dicta sententia.* — Sed nihilominus censeo, ex illis non probari assertionem; imo ex ultimis verbis posse sumi objectionem non facilem in contrarium, ut capite sequenti videbimus. Quia mansus et reliqua loca ecclesiæ, quæ ibi specialiter numerantur, non solum eximuntur a propriis tributis regalibus, sed etiam a quacumque pensione et privato onere, etiam præexistente, et in quocumque pacto fundato, eximuntur, ut Glossa ibi, et communiter doctores intelligunt. Et colligitur ex ipsis juribus, quatenus so-

lum ecclesiasticum excipiunt, quæ exceptio firmat regulam in contrarium quoad cætera omnia tributa. Quod adeo verum est ut neque ipse patronus possit aliquam pensionem de illis bonis sibi reservare, et si antea ipsi rei onus inerat, debeat necessario remitti aut redimi, ut ecclesia in dictis bonis libera maneat. A vero hoc non ita est in cæteris prædiis ecclesiæ, ut expresse notat Panormit., et alii, cum Glossa, in dicto c. 1 de Censib. et in dicto cap. «Secundum canonicam,» 23, q. 8, et ex ipso cap. «Sanctum,» in fine, aperte colligitur. Ergo necessario est constituenda differentia inter bona ibi specialiter nominata, et alia ecclesiastica bona, cum jus illud speciale non possit ad omnia extendi. Ergo inde non potest sumi argumentum efficax ad id quod intendimus, alias æque probaret de omni genere tributi, vel pensionis temporalis, quod aperte falsum est. Neque est inconveniens ut aliqua pars bonorum ecclesiæ majori gaudeat exemptione ex speciali privilegio. Rationem autem privilegii et discriminis inter hæc et alia bona capite sequenti trademus.

19. *Alia jura ex quibus dicta exemptio colligi potest.* — Secundo, colligi potest hoc jus ex aliis decretis, in quibus simpliciter præcipitur, ut bona Ecclesiarum non subjiciantur tributis aut exactionibus temporalibus a quibusvis laicis potestatibus, ut constat ex c. «Non minus,» et c. «Adversus,» de Immun. Eccl., et in c. «Quanquam,» de Censib., in 6. Verumtamen responderi potest, in his juribus solum prohiberi quod Ecclesiis aut ecclesiasticis bonis hæc tributa imponantur, non vero vetari quod tributa antiqua, quæ ipsis bonis inerant, prius quam ecclesiastica fierent, in ipsis permaneant, et ab Ecclesiis solvantur, non quia ipsis imponatur tributum, sed quia cum illo onere bona acceperunt. Unde cum ibidem prohibetur, exactiones tributorum ab Ecclesiis propter talia bona fieri, recte intelligitur de exactionibus, quæ fiunt ob tributa imposita Ecclesiæ super bona jam sua, tum quia exactiones referuntur ad tributa, de quibus ibi erat sermo; tum etiam quia alias non possent omnes exactiones absolute, et sine distinctione prohiberi, cum

aliquæ possint fieri ab Ecclesia juste, et sine læsione immunitatis ecclesiasticæ, ut si petantur, quæ justo titulo debentur, et in judicio ecclesiastico, si coactio necessaria sit. Sed quamvis hæc interpretatio satis sit consentanea verbis et menti illorum jurium, nihilominus ex identitate rationis credimus inde sumi efficax argumentum, ut decisio illorum jurium etiam ad tributa antiqua, et ad exactiones, quæ propter illa fiunt, extendatur, quod paulo inferius, afferendo rationes assertionis, explicabimus, prius enim alia jura expendere necesse est.

20. Tertio ergo colligi potest hoc canonicum jus ex cap. 1, de Immunit. Eccles., in 6, ubi prius querela et abusus sæcularium potestatum refertur, «quæ nituntur et student, ut illis collectas, et talias, et alia hujusmodi Ecclesiæ persolvant, prætextu bonorum quæ acquisiverunt, vel extra manum suam ponant hujusmodi acquisita.» Et postea talis abusus damnatur, declaraturque «non licere quibuscumque jurisdictionem temporalem exercentibus exactiones quascumque Ecclesiis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscumque possessionibus ab eisdem Ecclesiis legitime hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis.» In quibus verbis imprimis expendo, non solum reprobari exactiones de bonis quæ jam possidebantur ab ecclesia, quando fuit impositum tributum, sed etiam de bonis quæ postea acquiruntur, etiam si talia bona, cum antea essent sæcularia, tributis essent subjecta. Nam quod de hujusmodi bonis sit sermo, manifestum est. Propterea enim laici volebant cogere Ecclesiam, ut vel tributum solveret, vel bona dimitteret, ne ipsi privarentur tributo bonis annexo; ergo de his bonis tributariis loquitur jus illud, et nihilominus statuit ut talia bona, eo ipso quod ad Ecclesiam transeunt, ab exactionibus talium tributorum sint exempta. Unde etiam expendo, ibi distincte et universaliter prohiberi, «quascumque collectas vel exactiones imponere vel exigere», utique circa ecclesiastica bona; ergo non solum est prohibitum hæc imponere, sed etiam exigere quæ imposita jam erant, prius quam Ecclesia illa bona

acquireret. Atque hic textus, adjunctus præcedentibus proxime allegatis, videtur mihi satis probabiliter sententiam hanc ex jure canonico comprobare.

21. *Ex jure civili probatur assertio. — Primo. — Hæc jura non probant sufficienter assertionem.* — Superest dicendum de jure civili, ex quo nonnulla verba Justitiani adduci solent, quibus hæc assertio videtur significari, et imprimis afferuntur illa quæ Gratianus refert in cap. 2, 10, q. 2: «Ea, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ jura pertinent, vel post hac forte pervenerint, tanquam ipsam sacrosanctam et religiosam Ecclesiam intacta convenit venerabiliter custodiri.» Quæ verba fuerunt imperatoris Leonis, et referuntur a Justiniano, in l. «Jubemus», C. de Sacros. eccles. In eis autem generaliter dicitur, omnia bona, quæ ad Ecclesiam perveniunt, esse intacta servanda, sicut ipsam Ecclesiam; ergo jam non licet tributa pro illis exigere, sicut nec pro Ecclesia. Sed ut supra in simili dicebam, si argumentum efficax esset, nimium probaret, videlicet, omnia Ecclesiæ bona debere ita intacta servari, ut nulla pensio vel onus, etiam ex præcedenti pacto proveniens, pro illis exigi possit, quia ipsa ecclesia, seu fundus et area ejus hac immunitate gaudet, quod esse falsum ostendimus. Ergo illa æquiparatio non universaliter, sed juxta materiam subjectam accipienda est. Unde attendendum est, in ea lege specialiter prohiberi alienationes bonorum ecclesiasticorum, et in hoc sensu dici debere intacta custodiri, id est, sine diminutione, venditione, aut alia simili mutatione, sicut conservantur Ecclesiæ. Et ita accepit illam decisionem Pontifex, in capit. «Nulli», de Rebus eccles. non alien., cum ita concludit: «Omnes sacerdotes ab hujusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas Leonina constitutio comminatur.» Ergo vox illa «intacta», sine fundamento in textu extenditur ad tributa, et præsertim ad ea quæ inhærent bonis, priusquam ecclesiastica fiant. Nam si Ecclesia recipit bona sub tali onere, licet postea illud solvat, nihil propterea proprium alienat, quia talia bona non fuerunt a principio integre (ut sic dicam) trans-

lata in Ecclesiam, sed cum diminutione talis oneris, et ideo, illud postea solvendo, non alienat proprium, sed justum debitum solvit.

22. Unde etiam Gratianus non pro exemptione a tributis, sed ab alienationibus verba illius legis adduxit, et ad eumdem finem alia multa ex decretis Pontificum adducit, tum ibi, tum etiam 12, q. 2, in quibus aliqua verba sunt generalia, quæ non recte ab aliquibus ad tributa applicantur. Ut sunt illa Pii, epist. 2: «Ad sedem Apostolicam perlatum est, quod quidam prædia divinis usibus tradita humanis applicant usibus, et Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant; quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur (1).» Quibus verbis aliqui volunt esse prohibita omnia tributa ex ecclesiasticis prædiis, quia solutio tributi humanus quidam usus est; omnis autem applicatio talium bonorum ad humanum usum ibi censetur prohibita. Sed, licet hoc possit per accommodationem quamdam ad propria tributa regia applicari, non tamen in universum ad omnia temporalia onera, vel pensiones, quas interdum potest Ecclesia, ex prædiis suis, etiam laicis solvere ex justo antecedente titulo juxta priorem assertionem. Ibi ergo tantum est sermo de usu humano injusto, et contra jus Ecclesiæ usurpato, ut declarant illa verba: «Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt.» At vero solutio pensionis justo titulo debitæ non est injustus usus, nec per illum Deo subtrahitur, quod illi fuerat donatum; nam a principio fuerat donatum cum tali onere; jus ergo ad tale onus non fuerat donatum, et ita non subtrahitur Deo quod traditum illi erat, sed quod in ipsa donatione fuerat reservatum. Ideoque dici etiam potest, illum usum non proprie esse ecclesiasticorum bonorum, ut talia sunt, sed ut aliqua ex parte

(1) Cap. «Prædia», 12, q. 2.

sæcularibus oneribus subjecta permanserunt. Quapropter nis aliunde probetur antiqua tributa non permanere in bonis post quam ecclesiastica fiunt, ex illis verbis et similibus non proba tur solutionem talis tributi ad alienationes vel alios usus prohi bitos ecclesiasticorum bonorum pertinere.

23. *Probatio altera ex civili jure.* — Deinde potest confir mari assertio ex l. «Jubemus», C. de Sacros. eccles., ubi Va lentinianus et Marcianus ecclesiastica privilegia confirmant, e subjungunt: «Quia humanitatis nostræ est, egenis prospicere ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint, salaria etiam, quæ sacrosanctis ecclesiis in diversis speciebus de pu blico hactenus ministrata sunt, jubemus nunc quoque incon cussa, et a nullo prorsus imminuta præstari, liberalitatique hui promptissimæ perpetuam tribuimus firmitatem.» Ex quibu verbis, et similitudine rationis, non improbabile sumi quiden potest argumentum, formaliter autem seu dispositive non pro bant intentum, quia lex illa nihil disponit de exemptione tributis, sed tantum confirmat salaria, seu subventiones, seu annuas præstationes, quas imperatores de publicis bonis eccle siis fieri jusserant. Hinc vero recte colligi potest, non fuisse imperatorum voluntatem, ut ex bonis Ecclesiæ acquisitis im perialia tributa exigerentur, cum potius ipsi imperatores multa ex aliis bonis ad subventionem pauperum Ecclesiis dare præci perent. Unde etiam ratio illa de subventione egenorum non minus suadet, debuisse fructus ecclesiasticorum prædiorum in concussos et imminutos a publicis tributis servari, quam alia subsidia, quæ ad eumdem finem ex publicis bonis Ecclesiis præstabantur.

24. *Fridericus proprie dicta Ecclesiarum bona a tributis exe mit.—Bartoli expositio.* —Proprie igitur censetur dispositum e latum hoc jus civile a Friderico imperatore in sua constitutione in qua generaliter statuit, ut «nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, vel exactiones, etc., Ecclesiis vel piis locis imponere præsumat.» Quæ lex cum indefinite

loquatur, omnes exactiones proprium tributorum, quæ collectæ, vel alio simili nomine appellantur, ab Ecclesiis et earum bonis fieri prohibentur. Obstat tamen expositio Bartoli, in l. «De iis», C. de Episcop. et Cleric., ubi ait, constitutionem Friderici intelligendam esse solum de tributis personalibus, seu mistis, quæ imponuntur personæ pro rebus, nam hæc tantum vocantur proprie collectæ, et ideo non prohibere quin prædia Ecclesiæ sint tributaria, prout in eadem lege «De iis», et in leg. «Placet», Cod. de Sacrosanct. eccles., statuitur. Ideoque reprehendit Glossas ibi dicentes, illas leges «De iis», et l. «Placet», derogatas esse per Authenticam, «Item nulla», C. de Episcop. et Cleric. Quæ sententia placuit etiam Panormitano in dicto capit. 1 de Censib.

25. *Rejicitur expositio.* — Eam tamen merito reprobat Bald., in dicta l. «Placet», et universaliter sumpta videtur improbabilis. Nam ex illa sequitur, prædia Ecclesiæ, ex vi illius Authenticæ seu constitutionis Friderici, et consequenter ex vi juris civilis, non esse exempta a tributis realibus, etiam de novo impositis, postquam illa prædia ecclesiastica facta sunt, si tributa tanquam ordinaria et perpetuo duratura imponantur; consequens est omnino falsum, et ab omnibus reprobatum, ut in principio hujus capitis ex dictis in præcedenti supposui. Sequela probatur, quia prædicta tributa permittebantur per dictas leges «Placet», et «De iis»; ergo si non sunt derogatæ per Fridericum, adhuc in sua vi manent, et consequenter ex vi juris civilis prædia Ecclesiæ erunt tributaria, etiam quoad tributa imposita postquam Ecclesia talia bona acquisierat. Quapropter negari non potest quin Authentica «Item nulla», loquatur etiam de tributis realibus, nam absolute et universaliter prohibet exactiones ullas imponi Ecclesiis; nomine autem exactionum omnia tributa veniunt, tam ordinaria quam extraordinaria, et tam realia quam personalia, præsertim quia in ipso textu expresse distinguuntur «exactiones Ecclesiis, et piis locis, vel personis ecclesiasticis imponendæ», et omnes prohibentur;

ergo etiam Ecclesia et pia loca ab impositione cujuscumqu tributi eximuntur.

26. *Expositio Baldi.—Exploditur expositio.*—Aliter respon deri posset, ibi quidem prohiberi Ecclesiis et piis locis exactio nes imponi, non tamen illas postulari, quæ antea erant imposi tæ super bona, quæ cum illo onere ad Ecclesiam transierunt. E ita limitat illam constitutionem Baldus, cum quodam Jacobo in dicta Auth. «Item nulla», n. 4; addit vero imperatorem no permittere, ut prædia Italica sint tributaria; extra Italiam vero ubi sunt prædia tributaria, transire ad Ecclesiam cum oner suo. Verumtamen hæc distinctio et limitatio admittenda no est. Primo, quia beneficium principis ample interpretandu est, maxime in causa religionis, juxta vulgarem legem «Sun personæ,» ff. de Religiosis et sumptib. funer. Secundo, qui privilegium universale extenditur ad præsentia et futura, juxt cap. «Quia circa», de Privileg., et notat Barthol., in dict l. «Placet», n. 8; ergo ex vi illius constitutionis fuerunt a tri butis exempta omnia bona, quæ tunc erant ecclesiastica, quan do illud privilegium concessum fuit, etiam si antea essen onerata tributis; ergo multo magis idem servandum est in om nibus bonis postea Ecclesiæ acquisitis. Tertio, quia verbur «Imponere», in rigore non videtur ibi significare novam tribu ti impositionem, quia hoc modo solus princeps supremus po test tributum imponere, et tamen ibi prohibitio fit omnibu communitatibus et personis, non solum publicis, sed etiam pri vatis; ergo necesse est ut verbum «Imponere» ibi significet ve comprehendat actionem, quæ ab omnibus excerceri possit; erg prohibetur ibi omnis petitio, seu distributio, seu impositio solu tionis tributi, quæ ab Ecclesia fiat, sive ex bonis acquisitis, siv ex acquirendis. Atque hoc modo confirmatur etiam satis proba biliter hæc sententia ex jure civili.

27. *Tandem ratione conclusio ostenditur.*—Ultra hæc ver jura adducit prædictus auctor varias rationes, quibus eamden assertionem confirmat, quæ in eo videri possunt; solum cavendun

st ne aliquæ sint nimium generales, et de omnibus oneribus eu pensionibus, tam publicis quam privatis. Item adverto, lures illarum, si attente considerentur, supponere privilegium xemptionis extendi ad antiqua tributa, potius quam illud pro- ent. Quapropter illæ rationes mihi videntur efficaces, quæ vel x generali ratione tributi, vel ex æquiparatione inter antiqua t nova tributa sumuntur. Talis est illa ratio, quod tributa pro- ria jure subjectionis imponuntur, unde eodem jure exiguntur t solvuntur, juxta illud Pauli, ad Rom., 13: «Necessitate subdi- i state, non solum propter iram, sed etiam propter conscien- iam, ideo enim et tributa præstatis»; ergo, cessante subjectio- ne, non potest juste exigi tributum, quia cessante ratione lebiti cessat debitum, quando ratio est adæquata, ut est in præsenti. At vero bona quælibet, eo ipso quod ecclesiastica iunt, desinunt esse subjecta principi laico, quia extra ejus ju- isdictionem fiunt; ipsa etiam Ecclesia, ad quam bona pertinent, st extra jurisdictionem ejusdem principis, et multo magis ipse rinceps Christus, cujus sunt bona; ergo, eo ipso quod talia ona fiunt ecclesiastica, fiunt exempta ab omnibus tributis, uæ in sola jurisdictione fundantur. Sicut si persona uni regi ubjecta a jurisdictione ejusdem regis eximatur, eo ipso a tri- utis ejus eximitur; imo non solum persona, sed etiam bona jus ab his tributis eximuntur, quia ratione personæ imponun- ur; ergo similiter quando bona immobilia in eum statum trans- eruntur, ut neque ipsa, neque illi, qui habent dominium utile orum (ut sic dicam), neque proprius ac principalis dominus orum, sub jurisdictione principis maneant, eo ipso a tributis eximuntur.

28. *Confirmatio.*—Et confirmatur hæc ratio ex alio princi- io juris, quod ubi dispositio aliqua ad eum casum venit, a uo incipere non potuisset, prior dispositio cessat, quando ni- irum eadem ratio militat in continuatione quæ in inceptione. a vero est in præsenti; nam impositio vel exactio tributi non otest incipere in ecclesiasticis bonis; ergo nec potest in eis-

dem bonis, postquam ecclesiastica facta sunt, continuari. Idee que in talis tributi impositione a principio hæc conditio intelli gitur inclusa, ut tamdiu duret quamdiu res illa non fuerit inha bilis, seu incapax talis tributi; tunc enim sicut inchoari no posset tributum, ita neque conservari, quia eadem est utrius que ratio, ut declaratum est, et magis ex responsione ad fun damenta prioris sententiæ constabit.

29. *Responsio ad jura civilia in principio adducta.—Ad ra tionem quod res transit cum onere suo.*—Ad jura ergo civilia res pondetur, leges omnes, quæ permittebant ordinaria tributa a Ecclesiis exigi, revocatas esse per constitutionem Frideric unde ad l. 1, de Indictionib., respondetur non oportere, fiscu in omnibus Ecclesiæ æquiparari, nam Ecclesiam majoribus pri vilegiis gaudere æquum est. Authentica vero illa, quæ supponi esse posse in Ecclesiæ bonis onera fiscalia, verum habere pote rit in oneribus prioris generis, si fortasse bona, quæ ad Ecclesian transierunt, prius erant ex contractu vel quasi contractu fisc obligata, et in eo casu locum habere potest decisio illa, quan retulit Gratianus, in c. 2, § «Item prædium», 10, q. 2. Ad jura canonica respondebimus ex professo duobus capitibus sequen tibus. Ad rationem, quod res transit cum onere suo, responde tur, efficaciter probare priorem assertionem, non tamen urger contra secundam. Ratio autem discriminis est, quia illud axio ma procedit, quando res non transfertur in statum, in quo tali oneris incapax fiat: nam si tanta sit mutatio, consequens neces sario est ut res a tali onere eximatur. Sic enim servus, si legi time ordinetur, ab onere servitutis eximitur, et res consecrata licet antea esset muneribus sordidis aut profanis subjecta, v consecrationis ab eis eximitur. In præsenti ergo bona, cun ecclesiastica fiunt, in altiori quodam statu constituuntur, in qu tributorum sunt incapacia, non tamen aliorum realium onerum quæ ex contractibus privatis nascuntur; et ideo per talem mu tationem propria tributa cessant, non vero aliæ pensiones, nis in casibus specialibus in jure expressis. Et tunc necesse est u

vel is, qui jus aliquod habebat in talia bona, talem eorum mutationem fieri consentiat, vel ut ei recompensatio fiat, juxta ea quæ capite sequenti dicemus.

30. *Quæsitum.— Expeditio.*— Sed interrogabit aliquis cur non idem postuletur respectu principis, quando bona illi tributaria in Ecclesiam transferuntur. Cum enim inde detrimentum et diminutionem in bonis suis patiatur, injuste cum illo fieri videtur, si absque illius consensu vel compensatione talis mutatio fiat. Respondetur neutrum hic esse necessarium. Et ratio diversitatis est, quia princeps antea non habebat proprium dominium, vel jus aliquod particulare dominio æquivalens, ratione cujus ei deberetur tributum, sed solum ratione jurisdictionis illud exigere poterat, quia sub ejus superiori administratione erat res ipsa, vel dominus ejus. Nulla autem ratio justitiæ obligat ad conservandam rem illam sub jurisdictione temporalis principis, quia dominus ejus potest de ipsa libere disponere. Maxime vero potest eam Deo dicare seu donare, per quam donationem fiunt talia bona ecclesiastica; non est autem necessarius consensus principis ut bona sæcularia ecclesiastica fiant. Quod (ut dixi) et jure canonico cautum est, et jure divino naturali, ratione dicta, satis videtur fundari.

31. Neque refert quod proventus principis inde possint diminui, quia diminutio non fit in propriis bonis, sed in stipendiis communibus, estque per accidens; consequitur enim ex subtractione materiæ, religiose et juste facta, et ob hanc causam non debetur recompensatio. Præsertim quia etiam e contrario contingere potest ut, si bona ecclesiastica vendantur, et sæcularia fiant, tributaria esse incipiant, et ita proventus principis augentur. Quæ omnia in privatis oneribus ex peculiari jure seu dominio profectis locum non habent, ut ex dictis satis constat. Accidit quod cessatio tributi in eo casu non fit privata voluntate vel auctoritate donantis; sed fit auctoritate juris, vel divini, vel humani in divino fundati. Et ideo ibi etiam non deest consensus principis ipso jure datus virtute dictæ legis ci-

vilis, qui revocari amplius non potuit, postquam Ecclesia beneficium illud et privilegium acceptavit, quanquam etiam sine illo id fieri posset virtute juris divini, vel etiam canonici, sicut supra de hac exemptione ecclesiastica generaliter ostensum est.

32. *Ad ultimam confirmationem.*—Unde ad ultimam confirmationem respondetur, detrimentum illud ordinarie non esse magni momenti, neque illius considerationem haberi, propter rationes factas. Si tamen aliquando contingeret tot bona Ecclesiæ acquiri, ut in grave præjudicium magnamque diminutionem regalium proventuum redundaret, Summus Pontifex consulendus est; nam ad illum spectat in hujusmodi casibus remedium adhibere. Non enim licet christianis principibus «ecclesiastica bona invadere», ut in dicta Auth. «Item nulla» expresse dicitur, nec etiam possunt de illis disponere aut statuere, ut in superioribus probatum est.

CAPUT XXI

Aliquibus objectionibus occurritur, et quam sit antiqua hæc bonorum ecclesiasticorum exemptio, obiter explicatur

1. *Prima objectio, ex jure canonico.*—Contra ea quæ in superioribus capitibus definita sunt, aliqua objici possunt, quæ vel falsam esse doctrinam, vel saltem nimis novam suadere possunt. Et primo, ex jure canonico objicitur cap. «Si tributum», 11, q. 1, sumptum ex Ambrosio, orat. seu concion. 1, de Basilicis non trad., in fine, ubi inquit: «Si tributum petit imperator, non negamus, agri Ecclesiæ solvunt tributum.» Et similia fere habet in cap. «Convenior», 23, q. 8, sumpto ex eadem oratione, et epist. 33, ad Sororem, quæ nunc est 13, lib. 2. Secundo objicitur c. «Tributum», 3, q. 8, ubi Urbanus Papa sic inquit: «Tributum in ore piscis, piscante Petro, inventum est, quia de exte-

rioribus, quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit.» Et infra: «De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri ac defensare debent, imperatoribus persolvendum est. Tertio objicitur c. «Sancitum est», 23, q. 8, ubi specialiter dicuntur exempta a tributis ecclesia cum hortis, atriis et domibus ei conjunctis, et mansis ejus; postea vero additur: «Et si amplius aliquit habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant», per quæ verba tributum aliquod significatur, ut omnes intelligunt, et ipsa præ se ferunt. Hæc ergo est generalis regula, quod bona Ecclesiæ solvunt tributum, illis paucis exceptis quæ in principio posita fuerant, quæ exceptio regulam in cæteris firmat. Et quamvis caput illud sit Concilii Wormatiensis provincialis, cap. 50, pro universa Ecclesia receptum est in c. 1, extra, de Censib., per Gregorium IX, qui solum ante quadringentos fere annos præcessit.

2. *Secunda objectio, ex jure civili.* — Secundo, principaliter ex jure civili objicitur l. «Placet,» C. de Sacros. eccles., quæ est Honorii et Theodosii, in l. 40, de Episcop. et Cleric., in C. Theodosiano, ubi, licet Ecclesiæ eximantur a muneribus sordidis, et ab extraordinariis tributis, non tamen ab ordinariis, ut patet ex illis verbis apud Justinianum: «Nihil præter canonicam illationem,» id est, præter ordinariam, et certa regula statutam impositionem. Imo etiam posse exigi aliquid, «si adventitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit,» quam legem suo decreto inseruit Gratianus, in c. «Generaliter,» § «Placet,» 16, q. 1, significans jus canonicum legem illam non repudiare. Secundo objicitur lex «De iis,» C. de Episcop. et Cleric., ubi prædia clericorum cogenda dicuntur «ad pensitanda fiscalia;» sub prædiis autem clericorum etiam Ecclesiarum intelligi videntur. Tertio objicitur l. ult., C. de Exactor. tribut., lib. 10, quæ sic habet: «Si divina domus, aut quæcumque alia cujuscumque dignitatis atque fortunæ fundos quolibet titulo possederit, et non impositas reipublicæ functiones agnoverit, quemadmodum prior dominus dependebat, omnibus modis possessiones eorum

publico vindicentur,» ubi Glossa per publicas functiones expo-nit «tributa,» et «annonas, onera» (inquit) «rerum, et ideo cum rebus ipsis ambulatoria.» Sic enim imperatores rescripserunt «in vectigalibus ipsa prædia conveniri,» l. «Imperatoris,» ff. de Publicanis et Vectigalib., ac subinde hujusmodi tributa onera esse realia, et ab Ecclesiis deberi (juxta illam legem), quacum-que ratione prædia ad eas devenerint.

3. *Responsio universalis ad omnes objectiones factas.*—Ad has objectiones possemus unico verbo respondere, illa jura pro-cedere secundum antiquum morem, jam vero revocata esse, majoraque privilegia esse Ecclesiis concessa. Quæ responsio non gravate acceptari posset pro legibus civilibus, prout illam tradiderunt Glossæ, in dicta l. «Placet,» et in dicta l. «De iis.» Quod tamen spectat ad jus canonicum, incredibile est, per illud fuisse aliquando approbata hujusmodi tributa, præsertim post tempora christianorum imperatorum, et ideo, prius quam ad singula respondeamus, explicare oportet quam sit antiqua, quoad hanc partem tributorum, Ecclesiarum exemptio; nam de illa fere idem sentiendum censeo, quod de exemptione ipsa in genere in superioribus dixi, quia hæc pars quædam est eccle-siasticæ immunitatis, et non minus necessaria, minusve rationi consentanea, quam alia. Distinctio igitur supra tradita hic etiam præmittenda est; nam aliud est loqui de jure, aliud vero de facto.

4. *Prima conclusio: quam sit antiquum privilegium non sol-vendi tributa ex bonis Ecclesiæ.*—Primo ergo dicimus privilegium, seu jus non solvendi tributa ex ecclesiasticis bonis, a principio inditum, et cum ipsa Ecclesia quasi concreatum fuisse. Hoc facile patet ex supra dictis in genere de origine ecclesiasticæ immunitatis, et eodem modo declarandum est. Nam imprimis censeo, hoc jus intrinsece oriri ex ipsa Ecclesiæ institutione, prout a Christo facta est; nam ex vi talis institutionis Ecclesia capax est ad acquirendum bona, tam immobilia quam mobilia, quæ ad solum Dei cultum vel pietatis opera sint destinata. Non

enim habet Ecclesia hanc capacitatem seu potestatem ab imperatoribus, aut ab hominibus, sed intrinsece, et ex natura rei illam habet, eo ipso quod est hominum mortalium congregatio habens specialem unitatem et vinculum ex Christi institutione. Sive talis capacitas consideretur in Ecclesia, ex eo quod est congregatio hominum utentium libertate, quæ est fundamentum dominii externarum rerum; sive consideretur ut est unum corpus, cujus principale caput est Christus, qui multo magis capax est talis dominii. Unde a principio Ecclesiæ cœperunt fideles bona sua ipsi Ecclesiæ tradere, quæ eo ipso fiebant communia ipsius corporis Ecclesiæ, per quam distribuebantur singulis quoad eorum usum, ut ex Actibus Apostolorum manifestum est. Et licet tunc solum haberet Ecclesia bona mobilia, paulo post cœpit immobilia acquirere, non ex privilegio extrinseco, sed ex intrinseca potestate, et prudenti voluntate, ac dispensatione Pastorum Ecclesiæ, ut ex Urbano Papa, in epist. sua, c. 1, intelligimus, et habetur in c. «Videntes,» 12, quæst. 1. Vixit autem Urbanus anno 227, et tamen commemorat jam antea ordinatum esse a summis sacerdotibus, ut prædia, quæ dabantur Ecclesiæ, non venderentur, sed sub potestate ejusdem Ecclesiæ conservarentur, ut ex redditibus eorum melius posset omnibus fidelium necessitatibus subvenire. Qui mos a tempore Constantini multum quidem auctus est, non quia Constantinus ipsi Ecclesiæ potestatem dederit talia bona acquirendi, sed quia sua fide facultatem dedit omnibus donandi Ecclesiæ quæcumque vellent, et suo exemplo illos præivit et excitavit, ut sumitur ex edicto de Primitiva Ecclesia, et munificentia Constantini, quod habetur t. 1 Conc., et in c. «Futuram,» 12, q. 1.

5. Ex quo ulterius colligimus, ab eadem Ecclesiæ institutione, prout a Christo facta est, intrinsece oriri, ut hæc bona, quæ Ecclesiæ traduntur vel acquiruntur, Christo tanquam principali domino acquirantur, quia non acquiruntur Ecclesiæ, nisi ut corpori mystico, cujus principale caput est Christus. Et ideo, licet in Ecclesia sit potestas dispensandi hæc bona, illa tantum

est ministerialis a Christo descendens, et in Pastoribus Ecclesiæ præcipue residet, quia illi sunt dispensatores mysteriorum et bonorum Christi in terris. Atque hinc tandem jus exemptionis talium bonorum ab humanis tributis videtur necessario consequens ad talis Ecclesiæ institutionem, quia caput hujus Ecclesiæ, quod est præcipuus dominus talium bonorum, habet connaturalem non tantum exemptionem, sed etiam potestatem, et dominium super omnes reges terræ. Unde non est dubium quin et Christus potuerit immediate et per se ipsum talia bona eximere a tributis eo ipso quod sua sunt, et quod hoc sit valde consentaneum divinitati, et excellentiæ personæ suæ.

6. *Pontifex Summus potuit se solo bona Ecclesiæ a tributis eximere. — Probatur primo. — Secundo. — Tertio.* — Addendum præterea est, etiam si talia bona jure ipso divino non fuissent immediate a tributis exempta, Pontificem sua potestate potuisse illa eximere, sicut supra de personis diximus; est enim fere eadem ratio, servata proportione. Unde sicut Ecclesia semper habuit hanc potestatem, ita semper habuit jus ad gaudendum hac immunitate quoad ecclesiastica bona. Probatur autem primo ex illo principio, quod Christus habet jus; ergo prudentem illius executionem Pastoribus Ecclesiæ, et præsertim Vicario suo commisit, sicut illi etiam præcipue commisit aliorum bonorum suorum dispensationem. Secundo hac ratione habet Vicarius Christi potestatem et obligationem bene administrandi patrimonium Christi; sed unus ex præcipuis actibus hujus administrationis est vindicare illa bona ab oneribus et tributis, quantum pietas et religionis ratio, servata justitia, postulaverit. Sicut ergo a principio, Ecclesiæ administratio et dispensatio talium bonorum in Christi Vicario et Episcopis fuit, ut late probatur in decretis, 96 d., et 12, q. 1, et 2, ita et jus exemptionis talium bonorum perpetuo in Ecclesia fuit. Tertio, eadem est ratio de exemptione a jurisdictione et a tributis; imo hæc posterior sequitur ex priori, ut probatum est; sed Ecclesia ex vi potestatis dispensandi et administrandi talia bona, habuit semper po-

testatem et jus ad eximendum hæc bona a jurisdictione sæcularí, ut supra probatum est; ergo idem jus habuit semper etiam circa tributa.

7. *Probatur quarto.*—Ultimo declaratur, et optima ratio hujus potestatis redditur, quia potestas ecclesiastica, ut est in capite, et Vicario Christi, est suprema in suo ordine, et quia ille ordo est divinior cæteris, ideo illa etiam est suprema simpliciter respectu omnium potestatum terræ. Illa vero potestas licet spiritualis sit, indiget usu temporalium bonorum ad convenientem gubernationem et executionem suæ potestatis; ergo, etiam ut versatur circa bona temporalia sibi commissa, est potestas simpliciter suprema; ergo per se sufficit ad eximendum hæc bona ab impositionibus, quæ per quamcumque aliam terrenam potestatem fieri possent. Unde ipse Pontifex potest talia bona tributis onerare, independenter a consensu alterius, tanquam supremus gubernator, dummodo id faciat tanquam fidelis dispensator et prudens, juxta Clementin. 1, «Ut lite non contestata,» in fine, cum similibus; non posset autem Pontifex habere tam liberam et supremam potestatem, si non posset bona illa a gravaminibus aliorum principum eximere, alioqui sæpius talia bona nimium gravarentur, et bellum justum ex utraque parte oriretur, si una potestas alteri non cederet. Quod si altera recognoscenda et præferenda est, illa profecto spiritualis potestas esse debet, ut sæpe dictum et probatum est.

8. *Secunda conclusio.—Privilegium exemptionis bonorum Ecclesiæ non semper observatum fuit.—Probatur conclusio.*—Secundo, dicendum est de facto seu executione hujus exemptionis a tributis realibus, bonis immobilibus impositis, nec semper fuisse in Ecclesia necessariam, nec semper possibilem, nec certo constare quando incœperit; verisimile tamen esse, a principio christianorum imperatorum introductam esse, et quantum per Pastores Ecclesiæ fieri potuit, fuisse servatam. Prima pars manifesta est de illo primitivo tempore, in quo Ecclesia hæc immobilia bona non habebat, sed agros, et prædia sibi a fidelibus

oblata ad sustentanda communia onera vendebat, ut in dicto cap. «Videntes» dicitur. Tunc enim non erat in Ecclesia materia seu fundamentum talium tributorum, et ideo dicimus non fuisse illi necessariam hujusmodi exemptionem. Secunda pars procedit de secundo tempore, ex quo cœpit Ecclesia talia immobilia bona possidere et retinere (juxta idem cap. «Videntes»), usque ab tempora christianorum principum, seu Constantini. Nam eo tempore imperatores et reges, quibus hæc tributa solvebantur, non erant Ecclesiæ filii ac subditi, neque fide carentes intelligere valebant, quale esset Ecclesiæ jus ad liberum usum talium bonorum, ideoque non potuit eo tempore Ecclesia aut efficaciter aut cum fructu, imo neque sine scandalo illo jure uti. Tertia pars, de incertitudine, imprimis sumi potest ex objectionibus factis. Ac deinde, quia non invenimus jura, ex quibus initium hujus executionis, seu observatæ exemptionis, clare et cum certitudine colligamus.

9. Dico autem esse incertum hoc initium quoad negationem prioris temporis; nam quoad affirmationem alicujus temporis, in quo stabilita est exemptio semper in posterum duratura, satis certo assignari potest, saltem a tempore Friderici II et Honorii III, ut ex actenus dictis satis constat. Quod vero ante illud tempus saltem jure canonico fuerit stabilitus usus hujus exemptionis, manifestum est ex Concilio Lateranensi, sub Alexandro III, quod fere centum annis præcessit, et ex alio Lateranensi, sub Innocentio III, postea celebrato, c. «Non minus», et c. «Adversus», de Immun. eccles. Atque ex eisdem decretis colligitur, hoc jus non fuisse in illis inchoatum, sed antiquius esse, et in illis Conciliis sub gravioribus censuris et declarationibus fuisse confirmatum. Unde, licet forte non inveniatur antiquius decretum expresse et in specie hanc exemptionem bonorum ecclesiasticorum stabiliens, ex hoc ipso probabiliter conjectamus, non tam jure Pontificio scripto, quam non scripto, traditione, et præceptis Prælatorum fuisse observatam in Ecclesia hanc immunitatem, ex quo incœperunt Pontifices expe-

litam et liberam habere suam potestatem ecclesiastica bona administrandi, id est, postquam impedimentum ethnicorum imperatorum sublatum fuit.

10. *Exemptio bonorum Ecclesiæ ante Fridericum per leges civiles statuta fuit.*—Unde etiam mihi verisimile est, Constantinum statim exemptionem hanc ecclesiasticis bonis concessisse, vel in eam potius consensisse. Nam omnes historiæ (1) tradunt, eum statim omnia bona Ecclesiis restitui præcepisse, et non solum maxima liberalitate Ecclesiis prædia donasse, sed etiam magnis privilegiis illas munivisse. Eumque successores pii et catholici imitati sunt. Imo notat Baronius, an. 387, n. 13, post imperatores gentiles, non nisi apostatas, vel hæreticos imperatores de bonis Ecclesiæ tributum exegisse, primumque eorum Julianum Apostatam fuisse. Quamvis ergo in Codice Justiniano vel Theodosiano non inveniatur lex civilis expresse concedens hoc privilegium ante constitutionem Friderici, nihilominus credendum est longe antea, imo a principio christianorum imperatorum fuisse ab eis concessum, vel admissum (2). Et, licet interdum fuerit intermissum, patienter ferente Ecclesia, non consentiente, non jure, sed per tyrannidem est factum, tum quia contra jus divinum et canonicum; tum etiam quia tale privilegium semel concessum revocari non poterat; ideoque quoties imperatores generaliter renovant privilegia a suis prædecessoribus Ecclesiis concessa, sub illis hoc etiam comprehendi existimandum est.

11. *Prima responsio ad Ambrosium.—Secunda.*—Ad Ambrosium ergo in c. «Si tributum», 11, q. 1, Glossa ibi videtur simpliciter concedere, prædia Ecclesiæ subjecta esse tributis, plumque in hoc gaudere privilegio, quod, licet illud non solvat

(1) Vide edictum Constantini supra citatum, et Eusebium, l. 10 Hist., c. 5, et in orat. de Laudibus Constantini.

(2) Vide Codicem Theodosianum, tit. de Episcop. et cleric., in multis ejus locis, præsertim in ultimis.

Ecclesia, non poterunt ejus bona vindicari. Sed hoc si intelligatur de hoc tempore, omnino falsum est; si vero intelligatur de tempore Ambrosii, magis est tolerabile, sed non verum. Alia igitur Glossa, in cap. «Secundum canonicam», 23 q. 8, textum illum intelligit de oneribus realibus, cum quibus bona ad Ecclesiam transierunt, sentitque ex sententia Ambrosii teneri Ecclesiam ad illa solvenda. Videtur autem intelligere de propriis tributis, nam de his certe loquitur Ambrosius, ut patet ex illis verbis: «Si tributum petat imperator», etc. In hoc autem sensu falsa esset sententia, ideoque illam non admittimus.

12. *Tertia et vera responsio.*—Verus ergo intellectus verborum Ambrosii est quem late tradit Cardinalis Albanus, supra et uno verbo complexus est Cardinalis Baronius supra, dicens verba illa dicta esse ab Ambrosio, permittendo potius quam probando, et factum asserendo, non jus confitendo. Verisimile enim est illo tempore, quod erat Valentiniani junioris et pueri Justinam, ejus matrem, et pro illo gubernantem, et Arianam tributum aliquod ab Ecclesiis exegisse, prudenterque censuisse Ambrosium, non fuisse tunc illi resistendum, vel propter vitanda scandala, vel quia majora pericula tunc imminebant Ecclesiæ, quibus magis occurrere oportebat, nec poterat simul omnibus resisti. Unde eodem tenore verborum subjungit Ambrosius «Si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum nemo nostrum intervenit, potest pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris invidiam, tollant eos, si libitum est»; explicans autem quo sensu hoc dicat, subjungit: «Imperatori non dono, sed non nego, quasi dicat, permitto, non approbo. Multo vero facilius poterat tributum, quam usurpatio prædiorum permitti; nam hæc posterior ita continet injustitiam et sacrilegium, ut excusari per ignorantiam non possit, tributorum autem exactio non ita præ se fert intrinsecam malitiam, quin ignoratione occultari, vel aliquo apparenti titulo colorari valeat. Et ideo potuit hoc facilius dissimulare Ambrosius, exis-

timans etiam tributum illud tunc non fuisse omnino injustum, nam inferius in eadem oratione subjungit: «Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo; tributum Cæsaris est, non negatur; Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici, quia jus Cæsaris esse non potest.» Et ita etiam responsum est ad cap. «Convenior.»

13. *Ad cap.* Tributum.— *Prima responsio.—Rejicitur.—Alia responsio.*—Ad cap. «Tributum» Albanus supra eamdem accommodat responsionem, videlicet, Urbanum de facto fuisse locutum, non de jure, dicens persolvendum esse tributum ab Ecclesia sponte, et ad vitandum scandalum, non ex obligatione aut debito. Et ad hoc suadendum inducit verba illa: «Pro pace et quiete», etc. Sed violenta videtur interpretatio, nam verba Pontificis sunt: «Quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri et defensare debent, imperatoribus persolvendum est.» Quorum verborum sensus non est, solvendum esse tributum gratia vitandi scandalum et servandi pacem, sed solvendum esse imperatoribus propter officium, et obligationem quam habent nos tuendi, et in pace conservandi. Unde verba illa magis indicant jus quam factum; nam de facto in principio dixerat: «De exterioribus suis Ecclesia tributum reddit»; postea vero reddit rationem, propter quam persolvendum est. Et ita ibi Turrecrem. et alii textum illum intellexerunt, non solum de facto, sed etiam de debito. Unde aliter respondent, interpretando textum illum de solis bonis quæ ad Ecclesiam cum onere tributi pervenerunt.

14. *Impugnatur.—Vera responsio.*—Mihi vero etiam hoc non satisfacit, quia textus indifferenter loquitur de tributo. Gratianus enim limitaretur ad tributum improprium, seu privatum ex pacto aliquo fundatum; nam potius verba declarant eamdem esse de tributo, quod imperatori solvitur ratione publici muneris, quod Ecclesia non debet, sive antiquum, sive novum sit, quia ejusdem sunt rationis, ut dixi. Adverto igitur, caput illud referri a Gratiano ex Urbano Papa; non designat

autem quis ille Urbanus fuerit; licet autem nulla habeamus decreta, in tomis Conciliorum aut Epistolarum decretalium, Urbani II vel posteriorum illo nomine nuncupatorum, neque inter acta Urbani I decretum illud in tomo primo Conciliorum reperiatur, conjectamus nihilominus potius esse Urbani I quam aliorum, quia modus loquendi illius textus magis redolet antiquitatem Urbani I quam noviora tempora aliorum Urbanorum. Hoc ergo dicimus, Urbanum fuisse locutum juxta morem sui temporis, quando imperatores erant ethnici, et Ecclesia nondum sibi libertatem ab hujusmodi tributis vindicaverat, jam vero jus illud cessasse.

15. *Ad* c. Sancimus.— *Bona ad mansum Ecclesiæ spectantia ab omni tributo manent exempta.*— Ad cap. «Sancimus», et cap. 1 de Censibus, Glossæ ibi intelligunt illa ultima verba de antiquioribus oneribus realibus. Quæ responsio pro textu illo mihi placet, dummodo intelligatur de oneribus privatis, de quibus præcedenti capite in conclusione prima locuti sumus. Et ad hunc sensum confirmandum ponderari potest, ibi non fieri mentionem tributi, neque Principis; sed «majoribus», vel potius, ut habet originale, «senioribus suis» (inquit Concilium) «debitum servitium impendant.» Quæ verba (quidquid Gratianus, in § sequenti, et Glossa ibi dicant) ampliora sunt, nam «debitum servitium», recte de quocumque onere dicitur; per «seniores» autem intelligunt Glossa, et Joan. Andr., in dict c. 1 de Censub., antiquos dominos, a quibus res transierunt ad Ecclesiam cum onere suo, et ideo illis persolvendum est ab Ecclesia de eisdem bonis, quando non pertinent ad mansum Ecclesiæ, nec ad alia loca illi conjuncta, de quibus ex speciali illius juris dispositione nihil præter ecclesiasticum solvi permittitur. Quæ exceptio «ecclesiastici» firmat regulam in contrarium respectu aliorum onerum realium, cujuscumque generis sint. Si autem Ecclesia præter hæc bona aliquid amplius habuerit, ut in textu dicitur, obligata erit ad onera realia, quæ ad antiquiores dominos virtute alicujus pacti pertinuerint. Ratio autem specia-

lis exemptionis priorum bonorum esse potest, quia vel censentur quasi partes accessoriæ ipsius Ecclesiæ, quæ totam illam immunitatem meretur, et accessorium sequitur naturam principalis, vel ad Ecclesiæ sustentationem judicantur necessaria, ut ibi notat Abbas, et ideo alia onera in eis non permittuntur. Unde si prius illa habebant, eo ipso quod bona uniuntur Ecclesiæ, cessant onera, ut in præcedenti capite declaratum est.

16. *Ad leges civiles in contrarium inductas.*—Tandem ad leges civiles unico verbo respondetur, cum Glossis supra citatis, derogatas esse illas leges per constitutionem Friderici. Aut fortasse melius diceretur, leges illas semper fuisse nullas, ut in simili significavit Glossa, in c. «Generaliter», 16, q. 1, verb. «Collationibus.» Ratio autem est, quia tales leges erant contra privilegia prius Ecclesiis concessa, quæ revocari non poterant, vel certe quia disponebant in materia ecclesiastica, et in Ecclesiæ præjudicium, quod leges civiles facere non possunt, ut sæpe dictum est. Quibus addimus, inter ordinationes Lusitaniæ, lib. 2, tit. 22, inveniri optimam legem, quæ doctrinam datam confirmat.

CAPUT XXII

Qualis sit exemptio ecclesiastica quoad personalia onera clericorum

1. Non intendimus in hoc capite declarare quæ personæ, vel quomodo hac exemptione gaudeant; hoc enim ad alteram partem materiæ quasi remotam pertinet, de qua in capite vigesimo tertio dicere incipiemus; sed generatim supponimus, id quod per se notum in hac materia est, clericos privilegio exemptionis gaudere, et quia in superioribus ostensum est, materiam illius exemptionis esse judicia sæcularia, tam criminalia quam

civilia, et leges civiles, tam coactivas, seu pœnales, quam directivas, seu obligationem directe inducentes, ideo dicendum superest an respectu earumdem personarum tributa etiam sint materia hujus exemptionis. Hæc autem tributa quædam imponi solent ipsis personis sine respectu ad bona, quæ dicuntur pure personalia, et appellari solent nomine «census», ut Matth., 17, juxta multorum expositionem, et in jure, Cod. de Capitatione civium censibus eximenda, lib. 11, ubi idem tributum «census» et «capitatio» appellatur, quia per capita juxta numerum sine respectu ad bona imponebatur. Aliquando vero imponitur tributum ratione bonorum, quod vel reale vel mistum appellatur, ut dicemus capite sequentj, ubi de bonis tractabimus; nunc enim de puris personalibus oneribus agimus.

2. *Clerici a censibus sunt exempti.*—Primo ergo dicendum est, personas ecclesiasticas gaudere personali immunitate quoad census, seu capitationis tributum. Hæc assertio certissima est inter Catholicos, nam expresse habetur multis decretis juris canonici supra, ad probandam exemptionem in generali inductis, ut cap. «Adversus», cap. «Non minus», de Immunitat. Ecclesiar., et in cap. «Quanquam», de Censib., in 6, et in aliis, in quibus specialis fit mentio personarum. Et ita ibi notant omnes expositores, idemque docent Theologi, in 2, d. 34. Estque hæc exemptio antiquissima, non solum jure canonico, sed etiam civili, ut colligi potest ex Codice Theodosiano, tit. de Episcop. et Cleric., leg. 8, quam tribuit Constantino Gratianus, in cap. «Generaliter», 16, q. 1, et his verbis eam refert: «Juxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, fundos et mancipia vestra», etc.; tamen in Codice Theodosiano tribuitur Constantino, et hoc modo legitur: «Vos et mancipia vestra nullus novis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis.» Et eodem modo legitur in l. 1, Cod. de Episcop. et Clericis, ubi Constantino tribuitur. Idem privilegium confirmavit Gratianus, in l. 26, eodem titulo, ubi habet hæc verba notanda: «Quis eos capite censos patiatur devinctos, quos necessario intelligat su-

pra memorato obsequio» (scilicet Ecclesiæ) «mancipatos.» Idemque privilegium magis declaratum et confirmatum est a Friderico.

3. *Dicta clericorum a tributis exemptio est de jure divino.— Probatur primo.—Tacitæ objectioni occurritur*—Et quidem si aliqua clericorum exemptio est de jure divino naturali, et conformis evangelico, maxime hæc, quæ est a tributis mere personalibus. Probatur, quia personæ non imponitur justa ratione tributum, nisi vel ratione bonorum, vel ratione propriarum actionum, quatenus per eas aliquid lucrari potest, unde tale tributum solvat. At vero quando priori modo tributum imponitur, non est pure personale, sed mistum, et ideo non pertinet ad præsentem quæstionem, sed ad aliam tractandam capite sequenti. Posteriori autem modo non sunt capaces clerici tributi personalis secundum rectam rationem, quia ratione sui status sunt omnino dicati cultui divino, et ex vi talis status actiones suas non ad lucra temporalia, sed ad spiritualia ministeria ordinare debent; ergo ex vi sui status jure naturali exempti sunt a tributis personalibus et temporalibus. Nec refert quod stipendium aliquod temporale propter talia ministeria possunt recipere; nam illud non est per modum temporalis lucri, sed est per modum justæ et congruæ sustentationis, quæ non debet subtrahi vel diminui per impositionem tributi. Eo vel maxime quod illud stipendium est quasi annexum et accessorium ministerio spirituali, et ideo participat ejus naturam et conditionem, ac proinde libertatem, et exemptionem quam spiritualia ministeria habent ab omni sæculari potestate.

4. Unde etiam est evidens alia ratio, quia nemo potest personale tributum imponere, nisi in personam suæ jurisdictioni subjectam; sed personæ clericorum non sunt subjectæ jurisdictioni sæcularium principum; ergo nec tributis personalibus ab eis possunt onerari. Atque juxta hæc principia colligitur hæc exemptio clericorum ex verbis Christi, Matth., 17: «Ergo liberi sunt filii»; ibi enim de exemptione a tributis, et præsertim per-

sonalibus, sermo erat. Nam tributum illud, quod Cæsari solvebatur, et census appellabatur, idem esse videtur quod per capita impositum fuit a Cæsare, quando jussit, «ut describeretur universus orbis», ut dicitur Luc., 2. Ab hoc autem tributo principaliter liberi sunt filii; consequenter vero liberi etiam esse debent familiares eorum, qui et omnino circa personas et obsequia filiorum occupati sunt, et eorum bonis aluntur. Sic ergo per quamdam consecutionem clerici sub illis verbis continentur. Ad quem sensum trahi recte possunt verba Hieronymi ibi: «Nos pro illius honore tributa non reddimus, et quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus.» Oportet autem ut sub illo pronomine, «Nos», non omnes Christianos, sed ecclesiasticos tantum comprehenderet.

5. *Idem probatur secundo.*—Hinc que D. Thomas, in d. 44, q. 2, a. 2, ad 1, tractans eumdem locum, ait: «Quod Christus loquitur de se et suis discipulis, qui nec servilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus suis dominis obligarentur ad tributa solvenda.» Unde ulterius subinfert, ex vi eorumdem Christi verborum eximi omnes, «qui Apostolicam vitam profitentur, nihil in hoc mundo possidentes, et a conditione servili immunes. Videtur autem conditionem servilem appellare, vel temporalem subjectionem ad jurisdictionem sæcularem, vel curam et sollicitudinem, quæ lucris temporalibus acquirendis incumbit. Et eamdem doctrinam habet Bonavent., art. 3, q. 1, ad 1; et Richard., art. 3, q. 1, ad 1, ex argumentis secundo loco positis; et Thomas de Argentina, ibidem, art. 4, in quadam solutione ad 3. Et eodem modo exposuit Lyra eadem verba Matth., 10; et Glossa ordinaria, usurpans verba Augustini, lib. 1 Quæstion. Evangelicar., quæst. 23, dicit, liberos esse filios regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena. Exponunt autem scholastici supra citati per filios regni intelligendos esse, non omnes Christianos, sed eos qui propter Christum omnia reliquerunt. De quo sensu, quod fuerit intentus ab Augustino, non assero; probabile autem censeo, omnes

has personas per quamdam consecutionem, saltem quantum ad hæc tributa personalia, sub verbis Christi comprehendi.

6. *Clerici sunt exempti a muneribus sordidis.*—Dico secundo: clerici exempti sunt non solum a tributis pecuniariis, sed etiam ab omnibus quæ in actione aliqua sordida aut sæculari, vel in obligatione subeundi talia munera, consistere possunt. Hæc assertio frequens est in jure civili, præsertim in Codice Theodosiano, in tit. de Episcop. et Clericis, nam in l. 1 præcipit Constantinus, «ne clerici nominationibus, seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi privilegia prægraventur.» Et l. 2 dicit, «ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne a divinis obsequiis avocentur.» Et in l. 9 ait Constantius: «Curialibus muneribus, atque omni inquietudine civilium functionum exortes clericos esse oportet;» et in lib. 10: «Repellatur ab his exactio munerum sordidorum.» Idem in l. 11, et l. 14. Idem Valentinianus, in l. 21 et 22, et 24; et Arcadius et Honorius, in l. 36, inquiunt: «Ab his, quos a publici laboris actu, et gradus clericatus, et (quod non minus est) sanctior vita defendit, præcipimus temperari.»

7. Præterea in l. 1, C. de Episcop. et Clericis, notanda sunt illa verba: «Nullus novis collationibus vos obligabit, sed vacatione gaudebitis.» Ubi Glossa addit, «sordidorum munerum.» Item aliud exemplum hujus exemptionis ibi additur, cum dicitur: «Neque hospites suscipietis,» quod continet speciale privilegium, ut ibi late Glossa notat, et in l. 2 eadem immunitas generaliter traditur, et distinctius in l. «Placet,» 17, eodem tit.: «Placet ut nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant.» Et in l. «Generaliter,» eodem tit., specialiter eximuntur a tutelis et curis pupillorum, et additur tale beneficium illis fieri, qui non sunt divagantes, neque circa divina ministeria desides: «Cum propter hoc» (inquit) «ipsum beneficium eis indulgeamus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.» Et idem privilegium habetur l. «Placet,»

C. de Sacrosanct. Eccles., et sumitur a simili ex l. «Sancimus,» eodem tit., ubi notanda sunt illa verba: «Cur non facimus discrimen inter res divinas et humanas, et quare non competens prærogativa cœlesti favore conservetur.»

8. *Ex jure canonico confirmatur assertio.* — In jure autem canonico, non solum is modus exemptionis approbatur et recipitur, toto tit. de Immunit. eccles., sed etiam observare mandatur in toto tit. «Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.» Et per locum ab speciali sumi potest ex cap. «Pervenit,» de Immunit. eccl., ubi dicitur in tempore necessitatis nullum clericum esse excusandum a murorum vigiliis, sed ad hoc generaliter posse compelli, ut «cunctis vigilantibus, melius valeat civitatis custodia procurari.» Imo tunc etiam requiritur ut id fiat Episcopo approbante, et ut, si necessaria sit coactio, per eumdem fiat, juxta ea quæ capite sequenti notabimus. Duo ergo sunt in hoc genere exemptionis distinguenda: unum est, ut non possint clerici cogi aut obligari ad hæc munera subeunda; aliud est, prohibere, et cum necessitate obligare, ne illa exerceant. Primum fieri potest non tantum per leges canonicas, sed etiam per civiles, quia in hoc non exercent jurisdictionem circa clericos, neque utuntur vi coactiva aut directiva propria, sed concedunt privilegium, quod non semper spectat ad jurisdictionem, sed ad liberalitatem, ut supra dixi. Quanquam si res attente consideretur, supposito privilegio fori, prædictæ leges magis loquuntur cum ministris sæcularibus, quam cum clericis, magisque declarant quid illi agere teneantur, quam aliquid de novo clericis concedant. Nam cum clerici a jurisd ctione laicorum exempti sint, non possunt leges vel magistratus sæculares clericos cogere ut hæc onera subeant, vel ut ab his vel illis muneribus abstineant. At vero lex canonica utrumque facere potest, et facit; nam efficaciter eximit clericos a muneribus profanis, vel sæcularibus, prohibendo, et cogendo, si opus sit, laicos, ne ad illa subeunda clericos compellant, et ipsos etiam clericos obligando ut ab illis abstineant; utrisque

enim præcipere potest in ordine ad spiritualem finem, ut sæpe dictum est.

9. *Ex divino jure assertio ostenditur.* — Ex quibus etiam facile intelligitur, exemptionem clericorum quoad hanc partem seu materiam ex jure divino naturali sequi, in multis quidem necessaria illatione, in aliquibus autem valde propinqua, quæ jure ecclesiastico determinantur. Declaratur breviter, nam clerici ex vi status destinati sunt divinis obsequiis, quibus duplici titulo repugnare possunt sæcularia munera. Primo, quia nemo potest duobus dominis servire, ideoque non possunt clerici sæcularibus negotiis implicari, quin a divinis obsequiis avocentur. Secundo, quia sancta sancte, et cum honore ac reverentia tractanda sunt; clerici autem per ordinationem et deputationem ad divinum cultum peculiarem sanctificationem acquirunt, et ideo, ut sancte et honorifice tractentur, necesse est ut ab his sæcularibus aut vilioribus muneribus sint exempti. Unde sicut supra de rebus sacris dicebamus, ita de personis sacris nunc dicimus, ex natura rei sequi ut in abstractione a sordidis muneribus singularem prærogativam habeant.

10. Inter hæc autem munera quædam sunt, quæ manifeste derogant sanctitati personarum, vel ecclesiastica munera impediunt, et quoad hæc necessario sequitur hæc exemptio ex vi juris naturalis. Imo sæpe non solum sequitur exemptio, sed etiam prohibitio, ut quando munera sunt vel nimis profana, de quibus maxime dicit Paulus, 2 ad Timot., 2: «Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.» Alia vero sunt munera, in quibus non statim apparet tanta deformitas, ut est, verbi gratia, tutela vel cura pupillorum, honestam et moderatam vel necessariam artem exercere, et similia. Atque in his determinari potest exemptio per jus canonicum. Quod interdum fit prohibendo talia munera; aliquando vero solum concedendo ne clerici aliqua hujusmodi munera acceptare teneantur. Et hoc posterius etiam jure civili fit, sic enim clericus exemptus est a tutela in Auth. «Presbyteros,» sub l. 41, C. de Episc. et Cleric.,

et nihilominus possunt eam acceptare, si velint, ut ibi not Glossa, et alia Glossa, in cap. «Irreligioso,» d. 83. Et similite licet clerici non cogantur testificari coram judice sæculari, n hilominus in aliquibus causis id facere possunt, et ita de ali similibus.

11. *Clerici utilitatibus omnibus civibus communibus priva nequeunt.* — Dico tertio, ad hanc libertatem, seu exemptione clericorum, pertinere, ut juribus, commoditatibus, aut aliis r bus omnibus civibus communibus non priventur. Hanc asse tionem sumo ex doctrina Bartholi, in Authentica «Cassa,» C. c Sacrosanct. Eccles., ubi dixit, leges civiles, per quas cleri timidiores fiunt, contra libertatem ecclesiasticam esse, etiam tales leges cum ipsis clericis non loquantur. Idem tradit in l. § «Quæ honorandæ,» ff. «Quarum rerum actio non detur,» ean que doctrinam communiter sequuntur Canonistæ, in cap. «No verit,» de Sentent. excomm., præcipue Panormit. et Felin., in capite ult., de Immunit. ecclesiar., in 6, ubi specialiter vi deri potest Ancharranus, et in Repetit. capitis 1 de Constitut et Cardinalis, in Repetit. capituli «Perpendimus,» de Senten excommunicat., § «Et specialiter quæro.» Quid autem sit cler cos fieri timidiores, non satis perspicue a dictis auctoribus ex plicatur, cum tamen possit, et nimis ample, et nimis restrict intelligi.

12. *Clerici non redduntur timidiores, quoties ex legibus civ libus aliquod onus in eos resultat.* — Nimis ampla erit explicati si quis existimet, quoties laici aliquid faciunt vel statuunt, e quo redundat aliquod onus vel incommoditas clericorum, totie fieri contra exemptionem seu immunitatem eorum, quod inter dum insinuant Canonistæ, in cap. «Ecclesia S. Mariæ,» d Constitut., et in cap. 1, de Novi operis nunciat. Sed illud no est indistincte verum, nam, quando gravamen illud vel præju dicium generale est, et in utramque partem potest evenire, in terdum in gravamen, et interdum in commodum, tunc si dis positio generalis est pro civitate, et in re ad commune bonu

us spectante, non potest dici imponi clericis gravamen contra ertatem eorum, quia nihil tunc fit contra eorum privilegia, que contra naturalem justitiam. Item quia omnes fere leges manæ hoc habent, ut, licet communitati, et regulariter om-bus utiles sint, interdum in alicujus præjudicium vel grava-en redundent, neque propterea censentur injustæ vel nocivæ, m quia bono communi intendunt, et propter illud juste per-ittunt privatum incommodum; tum etiam quia, licet in una casione vel tempore videantur gravamen inferre, in aliis ju-nt, et afferunt commodum, et ita unum ex alio compensatur.

13. *Leges, in materia communi, et in generali loquentes, im-unitati clericorum non derogant.* — Tales ergo leges, si dispo-nt in materia communi omnibus civibus, et in generali quantur, non erunt contra clericorum libertatem, nec vere ci possunt eis gravamen imponere, imo ab illis observandæ unt eo modo quo canones disponunt, quove supra diximus, neri clericos ad servandas leges civiles justas et politicas suo atui non repugnantes. Atque hæc explicatio et sententia com-unis est expositorum in cap. 1 de Novi oper. nunciat., ex o textu hoc ipsum probatur. Idem habent Felinus et alii, in p. «Ecclesia S. Mariæ,» de Constit., et eamdem doctrinam pponunt plures Doctores, quos refert Tiraquel. in legibus nnubialibus, Gloss. 8, q. 17, n. 169 et sequentibus, et de roque retractu, p. 1, § 1, Gloss. 23, n. 5. Idem sentiunt Ca-tan., verb. «Excommunicatio,» c. 31, et Navarr., in Sum., 27, n. 120, quatenus dicunt, legem civilem moderantem fu-eralem pompam quantum ad honorem humanum, prout esse otest materia talis legis, non esse contra libertatem clerico-m, etiam si fortasse aliquod gravamen inde sentiant, quia lu-um eorum aliqua ex parte impeditur, quia hoc est accidenta-um, et aliunde potest compensari.

14. *Quando clerici per civiles leges timidiores fiant.* — Nimis ro stricte intelliget doctrinam illam, qui existimaverit tantum eri timidiorem clericum, quando ex facto principis sæcularis,

vel ex illius lege ac dispositione, laici assumere possunt lic
tiam nocendi, vel affligendi clericos, quia hoc videntur in p
prietate et rigore illa verba significare, «timidiores fieri.» N
licet verum sit, hunc modum gravandi clericos esse contra
munitatem eorum, tamen et magna ex parte pertinere po
ad violationem privilegii canonis, potius quam fori, si cle
timidiores fiant, ne violentæ manus suis personis injician
juxta doctrinam Baldi, in Auth. «Cassa», C. de Sacrosan.
cles., q. 3, n. 4. Et quatenus spectare hoc potest ad priv
gium fori, non adæquat illud, quia multis aliis modis poss
gravari clerici, et timidiores fieri, etiam si eis non infera
metus alicujus nocumenti, vel læsionis quæ sibi a laicis
possit, ut statim patebit.

15. Imo neque satis explicatur hic effectus eo modo
Cajetanus et Navarrus supra illum explicare videntur, dicen
tunc legem violare immunitatem clerici, quando aliquo m
gravat illum contra speciale privilegium illi concessum, q
clericus, vel quia persona ecclesiastica est, non vero si gra
illum, quatenus civis vel homo est. Quibus videtur favere
nocentius, in c. «Noverit», de Sentent. excom., quatenus d
illa esse proprie contra immunitatem ecclesiasticam, quæ s
contra privilegia Ecclesiæ concessa. Quod etiam videntur s
tire Baldus, in dicta Auth. «Cassa», q. 2, n. 3; et Lapus, al
gat. 92, sub tit. «An constitutio sit contra libertatem Ecclesi
Quia, licet verum sit, hoc modo gravari clericum contra su
immunitatem, non est tamen verum, hoc solum significari
illa verba, «timidiores fieri», quia non tantum gravantur cle
contra suam immunitatem, quando gravantur contra privile
quæ habent ut clerici sunt, sed etiam quando specialiter g
vantur ut cives sunt, id est, contra jura quæ illis competu
quia cives sunt, id est, quæ omnibus civibus sunt commun
sive jure gentium, sive civili, seu positivo clericis debeant
ideoque si in illis graventur solum quia clerici sunt, contra
bertatem ecclesiasticam committitur, ut ex sequentibus p
tebit.

16. *Per leges privantes clericos rebus jure naturæ vel civili immunibus, timidiores ipsi redduntur.*— Dico ergo doctrinam m Bartoli explicandam esse juxta tertiam assertionem pro-itam. Quotiescumque enim per statutum, seu legem, aut ndatum, aut vim laicorum clerici privantur illis rebus, quæ e naturali gentium vel civili communia sunt civibus, eo ipso od sunt membra talis communitatis, gravantur contra eccles-sticam libertatem, et tunc dicuntur fieri timidiores, quia illo do avertuntur homines a statu clericali, quando vident ita ricos tractari a laicis, eo quod clerici sint. Vel etiam dici sunt timidiores fieri, quia non sinuntur libere uti et frui ju-is, seu rebus communibus cæteris civibus, etiamsi statui ricali non repugnent. Et hæc sententia sic explicata com-nis est auctorum, quos pro conclusione allegavi. Idem sen-nt Joann. Andr. et alii in cap. ult., de Immunit. ecclesiar., 6; et Panormit., in lib. 1, cons. 26, melius in 83. Idem tit Felin., in cap. «Noverit», de Sentent. excom., in 6, n. 2. Ubi addit, non aliter sentire Innocentium quam sense-Bartolus, quia ea, quæ competunt ex jure communi, fortiora t quam quæ ex privilegio.

17. Addo etiam Innocentium non tantum fuisse locutum privilegio Papæ vel imperatoris, sed etiam Dei; expresse m numerat ibi multu privilegia a Deo Ecclesiæ concessa, et tea concludit, quidquid est contra privilegium, a Deo, Papa, imperatore, Ecclesiæ datum, esse contra immunitatem. nine autem privilegii non intelligitur tantum illud quod est ter legem universalem tanquam exceptio ab illa, sed etiam ne id quod convenit vel Ecclesiæ, vel clericis ex vi juris di-, sive positivi, sive naturalis, supposita tali institutione esiasticæ monarchiæ et hierarchiæ. Multæ enim prærogati-Ecclesiæ, quas inter hæc privilegia numerant Innocentius, ormitanus et alii, non aliter conveniunt Ecclesiæ, quam ex divino positivo vel naturali, licet supponant aliquam divi-institutionem. Et in superioribus ostensum est, exemptio-

nem ecclesiasticam ex genere suo ad hoc jus divinum pertinen et multa, quæ sub hac exceptione continentur, esse immedia ab hoc jure, licet aliqua fortasse per Ecclesiam vel imperator addita vel aucta sint.

18. *Leges, adimentes clericis res aliis civibus communc libertati ecclesiasticæ repugnant.—Evasio.—Refellitur.*—Ad hu ergo modum dicimus, ad immunitatem clericorum pertinere, per potestatem laicorum non fiant pejoris conditionis, etiam his commodis temporalibus, quæ communia sunt omnibus civ bus. Exemplum optimum est in capite ultimo de Immunita ecclesiæ, in sexto, ubi contra ecclesiasticam libertatem com mittere dicuntur temporales domini, «qui suis subditis, ne pe sonis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid a ipsis, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia ob sequia exhibeant, interdicunt.» Hæc enim omnia non sunt co tra specialia privilegia clericorum, vel ut clerici sunt, sed con tra communem societatem civilem, et nihilominus cont ecclesiasticam libertatem judicantur, et ut talia prohibentur puniuntur. Respondet tamen Cajetanus, ibi non dici, interdic illa, seu statuta esse contra libertatem ecclesiasticam, sed præ sumi. Verumtamen de sensu illius verbi, «Præsumantur», in fra, c. 32, dicendum est; nunc breviter dico: qualiscumqu illa præsumptio cogitetur, ut vera et fundata esse possit, nece sarium est ut supponat verum et proprium objectum crimin contra libertatem ecclesiasticam, privare clericum commu jure civilis societatis, etiam si id non fiat exercendo jurisdictio nem in clericum, sed per alium quemcumque modum.

19. *Ratio conclusionis.—Prima confirmatio.*— Ratio auter est, quia, licet talia jura, communia civibus, non debeantu clericis, quia clerici sunt, debentur tamen ipsis ut civibus etiam si statum diversum a laicis habeant; imo quia cleric sunt, ideo illis novo et majori titulo debetur, ne his com munibus juribus priventur, quia propter statum clericalem no amittunt jura communia civium, et alioqui ratione status ma

ri honore et reverentia digni sunt; ergo ad immunitatem na-
rali jure debitam clericis, pertinet ut his juribus non priven-
r. Optimeque juvatur hæc ratio verbis Arcadii, et Honorii
nperatoris, in l. 19, Cod. de Episc. et Clericis: «Omnibus, qui
cclesiis serviunt, tuitio deferatur, quia temporibus nostris
di potius reverentiæ cupimus, quam ex his, quæ olim præs-
a sunt, immutari.» Et ideo, in l. 31, sacrilegum appellant,
ui sacerdotibus et ministris Ecclesiæ aliquid importat inju-
e», illudque crimen æquiparant cum injuria loco vel cultui
cro facta. Et confirmatur, quia per hujusmodi actiones, vel
spositiones laicorum vilescit multum clericalis status, et irre-
renter tractatur, et consequenter clerici timidiores fiunt, et
ii ab illo statu suscipiendo avertentur, cum videant ea, quæ
re gentium cæteris civibus communia sunt, ipsis denegari;
go illa omnia sunt contra ecclesiastimam immunitatem.

20. *Secunda.* — Confirmatur tandem, quia hujusmodi gra-
mina clericorum ordinarie procedunt ex odio aliquo ipsius
atus clericalis, non quidem propter ordines, vel ministeria
rum (hæc enim non nisi hæretici vel alii infideles abominan-
r), sed propter exemptiones et libertates quibus in eo statu
udent, et præsertim quia ab oneribus communibus eximun-
r, quod in aliquod laicorum gravamen solet redundare, et
eo interdum cupiunt a suis communibus commodis clericos
cludere; ergo, eo ipso læduntur privilegia clericorum, nam
fiunt odiosa, et per quamdam recompensationem fiunt in-
uctuosa, quia occasione illorum clerici æqualibus aut majori-
is bonis privantur. Atque ita talia gravamina dici possunt
nponi clericis, ut clerici sunt, quia, licet formaliter non con-
stant in privatione alicujus rei debitæ clerico, ut clericus est,
hilominus fiunt in odium, vel cum injuria, vel contemptu
ericatus, quod satis est ut propriam violationem immunitatis
ntineant. Et ita fundamento contrariæ sententiæ sufficienter
sponsum est.

CAPUT XXIII

Utrum redditus ecclesiastici clericorum a tributis exempti sin

1. *Bona clericorum duplicia.* — Licet de ecclesiasticis bonis multa in superioribus dicta sint, quia tamen certum non est bona clericorum eodem jure censeri quo bona Ecclesiarum, idec de illis in particulari dicere necessarium est. Duo autem genera talium bonorum distinguuntur a D. Thoma, quod lib. 6, art. 12: quædam, quæ clerici lucrantur ex bonis Ecclesiæ, ut ex decimis, vel prædiis Ecclesiarum, seu ex beneficiis suis, quæ propter officium dantur; alia sunt, quæ vel a parentibus hæreditarunt, aut sua industria vel arte compararunt. Priora vocat D. Thomas ecclesiastica, utique lato modo; nos, ad tollendam æquivocationem, clericalia vocabimus; alia vero patrimonialia seu sæcularia vocantur. His addit tertium membrum Navar., tract. de Redditib. eccles., q. 1, monito 19, nimirum, eorum bonorum, quæ per actiones spirituales tanquam stipendia illarum a clericis comparantur, non jure aut titulo alicujus beneficii, sed solo titulo actualis et quasi mercenarii operis, ut sunt stipendia Missarum, et similia. Merito tamen addit idem Navarrus, hæc ad patrimonialia reduci, quia et de temporalibus bonis laicorum immediate illa lucrantur, et non ex bonis suorum beneficiorum, et sine ulla conditione tacita vel expressa dominium temporale talium bonorum consequuntur, postquam suum ministerium implent, ac denique quia suo labore, et industria, vel actione, illa comparant, estque valde extrinsecum, et accidentarium ad qualitatem talium bonorum, quod actio illa spiritualis vel omnino materialis sit. Quanquam vero hoc ita sit in ordine ad alios effectus, vel obligationes clericorum, de quibus nunc non tractamus, nihilominus in ordine ad exemptionem a

ributis, nonnulla major ratio in his ultimis bonis spectari po-est, ut videbimus.

2. *Prima conclusio.*—Primo ergo certum est, bona primi eneris seu ecclesiastica clericorum exempta esse ab omnibus ributis, sive realibus, sive mistis. Conclusio est certa, et com-nunis omnium Catholicorum; habetur enim expresse in jure anonico, in cap. «Non minus,» ibi: «De bonis Ecclesiarum, et lericorum, et pauperum, Christi usibus deputatis.» Et clarius n cap. «Adversus,» ibi: «Qui Ecclesias et ecclesiasticos viros aliis, seu collectis,» etc,, ubi sermo est de tributis quæ impo-untur ratione bonorum, et distincte eximuntur non tantum Ecclesiæ, sed etiam ecclesiasticæ personæ. Et in cap. «Clericis,» e Immunit. ecclesiar., in 6, expresse et late talia tributa pro-ibentur, et licet cap. illud per Clementinam unic. de Immu-it. ecclesiar. revocatum sit quoad pœnas, non vero quoad psam exemptionem, sed potius confirmatur, et latius in Con-ilio Lateranense, sub Leone X, sess. 9, in Reformationibus uriæ, § «Et cum a jure,» præter alia antiquiora, quæ in supe-ioribus allegata sunt, quæ omnia renovat Concilium Triden-ti-um, sess. 25, c. 20, de Reformat.

3. Deinde in jure civili habetur expresse hoc privilegium n constitut. Friderici imperatoris, l. seu Auth. «Item nulla,» Cod. de Episc. et Cleric., ubi prohibet collectas, vel exactiones mponere Ecclesiis, vel ecclesiasticis personis. Et ex antiquio-ibus legibus colligi potest hoc privilegium ex l. 10, de Episc. t cler., in C. Theodosiano, ubi Constantius et Constans de lericis dicunt: «Negotiatorum dispendiis minime obligentur,» d est, tributa, quæ negotiatoribus imponuntur, solvere non ogantur, et addunt rationem: «Cum certum sit quæstus, quos x tabernaculis atque ergasteriis colligunt, pauperibus profutu-os;» et in l. 14 dicit Justinianus: «Omnis a clericis indebitæ onventionis injuria, et iniquæ exactionis repellatur improbi-as;» in l. 1, de Lustr. collat., eodem Cod., excipiuntur clerici quodam tributo, quod lustralis collatio dicebatur.

4. *Ratio conclusionis. — Confirmatio.* — Ratio autem huj partis reddi potest, vel generalis ad omnia bona clericorum, de hac dicemus in capite sequenti, vel specialis, quia hæ bona, de quibus tractamus, inter res sacras numerantur D. Thoma, 2. 2, quæst. 99, art. 3, et ideo vel natura sua exemp sunt a tributis, vel saltem cum cæteris bonis ecclesiasticis in telliguntur exempta. Et confirmatur hæc ratio, quia rapere se furari hujusmodi bona clericorum est sacrilegium, quod no solum de his bonis, sed etiam de quibuscumque aliis nonnul tradiderunt, ut infra referam; de his autem est multo verisimi lius propter dictam rationem, quod hæc bona censentur sacra ergo eadem ratione esse debent a tributis exempta.

5. *Expenditur ratio pro conclusione facta.* — Hæc auter ratio non videtur solida. Nam hæc bona considerari possun vel priusquam applicentur ipsis clericis, et fiant propria eorun vel postquam jam ad illorum dominium transierunt. Prio modo recte quidem probat ratio dicta, illa bona esse sacra, exempta a tributis; non tamen aliquid probat de bonis clerico rum, quia illa bona in tali statu spectata non sunt clericorun sed Ecclesiæ, seu Dei. Alio modo possunt illa bona considerar quatenus a clericis acquiruntur. Et hæc ipsa consideratio sub dividi potest: nam loqui possumus vel de acquisitione ipsa ta lium bonorum, vel de ipsis bonis jam integre et sine diminu tione tributi acquisitis. Et in priori quidem ex his duobu modis, recte etiam probatur non esse talia bona capacia tribu torum sæcularium, id est, non posse clerico imponi tributur solvendum ex redditibus sui beneficii, seu ex quibuscumqu bonis ecclesiasticis. Tum quia si tale tributum imponatur perso næ, est contra exemptionem quam talis persona habet a potes tate judicis sæcularis. Si vero imponatur rei sive fructibus ejus sic imponitur bonis ecclesiasticis, quia impositio præcedit prius quam talia bona clerico acquirantur, et tunc adhuc ecclesiastic sunt, et ita fit contra talium bonorum immunitatem.

6. Si vero tale tributum intelligatur imponi super ipsam

net actionem lucrandi tales redditus, vel stipendia, etiam est contra immunitatem, quia illa actio spiritualis est, et omnino extra forum potestatis sæcularis, et ideo non est capax tributi. Item, quia illud lucrum non est per modum mercaturæ, aut civilis contractus, sed est per modum stipendii annexi ministerio spirituali, et ideo sequitur naturam, et forum sui principalis, solumque ab spirituali potestate minui potest, ideoque jure canonico statutum est ut beneficia sine diminutione conferantur. Quoad hanc ergo partem, et usque ad prædictum statum talium bonorum, recte probatur illa ratione, non posse clericis imponi tributa de talibus bonis. Et hoc modo videtur intelligi statutum Concilii Vormatiensis, quod refertur in cap. «Sanctum,» 23, quæst. 8, et in cap. 1, Extra de Censib., ubi dicitur: «Presbyteri in Ecclesiis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum.

7. *An redditus ecclesiastici in clericos translati tributis subjaceant.* — At vero si talia bona considerentur ut jam sunt facta propria clericorum, non videtur illa ratione probari, esse incapacia tributorum sæcularium. Probatur, quia jam illa bona re vera non sunt sacra, neque in ulla specie talium bonorum a D. Thoma numerantur, si attente legatur; nam in ultima specie ponit bona, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive «mobilia sint, sive immobilia.» Aliud autem est esse deputata, aliud vero esse jam ministrorum facta, nam primum habent, quamdiu sunt communia, et sub potestate Ecclesiæ, ac speciali dominio Dei; postquam vero personis clericorum dividuntur et applicantur, statum mutant, et sacra esse desinunt, quia respectum illum peculiarem ad Deum, et annexionem ad spiritualem titulum amittunt. Cujus signum est, quia in quosli- et usus converti possunt, et quia possunt donari laicis propria auctoritate privati clerici cujus sunt, et propter causam vel rationem temporalem. Denique quia bona illa in se spectata temporalia sunt, et dominium, quod clericus de illis acquirit,

temporale est; quod autem acquisitio fuerit media actione ve jure spirituali, non refert, quia respectus ille transit, et no manet. Sicut quando ex bonis Ecclesiæ datur pauperi eleemo syna, eo ipso quod pauper illa acquirit, incipit pars illa ess mere temporalis; ita ergo esse videtur in his bonis clericorum Igitur in ordine ad tributa, eadem ratio erit de illis quæ de alii bonis patrimonialibus clericorum.

8. *Quid dicendum, si clerici non sunt talium reddituum do mini.*—Adverto tamen punctum hoc pendere ex alia celeb controversia de redditibus ecclesiasticis, an clerici, postqua illos recipiunt titulo sui beneficii, illorum verum et propriu dominium consequantur, ita ut de illis possint libere disponer quantum spectat ad obligationem justitiæ, vel semper manean dispensatores eorum bonorum, ut ex illis imprimis congru alantur, et deinde cætera in pia opera dispensent. Qui enim ho posterius censent, ut Navarrus et alii, consequenter dicere pos sunt et debent, et illa bona semper esse sacra, quia sempe manent sub dominio Dei, ac subinde æquiparari ecclesiastic bonis, quia revera semper manent ecclesiastica. Unde juxt hanc sententiam, per applicationem talium bonorum ad han vel illam personam clerici, non mutatur eorum status quoa dominium proprium Dei, nec quoad generalem finem, ad quer bona ecclesiastica sunt destinata, sed solum mutatur facult proxima dispensandi illa. Nam antequam clericus illa acquira peculiari titulo, facultas dispensandi illa est in pastoribus Eccle siæ, vel in communitate aut ministris ejus; postquam vero be neficiatus illa acquirit, illi committitur propria facultas ea dis pensandi sua auctoritate, semper tamen ut ecclesiastica, et u fidelis dispensator et prudens. Et consequenter etiam in ha opinione satis probabile est, raptorem talium bonorum etiam d potestate clerici, esse sacrilegum, non ratione personæ a qu furatur, nec ratione loci unde furatur, sed ratione ipsorum bo norum, quia sacra sunt. Ac tandem juxta eamdem sententia satis consequenter dicitur, talia bona clericorum esse a tributi

xempta, non solum ratione personæ, sed ratione sui, quia ıcra sunt, et piis usibus semper destinata, et quidquid ex illis er tributum detraheretur, non tam clerico quam piis usibus ıinueretur. Atque de his maxime clericorum bonis, et cum odem fundamento procedere potest eorum sententia, qui di- unt, bona clericorum æquiparari bonis ecclesiasticis in omni xemptione, præsertim a tributis, ut videre licet in Glossa 2, ı c. «Ecclesia S. Mariæ,» de Constit., et ibi Decius, num. 18, t aliis, quos refert Covar., lib. 1 Variar., c. 4, num. 2 et 3.

9. *Vera resolutio.*—At vero si contrariam sententiam sup- onamus, nimirum, clericos beneficiatos acquirere proprium ominium illius portionis, seu partis reddituum suorum bene- ciorum, quæ illis in stipendium datur, consequenter profecto icendum est, idem esse judicium de illis bonis quod de aliis atrimonialibus clericorum quoad exemptionem a tributis. Hoc nim sufficienter probant rationes factæ, illo fundamento sup- osito, quia per illam particularis dominii acquisitionem trans- eruntur bona illa a superiori ordine ad inferiorem, sicut quan- o dantur laicis ministrantibus Ecclesiæ in stipendium laboris ıi, seu ministerii temporalis, vel quando dantur clericis prop- r actiones communes laicis, ut docendi, canendi, etc. Nam que mutatur dominium, et consequenter status talium bono- ım. Quod autem id fiat in stipendium spiritualis vel corporalis tionis, accidentarium est, et non mutat conditionem bono- ım, quam in inferiori statu consecuta sunt. Hæc autem sen- ntia de dominio clericorum circa hæc bona hodie magis re- pta est, et probabilior censetur, et sine dubio fuit opinio divi ıomæ, dicto Quodlib. 6, art. 12, ad 3, et ideo etiam in præ- nti supponimus, quoad tributa et exemptiones eamdem esse tionem de his bonis, quæ de patrimonialibus clericorum.

10. *Quid de bonis quasi patrimonialibus clericorum.*—Unde fortiori constat, idem esse dicendum de bonis quæ Navarrus ıasi patrimonialia vocat; illa enim partim conveniunt, partim ffèrunt a præcedentibus. Conveniunt quidem quoad modum

acquirendi seu lucrandi illa per actionem, seu ministerium spi
rituale, et ideo existimo etiam in hoc convenire, quod acquisi
tio talium bonorum est de se a tributis immunis, ideoque etiar
illa bona, ut sunt stipendia talium ministeriorum, sunt natur
sua a tributis exempta. Militat enim eadem ratio supra facta
nimirum, quod illa actio est spiritualis, et ideo jure divin
exempta a jurisdictione civili; ergo etiam stipendium, quod ra
tione illius datur, et est quasi accessorium illi, debet esse eoder
modo exemptum, ut non possit per impositionem sæcularis tri
buti diminui. Item hæc lucra natura sua sunt subjecta potesta
ti spirituali, ad quam pertinet illa taxare, moderari, vel augere
imo et Pontifex posset super illa, si essent copiosa, pro paupe
ribus vel sumptibus Ecclesiæ aliquod tributum imponere; erg
ratio postulat ut ab impositionibus laicorum sint exempta, qui
non debent duplici onere prægravari. Differunt autem hæc bon
a propriis ecclesiasticis redditibus, quia non manant ex proprii
ecclesiasticis bonis, neque ex titulo spirituali alicujus ecclesias
tici beneficii, sed ex quibuscumque bonis temporalibus pe
modum mercenarii stipendii, interveniente humana conventio-
ne, seclusa imperfectione dandi unam rem pro alia, sed consi
derando solum rationem debitæ sustentationis. Ex hac autem
differentia, quæ in facto ipso notoria est, sequitur alia, nimi-
rum, de his posterioribus lucris in omni opinione probabili cer
tum esse, clericos acquirere proprium ac temporale dominium
talium bonorum, posseque de illis prout voluerint, salva justi-
tia, disponere, ut etiam Navarrus, loco supra citato, fatetur. Et
ideo etiam quoad tributa est similiter certum, eamdem esse ra-
tionem de his bonis jam acquisitis in facto esse, ut sic dicam,
quæ de patrimonialibus, de quibus dicendum superest.

CAPUT XXIV

Utrum patrimonialia, et in universum bona temporalia clericorum sub communibus legibus sæcularium tributorum comprehendantur.

1. *Prima ratio dubitandi.*—Ratio dubitandi sumi potest primo ex cap. «Magnum», 11, q. 1, quod est Ambrosii, lib. 4 in Luc., circa illa verba: «Et sedens docebat de navicula turbas», ubi attingens locum Matth., 17, ubi Christus soli Petro iussit mittere hamum, et tollere staterem inventum in ore piscis, et solvere tributum, in quo ait Ambrosius significatum esse, magnum et spirituale documentum, quo christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti, ne quis constitutionem terreni regis putet esse solvendam.» Et videtur clericos comprehendere, nam subjungit: «Si enim censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?»

2. *Secunda.*—Secundo faciunt dubium leges civiles, quæ frequenter statuunt hæc tributa solvenda esse a clericis. Quamvis enim aliquæ sint antiquæ leges eximentes clericos ab aliquibus ex his tributis, ut patet in l. 2, C. de Episc. et Cler., et in aliis, quæ supra ex Codice Theodosiano retulimus, nihilominus illæ sunt quasi peculiares exceptiones, nam generalis regula legum civilium esse videtur, clericos non eximi a solvendis tributis bonorum temporalium bonorum, quando generaliter similibus bonis imposita sunt, ut sumitur ex l. «De iis», C. de Episcop. et Cleric., et ex l. «Ad instructionem», et l. «Neminem», Cod. de Sacrosanct. eccles., et ex epist. Valentiniani apud Theodoret., libr. 4 Hist., capit. 7, dicentis: «Episcopi vectigalia, uti leges postulant, pensitare non recusant.»

3. *Tertia.*—Tertio videtur hoc esse rationi consentaneum, quia, licet personæ clericorum sacræ sint, et ideo sint etiam exemptæ, bona tamen eorum temporalia sunt, et mere civilia, et ideo sunt temporalibus principibus subjecta; ergo merito possunt principes ex illis tributa exigere. Neque enim obstat quod illa bona respectum habeant ad personam sacram et exemptam, tanquam ad proprium dominum, quia illud dominium est mere temporale, et ad temporalem finem de se ordinatum. Et ita respectus ille non est ad talem personam ut sacram vel exemptam, sed præcise ut civem. Neque etiam obstat quod princeps non habeat jurisdictionem in personam clerici, qua possit illum ad solvendum tributum cogere, quia satis est quod juste possit illud petere tanquam debitum, ut clerici in conscientia reddere teneantur. Quod si renuant, et necessaria sit coactio, apud suum judicem conveniri poterunt, ut debitum solvant. Quod si hoc non sufficiat, vel commode fieri non possit, poterit princeps, vel minister ejus tributi coactor, rem temporalem, non tam jurisdictionis, quam defensionis titulo, occupare, ne jure suo privetur. Atque hæc omnia ex eo maxime confirmantur, quod in multis regnis ita fieri et consuetudine receptum esse videmus, principibus catholicis, et pastoribus Ecclesiæ scientibus, et tacentibus.

4. *Omnia clericorum bona exemptione gaudent.*—Nihilominus dicendum est, omnia clericorum bona exempta esse ab oneribus tributorum civilium, sive realia, sive mista censeantur, præterquam in casibus a jure canonico exceptis. Ita sentiunt doctores Canonistæ in c. «Ecclesiæ», et c. «Quæ in Ecclesiarum», de Constit., et in c. «Si clericus», de Foro comp., quibus locis videri maxime possunt Panormit., Decius et Felinus, et in c. ult. de Vita et honest. Cleric., et in c. «Adversus», et c. «Non minus», de Immunit. eccles., et in c. 1 de Immun. eccles., in 6; et Bart., in l. «Placet», C. de Sacros. eccles., n. 25 et sequent.; et Bald., in l. 2, c. de Episc. et Cleric., et in illis locis alii juris civilis interpretes, Paulus de Castro, in l. «Ad

nstructiones», C. de Sacrosan. eccles., et Gregor. Lopez, in l. Si», et 34, titulo sexto, parte prima; et Summistæ communier, v. «Immunitas», et Navarr., in Manual., c. 17, n. 200, et n c. 27, n. 97; et Medin., C. de Restit., q. 15. Probatur autem rimo ex jure canonico, nam in omnibus capitibus proxime citis eximuntur clerici ab hujusmodi tributis. Nam in c. «Non ninus», expresse dicitur: «De bonis Ecclesiarum et clericoum»; in c. autem «Quamquam», de Censib., in 6, apertius diitur: «Districtius ne ab Ecclesiis et personis ecclesiasticis talia xigantur.» Et infra: «Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum ure divino et humano a sæcularium personarum exactionibus unt immunes.» Ubi quædam Glossa marginalis addit ad nomen llud «res», limitationem «non patrimoniales», sed corrumpit extum; nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debeius, præsertim sine textu, vel cogente ratione. Igitur indefinii illa locutio æquivalet universali; idem enim est dicere, res lericorum esse exemptas, ac dicere nulla bona clericorum esse ributis sæcularibus subjecta, præsertim quia negatio inclusa in oce exemptionis cadit supra res exemptas, et ita vocem illam istribuit.

5. Atque hoc magis declaratur in Clement. unic., eodem itulo, quæ præcipit observari, «quidquid contra exigentes ab cclesiis et ecclesiasticis personis talias, collectas, aut exactioes quascumque», a prioribus Pontificibus vel Conciliis statuum est, ubi distributio illa «quascumque» dictam limitationem xcludit. Nec refert quod non de rebus, sed de personis loquaur, quia non potest pro re exigi tributum, quin a persona, ujus talis res est, exigatur. Præterea hoc magis declaratur ex lement. ult., de Censibus, ubi tam a personis ecclesiasticis, uam pro earum rebus propriis tributa extorqueri prohibenir, etc. Ubi et distincte ponuntur res et personæ, et dum aditur «pro rebus propriis», satis significatur sermonem esse de mnibus bonis etiam propriis; talia enim maxime sunt patrionialia, nam quæ ex suis beneficiis clerici acquirunt, vel non

sunt ita propria, vel certe non ita solent in jure canonico vocari. Et præterea additur ibi exceptio, scilicet, ut id intelligatur de rebus, «quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt», quæ exceptio firmat regulam in contrarium ; nam res, quæ negotiationis causa feruntur, inter patrimonialia bona continentur; ergo si hæ excipiuntur a regula, reliqua omnia patrimonialia bona sub illa comprehenduntur. Atque hoc modo idem confirmatur ex cap. ult. de Vita et honestat. clericor., ubi Pontifex a clericis permittit exigi tributa, quæ a mercatoribus solvi solent, quando ipsi clerici eisdem negotiationibus se implicant, de qua exceptione infra dicemus; nunc enim solum ex ea colligimus, extra casum negotiationis, nulla clericorum bona, per se loquendo, esse obnoxia secundum canonicum jus sæcularibus tributis.

6. *Ex jure civili probatur conclusio.* — Præterea huic juri canonico consentit civile in constitutione Friderici supra citata, et habetur in Auth. «Item nulla,» Cod. de Episc. et Cleric., ubi prohibetur ne collectæ vel exactiones ecclesiasticis personis imponantur. Nec refert quod expresse non loquatur de bonis, tum quia (ut dixi) non potest talis exactio ex bonis personarum fieri, quin a personis fiat, quorum sunt bona; et e converso non possunt aliter tributa hujusmodi exigi a personis, nisi de illorum bonis ea postulando, et juxta illorum quantitatem seu proportionem. Non enim de solo censu, seu capitationis tributo, sed in universum de exactionibus et vectigalibus, angariis et perangariis ibi sermo est, sub quibus verbis certum est comprehendi etiam illa tributa, quæ personis ratione bonorum imponuntur. Unde per illam constitutionem derogata est lex «De iis,» vel, si quæ forte aliæ libertati clericorum in hac parte derogantes in libris Codicis, vel in authenticis Justiniani reperiuntur. Vel potius renovantur antiquæ leges priorum imperatorum, in quibus hæc exemptio adeo clericis concessa est, ut etiam ex aliqua honesta et moderata negotiatione ad victum comparandum accommodata ab eis illa exigi prohiberent, ut sumitur ex

leg 10, 14 et 36, de Episcop. et Cleric., in Cod. Theodosiano.

7. *Ratione suadetur conclusio. — Objectio.* — Ratione probari potest absolute hæc assertio, quia hæc immunitas, etiam quoad bona, est valde consentanea rationi naturali, et dignitati sacerdotali; nam, si viri nobiles solent in humana republica ab huiusmodi tributis eximi, cur non magis eximentur personæ sacræ Deo dicatæ? Secundo, potest idem concludi ex alia exemptione clericorum a jurisdictione sæculari; nam tributa solvuntur quasi in signum subjectionis, et in stipendium laboris in administranda suprema jurisdictione impensi, ut significavit Paulus, ad Rom., 13; ergo, sicut clerici omnino exempti sunt a jurisdictione sæculari, ita etiam consequenter ab omnibus tributis solvendis eximuntur. Dices, licet sint exempti a jurisdictione principum, non tamen a commodo, et utilitate gubernationis et sollicitudinis eorum; nam eorum providentia in pace conservantur, defenduntur, et saltem secundum communem rationem civium gubernantur. Ac denique simpliciter vasalli sunt, et honorem debitum principi tanquam domino exhibere debent; ergo justum etiam esset ut per aliquam contributionem ad principis sustentationem juvarent.

8. *Responsio.* — Respondeo ex verbis Pauli, 1 ad Cor., 9: «Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?» Sic ergo dicimus, sicut clericalis status a regibus in temporalibus juvatur, ita reges a clericis in spiritualibus juvari; nam pro illis et pro tota republica apud Deum intercedunt, et peculiariter pro regibus obsecrant, ut Paulus monet, 1 ad Timoth., 2. Per hæc ergo sufficienter compensant beneficium, quod a regibus accipiunt. Eo vel maxime quod fere nullus labor, vel sumptus principibus sæcularibus accrescit, ex eo quod politicum regimen et regum protectio in eorum commodum redundet. Accedit præterea ratio supra facta, quod Summus Pontifex, cui directe subsunt clerici, potest ab eis exigere tributa, cum rationabilis causa occurrerit, et consequenter etiam potest prohibere ne alteri solvant, saltem sine sua facul-

tate, quod etiam (ut infra dicam) moraliter necessarium est ut clerici a laicorum importunitatibus et injuriis immunes conserventur. Denique propter hanc immunitatem clericorum, etiam quoad bona ipsorum, non desunt regibus et principibus sufficientia stipendia et redditus, quibus onera suorum munerum possint substinere. Quod si interdum indiguerint ecclesiastico subsidio, non sua potestate, sed ejus qui patrimonium Christi dispensat, et ecclesiastici status peculiarem curam gerit, illud postulare debent, ut scandala et excessus evitentur, et omnia ordinate fiant.

9. *Ad Ambrosium prima responsio.* — Ad fundamenta ergo in contrarium facilis est responsio ex dictis. Et imprimis ad Ambrosium aliqui respondent, illum loqui de facto, non de jure; clerici enim (in illo præsertim tempore), quando ab illis exigebatur tributum, pacifice illud solvebant, non ex justitiæ debito, sed ex charitatis affectu, ad vitandum scandalum, et ne propter affectum temporalium bonorum principibus subesse nolle viderentur. Colliguntque hanc mentem Ambrosii ex facto Christi jubentis Petro solvere tributum, quod in exemplum adducit; constat autem ex verbis Christi, ipsum non ex debito, sed ad vitandum scandalum, Petro, ut tributum solveret, præcepisse. Ut ergo exemplum sit accommodatum, necessarium videtur ut sententia Ambrosii in eodem sensu intelligenda sit. Est ergo expositio probabilis, quamvis verba illa Ambrosii: «Christiani viri docentur, potestatibus sublimioribus debere esse subjecti,» et similia, aliquid amplius significare videntur.

10. *Secunda, ad eumdem.* — Aliter ergo responderi potest, Ambrosium non esse locutum de clericis, sed simpliciter dixisse, «Christiani viri.» Quod verbum indicat, magnum illud documentum, quod ibi tradit, præcipue datum esse contra antiquum errorem, asserentem Christianos exemptos esse a tributis principum, eo ipso quod Christiani sunt. Illum enim errorem refellebat Paulus ad Roman., 13, cum protulit sententiam quam Ambrosius allegat: «Omnis anima potestatibus sublimioribus

subdita sit.» Cum autem Ambrosius interrogat: «Quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?» non oportet ut clericos comprehendat, nam statim subdit: «Tu, qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feras, cum sæculo sis misera cupiditate subjectus?» Loquitur ergo de sæcularibus seu laicis. Denique licet demus, in priori interrogatione clericos comprehendere, sensus non incongruus esse potest, eos non debere sua auctoritate, et quasi propria præsumptione negare tributum, sed vel juxta concessiones principum, vel juxta suorum Prælatorum decreta.

11. *Ad secundam objectionem ex jure civili. — Ad tertiam.* — Ad leges civiles, fatemur aliquas leges Justiniani non favere huic exemptioni, jam vero responsum est illas esse revocatas, et de legibus antiquiorum imperatorum christianorum verius est plenam immunitatem a tributis clericis concessisse. Quamvis negari non possit, inter ipsos imperatores fuisse varietatem, quam Ecclesia tunc tolerabat, quia ita tunc expediebat, ad quod fortasse etiam allusit Ambrosius, ut supra notavimus. Ad rationem recte ibi responsum est, bona adhærere personæ, ideoque non posse personam esse plene et perfecte exemptam, nisi bona etiam exempta sint. Et ideo non refert quod bona temporalia sint, neque quod respiciant clericum, non ut clericum, sed ut temporalem dominum vel civem, quia ille non tantum est exemptus ut clericus, sed etiam ut civis, et simpliciter ejus persona, et consequenter etiam ea quæ illi quasi accessoria sunt. Ad id vero quod de jurisdictione attingitur, jam ostensum est exemptionem a tributis valde conjunctam, vel consequentem esse cum exemptione a jurisdictione, cum ipsa tributi impositio et exactio actus jurisdictionis sit. Neque potest ullo modo dari laicis licentia occupandi per vim, seu violenter subtrahendi bona clericorum, in quos jurisdictionem non habent, quia hoc est contra omne jus nature, solumque in casu extremæ necessitatis permitti posset, ut statim dicam. Denique ad con-

suetudinem, quæ objicitur, respondemus ad nos nunc non pertinere modum et qualitatem consuetudinis expendere, quæ ad factum pertinet, non ad jus, ideoque solum nunc dicimus, talem consuetudinem ex genere suo iniquam esse, et in jure reprobatam tanquam ecclesiasticæ libertati contrariam, nisi ve per Pontificem expresse approbata sit, vel in aliqua exceptione juris sit fundata, juxta ea quæ in sequentibus dicemus.

CAPUT XXV

An clerici teneantur ad onera realia solvenda, quæ rebus immobilibus adhærent

1. Duæ exceptiones a regula in præcedenti capite posita excogitari possunt, quas expendere necesse est Prima est de tributis realibus, quæ rebus immobilibus inhærent, priusquam in potestatem clericorum perveniant; nam de posterioribus tributis, quæ superveniunt, postquam talia bona clericorum effecta sunt, certum est sub generali regula comprehendi, quia omnia jura sine distinctione loquuntur, et rationes supra adductæ æque de immobilibus et de mobilibus procedunt, quia etiam onera bonorum immobilium redundant in dominum, et tandem ex fructibus solvuntur, quæ mobilia sunt. Deinde quando oneræ seu tributa in bonis ipsis antecedunt, si sint ex pensionibus procedentibus ex proprio, ac privato dominio ejus, qui primo pensionem imposuit, mediante aliquo pacto, sic certum est rem transire cum suo onere, ac subinde esse a clerico solvendum: nam quæ in hac parte diximus de Ecclesiis, in clericis locum habent.

2. *An bona Ecclesiarum et clericorum æquali gaudeant exemptione.—Opinio negans.—Fundamentum ejus.*—Dubitatio ergo est de propriis tributis regiis, quæ ex vi solius jurisdictionis impo-

sita fuerunt. Videturque hujus dubii resolutio ex alia dubitatione pendere, nimirum an bona clericorum in hac exemptione bonis ecclesiasticis æquiparentur; nam si non gaudent æquali privilegio, non est cur in hoc speciali casu de tributo reali prius bonis ipsis inhærente fiat æquiparatio, cum sit privilegium valde speciale Ecclesiarum. Quod autem non sit æqualis immunitas bonorum personarum ecclesiasticarum et Ecclesiarum, seu ecclesiasticorum bonorum, sumitur ex Gloss. 2, in Clement. 1, de In integrum restitut.; et ex Glossa, in cap. «Possessiones,» 16, quæst. 4; et ex Abbate, Felin. et aliis, quos refert Covarr., lib. 1 Variar., c. 4, n. 3, ubi ipse concludit, non esse æqualia in exemptione bona patrimoniala clericorum, nisi in casibus in quibus in jure id expressum est. Et videtur hoc rationi consentaneum; quia bona ecclesiastica sunt simpliciter sacra, et tantum ad sacros et pios usus destinata, quod non habent propria clericorum. Cum ergo hic casus, de quo tractamus, non sit in jure expressus, non videtur ad bona clericorum extendendus. Unde in legibus Hispaniæ, lib. 1 Novæ Recopilat., tit. 3, l. 11 et 12, expresse cautum est, ut clerici talia tributa prædiis inhærentia, «postquam talia prædia emerint, vel aliter acquisiverint,» solvere teneantur. Et ita simpliciter docuit Gregor. Lopez, partit. 1, tit. 6, l. 51, num. 4; et Velasc., de Jure emphyteut., q. 17, n. 10, qui plures referunt; et eos sequitur Molin., tract. 2 de Justit., disp. 456. Verum est eos indistincte in hoc loqui de bonis Ecclesiarum et clericorum, unde omnes auctores, qui ita sentiunt de bonis ecclesiasticis, a fortiori idem dicent de bonis clericorum.

3. *Conclusio: bona Ecclesiarum et clericorum in exemptione a regalibus tributis sunt æqualia.*—Nihilominus contrariam sententiam veram censeo (loquendo de propriis tributis, ut supra distinximus), quam expresse tenet Cardinalis Albanus, in tractatu supra citato; et Guttierez, in Practicis Quæstionibus, lib. 1, quæst. 3, a n. 15, ubi tractat legem Recopilationis citatam, eamque juxta distinctionem a nobis superius traditam exponit,

dicens, intelligendam esse, «quando bona sunt affecta onere tributorum expresse, et ex conventione partium; secus vero esse si tantum sint affecta tributis ex generali lege,» qua prædia privatorum regi pro tributis sunt obligata: «Nam si talia bona» (inquit) «pervenerint ad clericum, non transeunt cum onere.» Idque confirmat exemplo alterius legis Hispaniæ, lib. 4 Ordinamenti, l. 12, quæ statuit, cum vir nobilis (hispane, «hijodalgo,») bona emerit ab alio tributis solvendis obnoxia, non transire cum onere. Ita ergo contingit, si clericus similia bona emat, aut hæreditario jure acquirat. Ratio enim omnibus communis est, quia per mutationem personæ mutatur qualitas inhærens rei ratione personæ, argumento l. «Locatio,» § «Fiscus,» ff. de Publican. et vectigal., et l. «Per procuratorem,» 89 ff. de Acquirend. hæredit. Unde ob hanc eamdem rationem, bona ante sacerdotium possessa post sacerdotium gaudent privilegio exemptionis. Et pro hac sententia refert Guttierez plures modernos, ex quibus videri potest Matienzo, in librum 5 Novæ Recopilat., tit. 10, lib. 11, Gloss. 4; et Alfonsus Guerrero, in Thesauro Christianæ religionis, c. 36, n. 9 et 33.

4. Insinuant autem isti auctores, propria tributa regia, quæ dicuntur realia, et quasi inhærentia rebus immobilibus, non adhærere illis quasi per se, et absolute spectatis, sed ratione personarum sub quarum dominio existunt, ac proinde solum esse quasi pignora, seu hypothecas obligatas virtute leg. 1, C. «In quibus causis hypotheca contrahatur.» Quod est valde probabile. Et inde optime confirmatur (quod supra de Ecclesiis, et nunc de clericis dicimus), talia bona non transire ad ipsos cum tali onere solvendi tributa, utique in futurum. Nam si prior dominus aliquo tempore, quo talia bona possedit, tributa debita non solveret, transirent bona cum illo onere, quia semper habent respectum ad priorem dominum, et ratione illius, et propter subjectionem ejus semper debetur, quæ ratio cessat in tributis solvendis ab eo tempore quo talia bona in personam exemptam fuerunt translata.

5. *Confirmatur assertio.*—Potest etiam hæc sententia confirmari ex supra dictis in simili dubio de bonis ecclesiasticis; nam, esto in rebus aliis, seu in specialibus prærogativis ac privilegiis hæc bona non sint æqualia, nihilominus in exemptione a tributis merito æquiparantur. Tum quia sicut Ecclesiæ sunt omnino exemptæ a jurisdictione sæculari, ita et personæ clericorum; tum etiam quia jura, in quibus hæc exemptio a tributis præcipitur, æque de Ecclesiis et ecclesiasticis personis, et de utrarumque bonis loquuntur. Atque ita æquiparationem hanc comprobat Glossa 2, in cap. «Ecclesia S. Mariæ,» de Constit., ubi late Felin., n. 7 et 8; item Gloss. ultim., de Vita et honest. cleric, quæ ad hoc ponderat textum illum. Ubi Panormitan., n. 11, eam limitare videtur, sed revera limitatio non procedit in materia tributorum, sed in aliis privilegiis, quæ non est limitatio ad Glossam, quia non generaliter, sed in tributis tantum loquitur, sicut et textus ille quem inducit. Et idem sentit Glossa penult., in c. «Ex litteris,» de Pignoribus, et optime Glossa 1, in c. «Ecclesiarum,» 12, quæst 2, et sumitur etiam ex illo textu, qui est Concilii Toletan. III, c. 21, et ex aliis antiquis, quos eadem Glossa allegat. Et melius id confirmat, c. 1 de Immunit. ecclesiar., in 6, quod (ut supra notavi) distincte loquitur de bonis acquisitis et acquirendis, et nunc adverto, etiam loqui expresse de Ecclesiis et ecclesiasticis personis, ac earum bonis. Et eodem modo loquitur Clementina ult. de Censib.

6. *Solutio ad fundamentum contrariæ sententiæ.—Qui bona Ecclesiæ surripit sacrilegium committit.—Raptor bonorum clerici, nisi illi vim inferat, sacrilegium non committit.—Ad leges Hispaniæ.*—Ex quibus patet responsio ad rationem dubitandi in principio positam; negamus enim privilegium hoc quoad hanc partem esse speciale Ecclesiarum, aut non esse in jure satis expressum; ex Glossis enim et juribus allegatis contrarium constat. Doctores autem ibi allegati, negantes hanc æquiparationem, intelligendi sunt, ut dixi, quoad alia privilegia, non

vero quoad hoc privilegium exemptionis a tributis. Neque i
hoc obstat ratio ibi inducta, quod ecclesiastica bona sunt mag
sacra quam bona clericorum, nam hoc conducet quoad alio
effectus. ut, verbi gratia, quod major sit culpa distrahere bon
ecclesiastica in usus profanos, quam bona propria clericorun
etiam intuitu Ecclesiæ comparata. Item quod major sit culp
furandi bona Ecclesiæ, quam propria clericorum; nam illud es
sacrilegium, juxta doctrinam D. Thomæ, quæst 99, art. 3 et 4
quam omnes sequuntur, et sumitur ex multis decretis, 1
q. 2, et 16, quæst. 1, cap. «In canonibus;» furtum vero a cle
rico factum non est vere sacrilegium, nisi vis personæ inferatur
juxta cap. «Quisquis,» 17, quæst. 4; et notavit Panormit., i
cap. «Cæterum,» de Judiciis, n. 17, licet aliud senserit Sylvest.
v. «Sacrilegium.» Et sic de aliis privilegiis, quæ pertinent a
majorem tutelam, et religiosum usum ecclesiasticorum bono
rum. In tributis vero facta est æquiparatio in jure, quia no
in bonorum ipsorum sanctitate, sed in absoluta exemption
personæ fundatur. Ad legem Hispaniæ jam responsum est, in
telligendam esse de specialibus tributis fundatis in convention
partium. Et eodem modo exponendi sunt auctores ibi allegat
vel eorum sententia admittenda non est. Et juxta doctrinam
hanc intelligenda videntur quæ in libro 2 Ordin. hujus regni
tit. 33, disponuntur de quodam tributo, quod «jugadas» vocant
Nam illud sine dubio ortum fuit ex dominio directo regum, e
conventione cum subditis, quibus illa bona tribuebant, ut e
principio illius tituli constat, et ideo in rigore non continetur i
generali privilegio clericorum vel Ecclesiarum. Nihilominu
tamen servanda sunt specialia privilegia, quæ ibidem etiam i
hac materia illis conceduntur.

CAPUT XXVI

An clerici ad communes civium expensas contribuere teneantur

1. *Ratio dubitandi pro parte affirmante.—Leges Hispanæ.—* Altera exceptio ad bona mobilia pertinens esse potest de quibusdam tributis, quæ non tanquam stipendia regia imponuntur, sed tanquam sumptus necessarii ad communem utilitatem civium inter ipsos distribuuntur. Hujusmodi sunt tributa quæ imponuntur ad reficiendas vias, pontes, aut fontes, aut muros civitatis, et similia, ad communem usum civium etiam clericorum necessaria. Ratio autem dubitandi esse potest, quia jura civilia non permittunt clericos ab his contributionibus eximi, ut constat ex l. «Ad instructiones,» C. de Sacrosanct. eccles., ubi etiam venerabiles Ecclesiæ et divinæ domus huic tributo solvendo adscribuntur; ibi vero tantum fit mentio «de pontium et viarum instructione.» In lege autem ult., Cod. Quibus muneribus, etc., lib. 11, additur «murorum constructio, et frumenti aliarumque specierum comparatio, seu communis provisio.» Unde idem jus in rebus omnibus ejusdem rationis locum habebit. Atque hoc jus commune imitantur leges Hispaniæ, l. 20, tit. 32, part. 3, et l. 54, tit. 6, p. 1, ac tandem in lib. 1 Novæ Recopilat., tit. 3, l. 11, ubi prius ponitur regula generalis de tributis pro communi bono impositis, et deinde ponuntur exempla supra dicta, et adduntur alia, idemque cum his exemplis statuitur in l. 12.

2. Non videtur autem posse jus canonicum derogare in hac parte juri civili, quia dispositio illa videtur justitiæ et æquitati, imo et pietati valde conformis. Nam hujusmodi impositiones vere non sunt tributa quæ indicent subjectionem, vel in pro-

pria jurisdictione fundentur, quia non imponuntur, ut regibu
tanquam dominis et principibus, solvantur, sed solum sunt di
tributiones quæ inter cives fiunt ad proprios usus ipsorum c
vium. Ratio autem et justitia postulat, ut omnes, qui hujus
modi rebus communibus indigent et utuntur, ad expensas, qu
in illis fiunt, justa distributione concurrant; ergo cum cleri
fruantur his communibus commodis, debent etiam participar
hujusmodi onus cum cæteris civibus. Nam eadem ratio obliga
tionis et debiti in illis concurrit, et non est contra dignitate
sacerdotalis status, hæc tributa solvere, magis quam pretio su
emere res, quibus ad victum et vestitum indigent. Imo, qu
priora bona ad commune bonum spectant, ex ea parte est tal
contributio pietati consentanea, ideoque in dicta lege «Ad ins
tructiones», dicitur: «Venerabiles Ecclesias tam laudabili titul
libenter adscribimus, quia non est inter sordida munera nume
ratum.» Et in dicta l. 11 Novæ Recopilationis Hispaniæ, dicitur
«En estas cosas tales, á fallecimiento de proprios de concejo, de
ben contribuir, y ayudar los dichos clérigos, por cuanto es pr
comunal de todos y obra de piedad»; ac si diceret: quando a
hujusmodi sumptus bona communia totius populi, seu eorun
redditus non sufficiunt, tunc ratio pietatis et communis utilita
tis postulat, ut clerici contribuant. Estque illa limitatio valde
notanda, nam multum confirmat hujus contributionis æquita
tem. Quia ubi communia bona non sufficiunt, necessario debe
ex propriis et particularibus bonis singulorum civium supleri
cur ergo cogentur singuli cives laici ex propriis bonis aliud pro
clericis solvere, aut eis de rebus necessariis, licet communibus
propriis sumptibus providere? Quæ ratio videtur ostendere
neque Pontificem, neque ipsum regem posse hanc exemptionem
clericis concedere, ipsis communitatibus laicorum invitis.

3. In contrarium autem videntur jura canonica urgere
præsertim c. «Non minus», et c. «Adversus», de Immunit. eccl
Nam in priori statuitur sub anathemate universaliter, et sine
limitatione, ut hæc onera Ecclesiis vel clericis non imponan-

ur: «Nisi Episcopus et clerus tantam necessitatem vel utilita-
em aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas com-
munes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt
acultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.» In
ltero vero capite imprimis significatur, hanc contributionem
lericorum, etiam in illo casu non esse ex debito, sed ex gratia;
additur enim ibi: «Prædicti laici humiliter et devote recipiant
um gratiarum actione.» Et, quod gravius est, adjungitur se-
quens limitatio: «Propter imprudentiam tamen quorumdam Ro-
manus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus
tilitatibus providere.» Addi etiam possunt c. «Quanquam», de
Censib., in 6, et c. 1 et 3, de Immunit. eccles., in 6, quatenus
n eis generaliter dicitur, Ecclesias et ecclesiasticas personas ab
mni exactione sæcularium esse exemptas.

4. *Resolutio affirmans.—Fundamentum ejus.*—In hoc punc-
o Doctores in hoc videntur convenire, ad hujusmodi sumptus
ommunes, quando bona communia civitatum non sufficiunt,
deoque necessarium est ut cives contribuant, clericos etiam
ebere concurrere, et cum debita proportione ac moderatione
ontribuere. Hoc enim etiam jure canonico permissum et ap-
robatum est, habetque naturalem æquitatem, ut declaravi-
nus. Difficultas autem est, tum in genere obligationis, tum
naxime in modo impositionis et exactionis. Nam de genere
bligationis dubitari potest, an clerici solum ex quadam hones-
ate, et quasi ex consilio debeant in hujusmodi casibus con-
ribuere; vel ex necessitate et obligatione conscientiæ teneau-
ur. Aliqui enim solum putant teneri priori modo, quod significat
anormitanus, lib. 1, consil. 3, n. 1, circa finem, dicens:
Etiam imminente communi utilitate clericorum et laicorum,
on tenentur clerici aliquid conferre, nisi sponte velint.» Dum
nim ait, «sponte», indicat voluntariam esse contributionem,
on necessariam. Et ad hoc inducit verba cap. «Non minus»,
uæ statim referemus. Et ratione potest suaderi hæc opinio,
uia clerici non obligantur ex vi legum civilium, neque ex vi

consignationum, quæ a laicis fiunt sub quocumque tenore præcepti, cum non sint illis subjecti; nec invenitur lex canonica quæ illis talem obligationem imponat, nec denique lex sola naturalis eos obligat, quia hæc obligatio pendet ex multis circumstantiis, quæ non sunt de jure naturali, sed ex pactis conventionibusque inter ipsos cives resultat.

5. *Secunda opinio. — Fundamentum hujus.* — Nihilominus contrarium in hac parte sentit Gregor. Lopez, in l. 54, tit 6, partit. 1, Gloss. 2, quem sequitur Guttier., in Practic. Quæst., lib. 1, c. 3, n. 8, et idem sentit Guerrero, in Thesauro Christ. relig., cap. 36, n. 32. Fundantur in verbis cap. «Non minus», ibi: «Nisi Episcopus et clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint», etc., «ut subsidia per Ecclesias existiment conferenda»; nam ubi res committitur existimationi, non censetur committi liberæ voluntati, sed justo judicio et arbitrio, ut declarat Ulpianus, in l. «Fideicommissa», § «Si fideicommissum», vers. «Quanquam», ff. de Legat., 3, ubi ait, per conditionem hanc, «Si existimaveris», non committi rem plenæ voluntati, sed prudenti arbitrio, et quasi viro bono; ergo in hoc sensu dixit Pontifex, clerum, «si existimet», prudenti arbitrio, communem utilitatem vel necessitatem urgere, debere contribuere; ergo, supposita tali existimatione, hoc debitum est moralis necessitatis, et non tantum voluntatis. Et præterea partem hanc videntur efficaciter persuadere rationes in priori parte factæ. Et ad alteram, quam proxime in contrarium fecimus, respondebitur facile, obligationem hanc oriri ex æquitate naturali, cujus materia in hac parte mutata non est per jus positivum, quia jus civile potius illam confirmat, cui jus canonicum in hoc non contradicit, sed judicium practicum, et in particulari talis æquitatis Pastoribus Ecclesiæ committit.

6. *Vera resolutio.— Ubi necessitas occurrit, Episcopus clericorum contributioni consentire tenetur. — Probatur. — Nunquam possunt laici clericos ad contribuendum cogere.*—Quocirca in hoc puncto dicendum est, clericos singulos, seu sigillatim sumptos,

non teneri ad hujusmodi contributionem, donec per Episcopum cum clero prudens existimatio facta sit, et decretum, in eo casu intervenire necessitatem, vel utilitatem communem, ad quam clerus contribuere debet. Hoc probat dictum cap. «Non minus», ubi statuitur, debere præcedere Prælati approbationem, ut paulo inferius magis declarabimus; ergo ante illam non tenentur singuli clerici solvere contributionem; imo neque possunt, ut infra videbimus. Deinde dicendum est, si in re ipsa vera necessitas vel utilitas communis cum debitis circumstantiis intercedat, teneri Episcopum ad contributionem approbandam, et contra rationem et justitiam facturum esse, si contradicat. Et hoc est quod præcipue Gregor. Lopez et alii intendunt. Et probatur, quia hoc non est ejus liberæ voluntati, sed prudenti arbitrio commissum; ergo ex officio et justitia tenetur tributum admittere, si revera existimet casum necessitatis subsistere, vel si existimare debet, ita ut per ignorantiam invincibilem non excusetur. Ulterius vero addendum est, clericos non posse cogi a laicis ad solvendum tributum, etiamsi per Episcopum jam fuerit approbatum, quia nunquam laici habent jurisdictionem ad cogendos clericos. Poterunt ergo petere, rogare et requirere clericos, ut sponte solvant, non tamen vim inferre. Et fortasse in hoc sensu dixit Panormitanus clericos debere sponte solvere. Et ob eamdem causam existimo, addita esse in dict. cap. «Adversus», verba illa: «Prædicti laici humiliter et devoti recipiant cum gratiarum actione»,etc. Quapropter si clerici in eo casu solvere noluerint, per suum Prælatum cogendi sunt, ut recte dixit Guttier. supra, cum aliis quos allegat. Quod si Episcopus vel clericos in hoc peccantes cogere noluerit, vel ipse injuste agat, nolens contributionem admittere, quando tenetur, ad superiorem Prælatum recurrendum erit, et ita clericorum immunitas servabitur, et subsidium communi bono necessarium non deerit.

7. *An, in contributione hac, forma, jure canonico præscripta, sit servanda.—Opinio negans.*—Superest tractanda alia pars du-

bitationis circa modum in hac contributione servandum, videlicet, an in imponenda clericis, vel ab eis exigenda contributione ad hujusmodi communis utilitatis opera, servanda sit forma præscripta in dictis decretis, vel nulla illius ratione habita possint laici principes leges suas executioni mandare. Non enim defuerunt multi jurisperiti qui dixerint, nihil esse in hac parte derogatum juri civili per canonicum, ac subinde ad exigenda a clericis hæc tributa, non esse necessarium recursum ad Summum Pontificem, qui postulatur in dicto cap. «Adversus», neque approbationem Episcopi aut cleri, prout præscribitur ibidem, et in dicto c. «Non minus»; sed satis esse regis edictum proponentis causam ut communem et necessariam, et contributionem ut moderatam, et justa proportione distributam. Quam sententiam indicant Gloss. et Hostiens., in d. cap. «Non minus», eamque defendit late Lucas de Penna, in l. «Cum ad felicissimam», C. «Quibus muneribus», lib. 10, quem cum aliis multis pro hac sententia refert Guttier., ubi supra, et specialiter illam defendit Rebuff., in Commentar. ad constitut. Galliæ, tom. 1, tract. de Sentent. provis., art. 3, gloss. 6, ubi alios refert. Et cum sibi objiciat, imperatorem non potuisse clericos sua lege adstringere, respondet: «Verum est, tamen hæc opinio de facto servatur in Francia.» In quo sentit, per consuetudinem esse in hac parte juri canonico derogatum. Quod fundamentum falsum omnino esse infra ostendemus.

8. Ut ergo hujus sententiæ fundamentum aliquo modo tolerabile sit, in hoc constitui debet, scilicet, jura canonica præscribentia formam servandam in postulandis hujusmodi tributis a clericis, non extendi ad hæc tributa, quando auctoritate regia imponuntur. Hoc autem duobus modis declarari potest. Primo, quia c. «Non minus» solum loquitur de consulibus, et rectoribus civitatum, et aliorum qui similem potestatem habere videntur, et illis prohibet ne clericis tributa imponant, nisi Episcopo approbante, etc. Unde in sequenti capite «Adversus», quod est Concilii Lateranensis, sub Innocentio III, his verbis refertur

ecisio prioris Concilii Lateranensis sub Alexandro III: «Adver-
is consules, et rectores civitatum, vel alios, etc.» Ergo ex vi
lium verborum non impediuntur reges supremi hæc onera
ericis imponere. Et hanc sententiam tenet aperte Lucas de
enna, loco citato, et insinuat Hostiensis, in Summa, tit. de
mmunitate ecclesiar., § «A quibus», versicul. «Verum ad ex-
aordinaria» ; quamvis enim dicat, legem «Ad instructiones»,
similes, corrigendas vel moderandas esse per jus canonicum,
hilominus addit limitationem: «Nisi princeps præcipiat.»
erum est tamen, in contextu ejus ambiguum esse, an dicere
luerit, illicitas esse has exactiones respectu clericorum tan-
m, vel simpliciter respectu omnium subditorum esse illici-
s, nisi fiant auctoritate principis, et hic posterior videtur ma-
s esse sensus ejus, si totus contextus consideretur.

9. *Rejicitur.* — Cujuscumque tamen sit illa limitatio cap. Non minus», et similium, admittenda non est, quia imprimis pugnat Pontificiæ declarationi in Bulla Cœnæ Domini, ubi presse prohibitio extenditur ad quoscumque «cujusvis præ-inentiæ et dignitatis, etiam imperialis et regalis», et addi-r: «Innovantes decreta super his per sacros canones tam in vissimo Lateranensi, quam aliis Conciliis generalibus edita», i præcipue intelligit cap. «Adversus», et cap. «Non minus», ponendo (ut arbitror) potius quam addendo, illorum disposi-nem ad omnes principes temporales extendi. Deinde in illis cretis licet fortasse propter occasionem facti, quod ibi refer-r, nominentur consules et rectores, tamen in fine adduntur neralia verba, quæ omnes potestatem habentes ad imponenda buta comprehendunt, ut in c. «Non minus: Nec non, et alii i potestatem habere videntur»; et in c. «Adversus», ibi: onsules et rectores civitatum, vel alios.» Ubi non dixit alios niles, sed simpliciter alios, plane comprehendens omnes, qui clesiasticis viris has exactiones imponere nituntur; et in cap. lerici», § «Nos igitur», de Immun. eccles., in 6, expresse no-nantur «imperatores, reges», etc. Et in hac parte confirmatur

in Clement. unic., eodem tit., quamvis per verba generali scilicet, «contra quoscumque laicos», etc. Et ita etiam inter pretatur et confirmat Clement. V decisiones Conciliorum La teran. sub Alexandro et Innocentio. Denique in c. «Quanquam» de Censib., expresse dicitur: «Nec collegium, nec universitas nec aliqua etiam singularis persona, cujuscumque dignitat existant», etc. Est ergo certissimum non posse limitari ill decreta ex parte personarum laicarum, quacumque potestat vel dignitate præemineant, ac proinde sententiam illam jurista rum in hac declaratione fundatam improbabilem esse.

10. *Secundus dictam opinionem defendendi modus.* — Ali igitur modo posset illa sententia defendi, dicendo, illa jura no loqui de his impositionibus quæ per modum justæ distributio nis inter cives fiunt ad res omnibus necessarias, vel valde uti les; sed loqui de propriis tributis, quæ in subsidium principur vel regum imponuntur. Et ratio reddi potest, quia illæ priore exactiones seu contributiones (ut supra dicebam) non sunt pro pria tributa superiori potestate, et voluntate principis imposita sed sunt veluti quidam sumptus debiti, quia ex natura rei re sultant ex tali opere communitati necessario. Quia nec cleri juste possunt resistere aut contradicere, ne tale opus fiat; ne que possunt impedire quin in ipsos sicut in alios cives result obligatio naturalis solvendi quotam partem sumptuum, qu secundum justam proportionem singulos contingit; ideoqu talis obligatio non oritur ex jurisdictione sæculari, neque e lege civili, sed ex ratione naturali, supposito tali facto justo, e communitati moraliter necessario. Unde fit non repugnare ta lem contributionem ecclesiasticæ libertati, ac proinde non ess contra canonica jura, quæ prohibent omnes temporales exac tiones a clericis fieri, quia solum prohibent exactiones contra rias ecclesiasticæ libertati, qualia sunt quæ in jurisdiction laicorum, et in positiva lege civili fundantur.

11. *Refellitur.* — Sed quamvis fundamentum hoc specien quamdam probabilitatis habeat, nihilominus solidum non est

ec decretis consentaneum. Primo, quia (ut notavit Abbas in icto consilio) dictum cap. «Non minus», prius dicit: «Sive ossata, sive expeditiones»; et deinde adjungit: «Sive alia quæ- bet. Fossata enim» ad custodiam civitatis fieri solent, et ita ertinent ad utilitates clericis et laicis communes, idemque ere esse solet de expeditionibus; ergo cum additur distributio alia quælibet», omnia similia ad minimum comprehenduntur. nde in cap. «Adversus», distincte explicatur prædicta decisio e exactionibus, quæ ad relevandas utilitates vel necessitates ommunes ordinantur. Præterea, in aliis juribus absolute et ne limitatione prohibentur exactiones et collectæ, quibus no- ninibus solent etiam hæ contributiones communes significari, Clement. unica addit distributionem. «Quascumque exactio- es», et præterea adjungit: «Necnon et circa præstandas sub- entiones laicis a Prælatis, vel aliis personis ecclesiasticis»; omine autem subventionum hujusmodi contributiones maxime gnificari solent. Et in dicta Auth. «Item nulla», declarantur angariæ» et «parangariæ», quæ solent etiam pro communi tilitate exigi; ergo limitatio illa verbis ipsorum jurium re- ugnat.

12. *Satisfit rationi pro prædicto fundamento adductæ.*— einde ratio seu conjectura adducta in illo fundamento non est fficiens ad interpretanda jura contra eorum verba, quia non obat esse necessariam limitationem illam, ut decisio illorum nonum justa et rationabilis sit. Primo quidem quia bona ec- esiastica, quibus clerici aluntur, sunt ad altiores fines depu- ta, qui in bonum et utilitatem ipsorum laicorum redundant; m subventio pauperum magna utilitas laicorum est; templa iam, et omnes sumptus illorum, laicorum usibus inserviunt, ideo non est a ratione alienum, ut laici ex solis bonis suis mporalibus contribuant ad publica opera civilia, etiam si in mmunem utilitatem clericorum redundent. Præsertim quia na sacris usibus deputata non debent ad profanos et commu- s usus converti, et ideo merito eximuntur ab his etiam tem-

poralibus contributionibus. Quam rationem late prosequitu
Panormitanus in dicto consilio.

13. *Objectio. — Solutio.* — Dices, has rationes ad summur
procedere de bonis Ecclesiæ, non vero de bonis clericorum
quia et possunt esse patrimonialia, et quamvis sint ex redditi
bus Ecclesiæ, postquam sunt facta propria illorum, jam no
sunt sacra, sed patrimonialibus comparantur, ut supra dictur
est. Respondetur, etiam procedere satis congruenter rationem
illam in bonis clericorum, præcipue in his quæ proveniunt e
redditibus ecclesiasticis, quia ex vi suæ exemptionis et digni
tatis, postulant ut sine diminutione et sine temporali oner
conferantur. Deinde merito extenditur etiam ad bona patrimo
nialia, tum quia hæc sunt veluti accidentaria et accessoria, ex
peditque ut participent exemptionem personæ et aliorum bono
rum, ne detur occasio laicis illo colore onerandi clericos; tur
etiam quia ipsi clerici communi utilitati laicorum inserviunt, e
ideo illis quodam modo debitum est, ut gaudere possint utilita
tibus temporalibus cæteris civibus communibus, etiam si a
illas temporaliter non concurrant. Hac enim ratione solent exi
mi milites et magistratus; ergo jure etiam eximuntur sacerdo
tes, qui non minus ad jus seu commune bonum pertinent, quar
civiles magistratus, juxta sententiam Isidori, lib. 5 Etymolo
giar., cap. 8, cap. «Jus publicum», distinct. 1, et idem habetu
in l. 1, ff. de Instit. et jure. Denique, quamvis demus in aliqu
bus casibus justum et rationabile esse, ut clerici ad hæc oper
contribuant, inde non sequitur dicta jura canonica de his exac
tionibus seu contributionibus non loqui, quia non omnino illa
prohibent, sed modum et formam in illis servandam statuunt
Hoc autem maxime consentaneum rationi est, quia ad Prælato
Ecclesiæ spectat, clericorum curam specialem habere, et diju
dicare, an talia onera juste illis imponantur, non tantum gene
ratim, sed etiam in particularibus casibus et eventibus, in qui
bus solent excessus et violentiæ committi. Quam rationem dict
jura attigerunt.

14. *Conclusio: in his actionibus servanda est forma jure canonico præscripta.*—Dicendum ergo sine ulla dubitatione est, in postulandis a clero hujusmodi contributionibus, a laicis principibus et magistratibus ordinatis, servandum esse modum, et formam in jure canonico præstitutam, præsertim in dictis capitibus «Non minus», et «Adversus.» Ita docet late Panormit., in dicto cons. 3, et in dicto cap. «Non minus», n. 18, ubi refert alios antiquos Doctoros in hac veritate consentientes, præcipue Glossam., in c. «Generaliter», verb. «Collationibus», quæ ait, legem «Ad instructiones» derogatam, vel certe limitatam esse per jus canonicum. Et idem sensit Hostiens. in Summ., tit. de immunit., § «A quibus», circa finem; et communiter Canonistæ super dicta decreta, Paulus Castrens., Jason, et alii, in dicta «Ad instructiones», et Gregor. Lopez, dict. tit. 6, partit. 1, 51, et melius in 54, n. 1 et 2; et lex illa multum favet. Nam, licet dicat clericos debere has contributiones solvere, tamen simul declarat hoc esse ex consensu Ecclesiæ, dicens: «Tuvo por bien la sancta Iglesia.» Et infra adjungit, non posse laicos cogere clericos ad hanc solutionem, sed solum simpliciter ab eis petere, et si dare noluerint, per Episcopos cogendos esse; de Episcopis autem dicit, teneri ad id præcipiendum; quod intelligendum est juxta priorem declarationem, scilicet, juxta probationem Ecclesiæ, et modum ab ea præscriptum. Et plura pro hac sententia, et præsertim quoad Doctorum allegationes videri possunt in Guttierez, in dicta q. 3, l. 1 Practicar.

15. *Quas conditionis requirat forma jure canonico præfinita.*—*Prima conditio.*—Forma autem, seu modus in his tributis servandus, ut a clericis exigi possint, tribus conditionibus consistit, quæ ex dictis capitibus «Non minus», et «Adversus» sumuntur. Prima ponitur his verbis: «Ubi laicorum non suppetunt facultates.» Circa quæ verba dubitari potest, de quibus facultatibus intelligenda sint, an de solis facultatibus communibus reipublicæ, an etiam de facultatibus singulorum civium. De quo nihil invenio a Glossa vel Doctoribus ibi explicatum,

neque in aliis juribus canonicis, neque etiam in legibus juris communis civilis; imo lex «Ad instructiones» omnino illam conditionem omisit; solumque in dicta lege Hispaniæ Novæ Recopilationis explicatur illa conditio, et ad communia bona limitatur per illa verba: «A fallecimiento de proprios de consejo.» Cui legi stari posse videtur, quamdiu ex jure canonico aliud non constiterit, tum quia est satis rationi consentanea, ut ex supra dictis constat; tum etiam quia alia esset nimia restrictio; vix enim potest moralis accidere casus, in quo bona propria omnium et sigulorum civium ad hujusmodi opera efficienda non sufficiant, et difficilius erit hoc examinare vel probare. Ut ergo clerus consentire debeat, satis erit ut moraliter constet, communia bona non sufficere, et singulos cives non posse sine magno gravamine suis solis sumptibus tale opus efficere.

16. *Secunda conditio.*—Altera conditio est, ut contributio non fiat, nisi Episcopus et clerus, re inspecta et considerata, existiment esse conferendam. Ita habetur in cap. «Non minus», et expressius in cap. «Adversus» dicitur: «Episcopus simul cum clericis.» Unde constat non posse Episcopum solum contributionem approbare vel jubere, etiam juxta dispositionem cap. «Non minus», quia concursus clerici simul postulatur. Interrogari autem potest quid nomine cleri vel clericorum intelligatur, nam videtur in rigore significari, necessariam esse diœcesanam synodum; nam hæc videtur intelligi nomine cleri, et quia quod omnes tangit, ab omnibus debet comprobari; ergo oportet ut omnes conveniant, saltem per capita, et in synodo. In contrarium autem est, quia hoc non videtur observari in usu, et est moraliter valde difficile, ut in omnibus occasionibus occurrentibus practice servari possit. Quapropter satis probabile est sufficere consensum Episcopi cum capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ; nam illud solet in jure intelligi nomine clericorum, juxta cap. 1, cum aliis de iis quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli. Multum etiam in hoc valere potest consuetudo: nam ubi ex more præscripto Episcopus habuerit proprium consilium

suorum officialium, vel clericorum ad hoc munus deputatorum, et cum eis graviora diœcesis negotia expedire solet, illud videri potest sufficiens ad conditionem hanc in illis juribus requisitam implendam.

17. *Tertia conditio.*—Tertia conditio, in dicto cap. «Non minus», est, ut contributio fiat sine ulla exactione. Hæc vero magis pertinet ad modum petendi tributum jam impositum, quam ad modum servandum in imponendo tributo. Intelligitur autem de exactione coactiva, ut jam supra explicatum est, et de illa conditione videri potest Gigas, de Pension., quæst. 90, ubi alios refert. Insinuatur etiam in eodem textu alia conditio, scilicet, ut contributio sit «ad relevandas communes utilitates, vel necessitates», sed hæc non est nova conditio, sed finis et quasi fundamentum «justitiæ» talis impositionis, quod in toto hoc capite principaliter supposuimus. His ergo conditionibus omissis, propriam tertiam conditionem addit Innocentius III, in dict. cap. «Adversus», his verbis: «Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.» In qua conditione, propter difficultatem ejus, et moram quam necessario secum affert, fundantur maxime contrariæ sententiæ auctores, ut putent non esse extendendam ad has exactiones, quæ frequenter necessariæ sunt et habent quasi innatam naturalem æquitatem et pietatem. Sed nihilominus evidens est, Innocentium III de eisdem exactionibus vel tributis cum Alexandro III esse locutum, ac proinde hanc conditionem ad omnia tributa, in quæ priores conditiones cadunt, extendi. Ideoque, licet difficilis videatur, servandam esse, quia fuit præscripta ab eo, qui potestatem habuit illam imponendi, et potuit esse expediens propter vitanda incommoda, quæ frequenter occurrunt. Existimo tamen, si Episcopus et clerus consentiant inconsulto summo Pontifice, licet male faciant, et puniri possint, nihilominus factum tenere, quia ibi non additur verbum irritans consensum eorum, et alio-

qui habebant jure ordinario potestatem ad illum consensum præstandum.

18. *Evasio.—Limitatio admittenda in hac tertia conditione.* —Posset autem aliquis dicere, conditionem hanc esse in præsumptione fundatam, ut indicant illa verba: «Propter imprudentiam quorumdam», et ideo ubi fuerit evidens justitia et ratio contributionis, et consensus sit debitus secundum prudentiam, non obligare legem illam quoad hanc conditionem. Quia præsumptio cedit veritati, et consequenter cessat etiam lex in præsumptione fundata. Respondeo negando assumptum, quia illa lex revera non supponit rem præsumptam in qua fundetur, sed solum morale periculum, et occasionem frequentis mali et nocumenti. Hoc autem satis est ut lex universaliter feratur, et obliget etiam in particulari casu, licet in eo negative cesset finis seu ratio legis. Solum ergo limitari potest illa conditio in casu urgentis necessitatis, quando est periculum in mora, argumento cap. «Pervenit», de Immunit. ecclesiar., et quia necessitas caret lege. Et hanc limitationem addiderunt Panormitanus et Gregor. Lopez supra, et Sylvester, verb. «Immunitas», numero 20; Guttier. supra, qui alios refert. Hæc autem necessitas maxime potest contingere in exactione, quæ ad unum actum vel ad breve tempus fit; nam si longiori tempore sit duratura, licet in casu necessitatis possit inchoari inconsulto summo Pontifice, ut longiori tempore protrahatur, consulendus erit, quia potest quoad hanc partem lex impleri, necessitate non obstante, quia hoc modo illi sufficienter subvenitur.

CAPUT XXVII

Utrum omnes clerici, tam in sacris quam in minoribus ordinibus constituti, et in statu clericali perseverantes, integre gaudeant ecclesiastica libertate?

1. Explicuimus causas et effectus hujus exemptionis; solum superest ut de personis, seu subjectis quibus hoc privilegium conceditur, disseramus. Et quoniam ex hactenus dictis satis in genere constat, privilegium hoc personis ecclesiasticis concedi, duo sub hac generalitate explicanda supersunt. Unum est, quæ sint istæ personæ ecclesiasticæ hoc privilegium participantes. Aliud est, an singulis earum totum hoc privilegium integre et quoad omnes suas materias communicetur. Primum ergo distinguendus est duplex ordo ecclesiasticarum personarum, juxta partitionem a Hieronymo traditam, in cap. «Duo sunt», 12, q. 1. Unus est clericorum, alius est eorum qui conversi seu Deo devoti ibi appellantur, qui sub nomine «monachorum» significantur in cap. «Si quis suadente», 17, quæst. 4, et jam communiter sub nomine religiosorum aut regularium comprehenduntur.

2. *Differentia inter has ecclesiasticas personas.*— Differunt autem hæc duo genera personarum ecclesiasticarum, quia clericatus proprie sumptus requirit ordinationem aliquam sacramentalem, vel saltem primam dispositionem, et quasi inchoationem ejus per primam tonsuram (in hac enim amplitudine nunc sumitur juxta cap. «Cum non ab homine», de Sentent. excom., et cap. «Cum non ab homine», de Judiciis); monachatus vero nullum requirit ordinem, sed solum sacrum aliquem statum, per quem persona Deo specialiter dicetur, et ut talis ab

Ecclesia recipiatur. Deinde in clericatu sunt diversi gradu
nam quidam sunt clerici in sacris, ut sunt omnes qui per ord
nationem, ratione voti annexi, inhabiles ad matrimonium fac
ti sunt, juxta c. «Miramur», de Servis non ordin. Alii ver
sunt clerici in minoribus, qui votum non emittunt, et ideo sul
distinguendi sunt, nam quidam sunt clerici continentes, alii con
jugati. Et ita resultant quatuor gradus personarum ecclesiasti
carum, de quibus suo ordine dicemus; in hoc capite vero simu
tractabimus de omnibus clericis non conjugatis, quia in genera
li regula conveniunt, qua constituta, exceptiones vel differen
tiæ quæ inter eos fuerint, facile intelliguntur.

3. *Prima conclusio.—Probatur conclusio primo ex jure ca
nonico.—Probatur secundo ex jure civili.*—Dicendum ergo est
omnes clericos, tam in sacris quam in minoribus, etiam in pri
ma tonsura constitutos, et in clericali statu perseverantes, plen
et integre gaudere privilegio clericali, per se loquendo, id est
nisi propter crimina illo priventur. Hæc assertio extra contro
versiam est inter Catholicos; nam ex jure canonico manifest
probatur. Præsertim cap. 2, de Foro competent., ibi: «Nequ
presbyterum, neque diaconum, aut clericum ullum, aut minore
Ecclesiæ,» per quod ultimum membrum intelligi videntur ju
venes, seu juniores (ut habet alia littera) primam tantum ton
suram habentes, quamvis alii magis vocem illam extendant, u
infra videbimus. Idem probatur in dicto cap. «Cum non ab ho
mine,» de Judiciis, ibi: «Clericos cujuscumque ordinis.» E
iterum: «Clericus in quocumque ordine constitutus.» Alia vero
jura indefinite loquuntur de clericis, sub qua voce omnes com-
prehenduntur, præsertim in favorabilibus, nisi limitatio adda-
tur, et in hac materia specialiter explicatur in cap. «De perso-
na,» 11, quæstion. 1, ubi multa alia jura eodem modo de clericis
loquuntur; tractant vero specialiter de privilegio fori, tam in
materia criminali quam in civili. Et cum eadem generalitate lo-
quuntur jura canonica de clericis quoad exemptionem a tribu-
tis, ut videri potest in omnibus titulis de Immunitate ecclesiar.

Denique jus etiam civile eodem modo de exemptione clericorum loquitur, ut patet ex Authent. «Cassa,» Cod de Sacros. eccles., et Authent. «Item nulla,» Cod. de Episc. et Cleric., ubi Fridericus «de personis ecclesiasticis» indefinite loquitur, quod nomen generalius est. In Codice etiam Theodosiano multæ sunt leges sæpe jam indicatæ, in quibus privilegium hoc vel absolute conceditur clericis, vel interdum etiam minoribus in particulari. Unde a fortiori constat convenire majoribus.

4. *Ratione probatur assertio.*—Ratio assertionis non est alia, nisi quæ ex jure sumitur. Nam si hoc privilegium ut est a jure divino spectetur, sic nullam habet limitationem ex parte clericorum, quia omnes sunt speciali titulo de familia Christi, et ad divinum cultum consecrati et deputati; nam, licet inter ipsos clericos sit differentia majoris vel minoris consecrationis, seu magis aut minus sacri ministerii, hoc non satis est ut dicamus, quosdam fuisse magis exemptos ex vi juris divini, quam alios, ut supra cap. 10 declaratum est. Si autem hoc privilegium spectetur ut per jus ecclesiasticum determinari aut limitari potest quoad personas, sic etiam non invenitur facta discretio inter clericos in sacris, vel in minoribus, dummodo in statu clericali perseverent, modo inferius explicando. Ratio autem colligi potest ex cap. «Si diligenti,» de Foro compet., quia hoc privilegium sicut non est personale, id est, intuitu personæ concessum, ita non est datum intuitu hujus vel illius ordinis, sed intuitu status clericalis, et ideo dicitur ibi «toti collegio ecclesiastico indultum,» ad quod collegium quilibet clerici pertinent, ut ibi dicitur. Nec dubitandum est quin etiam clerici solius primæ tonsuræ sub hac generalitate comprehendantur; et ideo de his solent interdum auctores loqui in particulari, vel ad tollendum omne dubium, vel ut a fortiori intelligantur omnes superiores comprehensi, ut videre licet in Joanne Lupo, tractat. de Libertate ecclesiastic., cap. 2, et Covarr., in Practic., cap. 31, 32 et 33, et est satis expressum in dicto cap. 2, de Foro com-

pet., et clarius in Concilio Tridentino, sess. 23, cap. 6, de Re format.; quod decretum statim exponemus.

5. Quod autem hoc intelligendum sit de plena et integr exemptione, ut in altera parte assertionis dixi, æque certum est et eodem fere modo est probandum; nam jura canonica et civ lia, tam quæ exemptionem fori in criminalibus et civilibus quam quæ immunitatem a tributis concedunt, de ecclesiastici personis æqualiter, sive indefinite, sive cum distributione lo quuntur. Unde omnia, quæ hactenus de generalitate exemptio nis, tam in criminalibus et civilibus judiciis, quam in legibu etiam civilibus et tributis diximus, ad omnes clericos cujuscunq que ordinis in statu clericali perseverantes æqualiter applicand sunt, quia jura quoad hanc partem nihil inter eos discernunt unde neque nos discernere debemus, nisi fortasse in aliquo cas particulari in jure expresso, de quo nunc non tractamus.

6. *Limitatur assertio. — Ordines sacri per se soli privilegium exemptionis inducunt, minores vero non ita.* — Dixi autem «in cle ricali statu perseverantes.» Primo, ad declarandum conclusionem intelligi de clericis non conjugatis, nam illi soli integra exemptione gaudent, ut ex dicendis in capite sequenti constabit. Deinde posita est illa particula ad explicandum decretum Concilii Tridentini supra allegatum, et differentiam quæ inte clericos majorum vel minorum ordinum in hoc invenitur. Supponit autem hæc differentia discrimen aliud inter status utrius que ordinis clericorum. Nam, licet omnibus clericis commune sit, ut characterem indelebilem accipiant (quod cum proportione, et quadam imitatione de prima tonsura accipiendum est) nihilominus quoad perseverantiam in statu et munere clericali ordines sacri secum afferunt majorem stabilitatem et obligationem. Nam clerici in sacris tenentur in statu clericali perseverare, c. «Decernimus,» dist. 28, neque possunt illum sine apostasia deserere, unde ad habitum et insignia clericalia retinenda cogi possunt, cap. «Tuæ,» de Apostatis, adjuncta Glossa communiter probata. Clerici autem in minoribus, ut eadem Glossa

notat, possunt sine apostasia statum clericalem deponere et laice vivere, et sæcularibus negotiis implicari, juxta c. «Joannes,» de Clericis conjug., et cap. unic., eodem titul., in 6. Ex hac ergo differentia oritur, ut clerici in sacris absolute, et sine ulla alia conditione dicantur ex vi suæ ordinationis gaudere privilegio clericali, quia talis ordinatio secum trahit perseverantiam in illo statu, et consequenter etiam trahit privilegium clericale, per se loquendo, quam particulam seu limitationem infra explicabo. Inferiores autem ordines, quia per se non obligant ad perseverantiam in illo statu, per se soli non sufficiunt ad gaudendum privilegio clericali, sed aliquas conditiones requirunt, quæ indicent talem personam durare in statu, in quo est divino cultui et ecclesiastico ministerio dicata, quæ est potissima ratio ob quam hoc privilegium conceditur.

7. *In clericis minoribus tres conditiones requiri ad fruendum hoc privilegio.*—Hinc ergo Tridentina Synodus, sess. 23, cap. 6, de Reformat., in hunc modum decernit: «Nullus prima tonsura initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato sui Episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur.» Ex qua decisione constat, mentem Concilii fuisse ut non gaudeant privilegio clericali clerici in minoribus constituti, nisi ecclesiasticis ministeriis actu dicati sint, quod nos explicuimus per verbum «perseverandi in statu clericali.» Voluit autem Concilium, ut minoribus ordinibus aliquid aliud adjungeretur, quo ista perseverantia seu dedicatio ad divinum cultum indicaretur. Duos autem modos Concilium distinxit. Unus est, si clericus minor beneficium ecclesiasticum habeat. Alius est, si tonsuram et habitum clericalem deferat, et ad serviendum alicui Ecclesiæ, vel alio modo in via ad ecclesiasticum obsequium per Episcopum

applicatus vel constitutus sit. Qui duo modi singuli per se suf ficiunt; nam a Concilio sub disjunctione «aut,» ponuntur.

7. *Objectio.* — Clericus ergo minor habens clericale benefi cium, eo ipso gaudet privilegio fori, etiam si conditiones alia in clericis minoribus non beneficiatis requisitas non observet quia Concilium in illo membro solum beneficium cum ordinibu requirit, quia ex vi beneficii censetur esse actu dicatus eccle siastico ministerio, et tenetur habere animum in clericali stat perseverandi, vel saltem non habendi contrarium, alias nec be neficium retinere, nec illius fructus suos facere potest. Dices ergo, licet talis clericus in habitu clericali non incedat, nec tonsuram deferat, et in reliquis ut laicus vivat, gaudebit privi legio clericali, quod videtur absurdum, cum graviter peccet, e satis videatur clericalem statum deseruisse. Respondeo conce dendo non amittere privilegium ipso facto, quia nullo jure pri vatur, nec Concilium in tali clerico aliam conditionem ut sim pliciter necessariam ad gaudendum privilegio requirit. Poteri tamen talis clericus moneri, et si incorrigibilis sit, privilegio privari, juxta cap. «In audientia,» et cap. «Contingit,» 2, de Sentent. excomm. Idem enim in clericis in sacris contingit, u infra dicemus, et notat Glossa in capit. «Tuæ,» de Apostatis; et Innocent., in capit. 1, eodem tit.

9. *An pensio cum minoribus ordinibus ad hoc privilegium sufficiat.* — Quæri autem potest an sufficiat cum tali ordine ha bere pensionem. Respondeo, si pensio talis sit, quæ possit ha beri a laico, clarum est non sufficere, quia talis pensio neque est insigne clericatus, neque ad statum clericalem vel officium obligat, neque beneficio ecclesiastico ullo modo æquiparatur. Si autem pensio sit clericalis, videri potest sufficere, propter contrarias rationes; æquiparatur enim ecclesiastico beneficio, et ideo solet sub illa voce comprehendi, præsertim in favorabi libus. Habemusque ad manum exemplum in eodem decreto Concilii Tridentini; nam in principio statuit, ut ante decimum quartum annum nullus possit beneficium obtinere; ibi autem

congregatio Cardinalium censuit, sub beneficio pensionem comprehendi; ergo eadem vel majori ratione, cum inferius dicitur clericum minorem, si habeat beneficium gaudere privilegio, debet etiam nomen beneficii ad pensionem extendi.

10. Nihilominus invenio responsionem aliam ejusdem congregationis, in qua contrarium declarari videtur his verbis: «Cui reservata fuit pensio, si non incedat in habitu et tonsura, non gaudet privilegio fori.» Et ratio redditur, quia Concilium Tridentinum corrigit jus commune, et tres casus excipit per dictionem «nisi.» Hæc enim decisio non potest subsistere, nisi supponamus ibi, sub nomine «beneficii», non venire pensionem. Nam, licet verum sit Concilium corrigere jus commune, in eo quod non requirit trinam monitionem, quam postulabant cap. ult. de Vita et honest. cleric., et cap. «Contingit», de Sent. excommunic., nihilominus in primo membro illorum, quæ excipit, solum beneficium cum aliqua ordinatione requirit; ergo si pensio venit nomine beneficii, quando alicui ut clerico reservatur, qui illam habuerit, gaudebit privilegio, etiamsi habitum et tonsuram non deferat. Vel e contrario si ille non gaudet privilegio (ut habet responsio Cardinalium), non sufficit sola pensio sine aliis requisitis, ac subinde sub beneficio non comprehenditur.

11. *Quatuordecim annorum ætas ad hanc exemptionem non requiritur.*—Unde tenendo hanc sententiam, responderi poterit, hic restringi nomen beneficii, quia hoc cedit in favorem religionis, ne is, cui pensio tanquam clerico reservatur, facile habitum vel tonsuram deserat, si absque illis posset privilegio gaudere. Mihi tamen, ut verum fatear, hoc non satisfacit, ideoque difficilis videtur hæc posterior decisio, nec rationem ejus satis intelligo, ideoque dubito an fideliter sit descripta, ac propterea judicium in hoc puncto aliis remitto. Adverto tandem in hoc priori membro, quod, licet ad beneficium ætatem quatuordecim annorum Concilium requirat, ad gaudendum privilegio non est necessaria, quia in nullo membro a Concilio postulatur. Solum

in hoc primo videtur consequenter exigi ratione beneficii, vel potius supponi. Si tamen per dispensationem contingat, clericum minorem quatuordecim annis habere beneficium, privilegio clericali gaudebit, quia in re habet conditiones a Concilio requisitas, nihilque refert quod eas per jus commune vel per dispensationem habere potuerit, quia in hoc Concilium nihil distinguit.

12. *Clericus in minoribus ex defectu cujuscumque ex dictis conditionibus ipso facto privilegium amittit* —Circa aliud membrum solum oportet notare, in clerico minori non habente beneficium, tres conditiones postulare Concilium copulative. Ideoque, quacumque illarum deficiente, ipso facto, et nulla declaratione vel monitione præmissa, non gaudebit talis clericus privilegio, ut congregatio etiam Cardinalium expresse declaravit, citans Innocentium, in cap. 1 de Apostatis; et Geminianum, in cap. «Si judex», de Sentent. excom., in 6. Et ratio est, quia illa non est lex pœnalis, sed constitutiva formæ necessariæ ad tale privilegium, et ideo, deficiente forma, ipso facto perditur privilegium. Declarat præterea dicta congregatio, habitum debere esse decentem, et usque ad talos. Eademque ratione oportebit tonsuram esse secundum communem consuetudinem patriæ. Alia de his duabus conditionibus videri possunt in Cobar., in Pract., capit. 31, numer. 7; et Julio Claro, lib. 5, § ult., q. 36, num. 17. Et inter leges Hispaniæ, lex 1, tit. 4, lib. 1 Novæ Recopilat., ubi quædam declaratio Pii IV pro his regnis refertur. Quacumque ergo ex his duabus conditionibus deficiente, juxta consuetum morem amittetur privilegium; ut autem deficere judicentur, non satis est semel aut iterum in eis deficere, sed veluti habitu et permanenter sine illis incedere, ut eadem congregatio sensit, arg. c. «In audientia», de Sent. excom. In casu vero dubio, ecclesiasticus judex discernit an clericus sufficienter habitum vel tonsuram dimiserit, juxta capit. «Si judex», de Sentent. excomm., in 6. Vide Covarr., in Pract., c. 33, in princ.; Jul. Clar., § ult., q. 36, n. 21; Salzed., in Pract., c. 62, n. 14 et 19.

13. Atque hæ duæ conditiones, habitus et tonsuræ, jure communi videbantur sufficere etiam post trinam monitionem; Concilium vero addit tertiam, nimirum, ut talis clericus ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviat seu addictus sit, quæ satis per se est perspicua, et sine dubio est necessaria, non tamen absolute, sed nisi per aliam ab eodem Concilio approbatam suppleatur. Ponit enim Concilium sub disjunctione duo membra, scilicet, «Vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi versetur»; de quibus dubitari potest, an singula ex illis contineant singulas conditiones per se sufficientes ad hoc privilegium, vel solum sint quasi partes tertiæ conditionis in secundo membro principali positæ, et cum illo solo sub disjunctione construendæ. Sed sine ulla dubitatione hic posterior est sensus Concilii. Alioqui constituenda essent quatuor membra principalia illius decisionis, et clericus in minoribus existens in studio de licentia Episcopi gauderet privilegio, etiam si habitum et tonsuram clericalem non deferret, et beneficio careret; consequens est contra rationem, et contra consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Non sunt ergo illa quatuor membra principalia, sed duo; quia vero in secundo membro tres ponuntur conditiones, tertia illarum disjunctive ponitur sub triplici membro minus principali. Itaque in omnibus clericis minorum ordinum imprimis requiritur habitus et tonsura; loco vero tertiæ conditionis, de Ecclesiæ ministerio, sufficit esse in seminario vel in studio de licentia Episcopi.

14. *An clericus minor, si alicui Ecclesiæ non inserviat, nec studiis vacet, sit a tributis exemptus.—Aliquorum opinio affirmans.—Secunda et vera opinio.*—Ulterius vero potest circa hanc partem interrogari, an clericus minor, habitum et tonsuram deferens, beneficium non habens, neque Ecclesiæ deserviens, neque aliter hanc tertiam conditionem observans, sit immunis a tributis, esto non gaudeat provilegio fori. Aliqui enim affirmant, illas conditiones, a Concilio positas, non esse necessarias ad gauden-

dum immunitate a tributis, quia Concilium solum ad privilegium fori eas requisivit; sunt autem illa duo privilegia diversa, et ideo neque ab uno ad aliud argumentari, neque extensionem facere licet contra privilegium aliud, cum potius favores ampliandi sint. Sed contrariam sententiam censeo veram, et imprimis certum est, consuetudine receptum esse, ut isti clerici, qui beneficium non habent, nec Ecclesiæ deserviunt, vel habitum aut tonsuram non ferunt, a tributis non excusentur, ut testatur Covarr., in Practic., cap. 31, in fine, quæ consuetudo si esset contra immunitatem ecclesiasticam, non ita prævalere potuisset, ut justa esset exactio, sicut infra dicetur; quod tamen de hac consuetudine dici non potest, nullus enim est qui hanc consuetudinem reprehendat.

15. Deinde in superioribus ostensum est, non posse esse aliquem tributis subditum, nisi sit jurisdictioni et foro subjectus, quia impositio tributi quidam actus jurisdictionis est; ergo e converso, qui non eximitur a jurisdictione principum, non est cur conseatur ab eorum tributis exemptus, nisi principes ipsum eximere velint; ergo clerici minores, non gaudentes privilegio fori ex defectu dictarum conditionum, consequenter non gaudent immunitate a tributis. Et ideo in superioribus dixi, privilegium fori, ut distinguitur a privilegio canonis, omnem immunitatem etiam a legibus tributorum includere, et sumitur ex cap. «Quanquam», de Censib., in 6, cum similibus. Concilium ergo, absolute loquens de privilegio fori, in hoc sensu accipiendum est. Et confirmatur, nam si isti clerici non gaudent privilegio fori, ergo subduntur legibus civilibus, non solum quoad vim directivam, sed etiam quoad coactivam; ergo etiam subduntur legibus tributorum; nam est eadem ratio. Est etiam magna congruentia, quia si per solam primam tonsuram, verbi gratia, sine ulla alia professione clericatus homines fierent a tributis immunes, multi tonsurarentur, solum ut a tributis eximerentur, absque ulla intentione ecclesiastici status.

16. *Expenditur quædam Hispaniæ lex.* — Major quidem

mihi difficultas est, in quadam lege Hispaniæ, lib. 1 Novæ Recop., tit. 4, l. 2, quæ declarat, clericos non habentes beneficium ecclesiasticum, licet observent cætera requisita a Concilio ad gaudendum privilegio clericali, solum gaudere illo quoad causas criminales, non vero quoad tributa, contibutiones, et cætera omnia. Illa enim lex non potuit decretum concilii limitare; Concilium autem absolute dicit, hos clericos gaudere privilegio fori, quod de se non limitatur ad causas criminales, sed omnia complectitur, quæ supra explicuimus. Videtur ergo illa lex supponere, hos clericos minores carentes beneficio non gaudere ex vi juris communis exemptione a tributis et causis civilibus. Quod si ita esset, recte diceretur, etiam ex vi Concilii illa non gaudere, quia Concilium Tridentinum non addidit privilegium his clericis ultra jus commune, sed solum non abstulit, quod antea habebant. At vero suppositio illa revera non est in jure fundata, quia nullibi fit talis distinctio; imo dictum cap. «Quanquam», absolute et generaliter loquitur, et similiter alia jura supra citata, de Judiciis et Foro competenti. Sed fortasse in Hispania hoc jus commune quoad hanc partem derogatum esse supponitur, ut Covar. supra significat. Ut hoc autem admittatur, oportet ut constet, talem consuetudinem et derogationem esse a Pontifice approbatam, alioqui non censeo posse in conscientia legem illam cum his clericis, qui gaudent juxta Concilium privilegio fori, observari.

17. *An clerici, semel hoc privilegio privati, illo amplius possint gaudere.—Prima sententia.*—Tandem circa hos clericos dubitari potest, an qui semel carent privilegio ex defectu dictarum conditionum, illo gaudere incipiant, quotiescumque formam Concilii servare cœperint; non enim defuerunt qui hoc negaverint, quia privilegium a superiore semel ablatum non recuperatur propria auctoritate, sed oportet ut a superiore iterum concedatur; at vero Concilium aufert privilegium, et non restituit; ergo non recuperatur sola voluntate clerici ad statum clericalem redeuntis. Aliqui vero addiderunt, hoc maxime ha-

bere locum, quando clericus punitus est a judice, et privatus privilegio, quia sine habitu clericali incedebat, quia tunc proprie videtur habere locum ratio facta. Vel etiam quia tunc maxime videtur quis renunciare privilegio, simulque acceptatur renunciatio; postquam vero aliquis sic renunciat privilegio, non potest sua voluntate ad illud redire. Et pro hac sententia citatur Innoc., in c. 1 de Apostatis.

18. *Auctoris sententia.* — Nihilominus contrarium censeo certum; quandocumque enim clericus habitum et tonsuram deferre cœperit, et Ecclesiæ inservire, aliquo ex modis a Concilio præscriptis, incipiet gaudere privilegio, etiam si ob aliquem defectum antea illo non gauderet. Ita docuit Abbas in simili puncto, in cap. «Joannes,» de Clericis conjugat., n. 4. Sequitur Angelus, verb. «Excommunicatio,» 5, num. 23; et in hanc sententiam refert Joannem Monachum, Archidiac. et Joan. de Lignano. Idem Sylvester, Excommunicat. 6, n. 4, et Antonin., 3 part., tit. 24, c. 2; et idem sumitur aperte ex quadam responsione congregationis Cardinalium. Cum enim interrogatum esset an clericus, qui beneficium ecclesiasticum obtinuit, cui, animo uxorem ducendi, una cum clericatu renunciavit, postea vero, mutata voluntate, habitum clericalem assumpsit, et aliud beneficium obtinuit, an recuperet privilegium clericale, respondit congregatio affirmando, quia clericus non potest privilegio renunciare, juxta c. «Si diligenti,» de Foro compet. Et est responsio juri consentanea, ut a simili sumitur ex cap. unic. de Cleric. conjugat , in 6, et ex his quæ Panormit. et alii notant, in c. «Clericus,» 2, de Vit. et honest. clericor. Hæc autem decisio eamdem in præsenti rationem habet. Nam Concilium Tridentinum duas conditiones sub disjunctione posuit, ut vidimus; sed in priori, licet clericus dimittens beneficium, etiam animo renunciandi clericatui, desinat gaudere privilegio, si beneficium iterum obtineat, privilegio gaudere incipit; ergo etiam in posteriori casu licet clericus non beneficiatus, si dimittat habitum, pro tunc non gaudeat privilegio, postea ad formam clerici a

Concilio præscriptam rediens, illo gaudebit. Probatur consequentia ex paritate rationis, et quia ex priori casu ostenditur fundamentum contrariæ sententiæ nullius esse momenti.

19. Unde argumentor in hunc modum, quia vel talis clericus non recuperaret privilegium, quia fuit omnino et radicitus (ut sic rem explicem) illo privatus; vel quia voluntarie illi renunciavit; neutrum autem est verum, neque probabile. Primum patet, quia nec Concilium nec aliud decretum canonicum talem privationem efficit. Nam Concilium solum dicit: «Is etiam privilegio fori non gaudeat, nisi,» etc. Et sub his verbis ponit utrumque membrum; illa autem verba non continent privationem perpetuam, sed solum conditionem requisitam ad gaudendum privilegio. Hæc autem est vis et natura conditionalis, ut sit ad utrumque parata, si vera sit, nimirum, ut, non posita conditione, non sequatur effectus, et illa posita, sequatur, etiam si antea ob defectum conditionis positus non fuerit; nam hoc nihil refert, quia quod conditio tardius vel citius impleatur, impertinens est. Præsertim quia illa mora per se non est peccaminosa, nec pro tunc privatur clericus privilegio in pœnam, sed ex defectu formæ, seu status in quo se gerit ut laicus; et ideo sicut laicus incipit gaudere, si ordinetur, etc., ita et iste clericus, si habitum et alia requisita reassumat.

20. Aliud membrum de renunciatione jam probatum est. Nam regulariter non est necesse ut talis clericus habeat animum renunciandi, sed ad summum non gaudendi pro illo tempore. Et deinde licet velit, non potest renunciare privilegio, nisi renunciando etiam clericatui, seu beneficio, etc. Perseverando autem in debito statu, vel resumendo illum, non potest non gaudere privilegio, etiam si velit, quia non potest renunciare tali privilegio in favorem clericatus inducto. Unde impertinens est quod per sententiam fuerit talis clericus exemptione privatus, tum quia illa sententia non inducit novum effectum, sed declarat effectum juris; tum etiam quia, licet illam privationem imponeret per modum pœnæ, illa non est absoluta, nec perpe-

tua, sed habet inclusam conditionem seu terminum, scilicet, «donec assumat habitum,» etc., vel «quamdiu non assumpserit.» Unde est quasi suspensio, quæ, sub illis terminis lata, cessat adveniente termino, seu cessante conditione, ut alibi diximus, et ad rem præsentem optime probatur ex Clement. 1, de Vita et honest. Cler., ibi: «Quamdiu præmissis institerint,» ubi id notat Glossa, et aliis juribus confirmat.

21. *Propter crimina posse interdum clericum hoc privilegio privari.*—Atque ex his facile declarari potest, cur in fine conclusionis addiderimus intelligendam esse per se; quia propter crimina interdum privantur clerici, etiam in sacris, privilegio fori, et ob nullam aliam causam solent illo privari, neque fortasse possunt. Quia vel illud habent a jure divino, vel ab ecclesiastico in divino ita fundato, ut ad illud proxime accedat; ergo, nisi ipsi clerici indigni fiant tali privilegio, non possunt illo privari. Non fiunt autem illo indigni, nisi per crimina; ergo non possunt illo privari, nisi in criminum pœnam, quamdiu scilicet statum clericalem retinent. Quod addo propter clericos in minoribus. Nam illi, qui sunt in sacris, ex vi solius characteris censentur esse semper in statu clericali, quamdiu per Ecclesiam non degradantur, quod non fit nisi in pœnam aliquorum criminum. In minoribus autem clericis, non sufficit character sine aliis conditionibus ad illum statum ab Ecclesia requisitis, et ideo ex defectu talium conditionum carent privilegio sine culpa vel pœna; illis autem stantibus nunquam illo privantur, nisi in pœnam.

22. Et confirmatur hoc, quia hoc privilegium non est in gratiam personæ, sed totius status clericalis; ergo nullus clericus potest illo privari, nisi fiat illo indignus, quia id redundaret in magnum totius status clericalis incommodum ac detrimentum. Quod autem propter crimina auferatur, redundat in commune bonum totius status, et ideo ita fieri potest, et non aliter. Et ob eamdem causam, ut in superioribus attigi, etiam si hoc privilegium datum esset clericis immediate ab ipso

Christo, possent in pœnam illo privari, sicut privantur homines libertate aut vita in pœnam, etiam si dono auctoris naturæ illam habuerint, quia intelligitur data quasi sub hac conditione, seu subordinatione ad commune bonum reipublicæ, et potestatis quæ illius curam gerit; ita cum proportione de hoc privilegio censendum est, datum nimirum esse cum subordinatione ad potestatem ecclesiasticam, quod multo magis locum habet, si fortasse per illam proxime fuit concessum.

23. *Quibus modis pœna privationis hujus privilegii clericis imponatur.*—Statim vero occurrebat inquirendum, quibus modis fiat hæc privatio privilegii in pœnam. Sed hoc magis pertinet ad tractatum de Censuris ecclesiasticis, ubi id attigimus, disp. 30, sect. 2. Resolutio autem breviter est, regulariter non privari clericum hoc privilegio, nisi per degradationem realem, juxta cap. «Novimus,» de Verbor. significat., et c. 2, de Pœnis, in 6, et docent Canonistæ, in cap. «At si clerici,» § de Adulteriis, de Judiciis, et alii, quos refert et sequitur Covar., in Pract., c. 3; et Joannes Lupus, tract. de Libert. ecclesiast., part. 2, c. 5, n. 5. Aliquando vero fieri potest hæc privatio per solam sententiam a judice ecclesiastico latam, etiam si realis degradatio non sit subsecuta, quod tamen nunquam fit, nisi supposita incorrigibilitate in delictis enormibus, et servata forma præscripta in cap. «Cum non ab homine,» de Judiciis, de qua videri possunt ibi Doctores, præsertim Panormit., n. 24; Decius, n. 28; Felin., n. 9; et Covar. supra, n. 2. Et ratio sufficiens est, quia in pœnis inferendis, sicut potestas a jure data sufficit, ita forma concessionis servanda est; imo et restringenda, quia materia est odiosa. Tertio denique modo potest hæc pœna immediate per ipsam legem canonicam ferri. Ad intelligendum autem quando et quomodo talis pœna per canonem inferatur, imprimis proprietas verborum stricte observanda est, juxta principia generalia de lege pœnali.

24. *Privilegia canonis et fori clericorum in jure distingui.*—Deinde est in hac materia specialiter advertendum, privilegia

canonis et fori clericorum in jure canonico esse distincta, ut notavit Panormit., cap. 1 de Apostatis, ideoque attente considerandum esse de quo privilegio lex loquatur, ut ab uno ad aliud non extendatur. Unde, licet in c. «Perpendimus,» cap. «In audientia,» c. «Ut famæ,» c. «Contingit,» 2, de Sentent. excom., clerici ter admoniti, et nihilominus in quibusdam criminibus obdurati, priventur ipso facto privilegio canonis, nihilominus illa jura non sunt extendenda ad privilegium fori, ut notavi disput. 22, de Censur., sect. 1, tum quia pœnæ sunt restringendæ; tum etiam quia, ut recte dixit Angelus, verb. «Excommunicatio,» 5, n. 23, et Sylvester, «Excommunicatio,» 6, n. 4, privilegium fori difficilius tollitur quam canonis. Nam privilegium canonis pure humanum est, solum enim consistit in peculiari modo tuendi ac defendendi incolumitatem personarum ecclesiasticarum, gravissimam censuram contra earum percussores ferendo, et ideo idem jus canonicum, quo illa censura lata est, merito non vult illam habere locum in prædictis casibus, in quibus judicat clericos ut laicos viventes, et post tot admonitiones pertinaces, tali defensione fieri indignos, licet non statim omni alio majori privilegio, et a jure divino manante, priventur, vel privari mereantur.

23. Unde si quis recte consideret canones qui de hoc privilegio loquuntur, pauci sunt qui pœnam hanc ipso facto sine alia sententia judicis ecclesiastici ita imponant, ut eo ipso persona clerici subjecta maneat potestati sæculari. Nam quoad clericos in sacris vix reperitur jus certum, præter cap. 1 de Homicid., in 6, de quo supra dicto loco de Censuris dictum est; et videri possunt Sylvest., verbo «Assassini», quæst. 3 et 4; Juli. Clar., lib. 5, § ult., num. 30, et Covar., lib. 2 Variar., cap. 20, num. 10. Alia vero jura, quæ in certis casibus privant ipso facto clericos hoc privilegio sub quibusdam conditionibus, in cap. «Ex parte», 3, de Privileg., et c. unic. de Vita et honest. cleric., in 6, et Clement. 1, eodem tit., hæc (inquam) jura et similia solent de clericis minoribus exponi. Quod nunc exami-

nare et ex professo tractare nec nostri instituti est, nec vacat, sed videri ibi possunt Glossæ et Doctores, et in c. 1 de Apostatis, et Panormit., in c. «Perpendimus», de Sent. excom., et Joan. Lupus, in dicto tract. de Libert. Eccles., part. 2, q. 5.

CAPUT XXVIII

An clerici conjugati privilegio ecclesiasticæ exemptionis gaudeant

1. *Quatuor conditiones ad exemptionem clericorum conjugatorum requisitæ.*—Hæc quæstio tractari potest, vel de jure antiquo, vel de novo. Prior sensus parum utilis est, et ideo illum prætermittimus. Verisimilius autem est, priusquam Ecclesia hoc discrimen constitueret inter clericos conjugatos et reliquos, privilegium indifferenter clericis concessum ad conjugatos pertinuisse, non minus quam ad reliquos, quia non possumus nos excludere quos lex non excludebat, et quia privilegium principis ample interpretandum est. Imo in legibus imperatorum nonnullæ habentur, in quibus privilegium hoc saltem ex parte ad uxores et filios clericorum extenditur, ut videre licet in titulo de Episcop. et Cleri., in Cod. Justiniani et Theodosii. Relicto ergo antiquo tempore, quæstio tractatur secundum novum jus capituli unic. de Cleric. conjugat., in 6, quod confirmat et aliquo modo restringit Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 6, de Reformat. Statuit autem Bonifacius, in dicto capite, ut clerici conjugati præter privilegium canonis solum gaudere possint privilegio fori quoad causas criminales, sive criminaliter, sive civiliter tractentur. Ut autem hac immunitate gaudeant, tres requirit conditiones. Prima, ut tonsuram deferant; secunda, ut incedant in habitu clericali; tertia, ut cum unicis et virginibus contraxerint. Concilium vero Tridentinum addidit quartam,

dicens: «Modo hi clerici alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant et ministrent.»

2. *Clerici conjugati nunquam gaudent integre clericali privilegio.*—Ex quo jure tres propositiones et quasi generales regulas in hoc puncto colligimus. Prima est: nullus clericus conjugatus gaudet toto privilegio clericali. Probatur, quia etiam si omnes dictas conditiones impleant, non sunt exempti a judicio sæculari in causis mere civilibus, et consequenter nec ab obligatione legum civilium, saltem quoad vim directivam, neque a tributis, neque ab aliis muneribus vel oneribus publicis, nisi per leges civiles expresse et specialiter eximantur. Probatur, quia in dicto capite, concessa prius exemptione in criminalibus, additur: « In cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio clericali», ubi aperte omnia excludit, et singularis exceptio firmat regulam in contrarium. Et hæc regula communiter recepta est per Joannem Andr., et alios expositores, in dicto cap. unic.; Panormitanum, et alios, in c. «Joannes», de Clericis conjug., et in c. 2, de Foro compet., et alios, quos referunt et sequuntur Covar., in Pract., c. 31, n. 7; Guttier., de Juram. confirmatorio, p. 1, c. 17, n. 12; Sylvest., v. «Clericus», 1, quæst. sexta. Non defuerunt autem qui contrarium docuerint, ut dicti auctores referunt; sed non est res disputatione digna, ubi jus est tam clarum et evidens. Neque rationes eorum sunt alicujus momenti, ut in dictis auctoribus videri potest. Quocirca juxta hoc decretum optime procederet lex 2, tit. 4, lib. 1 Novæ Recopilat., supra tacta, si de his tantum clericis conjugatis loqueretur.

3. *Quo privilegio fruatur, qui post sacros ordines uxorem ducit.*—Solum circa hoc jus adverto in illo ex intentione Pontificis solum esse sermonem de clericis in minoribus constitutis, nam clerici in sacris uxores ducere non possunt. Duobus autem modis contingere potest, clericum majorum ordinum esse conjugatum. Primo, quia cum antea conjugem haberet, postea

modo legitimo ordinatus, et a conjuge separatus est. Et tunc ille non reputatur ab Ecclesia tanquam conjugatus, sed tanquam continens viduus, quia civili quodam modo, et quoad usum et societatem matrimonii uxor illi quasi mortua est, et ideo ille perinde potest gaudere privilegio clericali, ac cæteri clerici in sacris, et forte ob eam causam de hujusmodi clericis nulla specialis mentio vel distinctio in jure fit. Alio modo potest clericus in majori ordine constitutus uxorem ducere per dispensationem Pontificis, et tunc ille omnino abstrahitur, et quasi deponitur a statu clericali, ideoque tanquam laicus reputatur, et gaudere non potest privilegio clericali, nisi fortasse quoad criminale forum, concurrentibus conditionibus in aliis clericis conjugatis requisitis, quia nihil aliud de illo invenimus in jure dispositum, nisi per specialem dispensationem illi concedatur.

4. *Qualem habitum deferre debeant hi conjugati ad gaudendum exemptione.*— Secunda propositio, seu regula est, clericum conjugatum, observando clericalem statum modo a jure requisito, gaudere saltem exemptione a judicio sæculari in criminalibus causis. Ita statuitur et declaratur in dictis decretis, quæ potuisse in hoc ita disponere, satis ex superioribus constat. Unde solum supersunt explicandæ conditiones ad prædictum statum requisitæ. Prima erat tonsura, circa quam nihil occurrit addendum, quia eodem modo debet ab his clericis deferri, quo a minoribus non conjugatis. Secunda erat habitus clericalis, circa quam notant Doctores, non oportere in hac conditione observari omnimodam æqualitatem seu æquiparationem inter hos clericos conjugatos cum non conjugatis, quia, licet in utrisque honestior habitus in qualitate, figura, colore et longitudine, quam in laicis postuletur, nihilominus in illismet circumstantiis, præsertim in figura, longitudine et materia vestium, plus aliquid conjugatis permitti potest quam non conjugatis. Sufficiet ergo ut habitus satis honestus sit, et secundum communem consuetudinem aptus ad discernendum clericum a laico. Hinc

vero intelligi potest, non satis esse hujusmodi clericum deferre habitum clericalem illis horis seu temporibus quibus actu in ecclesia ministrat, sed necessarium esse ut in communi vivendi modo in habitu clericali incedat, quia in hoc æquiparatur clerico non conjugato.

5. *An dicti clerici, si cum armis incedant, hoc privilegio fruantur.* — Unde etiam infert Julius Clar., dicto § ult., quæst. 36, n. 12, necessarium esse ut hujusmodi clericus arma non portet, quam dicit esse communem opinionem, cum Bertrando, cons. 13, n. 5, quia arma clericis sunt prohibita. Aliquibus autem videtur hanc prohibitionem non extendi in clericos conjugatos, quorum statum arma non dedecent. Et ideo Azor, tom. 1, l. 13, cap. ult., quæst. ult., putat non repugnare huic privilegio, arma deferre, si alias clericalis habitus retineatur. Nihilominus tamen securius est non deferre modo præsertim a laicis consueto, ita ut exterius videri possint, quia non bene conveniunt cum clericali habitu. In his tamen circumstantiis multum valet consuetudo a Prælatis non improbata, ut generaliter notavit Covarr., in Pract., c. 31, n. 7.

6. *Bigami clerici non gaudent exemptionis privilegio. — An contrahens cum virgine a se antea corrupta hac exemptione gaudeat. — An qui cum duabus contraxit, et cum altera tantum consummavit, exemptione gaudeat.* — Tertia conditio erat, ut cum unica tantum et virgine contraxerint; bigamo enim noluit Ecclesia etiam hanc partem sui privilegii concedere. Sed quid si clericus contrahat cum ea quam ante matrimonium virginem cognoverat et corruperat? tunc enim revera non contrahit cum virgine; ergo nec gaudebit hac exemptione. Sed nihilominus dico gaudere, quia, ut dixi, illud decretum solum intendit excludere bigamos; per illud tamen matrimonium non contrahitur bigamia, ut in materia de Irregularitate dixi, disp. 49, sect. 3. Ratio vero est, quia in favorem matrimonii fictione juris quasi retrotrahitur usus ejus. Unde sicut per matrimonium subsequens proles prius concepta legitima efficitur, ita præcedens

usus quasi matrimonialis reputatur, et consequenter matrimonium illud cum virgine contractum esse censetur. Deinde inquiri potest quid dicendum sit si clericus cum duabus virginibus contraxit, non tamen cum utraque consummavit, quia prius altera illarum vel mortua fuit, vel religionem professa est. Respondeo hoc non obstare quin talis clericus gaudeat hac immunitate, quia per illud duplex matrimonium non contrahitur bigamia, ut in citato loco dixi. Unde cum in dicto decreto dicitur: «Clerici, qui cum unicis et virginibus contraxerunt», intelligendum est de matrimonio perfecte contracto et consummato; nam antea non habet perfectam suam significationem, et lex illa in hac parte ad actum omnino perfectum restringenda est. Et ita in utroque hoc puncto sensit Glossa ibi communius approbata, licet aliqui contradixerint.

7. *Per quam bigamiam clericus conjugatus exemptione privetur.*—Denique interrogari potest circa hanc conditionem, an per solam bigamiam contractam per duplex matrimonium consummatum, vel per matrimonium cum vidua, fiat clericus incapax hujus privilegii. Et ratio dubitandi est, quia in omni bigamia est eadem ratio, et ideo extendenda videtur lex propter identitatem rationis, quamvis verba non omnino conveniant, quia nimirum aliter bigamia contracta est, quam verbis illius textus expl cetur. Nihilominus censeo standum esse verbis legis, ideoque solum bigamum clericum cum altero ex illis duobus modis esse inhabilem ad hoc privilegium. Et ideo qui contraxit cum unica et virgine, quæ postea adulterium commisit, et nihilominus eam deinde maritus cognovit, licet fiat bigamus quoad alios effectus, et interpretative, nihilominus hoc privilegium non amittit, quia conditionem a jure requisitam servavit; nam cum unica et virgine contraxit, et jus illud nihil amplius quoad hanc conditionem postulat. Neque illa extensio per identitatem rationis admittenda est, tum quia sumus in materia odiosa et stricta, qualis est diminutio vel limitatio immunitatis Ecclesiasticæ; in hujusmodi autem materia raro et vix admittenda est

talis extensio, nisi tanta sit vis rationis, ut contrarium injustum vel irrationabile appareat, quod hic dici non potest. Tum etiam quia neque identitas rationis hic invenitur, multo enim major defectus vel indecentia in bigamia propria, quam in metaphorica invenitur. Tum denique quia Pontifex ipse non loquens generatim de bigamia, sed explicans species et modos ejus, satis indicavit illas tantum species voluisse excludere. Et ita sentit Julius Clar., d. q. 36, n. 9 et 10, referens Aufrerium, dicentem ita sentire communiter omnes, et in facti contingentia ita fuisse decisum.

8. *Clericus conjugatus in universitate litteris vacans non manet exemptus.*—Quarta conditio, a Concilio addita, supra in minoribus clericis non conjugatis fere declarata est; solum adverto duo. Unum est, Concilium hic definite postulare ut talis clericus sit ministerio Ecclesiæ ab Episcopo deputatus, et non addere alia duo membra, quæ in clericis non conjugatis posuit. Et sane merito: nam unum illorum, scilicet, in seminario clericorum educari, non potest moraliter in conjugato clerico locum habere, ut per se constat. Aliud vero membrum de studio in aliqua universitate de licentia Episcopi, licet aliquo modo posset a clerico conjugato observari, non tamen eo modo quo a Concilio postulatur, addit enim: «Quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur», quæ via non potest in clerico conjugato considerari, cum per matrimonium ad majores ordines ineptus factus sit. Igitur præcise ac definite necessarium est Ecclesiæ ministerium. In quo adverto secundo, Concilium non tantum dixisse, debere esse deputatum servitio vel ministerio Ecclesiæ, sed addidisse, «ut ei ministret vel inserviat», quibus verbis plane significare voluit non satis esse quod habeat titulum vel officium, si per alium tantum inserviat, sed necessarium esse ut per se ipsum ministret. De modo autem ministerii nihil in particulari Concilium determinat, et ideo quodlibet sufficiet, sive aliquo modo spirituale sit, ut est ministrare in Missa, vel in choro; sive temporale, ut est, res Ecclesiæ custodire, mun-

dare, et similia, quæ ad officium sacellani aut thesaurarii pertinent.

9. *An clericus conjugatus mercaturam exercens hoc privilegio fruatur. — Resolutio.* — His conditionibus nonnulli quintam addunt, nimirum, ut clericus conjugatus negotiationem seu mercaturam non exerceat. Hanc ponit Julius Clar., dict. quæst. 36, n. 12, et refert Alexandrum de Nevo, cons. 60, dicentem ita sentire communiter Doctores, cum Innocentio, in c. ult. de Vit. et honest. cleric., in quo textu potuit hæc opinio fundari; et quia negotiationes clericis prohibitæ sunt. Hæc tamen sententia probanda non est. Primo, quia cum in dict. c. unic, veluti constituatur forma servanda, ut aliquis gaudere possit hoc privilegio, nihil ultra illam requiri potest, nisi aliquo alio jure additum sit; unde ante Concilium Tridentinum nihil aliud requirebatur; post illud vero requiritur quarta conditio, quia ab ipso addita est; illa vero quinta conditio nullo jure est adjuncta; ergo necessaria non est. Et ita tenet expresse Covar., dict. c. 31, n. 8, citans Francum, Alexandr. et Immolam; et idem tenent Summistæ, Sylvest., «Clericus», 3, quæst. 3; et ibidem Tabien., quæst. 1; Angel., «Clericus», 9, n. 3; et alii moderni.

10. Neque ex cap. ultim. de Vit. et honest. cleric. aliud colligitur. Nam præterquam quod ibi est sermo de clericis non conjugatis, ut ex toto contextu constat, ibi solum dicitur, clericos negotiationibus vacantes non esse immunes a tributis, quibus negotiantium bona subdita esse solent. Quæ decisio pro clericis conjugatis non erat necessaria, quia, ut jam diximus, nulla immunitate a tributis gaudent. Neque etiam est verum, omnem negotiationem esse prohibitam his clericis conjugatis; nam contrarium supponitur in c. «Joannes», de Clericis conjugat. Præterquam quod etiam alii clerici, quibus prohibita est negotiatio, licet peccent illam exercendo, et quoad illa bona non gaudeant immunitate a tributis, quoad crimen et quoad reliqua omnia non statim amittunt totum privilegium clericale, donec per judicem ecclesiasticum priventur, si incorrigibiles

fiant. Et simili modo crediderim, quod licet clericus conjugatus Ecclesiæ serviens, et insignia clerici portans, possit moderatam et honestam negotiationem ad onera matrimonii sustentanda exercere, gaudendo sua immunitate in criminalibus, nihilominus non posse talem et tantam negotiationem exercere, quæ et clericalem habitum et ministrum non deceat, posseque per Prælatum compelli, ut vel a tali negotiatione abstineat, vel insignia clerici deponat, argumento d. cap. «Joannes»; atque ita fiet ut ille privetur privilegio, vel in pœnam ab homine impositam, vel ex defectu aliarum conditionum, non vero quia nova conditio per se necessaria sit.

11. *Qui clerici conjugati omnino exemptione privantur.* — Tertia et ultima regula, quæ ex dictis colligitur, est, multos esse clericos conjugatos, qui privilegio fori omnino non gaudent. Probatur, quia omnes illi, quibus deest aliqua ex dictis conditionibus, trahi possunt ad judicia sæcularia, etiam in criminalibus, per prædicta jura, et juxta sententiam omnium. Nec requiritur sententia aut declaratio hominis, quia ex defectu conditionis et formæ statim sequitur privatio, ut a fortiori constat ex dictis de clericis non conjugatis. Unde reliqua ibi dicta possunt hic applicari. Solum est advertenda differentia inter conditionem unici matrimonii cum virgine, et alias; nam si illa semel desit, defectus est perpetuus, et ita reddit personam simpliciter inhabilem ad tale privilegium; in aliis vero potest esse vicissitudo, et ideo licet per defectum earum amittatur privilegium, possunt iterum assumi et redire privilegium, si fundamentum illud unius conjugii cum virgine non desit, quia tunc procedunt dicta de cæteris clericis, ut per se manifestum est.

CAPUT XXIX

Utrum aliæ personæ ecclesiasticæ ordinem nullum habentes exemptione fori integre gaudeant

1. Ratio dubitandi esse potest, quia jura canonica, quæ de hoc privilegio fori loquuntur, solis clericis illud tribuunt; clerici autem solum dicuntur illi, qui ordinem aliquem, vel saltem primam tonsuram acceperunt. Neque nomine clericorum solent monachi comprehendi, sed potius condistingui solent, ut sumitur ex Hieronymo, epist. 2 et 3. Et confirmari potest ex cap. «Si quis suadente», 17, q. 4, ubi privilegium canonis institutum est, et quia Pontifex voluit non solis clericis, sed etiam monachis illud concedere, distincte dixit, «in clericum vel monachum; ergo a contrario privilegium fori solis clericis ordinatis conceditur, cum de illis tantum canones loquantur. Quod si quis respondeat, inde potius contrarium sumi argumentum, quia principium receptum est, omnes illos gaudere privilegio fori, qui gaudent privilegio canonis, ex communi Doctorum sententia, in c. 2, de For. comp., et ex Sylvest., verb. «Ecclesia», 1, n. 6, hoc non satisfacit, quia, ut supra diximus, majus est privilegium fori quam canonis; ergo quoad concessionem non valet argumentum a minori ad majus privilegium, sicut etiam supra dicebamus, quoad ablationem non valere argumentum, si aufertur privilegium canonis, auferri etiam privilegium fori.

2. *Assertio: personæ ecclesiasticæ absque ullo ordine gaudent privilegio exemptionis.—Probatur assertio, et ratio dubitandi solvitur.*—Nihilominus sine ulla dubitatione dicendum est, personas ecclesiasticas integre gaudere hoc privilegio, etiam si multæ illarum nullum ordinem habeant, ut sunt monachi antequam

ordinentur, et sanctimoniales, quæ ordinis sunt incapaces. Assertio est recepta ab omnibus Doctoribus, probaturque primo ex jure canonico, destruendo simul rationem dubitandi, quæ ex falso principio procedit. Quamvis enim aliqua jura de hac immunitate sub nomine clericorum loquantur, ut c. «Non minus», et c. «Adversus,» de Immun. eccles., nihilominus alia loquuntur sub nomine ecclesiasticarum personarum, quod generalius est, et monachos in rigore comprehendit. Ita constat ex c. «Quanquam», de Censib., in 6, et ex c. «Clericis», de Immun. eccles., in 6, ubi etiam distincte additur, «ecclesiasticis personis regularibus, vel sæcularibus.» Et in antiquioribus decretis, in c. «Experientiæ», 11, q. 1, declaratur, hoc privilegium fori convenire omni «personæ ecclesiastici officii», quæ vox etiam proprie convenit monachis. Denique in c. «De persona», eadem 11, q. 1, expresse loquitur Gregorius de Episcopis, clericis et monachis, allegando Authent. Justiniani, quam in hoc approbat et recipit. Accedit quod D. Hieronymus, ut citatur in c. «Duo sunt», 12, q. 1, distinguens duo genera Christianorum, sub primo comprehendit omnes personas divino officio, et contemplationi, et orationi mancipatas, et in eis prius numerat clericos et monachos, quos Deo devotos et conversos appellat, postea vero omnibus tribuit clericorum nomen, quia omnes sorte electi et specialiter vocati sunt. Ita ergo accipiendum est nomen clericorum in hoc privilegio, etiam ubi contigerit per illud tantum nomen explicari.

3. *Ex jure civili probatur secundo assertio.* — Secundo potest assertio etiam ex legibus civilibus probari. Nam imprimis in lege 36 de Episc. et cleric., in Codice Theodos., cum exemptio a tributis clericis tribueretur, additur: «Quos gradus clericatus, et quod non minus est, sanctior vita defendit.» Præterea Justinianus Imperator, in Authent. de SS. Episcopis, etc., collat 9, novel. 123, c. 2, «Si quis contra», 21, concedens privilegium fori, expresse recenset clericos et monachos, et feminas etiam Deo dicatas, ut notavit Gregor., lib. 11, ep. 53. Denique

Fridericus, in sua constitutione, simpliciter loquitur de ecclesiasticis personis, ecclesiis, ac locis piis. Unde non est dubium quin præter clericos, monachos etiam comprehendat, ideoque postquam dixerat: «Statuimus ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili trahere ad judicium sæculare præsumat», subdit inferius : «Statuimus ut si quis clericis, vel personis ecclesiasticis justitiam denegare præsumpserit», etc. Ubi expendo disjunctionem illam, quia ne forte dicendo tantum, «si quis clericis», ambiguitas de restrictione verbi oriretur, addidit aliam particulam, «vel ecclesiasticis personis», declarans subinde, privilegium illud personis ecclesiasticis datum, non solis clericis proprie dictis concedi, sed omnibus divino obsequio specialiter mancipatis, quæ nomine ecclesiasticarum personarum significantur.

4. *Ratione suadetur assertio.* — Et ex eisdem juribus et verbis constat, totum hoc privilegium integre concedi personis ecclesiasticis non ordinatis, æque ac clericis non conjugatis, seu in statu clericali integre permanentibus. Probatur, quia Fridericus sub eodem generali nomine, eodemque tenore verborum hanc exemptionem omnibus concedit. Atque eodem modo illam confirmat et approbat Honorius Papa, in fine ejusdem constitutionis. Decreta etiam antiquiora nullam in hoc distinctionem faciunt inter illa duo genera personarum ecclesiasticarum, de illisque simpliciter asserunt ecclesiastica immunitate gaudere. Denique utrumque est consentaneum rationi, ac subinde juri divino, a quo privilegium hoc emanat. Nam clericis ordinatis ideo hoc privilegium conceditur, quia peculiari modo divinis obsequiis dicati sunt, ideoque ad familiam Christi specialiter pertinent, et a curis ac perturbationibus sæcularibus debent esse abstracti; hæc autem ratio non minus in monachis et similibus personis militat, etiam si per propriam ordinationem sacratæ non sint, quia hic modus peculiaris consecrationis non est cur ad privilegium exigatur, quando principalis ratio, et quasi proxima, et fundamentum privilegii alia via comparatur.

Quod fundamentum, ut dixi, est peculiaris dedicatio ad divinum obsequium, ut notavit Innocentius, in c. 2 de Majorit. et obed. Sicut etiam inter ipsos clericos, qui primam tantum tonsuram acceperunt, revera non sunt ordinati sacramentali ordine a Christo instituto, et nihilominus quia per illam cæremoniam ab Ecclesia institutam peculiari modo dicantur, et consecrantur divino cultui, ex illa parte id sufficit ad privilegium exemptionis; ergo eadem vel majori ratione, religiosa professio, vel quilibet alius modus ab Ecclesia probatus, quo persona divino cultui peculiariter consecratur, ad exemptionem sufficit; omnes autem personæ, quæ simpliciter ecclesiasticæ vocantur, aliquo simili modo, vel ritu ecclesiastico Deo dicantur et consecrantur; ergo et speciali modo pertinent ad familiam Christi, et ejusdem exemptionis debent esse participes. Et hinc D. Thom., in 2, d. 44, q. 2, art 2, ad 1, et ibi D. Bonav., Rich., et alii, dicunt, sub illis Christi verbis: «Ergo liberi sunt filii», non tantum clericos ordinatos, sed etiam omnes, qui Apostolicam vitam sequuntur, omnia propter Christum relinquentes, comprehendi.

5. *Quæ personæ non ordinatæ ecclesiasticæ censeantur.* — *Professio voto simplici emissa sufficit ad gaudendum hoc privilegio.* —*Novitii etiam religionum eadem fruuntur exemptione.*— Jam vero interrogandum occurrit quæ personæ non ordinatæ sub hoc genere personarum ecclesiasticarum venire aut comprehendi censeantur. In quo puncto imprimis certum est, omnes religiosos, et religiosas professas sub hoc membro comprehendi, sive monachorum, sive regularium, sive religiosorum nomine significentur, et in hoc omnes Doctores conveniunt, quia est in jure manifestum. Unde recte dixit Panormit., in c. 2 de Foro compet., duo maxime eximere personam a potestate sæculari, ordinationem et professionem. Addendum vero nunc est professionem intelligendam esse, non solum illam quæ fit per vota solemnia, sed etiam illam quæ fit per vota simplicia ab Ecclesia approbata et recepta ad constituendum verum ac proprium reli-

giosum statum ; nam, sicut tales personæ sunt veri religiosi, ita æque primo ac per se gaudent eadem ecclesiastica immunitate. Deinde vero extenditur idem privilegium per quamdam participationem et extensionem ad novitios religionum, quia, sicut in ordine clericorum, prima tonsura initiati, habitum clericalem ferentes, et Ecclesiæ servientes, inter personas Deo dicatas computari incipiunt, ita etiam novitius religionis, quatenus incipit esse in via ad statum religionis, ejusque insignia defert eique inservit, inter religiosas personas quoad gaudendum privilegio computatur.

6. *Alii status ecclesiastici, qui absque voto hanc exemptionem inducunt.*—Ultra hos vero sunt alii status vel modi vivendi ecclesiastici, qui licet per tria vota perfectionis non constituantur, sed per unam aut aliud vel per aliquem traditionis, oblationis, aut congregationis modum ab Ecclesia approbatum, sufficere censentur ad gaudendum hoc privilegio, vel ex speciali concessione, vel quia generalis consuetudo ita interpretata est decreta quæ personis ecclesiasticis hoc privilegium concedunt. Et sub hoc membro continentur illi, qui dicuntur «conversi laici» in aliquibus religionibus juxta c. «Non dubium», de Sent. excom. Item aliqui eremitæ, et alii quos late enumerat Sylvest., verb. «Ecclesia», 1, q. 5, per totam, et Panormit., in dict cap. de Foro compet.; et Archid., in c. «Duo sunt», 12, q. 1.

7. *Gaudentes privilegio canonis, etiam hoc privilegio fruuntur.*—Ut autem generalem regulam constituamus, censeo illam veram, quam in principio argumentando tetigimus, nimirum, omnes personas, quæ gaudent privilegio canonis, gaudere etiam privilegio fori. Quæ regula intelligenda est per se, et ex vi juris communis, nam in pœnam poterit quis uno privilegio privari, licet non privetur alio, et ex jure speciali poterit aliquibus personis unum privilegium sine alio communicari; per se tamen loquendo, omnes personæ, quæ ad unum privilegium sufficientem ecclesiasticum statum habere censentur, habent etiam

ad aliud, quia si persona defenditur ab Ecclesia speciali privilegio canonis, ideo est quia supponitur esse sacra, et sufficienter Deo dicata, ac denique ecclesiastica; ergo consequenter gaudent communi jure immunitatis quoad forum. Quin potius, licet privilegium fori majus magisque ex jure divino esse censeatur nihilominus prius et intimius (ut sic dicam) convenit personis ecclesiasticis, eo ipso quod sacræ, et Deo dicatæ sunt, quam privilegium canonis ; nam illud est quasi per se conjunctum cum tali statu, illique valde conveniens; hoc vero solum quasi per accidens ad coercendam hominum audaciam aut malitiam, quia, ut dixi, solum consistit in speciali censura contra percussores clericorum lata. Et ideo etiam antiquius est privilegium fori quam canonis, ac subinde magis necessarium est ut omnes, qui gaudent provilegio canonis, gaudeant etiam privilegio fori, quam e converso. De facto tamen eisdem personis est utrumque privilegium concessum, et ideo, quæ de his personis dixi alibi (1), tractando de privilegio canonis, hic etiam suficiunt.

8. *Religiosus professus habitum laicum deserens exemptionem retinet.—Qui ante professionem religionem deserit, privilegium amittit.*—Inter has autem personas possumus quoddam discrimen notare per analogiam et proportionem ad personas clericorum, nam quædam sunt habentes statum ecclesiasticum omnino immutabilem, ut sunt religiosi solemniter professi; aliæ vero habent statum aut modum vitæ mutabilem, quia in aliquo casu possunt ad laicorum statum transire. Priores comparamus clericis in sacris, quia absolute, et ex vi professionis semper gaudent hoc privilegio absque alia conditione, vel limitatione, quamdiu illo non privantur. Unde, licet religiosus professus habitum deserat, et apostata tanquam laicus incedat, semper gaudet hoc privilegio, quia semper est persona sacra et religiosa, cui simpliciter concessum est. Quod si objicitur c. 1 de

(1) Tom. 5, disp. 22, sect. 1, n. 19 et seq.

Apostatis, respondemus imprimis ibi non esse sermonem de religiosis, sed de clericis, qui, «relicto clericali habitu, in apostasia tanquam laici conversantur.» Deinde ibi non videntur apostatæ simpliciter privilegio privari; nam solum dicitur: «Si in criminibus comprehensi teneantur, per censuram ecclesiasticam non præcipimus liberari,» ubi Glossa advertit, solum juberi ut judices sæculares non cogantur per censuras jurisdictionem suam in apostatas non exercere, non tamen dari eis facultatem illam exercendi; hæc enim duo diversa sunt, et in materia pœnali non est ab uno ad aliud facienda extensio. Unde Panormit. ibi, et in c. «Perpendimus,» de Sent. excom., satis probabiliter dixit, in eo casu non privilegium fori, sed tantum canonis amitti, cui sententiæ favent Paulus IV, constit. 29, contra Apostatas; et Pius IV, constit. 8, simili, quæ in Bullario Romano videri possunt. Denique, licet ibi esset ipso jure facta privatio illius privilegii, illa esset quædam pœna, quæ non nisi post sufficientem monitionem et incorrigibilitatem incurretur, ut eadem Glossa notavit. Per se ergo et ex vi juris communis professi semper gaudent hoc privilegio. Aliæ vero personæ ecclesiasticæ infra hunc gradum constitutæ habent statum mutabilem aliquo modo, et ideo licet quamdiu in statu permanent, privilegio fruantur, statim ac statum deserunt, illud amittunt, non in pœnam, sed quia fundamentum privilegii jam in eis non invenitur, ideoque hujusmodi personas cum clericis minoribus comparavimus. Sicque novitius statim ac habitum dimittit, privilegio non gaudet; imo et religiosus, qui simplicia tantum vota emiserat, si absolutus a votis dimittatur, privilegium simul amittit. Idemque a fortiori est in omnibus aliis.

9. *Ecclesiis vel clericis servientes an hoc privilegio gaudeant.* —Ultimo vero dubitari hoc loco potest, an sub his personis ecclesiasticis, quæ hoc privilegio gaudent, comprehendantur omnes in quocumque munere Ecclesiæ servientes, etiamsi ordinati non sint. Idemque dubitari solet de familiaribus Episcoporum, imo et de iis qui cæteris clericis inserviunt. In quo puncto

Glossa, in cap. 2 de Foro compet., verb. «Minores,» per illud verbum intelligit Ecclesiæ servientes, quos dicit eodem privilegio gaudere. Videturque intelligere etiam si ordinati non sint, tum quia in textu, «minores» illi, seu «juniores» (ut legitur in c. 2, 11, quæst. 1) distinguuntur ab omnibus clericis, verba enim sunt: «Neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum ullum, aut minorem Ecclesiæ;» tum etiam quia Gloss. illa citat cap. «Ecclesiarum,» 12, q. 2, in quo sine dubio est sermo de communibus servis, non solum Ecclesiarum, sed etiam Episcoporum, et omnium clericorum.

10. *Resolutio negans.—Quid de familiaribus Episcoporum.* —Dicendum nihilominus est, nullos Ecclesiæ ministros, aut servos gaudere privilegio fori, quantum est ex vi juris communis. Ita docent Panormit., Felin. et alii, in dict. cap. 2, de Foro compet.; et Archidiac., in dict. c. «Ecclesiarum,» et in c. «Clericum,» 11, q. 1; et Jul. Clar., dict. § ult., q. 35, n. 18 et 19. Et sufficienter probatur, quia nullo jure cavetur. Item post Concilium Tridentinum, est evidens, quia in clericis, etiam minoribus, servientibus Ecclesiæ, requirit habitum et tonsuram, ad hoc privilegium; ergo multo minus poterit laicus serviens Ecclesiæ tali privilegio frui, cum neque tonsuram deferre possit. Unde idem est longe certius de servis seu famulis clericorum. De familia autem Episcopi dicunt prædicti auctores, esse consuetudine receptum, ut a judiciis sæcularibus sint exempti, et omnes ad hoc allegant cap. ult. de Offic. Archidiac., quod certe mihi non probatur. Consuetudini ergo standum esse censeo, et ubi de usu contrarium non constiterit, a communi sententia non est recedendum; nam talis consuetudo valde rationabilis est in favorem Episcopalis jurisdictionis et auctoritatis. Et ob eamdem causam eadem consuetudo, et cum majori amplitudine circa familiares Cardinalium servatur, ut ex Julio Claro supra, numero vigesimo septimo, et ex aliis auctoribus, qui de Cardinalibus scripserunt, intelligi potest.

11. Neque in contrarium obstat dictum c. 2, de Foro com-

pet., in verb. «Minores,» seu «Juniores.» Nam imprimis Hostiensis ibi per minores intelligit monachos et conversos, quæ expositio non potest accommodari lectioni quæ habet «Juniores.» Sed quia illa non sine causa permissa est a Gregorio IX, intelligere possumus, vocem «minores,» ab ipso usurpatam esse, non ut significet minores ætate, sed minores gradu. Et ita sub illa voce comprehendentur omnes personæ ecclesiasticæ nullum ordinem habentes, quia in ordine hierarchico sunt in inferiori gradu, juxta cap. «A subdiacono,» 93 dist., cum similibus. Secundo dicere possumus, per minores intelligi scholares (ut ait Glossa, et late exponit Panormitanus), vel juvenes destinati ministerio vel servitio Ecclesiæ, non tamen omnino laici, sed habentes saltem primam tonsuram. Atque ita nomine clerici in illo textu solum intelligetur ille, qui aliquo vero ordine insignitus est, ut habeat locum illa disjunctio, «aut ullum clericum, aut minorem Ecclesiæ.» Neque hic usus illius vocis est novus, nam olim inter clericos, solum usque ad ostiarios numerabantur, ut patet in capite 1, decima septima dist., et in dict. cap. «A subdiacono.»

12. *Ad c.* Ecclesiarum. — Neque etiam obstat dictum cap. «Ecclesiarum servos,» quia ibi non agitur de quibuscumque famulis conductitiis, aut liberis servientibus, sed de servis perpetuis, ut ibi Glossa et alii exponunt, et Panorm. ac Felin., in dicto c. 2, de Foro compet. Dicuntur autem ibi a Concilio Toletano III, hujusmodi servi esse immunes ab oneribus et officiis, tam publicis quam privatis, laicorum, quia invitis dominis non possunt cogi. Quod quidem, quantum attinet ad privata obsequia laicorum, pertinet ad rationem justitiæ; nullus enim privatus juste potest alienum servum ad sibi serviendum compellere. Altera vero pars, de publicis oneribus et officiis, ad exemptionem a tributis reducitur, juxta superius declarata. Nam mancipia Ecclesiarum, imo et clericorum a tributis exempta sunt in l. 1, Cod. de Episcop. et Clericis. Et ratio est,

quia servi, seu mancipia inter bona domini computantur, et ideo sicut alia bona clericorum exempta sunt a tributis, vel sicut domus, equi, aut boves clericorum a publicis oneribus exempta sunt, ita etiam servi. Unde hæc exemptio non est per se et directe concessa personis servorum, sed redundat ex privilegio clericis concesso, quia onus impositum servo redundaret in dominum, et ita esset contra immunitatem ejus.

CAPUT XXX

An privilegium immunitatis clericorum ab aliquo homine revocari possit?

1. Hactenus explicuimus omnes causas et effectus hujus immunitatis ecclesiasticæ, de qua tractamus; nunc de proprietatibus ejus consequenter dicendum videbatur. Si quis tamen diligenter consideret quæ inter explicandas causas et effectus hujus privilegii dicta sunt, fere omnes proprietates, quæ in illo spectari possunt, declaratas inveniet. Nam imprimis ex dictis colligitur, privilegium hoc esse divinum, id est, a Deo ipso concessum, quæ magna dignitas est talis privilegii, a qua consequenter habet ut et immutabile in universali seu simpliciter sit, et ut etiam ex parte non sine magna et justa causa possit auferri, ut in capit. 28 attigimus, et paulo post amplius declarabimus. Deinde habemus ex dictis, privilegium hoc non esse juris privati, sed publici, non solum quia in publicam utilitatem universalis Ecclesiæ latum est, sed etiam quia utrique juri canonico et civili insertum est, ideoque eminentiori modo habet prærogativas omnes, quas privilegia in corpore juris inserta habere solent, ut ex generali doctrina de privilegiis suppono. Tertio haberi potest ex dictis, privilegium hoc maxime favorabile esse, quia imprimis favet religioni, cujus jus summo favore

dignum est, ut sensit etiam jurisconsultus, in l. «Sunt personæ,» ff. de Religios. et sumptib. funer. Ac deinde non in favorem unius loci, vel provinciæ, aut gentis, sed ob augmentum et decentiam divini cultus, et honorem totius ecclesiastici status institutum est. Unde etiam fit regulas omnes, quæ de ampliandis favoribus in jure latæ sunt, ad hoc privilegium applicandas esse. Quarto denique concludi potest ex dictis, privilegium hoc non personale tantum esse, sed reale, quia non intuitu alicujus personæ, sed dignitatis Pontificiæ et totius clericatus concessum est, ut dicitur in c. «Si diligenti,» de Foro compet., et ex dictis de finali causa et ratione hujus privilegii est manifestum. Unde tandem fit hoc privilegium non extingui cum persona, sed de se perpetuum esse, nam hæc proprietas privilegia realia comitari solet.

2. De his ergo proprietatibus, ultima excepta, nihil nobis dicendum superest, sed juxta generalia principia et doctrinas de privilegiis explicandæ et amplificandæ sunt. Solum circa perpetuitatem declarandum superest, quanta illa sit, et an omnem modum amissionis, ablationis, seu desitionis talis privilegii excludat. Perpetuum enim dicitur quod incorruptibile est, vel, si latius loquamur, quod saltem non corrumpitur, nec finem habet. Si ergo hoc privilegium perpetuum est, amitti non poterit, nec auferri. In contrarium vero est, quia multa sunt alia privilegia, quæ dicuntur perpetua, et desinere possunt. Solet enim privilegium dici perpetuum, quoties vel adhæret rei de se perpetuæ, ut fundo, vel, si adhæret personæ, non cum vita illius extinguitur, sed ei perpetuo succedi potest, et nihilominus talia privilegia tolli vel amitti possunt, per superiorem potestatem, aut efficacem aliquam voluntatem, actionemve contrariam. Videndum itaque superest an major sit hujus privilegii perpetuitas, quod non potest commodius fieri, quam explicando an modus aliquis, quo solent privilegia desinere, in hoc privilegio immunitatis locum habeat.

3. *Tres modi privilegium amittendi.—Privilegium hoc im-*

munitatis per lapsum temporis, vel mortem concedentis amitti nequit. — Oportet ergo præ oculis habere modos quibus privilegia destruuntur, quos nunc ad tres reducimus, qui sunt revocatio privilegii, renunciatio ejusdem, usus ei contrarius, et per hos modos breviter discurremus. Nam duo alii modi corruptionis, qui in aliis privilegiis humanis accidere solent, scilicet, vel per lapsum temporis, vel per mortem concedentis, per se notum est in hoc privilegium cadere non posse. Alius vero modus, qui dici solet per abusum, quomodo circa hoc privilegium interdum contingat, in superioribus capitibus explicatum est, declarando quomodo privatio clericalis privilegii interdum sit pœna. Et ad hoc etiam reducitur, quod per mutationem clericalis status, interdum etiam amittitur, vel minuitur modis supra declaratis; quamvis ille non tam proprie dicatur abusus, quam mutatio subjecti, per quam interdum solet accidens corrumpi. Et ita posset etiam illa privatio reduci ad cessationem causæ intrinsecæ, a qua hoc privilegium pendet, qui est alius modus quo solent privilegia amitti, et illa tantum consideratione potest in hoc privilegio locum habere. His igitur prætermissis,

4. *Prima conclusio.* — Dico primo: hoc privilegium ita est perpetuum, ut etiam irrevocabile sit. Assertio est communis et certa, quæ in hunc modum breviter ostenditur, quia privilegium hoc, maxime a Deo, vel a rege temporali, seu imperatore, vel a Pontifice Summo revocari posset; in nullo enim alio talis potestas cum aliquo apparenti fundamento cogitari potest. Probatur ergo assertio de singulis. Et imprimis de Deo nulla est controversia, nam si velit, potest omnia mutare; si autem velle, repugnet promissioni ejus, non volet, neque potest velle in sensu composito, ut aiunt, quia non potest esse infidelis, neque se ipsum negare. Ita ergo in præsenti privilegium hoc, quatenus ab ipso Deo concessum est, simpliciter irrevocabile ab ipso dici potest. Quia si datum est positivo jure divino legis gratiæ, sicut ipsa lex gratiæ data est simpliciter, et cum absoluta promissione perpetuitatis, utique quamdiu mundus duraverit, ita

etiam hoc jus immunitatis ecclesiasticæ ex absoluta voluntate Dei, et sine ulla subintellecta conditione perpetuo stabilitum est, quamdiu sacerdotium novæ legis cum mundo duraverit; ergo eodem modo est hoc privilegium perpetuum et irrevocabile. Nam in fine mundi non revocabitur, sed, cessante illius fundamento ac fine, seu necessitate, consequenter cessabit. Si vero privilegium hoc est a Deo solum ratione juris naturalis, sic magis ab intrinseco irrevocabile est, quamdiu fundamentum et materia illius juris eadem perduraverint, ut per se clarum est, et in libr. 2 de Legibus latius est declaratum.

5. *An per reges possit hoc revocari.* — *Ratio dubitandi.* — De secundo puncto, scilicet, de regibus temporalibus, major est difficultas. Primo, quia jus hoc sub ea ratione humanum et civile est, ac subinde mutabile. Secundo, quia unaquæque res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur; ergo quatenus hoc privilegium per voluntatem regis constitutum est, retractari potest, quia voluntas regis terreni mutabilis est. Hæc est enim ratio ob quam cætera privilegia humana revocari possunt. Tertio, quia sæpe imperatores talia privilegia revocarunt, ut sumitur ex Gratiano, in c. «Omnes,» § «Hæc si quis,» 11, q. 1, et ex l. «Si quis curialis,» C. de Episc. et Cleri., et ex l. «Neminem,» et ex Authent. «Quas actiones,» C. de Sacros. eccles., et ex l. 19 de Episc. et Cleric., in Codice Theodosiano. Et in legibus particularium regnorum inveniuntur leges similes, quibus exemptio clericorum saltem ex parte revocatur. Quarto, quia reges, qui nunc vivunt, dicere possunt non concessisse tale privilegium, neque suos antecessores ipsorum juri præjudicare potuisse.

6. *Probatur conclusio etiam quoad reges.* — Nihilominus dicendum est privilegium hoc non posse per voluntatem temporalium principum revocari. Quæ assertio duobus modis potest intelligi. Primo, non posse revocari absolute et simpliciter, etiam quatenus per Dei vel Pontificum voluntatem constitutum est; alio modo intelligi potest, etiam quoad id in quo potuit a

principibus temporalibus propria voluntate donari. In priori sensu assertio quoad Deum per se nota est; quoad Pontifices autem sequitur evidenter ex principiis supra positis, neque alia probatione indiget. Nam Pontifex potest clericos eximere a sæculari potestate, etiam temporalibus principibus invitis, ut in superioribus ostensum est; ergo non possunt reges revocare privilegium fori seu exemptionis, ut a Pontificibus concessum, quia sicut tale privilegium non pendet a voluntatibus principum in fieri, ita neque in duratione seu conservatione sua. Et confirmatur, quia non potest inferior mutare jus a superiore statutum, vel auferre jus a superiore concessum; sed Pontifices constituerunt hoc jus immunitatis, quatenus sunt superiores regibus temporalibus, saltem indirecte, per spiritualem potestatem, ut in superioribus declaratum est; ergo non potest per principes temporales mutari. Neque contra hanc partem procedunt rationes dubitandi, neque in illa est controversia inter auctores catholicos, nisi forte apud illos, qui negant posse Pontificem propria potestate et sine consensu principum exemptionem concedere. Sed illa sententia et paucorum est, et certe improbabilis, et quod ad rem maxime spectat, illimet auctores, qui illam defendunt, nihilominus docent exemptionem semel introductam cum consensu regum non posse ab eisdem regibus revocari; in hoc vero loquuntur juxta posteriorem sensum assertionis a nobis propositum.

7. Procedit ergo assertio etiam in secundo sensu supra explicato, qui sensus per hanc conditionalem declaratur, nam licet hoc privilegium haberet suam primam originem a liberali donatione principum, non posset per illos revocari. Vel aliter exponi potest, si Pontifex intelligatur nunc habere triplicem modum jurisdictionis super clericos in criminalibus et civilibus. Unus modus est jurisdictionis temporalis directe datæ a Deo in tales personas. Alius est jurisdictionis indirectæ ex vi potestatis spiritualis, et has sine dubio non habet a regibus, et ita neque auferri per eos possunt. Tertius modus est jurisdictionis directæ

in tali materia circa tales personas, quam habuerint Pontifices ex donatione imperatorum, quia, ut supra dicebamus, eximendo clericos a sua directa jurisdictione temporali, non reliquerunt eos exleges, seu absque directo superiore in temporalibus, sed jurisdictionem suam directam in Pontifices transtulerunt. Dicimus ergo, etiam hoc posito, non posse principes amplius auferre jurisdictionem illam a Pontificibus, et sibi iterum eam resumere, præsertim ipsis Pontificibus non consentientibus. Quæ sententia sic exposita communis est. Innocentius, in cap. «Novit,» de Judiciis, et ibi Panormit., n. 23; Felinus, c. 1 de Constitution., n. 19, vers. «Alius casus,» et in capite primo de Prob., et hi duo plures alios antiquos referunt. Idem Hostiens., in dicto c. «Novit,» n. 2, et in Sum., tit. de Immun. ecclesiar., § «Sed nec illa;» et Alvarus Pelagius, lib. 1 de Planct. eccles., c. 44; et Driedo, libro primo de Libert. Christian., cap. 9; Covarruvias, Pract., c. 31; Soto, in 4, d. 25, quæst. 2, art. 2, conclus. 6; Molin., 1 tom. de Justit., disputation. 31. Et idem defendunt Medina et Palacius, etiam si alias existimaverint exemptionem hanc non aliter quam ex donatione principum incœpisse.

8. Fundatur autem primo hæc veritas in quodam principio in materia de Privilegiis recepto, quod privilegium vel superiori vel æquali concessum non potest amplius a concedente revocari. Et ratio est, quia tale privilegium transit in pactum, ut juristæ aiunt; pacta autem servanda sunt, etiam cum subditis, nedum cum non subditis, et multo magis cum superioribus. Vel aliter magis rationem explicando, licet in idem redeat, quia talis concessio potius est donatio quædam quam privilegium, ut recte dixit Driedo; est enim, ut paulo antea explicavi, collatio quædam jurisdictionis propriæ, a se illam auferendo, et in alium transferendo; hæc autem quædam donatio est. Item quia inferior non potest dare privilegium superiori, quasi exercendo jurisdictionem in ipsum, cum illam non habeat; ergo solum potest id facere, paciscendo vel donando. Talis autem donatio

completa et acceptata non potest a donante revocari, invito donatario, quia post donationem jam non est dominus rei qui eam donavit, sed cui donata est; nemo autem potest auferre rem alterius, invito domino. Et confirmatur ac declaratur, quia si princeps posset talem donationem revocare, aut esset per dominium, seu potestatem dominativam, aut per potestatem jurisdictionis, nullus enim alius titulus justus cogitari potest. Non per dominium, nam hoc amissum est per donationem seu talis privilegii concessionem; præcedens autem dominium, quod jam non est, nullam potestatem seu facultatem moralem relinquit. Supponimus enim privilegium esse simpliciter et absolute concessum absque aliqua conditione, nam si illam includeret, ob eam non impletam posset interdum prior dominus donationem revocare, quia tunc non omnino priori dominio renunciavit; hic autem non ita est, sed exemptio pure et absolute facta est; ergo propter præcedens dominium revocari non potest. Neque etiam per potestatem jurisdictionis, quia nullam habet unus princeps in suum superiorem, cum in æqualem sibi non subditum illam non habeat, ut ex terminis constat; ergo.

9. *Evasio.—Refellitur.*—Hoc autem principium, quod sine dubio evidens est, recte in præsenti puncto applicatur, quia hoc privilegium, ut manere intelligitur a principibus sæcularibus, datum est non subditis et superiori, nimirum, clericis, ecclesiis, Pontifici. Dices, imo datum esse subditis, si supponamus ante concessionem hanc clericos fuisse principibus laicis subditos in temporalibus. Respondeo, privilegium hoc partim intelligi concessum omnibus ecclesiasticis inferioribus Pontifice, partim ipsi summo Pontifici; illis, a sua jurisdictione eos eximendo, huic, supremam jurisdictionem temporalem directam circa tales personas in ipsum transferendo. Juxta priorem ergo considerationem, fateor privilegium concessum esse subditis. At per eamdemmet concessionem facti sunt non subditi, et consequenter privilegium factum est irrevocabile a concedente, quia jam inest non subditis, et ideo nec per potestatem jurisdictionis potest lai-

cus illos accepto beneficio privare, quia nec dominium habet in nomines liberos, nec jurisdictionem in non subditos, nec jus- cum titulum illam iterum usurpandi. Juxta posteriorem autem consideracionem privilegium hoc datum est non subdito, etiam antecedenter, quia Pontifex jure divino est exemptus, ac pro- inde non subditus imperatori; imo etiam superiori datum est, quia Pontifex superior est imperatore, etiam in temporalibus, saltem indirecte, et illi ut supremo Pastori data est etiam di- recta jurisdictio temporalis in clerum, ut commodius et liberius ut ita dicam) illum in temporalibus regere et judicare possit. Et ita generale illud principium omnibus modis respectu Pon- tificis locum habet.

10. *Nullum privilegium, Ecclesiæ semel concessum per sæcu- larem potestatem revocari potest.* — Addo denique non solum in hoc privilegio, sed etiam in omnibus aliis concessis Ecclesiæ non tantum ab imperatoribus vel regibus, sed etiam a quibus- cumque principibus vel dominis, habere locum principium illud sub terminis universalioribus propositum, quod nullum privile- gium, per quamcumque potestatem temporalem, etiam non su- premam, concessum Ecclesiæ, et ab ipsa acceptatum, potest per civilem potestatem, etiam supremam, revocari. Ratio est fun- data in alio jure divino, quo omnia bona ecclesiastica a juris- dictione omnique potestate sæcularium principum exempta sunt, ut supra ostensum est. Ex quo principio ita colligimus: privilegium Ecclesiæ concessum, eo ipso quod incipit esse in possessione et usu Ecclesiæ, inter bona ecclesiastica computa- tur, ut per se constat; sed princeps sæcularis, quantumvis su- premus, nullam habet potestatem super ecclesiastica bona; ergo nec potest quidquam circa privilegia ecclesiastica disponere; ergo multo minus illa revocare aut auferre poterit.

11. Et declaratur per comparationem ad alia bona magis sensibilia et corporalia; nam si imperator fundum, castrum, aut civitatem Ecclesiæ donavit, non potest amplius illam au- ferre, sicut non potuit Constantinus donationem Urbis et alio-

rum bonorum, quam Ecclesiæ Romanæ fecit, revocare, aut circ
bona illa quidquam disponere, quia jam ecclesiastica facta sun
ergo similiter non potuit jurisdictionem, quam semel in Eccle
siam transtulit, revocare, aut iterum usurpare. Atque ho
exemplo utitur Hostiensis in hac materia, optimeque rem de
clarat; nam, licet jurisdictio, etiam temporalis, magis incorpo
rea sit quam prædium, verbi gratia, nihilominus inter bon
humana et temporalia computatur, sicut etiam aliæ actione
vel jura, quæ a jurisperitis bona incorporalia nominantur; erg
postquam hæc transeunt in dominium Ecclesiæ, omnia fiun
ecclesiastica bona, ac proinde eamdem immunitatem jure divi
no induunt. Unde idem exemplum et argumentum sumi potes
ex bonis a quocumque inferiori seu privato domino Ecclesi
donatis; nam, postquam donatio habuit suum effectum, ne
donator, nec rex temporalis potest illa contingere, nisi quantu
jura canonica disponunt, vel si quid fuerit in donatione ips
per aliquod justum pactum exceptum; ergo idem est de quo
cumque privilegio in temporalibus Ecclesiæ dato a potestat
civili, nam cujuscumque gradus vel ordinis sit, revocari no
potest per quamcumque potestatem civilem, licet superior, ve
etiam suprema sit.

12. *Privilegium immunitatis ne limitari quidem per civile
potestatem posse.* — Ampliatur præterea quoad hanc partem re
gula posita, quia non solum non potest hoc privilegium fori pe
potestatem civilem integre revocari, verum etiam neque e
parte diminui, vel limitari aut restringi; imo nec restricte de
clarari cum legis auctoritate potest virtute solius civilis potes
tatis. Hoc totum sequitur evidenter ex rationibus et discursibu
factis, quia circa bona et jura ecclesiastica nulla est laicis tri
buta potestas; ergo similiter circa privilegium ecclesiasticum
vel jurisdictionem semel in Ecclesiam translatam nihil potes
sæcularis potestas; ergo nec diminuere, nec restringere, ne
legem aliquam, quæ in præjudicium illius cedat, ferre potest
Et similiter potest hic illud principium applicari, quod nullus

tiam si sit rex supremus, potest minuere, vel aliquid disponere e privilegiis vel juribus alterius regis, vel cujuscumque per-onæ non subditæ, a quocumque, vel quocumque justo titulo, la habuerit ac possideat; ergo majori ratione non possunt rincipes temporales circa privilegium fori aliquid disponere, uod in illius præjudicium cedat. Talis autem est cujuscumque egis editio, privilegii concessio, jurisdictionis delegatio, seu ommissio, aut executionis jussio, quibus ecclesiastica libertas ninuatur aut restringatur, et ideo omnes hujusmodi actiones el dispositiones non solum illicitæ, sed etiam irritæ sunt et anes, quia sine legitima potestate fiunt. Et ideo ut tales de-arantur in Authentica «Cassa», C. de Sacrosanct. Eccles., et ap. «Noverit», et c. «Gravem», de Sentent. excommunicat., et liis multis, sub titulis de Immunit. Ecclesiar., de Foro com., de Judiciis.

13. *Objectio.— Solutio.— Privilegia, per reges ecclesiasticis ersonis concessa, ante prælatorum acceptationem effectum non ha-ent.*—Dices: posset rex temporalis in suo regno ecclesiasticam bertatem augere, concedendo, verbi gratia, ut clerici non so-m ut rei, sed etiam ut actores possint laicos ad tribunal eccle-asticum vocare; vel etiam concedendo ut temporales causæ ter laicos possint ad tribunal ecclesiasticum deferri, si rei elint, ut Constantinum concessisse legimus in c. «Omnes», 11, 1. Ergo poterit, etiam quando sibi expediens videbitur, im-unitatem restringere, ut æquitas servetur. Respondetur primo egando consequentiam, nulla enim æquitas hoc postulat. Tum ia rex temporalis potest privilegium favorabile Ecclesiis con-dere, non tamen legem condere onerosam aut nocivam Eccle-s, vel ecclesiasticis personis, quæ illas obliget; tum etiam ia quilibet potest donationem a se factam augere, non vero nuere, quia prius liberalitatis est, et non tollit jus alterius, d confert; posterius autem repugnat juri acquisito, et conse-enter est contra justitiam. Atque ita in præsenti augere im-unitatem ecclesiasticam de se opus est liberalitatis, et non

repugnat justitiæ aut religioni, quia non est dispositio de jur
bus jam ecclesiasticis, sed de jure proprio, ut ecclesiasticu
fiat, quod de se potius est opus religionis. At vero immunit
tem restringere aut limitare liberalitatis non est, religioniq
derogat, et injustitiam involvit, quia est falcem mittere in ali
nam segetem. Deinde circa antecedens advertimus, licet possi
principes temporales per nova privilegia clericorum exempti
nem, aut jurisdictionem Episcoporum in temporalibus auger
nihilominus hæc privilegia non cogere Ecclesiæ Prælatos ut il
observent, sed necessarium esse eorum liberum consensum,
effectum habeant, quia in tali materia nec vim coactivam n
directivam habere possunt, ut supra est ostensum. Et præter
ut talia privilegia a clericis acceptari valeant, necesse est
legibus canonicis non sint contraria, quia contra illas nulla di
positio civilis valida esse potest.

14. *Solvuntur rationes dubitandi contra hanc partem propo
sitæ.—Prima.—Secunda.*— Neque rationes dubitandi in princ
pio hujus puncti positæ assertioni obstant. Ad primam eni
dicimus, licet hoc privilegium, ut ab imperatore manavit, ju
civile dici possit, tamen postquam per Ecclesiam est approb
tum, esse, ut juristæ loquuntur, canonizatum, id est, jus can
nicum effectum, materiamque ejus esse ad altiorem ordine
ecclesiasticarum rerum elevatam, et ideo sine consensu Pont
ficis revocari non posse. Quod de omni lege civili canoniza
docuerunt Glossæ, Innocent., Dominicus, et alii apud Felinu
cap. 1 de Constit., n. 19; et Panormit., in cap. «Novit», d
Judic., n. 27. Ad secundam respondetur, principium illud, rei
per quas causas nascitur, posse dissolvi, tantum habere locu
in his quæ pendent in fieri et conservari a causa; in præsen
autem licet exemptio, prout nunc consideratur, in fieri pende
a voluntate concedentis, postquam vero data est, jam non pe
det, quia, ut dixi, ad altiorem ordinem rerum est evecta. Acc
dit quod effectus ille per potentiorem voluntatem confirmat
est, et ideo per solam sæcularis principis voluntatem retracta

on potest. Ideoque non est eadem ratio de hoc privilegio, et iis quæ subditis conferuntur.

15. *Tertia.*—Ad tertium imprimis dicimus, narrari facta, on tamen ostendi jure esse facta. Et ita Felinus, in cap. «Ecesia», de Constitut., respondet ad dictam legem, «Si quis cualis», quod, licet de facto quoddam privilegium revocaverit, ire tamen non potuit. Idemque responderi potest ad alias les, præsertim antiquas, quia imperatores in principio non sas perspectam habebant vim ecclesiasticæ immunitatis. Deinde ero dicitur aliqua forte fuisse privilegia, quæ vel nunquam erunt a Pontificibus acceptata, sed ad summum permissa, ut rtasse fuit privilegium datum a Constantino, quod laici posnt ad ecclesiasticos judices appellare. Et si quæ talia fuerunt, er contrariam voluntatem vel usum revocari potuerunt, quia ec proprie pertinebant ad immunitatem, neque inter jura seu ona ecclesiastica computabantur, et ita cessant in illis ratioes factæ. At vero privilegia, a Pontifice acceptata et probata, ne consensu Pontificis revocari non potuerunt, et ideo leges ontrariæ vel effectum non habuerunt, vel non nisi Pontifice nnuente tacite, vel expresse, illum consequi potuerunt. Quod detur recognovisse rex Hispaniæ Alphonsus, in l. 54, tit. 6, art. 1, dicens, licet clerici ob clericatum in multis exempti nt, quædam vero esse in quibus Ecclesiæ placuit, ut non exiantur, hispane: «Tuvo por bien la sancta Iglesia», quasi diret se non posse exemptionem tollere aut minuere, sed solum eclarare quid in eo genere Ecclesia admiserit.

16. *Quarta ratio solvitur.*—Ad quartam respondetur, res, qui nunc vivunt, comparari posse vel ad præcedentes quiis hæreditario jure succedunt, vel ad imperatores quorum gna ex parte aliqua occuparunt, et justo titulo cum suprema otestate civili possident. De prioribus dico succedere unumiemque in regno, eo modo quo antecessores illud habuerunt; ergo ab aliquo antecessore privilegium hoc valide concessum t, eo ipso fuit illa jurisdictio ab illo throno regio separata,

ideoque successor non potest cum ampliori jurisdictione illa hæreditare, nec separationem prius factam revocare, quia nu lam potestatem consequitur respectu non subditorum. Et fe eadem ratio est de regibus supremis, qui nunc sunt in terri quæ olim erant imperii; nam etiam obtinuerunt illa regna eo statu, in quo sub imperatore antea erant, et ita non potu runt juri Ecclesiæ derogare.

17. *Evasio.—Dissolvitur.*—Quod si quis dicat exempti nem hanc, ut est ab imperatoribus, a temporibus Friderici incœpisse, quo tempore jam multi erant supremi principes reges christiani, qui constitutionem Friderici acceptare non te nebantur, respondetur imprimis (quidquid sit de antiquita juris, et excellentia uniuscujusque regni, quod nunc examina nobis necessarium non est), Fridericum non dedisse, sed inno vasse, et ad pristinum ac debitum statum ecclesiasticam exem tionem reduxisse, prout ab antiquis imperatoribus concessa ja fuerat, ut in superioribus visum est. Deinde negari non pote quin omnia regna Romani orbis legem illam acceptaverint, usu ac moribus observaverint, imo et in suis regnis propriis le gibus confirmaverint, quod satis est ut hoc speciali titulo fuer Ecclesiæ jus acquisitum. Cujus etiam sufficiens indicium est quia, ut in aliquibus casibus possint contra exemptionem age re, privilegia ab Apostolica sede obtinuerunt, ut respondend Barclaio, ejusque argumentum in ipsum retorquendo, Bellar minus notavit, ex Julio Claro, lib. 5, § ult., q. 36, n. 26, in fine et Aufrerio, in Clementin. «Ut clericorum», de Offic. Judici ordinarii, limitation. 13. Et de republica Veneta similia privi legia refert Gigas, in tract. de Crimine læsæ Majestatis, su Rubrica «Quis de illo cognoscat», n. 20. Signum ergo est, ho jus exemptionis in toto orbe Christiano receptum esse, et i eodem orbe esse quasi jus gentium, ideoque temporales rege non posse auctoritate sua illud revocare. De regibus vero su premis, qui fortasse de novo convertuntur ad fidem, jam supra dictum est posse ab Ecclesia cogi ad hanc exemptionem admit

endam, et quasi cum illis contrahere, neque aliter illis minis-
ros ecclesiasticos tribuere, nisi eos ab ipsorum temporali juris-
ictione exemptos admittant Quæ conditio, licet non expresse
roponatur, in ipsa professione obedientiæ ad Pontificem Ro-
anum includitur, ideoque hoc etiam titulo non possunt hu-
usmodi reges hoc privilegium revocare aut infringere.

18. *Etiam per Summum Pontificem non posse hoc privile-
ium simpliciter revocari.*—Tertio dicendum de Summo Pontifi-
e, an possit hoc privilegium revocare, in quo eædem fere ra-
ones dubitandi possent proponi. Illis tamen non obstantibus,
reviter dico, etiam Summum Pontificem non posse privile-
ium hoc simpliciter et absolute revocare. Ita dicunt communi-
er Canonistæ, in cap. «Ecclesia», de Constit., ubi præcipue
anormitan., Decius et Felin, et in cap. 2 de Majorit. et
bedien.; Cardinalis, in Repetit., c. «Perpendimus», de Sen-
ent. excom., opposit. 7; Rebuff., in Concordat., tractat.
ltim., ubi alios refert; et Jacobatius, lib. 1 de Concil., art. 6.
robatur autem hæc assertio, discurrendo breviter per tria
ra, a quibus hæc exemptio originem ducere potuit. Et im-
rimis cum dixerimus esse immediate a jure divino naturali
el positivo, clarum est non posse per Pontificem revocari, et
hoc principio dicti auctores fundantur. Quo supposito, evi-
ens est consecutio, quia Pontifex non potest divinum jus
rogare; ergo nec potest revocare privilegium jure divino im-
ediate collatum et institutum, quia per hoc jus quoddam di-
num abrogaret. Et hac ratione diximus supra, non posse Pon-
ficem se ipsum hoc privilegio privare, quia jure divino est suæ
gnitati annexum, neque potest ab illa sine ejusdem dignitatis
minutione divelli; ergo eadem ratione non potest universale
rivilegium cleri revocare, quatenus a jure divino est.

19. Verumtamen etiam ex hypothesi quod hoc privile-
um non esset immediate collatum a Christo cæteris clericis in-
a Summum Pontificem, vera esset assertio de eodem privile-
o, ut est ab hominibus. Et primo de jure civili, quia res est

facilior. Non potest enim Pontifex renunciare huic privilegi eo modo quo ab imperatoribus et regibus conferri potuit, et facto collatum est, nisi abdicando a Sede sua omnem directa jurisdictionem temporalem ipsi collatam a principibus sæcul eamque illis renunciando; hoc autem non potest facere Pont fex; ergo vel ex hoc capite non potest Pontifex hoc privilegiu revocare. Major satis in superioribus declarata est. Minor pro batur, quia Pontifex non est dominus absolutus bonorum jurium suæ Sedis, etiam illorum quæ ab hominibus illi donat sunt, quia principaliter sunt data Christo, ipsi autem tantum Vicario ejus, et ideo non personæ, sed Sedi datæ sunt; erg solum est illorum dispensator fidelis et prudens; ergo non po test suo arbitrio illa donare, alienare, vel dissipare. Et ob han causam non posset nunc Urbem aut reliquum patrimonium P tri imperatori reddere, aut alteri libere donare. Eadem autem vel major ratio est de prædicta jurisdictione, postquam seme in potestatem et dominium Ecclesiæ translata est; nam inte temporalia bona est res magnæ æstimationis, et Ecclesiæ magi necessaria ad ejus decorem et bonum regimen, quam temporal regnum, vel similia bona temporalia; ergo multo minus potes jurisdictionem illam et potestatem relinquere, et sedem suam illa privare.

20. *Ex parte clericorum suadetur assertio.—Evasio quædam rejicitur.*—Deinde ex parte clericorum non minus evidenter ho ostenditur; nam per hoc privilegium etiam illis est jus acquisi tum, per quod specialem libertatem a temporali jugo consecut sunt, et illius libertatis facti sunt domini; ergo non potest Pon tifex pro suo arbitrio eos privare hoc jure acquisito, seu liber tate, cujus sunt domini; ergo nec potest revocare privilegiu illud, ut ab imperatore datum, quia per talem revocationem dicto jure et libertate clerici privarentur, iterumque potestat sæculari subjicerentur. Dices, hoc argumento recte probari non posse Pontificem sine causa privare clericos illo jure acqui sito, ex causa tamen posse. Respondetur, tam necessariam ess

exemptionem hanc statui clericali, ut nulla causa justa excogitari possit, propter quam totus ecclesiasticus status juste aut valide possit tanto beneficio privari. Itaque ut aliquis clericus in particulari interdum ac libertate privetur, poterit interdum ex parte illius sufficiens causa intervenire, ut ex supra dictis intelligi potest, quoniam clerici in pœnam criminum, vel quia statum clericorum non servant, interdum hoc privilegio, vel omnino, vel ex parte privantur. Respectu vero totius Ecclesiæ et status clericalis, nulla ratio vel causa sufficere potest ad talem mutationem, seu revocationem juste faciendam, et ideo neque valide in tali materia fieri potest.

21. *Non potest Pontifex omnia jura immunitatem concedentia abrogare.—Objectio.*—Atque hinc tandem idem facile probatur de eodem privilegio, ut per jus canonicum est stabilitum, quia non posset nunc Pontifex totum jus canonicum concedens vel confirmans hoc privilegium abrogare. Quia non est illi data potestas in destructionem, sed in ædificationem; talis autem abrogatio nullum commodum posset Ecclesiæ afferre, sed potius perturbationem et alia nocumenta. Quia eo ipso vellent christiani principes potestatem in clericos usurpare. Nam etiam stante jure canonico vix possunt in officio contineri; quid ergo futurum esset si jus canonicum in hac parte abrogaretur? Dices, licet male faciat princeps seu Pontifex abrogando sine causa vel ratione legem a se vel a suis prædecessoribus constitutam, nihilominus si id faciat, factum tenere, quia valor talis legis ex legislatoris voluntate absolute pendet; ergo similiter in præsenti illa abrogatio vel revocatio valida esset, quamvis injusta.

22. *Solutio.*—Respondeo imprimis talem revocationem non solum fore injustam ex illa generali ratione, quod est contra justitiam legalem, sed etiam alia speciali, scilicet, quia, non obstante dicta suppositione, adhuc esset contra jus divinum, saltem præcipiens ut talis exemptio sit in Ecclesia quoad commode fieri potest, et ex hac parte esset fortasse talis revocatio non solum injusta, sed etiam invalida, quia juri divino contra-

ria. Secundo dicitur, quando lex semel posita contulit jus, et mutationem in ipsis rebus fecit, non posse sine causa boni communis ita abrogari, ut subditi priventur rebus vel juribus jam acquisitis; quia ergo status clericalis perpetuum jus immunitatis per hanc legem canonicam acquisivit, non potest per revocationem, sine causa et temere factam, valide illo jure privari. Denique dico, quidquid sit de hypothetica quæstione, an, si talis revocatio fieret, valida esset, non esse timendum quod talis revocatio aliquando fiat, quia cum non posset fieri sine magno dispendio et perturbatione universalis Ecclesiæ, non permittet Spiritus Sanctus, cujus speciali providentia Ecclesia regitur, ut Pontifex in suæ potestatis usu tam graviter erret. Et ita considerando illam potestatem, non ut pure substat voluntati humanæ, sed præcipue ut a Spiritu Sancto regitur, dicimus non posse Pontificem talem revocationem facere, quia esset intolerabilis error moralis contra universale bonum Ecclesiæ, ut alibi in præcepto decimarum declaravi (1).

CAPUT XXXI

Utrum privilegium clericorum possit per renunciationem amitti vel diminui?

1. *Per voluntariam renunciationem hoc privilegium amitti non potest. — Privilegium fori respectu privilegiatorum inducit præceptum.* — Resolutio est, hanc ecclesiasticam immunitatem, per renunciationem eorum quibus concessa est, propria voluntate et auctoritate factam, amitti non posse, quia a nullo potest valide et efficaciter renunciari. Hæc assertio, quatenus peculiari ratione ad Summum Pontificem pertinere potest, in cap. 7

(1) Tom. 1 de Relig., tract. 1, l. 1, cap. 14, n. 10.

hujus libri tractata est. Quoad cæteros vero intelligi potest vel de singulis personis, vel de toto clero, seu statu clericali. De singulis ergo personis traditur expresse ab Innocentio III, in c. «Si diligenti», de Foro compet., redditque rationem his verbis: «Cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.» Unde concludit talem renunciationem etiam juramento firmatam validam non esse, nec tale juramentum obligare, quia est contra bonos mores. Talis enim renunciatio est injusta et sacrilega, quia est injuriosa statui clericali. Atque hoc jus ante Innocentium traditum erat, ut ipse notat, in Concilio Carthaginensi III, c. 9, cap. «Placuit», 2, 11, q. 1, ubi peculiari pœna puniuntur clerici huic privilegio renunciantes, tam in criminali quam in civili causa. Idemque de privilegio canonis statuitur in cap. «Contingit», 1, de Sentent. excom. Ex quibus juribus colligitur notanda differentia inter hoc privilegium et alia, quæ in favorem privatorum conceduntur; nam hæc, quæ privata jura dicuntur, non habent vim legis et præcepti respectu eorum quibus conceduntur, sed potius sunt quasi permissiones, seu dispensationes, seu favores quibus uti possint, si velint. Hoc vero privilegium, quia continet publicum jus, habet vim præcepti, non solum respectu aliorum, sed etiam respectu privilegiatorum, quia non solum eis tribuit favorem, sed etiam præcipit ut illo utantur, seu prohibet ne illud renuncient; aliis autem jubet ne illud violent, etiam si clerici consentiant.

2. Unde quoad utramque partem, per hoc jus canonicum, non solum revocatum, sed etiam emendatum est jus civile Justiniani, in l. «Si quis in conscribendo», C. de Episc. et cleric., in qua statuebatur, «si clericus promiserit non uti suo privilegio fori, non posse adversus sua pacta venire»; et in simili l. «Si quis», Cod. de Pactis, ubi præcipitur judicibus laicis ut eam legem observari faciant. Et ratio in utroque loco redditur, «quia est regula juris antiqui, omnes licentiam habere, his quæ

pro se introducta sunt renunciare.» Verumtamen lex illa semper nulla fuit, et in ea condenda graviter excessit imperator (fortasse per ignorantiam) tum quia disposuit in materia non sua, et circa personas sibi non subjectas; tum etiam quia nititur falso fundamento, quia vel non intellexit vim et naturam hujus privilegii, quod non propter privata commoda personalia, sed propter commune bonum religionis principaliter institutum est; vel si hoc intellexit, male applicavit juris antiqui generalem regulam, nam illa intelligenda est de iis quæ pro privato uniuscujusque commodo introducta sunt, ut recte Pontifex intellexit, ad quem, et non ad imperatorem pertinet, quale sit privilegium clericale, et quomodo a clericis observandum sit, declarare.

3. *An de licentia Episcopi possit quilibet clericus huic privilegio renunciare.—Ratio dubitandi.*—Sed quæri non immerito potest an de licentia Episcopi possit quilibet clericus huic privilegio renunciare. Et ratio dubitandi est, quia multa jura antiqua prohibentia ne clerici in judicio sistant sæculari, addunt hanc limitationem, «sine licentia, vel sine permissu Episcopi», ut patet in epist. 2 Marcellini Papæ, et ex Concilio Agathens., c. 32; Aurel. III, can. 31, et habetur in c. «Clericum», 1, 2 et 3, 11, quæst. 1; Venetico, sub Leone I, c. 9; Epaunensi, can. 11. Denique idem sumitur ex c. 2 de Foro compet., ubi dicitur: «Nullus judicum», etc., «sine permissu Pontificis, clericum per se distringere aut condemnare præsumat»; ergo hæc omnia jura significant, de licentia Episcopi posse et clericum renunciare juri suo, et laicum illum judicare.

4. *Vera resolutio.—Ratio hujus resolutionis.*—Nihilominus dicendum est, quoad propriam fori renunciationem, non posse Episcopum talem licentiam concedere. Ita docet Glossa, in c. «Qualiter et quando», de Judiciis, verb. «Prohibemus.» Item Glossa, in cap. «Significasti», de Foro compet., verb. «Clerici», in fine; et colligitur ex illo textu ibi: «Clerici in judicem non suum (nisi forte sit persona ecclesiastica, et Episcopi diœcesa-

ni voluntas accedat) consentire non possunt.» Duas ergo conditiones requirit ibi Gregorius IX ad talem consensum, vel renunciationem; ergo si desit prima conditio, et judex sit laicus, non sufficit Episcopi licentia. Et ita etiam sentiunt Panormitan. et alii expositores his locis; Glossa item et Doctores, in cap. 2 de Foro compet. Ratio vero est, primo, quia non solum inferior clericus, sed etiam quilibet particularis Episcopus est privata persona respectu totius ecclesiastici status, et ideo non potest ipsemet Episcopus respectu suæ personæ renunciare juri suo, et judicio sæculari se committere; ergo nec potest dare suis clericis licentiam ut id faciant; nam est eadem ratio; per utrumque enim fit contra privilegium in favorem totius status concessum.

5. *Secunda ratio.—Tertia.*—Secundo id amplius declaratur, quia hoc jus, ut dixi, non tantum est privilegium concedens, sed etiam est prohibens seu præcipiens, et est jus superioris generale et gravissimum; ergo non potest inferior, qualis est quilibet privatus Episcopus, in eo dispensare. Tertio, in privilegio canonis non potest Episcopus licentiam concedere clerico ut permittat se ab alio verberari, nec potest facere quin laicus verberans etiam de licentia sua excommunicationem incurrat, ut recte dixit Glossa, in d. c. «Significasti», et colligitur ex cap. «Universitatis», de Sent. excom.; ergo nec potest clerico dare licentiam ut renunciet privilegio fori, nec judici sæculari permittere ut tali renunciatione utatur. Dixi autem hoc intelligi quoad propriam fori renunciationem, ut adverterem, in tributorum solutione posse admitti aliquem modum exceptionis. Quanquam si attente res consideretur, proprie non est exceptio, tum quia secundum novum jus cap. «Adversus», de Immunit. eccl,, etiam in tributorum solutione non sufficit licentia Episcopi, sed consulendus est Papa; tum etiam quia, licet in casu instantis necessitatis videatur admittenda exceptio per epiikeiam, nihilominus attento modo et ratione contributionis, non est propria exceptio, quia illa contributio non fit nec permit-

titur tanquam debita in ratione tributi, id est, in signum subjectionis, vel ex vi legis civilis, sed quia ex charitate, vel ex legali justitia, vel alio modo ex vi rationis, ipsimet Prælati Ecclesiæ judicant expedire ut a clericis fiat, ut supra declaratum est. Unde non est renunciatio, sed veluti naturalis juris prudens interpretatio.

6. *Solvuntur jura in contrarium objecta.—Glossæ responsio. —Alia Glossa.—Vera responsio.*—Ad jura vero antiqua in contrarium allegata vario modo respondent Glossæ. Quædam enim, in dicto c. «Significasti», dicit, in illis textibus supplendam esse particulam «maxime», ita ut sensus sit, semper esse illicitum clerico renunciare huic privilegio, maxime vero, id est, majori culpa, sine licentia Episcopi, quia peculiarem illi facit injuriam. Sed, ut juristæ aiunt, misera est interpretatio, quæ fit addendo legi verba in illa non contenta. Præsertim quia aliquando illi canones ita loquuntur, ut non nisi violenter, et destruendo sensum particula illa addi posse videatur; ut in Concilio Epaunensi, verba sunt: «Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire publicum judicium non præsumant», etc.; certe ex vi horum verborum, qui ex ordinatione Episcopi id faceret, legem illam non violaret; et evidentiora sunt verba Concilii Venetici; «Clerici nisi ex permissu Episcopi», etc.; ibi enim particula «maxime» accommodari non potest. Alia igitur glossa in dicto cap. 2, de Foro compet., respondet uno verbo: «Hic vacat argumentum a contrario sensu», id est, illi canones specialiter prohibent ne talis renunciatio fiat sine licentia Episcopi, non tamen propterea concedunt ut cum illa fieri possit; nam hoc est argumentum a contrario sensu, quod argumentum non est efficax, quando aliis juribus repugnat. Estque probabilis responsio, sed dura satis, et quasi violenta, si verba tot canonum simpliciter expendantur. Et similes sunt aliæ solutiones, quas multiplicat Panorm., in dicto cap., n. 12. Mihi ergo verior et simplicior videtur responsio Glossæ, in d. cap. «Clericus», 1, dicentis: «Hodie nec cum consensu Episcopi potest»,

quibus verbis significat, olim secundum jus antiquum id licuisse, nunc vero non licere. Et idem sensit Glossa, in dicto cap. «Qualiter et quando», de Judiciis, dicens hoc non licere, «licet jura antiqua contrarium innuere videantur.»

7. *Ad cap.* 2 de Foro comp. — *Episcopus jurisdictionem in clericum laico nullis ordinibus insignito committere nequit.* — Ad cap. autem 2 de Foro comp., quod magis modernum est, non videtur illa responsio accommodari posse, et ideo considero, canonem illum non loqui ad clericos, prohibendo ut non renuncient foro, sed loqui ad judices sæculares, prohibendo sub censura ipso facto, «ne clericos per se distringere aut condemnare præsumant.» Et respectu illorum recte additur particula, «sine permissu Episcopi,» quia interdum possunt de licentia Episcopi distringere clericos, quia verbum «distringere» in rigore non significat judicare, aut jurisdictionem exercere, sed coactionem aliquam aut pœnam exequi, capiendo, incarcerando, et torquendo; hæc autem et similia possunt interdum facere judices sæculares jussu Episcopi, juxta cap. «Ut famæ,» de Sentent. excommun., quia, ut ibi dicitur, tunc sæcularis judex non sua auctoritate, sed Episcopi illa exequitur, et quia sæpe Prælati indigent potentia et auctoritate talium ministrorum. Addi etiam potest alia ratio, quia si Episcopus jurisdictionis actum sæculari judici in clericum committat, videtur ei suam jurisdictionem delegare, et judex sæcularis potest præsumere, Episcopum posse talem delegationem facere. Hæc vero posterior ratio tolerari posset, si judex sæcularis alias esset clericus, saltem in minoribus, et committeretur illi causa, jure canonico et ecclesiastico more clericis accommodato tractanda; alias non potest habere locum, quia Episcopus non potest jurisdictionem in clericum puro laico committere, neque etiam laicorum more, et per leges civiles clericum judicari permittere, juxta c. 2 de Judiciis. Ideoque solum respectu Summi Pontificis posset hic intellectus illius textus quoad hanc partem habere locum. Neque est contemnenda expositio, quæ textum

illum ad Summum Pontificem restringit; non enim dicit sine permissu Episcopi, sed sine permissu Pontificis, quæ vox solet, per antonomasiam, pro Summo Pontifice sumi, præsertim quando per litteram majusculam P scribitur, ut ibi habetur in collect. 1 Antonii August., cap. 3 illius tituli.

8. *De licentia Pontificis potest clericus huic privilegio renunciare.* — Unde manifestum est posse quemlibet clericum de licentia Pontificis Summi huic privilegio renunciare, prout in illo textu tradunt Panormitan. ibi, numer. 12, inducens textum illum in eodem sensu, et Glossam in dicto cap. «Clericum,» 2, quæst. 3, verb. «Sæcularem.» Indeque argumentum sumit, quia Papa potest delegare laico causam spiritualem, juxta cap. «Illud,» 10, quæst. 3, et de purgatione Episcopi in causa criminali idem sumitur ex cap. «Mennam,» 2, quæst. 5. Et ratio est, quia Summus Pontifex habet potestatem dispensandi in quolibet jure canonico etiam præcipiente, et determinare, vel ex parte mutare privilegium jure divino concessum, quod respectu Pontificis non includit præceptum, ut nunquam mutetur. Item quia Pontifex potest suam jurisdictionem committere laico, præsertim in causis temporalibus, etiam si ad personas clericorum pertineant. Hoc tamen rarissime facit Pontifex, quia per se non decet statum clericalem. Unde etiam constat, necessariam esse causam et satis gravem, ut Papa facultatem hanc recte et legitime concedat; nam ad omnem dispensationem communis juris, ut licet fiat, necessaria est causa; ergo multo magis in hoc jure, quod gravissimum est, et statum ipsum clericalem universe respicit, et ad jus divinum pertinet, vel illi est conjunctissimum.

9. Advertendum autem est, duobus modis posse facultatem hanc a Pontifice concedi. Primo, per se ac directe ipsi clerico intuitu suæ personæ, et in favorem ejus, et tunc datur proprie facultas ad renunciandum privilegio, ideoque non datur potestas judici sæculari ad cogendum clericum, sed licentia ad judicandum causam ejus, si ipse illi se submittere voluerit. Et

hac ex parte minor fit derogatio privilegii, ac subinde minor etiam causa sufficiet ex hoc capite, ut facultas hæc licite concedatur; ex alia vero parte difficilius honestari potest, præsertim in causis criminalibus, quia solum potest ad privatum et personale commodum ordinari, et ideo vix potest sufficientem habere causam, ideoque raro, ut opinor, talis facultas conceditur. Alio modo fit hæc concessio directe judici, seu principi sæculari, dando illi potestatem et jurisdictionem, ejus intuitu, et in favorem ejus. Et tunc magis quidem derogatur privilegio, quia tunc non solum volentem, sed etiam invitum clericum potest judex sæcularis cogere et judicare, ideoque gravior requiritur causa. Ideoque frequentius fit vel in singularibus occasionibus occurrentibus, vel in aliquibus privilegiis circa aliqua graviora crimina, ut læsæ majestatis, quia tales concessiones ad commune bonum, et pacem reipublicæ ordinantur, vel ad defensionem et congruentem favorem aliquorum principum, quæ quidem causæ frequentius occurrunt. Hic autem posterior modus concessionis non pertinet ad renunciationem privilegii, cum in illo voluntas privilegiati non concurrat, sed pertinet ad ablationem privilegii in aliquo casu, vel causa, quæ, ut superiori capite dixi, fieri potest a Pontifice in pœnam vel odium alicujus culpæ, et secundum potentiam ordinariam aliter non fit, quia vix potest alia causa necessaria vel sufficiens occurrere.

10. *Ratio dubitandi.*—Tandem quæri potest circa hanc assertionem, an communitas aliqua ecclesiastica, vel saltem totus ecclesiasticus status possit huic privilegio renunciare. Et ratio dubitandi esse potest, quia tunc cessat ratio textus in dicto cap. «Si diligenti,» et procedit regula generalis, quod unusquisque potest renunciare juri sibi concesso. Hæc enim regula generaliter, et sine limitatione procedit in quacumque persona vera, vel ficta, cui per se primo, et quasi adæquate privilegium concessum est, ut ex materia de legibus suppono. Hoc autem privilegium concessum est statui clericali, ut dicitur in dicto c. «Si diligenti;» ergo totum corpus cleri per modum unius per-

sonæ poterit huic privilegio renunciare. Hæc autem ratio imprimis non procedit de quacumque privata communitate ecclesiastica, sive sit unius Ecclesiæ, sive unius diœcesis, sive unius metropolis, sive unius provinciæ aut regni, quia nulla istarum communitatum est subjectum adæquatum (ut sic dicam) istius privilegii, sed ad totum corpus cleri tanquam pars, ac proinde tanquam particularis persona in suo ordine comparatur. De quacumque igitur hujusmodi communitate certum est, non posse huic privilegio renunciare, quia in ea procedit ratio cap. «Si diligenti,» et consequenter etiam decisio.

11. De toto vero corpore status clericalis procedit difficultas posita, quæ ad quæstionem hanc reducenda videtur, an Concilium generale possit huic privilegio renunciare, quia non videtur posse morali modo cogitari alia via, qua possit universus Ecclesiæ clerus ad consentiendum in hujusmodi renunciatione congregari aut convenire. De Concilio ergo generali dico breviter duo. Unum est, Concilium generale sine Pontifice, id est, sine illius facultate et approbatione non posse privilegio renunciare. Hoc certum est multis de causis. Primo, quia Concilium generale nihil potest facere sine approbatione Pontificis, cujus auctoritate congregari debet et continuari. Quod si contingat, Sede Apostolica vacante, congregari Concilium (quod fieri non debet, nisi quando ratione schismatis non possit electio veri ac certi Pontificis aliter fieri), tale Concilium non potest aliquid de statu universalis Ecclesiæ immutare, et ideo multo minus posset huic privilegio renunciare, ideoque talis renunciatio non solum a futuro Pontifice facile revocari posset, sed etiam a principio esset invalida tanquam sine potestate facta.

12. Secundo, quia talis renunciatio est contraria juri Pontificis duplici modo. Nam et est contra jus canonicum latum vel approbatum a Pontificibus, cui nullum Concilium sine Papa potest derogare. Et præterea est contra jurisdictionem Papæ; privaretur enim per talem renunciationem illa singulari et su-

prema directa jurisdictione, quam super totum clerum etiam in causis temporalibus habet. Tertia et optima consideratio, quæ rationem dubitandi solvit, est, quia hoc privilegium est concessum statui clericali ab ipso Christo, non absolute ratione talis communitatis, sed quatenus est specialis familia Christi filii Dei naturalis, ut supra visum est. Estque omnino verum, sive hæc exemptio dicatur esse immediate de jure divino, sive mediante jure canonico; nam utrumque jus, imo etiam jus civile hoc præcipue in toto collegio ecclesiastico consideravit, ut privilegium hoc ei concederet, atque ita magis in Christi Dei honorem, quam in ipsorum hominum commodum hoc jus introductum est. Propterea enim dixit imperator, in l. «Sancimus,» Cod. de Sacrosanct. Eccles.: «Cur non facimus discrimen inter res divinas et humanas? et quare non competens prærogativa cœlesti favori conservetur?» Et in l. «Generaliter,» Cod. de Episcop, et Cleric.: «Propter hoc eis beneficium indulgemus, ut, omnibus aliis derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.» Quia ergo totum Collegium ecclesiasticum, seu Concilium generale non potest juribus ipsiusmet Christi derogare, neque illa, quæ in Dei cultum et honorem inducta sunt, tollere, ideo non potest huic privilegio renunciare. Sicut etiam inter homines non posset familia principis, Cardinalis aut Episcopi renunciare, sine consensu ejus, privilegio, in peculiarem honorem vel decentiam domini ipsi familiæ concesso.

13. *Concilium generale etiam cum Pontifice huic privilegio renunciare minime potest.*—Atque hinc ulterius addimus, etiam Concilium cum Pontifice, id est, cum ejus consensu et approbatione, non posse huic privilegio renunciare. Hoc mihi satis probat ratio proxime facta, quia privilegium familiæ Christi, qua talis est, a nemine potest sine consensu ipsiusmet Christi renunciari. Neque satisfaciet qui dixerit, consentiente Papa, consentire Christum per Vicarium suum, quia non est verisimile potestatem Papæ extendi ad hujusmodi consensum loco Christi præstandum, quia non est data ei potestas in destruc-

tionem, sed in ædificationem; talis autem renunciatio prorsus in destructionem esset. Unde confirmatur: nam supra dicebamus non posse Papam revocare hoc privilegium, quia non potest habere justam causam vel rationem, et quia esset contra præceptum divinum, saltem in generali, et ideo semper esset in destructionem; ergo neque cum Concilio potest facere validam talem renunciationem, neque interpretari, Christum in eam consentire; nam eadem est ratio, et quoad effectum eodem revolvitur, et quia consensus ipsius cleri parum in hoc operari potest, cum ad Christi honorem et Dei cultum præcipue intendatur. Ac denique quia quod potest in Ecclesia facere Papa cum Concilio generali, potest etiam facere se solo, quia non est minoris potestatis; ergo si non potest solus e medio tollere hoc privilegium per modum abrogationis, neque etiam cum Concilio potest illud tollere per modum renunciationis. Hoc autem de integra seu totali renunciatione intelligendum est; nam in aliqua particulari causa vel materia, consentiente Pontifice, fieri posset, quia potest ad hoc interdum sufficiens ratio et causa intervenire. Ideo namque etiam diximus posse hoc privilegium restringi, aut in particulari minui per solius Pontificis potestatem; facilius ergo fieri poterit per modum renunciationis, quando pars ipsa, quæ lædi videtur, juri suo cedit; imo propter hoc verisimile est tunc minorem causam posse sufficere.

CAPUT XXXII

Utrum privilegium clericorum consuetudine amitti vel minui possit

1. *Probatur primo assertio de non usu.* — Respondeo exemptionem clericorum nulla consuetudine amitti vel diminui posse. Ut difficultatem hujus assertionis attingamus, distinguenda est

propria consuetudo privilegio contraria, a non usu privilegii; utrumque enim solet sub consuetudine late sumpta comprehendi. In præsenti autem certum est, hoc privilegium non amitti vel diminui per purum non usum, qui contrarium usum non includat. Probatur, quia privilegium non amittitur per non usum, nisi in vi tacitæ renunciationis, vel ratione præscriptionis alterius contra privilegiatum; sed neuter modus hic habet locum. De priori probatur ex dictis, quia in hoc privilegio non habet locum expressa renunciatio; ergo multo minus tacita; ergo non usus nihil operari potest contra hoc privilegium in vi tacitæ renunciationis. Altera pars probatur, quia si non usus sit mere negativus, sine aliquo usu contrario juri alterius partis, cui privilegium videtur præjudicium afferre, non potest induci præscriptio, ut in tractatu de Legibus probavi (1) quia est contra rationem, et definitionem præscriptionis; ergo neque hoc modo potest in præsenti sufficere non usus sine contrario usu. Eo vel maxime quod statim generaliter ostendemus, nullam præscriptionem humanam contra hoc privilegium prævalere posse.

2. Assertio ergo etiam de propria consuetudine huic privilegio contraria intelligenda est. Et ita est communiter recepta per Canonistas, in cap. «Clerici», de Judiciis, ubi Abbas, n. 5; Decius, n. 14; Ripa, in c. «Decernimus», de Judic., n. 15; Probus, in c. 2, de Probat., ubi assertionem ad immemorialem consuetudinem extendit. Tradit etiam Rota, tit. de Consuet. in Antiquit., decis. 3 et 10, alias 123 et 840. Idem Barth., in l. «De quibus», ff. de Legibus, n. 5; Rochus Curtius, in c. ult. de Consuet.; et Gregorius Lopez, in l. 2, tit. 2, part. 1, n. 6; Navarr., in c. «Cum contingat», de Rescrip., Remed. 1; et Stephanus Aufreri., in tract. de Potest. civ. supra eccles., reg. 1 et 2. Addit vero ibi plures limitationes seu exceptiones,

(1) Lib. 8, c. 34.

quas omitto, quia nullam propriam exceptionem censeo esse admittendam, ut ex discursu hujus capitis et ultimi constabit.

3. *Probatur secundo de propria consuetudine.* — Probatur autem assertio ex dicto cap. «Clerici», de Judiciis, ubi dicitur, cum canones generaliter tradant, «ut de omni crimine clericus debeat coram ecclesiastico judice conveniri, non debet in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine præjudicium generari.» Ubi, licet videatur sermo esse tantum de privilegio fori in criminalibus, nihilominus ab omnibus de tota immunitate ecclesiastica intelligitur, tum quia ratio textus in quacumque materia hujus exemptionis æque procedit, ut Panormitanus et Decius notarunt; tum etiam quia alii canones absolute de libertate ecclesiastica loquuntur, ut c. «Cum terra», de Elect., ubi damnatur quædam consuetudo, «quia in gravamen et perniciem ecclesiasticæ libertatis redundabat.» Idemque sumi potest ex cap. «Ad nostram», et c. «Cum inter», de Consuetud.; et notat Glossa ultim., in dicto c. «Clerici.» Denique aperte probatur assertio ex Authent. «Cassa», Cod. de Sacros. Eccles., ubi omnis consuetudo contra libertatem ecclesiasticam cassa et irrita denunciatur, quæ Authentica sumpta est ex constitutione Friderici, quam tanquam «in æternum valituram» Honorius III confirmavit. Unde idem Honorius, in cap. «Noverit», de Sent. excom., excommunicat omnes qui consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem servari fecerint.

4. *Prima ratio.* — Ratio autem hujus assertionis imprimis reddi potest ex illo fundamento, quod hæc exemptio est de jure divino, contra quod non potest consuetudo humana prævalere. Quia vel illud divinum jus est naturale, et sic consuetudo illi contraria est iniqua, utpote rationi contraria, et ideo non potest jus inducere vel auferre, juxta c. ult. de Consuetud. Si autem jus illud est divinum positivum, non possunt voluntates humanæ, vel actiones earum, quantocumque tempore vel numero multiplicentur, contra Christi voluntatem prævalere, aut quod ipsa statuit minuere. Sed, licet hæc ratio vera sit, non

est illi soli insistendum, tum ut ex variis capitibus magis fiat certa et indubitata probatio; tum etiam quia citati canones aliam rationem indicant, quæ in dicto cap. «Ad nostram», his verbis explicatur: «Attendentes, quod consuetudo, quæ canonicis obviat institutis, nullius debeat esse momenti», etc. Eademque insinuatur in dicto c. «Clerici», cum in ejus principio præmittitur, «in canonibus generaliter tradi», etc.

5. *Secunda ratio.—An consuetudo contra jus canonicum prævalere valeat.—Ratio dubii.—Confirmatio.*— Est ergo secunda ratio principalis, quia talis consuetudo est juri canonico valde contraria, et ideo non potest contra illud prævalere, quia inferior non potest jus superioris abrogare. Statim vero insurgit difficultas, quia consuetudo potens est ad derogandum juri humano, ut est constans in materia de legibus; sed canones tantum constituunt jus humanum; ergo non satis est consuetudinem hanc esse contra canones, ut non possit contra canones prævalere, et jus per illos inductum auferre. Nam si in aliis materiis jure canonico prohibitis id potest facere consuetudo, cur non in ista? Et confirmatur, quia consuetudo sufficit ad obtinendam jurisdictionem, et consequenter etiam ad amittendam vel ad inducendam etiam subjectionem, quia hæc inter se cohærent; ergo hoc modo poterit etiam in præsenti hæc consuetudo tollere vel minuere exemptionem clericorum.

6. *Præmittuntur duo modi quibus potest aliqua lex consuetudine abrogari.*—Ad explicandam ergo vim hujus rationis, oportet ex materia de legibus supponere, duos esse modos, quibus legi humanæ vel privilegio potest per contrariam consuetudinem derogari, scilicet, vel per modum abrogationis, seu retractationis legis, vel per modum præscriptionis contra legem, vel contra jus per illam concessum. Inter quos modos variæ constitui solent differentiæ; duæ vero sunt quæ præsenti instituto deserviunt. Una est, quod derogatio per modum revocationis legis inchoari potest, et paulatim fieri per actus malos, et mala fide contra legem factos; præscriptio autem requirit bonam fidem,

ut est notum, præsertim secundum jus canonicum. Altera differentia est, quod derogatio legis, quando priori modo per consuetudinem fit, innititur voluntati legislatoris, quam, vel tacite, vel expresse consentiendo consuetudini, mutat, et suam legem revocat; quando vero derogatio fit per modum præscriptionis, non fundatur in peculiari voluntate legislatoris, neque expressa, neque tacita, sed in aliquo alio jure positivo, quo talis præscriptio concessa est ut late in lib. 7 de Legibus declaratum est.

7. *Dubii enodatio.* — Prius ergo probatur assertio de priori genere derogationis, variis modis. Primo, ex hac secunda differentia, seu conditione requisita, ut consuetudo deroget legi. Nam in præsenti materia necessarius est consensus Pontificis; sed ipsemet Pontifex non potest voluntate sua huic privilegio derogare sine alia causa, ut supra ostensum est; ergo multo minus id poterit facere consuetudo, accipiendo vim et efficaciam a voluntate Pontificis, quia talis voluntas nec præsumi potest, nec si daretur, sufficeret. At hæc ratio habet quidem vim quoad abrogationem totius privilegii, etiamsi non fiat pro tota Ecclesia, sed in aliqua provincia aut diœcesi, in qua talis consuetudo cogitetur, quia revera etiam similis abrogatio totius immunitatis in aliquo loco Ecclesiæ esset valde injuriosa toti statui clericali, et scandalosa Ecclesiæ, et non posset esse in ædificationem, sed in destructionem, et ideo verisimillimum est etiam hoc modo non posse a Pontifice fieri, certiusque credimus non permissurum Deum ut id faciat Pontifex.

8. Addimus vero, licet fingatur casus in quo, ad vitanda majora mala, hoc possit Pontifex in aliqua provincia permittere, nihilominus nunquam posse per solam consuetudinem id fieri, quia talis consuetudo de se valde irrationabilis est, et multum derogans juri divino, et nunquam potest præsumi, tacitam voluntatem Pontificis illi assistere, quia in re tam ardua, et quæ vix, aut ne vix quidem potest honestari, non potest præsumi consensus Pontificis, nisi præcedente causæ cognitione, magna-

que deliberatione, et ideo necessarius semper erit expressus consensus, et tunc ratione illius fiet abrogatio pro tali loco, non ratione consuetudinis. Verumtamen non ita urget hæc ratio in derogatione immunitatis partiali, seu in aliqua parte materiæ, ut in aliquo actu jurisdictionis, vel in aliquo tributo, etc., quia hæc derogatio fieri potest interdum per Pontificis privilegium, quod est privata lex; quidquid autem fieri potest per legem humanam, introduci consuetudine potest, et ubi voluntas expressa potest esse honesta et efficax, etiam tacita esse poterit.

9. *Etiam quoad partem per consuetudinem hæc immunitas abrogari nequit.* — Nihilominus tamen assertio posita etiam de propria derogatione in particulari materia procedit; nam in hoc sensu sine dubio loquuntur jura et Doctores, et ideo in hoc aliæ rationes reddendæ sunt. Una est, quia jus canonicum propter rei gravitatem, et majorem immunitatis incolumitatem, non solum prohibet quemlibet actum illi contrarium, sed etiam abrogat omnem consuetudinem libertati ecclesiasticæ contrariam, ut constat ex citatis decretis, et ex multis aliis sub titulis de immunitate Ecclesiarum. Quoties autem lex non solum prohibet actum, sed etiam abrogat consuetudinem, non potest per consuetudinem derogari, quia lex ipsa prævenit (ut sic dicam), et vires abstulit consuetudini ad derogandum se; alias inutilis esset illa clausula, quod dicendum non est, cum sæpissime addatur in legibus, tam civilibus quam canonicis, non solum de præterita consuetudine, sed etiam de futura. Propter quam rationem videtur esse illud principium communiter receptum in materia de legibus.

10. *Objectio.*—Sed fieri potest communis replica, quia illa-met lex abrogans futuram consuetudinem contrariam, est humana; ergo potest per posteriorem consuetudinem abrogari, sicut potest per aliam posteriorem legem scriptam tolli; nam voluntas principis mutabilis est, et ideo sicut per expressam, ita et per tacitam posteriorem voluntatem mutari potest. Neque

propterea erit illa clausula supervacanea, quia saltem operabitur, ut consuetudo non possit prævalere contra talem legem, sine certa scientia et patientia principis, nihilominus tamen valere poterit illa interveniente, quia illa scientia et patientia principis mutationem voluntatis ejus indicat. Ergo in præsenti etiam materia poterit consuetudo prævalere contra canones, non obstante illa clausula.

11. *Responsio.* — Respondemus imprimis, admissa illa generali doctrina, objectionem tantum procedere de possibili; de facto vero non recte applicari, quia certissimum est nunquam intervenire in hac materia tacitum consensum Apostolicæ Sedis cujus auctoritate talis consuetudo jure communi prohibita est. Assumptum probatur, quia semper Apostolica Sedes per sententias, vel per expressa edicta his consuetudinibus contra libertatem ecclesiasticam resistit, et specialiter in Bulla Cœnæ singulis annis eas revocat, vel potius irritas declarat; ergo nunquam potest præsumi tacitus consensus Pontificis. Nam, licet fortasse interdum non ignoret multa per consuetudinem fieri in aliquibus locis contra libertatem ecclesiasticam, quæ non punit, sed quodammodo tolerat, non ideo est quia consentiat sed quia sine periculo majoris mali non potest efficacius resistere, et ideo non consentit, sed permittit.

12. Accedit præterea alia ratio, quia jus canonicum non solum prohibet consuetudines contra exemptionem ecclesiasticam, sed etiam reprobat illas, quod majus est. Nam potest lex prohibere consuetudinem, non quia per se irrationabilis sit, sed quia propter alias rationes expedit illam non permittere, et tunc dici potest consuetudo irrationabilis quia prohibita, non autem prohibita quia irrationabilis; aliquando vero lex prohibit consuetudinem, quia supponit illam esse irrationabilem, quia censetur facere, quoties prohibendo consuetudinem, declarat esse irrationabilem, addendo, «esse corruptelam», vel «contra nervum disciplinæ», aut esse «abusum», vel quid simile, constat ex toto titulo de consuetudine. Hoc ergo posteri

modo prohibet jus canonicum consuetudines contra libertatem ecclesiasticam, ut omnes sumunt ex c. 1 de Consuet., ubi Gregorius ait: «Consuetudines, quæ Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere», id est, non permittere, seu dissolvere aut irritare, utique tanquam irrationabiles, hoc enim indicat verbum «decet», quia illas tolerare esset indecens. Et c. «Ad nostram», eodem tit., dicitur talis consuetudo «minus rationabilis, et canonicis obvians institutis», et proinde nullam habere firmitatem. Item leges omnes contrariæ immunitati ecclesiasticæ tanquam irritationabiles reprobantur, ut constat ex pluribus decretis de immunit. Ecclesiar.; eadem autem ratio est de consuetudine; nam æquiparatur legi. At vero juxta doctrinam receptam consuetudo reprobata per legem nunquam potest contra legem prævalere (1). Quia ut consuetudo legi deroget, rationabilis esse debet, juxta cap. ult. de Consuet.; omnis autem consuetudo, quam lex præsertim canonica ut irrationabilem reprobat, vere irrationabilis habenda est, quia juris declaratio authentica est; ergo.

13. Sed in hac ratione, quæ in hac materia ex præcipuis est, occurrit difficultas, quia, licet respectu consuetudinis totam exemptionem abrogantis efficacissima sit, quia talis consuetudo statim per se fert absurditatem et indecentiam, propter quam diximus, etiam per legem scriptam talem abrogationem fieri non posse, nihilominus non videtur universe procedere de omni consuetudine particulari in una materia vel causa, hæc enim non semper irrationabilis est. Quod probatur, quia per legem scriptam sæpe fieri potest juste et prudenter talis derogatio; ergo signum est derogationem ipsam non esse irrationabilem; ergo nec consuetudo illam introducens erit irrationabilis, quia, ex ipsa materia et singulis actibus, habet consuetudo quod ra-

(1) Vide Bart., in l. «De qui», ff. de Leg., n. 4; Antonium, in c. Cum ex officiis», de Præscr., n. 3; Rochum, in c. ult., de Consuet., num. 521, qui alios refert.

tionabilis vel irrationabilis sit. Unde tali consuetudini non po terit obesse jus positivum declarans seu reprobans consuetudi nem contrariam libertati ecclesiasticæ ut irrationalem, qui illud jus non facit consuetudinem esse irrationabilem, sed sup ponit talem esse, et ideo illam reprobat, ut diximus; ergo no cadit nisi in eam consuetudinem, quæ revera omni ratione des tituitur. Unde fieri potest ut aliqua consuetudo, quæ in un tempore irrationabilis est, in alio, mutatis rebus, ratione suffi cienti honestari possit. Et similiter consuetudo aliqua, quæ res pectu Ecclesiæ regulariter irrationabilis est, in aliqua provinci potest habere peculiarem et sufficientem rationem; ergo pr tali tempore vel pro tali loco non censebitur talis consuetud reprobata per legem, absolute et generatim loquentem; erg idem contingere potest in hac materia exemptionis. Atque it sentire videntur multi auctores approbantes et defendentes ali quas consuetudines contrarias immunitati, præsertim Covar., i Practic., quæst. 31; et Julius Clar., lib. 5, § ult., q. 36, n. 3 Joannes Garsia, de Nobilit., gloss. 9, n. 44 et sequentibus, e multi alii, qui in hanc partem potissime inclinant, ut particula res quasdam consuetudines diversorum regnorum tueantur.

14. *Auctoris sententia.* — Nihilominus dicendum censeo omnem consuetudinem, sive generalem, sive particularem, con trariam libertati ecclesiasticæ, esse irrationabilem et in jur reprobatam, ac subinde non posse privilegio immunitatis ali qua ex parte derogare. Hæc est sententia communiter recept a Theologis et jurisperitis in locis allegatis, et aperte colligitu ex decretis citatis (1). Non enim loquuntur de consuetudin abrogante totam immunitatem clericorum, vel in tota materi ejus, vel in omnibus criminibus, vel omnibus causis civili bus, vel alia simili magna parte exemptionis, quia nunquam tales consuetudines fuerunt in regnis catholicis a multis annis

(1) Refert late Azor, tom. 1, l 5, c. 12, q. 12, q. 1, § «Sed dubitar posset »

ntroductæ, vel etiam intentatæ, neque hoc auctores canonum gnorabant. Loquuntur ergo de particularibus, ut attente legenti textus ipsos constabit. Et specialiter notari potest lectio ntegra dicti cap. «Clerici», sic enim habet: «Clerici maxime in criminalibus causis in nullo casu possunt ab aliquo, quam ab ecclesiastico judice condemnari, etiam si consuetudo regia habeat, ut fures a judicibus sæcularibus judicentur (1).» Ubi constat particularem consuetudinem non potuisse universali privilegio ex parte derogare; eadem autem est ratio de aliis similibus, quia etiam in illa particulari consuetudine posset ratio aliqua honestatis considerari. Et hoc maxime confirmant variæ prohibitiones, quæ in Bulla Cœnæ quotannis fiunt omnium fere actuum, per quos hujusmodi particulares consuetudines introduci possunt, et renovantur jura tales actus et consuetudines reprobantia. Rationem autem hujus veritatis et dictorum jurium, respondendo ad difficultatem positam, reddemus.

15. *Satisfit rationi pro opposita sententia factæ.*—Ad objectionem ergo imprimis responderi posset, juxta aliquorum opinionem, consuetudinem semel per legem reprobatam non posse amplius prævalere, aut rationabilem reputari propter quamcumque materiæ mutationem vel novam circumstantiam successu temporis, aut in diverso loco exortam. Sententia tamen hæc generatim sumpta rigorosa est, et non necessaria. Nihilominus vero in præsenti materia est valde probabilis, tum quia vix potest mutatio esse tanta, ut sit conveniens Ecclesiæ fieri talem exemptionis diminutionem vel derogationem; tum etiam quia licet fortasse in aliquo loco expediat, non inde statim sequitur ibi esse consuetudinem rationabilem; nam cum hoc privilegium toti collegio clericorum concessum sit, fieri potest ut illi non expediat, et ut pars secundum rectam rationem propter

(1) In Collect. Decretal., l. 2, tit. 1, c. 8; et corpore juris canonici iussu Gregorii XIII edito.

bonum totius aliquid incommodi sustinere teneatur. Tum præterea quia hæc materia odiosa est laicis, et ideo est morale periculum ne hujusmodi mutationes, vel novæ rationes ad honestandum talem consuetudinem, sine sufficienti causa excogitentur vel exaggerentur. Imo, ut experientia docet, in omnibus consuetudinibus quas juristæ defendere conantur, revera non inveniuntur novæ rationes, præter eas quæ vel sunt intrinsecæ tali materiæ, vel facile potuerunt a Pontificibus considerari quibus non obstantibus, propter graviores rationes ad bonum religionis, ad vitanda majora incommoda clericatus, pertinentes tales consuetudines irrationabiles judicarunt; ergo nunquam potest aliqua talis consuetudo in particulari rationabilis censeri.

16. Potestque hoc amplius declarari, distinguendo inter derogationem aliquam, seu diminutionem exemptionis, et modum introducendi illam per consuetudinem. Fieri enim potest ut aliqua diminutio exemptionis expediat, et nihilominus modus introducendi illam per solam consuetudinem non expediat, propter moralia pericula quæ modo dicebamus. Sicut interdum expedit, clericos contribuere ad aliquos sumptus communes civium, et nihilominus propter excessus vitandos, statuerunt Pontifices ne ipsis inconsultis id fieret, unde si aliter fiat, non rationabiliter fit, etiam si contributio ipsa rationabilis esse videatur. Sic ergo, licet diminutio exemptionis in aliquo casu vel loco sit rationabilis, consuetudo nihilominus erit irrationabilis, quia modus ille introducendi derogationem privilegii est periculis expositus, et (ut ita dicam) temerarius, meritoque ut talis reprobatus. Unde facile solvitur quædam objectio supra facta ex æquiparatione legis seu privilegii et consuetudinis; fieri enim potest ut superior in aliqua materia possit communi juri per privilegium seu specialem legem derogare, et quod per consuetudinem solam fieri convenienter non possit, quia nimirum, ut derogatio convenienter fiat, major consideratio et deliberatio necessaria est, quam in sola consuetudine

esse soleat. Et propterea in Bulla Cœnæ postulatur in hac materia expressus et specialis consensus Pontificis, quia regulariter datur cum majori causæ cognitione, aut deliberatione, quam tacitus.

17. Ultima ratio pro hac parte addi potest, quia omnis consuetudo, quæ contra immunitatem introduci solet, est consuetudo laicorum, utique principum, vel judicum exercentium actus jurisdictionis in clericos. At consuetudo laicorum, licet possit juri civili derogare, non tamen juri canonico, neque etiam potest clericis aliquod detrimentum inferre; ergo neque potest huic privilegio derogare. Minor certa est, quia non plus potest consuetudo quam lex, cæteris paribus; sed lex civilis non potest derogare juri canonico, nec potest clericis gravamen imponere, vel præjudicium afferre; ergo nec consuetudo laicorum hæc potest. Probatur consequentia, quia consuetudo laicorum est mere civilis, et in sola auctoritate civili et temporali nititur. Unde est communis doctrina jurisperitorum, consuetudinem laicorum non posse clericos obligare, ut videre licet in Innocentio, in Rubric. de Consuetudin., num. 6; et Panormitano, cap. «Quod clerici,» de Foro competent., n. 2; Felin., in cap. «Ecclesia Sanctæ Mariæ,» de Constit., n. 100; Hostiens., in Sum., tit. de Consuetud., § «Et de virtute,» vers. «Sed pone,» et aliis, quos refert Azor, tom. 1, lib. 5, cap. 18, quæst. 12. Qui varia jura allegant, quæ magis loquuntur de lege, vel statuto civili, sed per æquiparationem inducuntur, ut c. 1, distinct. 10, et dictum cap. «Ecclesia,» de Constit.

18. Addunt præterea, hoc maxime procedere, quando talis consuetudo laicorum derogat Ecclesiæ libertati. Quod etiam notavit Bartholus, in l. 1, Cod. de Summa Trinit., et l. 2, Cod. de Leg., et l. «De quibus,» ff. de Leg., et per argumentum ab speciali probari potest ex c. ult., de Vita et honest. Cleric., ubi in speciali casu, in quo clerici abutuntur privilegio exemptionis, et negotiationibus sæcularibus ad lucrandum implicantur, permittit Pontifex, «ut de suis facultatibus, statutis, et

consuetudinibus patriæ subjaceant, cum facto» (inquit) «privilegium abjiciant clericale;» ergo extra hujusmodi casum non potest consuetudo clericos gravare. Imo adverto, etiam in illo casu, necessariam fuisse Pontificiam declarationem et prohibitionem. Considero etiam, quoad hunc effectum, consuetudinem et legem, sive statutum civile, ibi æquiparari.

19. *Objectio.—Prima responsio.—Rejicitur.*—Dices, interdum fieri posse ut consuetudo non tantum laicorum sit, sed etiam clericorum, ut si non coacte, sed voluntarie laicorum consuetudinem observent, eorum adeundo judicia, vel tributa solvendo, vel in aliis similibus cooperando; tunc enim consuetudo erit mista, seu communis laicis et clericis, quæ etiam in ecclesiasticos vim habet. Ad hoc Covarruv., in d. cap. 31, concedit in eo casu consuetudinem, quantum est ex hoc capite, posse derogare ecclesiasticæ libertati, si alioqui rationabilis sit. Sed imprimis existimo, talem consuetudinem vix posse moraliter inveniri, quia, licet unus vel alius clericus interdum voluntarie consentiat hujusmodi violentiis laicorum, rarissime contingit, et nunquam dici potest per modum consuetudinis fieri. Addo vero, etiam si talis consuetudo fingatur, sententiam Covarruviæ falsam esse in hac parte. Primo, quia consensus clericorum nihil potest ibi operari; nam est quædam privata renunciatio privilegii, quæ, ut diximus, nulla est et nullius efficaciæ, ideoque ad introducendam consuetudinem valere non potest, ut recte notavit Felinus supra, cum Paulo de Castro, cons. 59. Secundo, quia tali consensui clericorum nunquam assistit voluntas expressa vel tacita Pontificis, sine qua non potest voluntas clericorum, quantocumque tempore operetur, juri Pontificio derogare; ergo neque illa consuetudo mista potest habere hunc effectum. Antecedens quoad utramque partem in superioribus declaratum et probatum est. Consequentia vero est evidens, quia id, quod additur ex parte clericorum illi consuetudini mistæ, nullum valorem vel efficaciam eidem addere potest. Quocirca, cum dicitur consuetudo mista posse operari in rebus

vel personis ecclesiasticis, intelligendum est de consuetudine, quæ non præjudicat sacris canonibus, vel, si præjudicat, in illam Pontifex consentit, saltem tacite; in præsenti autem materia necessarius esset expressus consensus, ut supra dixi. Tum quia ipsi Pontifices ita voluerunt et declararunt; tum etiam quia in hac materia non potest præsumi tacitus consensus, quia et est valde odiosa Pontificibus, et quia vix posset talis consensus tacitus sine majori cognitione causæ prudenter et licite dari; quoties autem consensus non esset prudens et honestus in principe, non præsumitur.

20. *Contra immunitatem consuetudine præscribi non posse ostenditur. — Prima ratio.—Secunda.*—Quia vero hic consensus necessarius non est in abrogatione legis, quæ fit per modum præscriptionis, ideo probandum superest aliud membrum, quod supra posuimus, nimirum, etiam per viam præscriptionis non posse consuetudinem immunitati ecclesiasticæ præjudicium afferre. Probatur autem primo, quia nulla consuetudine præscribitur, nisi intercedat bona fides, ut nunc suppono; hic autem non potest bona fides intercedere; ergo neque potest præscribi. Probatur minor, quia talis consuetudo irrationabilis est, et jure canonico reprobata, quod adeo notum est, ut non possint principes, vel judices sæculares prætextu ignorantiæ probabilis excusari; ergo semper actus talis consuetudinis sunt illiciti, ac proinde mala fide facti; ergo non possunt præscriptionem inducere. Secundo, quia non potest exemptio aliqua ex parte diminui, nisi acquiratur judici laico jurisdictio aliqua in clericum, quam antea non habebat; quia, sicut exemptio est liberatio a jurisdictione, et consequenter est diminutio jurisdictionis in alio, ita e converso non potest exemptio diminui ex parte clerici, quin ex parte magistratus sæcularis jurisdictio augeatur. Sed laici non possunt sola præscriptione jurisdictionem supra clericos acquirere; ergo nec clerici possunt propter præscriptionem laicorum aliquid de suo privilegio amittere. Minor probatur primo, ex communi sententia juristarum, dicentium laicos

non posse præscribere spiritualia, vel quæ spiritualia concer nunt, quatenus illis annexa sunt, ut non potest laicus præscri bere jus conferendi beneficium, et similia, quæ notant Panor mitanus, in cap. «Novit,» de Judiciis, num. 22; et ibi Decius num. 12; et Joan. Andr., in cap. 2, de Præbend., in 6. Et alii in cap. 2 de Pœnitent. et remiss., in 6. Qui textus solet ad ho induci, quatenus dicit, facultatem eligendi confessorem no posse præscriptione acquiri; nam videtur esse eadem ratio d cæteris rebus spiritualibus, et in præsenti de jurisdictione supra clericum, quæ licet in se temporalis videatur, quatenus cadit in clericum, spiritualia concernit.

21. Ratio autem reddi potest, vel eadem quæ tacta est quia actus præcedentes ad talem præscriptionem nunquam pos sunt bona fide fieri, vel quia præscriptio requirit personam ca pacem illius rei, quam debet præscribere, laicus autem non est capax administrationis rerum vel personarum spiritualium, et ideo non potest jus in illas præscriptione acquirere. Quam ra tionem attingit Panormitanus supra. Intelligi autem debet de capacitate non absolute, sed secundum ordinarium jus; nam laicus non est omnino et absolute incapax alicujus ecclesiasticæ administrationis vel potestatis in clericum. Jure autem com muni, et potestate ordinaria, laicus censetur incapax, quia ex se nullam habet proportionem, et omnia jura illum excludunt, ideoque sola præscriptio non sufficit sine expressa voluntate et concessione Summi Pontificis. Et in his casibus recte dicunt juristæ, multa posse privilegio concedi, quæ consuetudine præs cribi non possunt, argumento ap. «Quanto,» de Consuetudine.

22. *Tertia ratio.*—Unde etiam potest addi tertia ratio, quia omnis præscriptio requirit juris adminiculum, per quod aliquo modo princeps concedat, vel dominium rei præscribendæ, vel jurisdictionem, si illa est præscribenda, quia mutatio illa, seu acquisitio quæ fit in præscriptione, non potest fieri sine aucto ritate et voluntate alicujus superioris. In præsenti autem nul lum est jus quod tali præscriptioni adminiculum præbeat; nam

us civile nihil in hoc potest, jus autem canonicum omnino esistit, et voluntas Pontificis omnibus modis ei opponitur; ergo non habet locum præscriptio in præsenti materia. Ex dictis ergo satis constat, nullam consuetudinem, etiam si immemorialis sit, ullo modo contra immunitatem ecclesiasticam prævalere posse. Ita enim auctores citati conclusionem interpretantur, et rationes et jura adducta in eodem sensu illam confirmant, et difficultates, quæ contra illam occurrere possunt, probando assertionem expeditæ sunt. Solum objici solent quædam peculiares consuetudines aliquorum regnorum, quæ, licet sint contra immunitatem ecclesiasticam, sine scrupulo a magistratibus laicis observantur. Ad illas vero possemus uno verbo respondere, illas consuetudines non ad jus, sed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non possumus, neque illorum rationem aut excusationem dare tenemur, sed ab illos hoc spectat, qui consuetudines illas observant; fortasse tamen in capite ultimo pauca de illis adjiciemus.

CAPUT XXXIII

Quibus modis possit immunitas ecclesiastica violari

1. Hactenus illa omnia, quæ ad explicandam et tuendam immunitatem ecclesiasticam, clericorumque exemptionem opportuna visa sunt, pro viribus explicare conati sumus; nunc duo tantum tractanda supersunt. Unum est, quod proposuimus, quibus modis immunitas hæc violari soleat; aliud, quibus modis excusari hoc crimen soleat. Circa primum, supponimus hujusmodi violationem ex se malam, et ex genere grave peccatum esse, quia vel est immediate contra jus divinum, vel saltem contra jus canonicum, sub gravissimis censuris et pœnis hanc violationem prohibens. Et illo jure posito, est etiam contra justitiam, quia et est usurpatio jurisdictionis non habitæ, et est

coactio aliqua, vel exactio sub titulo potestatis legitimæ, sine vera jurisdictione ac potestate facta. Denique includit etiam culpam sacrilegii, quia injuria illa circa personas vel materiam sacram versatur, et quia prohibitio illa intuitu religionis et divini cultus facta est. De hac ergo culpa quoad speciem et gravitatem ejus nihil superest dicendum; nam, suppositis quæ de jure hujus immunitatis hactenus dicta sunt, gravitas et species culpæ clara est, si de violatione immunitatis constet. Quia vero hæc violatio variis modis fieri potest, et in aliquibus obscura esse potest transgressio, seu violationis ratio, ideo de hac varietate, quæ in modis violandi libertatem esse potest, pauca dicemus. Et quia interdum actio, quæ contra libertatem ecclesiasticam esse videtur, excusationem aliquam, veram vel prætensam habere solet, ideo de his excusationibus nonnulla in sequenti capite expendemus. Videbatur autem consequens ut pœnas et censuras, quæ per hanc transgressionem incurruntur, explicaremus; quia vero in libro de Censuris sufficienter de illis diximus, ab earum tractatione in præsenti abstinemus.

2. *Proponuntur duo modi immunitatem violandi.* — Primo ergo possumus duos modos distinguere, quibus immunitas clericorum violari solet, scilicet, vel legibus, vel actionibus: hos enim duos modos multa jura indicant, et pœnis diversis puniunt. Prior est, quando principes vel magistratus civiles leges vel statuta condunt contraria ecclesiasticæ libertati. Quod duobus etiam modis contingere potest. Primo, quia lex specialiter dirigitur ad personas vel res ecclesiasticas, vel, licet lex generalior sit, ad eas peculiariter extenditur. Talis enim lex eo ipso repugnat libertati ecclesiasticæ, etiam si id, quod disponit, non sit contra Ecclesiæ commoda; imo etiam si alioqui esset rationabilis dispositio talis legis, et Ecclesiæ conveniens, si debita potestate lata fuisset. Ita sumitur ex cap. 2, de Judiciis, et cap. «Ecclesia Sanctæ Mariæ,» et c. «Quæ in Ecclesiarum,» de Const., et cap. «Bene quidem,» cum aliis, 96 dist., et est communis resolutio, ut supra tactum est, et latius in materia de

egibus. Et ratio est, quia princeps laicus ferens talem legem, per ipsam se exhibet superiorem et legislatorem in rebus ecclesiasticis; ergo eo ipso per talem actum contra exemptionem agit. Et quia hæc contrarietas non tam in objecto legis quam in ipso actu præcipiendi consistit, ideo vocari potest hic modus formaliter contrarius libertati ecclesiasticæ. Et ob eamdem causam non habet locum hic modus læsionis, quando laicus privilegium concedit clericis, quia tale privilegium non includit præceptum respectu privilegiati, neque per se est actus jurisdictionis, ut supra diximus.

3. Aliæ vero sunt leges, quæ dici possunt contrariæ libertati ecclesiasticæ objective, quia præcipiunt aliquid fieri, quod est contra statum ecclesiasticum, vel ejus exemptionem, sive præceptum dirigatur ad laicos respectu clericorum, ut, verbi gratia, præcipiendo illis ut a clericis exigant tributa, aut quid simile; sive dirigatur ad ipsos clericos, præcipiendo eis ut solvant vectigal, vel coram judice laico compareant, et tunc ex dici potest habere utramque repugnantiam, et formalem, et objectivam. Et hujusmodi leges, quæ objective sunt contra libertatem ecclesiasticam, præcipue in jure prohibentur et puniuntur, præsertim in cap. «Noverit,» de Sentent. excom., et in Authentica «Cassa et irrita,» Cod. de Sacrosanct. Eccles., quamvis illa et similia jura non immerito possint ad omnes leges quomodocumque contrarias libertati extendi, quia verba eorum generalia sunt.

4. *Quando percussio clerici sit contraria privilegio fori.*— Circa aliud vero membrum de violatione immunitatis per facta hominum, solum occurrit adnotandum, sub illo nunc non comprehendi percussiones, seu violentas manus in clericum; nam, licet actiones illæ sint contra immunitatem generatim sumptam, non sunt contra privilegium fori, de quo nunc tractamus, sed contra privilegium canonis. Quod tamen intelligendum est de illis actionibus, quatenus in sola violentia et privata injuria consistunt; nam si fiant sub titulo jurisdictionis et potestatis

publicæ, erunt contra privilegium fori, et habebunt utramqu malitiam; ut si judex sæcularis, aut ministri ejus, per vim cle ricum detineant, et vinculis, aut carceri tradant. Idemque ju dicium est (servata proportione) de actionibus contra immuni tatem Ecclesiarum, quatenus sunt loca refugii, seu quatenu sunt loca sacra, quæ per injuriam vel indecentes actiones vio lari non debent; nam si tales actiones fiant, non jurisdictioni titulo, sed per privatam injuriam, seu malitiam, quamvis lat modo sint contra immunitatem, nihilominus sunt sacrilegia al terius rationis, ut in principio hujus materiæ diximus. Omnia ergo facta, quibus libertas ecclesiastica proprie læditur, ad duo capita reducuntur, nimirum, ad actiones forenses, et judicio rum, tam civilium quam criminalium, quæ circa clericos tan quam reos exercentur, et ad exactiones tributorum, vel coac tiones quæ eisdem personis fiunt in aliquibus oneribus publicis eis imponendis. Et ita hæc duo genera actionum specialibus pœnis et censuris prohiberi solent in jure, in titulis de Imm Eccl., maxime vero in Bulla Cœnæ, claus. 15, 18 et 19.

5. *Modi hoc privilegium violandi tam legibus quam factis ho minum communes.* — Secundo distinguendi sunt alii duo modi violandi ecclesiasticam libertatem, qui tam in legibus quam in factis possunt contingere, maxime vero in ferendis legibus civi libus libertati ecclesiasticæ contrariis observari solent. Prior modus est, quando directe et manifeste aliquid fit vel disponi tur contra clericorum exemptionem, et de hoc modo nihil ad dere oportet, et quia per se facile cognosci potest, et ille maxime in jure reprobatur. Committitur enim quasi per expressam con tradictionem, vel contrarietatem ad legem, quæ jubet talem exemptionem servari. Ut si lex civilis directe præcipiat clericis, vel si jubeat eos sub tributis comprehendi, vel si judex laicus clericum ad comparendum coram se citari jubeat, et sic de cæ teris. Alius modus est violationis indirectæ, qui et difficilius cognoscitur, et ejus malitia obscurior est. Habet tamen funda mentum in jure, cap. ultim., de Immunitat. Ecclesiar., in 6,

ubi dicitur, excommunicationem incurrere illos sæculares magistratus, qui laicis subditis suis præcipiunt ne clericis vendant, aut ab illis emant, vel ne eorum triticum molant, aut aliqua similia obsequia eis exhibeant, et ratio redditur, «quia talia in derogationem ecclesiasticæ libertatis præsumuntur.» Per quæ verba declaratur, illam esse indirectam violationem libertatis ecclesiasticæ, quia, licet talia statuta vel præcepta directe non ordinarentur ad clericos quoad verba, quoad intentionem vero et effectum fraudulenter, ut ait ibi Glossa, transitum faciebant de persona ad personam, loquendo cum laico, et gravando clericum. Similis decisio est in cap. «Quanto», de Privileg., ubi de quibusdam, qui cum non possent excommunicare monachos, excommunicabant eos qui cum monachis communicarent, dicitur: «Privilegiorum non vim et potestatem, sed verba servantes, monachos quodammodo excommunicant, quando aliis prohibent ne cum ipsis communicent.» Et ita dicuntur ibi similia fieri in fraudem privilegiorum, ubi non tantum est sermo de proprio privilegio immunitatis ecclesiasticæ, sed latius de quocumque privilegio; a fortiori tamen in præsenti definitio illa locum habet.

6. *Quando libertas ecclesiastica indirecte violetur.* — Hanc ergo fraudulentam et latentem læsionem ecclesiasticæ libertatis indirectam vocamus, potestque describi, ut sit illa, quæ fit per verba vel actiones, quæ licet versentur directe circa personas ipsas, nihilominus ordinantur ad gravandum clericos, vel universalius dici potest indirecte fieri violationem, quando verbis non apparet, tamen re ipsa fit. Sicut dicitur quis violare legem indirecte, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, ut dicitur in regula ultim. de Regulis juris, in 6, et l. «Contra legem», ff. de Legibus, et in l. «Non dubium», cod. de Legibus, quia vis et potestas legis magis in voluntate habentis, quam in verbis posita est. Hæc autem fraus seu indictum gravamen multis modis fieri potest, qui non videntur posse sub numero certo comprehendi, quia per humanam saga-

citatem et malitiam possunt facile multiplicari, ideoque prudenti judicio, consideratis circumstantiis, discernendum est an moraliter æquivaleant directis gravaminibus. Et quoad forum conscientiæ pendere hoc multum potest ex intentione operantis, seu præcipientis; nam si id faciat, ut quod sibi est directe prohibitum facere circa personam clerici, per illum circuitum, etiam invito clerico, consequatur, magnum signum est indirectæ violationis.

7. *Prima opinio.*—Ut autem violatio hæc indirecta, et malitia ejus magis explicetur, interrogari potest an hæc sit vera et in re ipsa subsistens violatio libertatis ecclesiasticæ, malitiam ejusdem rationis et speciei participans; an vero sit tantum præsumpta, quia ex circumstantiis externis talis apparet, quamvis si animus vel intentio prava desit, talis in re ipsa non sit. Hanc enim posteriorem partem videtur docere Cajetanus, in Summa, verb. «Excommunicatio», cap. 31; ait enim, tunc legem civilem esse contra libertatem ecclesiasticam, quando per se et intentione sua contra illam tendit, quia voluntas et intentio distinguit maleficia, et quæ sunt per accidens, sub artem non cadunt. Ad explicandum autem quando lex civilis talis sit, adjungit id non esse difficile scientibus, «idem esse per se, quod ex propria natura et intentione», quod exemplis declarat, dicens: «Sicut detractio contra famam, contumelia contra honorem, homicidium contra humanam vitam, ita statuere quod clericis non dentur decimæ aut eleemosynæ, quod non possint judicare in causis ecclesiasticis, quod solvant vectigalia de rebus suis absque negotiatione, et similia, est contra libertatem ecclesiasticam.» Quæ omnia exempla, si quis ea recte consideret, ad directam oppositionem et violationem ecclesiasticæ libertatis pertinent, atque ita indicat Cajetanus, solam illam legem esse per se et natura sua contra libertatem ecclesiasticam, quæ directe contra illam disponit. Unde in eodem verbo, cap. 37, ait, actiones prohibitas in dicto cap. ult., de Immun. Ecclesiar., in 6, non esse proprie contra libertatem ecclesiasti-

), sed contra humanam societatem; quia vero in odium Ec-siæ fiunt, præsumi contra libertatem ecclesiasticam fieri.

8. Et hanc opinionem sequitur Navar., in Sum., cap. 27, . 119 et 120. Fundantur primo, quia dictum c. ult. utitur verbo præsumendi, dicens: «Cum talia in derogationem eccle-. ticæ libertatis præsumantur.» Secundo, quia cum actio ipsa, . verba legis directe non lædant libertatem, transgressio et derogatio pendet ex intentione facientis: si enim id faciat animo gravandi clericos, erit violatio libertatis; si autem id faciat propter suum commodum, permittens gravamen aliorum non contra libertatem, quamvis interdum esse possit contra caritatem, vel contra humanam societatem. Cum ergo de intentione non possit constare, neque etiam certo judicari potest, ad summum præsumi violatio libertatis ecclesiasticæ, quatenus talis intentio ex circumstantiis externis præsumi potuerit. Unde juxta hanc sententiam, si contingat veritatem non subesse præsumptioni, in conscientia non erit violatio libertatis.

9. *Contraria sententia eligitur.— Probatur primo.*— Nihilominus contrariam sententiam veram censeo, quam aperte tenet Glossa, in illo cap. ult., ibi communiter probata, et in dicto c. «Quanto», ubi bene Panormitanus. Sumitur etiam ex communi sententia Bartol., in Authent. «Cassa», C. de Sacros. Eccles., et aliorum, dicentium omnem legis civilis dispositionem, per quam clerici redduntur timidiores, esse contra libertatem ecclesiasticam, non præsumptive tantum, sed vere et proprie, ut ex superioribus explicavimus. Probatur autem primo ex dicto cap. «Quanto», de Privileg., ubi non dicitur similes sententias aut dispositiones legum præsumi, sed esse in fraudem privilegii, et per illas observari verba, non vim et potestatem privilegii; ergo, si non servatur, violatur vis et potestas privilegii; hæc autem est vera, non præsumpta violatio.

10. *Secundo.* — Unde argumentor secundo, ex generali principio legis «Non dubium», in quo Pontifex in illo textu fundatur: «Non dubium est, in legem committere eum. qui

verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem», ubi non dicitur præsumi committere in legem, sed certum esse committere, ut dicitur etiam in ultima regula juris, in 6; at comittere in legem, est contra legem peccare aut agere ut constat ex proprietate verbi latini, et ex glossis, et communi expositione in citati jusribus, præsertim ex Bart., in dicta l. «Non dubium.» Imo addit Gloss., in c. «Si postquam», de Elect., in 6, verb. «Mente», eadem pœna puniri, qui in legem committit per fraudem et sub verborum cortice, ac illum qui aperte et directe contra legem agit; ergo eodem modo vere et proprie violat legem, seu privilegium immunitatis, qui indirecte illam violat, quia in fraudem privilegii agit, ut in dict. c. «Quanto» dicitur. Tertio est propria ratio, quia in moralibus voluntas indirecta ad directam revocatur, eamdemque speciem malitiæ participat, ut est primum principium in materia morali; nam voluntarium directum et indirectum ad idem reducuntur, ut non impedire nocumentum, cum possis et debeas, perinde est ac directe nocere, et sic de aliis. Sic ergo in præsenti, parum refert quod violatio sit indirecta, si in re eumdem habeat effectum. Et confirmatur, quia alias vel inutile esset privilegium, vel saltem multum minueretur, si per unam viam quasi obliquam (ut sic dicam) liceret, quod directe et simpliciter est per privilegium prohibitum.

11. *Satisfit fundamentis oppositæ sententiæ. — Primo.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ de verbo «Præsumantur», quo utitur dictum cap. ult., responderi potest, primo, interdum vocari præsumptionem illam quæ sub aliqua fraude vel simulatione fit, etiam si vere fiat, et non tantum fieri præsumatur. Secundo vero et melius dicitur, ibi verbum præsumendi non significare judicium, vel suspicionem quæ de tali facto ex conjecturis ejus desumitur, sed significare modum operandi ex certa scientia et deliberatione, vel quadam animi arrogantia ac temeritate. Nam usus hujus verbi in hac significatione valde communis est in jure canonico, et ita sumitur in illo textu; imo

bis in eadem significatione ibi ponitur: primo, in narratione facti, ibi, «aut alia obsequia eximere præsumant», et iterum in reddenda ratione juris, seu excommunicationis latæ, ibi: «Cum taliâ in derogationem ecclesiasticæ libertatis præsumantur», utique non a jure, sed ab illis qui talia facere vel præcipere præsumunt, sicut prius dictum fuerat. Unde ille textus sic expositus potius confirmat quod diximus, nam talia puniuntur ut vere et ex præsumptione contra libertatem Ecclesiæ facta. Addi etiam potest quod, licet illa de se non esset vera violatio libertatis ecclesiasticæ, ex vi illius textus prohibentis illam, jam esset vera violatio libertatis. Sed, licet hoc ex hypothesi vere dictum sit, simpliciter non censeo similes actiones esse contra libertatem ecclesiasticam quia ibi prohibentur propter periculum et præsumptionem, sed potius e contrario, ibi prohiberi sub censura speciali, quia revera de se sunt violationes libertatis ecclesiasticæ; nam hæc ratio ibi redditur, et supponitur in re substitisse ante illam legem.

12. *Secundo.*—Ad secundum respondeo, sicut recte Cajetanus, citato loco, de violatione directa dixit, non pendere ex intentione operantis, sed operis, ita etiam dicendum esse de violatione indirecta. Nam si legislator civilis ferat legem quæ re vera sit contra libertatem ecclesiasticam, saltem indirecte, quamvis non intendat clericorum nocumentum, sed suum vel suorum civium commodum, contra libertatem ecclesiasticam peccat, quia, ut dixi, in materia morali eadem est ratio de directo et indirecto. Si autem legislator civilis directe tale gravamen imponeret, contra libertatem ecclesiasticam ageret; ergo idem est, licet indirecte id faciat. Quapropter non potest illa dici tantum permissio, quia magistratus civilis tenetur simpliciter vitare tale gravamen clericorum. Alioqui si in casu dicti cap. ultim., laici illas actiones prohiberent, non intendentes gravamen clericorum, sed suum commodum, non agerent contra libertatem, nec illam censuram incurrerent, quod absurdum est.

13. Ad melius autem intelligendam hanc indirectam violationem immunitatis, oportet advertere non differre a directa in materia; imo necessarium esse ut in eadem materia versetur, utique prohibita per immunitatem, ita ut differentia solum sit in modo, nam in una violatione, actio vel lex recta tendit ad personam clerici; in altera vero, scilicet indirecta, solum per circuitum. Si quis tamen attente consideret, semper illam attingit, saltem in obliquo, ut cum lex prohibet laico ne vendat necessaria clerico, etc. Imo, licet quoad obligationem legis non directe imponatur clerico, quoad effectum ita in illum redundat, ut vel talem effectum directe efficiat, si onerosus sit, vel indebite impediat, si sit favorabilis et debitus. Sicut qui impedit alium ne mecum communicet, me directe privat communicatione illius, vel saltem inique illam impedit; et qui prohibet vel detinet notarium ne adsit testamento clerici, satis directe impedit clericum ne testamentum facere possit; et multa similia in Glossis, et legibus tractatis videri possunt, quæ sub illa generali regula comprehenduntur: «Non refert cum quo lex loquatur, sed in quem intentio legis dirigatur», lex «Cum pater», § «Donationis», ff. de Legat., 2.

CAPUT XXXIV

Quibus modis actiones contra libertatem ecclesiasticam excusari soleant, et quid de illis judicandum sit

1. *Sex modi quibus immunitatis violatio excusatur.*—Cum laici magistratus et judices frequenter ecclesiasticam immunitatem invadere soleant, varias rationes excogitarunt, quibus actiones suas honestare, et a sacrilegii et injustitiæ crimine excusare valeant, quas in fine hujus libri proponere et examinare necessarium duxi. Sex autem hujusmodi excusationes excogi-

tatas invenio, quæ sunt ignorantia, necessitas, consuetudo, pactum seu concordia, privilegium, et justa defensio, de quibus sigillatim dicendum est.

2. *Ignorantia.*— De prima ignorantiæ excusatione pauca dicere necessarium est, quia, proprie loquendo, non est ex his quas nunc inquirimus. Duobus enim modis potest cogitari excusatio in hujusmodi actionibus, quæ videntur libertatem ecclesiasticam lædere. Primo, ut talis sit excusatio, quæ reddat actionem in re ipsa licitam et validam, sitque tanquam exceptio quædam a generali privilegio exemptionis; alio modo potest excusatio talis esse, quæ sufficiat excusare personam a culpa, licet actio ipsa per se spectata prava sit, quatenus est privilegio contraria. Hic ergo præsertim inquirimus prioris generis excusationem, et sic excluditur ignorantia, quia, licet interdum fortasse possit operantem a culpa liberare, nihilominus non dat jurisdictionem, et ita nec reddit actum secundum se, aut licitum, aut validum. Illo autem modo, quo ignorantia potest culpam impedire, excusatio illa generalis est omnibus delictis, et fere nihil speciale de illa in præsenti dicendum relinquitur. Duplex enim ignorantia hic intervenire potest, una facti, altera juris. Prior duobus modis accidere potest: primo, ex ignoratione personæ circa quam actio versatur, ut si laicus clericum capiat aut judicet, putans esse laicum. Et hoc genus ignorantiæ interdum excusare potest a culpa, quia potest, esse invincibilis: an vero in particulari talis sit, in foro conscientiæ standum erit confessioni partis, seu pœnitentis, et ex circumstantiis ab eo propositis ferendum erit judicium, in foro autem externo ex legitimis indiciis et probationibus. In casu autem dubio, an talis persona pro ecclesiastica habenda sit, necne, vel an gaudeat privilegio clericali, ad quem judicem, laicum vel ecclesiasticum, talis causæ cognitio pertineat, tractant jurisperiti, ad quos illa materia pertinet. Vera tamen resolutio est, pertinere ad judicem ecclesiasticum, quia materia illius judicii ecclesiastida est, ut definitur in cap. «Si judex», de Sent. excom., in 6

ubi fere omnia, quæ in simili dubitatione fieri debent, statuuntur, et videri possunt quæ late tractat Covar., in lib. Pract. Quæst., cap. 33.

3. Alius modus ignorantiæ esse potest circa materiam ipsam, circa quam actio vel judicium versatur, quia non existimatur ecclesiastica, vel spiritualis, vel non creditur ad exemptionem pertinere. Hæc tamen ignorantia interdum nasci potest ex solo defectu cognitionis ipsius materiæ, de qua tractatur, et tunc est propria ignorantia facti, idemque judicium de illa ferendum est, quod de ignorantia personæ; nam est eadem ratio. Aliquando vero illa ignorantia vel dubitatio occurrit ex varietate opinionum circa jus ipsum, quomodo sæpe est inter Doctores controversia, an hæc vel illa actio sit contra libertatem ecclesiasticam, vel an cognoscere de culpa perjurii commissi a clerico, testimonium ferente in judicio sæculari, sit ejusdem sæcularis fori vel ecclesiastici, et similia, quorum dubitatio ad ignorantiam juris revocatur.

4. *Ignorantia juris unde proveniat.*—Circa ignorantiam ergo juris advertendum est, aliquando oriri tantum ex defectu personæ, ut quando in re ipsa satis constat aliquid contineri sub jure exemptionis; qui vero in contrarium operatur illud jus nescit, et ideo ignoranter exemptionem violat. Aliquando vero ignorantia vel incertitudo oritur ex re ipsa, quia, videlicet, jus ipsum occultum est, ita ut etiam apud peritos, et post diligentem inquisitionem jus dubium sit vel sub opinione constitutum. Quando ergo ignorantia juris est prioris modi, vix reputari potest invincibilis, saltem in ipsis principibus vel judicibus laicis, tum quia ex vi sui muneris tenenter vel jus scire, vel ab his actionibus abstinere; tum etiam quia supponitur tale jus esse satis publicum et manifestum, ideoque vix credi potest hujusmodi personas illud invincibiliter ignorare, sed vel ex negligentia valde supina, vel quod frequentius fortasse contingit, ex affectata nescientia, ut excercere possint jurisdictionem quam valde affectant. Dico autem «vix», propter conscientiæ forum,

nam in externo et ecclesiastico foro talis excusatio (ut opinor) nunquam reputabitur sufficiens; tamen in foro conscientiæ aliquando poterit, juxta operantis intentionem et occurrentes circumstantias, admitti. Dixi etiam hoc præcipue habere locum in ipsis principibus eorumve consiliaris, et judicibus qui jus scire possunt et debent, quia inferiores ministri facilius possunt per ignorantiam excusari, juxta vulgarem regulam cap. «Qui culpatur», 23, quæst. 1. At vero quando ignorantia vel dubitatio circa jus provenit ex rei ipsius difficultate, et opinionum varietate, tunc si nihil certum et exploratum possit ex sacris canonibus colligi, servandæ sunt generales regulæ de opinionum delectu, et in hac materia est valde observandum, ut in favorem religionis, et consequenter in favorem exemptionis amplietur potius quam restringatur ecclesiastica immunitas. Et juxta hæc judicandum est de multis singularibus casibus, quos congerit Azor, t. 1, lib. 5, c. 13 et 14.

5. *Necessitas.*—Secunda excusatio «ob necessitatem», valde ordinaria est in hac materia, fundaturque in illo principio, quod necessitas caret lege. Contingere enim potest ut ad commune bonum reipublicæ necessarium sit, aliquid agere contra immunitatem clericorum; ergo tunc jus immunitatis non obligabit. Et confirmatur, quia hoc jus, saltem ut applicatum et determinatum ad talem materiam vel actionem, non est divinum, sed humanum; sed omne jus humanum, etiam si canonicum sit, potest in particulari casu cessare per epiikeiam, propter occurrentem necessitatem, propter quam contingere potest, ut servare jus humanum in tali casu sit contra jus naturale; ergo et in præsenti. Exemplum optimum est in c. «Pervenit», de Immunit. ecclesiar., ubi dicitur, tempore magnæ necessitatis non excusari clericos a vigiliis in muris civitatis. Et simile est in materia tributorum, quando ad sublevandam communem necessitatem laici non sufficiunt, nisi clerici contribuant. In materia etiam fori judicialis solet esse commune exemplum, quando deest judex ecclesiasticus muneri suo, et laici vel cle-

rici magnum detrimentum patiuntur, tunc enim propter necessitatem poterit judex laicus causas expedire, etiam si in eis clerici rei sint, ut multi juris canonici interpretes affirmarunt cum Glossa, in cap. «Filiis vel nepotibus», 16, quæst. 7, ut latius ibi, et in cap. «Qualiter et quando», de Judiciis, tractari solet. Et maxime urgere potest hæc necesitas, si ecclesiasticus judex omnino non inveniatur legitimus, ut in terris hæreticorum et schismaticorum sæpe potest accidere.

6. *Quid de hac excusatione sentiendum sit.*—Nihilominus tamen existimo, non esse hanc excusationem, moraliter loquendo, necessariam, saltem intra catholicam Ecclesiam. Probatur hæc assertio primo, quasi inductione quadam discurrendo per casus insinuatos, ad quos omnes alii, qui excogitari possunt, reducuntur. Aut enim necessitas est in materia tributorum, vel in materia seu causis fori judicarii. In priori materia, supra ostensum est nunquam propter necessitatem posse clericos cogi a laicis ad tributa solvenda. Nam si aliquando tenentur contribuere, vel opus aliquod communis oneris sustinere, non est ex vi legis imponentis tributa, sed ex aliqua obligatione charitatis aut communis justitiæ, et juxta canonum dispositionem. Unde in hujusmodi casibus non possunt clerici per judices sæculares ad satisfaciendum huic obligationi compelli, sed per suos Prælatos, et secundum canonicum jus. Quod si ipsi Prælati suo muneri satisfacere nolint, ad Pontificem recurrendum est, ut eos compellat. Quod si sit periculum in mora, quia extrema vel gravis necessitas boni communis auxilium clericorum statim requirit, tunc non per modum jurisdictionis, sed per modum defensionis licere poterit, quod recta ratio ad subveniendum communi bono, vel impediendum damnum imminens, necessarium esse dictaverit. Et ita in eo casu excusatio reducitur ad alteram, quæ sub nomine justæ defensionis ponitur, et infra tractabitur, declarabiturque non continere propriam excusationem seu exceptionem a generali privilegio, sed esse aliam speciem actionis ad privilegium non pertinentem.

7. Eadem fere ratio est de casibus in materia judiciali occurrentibus: nam imprimis, in c. 13, ostensum est non posse judicem laicum propter negligentiam judicis ecclesiastici in causis clericorum se intromittere, quia manifeste repugnat juri canonico. Nec ex illa negligentia sufficiens necessitas insurgit, nam si judex ecclesiasticus fuerit negligens, superiorem habet, a quo emendari possit et debeat. Quod si proximus superior etiam neglexerit, ad aliquem ejusdem ordinis magis remotum recurrendum erit, et ita usque ad Romanum Pontificem, in quo tanquam in supremo capite sistendum est; nam si ipse neglexerit, non est per regem cogendus, sed rogandus, vel cum debita submissione monendus, ut in principio libri præcedentis dictum est. Sicut in republica mere temporali ac ethnica, vel nunc in Anglia, si judices regii in una provincia negligentes essent in administranda justitia, non possent magistratus alterius provinciæ ad supplendam horum negligentiam in eorum territoriis judicia usurpare; multoque minus possent inferiores judices ejusdem provinciæ de superioribus suis jus dicere, aut eorum tribunalia titulo necessitatis usurpare, quia esset summa confusio, et injuriarum occasio. Ergo necessarium tunc est aliquem superiorem magistratum vel senatum adire, vel, si non sufficiat, usque ad regem procedere. Quod si rex ipse negligens sit, profecto nollent Reges ut inferiores sibi subditi judicia sua emendent aut usurpent. Cur ergo volent ut sæculares judices ecclesiasticas causas sibi arrogent sub prætextu negligentiæ ecclesiasticorum judicum? aut cur potius negligentia vel iniquitas in ecclesiasticis judicibus, quam in sæcularibus timetur? Imo vero quia contrarium potius præsumendum est, et quia in christiana et catholica republica Prælati ecclesiastici sunt superiores laicis judicibus seu magistratibus, ideo juxta cañones possunt Prælati supplere negligentiam laicorum, non autem e converso, ut in eodem c. 13 declaratum est.

8. *Clericum, si coram aliquo superiore suo conveniri possit, non posse a laico judicari concluditur.*—Atque hinc possumus uni-

versaliter colligere, nunquam posse sæcularem judicem usurpare jurisdictionem in clericum prætextu necessitatis, quandiu aliquis Prælatus ecclesiasticus, sive proximus, sive remotus adiri potuerit. Ratio generalis est, quia sola necessitas non dat jurisdictionem; sine jurisdictione autem non potest usurpari judicium; ergo nec sub prætextu necessitatis potest aliquid fieri contra privilegium fori clericorum. Patet consequentia, quia non cessat exemptio in aliquo casu ex parte clerici, nisi jurisdictio laici in eodem casu augeatur. Antecedens autem quoad posteriorem partem per se notum est; quoad priorem vero probatur, quia jurisdictio requirit potestatem et voluntatem superiorem, a qua proveniat; nam, licet unus homo indigeat correptione aut pœna, et desit superior qui possit illum coercere, non ideo potest alius privatus jurisdictionem in illum usurpare, sed ad summum tunc ea licent, quæ ad justam et moderatam defensionem fuerint necessaria, alias non posset pax et justitia in humana societate servari. Sola ergo necessitas, ut sic, nunquam dat jurisdictionem, ideoque neque ad excusandam violationem immunitatis sufficit. Quomodo autem ad justam defensionem sufficiat, infra videbimus.

9. Solum superest casus ille ultimo loco propositus, quando clericus versatur inter paganos vel hæreticos, ubi nulli sunt Prælati, vel judices veram ecclesiasticam jurisdictionem exercentes. Et tunc imprimis dicendum est, si status ille sit durabilis, et valde generalis in aliqua provincia, consulendum esse Summum Pontificem, si fieri possit, ut remedium adhibeat, quia ipse est supremus judex, et ibi alius propinquior deest. Si vero aut casus est particularis et extraordinarius, aut non datur locus consulendi Pontificem, aut exequendi mandata ejus, tunc casus reducitur ad terminos juris naturalis, vel gentium, et ideo licebit uti remedio quocumque honesto secundum rectam rationem. Vel dici etiam potest, tunc posse conveniri clericum coram judice laico jure defensionis, quia ille tunc est modus suavior se defendendi, vel jus suum conservandi aut recuperandi, aut etiam communi bono consulendi.

10. *Consuetudo.*—Tertia excusatio erat consuetudo, de qua multa in superioribus diximus, quibus non obstantibus, Doctores frequenter hoc solo nomine varias actiones exemptioni repugnantes, quæ in variis locis sunt in usu, excusare conantur. Quales sunt punire clericum ob crimen læsæ majestatis, de qua consuetudine testatur Julius Clarus, et illam dicit posse excusari per c. «Perpendimus,» de Sentent. excommunicat., supra allegatum. Unde videtur illam consuetudinem ad justam defensionem revocare, quia cum crimen illud mortem principis intentet, jure defensionis videtur princeps posse traditorem per suos ministros vel judices interficere. Alia consuetudo referri solet de clerico, qui coram judice sæculari testimonium dicens, de perjurio convincitur, ut possit ab eodem judice laico puniri, quando cognitionem de tali crimine ipse prævenit, quam consuetudinem in Gallia servari refert Covarr., in Pract., c. 18, num. 8.

11. Alia dicitur esse in Gallia consuetudo, nimirum, ut clerici in actionibus realibus coram judice sæculari conveniantur, quam defendit Joannes Garsia, de Nobilit., gloss. 9, n. 49, cum Fabro, et aliis quos refert. Et similiter est ibi consuetudo, ut de quibusdam delictis gravibus judices laici contra clericos cognoscant. Item ut clerici portantes arma prohibita, vel tempore prohibito, illis per magistratum civilem priventur, consuetudine receptum est, et defenditur, ut videre licet in Covarruvia, dict. lib. Practic., c. 33, circa fin., et lib. 2 Var., cap. ultim., in fin.; Jul. Clar. supra, n. 26; Salced., in Practic., cap. 55. In Hispania etiam solent clerici ministri regis, qui sunt a consiliis ejus, de delictis vel defectibus in suis officiis commissis visitari, inquiri ac puniri. Et in multis dubiis et controversiis inter judices ecclesiasticos et laicos, vel in causis in quibus subditi, seu vasalli a Prælatis vel judicibus ecclesiasticis gravari conquerantur, regia tribunalia judicant. Hæc autem et multa similia, quæ auctores referunt, sola consuetudine defenduntur, ut videri licet in Covar. supra, a c. 31, usque ad 35; Navar., in cap. «Novit,»

de Judiciis, notab. 3, num. 31; et Azor, tom. 1, lib. 5, c. 13 et 14.

12. *Consuetudo non excusat actum contra immunitatem factum.* — Nihilominus dicendum est, hanc excusationem consuetudinis nunquam esse posse sufficientem, si actus vere sit contra libertatem ecclesiasticam, et consuetudo per similes actus introducta sit. Hoc evidenter sequitur ex his quæ c. 32 dicta sunt, et ita communiter traditur ab omnibus auctoribus supra allegatis. Nam consuetudo nunquam potest derogare, vel minuere privilegium immunitatis, nec potest dare jurisdictionem laico in clericum; ergo omnis actus jurisdictionis, quem laicus exercet in clericum solo titulo consuetudinis, est actus sine jurisdictione factus; ergo est violentia contra immunitatem ecclesiasticam; ergo sola consuetudo nunquam sufficit ad culpam seu libertatis ecclesiasticæ violationem excusandam. Quæ ratio supposito dicto principio, est moralis demonstratio; illud autem principium, ut opinor, satis demonstratum est. Unde omnia jura canonica, quæ consuetudinem illam dicunt esse corruptelam, et tanquam damnabilem reprobant, hanc etiam assertionem aperte confirmant. Nam corruptela et damnabilis consuetudo non est aliud nisi frequentia peccandi; peccatum autem subsequens non excusatur propter frequentiam præcedentium sed quodammodo augetur. Quocirca consuetudines quæ allegantur, vel aliis titulis a consuetudine distinctis excusandæ sunt, vel simpliciter reprobandæ, nam propter facta hominum non sunt jura divina vel canonica neganda, vel falsis interpretationibus corrumpenda. Et ita Rota, decision. 804, q. 10, d. Consuetud., in antiquis, damnat consuetudinem quamdam, quæ etiam ante schisma in Anglia vigebat, scilicet, ut rex vel ejus ministri clericos judicarent in actionibus civilibus, etiam personalibus, et in criminalibus, quando agitur civiliter. Et idem profecto etiam dicendum erit de Gallicana consuetudine, ut clerici judicentur a laicis in actionibus realibus, nisi alia via excusetur. Idemque de similibus dicendum est, ut latius prosequitur Azor, loco citato.

13. Duo autem sunt tituli, quibus similes consuetudines excusari solent. Unus est, quia facta seu actiones, quibus introducuntur, et postea defenduntur, non sunt actus contra libertatem ecclesiasticam, quia non sunt actus jurisdictionis laicæ in clericum, sed sunt actus justæ defensionis, vel reipublicæ, vel innocentum, quæ defensio non est contra libertatem ecclesiasticam. Juxta quam doctrinam actio revera non excusatur propter consuetudinem, sed potius consuetudo excusatur propter modum et titulum actionis; ipsa vero consuetudo postquam introducta est, et a viris prudentibus ac timoratis servata creditur, ad summum indicat, et est argumentum, actiones illas non fuisse usurpatæ jurisdictionis, ac proinde per modum defensionis fieri consuevisse. Atque hoc modo excusatio hæc reducitur ad ultimam infra tractandam, ideoque nunc, illa generali doctrina supposita, solum advertimus necessarium esse ut ad talem materiam, seu actionem, vere et convenienter applicetur, alioqui si materia non sit capax defensionis, quia ibi non fiebat violentia, nec morale periculum ejus, erit ficta excusatio, et de solo titulo, non vera, nec de re; oportet ergo ut et causa et necessitas defensionis supponatur, et ut in ipsa defensione debita moderatio servetur, ut infra explicabitur.

14. *Quomodo excusentur arma prohibita a clericis auferentes.* —Atque hoc titulo potest aliquo modo excusari consuetudo illa auferendi a clericis arma prohibita. Nam certe si id fiat per usum jurisdictionis, vel aliqualis punitionis, non video quomodo excusari possit, quidquid Covarr. et alii sentiant. Quod ex parte sensit Navarr., consil. 27, alias 44, de Excom., num. 5, quatenus excusat hujusmodi factum, eo quod ordinatur ad impediendum aliquod delictum, additque interdum fieri per modum pacti et conventionis inter clericum et ministros justitiæ; solent enim clerici arma offerre, ne ad suos superiores et Prælatos deferantur, vel denuncientur. Quod si ita est, cessat violatio ecclesiastice libertatis, quidquid sit de injustitia vel turpitudine pacti. Quando vero arma tolluntur solum per modum

defensionis, ad tollendam occasionem rixæ, vel periculum perturbationis civitatis, tunc non auferuntur in pœnam, et ideo non videtur licere ex vi talis facti omnino spoliare clericum armis, privando illum dominio eorum, quia nullus apparet justus titulus quo id fieri possit; ergo tantum debent pro illa occasione auferri, ut postea reddantur, nisi clerici voluntarie consentiant donationi eorum, ut dictum est.

15. *Quo pacto excusetur consuetudo comprehendendi clericos in delicto compertos.*—Sic etiam honestari solet consuetudo, qua solent ministri sæcularis justitiæ clericos in delicto inventos vel quos probabiliter præsumunt ad delinquendum incedere detinere et comprehendere, ut suis Prælatis eos præsentent nullo enim modo id facere possunt titulo jurisdictionis, ut constat ex c. «Cum non ab homine», de Judic., et c. «Si vero», de Sent. excom., et cap. «Si clericus», de Foro competent., et cap «Si clericus», de Sentent. excom., in 6. Unde nulla consuetudine introduci potest, ut eo modo tale factum liceat. Solet autem justificari per modum defensionis. quia expedit valde reipublicæ ut impediantur delicta, et hoc munus videtur maxim commissum ministris justitiæ sæcularis. Et ita docent Panormitan., in c. «Ut famæ», de Sentent. excom., n. 6, et in c «Cum non ab homine», de Judic., ubi etiam Decius, num. 10 et Felinus ibi, et in c. «Si vero», de Sent. excom., n. 2; e Navarr., in dicto cons., et in Sum., cap. 27, n. 83; et Juliu Clar., dicto § ult., quæst. 28, n. 6 Censetur etiam ibi interve nire tacita voluntas Prælatorum, quam etiam potest interpreta ri consuetudo, et potest ibi sufficere, quia ibi non interven commissio jurisdictionis, sed tantum quidam usus facti, qu Prælatus utitur ministro justitiæ ad comprehendendum subditu suum delinquentem, quod optime per sæculare brachium facer potest. Denique ad hunc modum sub hac specie defension excusantur aliæ consuetudines, ut excludendi clericum a cur regis, vel etiam a regno, vel aliæ similes, quas nunc examina non est nostri instituti, sed videri possunt Doctores allegat

præsertim Azor supra, et Henriq., lib. 14 de Irregul., cap. 12, num. 6, littera P et sequentibus.

16. *Alius modus dictam consuetudinem defendendi.*—Alius modus defendendi hanc consuetudinem est, fundando illam in privilegio Pontificio. Non est enim dubium quin possit Pontifex concedere alicui regi vel regno speciale privilegium derogans aliqua ex parte privilegio exemptionis, de quo infra dicetur. Hoc ergo privilegio supposito, actus, qui ex illo fiunt, honesti sunt, et ita etiam consuetudo illorum est honesta. Tunc autem consuetudo non derogat immunitati, sed derogatam supponit, et ideo non est consuetudo quæ excusat, sed privilegium, de quo statim dicam. Unde non probo quod Navarr., in dicto cons. 27, de Sent. excom., 1, dicit, consuetudinem immemorialem Galliæ, quod judex sæcularis possit punire clericum, habere vim privilegii, citans Aufrerium, in Clement. 1, de Offic. ordinar., regul. 1, fallentia 10. Insinuat enim, talem consuetudinem posse inducere privilegium, quod in hac materia non censeo esse verum, quia si consuetudo sit turpis et reprobata, etiam si immemorialis sit, non potest inducere privilegium, et ideo cum in hac materia consuetudo sit reprobata, ut diximus, etiam si immemorialis sit non potest vi sua privilegium introducere, ut recte dixit Probus, in c. 2, de Probat., et sentiunt alii auctores supra citati. Ergo oportet quod privilegium præcedat ut consuetudinem honestet.

17. *An immemorialis consuetudo sit sufficiens signum privilegii a Pontifice concessi.*—Quæri autem potest an immemorialis consuetudo sit sufficiens indicium, seu testimonium, quod ex legitimo privilegio inchoata fuerit; videtur enim valde probabile ita esse præsumendum, quia immemorialis consuetudo præsumitur honesta, ut multi jurisperiti tradiderunt, quia cum non possit probari mala, præsumitur bona. Nihilominus censeo, solam et nudam consuetudinem, etiam immemorialem, non sufficere in hac materia ad probandum privilegium. Tum quia illa regula non procedit in consuetudine reprobata per legem, ut

Rochus Curtius et alii, tractantes de consuetudine, tradiderunt; tum etiam quia valde odiosum est privilegium hoc, et difficile ac raro conceditur, et ideo nisi legitime probetur, non præsumitur; solus ergo usus quantumvis antiquus, cum in facto consistat, non probat sufficienter jus seu privilegium. Loquor autem de nuda et pura consuetudine, quia si cum illa conjungatur constans fama, et traditio æque antiqua, seu immemorialis, quod præcesserit privilegium, et talis traditio integre probetur, videtur sufficiens ut talis consuetudo pro privilegio reputetur.

18. *Consuetudo in privilegio fundata potest a Pontifice revocari.*—In tali vero casu addendum est, non obstante illa traditione et probatione, posse talem consuetudinem per Pontificem revocari. Tum quia illa consuetudo non accipit vires a præscriptione, sed a privilegio; privilegium autem a superiori datum semper potest revocari, præsertim ex juxta causa. Tum etiam quia, licet admitteretur ibi aliqua præscriptio, non posset obstare quominus Pontifex posset revocare jurisdictionem receptam per illud privilegium et quasi præscriptam illa consuetudine, quia semper illa jurisdictio est quasi delegata a Pontifice, et consequenter ab ejus voluntate pendens. Item quia contra Papam nemo præscribere potest in his, quæ ad supremam ejus potestatem pertinent. Nam, ut recte dixit Innocentius, in cap. de Postul. Præl., n. 2, «quia Papa circa spiritualem potestatem omnia potest, et plenitudinem potestatis habet, nullus potest quærere possessionem quæ ei præjudicet, cum illam habeat a Domino tantum.» Idemque docuit Glossa, in cap. «Cum nobis», de Præscr., ubi Panormit., n. 1 et 12, eam valde commendat, et in c. «Si diligenti», eodem tit., n. 11. Pontifex autem, ex vi potestatis spiritualis, quam a Cristo accepit, potest exemptionem clericorum vel conservare, vel redintegrare si aliqua ex parte fuerit diminuta, et ideo semper potest quamcumque consuetudinem illi contrariam, quomodocumque introducta sit, revocare, quia illa potestas, quæ a Domino concessa est, per nullam consuetudinem diminui potest, neque ipse Pontifex illam potest a se abdicare.

19. *Concordia.*—Quarta excusatio erat concordia, seu pactum. Solent enim judices laici nonnullas actiones suas contra immunitatem defendere titulo alicujus antiquæ concordiæ inter reges et Prælatos seu clerum transactæ, per quam concessum fuerit sæcularibus judicibus, ut in talibus causis vel occasionibus possint circa materiam ecclesiasticam jurisdictionem suam exercere. Atque hunc titulum video in hoc regno sæpius allegari, et in regno Galliæ scimus facta esse similia concordata tempore Leonis X et regis Francisci, quæ Rebuffus commentatur; et in regno Hispaniæ et aliis desiderari scimus, propter vitandas perturbationes, quæ inter judices sæculares et ecclesiasticos oriri solent.

20. *Concordia inter ecclesiasticos et sæculares, absque Pontificis auctoritate facta, immunitati nihil derogat.*—Circa hanc autem excusationem imprimis advertendum est, quotiescumque hujusmodi concordia inter Episcopos, etiam in Concilio provinciali vel nationali congregatos, et reges aut senatus fit, nihil posse contra privilegium immunitatis operari, nisi auctoritate Summi Pontificis facta sit, vel confirmetur. Ita notavit Rebuff., in Concordat., titul. de Approbat. Conventor., verb. «Firmitatem.» Ratio autem est manifesta ex superius dictis, quia Episcoporum consensus non est sufficiens ad dispensandum, vel privilegium concedendum quo exemptio clericorum minuatur, quia non potest inferior dispensare, nec privilegium concedere in jure superioris, præsertim quando est tam grave, et tam difficilem ac raram habet dispensationem, ut de hoc privilegio supra ostendimus; ergo solum potest consensus Prælatorum operari per modum renunciationis, per quam aliqua ex parte cedant juri suo; at vero talis renunciatio propria auctoritate facta non valet, ut supra etiam est probatum; ergo neque illa concordia potest esse valida sola auctoritate Prælatorum, etiam cum inferiori clero facta.

21. Nec refert quod illa non videatur esse simplex renun-

ciatio, sed quasi commutatio per modum transactionis factæ tum quia per illam transactionem nunquam suppletur in ipsa exemptione diminutio, quæ in aliqua parte materiæ illius fit neque novum aliquod jus ecclesiastico statui conceditur, sed ordinarie solet ab ecclesiasticis fieri ad fugiendam vexationem vel majus malum vitandum, ut sæculares, illa parte contenti majorem non usurpent. Quod certe fieri non debet contra com mune bonum; si autem fiat, sive cum culpa, ex humano ti more, sive sine culpa, ob necessitatem, ad vitandum maju malum, erit potius tolerantia quædam vel permissio, quam con cordia, etiamsi fortasse hoc nomine appelletur; et ideo no reddet tutos in conscientia judices sæculares, donec consensu Pontificis legitime informati accedat. Tum etiam quia, licet fin gamus aliquid juris vel commodi tribui clero a principibus sæ cularibus, ut in aliqua parte exemptionis cedant juri suo, etian hoc modo non potest privatus Prælatus seu particularis cleru in aliquo renunciare exemptioni, quasi alienando partem eju per modum commutationis, tum quia hoc etiam est contra com mune bonum status clericalis, in cujus favorem exemptio es introducta; tum etiam quia illa est quædam alienatio jurisdic tionis ecclesiasticæ, quæ inter bona ecclesiastica merito com putatur, ideoque sub prohibitione alienandi bona ecclesiastic merito comprehenditur.

22. *Concordia per Pontificem confirmata valida est et suffi ciens.*—Accedente autem Summi Pontificis consensu, non es dubium quin talis concordia valida sit, et consequenter suffi cientem excusationem inducat. Est autem considerandum, han Papæ approbationem habere vim cujusdam privilegii, ut i simili notavit Rebuffus, in Concordatis, tit. de Approbation Conventor., verb. «Privilegiis,» et est per se manifestum, qui etiam si fiat per modum contractus, est peculiaris favor per manens et stabilis, cum aliqua juris communis derogatione Quocirca excusatio hæc ad sequentem de privilegio revocatu unde sicut ibi dicemus, privilegium revocari posse per Pontifi

cem, ita de qualibet simili concordia ab eodem confirmata dicendum est. Nam, licet, post confirmationem, Prælati non possint a concordia recedere sua auctoritate, saltem invitis principibus sæcularibus, nihilominus Pontifex semper potest concordiam revocare, quia, ut dixi, confirmatio illa fuit quasi privilegii cujusdam concessio, quod revocari semper posse infra ostendam.

23. *Solutio.*—Contra hoc vero allegari potest Rebuffus, in Concordatis, tit. de Collat., qui in præfatione quæstionem proponit, in § «Insuper quæro, an altera pars valeat derogare his concordatis.» Et respondet non posse, loquiturque de concordatis inter regem et Papam. Et licet plura argumenta multiplicet, unicum tamen est fundamentum, scilicet, quia concordia illa transit in contractum, contractus autem obligat partes, etiam si supremi Principes sint. Sed imprimis casus, in quo versamur, videtur esse diversus, quia quando concordia fit inter Episcopos vel clerum alicujus regni et Regem, illi tantum sunt partes contrahentes; Pontifex autem, confirmando pactum, solum se gerit ut supremus dispensator, favorem et gratiam concedens utrique parti contrahenti tanquam sibi subditæ et inferiori, et ideo illam revocare potest. Quia vero instari potest, quod Papa in illo casu conjungitur clero tanquam caput, ejus consensum consummando, ideoque etiam considerari tanquam partem contrahentem, propterea ulterius addo, resolutionem illam Rebuffi aliqua declaratione vel limitatione indigere. Nam ex parte regis simpliciter verum est, non posse recedere a concordatis cum Papa, tum propter dictam rationem contractus; tum etiam quia si aliquid privilegii vel favoris ex parte regis sibi intercedit, concessum est a subdito suo superiori, et ideo est irrevocabile.

24. At vero ex parte Pontificis distinctione opus est, quia per nullum contractum potest Pontifex a se abdicare supremam potestatem spiritualem, quam habet ad disponendum ea, quæ ad convenientem Ecclesiæ gubernationem pertinent, et ideo,

licet sine causa non possit a concordia recedere, si tamen postea, mutatis rebus, vel melius perspectis, concordiam Ecclesiæ nocivam, aut non convenientem esse intellexerit, potest, revocando illam, ab ea recedere, compensando alteri parti damnum si quod fortasse ratione pacti præcedentis patiatur. Sic enim rex temporalis potest privilegium subdito suo concessum etiamsi in vim pacti transierit, revocare, dummodo et ad commune bonum regni expediat, et subdito restituat vel recompenset, quod ille in pacto præcedente ex parte sua contulerat, ut in materia de privilegiis latius traditum est. Quæ generalis doctrina speciali ratione locum habet in hac materia exemptionis tum quia, ut dicebam, quidquid in ea remittitur ex parte Ecclesiæ, ordinarie liberaliter sine compensatione conceditur; tum maxime quia in hac exemptione magis est attendendum bonum commune status clericalis, quam ulla conventio cum temporali principe facta, quia necesse est ut semper habeat illam conditionem tacite inclusam. Dummodo in præjudicium aut vexationem, vel vilipendium status clericalis non cedat, aut aliquando sequatur ex concordia. Intercedente ergo simili causa, poterit revocari; sine illa vero non poterit, saltem licite; si tamen fiat existimo factum tenere propter supremam spiritualem potestatem Papæ, quæ in se minui non potest, ut de privilegio statim dicam.

25. *Concordia inferioris Prælati cum laico absque jurisdictionis concessione facta valida est.*—Oportet autem advertere hæc omnia dicta esse, quando per concordiam conceditur laicis jurisdictio aliqua in clericos contra privilegium clericale; nam si non concedatur jurisdictio, sed tantum executio aliqua, vel ministerium facti, non repugnat fieri per concordiam inter Prælatum et judicem sæcularem, ut hic possit tanquam organum et minister Episcopi, actiones aliquas circa clericos exercere, quæ ad impedienda peccata, vel perturbationes publicas, convenientes judicentur, et sine indecentia clericalis status fieri possint, ut sunt, eripere arma clericis noctu illa portantibus, vel con-

prehendere clericum in gravi delicto inventum, et similes. Hoc supponunt omnes auctores supra allegati, approbantes hujusmodi consuetudines, quæ maxime ex hoc pacto, saltem implicite, honestantur. Sumitur etiam ex juribus, quæ declarant esse in Episcopis potestatem ad utendum hoc modo auxilio brachii sæcularis, cap. «Si vero,» de Sentent. excom., cum aliis supra allegatis. Non enim est necesse ut id semper faciant per speciale mandatum. Cur enim non poterunt etiam id efficere per aliquam generalem commissionem, seu concordiam, quatenus necessitas suæ diœcesis juxta suum prudens arbitrium postulaverit? Intelligendum autem est, hujusmodi licentiam seu concordiam, semper esse debere ab arbitrio Prælatorum Ecclesiæ dependentem; non enim possunt jus aliquod in hac parte tribuere sæcularibus judicibus, sed tantum illis ut instrumentis uti; instrumentum autem semper pendet a motione principalis agentis. Et ideo semper est integrum Prælatis prohibere judicibus, ne tales actiones exequantur, non obstante quacumque licentia, vel prætensa concordia, etiam consuetudine firmata; ita enim expedit ad bonum regimen status clericalis, et oppositum exemptioni clericorum multum derogaret.

26. Ultimo possunt ad hoc caput reduci nonnulli actus jurisdictionis, quos principes sæculares interdum circa ecclesiasticos exercent, non ut ecclesiastici sunt, sed ut sunt feudatarii, vel ministri civiles talium principum. Sic diximus supra causas feudales tractari debere coram domino feudi, etiam si supra ecclesiastica bona et contra clericos moveantur. Sic etiam Card. Bellarminus, contra Barclaium, cap. 35, defendit factum imperatoris Caroli V, qui Hermannum, Coloniensem Episcopum, ad suum tribunal vocavit. Quod factum objiciebat Barclaius; Cardinalis autem respondet, verum quidem id esse, sed vocasse illum ut principem imperii. Sic etiam solent reges visitare ministros suos et consiliarios, etiam si clerici sint, eosque temporalibus pœnis pecuniariis, vel depositione ab officio sæculari, et aliis similibus clericis non indecentibus, punire.

Quam consuetudinem defendunt Aufrerius, in Clem. «Pastoralis,» de Officio Ordin., reg. 1, fallent. 27 et 28; et Chasseneus, in Consuetud. Burgundiæ, v. «Justitiæ.» Videtur autem in hoc maxime fundari, quod tunc non considerantur, nisi sub respectu mere civili, et maxime quia sub ea conditione et pacto ad ea ministeria et officia regia acceptantur, quod pactum nec contra exemptionem ecclesiasticam, nec contra decentiam ecclesiastici status, aut bonos mores esse videtur, et ita est communi usu receptum et approbatum.

27. *Privilegium.* — Quinta excusatio erat privilegium, de quo in jure, ut sic dicam, nulla est difficultas, in facto autem est maxima. Duo enim, quæ ad jus pertinent, certa sunt: unum est, posse hoc privilegium concedi saltem a Summo Pontifice, quod supra probatum est, et ex usu satis constat. Alterum est, hoc privilegium posse a Pontifice revocari, ac proinde, ut ad legitimam excusationem prosit, non satis esse quod semel concessum seu obtentum sit, sed oportere ut perseveret non revocatum. Atque hoc etiam ex usu Pontificum constat; frequenter enim hujusmodi privilegia revocant per illa verba: «Non obstantibus quibuscumque privilegiis», ut patet ex cap. «Clericis» § ult., de Immunitat. eccl., in 6, ubi id notat Glossa; et ex cap. «Quia sæpe», de Election., in 6, cum similibus, et singulis annis fit talis revocatio in Bulla Cœnæ Domini. Ratio vero est, quia privilegium concessum subdito revocari potest ab eodem superiore, vel ejus successore, ut in lib. 8 de Legibus cum communi sententia probatum est. Hoc autem privilegium est hujusmodi, etiam si imperatori aut regibus sit concessum, quia datur a Papa, qui est superior illis, et ideo semper potest illud revocare.

28. In quo est considerandum, quod Papa, quando hoc privilegium concedit imperatori, verbi gratia, non solum remittit aliquid de privilegio quod fortasse ab ipso imperatore acceperat, seu committit illi aliquam partem jurisdictionis temporalis directæ, quam ipse imperator Ecclesiæ prius donaverat

sed etiam ex parte aufert privilegium a Christo ipso concessum, et derogat juri canonico, et in illo dispensat per suam spiritualem potestatem. Quia ergo hæc potestas semper in Pontifice manet integra (quia per nullum privilegium potest supremam jurisdictionem a se abdicare, ut cum Aretino, Baldo, et aliis recte notavit Felinus, in cap. «Novit», de Judiciis, num. 8), ideo semper potest Papa privilegium suum revocare, prohibendo sæculari principi usum temporalis potestatis circa clericum, seu reducendo jus divinum et canonicum ad suum integrum statum, ablata dispensatione. Imo etiam potest jurisdictionem temporalem directam, quam per suum privilegium principi sæculari commiserat, ab illo auferre, et ad se revocare, seu in se solo retinere. Quia verisimilius est, non illam a se abstulisse, sed quasi delegasse, et commisisse dependenter semper a voluntate sua, quia non amplius necessarium est ad finem privilegii, nec ex verbis ejus plus colligi potest. Hoc autem privilegium, quod minuit immunitatem, odiosum est, et ideo restringendum, ut illo modo intelligatur concessum, quo immunitati minus præjudicet, ideoque semper est revocabile, et per potestatem spiritualem, per quam Pontifex potest clericos eximere, et per supremam potestatem civilem, quam Pontifex nunc habet in personas et bona clericorum, quam nunquam a se abdicat, etiam si talia privilegia concedat.

29. *An aliqua privilegia contra immunitatem irrevocata subsistant. — Ratio dubitandi.* — Difficultas autem est, an de facto integra sint aliqua hujusmodi privilegia, vel potius omnia quæcumque fuerunt concessa, nunc sint revocata, ideoque talis excusatio, licet de possibili justa esse possit, de facto locum non habeat. Ratio dubitandi sumitur ex Bulla Cœnæ Domini (in aliis enim antiquis juribus vel Bullis non invenitur generalis revocatio), nam in clausula 19, post prohibitas actiones contra immunitatem, adduntur in Bulla Gregorii XIII hæc verba: Etiam prætextu quorumcumque privilegiorum a Sede Apostolica ex quibusvis causis, ac sub quibuscumque tenoribus et for-

mis, in genere, vel in specie concessorum quibuscumque regibus», etc., «quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nunc in irritum vocando.» Per quæ verba aperte revocantur privilegia omnia, et tot particulis additis augetur revocatio, ut omnia privilegia, et omnes modos, seu species illorum, omnemque materiam, et omnem formam, et quascumque personas comprehendere videatur. Et quamvis in posterioribus Bullis usque ad novissimam mutata sint illa verba, nihilominus eumdem sensum referre videntur, nam post prohibitionem sub censura additur hæc sola limitatio: «Sine speciali, specifica, et expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia.» Quæ exceptio extendit prohibitionem ad omnes alios casus, non obstantibus quibuscumque aliis privilegiis; nam licentia actualis et particularis in casu specifico non est proprie privilegium, sed potius dispensatio quædam, quæ a privilegio differt, ut in libro de Privilegiis dixi. Unde Navarr., in Sum., c. 27, n. 72, verba utriusque Bullæ referens, ingenue fatetur ibi esse revocata omnia privilegia; dubitat autem an possint excipi privilegia remunerativa, vel quæ sunt immemoriali consuetudine firmata; et sequitur Salzedo, in Scholiis ad practicam criminalem Bernardi Diaz, c. 55, § «Apud Gallos.» De qua exceptione statim dicam.

30. *Sententia negans.* — Nihilominus multi auctores, non solum antiqui, sed etiam moderni, utuntur hac excusatione privilegii ad aliquorum regnorum consuetudines defendendas. Ut de Hispania affirmat Bannez 2, 2, q. 67, art. 1, dub. 2 concl. 6; et Menochius, de Retinend. possess., remed. 3 n. 354; et de Gallia, Aufrerius, in Clementin 1, de Offic. ordinarii, limitat. 13; et Jul. Clar., lib. 5, § ult., quæst. 6, n. 26 et de republica Veneta, Gigas, in tract. de Crimin. læsæ Majest. quoad illud crimen in particulari. Difficile autem est solidum fundamentum hujus sententiæ afferre, aut probabili modo explicare illa verba revocatoria, ut prædictum effectum in omnibus privilegiis circa talem materiam non consequantur. Fortasse

autem illi auctores existimarunt talia privilegia esse remuneratoria, vel immemoriali consuetudine firmata, quæ etiam Navarr. excepit. Sed revera immerito excipiuntur ab iis verbis (præsertim ut habentur in Bulla Gregorii XIII) privilegia, quæ sunt in antiquo usu etiam immemoriali, quia, ut supra dixi, consuetudo in hac materia non addit firmitatem privilegio, cum in vi consuetudinis nullum jus inducat, ideoque immemoriale privilegium nihil speciale et proprium habet, ratione cujus sub generali revocatione et appellatione privilegiorum non comprehendatur. Quod etiam dicitur de privilegio remuneratorio, non satisfacit, tum quia sine probatione dicitur, omnia talia privilegia esse remuneratoria; tum etiam quia illa revocari possunt, ut supra dixi, et videntur satis comprehensa sub illis verbis, «ex quibus causis, ac sub quibuscumque formis ac tenoribus concessorum.»

31. *Sententia auctoris.* — Quapropter mihi valde probabile est, ex vi illorum verborum esse revocata privilegia quoad causas criminales, nam de illis tantum in illa clausula sermo est, ideoque in aliis materiis pertinentibus ad immunitatem clericorum habere poterit locum excusatio privilegii, ubi de illo satis constiterit. In criminalibus autem causis, et præsertim in capitalibus (ita enim loquitur expresse Gregorius XIII, in Bulla), videntur, ut dixi, privilegia revocata. Quia vero Sixtus V et posteriores Pontifices non ita expresse illam revocationem posuerunt, et verisimile est non sine causa illa verba mutasse, ideo non audeo damnare usum talium privilegiorum, sed hoc Apostolicæ Sedi remitto. Nam etiam Cardinalis Bellarminus, cap. 35 contra Barclaium, cum ille diceret esse in Gallia quædam delicta gravia, quæ privilegiata dicuntur, ipse respondet, ideo dici privilegiata, quia privilegio Sedis Apostolicæ indultum est regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut illam non improbant Julius Clarus et Aufrerius, quos allegat.

32. *Defensio justa.* — Sexta et ultima excusatio est justa

defensio regni aut innocentum, vel propria, et hæc est valde usitata in regiis tribunalibus, quia per se, et generatim spectata, habet magnam quamdam speciem illius naturalis æquitatis, qua «vim vi repellere licet.» Nam defensio ex suo genere omnibus licita est, si necessaria sit, et debito modo fiat; unde etiam contra Papam licitam esse regibus vel Ecclesiæ in tertio libro notatum est cum Cajetan., in Opusc. de Potest. Papæ, c. 27. Idemque in hac materia de exemptione notat Victoria, Relect. 1 de Potest. Ecclesiæ, n. 8, seu proposit. 8; Covarruvias, et multi alii moderni scriptores, Hispani præsertim et Galli, ex quibus videri possunt Didacus Perez, in legem 5, tit. 1, lib. 2 Ordinamenti; et Didacus Castillo, in l. 49 Tauri, n. 3; et Matthæus, de Afflict. in Decisionib. Neapolitan., decis. 2, 24, 85 et 363. Et ex antiquis Decius, in l. «Vim», ff. de Justit. et jur., n. 25; et Platea in l. «Prohibitum», C. de Jure fisci, lib. 10. Fundamentum autem est, quia illud principium: «Vim vi repellere licet», est de primævo jure naturali, teste Isidoro, in quinto libro Etymologiar., c. 4, et refertur in cap. «Jus naturale», distinct. 1, et confirmat D. Thom. 2. 2, quæst. 96, art. 4. Et ita illo utuntur jura canonica in cap. «Significasti», 2, de Homicid., cap «Si vero», 1, de Sentent. excomm.; ergo etiam licet laicis uti illa defensione contra clericos.

33. In hac autem materia videtur hic usus maxime necessarius, quia nisi hæc defensio interdum adhibeatur, sæpius innocentes gravissime opprimentur a suis proximis judicibus, vel Prælatis ecclesiasticis, quia vel omnino non possunt, vel non sine magno dispendio ad superiores Prælatos recurrere, et præsertim ad Romanam curiam longe distantem. Et addit Covarruvias signum hujus necessitatis esse, quod fere omnia catholica regna hac utuntur defensione, quod videant sine illa non posse innocentes suos defendere, cum tamen hoc ad suam conservationem, et consequenter ad officium suum pertineat. Sicut enim unusquisque homo jus habet vim vi repellendi, non solum quando fit toti corpori, sed etiam si cuilibet membro fiat, ita

respublica habet potestatem ad propulsandam vim cuicumque membro suo factam. Respublica autem transtulit suam potestatem et curam in regem, ideoque defensio hæc regibus specialiter commendata est, teste Hieronymo, Jerem., 22; et Isidoro, lib. 3 Sententiar., c. 53, et habentur in cap. «Regum», et cap. «Principes», 23, q. 5; et Augustino, ep. 50; et habetur in cap. «Maximianus», 23, q. 3. Et idem tradit Concilium Parisiense I, sub Ludovico, p. 2, c. 2 et 3. Rex autem, per sua tribunalia regia et alios ministros, illa potestate utitur. Ergo est justa hæc excusatio, quia et actio fit legitima potestate, et non est contra exemptionem, quia non est actus jurisdictionis, seu superioris, sed defensoris; a defensione autem nullus est exemptus.

34. Quamvis autem hæc defensio habeat, ut dixi, hanc speciem naturalis æquitatis, nihilominus illam applicare ad praxim, et ad excusanda plurima facta judicum sæcularium, difficillimum profecto est. Ut autem punctum difficultatis explicemus, suppono sermonem esse de defensione quæ fit, non titulo, vel potestate jurisdictionis circa aggressorem, sed quæ fit propria auctoritate, viribus, seu potentia, supposito justo titulo dominii, vel administrationis ejus rei, quæ defenditur, ne per violentiam auferatur. Quia cum sæcularis judex non habeat jurisdictionem in clericum, non potest propter defensionem uti jurisdictione in ipsum; ergo solum facto potest adversus clericum se vel alios defendere. In quo potest notari differentia inter Prælatum ecclesiasticum et magistratum civilem, nam si magistratus inferat vim Prælato, potest Prælatus se defendere per potestatem jurisdictionis spiritualis, in qua semper est superior, præcipiendo, interdicendo, et excommunicando; imo hic modus defensionis est illi magis proprius, quia per se non utitur gladio materiali, quamvis per laicos possit interdum illo uvari, prout necessarium vel opportunum fuerit. At vero judex laicus non potest se defendere a vi per clericum immissa, exercendo jurisdictionem in illum, quia illam non habet; oportet ergo ut sit defensio facti, qualis a privata persona fieri po-

test, si impetatur, etiam usque ad occisionem aggressoris, s necessaria fuerit.

35. *Duæ conditiones ad hanc excusationem omnino requisitæ.* — Deinde ut habeat locum hæc excusatio, necessariæ sunt duæ illæ vulgares conditiones requisitæ ad licitum usum illius principiis: « Vim vi repellere licet. » Una est, ut actualis vis ab altera parte inferatur, nam hoc ipsum imprimis supponitur in illismet verbis. Unde in præsenti, oportet ut vis sit clara e manifesta, quia contentio est inter subditum et superiorem, d quo subditus conqueri solet quod sibi vim inferat, et ideo necesse est ut sit clara et manifesta; nam si res sit dubia, semper pro superiori præsumendum est ideoque tunc nulla potestas laica vim facere potest contra judicem, vel Prælatum ecclesiasticum, ut suum subditum defendat, quia injustam vim inferret Prælato, privando illum jure suo, quod habet in casu dubio. Neque satis erit quod potestas sæcularis probabili judicio aut suspicione ducatur, nisi certo sciat nullam esse opinionem contrariam probabilem, juxta quam possit ecclesiasticus Prælatus practice juste præcipere, vel coactionem aliquam subdito inferre, quia si ita procedat revera practice nullam vim facit; nam speculative tantum res est dubia. Altera conditio est, ut defensio sit moderatæ tutelæ, ut jura et omnes Doctores declarant, ut alibi latius declaravi (1). Ad hanc ergo conditionem spectat, ut defensio per potestatem laicam necessaria sit; nam si is, qui conqueritur de suo Prælato vel de alia persona ecclesiastica coram potestate laica, possit sine gravi incommodo vel periculo æqualis vel majoris nocumenti, a superiori Prælato ecclesiastico defensionem postulare, profecto non inculpate se defendit a clerico per laicum, nec laicus ipse juste se intromittit, neque inculpate utitur potestate sua defensiva, quia sine ratione aut justo titulo jus alterius et munus usurpat. Et ita canones non

(1) Tom. 5, disp. 40, sect. 1.

permittunt postulare axilium sæcularis potestatis contra insolentias clericorum, nisi ubi per superiores Prælatos remedium adhiberi non potest, vel ab eis negligitur. Ut aperte docet Gelasius Papa, in c. «Quo ausu, et Concilium Antioch., in cap. «Si quis Episcopus», 23, q. 3, et Concilium Toletan. IX, in cap. «Filiis», 16, q. 7. Supposita autem necessitate, etiam pertinet ad hanc conditionem. ut actiones ipsæ, quibus fit defensio, non excedant modum debitum, ac prudenti arbitrio moderatum.

36. *Hanc defensionem semper fere per usum jurisdictionis a laicis exerceri.—Cuidam evasioni obviatur.—Refellitur alia evasio.*—Ex his ergo principiis oritur, ut dicebam, non parva difficultas in applicatione justa istius excusationis ad casus in hac materia occurrentes. Primo quidem quia hæc potestas, quam usurpant laici in ecclesiasticas personas vel causas, fere semper est per usum jurisdictionis, quia exercendo illius actiones, dicunt eum defendere, qui vim patitur. Nam frequentius fit hæc defensio deferendo causas clericorum vel ecclesiasticas ad tribunalia regia, ut ibi examinetur et judicetur, an judex ecclesiasticus vim inferat, necne. Hoc autem faciunt judices sæculares causam ad se advocando, et acta causæ cum processu in ecclesiastico tribunali formato ad se afferri præcipiendo, et postea causam juridice examinando, ac tandem sententiam de appellatione injuste negata, vel censura male imposita, vel alia vi simili injuste illata, proferendo; hi autem omnes sunt actus jurisdictionis. Respondent auctores, qui hunc morem defendunt, tunc judicem sæcularem non judicialiter sed extrajudicialiter procedere. Sed videntur profecto verbis illudere. Quid enim est judicialiter procedere, nisi, advocata causa illam publice examinare, et sententiam in illa cum auctoritate ferre? hæc autem facit judex sæcularis in illo articulo, in quo defensionem præbere dicit. Respondent alii non esse inconveniens, quod jurisdictione utatur in solo articulo, quem judicandum assumit, dummodo de principali causa, quæ est fundamentum controversiæ, non judicet. Sed hoc etiam nihil ad excusationem confert; satis est enim, quod ille

etiam articulus ad materiam ecclesiasticam pertineat, et quod ecclesiastica persona ad judicium sæculare tanquam rea in eodem articulo deferatur. Ergo in omnibus hujusmodi casibus non servatur prima conditio ad defensionem necessaria.

37. Unde etiam deficit alia, quia non præcedit certa et manifesta violentia. Et inde fit ut sine sufficienti causa vel occasione sub nomine defensionis usurpentur actiones, quæ revera non pertinent ad defensionem facti, ut sic dicam, sed ad defensionem juridicam, quam potest præstare judex legitimus sua jurisdictione utendo. Unde ulterius efficitur, ut illa non possit dici defensio moderatæ tutelæ, neque possit fundari in solo illo principio naturali: «Vim vi repellere licet», tum quia non fit per actionem licitam, sed per usurpatam jurisdictionem, ut ostensum est; tum etiam quia fit antequam constet certo vim inferri innocenti. Quod ex ipso facto manifestum est, quia ad hoc ipsum suam operam adhibet et se interponit judex sæcularis, ut juridice examinet an fiat vis necne; ergo non supponit certam et evidentem violentiam; ergo non supponitur talis status causæ, seu injuriæ, in quo possit juste per solam defensionem facti vis vi repelli. Quæ ratio locum habet, quotiescumque juridice cognoscendum est de justitia vel injustitia alicujus facti ecclesiastici judicis, vel cujuscumque clerici. Et declaratur a contrario, nam si laicus de suo judice sæculari conqueratur quod illi inferat vim, negando appellationem, vel quid simile non patienter feret judex sæcularis ut ecclesiasticus se intromittat, et auctoritatem suam interponat, acta causæ postulando sub præcepto vel censura, ad examinandum et judicandum an judex sæcularis vim faciat necne. Neque sæculares judices illam vocabunt defensionem in judice ecclesiastico, sed suæ jurisdictionis usurpationem; ergo eodem jure ipsi judices sæculares respectu ecclesiasticorum censeri debent, vel certe majori. Quia majorem potestatem habet ecclesiasticus judex supra laicum, quam e contrario, ut sæpe dictum est, quia Prælatus ecclesiasticus potest judicare de peccatis omnium suarum ovium

juxta cap. «Novit», de Judiciis, et cap. «Ex tenore», de Foro comp., et c. «Si quis de Potentibus», 24, q. 3. Et similiter munus defendendi innocentes magis incumbit Prælatis ecclesiasticis, quam sæcularibus magistratibus, ut notavit Glossa, in cap. «Regum», 23, q. 5, et sumi potest ex multis decretis, 87 dist.

38. *Defensionem, spirituulis potestatis usurpationem includentem, admittendam non esse.*—Quapropter difficile videtur hunc modum defensionis admittere aut approbare tanquam justum, ex vi solius legis naturalis, qua vim vi repellere licet, quoties non supponitur evidens et manifesta violentia solo facto impedienda, non jure examinanda aut vindicanda. Hæc enim duo in hac materia discernenda maxime sunt, ne jurisdictio pro defensione usurpetur. Poteruntque facile illa duo hoc exemplo distingui: nam rex Galliæ si videat manifestam vim et injuriam inferri innocenti a subdito alterius regis, verbi gratia, Angliæ, qui ad innocentem subditum suum occidendum aggreditur, potest illi facto resistere, et innocentem defendere, vim vi repellendo. Si tamen vis non sit manifesta et evidens, neque per actionem exterius violentam inferatur, sed in judicio sibi fieri subditus alterius regis conqueratur, opusque sit judiciario examine ad cognoscendum de violentia, non poterit profecto rex Galliæ sub specie defensionis, et ex vi illius principii, «Vim vi repellere licet», acta causæ postulare, ut de querela cognoscere et judicare valeat, ut est per se manifestum, tum ex usu et communi jure gentium; tum etiam quia si contrarium permitteretur, plurimarum perturbationum et dissensionum seminarium esset. Ergo signum est hanc posteriorem non esse defensionem, nec ex vi naturalis juris ei licere, qui jurisdictionem non habet.

39. *An prædicta defensio per jus canonicum liceat.*—*Prima opinio.*—Hinc ergo nonnulli auctores, videntes fortasse illam non esse legitimam excusationem pro omnibus similibus causis vel actionibus, addiderunt excusari judices sæculares similia facientes, quia hoc est illis jure canonico concessum, ideoque

non sine debita jurisdictione procedere. Unde in Bulla Cœnæ cum damnantur judices similes actus exercentes, additur: «Nis in casibus jure concessis.» Ita sentit Covarruvias, in Practic. c. 35, n. 4, § «Cæterum in hac regia,» ubi alios auctores refert Idem Navarr., in c. «Cum contingat,» de Rescr., remed. 1 § «Secundo infertur;» Rebuff, in comment. ad Constit. Gallic. tom. 3, tit. de Appellationibus tanquam ab abusu, n. 14; et i Concordat., t. ult. de Protect. concordator.; Azebedo, in lib. Novæ Recopilat. legum Hispaniæ, tit. 6, l. 2. Quod autem ju canonicum hanc potestatem principibus sæcularibus vel eorun magistratibus tribuerit, colligunt dicti auctores ex c. «Filiis e nepotibus,» 16, quæst. 7, quia in eo dicitur: «Si Metropolita nus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differat.» E simili modo allegant c. «Principes,» et c. «Regum,» c. «Admi nistratores,» 23, q. 5, et c. «Christianis,» et c. «Petimus,» 11 quæstione prima. Item c. «Quidam Monachi,» et c. «Probi num,» 16, q. 1, et c. «Non licuit,» dist. 17, et c. «Maximia nus,» 23, quæstione tertia, et c. «Boni principis,» 96 dist.

40. *Prædicta sententia in jure canonico fundamentum no habet. —Satisfit juribus in oppositum adductis.*—Circa hanc auter sententiam duo mihi dicenda videntur: unum est, sententia illam nullum in jure canonico habere fundamentum. Nam ill omnia, quæ afferuntur, sunt antiqui juris, et ideo licet aliqui simile in eis esset concessum, per noviora jura Decretalium Bullarum Pontificum esset revocatum. Sic enim ad cap. «Fili et nepotibus,» respondet Panormitan, in c. «Qualiter et quan do,» de Judiciis, ubi etiam Glossa idem sentit; et idem hab Stephanus Aufrerius, in tract. de Potest. sæcular. in ecclesias tic.; et Azor, tom. 1, lib. 5, cap. 14, q. 2, in fine. Non existim tamen necessarium ad revocationem antiquorum canonum re currere, quia in nullo eorum, quæ allegantur, sermo est de p testate jurisdictionis in res vel personas ecclesiasticas, qu laicis tribuatur. Et præsertim in cap. «Filiis,» solum dicitur, patronus Ecclesiæ, si viderit bona Ecclesiæ ab inferiorib

ricis defraudari, moneat Episcopum; si ab ipso Episcopo, moneat Metropolitanum; si a Metropolitano, «regiis auribus inare non differat;» quod non oportet intelligi, ut rex jurisdictione utatur in Metropolitanum, sed ut auctoritate sua illum moneat, vel, si non satis sit, implorato Pontifice, illius auctoritate illum cohibeat, interim vero facto et potentia impediat, ne Ecclesia in bonis suis injuriam aliquam vel damnum patiatur. Qui sensus et est conformis intentioni Concilii Toletani IX, magnus est illud caput, ut indicant illa verba: «Aut commonitione honesta conventione compescant,» quæ licet de ipsis patronis dicta sint, nihilominus regi accommodari possunt, quatenus indicant mentem Concilii fuisse, ut unaquæque persona, ibi nominata, juxta modum statui et conditioni suæ accommodato, remedium adhibeat. Nam si Concilium voluisset novam jurisdictionem regi in Metropolitanum tribuere, profecto clarioribus verbis id facere debuisset. Item alias potuisset tunc rex Metropolitanum in jus vocare, in carcerem mittere, et punire, quod est incredibile. Imo censeo solius Concilii provinciali auctoritate sine approbatione Pontificis fieri non potuisse. Denique, cum Concilium aliud non declaraverit, secundum regulas juris locutum fuisse intelligendum est; regula autem juris etiam antiquioris illo Concilio est, ut qui judicium ab imperatore petierit, «honore proprio privetur: si autem Episcopale judicium ab imperatore postulaverit, nihil ei obsit,» ex Concilio Milevitano, cap. 19, c. «Placuit,» 11, quæstione prima. Atque hic etiam sensus non displicuit Panormitano, et insinuatur etiam in marginali nota, quæ in C. Gregoriano habetur, et ex Archidiacono sumpta est.

41. Et juxta hunc sensum facillime et omnino vere intelliguntur reliqua jura allegata; in nullo enim illorum est sermo de jurisdictione, nec de actu qui illam requirat, sed de defensione, tuitione, aut auxilio quod et principes sæculares Ecclesiæ debent, et ecclesiastici Prælati ab illis possunt exigere. Sic Isidorus, in dicto cap. «Principes,» dixit, ipsos rationem esse

reddituros Deo propter Ecclesiam, quam a Christo «tuendam» suscipiunt. Hieronymus vero, in dict. cap. «Regum,» duo de Regibus dicit, scilicet, officium eorum esse facere judicium e justitiam; et liberare de manu calumniatorum vi oppressos, e miseris, qui facilius opprimuntur a potentibus, præbere auxi lium, ubi nihil in speciali dicit de clericis. Unde prior pars i suo foro et respectu subditorum intelligenda est, sub posterior vero possunt clerici in legitimo sensu comprehendi. Joanne autem Papa, in dicto cap, «Administratores,» solum monet ma gistratus sæculares, ut Prælatis ecclesiasticis eos monentibus ut ad Ecclesiarum «tuitionem,» pupillorum ac viduarum «pro tectionem,» rapaciumque refrænationem invigilent, obedian Gelasius autem Papa, in c. «Christianis,» potius dicit «cœles tem militem,» id est, clericum, «non nisi forum suum deber sectari,» occasione quorumdam clericorum, qui per regiam po testatem opprimebantur, ut in servitutem redigerentur. Et ido statim in capite sequenti duabus ecclesiasticis personis causa delegat, commendat tamen cuidam comiti, «ut si ad delegato rum judicium, eorum adversarii venire contempserint, sublim tatis ejus tuitione vallentur, ne quid illis aut subreptio a inimica legis violentia necessitatis imponat.» Ubi imploratu brachium sæculare ad resistendum alteri laico, non ad judican dum clericum.

42. Et hoc ipsum confirmat Concilium Carthaginense I in d. cap. «Petimus,» et extendit ad petendum auxilium a br chio sæculari, ad resistendum Prælato intruso et tyranno, qu his verbis moderatur et declarat: «Servata forma disciplinæ n æstimabitur appetitus, si a vestra charitate modeste convent recedere detractaverit, cum fuerit, sua contumacia facien etiam auctoritate judiciaria,» id est, sæculari, «conventus.» S militer Concilium Chalcedonense, in dicto cap. «Quidam m nachi,» dicit monachos esse cogendos per brachium sæcula (utique imploratum ab ecclesiastico) ut e curia exeant. Idemq facit Gelasius Papa, in dicto cap. «Probinum,» et in dicto c

bit. «Non licuit.» Similiterque Augustinus, in dict. cap. «Maximianus,» solum dicit esse laudabile in Episcopo petere ab imperatore auxilium contra hostes Ecclesiæ. Denique Marcellus Papa, in dicto cap. «Boni principis,» quod ad rem pertineat, solum dicit, «boni principis esse, sacerdotes Dei honorare atque tueri;» tueri autem non est judicare, et multo minus est honorare, quin potius contra honorem sacerdotum est, quod a laicis judicentur. Est ergo evidens in illis juribus nihil jurisdictionis in ecclesiasticos laicis tribui.

43. *Jus canonicum dictum defensionis modum non approbare.* — Unde ulterius concludo, verisimilem non esse supra dictam excusationem, nimirum, hæc fieri a laicis, licentia seu jurisdictione eis jure communi concessa. Probatur, quia jura antiqua illam non concedunt, ut probavi, nulla enim alia referuntur; jura autem noviora non solum non concedunt, sed omnino prohibent, ut cap. «Qualiter et quando,» de Judiciis, cum similibus; maxime vero hoc convincunt verba Concilii Lateranensis sub Leone X, sess. 9, in reformatione curiæ: «Cum a jure, tam divino quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes constitutiones,» etc. Unde Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 3, «nefas» dicit «esse cuilibet magistratui sæculari, prohibere eccleciastico judici ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet,» etc. Et rationem hanc reddit: «Cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.» Hujusmodi autem sunt omnes actiones, de quibus tractamus, ad quas sæculares judices jurisdictionem non habere, Concilium aperte tradit.

44. Denique est manifesta ratio, quia judices sæculares etiam in materiis spiritualibus hanc vim (ut ipsi loquuntur) per easdem actiones auferre volunt; in illis autem materiis necessaria est jurisdictio spiritualis, quæ nullo jure divino aut naturali competit laicis, et jure canonico semper a principio fuit denegata laicis talis jurisdictio, ut supra probatum est, et cons-

tat ex decretis d. 96. Et quamvis Papa de absoluta potestat eam possit illis delegare, ordinarie id non facit; ergo non es verisimile, jure communi esse datam sæcularibus totam juris dictionem ecclesiasticam, quæ ad honestandas omnes illas ac tiones, quas ipsi usurpant, necessaria est. Imo inde etiam con cluditur, nullam omnino communicari, tum quia eadem es ratio totius et singularum partium; tum etiam quia si quis rect consideret, semper causa, quam isti judices ad se advocant, e de qua volunt cognoscere, ecclesiastica est, nimirum, sententi a judice ecclesiastico lata, vel aliquid simile.

45. *Aliorum evasio.*—Quapropter alii auctores sentiente cum præcedentibus, necessariam esse jurisdictionem ab eccle siastico Prælato manantem, ut tales actiones juste fiant, a privilegium Apostolicum recurrunt, affirmantque in regnis ca tholicis, in quibus hæ actiones in praxi tolerantur, esse privile gium a Pontificibus concessum ob causas justas, præsertim a reprimendos Vicarios Episcoporum ab insolentiis (ut ait Banne statim citandus), et ut pauperes, et minus potentes, qui sæpiu hanc vim patiuntur, facilius vel sine magno dispendio reme dium aliquod habere possint. Atque ita de regno Galliæ testa tur Menochius, de Retinend. possess., remed. 3, n. 354, et in dicat sæpe Rebuff., in locis allegatis; et de Hispania ide affirmat Dominicus Bannez, 2. 2, q. 67, art. 1, dub. 2, concl. Et in hoc regno, scimus fieri multa similia, et prætextu simil privilegii defendi, vel ratione cujusdam concordiæ per Pontif cem approbatæ vel concessæ, donec per Sedem Apostolica aliud ordinetur, quod perinde est. Et revera ego etiam alia viam non invenio, qua possint similes actiones a violation exemptionis excusari. Quia vero pendet hæc excusatio ex fact id est, an talia privilegia sint revera his regnis vel eoru principibus concessa, et an in sua vi perseverent, fuerint perpetua, de quibus circumstantiis mihi non constat, ideo ne que approbare possum nec reprobare hujusmodi facta, sed illu Apostolicæ Sedi remitto. Solumque assero, ut principes vel m

gistratus civiles tuta conscientia possint hoc genus jurisdictionis exercere, necessarium esse ut de privilegio, quod est illius fundamentum, sufficientem satisque probabilem notitiam habeant, et quod a Pontificibus revocatum non sit; hac autem notitia supposita, cætera, quæ ad hanc materiam spectant, sufficienter ex principiis positis definiri posse existimo.

SUPERIORIS LIBRI SUMMA

46. Quamvis in hoc opere, fidei catholicæ causam et defensionem, potius quam mores instruendi munus assumpserim, nihilominus in hoc quarto libro utrumque officium pro viribus explere necessarium duxi. Tum ut labor noster Catholicis, quibus maxime debitores sumus, usui magis esse posset; tum etiam ut non solum hæreticorum errores refellendo, argumentaque solvendo, sed etiam morum honestatem et æquitatem, quæ in utriusque fori ecclesiastici et civilis distinctione ac separatione cernitur, explicando, plenius regi Angliæ, ejusque Protestantibus, aliisque libertatis ecclesiasticæ inimicis, quantum in nobis est, satisfaceremus. Cum ergo in tractatu de clericorum exemptione, seu ecclesiastica immunitate, duas controversias esse conspicerem, ad fidem unam, alteram ad mores spectantem, ita utramque pertractare curavi, ut et illius, quæ in nobis est, fidelis doctrinæ rationem redderem, et quomodo in usu et praxi servanda sit, docerem. Quam ob causam prius exemptionem ipsam ex fidei principiis ac fundamentis, hoc est, ex verbo Dei scripto, et non scripto, sed antiqua Patrum et Ecclesiæ traditione firmato, stabilire studui. Deinde immunitatem hanc ecclesiasticam non solum jure Pontificio ac Cæsareo introductam esse, verum etiam ipsi divino juri, tam veteri quam novo, imo etiam naturali valde consentaneam esse demonstravi. Quia revera neque in divino cultu reverentia debita, ac decentia, ne-

que in ecclesiasticis moribus honestas, neque in ecclesiastica hierarchia decor, ordo, et pulchritudo sine hoc immunitatis jure ac privilegio subsistere posset. Quod ut evidentius constaret, rationem et modum quo usu et moribus talis exemptio servanda est, luculentius declaravi.

47. Quæ omnia, si rex Serenissimus Angliæ, attente ac sincere, depositoque nimio dominandi ac imperandi affectu, considerare voluerit, futurum spero, ut non tam gravate ferat, quam in sua præfatione significat, tantam hominum et fundorum partem regum potestati et jurisdictioni subductam esse; quia neque majestas regia inde obscuratur, sed illustrior fit, nec minuitur potentia, sed augetur. Nil enim christianum et catholicum regem ita illustrat, clarumque ac celebrem reddit, sicut integra in Deum pietas et religionis cultus; nam, ut optime dixit Cyrillus (1), ad Theodosium scribens: «Gloriosa in Deum pietas regiis honoribus immobile fundamentam est», unde subjungit, «principes pietatis cultores sine labore vincere, et adversariis prævalere.» Ideoque (ut Nicephor. refert) (2) idem Theodosius nihil aliud filiis, Arcadio et Honorio, moriens mandavit, quam ut veram pietatem integram servarent, per quam et pacem habituros, et victoriam a Deo consecuturos esse sperabat. Filii autem, parenti fidem et obedientiam exhibentes (eodem Nicephoro teste), «quæcumque decesssores eorum pii imperatores pro Ecclesiis statuerant, et ipsi confirmarunt, eaque firmiter servarunt, aliaque insuper Deo grata addiderunt.» Intelligebant quippe religiosi principes, prærogativas et immunitates rebus divinis concessas, non hominibus datas esse, sed Deo, a quo regnorum omnium felicitas et conservatio pendet; ac proinde, «tunc Christi dextera imperium defendi, quando Ecclesiæ status inconcussus servatur» (3), ut Leo Papa dixit.

(1) Lib. de Recta fid. ad Theodos.
(2) Lib. 13 Histor., cap. 1.
(3) Epist. 25.

Ex quo intulit D. Thomas, lib. 2 de Regim. Princip., sub finem, regem et principem toto conatu et sollicitudine divino cultui teneri incumbere; non solum quia homo, sed etiam quia dominus et rex est, et Dei vices gerit, a quo maxime pendet. Unde subdit inferius, «omnes reges, qui ad divinam reverentiam fuerunt solliciti, feliciter suum cursum consummasse; qui vero e contra, infelicem consecutos exitum fuisse.» Absit igitur a christiano rege ut ecclesiasticam libertatem, propter divinum cultum introductam, et tam divina quam humana lege sancitam, et diuturna Ecclesiæ Catholicæ consuetudine stabilitam, et antiquorum Patrum, posteriorumque fidelium scriptorum auctoritate probatam, paucorum Novantium suasu, vel studio ac desiderio temporalem dominationem amplificandi, evertere moliatur. Id enim non gloriam, sed ignominiam ei afferet, et terrenum regnum non augebit, sed auferet sempiternum. Quod ne Jacobo regi contingat, toto corde optamus, et obnixe petimus ab illo, in cujus manu cor regis est, et in saniorem partem illud vertere potest, et veritatis radiis ita illustrare, ut amplius ab ipso non avertatur.

FINIS LIBRI QUARTI

INDEX

LIBER QUARTUS

Pag.

Liber quartus. — De immunitate ecclesiastica seu exemptione clericorum a jurisdictione temporalium principum. 5

Caput primum.—Quid nominibus ecclesiasticæ immunitatis, libertatis ac exemptionis significetur? . . 7

Caput II.—Utrum clerici in spiritualibus et ecclesiasticis causis a potestate principum sæcularium jure divino exempti sint. 17

Caput III.—Utrum personæ ecclesiasticæ a jurisdictione principum, etiam in rebus et causis temporalibus, eximi potuerint, et exemptæ sint? 25

Caput IV.—Utrum Summus Pontifex omni jure divino et humano ab omni jurisdictione sæcularium principum exemptus sit. 43

Caput V.— Expenditur locus Matthæi, «Da eis pro me et te», pro Summi Pontificis exemptione. . . . 52

Caput VI. — Objectionibus contra resolutionem superiorum capitum satisfit 62

Caput VII. — Sextæ objectioni satisfit, et tractatur quæstio an Papa possit se humano judicio submittere. 75

Caput VIII. — Utrum clerici omnes sub Pontifice existentes a jurisdictione temporalium Principum jure

Pag.

divino exempti sint, et tractantur duæ contrariæ opiniones. 84
Caput IX.—Privilegium fori clericorum jure divino et humano esse fundatum, et quomodo id intelligendum sit. 97
Caput X.—Quomodo singulis clericorum vel personarum ecclesiasticarum ordinibus exemptio ecclesiastica jure divino conveniat. 117
Caput XI.—Utrum secluso jure divino immediato potuisset exemptio clericorum per jus canonicum sine adminiculo juris civili introduci. 123
Caput XII.—Utrum privilegium fori clericorum etiam jure civili fundatum sit. 141
Caput XIII.—Difficultati quæ ex præcedenti capite oritur occurritur, et quomodo Ecclesia diversis temporibus privilegio fori usa fuerit, explicatur. . . . 149
Caput XIV.—Qualis sit clericorum exemptio in causis civilibus. 164
Caput XV.—Qualis sit exemptio clericorum in causis criminalibus. 178
Caput XVI.—An privilegium fori exemptionem a legibus civilibus includat, et qualis illa sit. 189
Caput XVII.—Quale sit Ecclesiarum privilegium quoad suam suorumque bonorum exemptionem ab oneribus, et a potestate sæculari. 205
Caput XVIII.—An exemptio a tributis sæcularibus conveniat ecclesiis, earumque bonis, quatenus Christi patrimonium sunt. 213
Caput XIX.—An exemptio a tributis sæcularibus conveniat ecclesiæ, et rebus sacris ob earum specialem sanctitatem seu consecrationem. 219
Caput XX.—Utrum quælibet bona cum ecclesiastica fiunt, eo ipso sint ab omni tributo et onere civili illis inhærente exempta. 225
Caput XXI.—Aliquibus objectionibus occurritur, et quam sit antiqua hæc bonorum ecclesiasticorum

Pag.

exemptio, obiter explicatur. 248
Caput XXII.—Qualis sit exemptio ecclesiastica quoad personalia onera clericorum.. 259
Caput XXIII.—Utrum redditus ecclesiastici clericorum a tributis exempti sint. 272
Caput XXIV.—Utrum patrimonialia, et in universum bona temporalia clericorum sub communibus legibus sæcularium tributorum comprehendantur. . . 279
Caput XXV.—An clerici teneantur ad onera realia solvenda, quæ rebus immobilibus adhærent. . . . 286
Caput XXVI.—An clerici ad communes civium expensas contribuere teneantur. 291
Caput XXVII.—Utrum omnes clerici, tam in sacris quam in minoribus ordinibus constituti, et in statu clericali perseverantes, integre gaudeant ecclesiastica libertate? 305
Caput XXVIII.—An clerici conjugati privilegio ecclesiasticæ exemptionis gaudeant. 321
Caput XXIX.—Utrum aliæ personæ ecclesiasticæ ordinem nullum habentes exemptione fori integre gaudeant.. 329
Caput XXX.—An privilegium immunitatis clericorum ab aliquo homine revocari possit? 338
Caput XXXI.—Utrum privilegium clericorum possit per renunciationem amitti vel diminui? . . . 354
Caput XXXII.—Utrum privilegium clericorum consuetudine amitti vel minui possit. 364
Caput XXXIII.—Quibus modis possit immunitas ecclesiastica violari. 379
Caput XXXIV.—Quibus modis actiones contra libertatem ecclesiasticam excusari soleant, et quid de illis judicandum sit. 388

MENDA SIC EMENDA

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
65	6	ex	et
110	19	sumiliter	similiter
121	15	vocali	vocati
141	27	juri	jure
333	14	unam	unum
386	6	in citati jusribus	in citatis juribus

R. P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

TOMUS QUINTUS

DEFENSIO
FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

CUM RESPONSIONE AD APOLOGIAM PRO JURAMENTO FIDELITATIS, ET EPISTOLAM AD PRINCIPES CHRISTIANOS SERENISSIMI JACOBI ANGLIÆ REGIS

R. P. FRANCISCO SUAREZ

E SOCIETATE JESU

Accuratissima completaque editio a Bibliothecariis VERÆ SCIENTIÆ HISPANÆ *compulsata*

TOMUS QUINTUS

BARCINONE

APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA

IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16

1882

Eccles. super. permisu

LIBER QUINTUS

DE

ANTICHRISTO

CUJUS NOMEN ET PERSONAM PER CALUMNIAM ET INJURIAM

FALSO PROTESTANTES PONTIFICI ATTRIBUUNT

Quoniam doctissimi nostri temporis catholicique scriptores (ut interim antiquiores omittam) totam de Antichristo materiam accurate disputarunt, eamdemque nos jam alibi pro nostra tenuitate prosecuti sumus, liber hic parum necessarius alicui videri potest, præsertim quia superioribus non ita connectitur, ut propter doctrinæ consecutionem postulari videatur. Verumtatem rex Angliæ, cui initio hujus operis respondere proposuimus, nos vel invitos laborem hunc iterum subire compellit. Ille enim in sua Præfatione post suæ fidei professionem, ad disputationem de Antichristo repente digreditur, et peculiarem eorum, quæ pro sua opinione protulit, responsionem postulat, dicens: *Id mihi maxime in votis est, ut si cui hanc meam*

de Antichristo conjecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respondeat; ideoque necessarium ducimus, et cum illo digredi, et singulis ejus conjecturis peculiare tribuere responsum. Neque enim illud prætermittendum censuimus, eo quod rex solis conjecturis se niti fateatur; quia in re adeo absurda, et plane incredibili, et Ecclesiæ Catholicæ nimis odiosa et perniciosa, nec conjecturæ permittendæ sunt, sed penitus extirpandæ. Quam ob causam iterum de Antichristo disputationem texere, imo etiam, si necesse sit, eadem iterum repetere non sum veritus, dummodo, quantum in me est, omnibus, tam sapientibus quam insipientibus, satisfaciam, utrisque enim (teste Apostolo) (1) debitores sumus. Ne tamen lectori molesti simus, non omnia quæ de Antichristo tractari solent, sed ea solum quæ causæ, et peculiari responsioni, quam rex postulat, inservire queant, attingemus. Et singula membra, quæ rex distinguit, singulatim etiam expendemus, non tamen eodem ordine, sed ea semper præmittemus, quæ vel evidentiora sunt, et in Scripturis clariora, vel quorum cognitio ad ea, quæ minus nota sunt, vel a prioribus pendent, aliquid conferre posse censebimus.

(1) Rom., 1.

CAPUT PRIMUM

De Antichristi nomine, ejusque varia significatione

1. *Nominis etymon.*—Prius quam de re ipsa dicamus, visum est de nomine Antichristi pauca præmittere, ut omnes Protestantium technas, vel potius in Christi Vicarium contumelias detegamus. Nomen igitur «Antichristus» græcum esse, seu a Græcis desumptum, nemo est qui nesciat. Componitur autem ab *anti* et *jritztos*. In qua compositione certum est, Christi nomen, ut est proprium Jesu Salvatoris nostri, usurpari. Quamvis enim hoc nomen, ut ab unctione derivatum, generalius sit, et quoscumque homines per sacram aliquam unctionem in dignitate assumptos significare soleat juxta illud: «Nolite tangere Christos meos», Psal. 104, nihilominus Messiam, seu Christum Dominum, præsertim post ejus adventum, per antonomasiam significat, sicut etiam in lege veteri fuerat præsignificatum, ut Joannes, cap. 4, indicavit: «Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus»; et exposuit August., tractat. 15 et 33 in Joan.; et optime Cyrillus, cateches. 4 mystag.; Euseb., lib. 1 Histor., c. 3, et lib. 4 de Demonstrat., c. 10; et Lactan., lib. 4, c. 7, et alii, quos late retuli in tom. 1 tertiæ partis, disput. 18, sect. 2.

2. *Falsa hæreticorum de hoc nomine etymologia.—Antichristus significat Christi adversarium. — Probatur ex Scriptura.*— Particulam vero *anti* contendunt hæretici, non oppositionem, sed vicem, seu loco alterius subrogationem, in illa compositione significare, et ita Antichristum eum esse, qui se Christi vicarium appellat. Sed ducuntur profecto spiritu decipiendi simplices, saltem per nominis ineptam accommodationem. Et ideo, omissa quæstione de illa duplici significatione dictionis *anti*,

secundum se et generali usu Græcorum spectatæ, a nobis soluni consideranda est prout in illius nominis compositionem secundum Scripturæ, Ecclesiæ et Patrum usum assumpta est. Sic ergo certum est, contrarietatem et oppositionem significare, nomenque «Antichristi», insignem Christi hostem designare. Sumpsit enim Ecclesia vocem hanc ex Scriptura, in qua nullum aliun habet significatum. Nullibi enim reperitur hæc ipsa vox in Scriptura, nisi in epist. 1 et 2 Joannis, ibi autem aperte significat hostem Christi. Nam cum cap. 2 dixisset: «Audistis, quia Antichristus venit», subdit inferius: «Quis est mendax, nisi is qui negat, quia Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.» Ex quibus verbis evidenter constat Antichristum opponi Christo, negando Jesum esse Christum illum utique singulariter promissum, ex duplici natura in una persona divina compositum, et ipsamet divinitate et Spiritu Sancto singulariter unctum, ac proinde per antonomasiam Christum. Unde cap. 4 repetit: «Omnis spiritus, qui solvit Jesum ex Deo non est, et hic est Antichristus. Solvere» autem «Jesum», nihil aliud est quam negare, Jesum esse divinitate unctum, per singularem utique unionem humanitatis ad Verbum: et hæc est summa ad Christum oppositio, ut idem Apostolus iterum, epist. 2, explicavit, dicens: «Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne, hic est seductor et Antichristus.» In Scriptura ergo non habet nomen istud alium usum. In aliis vero Scripturæ locis, in quibus non nominatur, sed describitur Antichristus summus adversarius Christi depingitur. Nam Daniel., 9, et Matth., 24, per «abominationem desolationis», Antichristum prædici creditur, et de illo dicitur, sedem et nomen Christi usurpaturum, maximamque persecutionem contra Christum in Ecclesia sua esse excitaturum. Et de eodem intelliguntur verba Christi, Joan., 5: «Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me; si alius venerit nomine suo, illum accipietis.» De eodem etiam loquitur Paulus, 2 ad Thessalon., 2, ubi his no-

minibus illum onerat: «Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.» Et tandem ut ostendat Paulus summam oppositionem Antichristi cum Christo, adjungit: «Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.» Apud Danielem item et in Apocalypsi describitur Antichristus tanquam insignis Christi adversarius, ut infra videbimus.

3. *Probatur ex Patribus.*—Atque in hunc modum de Antichristo et nomine ejus senserunt SS. Patres, exponentes hæc loca: Chrysost., Hom. 4 in Joan.; Cyrill., lib. 3 in Joan., cap. 6; et ibi Theophyl., Euth. et Beda; et late Iren., lib. 5 Contr. hæres., cap. 25; Amb., in Psal. 43, et lib. 1 de Spiritu Sancto, c. 14; Nazianz., orat. 47, quæ inscribitur «Significatio in Ezech.», et in Iambico inscripto: «Definitionis minus exactæ», in fine; Ruffin., in Exposit. Symbol.; Hilar., lib. de Unit. Patris et Filii, satis a principio, si ejus est opus. Melius et certius lib. contr. Auxent., in principio: «Nominis Antichristi proprietas (inquit) est, Christo esse contrarium.» Et Hieronym., ep. 151 ad Algas., q. 11: «Ipse est enim universorum perditio, qui adversatur Christo, et ideo vocatur Antichristus.» Et hac ratione, lib. 2 contr. Jovinian., in princip.: «Quomodo dies et nox misceri non possunt, ita nec justitia et iniquitas, peccatum et bona opera, Christus et Antichristus.» Augustinus, tract. 3 in ep. 1 Joan.: «Latine», ait, «Antichristus contrarius est Christo», et postea reprehendit eos, qui interpretabantur nomen Antichristi, id est, ante Christum, et inquit: «Non sic dicitur, non sic scribitur, sed Antichristus, id est, contrarius Christo.» Et optime Damas., lib. 4, c. 27: «Non nobis, sed Judæis veniet; non pro Christo, sed adversus Christum, qua etiam de causa Antichristus dicitur.» Et in tom. 9 Operum Augustini, auctor tractatus de Antichristo sic inchoat: «De Antichristo scire volentes, primo notabitis, quare sic vocatus sit, ideo, scilicet, quia Chris-

to in omnibus contrarius erit, et Christo contraria faciet.» E licet ille tractatus non censeatur esse Augustini, auctoritate habet, et Rabani esse creditur. Et Hugo Eterian., lib. de Regres. animar., cap. 23: «Erit (inquit de Antichristo) homo, no Angelus, qui adversabitur Christo, et membris ejus; inde An tichristus appellandus.» Pluresque alios in sequenti capite re feremus.

4. Cum ergo hæretici nec etymologiam hanc, nec signifi cationem negare possint, quid eis prodest, mutata vocis etymo logia et nova significatione ex proprio cerebro illi attributa saltem nomine Vicarium Christi Antichristum appellare? Nam si de solo nomine in hoc contendere student, contemnend sunt, et ad scholas grammaticorum remittendi. Si vero, sub ill specie et umbra vocis, suadere contendunt illum esse verum An tichristum sub hac propria vocis significatione, et tanquam il adversarius, qui se Vicarium Christi, atque adeo Antichristum i alia ab eis cogitata significatione, appellat, ita ut intelligant, no quemlibet hostem Christi, sed illum qui sub nomine Vicar ejus illi opponitur, esse Antichristum, respondemus in primi eum, qui non per rapinam vel usurpationem se Christi Vica rium nominat, sed quia ab ipso Christo constitutus est, no esse Christi hostem, et ex hac parte non posse esse Antichri tum. Deinde dicimus, illud signum Antichristi non inveniri Scripturis, nec in illis, vel a Patribus traditum esse, nimirun Antichristum esse oppugnaturum Christum sub specie Vica ejus, sed aperte usurpando ipsum Christi nomen et dignitate Et ideo, hac vana cogitatione et novitate omissa, per signa A tichristi in Scriptura fundata discurrendum est.

5. *Nominis Antichristi duplex significatio.* — Non possu autem omittere, quin prius advertam, ex hac nominis huj etymologia, et ex dictis testimoniis duplicem hujus vocis a ceptionem distinguendam esse. Unam propriam, aliam com munem, seu translatam appellare possumus. Nam quia nom Antichristi hominem Christi contrarium significat, per anton

nasiam accipitur ut nomen proprium singularis cujusdam hominis maximi Christi et Ecclesiæ adversarii; generali autem modo, etiam de aliis Christi hostibus dicitur. Hac duplici ejus nominis acceptione usus est Joannes, dicta epist. 1, cap. 2, cum dixit: «Audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt.» Et rationem hujus posterioris significationis inferius insinuans, dicit: «Qui negat quoniam Jesus est Christus, hic est Antichristus.» Idemque fere repetit cap. 4, et in epist. 2. Et ita ex hoc loco duplicem hanc illius nominis acceptionem adnotarunt Patres ibi, et Matth., 24, et 2 Thessal., 2, ubi Hieronym., Chrys., OEcumen. et alii. Et optime Cyprian, epist. 76, in principio, dicens, Joannem, «universos, qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam facerent, Antichristos appellare.» Et infra: «Unde apparet, adversarios Domini Antichristos omnes esse»; et similia fere habet epistola septima. Et August., lib. 2 contra Advesarium legis et Prophetarum, cap, ultimo, de illo ait: «Deus verus est, in cujus templum falsus ille (id est Antichristus) sessurus est, ad quem pertinet etiam iste (utique legis adversarius) qui sub nomine Christi, quod est nomen Dei, hoc est, Christianum se videri volens, semper extollitur contra Christum, seque ostendit Antichristum, non unum illum majorem cæteris sed ex his aliquem, de quibus dicit Joannes Evangelista: Nunc Antichristi multi facti sunt (1). Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apostolorum esse jam cæperant.» Idem, lib. 20 de Civitat., cop. 19. Unde etiam Hieronym., Naum 2, tractans illud 1 Petr., 5: «Adversarius vester diabolus tanquam leo», etc., subjungit: «Calulus leonis Antichristus, et omnes doctrinæ perversæ», etc. Et infra: «Audistis, inquit Joannes, quia Antichristi multi sunt, tot enim Antichristi sunt, quot dogmata falsa.» Et Matth., 7, in fine, omnes», qui contra Christum sapiunt», Antichristos vocat. Quæ

(1) 1 Joann., 2.

omnia confirmant quod diximus, Antichristum ex summa a
Christum oppositione ita esse appellatum, et inde derivatur
esse nomen ad alios insigniores Christi adversarios denotandos
Sicut etiam communi usu, hominem valde crudelem Neronem
esse dicimus, et similem tyrannum esse Diocletianum, et mag
num philosophum esse Aristotelem, et sic de aliis. De hac erg
translata significatione nulla est dubitatio; de altera vero supe
est cum hæreticis controversia, quam sequenti capite prose
quemur.

CAPUT II

Utrum Antichristus proprie dictus sit homo aliquis singularis, vel sedes aliqua seu imperium

1. *Opinio hæreticorum.* — Hæretici contendunt non ess
singularem personam, sed seriem, vel genus personarum i
aliqua sede vel imperio succedentium; quem errorem excog
tarunt, ut Papam Antichristum esse suaderent. Hunc errore
insinuarunt Wicleph., art. 30, et Joan. Hus, art. 19, damna
in Concilio Constant., sess. 8 et 15. Clarius Luther., in cap. 4
Genes., ubi hac ratione rejicit communem sententiam asserer
tem, Antichristum futurum esse de tribu Dan, quam fuisse d
cit diaboli inventum. Et quidam Rodolphus Gualter., in Hom
liis de Antichristo, irridet eos, qui asserunt Antichristum fo
certum singularem hominem. Sic etiam Beza, in 2 Thess.,
dicit, licet Paulus loquatur de Antichristo ut de quodam ho
mine, sub illo nihilominus intelligere totum corpus ecclesias
ticæ tyrannidis, ita vero ut peculiarem tyrannidem declare
nimirum Romanam. Unde concludit, manifeste hallucinat
esse, quicumque Paulum de uno quopiam homine esse locu
tum intellexerunt, nisi dent quempiam qui a Pauli sæculo a

liem usque judicii superstes maneat. Denique Calvinus etiam n eodem loco, et lib. 4 de Justit., c. 7, idem supponit, cum 'apam dicit esse Antichristum. Et hæc sententia placuit Jacobo egi, qui solis conjecturis duci fatetur (1); quales autem illæ sint ostea videbimus.

2. *Veritas Catholica tenet, Antichristum singularem futurum. —Probatur ex Scriptura.*—Veritas catholica et in fide certa est, ntichristum, proprie seu antonomastice sumptum, futurum sse singularem quemdam hominem insignem, ac peculiarem hristi adversarium. Ita docent sapientes et catholici viri, qui ac ætate contra hæreticos decertarunt, et hoc punctum magna iligentia et eruditione tractarunt. Et probatur breviter ex sa- ra Scriptura et Patribus. Et imprimis expendo locum 2 ad Thes- al., 2, ubi, licet Antichristus hoc nomine non exprimatur, de llo nihilominus loqui Paulum, sancti omnes et catholici do- ent (2), nec hæretici negant; imo eumdem locum in contrarium nducunt, ut postea videbimus. In illo igitur loco instruit Pau- us Thessalonicenses, ut non perturbentur cogitantes diem Do- nini, id est, ultimi judicii, jam esse propinquum, quia necesse st ut Antichristi adventus et persecutio antecedat. Unde ait: Neque vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio rimum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui dversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut uod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, tanquam sit Deus.» t infra: «Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Je- us interficiet,» etc.

3. *Expenduntur singula D. Pauli verba.*—Profecto si verba ngula attente ponderentur, non possunt proprie ac sincere telligi, nisi de singulari ac definita persona. Quis enim thro-

(1) In Præfatione, p. 28, 29.

(2) Bellarmin., lib. 3 de Rom. Pontif; Sander., l 8 de Visib. Monar.; no. Malvend., in opere de Antichr.; Joseph. Acost., in opere de Tempor i b. oviss.

num aliquem vel sedem regni, «hominem peccati,» aut «filiu perditionis,» appellare solet? Similia enim verba non collectio nem, vel successionem, sed determinatam personam in rigor significant, neque a sua propria significatione violenter et sin causa extrahenda sunt. Præsertim quia tot circumstantiis, mo ribus et conditionibus ille homo vestitur, et a Paulo ac proph tis describitur, ut necessario uni tantum personæ convenir debeant. Ut cum Paulus ait: «Cujus est adventus secundu operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigi mendacibus (1), et similia, quia verisimile non est in omnibu successoribus, seu regibus alicujus regni omnes illas proprieta tes et morum qualitates esse futuras. Accedit, Paulum non al solute «hominem,» sed cum articulo græco, «illum homine peccati» dixisse, ut etiam latine Ambrosius legit, et Vatabl vertit; articulus autem græcus vim habet indicandi singulare personam, ut infra ex Patribus ostendam. Imo notatione dig num est, Paulum quater repetere illum articulum, dicens: «Il homo peccati, ille filius perditionis, ille, qui adversatur,» et Et infra: «Tunc revelabitur ille iniquus.» Positus ergo est a designandam singularem personam, quam etiam demonstr relativum, «cujus est adventus,» etc. Et adhuc apertius pronc men «Ille iniquus,» cum subsequenti relativo, «quem Domin Jesus interficiet,» etc.

4. *Probatur ex Patribus. — Antichristus dæmon non erit.* Atque ita hunc locum Patres intellexerunt: D. Chrysostomu orat. 3 et 4, in illum locum, qui per comparationem ad Chri tum, personæ Antichristi singularitatem declarat. Nam, sic Christus prædictus fuerat tanquam singularis homo, et da sunt certa ejus indicia, utique per signa et prodigia quæ er facturus, ita illi opponitur Antichristus, ejusque adventus ta quam cujusdam particularis hominis prædicitur, et per signa

(1) 2 Thess., 2.

prodigia falsa, quæ operaturus est, indicatur. Ergo ita est futurus Antichristus determinata persona, sicut fuit Christus. Sic etiam Theophylact., illa verba exponens, interrogat: «Quis autem ille est? numquid Satanas? nequaquam, sed homo quispiam omnem Satanæ operationem recipiens.» Idemque fere habet Theodoretus, qui antithesim inter Christum et Antichristum magis expendit dicens, dæmonem imitari consilium Dei: «Nam sicut Deus, humana suscepta natura, nostram procuravit salutem, ita ille, cum eliget hominem qui possit omnem ejus suscipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur, se ipsum Christum, et Deum et hominem nominans.» Ubi solum notamus æquiparationem in hoc, quod uterque est certa et particularis persona, nam in modo est diversitas. Non enim sicut Christus est verbum in humanitate assumpta, ita erit Antichristus persona dæmonis in assumpta natura hypostatice, sicut quidam falso finxerunt, quos alibi impugnavimus; solum ergo fit in hoc comparatio, quod sicut Christus fuit individuus homo, ita etiam erit Antichristus. Unde etiam ipse Theodoretus docte mutavit loquendi modum, nam de Christo dixit: «Sicut Deus humana natura suscepta,» etc.; de dæmone autem ait: Ita ille cum eliget hominem, qui possit omnem ejus suscipere operationem;» sentiens futurum non solum specialem naturam, sed etiam particularem personam inter alias electam a dæmone, quam aptam ad omnem suam pravam operationem.

5. *Alia ratio ex Theodoreto.* — Denique in eisdem verbis Theodoreti ratio alia ponderari potest. Nam præcipua intentio Antichristi maximaque ad Christum oppositio erit, quia persuadere conabitur se esse Christum, et verum Messiam, et ostendere «tanquam sit Deus,» ut ibidem ait Paulus. Hoc autem non potest fingi de throno aliquo, aut sedentium in illo successione. Nam, sicut Christus non est prædictus, nisi ut particularis homo, ita nemo se finget Christum, nisi in sua particulari persona. Et licet multi se finxerint Christum, nullus autem nisi in sua, et pro sua propria persona, et inter eos qui in signis, pro-

digiis, mendaciis, ac potentia præcellet, per antonomasiam erit Antichristus. Unde Ambrosius ibidem ait, Antichristum futurum esse «primum et summum pravorum hominum, qui se ut Deos coli voluerunt.» Recte etiam Tertullianus, lib. 5 contr. Marc., c. 16: «Qui est» (ait) «homo delicti, filius perditionis, quem revelari prius oportet ante Domini adventum,» etc. «Secundum nos quidem Antichristus, ut docent veteres et novæ prophetiæ.

6. *Expenduntur verba D. Joannis.*—Atque hinc Ambrosius, Chrysostomus et alii Patres, cum citatis verbis Pauli conjungunt alia Christi verba, Joan., 5: «Ego veni in nomine Patri mei, et non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. In quibus manifeste constat, Christum loqui de aliqua determinata persona, quam Judæi ut Messiam suscipient. Et ita dicti Patres, et alii præcedenti capite allegati, verba illa Christi de Antichristo interpretantur. Et Augustinus, tract. 29 in Joan., exponens verba illa c. 7: «Qui a semetipso loquitur gloriam propriam quærit,» dicit, talem futurum esse Antichristum: «Ipsum quippe annuncians Dominus, gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Judæos: Ego veni,» etc. et Ambrosius, in Psal. 43, ait, significasse Christum illis verbis «Judæos in Antichristum credituros, qui in illum credere noluerunt.» Et idem habet lib. 1 de Spiritu Sancto, c. 14. Quamvis enim multi futuri essent pseudochristi, et pseudoprophetæ (ut ipse etiam prædixit, Matth., 24), quos aliqui Judæi pro Messia suscepturi essent (ut ex parte impletum legimus Actor., 5 et postea apud Eusebium, lib. 8 Histor., c. 6), nihilominus nemine Judæi ita pro Messia suscipient, sicut Antichristum, et ideo illum singulariter Christum verbis suis designasse intelligimus. Et sic etiam dixit Cyrillus Hierosolymitanus, cateches. 12 «Judæorum liberi venientem rejecerunt, male autem venturum expectant: verum Christum negaverunt, falsum autem ipse errantes recipient. Qua de re etiam Salvator vere dixit: Eg

reni» (1), etc. Quod autem ille falsus Christus futurus sit singularis quidam homo, et Antichristus, declarat late idem Cyrillus, catech. 15.

7. *Alia ejusdem verba ponderantur. — Probatur idem ex articulo græco.* — Præterea hoc aperte confirmat modus loquendi Joannis, epist. 1 : «Et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt.» Nam in his verbis distinguit quemdam Antichristum singulariter prædicatum, et prædictum, multis, per quamdam ejus participationem et translationem sic nominatis. Ergo aperte supponit illum priorem esse particularem personam. Præsertim quia illi multi Antichristi, quos Joannes dicebat jam factos, non erant multa regna aut imperia tyrannica, sed vel multi qui ex Judæis contra Christum jam insurgebant, vel plures hæretici, ut Ebion, Cerinthus, Simon Magus, vel plures etiam imperatores Romani Christianorum persecutores, ut Nero, Domitianus, ut Sancti passim exponunt; ergo etiam ille singularis Antichristus est una certa ac definita persona. Accedit, in dictis verbis, et paulo inferius, et in cap. 4, et epist. 2, ubicumque ponitur in singulari nomen «Antichristus», poni cum articulo, *ὁ*, id est, «ille», qui articulus vim habet designandi certam personam, et cum quadam singularitate, juxta generalem Patrum regulam, quam tradunt Epiphanius, lib. 1 Contra hæres., secta 9, et lib. 2, hæres. 56; et Chrysost., enarrat. in c. 7 Isai., ponderans non dixisse Prophetam : «Ecce virgo concipiet», sed addidisse articulum ad designandam singularem et excellentem virginem; et Cyrillus, lib. 1 Joan., c. 4, circa finem, ponderans, addidisse Joannem articulum, cum dixit : «In principio erat Verbum.» Et Origenes, hom. 7 in Joan., circa illa verba : «Propheta es tu?»

8. *Ex Daniele confirmatur.*—Ad hanc etiam veritatem confirmandam multa argumenta desumi possunt ex locis Danielis

(1) Joan., 5.

et Apocalypsis, in quibus Antichristum prædici, et Patres do cent, et hæretici non negant. Itaque Daniel, c. 7, postquam ex plicuit quartam bestiam esse regnum quartum, utique Romanc rum, postea per decem reges dividendum, subjungit: «Et aliu consurget post eos», per quem omnes Patres Antichristum intel ligunt, ubi Hieronymus testatur, et sequitur August., 20 de Ci vit., c. 23; et D. Greg., lib. 32 Moral., c. 12; ubi particul «alius», satis demonstrat singularem personam, cujus actione statim describit propheta satis consentanee ad Paulum. Et cert negari saltem non potest, in throno et imperio illius, qui con tra decem reges pugnaturus est, quique tres destruet, et sep tem alios sibi subjiciet, futurum esse aliquem primum regem qui contra alios insurget; necessarium ergo est illum esse cer tam, ac determinatam personam; ille autem erit Antichristu Tum quia in illum specialiter conveniunt omnia, quæ ibi sub jiciuntur: «Sermones contra Excelsum loquetur, Sanctos Altis simi conteret», etc. Tum maxime quia tempus regni illius ta erit breve, ut in eo non sit habiturus successorem, sed in il et cum illo sit thronus ejus extinguendus, ut et eodem loc Danielis, et ex c. 11 et 12, et ex Apoc., c. 11, ex sequentibu et ex verbis Pauli: «Quem interficiet Dominus Jesus spirit oris sui» (1), et ex aliis infra ostendemus.

9. *Rex ultimus apud Danielem, non fuit Mahometus aut ali tyrannus.* — Hoc argumentum etiam convincit, illum ultimu regem per cornu parvum significatum non fuisse Mahometu (ut aliqui voluerunt), neque alium similem tyrannum. Un etiam potest hæc veritas confirmari ex circumstantiis tempor loci, originis, bellorum, et aliis similibus, cum quibus descri bitur Antichristus venturus in allegatis Scripturæ locis, qu postea tractaturi sumus; non enim potest singularis perso evidentius designari, quam per circumstantias hujusmodi, v

(1) 2 Thess., 2.

ut cum dialecticis loquamur) per collectionem proprietatum, quæ non nisi in unum et particulare individuum convenire possint; ita autem Antichristus describitur in Scriptura; negari ergo non potest quin particularis persona futurus sit.

10. *Iterum veritas auctoritate Patrum roboratur.*—Denique de Antichristo singulariter prædicto a Daniele, Paulo, et Joanne Evangelista, omnes antiquissimi Patres, qui de illo scripserunt, ubique supponunt esse futurum singularem hominem, cujus genus, mores et alias proprias circumstantias describunt. Ut constat ex his, quæ tradunt Irenæus, lib. 5 Cont. hæres., cap. 25; Hypolit., orat. de Consummat. mundi; Ephrem, tract. de Antichrist., in tom. 1; Cyrill. Hierosolymitan., cateches. 15; Ambr., lib. 10, in c. 21 Lucæ, ubi tres numerat Antichristos, Diabolum, Arium et omnes hæreticos similes, et singularem et famosum Antichristum, qui persecuturus est Ecclesiam in fine mundi. Sic etiam depingit Antichristum Lactantius, lib. 7 Divin. inst. c. 16, 17, 18, et 19, concludit: «Hic est autem qui vocatur Antichristus, sed se ipse Christum mentietur, et contra verum dimicabit.» Similiaque repetit in Epitom. Institution., cap. 11, et eodem modo loquitur Hug. Eterian., dict. lib. de Regress. animar., cap. 23; Prosper, in Dimidio tempor., a c. 6 usque ad 16; præsertim vero Hieronym., Daniel. 7, dicens: Putamus Antichristum unum esse de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit.» Idem supponit epist. 151 ad Algasi., q. 1, ubi late ita exponit locum Pauli ad Thessalonicenses. Idemque habet Theodoretus, in eisdem locis Danielis et Pauli. Et similiter Crysostomus, orat. 3 in 2 ad Thessalonicenses, ait, Antichristum non esse futurum ipsum Satanam, «sed hominem quemdam suscipientem omnem ejus operationem.» Ubi eadem verba habet Theophyl. dicens: «Non erit Satanas, sed homo quispiam.» Cyprianus etiam, lib. 3 ad Quirin., c. 118, de Antichristo exponit illud Isai., 14: «Hic homo qui concitat terram», supponens profecto futurum particularem hominem.

11. Augustinus, 20 de Civit., cap. 19: «Nulli» (inquit)

«dubium est, eum de Antichristo ista dixisse, dicque judicii Hunc enim appellat diem Domini, et ait non esse venturum nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, utique a Domino Deo. Quod si de omnibus impiis merito dici potest, quanto magis de isto.» Et infra tractans locum Joannis, ait: «Sicut ante finem exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos, ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Christum, sed ad illum novissimum Antichristum pertinebunt.» Et c. 23, ita etiam exponens Danielem ait, «Antichristus adversus Ecclesiam futurum sævissimum regnum, licet exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo judicio regnum Sancti accipiant sempiternum; qui non dormitans hæc legit dubitare non sinitur.» Præterea idem docet Gregorius, lib. 1 Moral., capit. 11, ubi Antichristum dicit, futurum esse caput omnium iniquorum; et quæ in c. 9 Job dicuntur, ita intellig de unoquoque iniquo, «ut referri quoque debeant ad ipsum specialiter caput iniquorum.» Et lib. 31, c. 12: «Antiquus hostis», ait, «illum perditum hominem ingredietur, qui specialiter Antichristus nuncupatur.» Ac denique Damascenus, lib. 4 d Fide, c. 27: «Omnis», ait, «qui Christum non confitetur, Anti christus est. Cæterum peculiari ac præcipuo modo Antichristus ille dicitur, qui sub mundi catastrophen venturus est.

CAPUT III

Duabus protestantium objectionibus, ex Daniele et Paulo sumptis, contra doctrinam superioris capitis satisfit

1. *Sinistra Bezæ interpretatio in Danielem.* — Quoniam Antichristus una singularis persona futura est, evanescit hæreticoram phantasia, quod in throno Apostolicæ Sedis Antichristus sedeat, conantur veritatem, ex Scripturis demonstratam, ei

dem Scripturis impugnare. Et primo objicit Beza locum Dan., 7, ubi per quatuor bestias quatuor regna significata sunt; singula autem illorum regnorum multo tempore durarunt, et plures reges habuerunt, qui per singulas bestias significati fuerunt, et eodem modo dicuntur ibidem decem cornua quartæ bestiæ esse decem reges, quos non oportet esse singulas personas, sed plurium seriem in unius regni sede; ergo eadem ratione dicendum est de regno Antichristi, quod per cornu parvum significatur, non esse unum tantum hominem, sed unum thronum, in quo multi per successionem sedebunt; quorum collectio vocatur a Paulo «homo peccati», quia erit velut unum corpus sibi succedentium tyrannorum.

2. *Responsio ad illam.*— Respondeo imprimis, dissimilem esse rationem de verborum significatione, et de representatione per figuras vel imagines apparentium rerum, ut bestiarum vel animalium. Nam verba habent propriam significationem quasi permanentem et communem, a qua extrahenda non sunt, nisi ubi necessitas vel sufficiens auctoritas coegerit, et maxime cavendus est sensus improprius et metaphoricus, quando ex aliis verbis, et circumstantiis in ipso contextu et sermone adunctis, proprietas sermonis constare potest. At vero res vel imagines apparentes non habent per se stabilem significationem, sed illam tantum, ad quam tunc, cum apparent, assumuntur seu imponuntur, quæ metaphorica seu quasi analoga est, pendetque ex voluntate seu intentione Dei revelantis, et ideo est obscurissima, et intelligi non potest, nisi ab eodem Propheta per verba declaretur, vel ex aliis Scripturæ locis significatio colligatur, vel certe postea tandem ex effectu cognoscatur. Paulus ergo non per visiones imaginum, sed per verba locutus est de Antichristo, et talibus verbis eum indicat, ut plane de illo tanquam de una singulari persona loquatur, et mores ejus ac circumstantias ita describit, ut uni tantum, et non omnibus, qui in aliquo throno succedunt, convenire soleant.

3. *Quid Daniel sub bestiarum nomine intellexerit.* — At vero

Daniel narrat futura sibi revelata, non verbis, sed sub imag
nibus bestiarum. Unde utitur quidem verbis quæ immedia
significant bestias, et ut indicet non esse veras, sed apparente
non absolute dicit. Prima erat leæna, sed «quasi leæna», se
cunda «similis urso», tertia «quasi pardus»; ipsæ autem besti
id significabant, ad quod repræsentandum per quamdam anal
giam fuerant impositæ et ostensæ, et aliam significationem im
propriam seu translatam non habebant. Ideoque potuerunt fa
cile repræsentare regna, et non certas personas, et e converso
pro arbitrio revelantis. Hinc ergo fit ut per bestias interdu
significentur regna, interdum certæ personæ. Nam Daniel.,
per leænam alas aquilæ habentem significatur regnum Chaldæ
rum; per ursum, regnum Persarum, et Medorum; per pardum
regnum Græcorum; et per quartam bestiam, Romanorum reg
num. At vero in c. 8, per arietem significatur Darius rex; po
hircum, Alexander, ut ipsemet Daniel exposuit. Igitur ex re
præsentatione per visionem bestiarum nullum fieri potest argu
mentum ad significationem verborum, nam illa variatur ve
imponitur pro arbitrio revelantis; hæc vero de se fixa est e
certa, nisi aliunde constet ad metaphoricum sensum trans
ferri.

4. *Primi reges bestiarum nomine significantur.*—Addo præ
terea, licet per bestias significentur regna apud Danielem, c. 7
nihilominus per singulas principaliter significari primos unius
cujusque regni conditores et amplificatores, in quibus præcipu
inveniuntur proprietates, quæ per tales imagines et visione
repræsentantur. Et sic leæna alata præcipue repræsentaba
Nabuchodonosor, regni Chaldæorum fundatorem, hominem fe
rocissimum, et libidini deditum, ut notat Hieronymus, qu
etiam ait, ursum, Cyrum, majorem imperii Persarum condito
rem, ob ejus duritiam et ferocitatem repræsentasse. Pardu
vero alatus significabat Alexandrum, imperii Græcorum caput
qui magna fortitudine ac velocitate orbem domuit. Ita erg
per quartam bestiam significari potuit Julius, vel Augustu

Cæsar, licet probabilius videatur non fuisse significatam particularem personam, quia imperium illud in principio non monarchicum, sed aristocraticum fuit.

5. *Cornua decem, totidem reges repræsentant.* — Per decem autem cornua illius bestiæ expresse dicuntur significari decem reges, utique illi qui decem regna, in quæ imperium Romanum dividendum, debellaturi sunt. Ita ergo per cornu parvulum rex quidem novi imperii inchoator repræsentatus est, qui non est alius nisi Antichristus, ut Hieronymus, Theodoretus, et omnes Patres intellexerunt. Est autem differentia, quia de cæteris imperiis, vel de decem regibus non dicitur quantum throni eorum duraturi fuerint vel sint, et ideo tam ipsi fundatores quam eorum successores poterunt per illasmet imagines bestiarum, aut per decem cornua repræsentari; de imperio autem Antichristi satis significatur, tum ibi, tum aliis locis infra tractandis, brevi tempore esse duraturum, et cum suomet fundatore esse extinguendum, et ideo per illud cornu parvulum ita significatur Antichristi imperium, ut etiam una tantum et singularis persona repræsentetur.

6. *Alia Bezæ interpretatio in Divum Paulum.* — Secundo objiciunt Protestantes locum Pauli 2 ad Thessal., 2, dicuntque ut supra ex Beza retuli), nisi unus homo detur, qui a temporibus Pauli usque ad diem judicii superstes maneat, non posse Antichristum esse certum aliquem singularem hominem; nam Paulus, citato loco, cum Thessalonicenses docuisset, «diem Domini» (utique ad judicandum) nondum instare, quia «nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, non veniet dies illa», subjungit: «Nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec e medio fiat, et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.» Duo ergo docet Paulus, scilicet, Antichristum jam tunc incepisse operari suam iniquitatem, et apostasiam a Christo in fine mundi esse ab Antichristo consummandam, ip-

sumque esse interficiendum, et tunc diem Domini esse ventu
rum. Hæc autem non possunt de eadem persona intelligi, qui
non potest unus et idem homo operari iniquitatem tempor
Pauli, et durare persequendo Ecclesiam usque ad finem sæcul
et tunc revelari, et a Christo interfici.

7. *Dupliceм notionem nominis Antichristi se nescire, hæreti
simulant. — Antichristus in typo multiplex est, unicus in person
— Hæresiarchæ Antichristi dicuntur.* — Propter hoc testimoniu
quidam dixerunt, Neronem fuisse Antichristum, quorum sen
tentiam infra, capit. quadragesimo tertio, tractabimus, quia il
non negabant Antichristum esse particularem personam. Il
ergo opinione omissa, Protestantes vel ignorant, vel ignorare s
simulant duplicem significationem nominis Antichristi, secund
capite positam, nam ex illius ignoratione objectio facta proce
dit. Sicut enim dixit Joannes: «Antichristus venit, et nunc An
tichristi multi facti sunt (1)», quia unus est qui singularite
prædictus est, et multi, qui ejus iniquitatem participando, il
lum quasi præfigurant, et ideo nomen etiam ejus participan
ita etiam dixit Paulus, Antichristum suo tempore jam inchoass
operari iniquitatem, licet id in fine mundi sit consummandum
Errant ergo hæretici non distinguentes inter Antichristum com
muniter et proprie dictum, seu (quod idem est) inter Ant
christum in typo et in persona. Antichristus enim in typo no
est una persona, sed corpus, vel successio plurium tyrannoru
nomen Christi persequentium. Proprius autem Antichristus
persona, et qui per antonomasiam prophetatus est, unica est
singularis persona. De utroque autem locutus est Paulus in c
tato loco. Nam cum ait: «Mysterium jam operatur iniquitatis
loquitur de Antichristo typico, quem tunc fuisse Nerone
multi Patres intellexerunt, præsertim Chrysostomus ibi,
Theophyl. Et idem Chrysostomus, serm. de Eleemosyn. et co

(1) 1 Joan., 2.

at., et Homil. de Præmiis Sanctor.; Ambr. ibi, et Hieronym., pist. 151, ad Algasi., q. 9. Attigit Tertullian., lib. de Resurrect. carn., c. 24; et August., 20 de Civitat., c. 19, ubi incertam quidem dicit esse expositionem propter loci ambiguitatem, non tamen illam reprehendit. Addit vero aliam, quam Theodor. et Sedulius in Paulum sequuntur, scilicet, quemlibet hæresiarcham, et Christi hostem, sub illo, «qui mysterium operatur iniquitatis» (1), comprehendi. Quod parum ad præsens refert: omnes enim in hoc conveniunt, quod ille qui tunc operabatur mysterium iniquitatis, non erat Antichristus, sed typus, imago, præcursor, aut insigne membrum Antichristi. Quod ut significaret Paulus, non dixit simpliciter, Operatur iniquitatem, sed «mysterium operatur iniquitatis», vel ipsum Neronem vocando mysterium iniquitatis, si nomen «mysterium» sit suppositum illius propositionis, et in casu nominandi positum sit, et vocetur mysterium, quia figura erat Antichristi; vel certe ipsammet persecutionem Neronis vocando misterium iniquitatis in casu accusandi, quia Nero, persequendo Christianos, operabatur mysterium iniquitatis, id est, tyrannidem, quæ erat imago persecutionis Antichristi futuræ.

8. *Ex iisdem verbis Pauli, Bezæ interpretatio impugnatur.* Inde tantum abest ut ex illo loco probetur, Antichristum prorium non esse unam certam personam, ut oppositum potius inde convincatur. Nam Paulus evidenter distinguit mysterium iniquitatis seu illum qui tunc operabatur mysterium iniquitatis b «illo iniquo quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.» no inde docet Thessalonicenses, nondum instare diem judicii, uia «nondum revelatus fuerat homo peccati (2), id est, verus proprius Antichristus. De quo etiam subjungit: «Quid deticat, scitis», etc., nimirum, ne ille Antichristus veniat. Non eclarat autem aperte Paulus quidnam esset, quod adventum

(1) Thess., 2.
(2) 2 Thess., 2.

Antichristi detineret, sed significat Thessalonicenses jam illu scisse, quia cum esset cum illis, eos jam instruxerat (ut statir subjungit) Antichristum non esse venturum, donec Romanur imperium e medio tolleretur, vel ad eum statum pervenerit, i quo per Antichristum posset omnino destrui, ut Patres expo nunt. Ergo semper Paulus supponit, proprium Antichristu esse alium distinctum ab eo qui tunc operabatur mysteriu iniquitatis, et de illo semper tanquam de singulari homine lo quitur, ut capite præcedenti ponderavi.

9. *Regis Angliæ sententia.* — Unde etiam rex Angliæ, i Præfat., pag. 67, fatetur ex illo loco potius probari, «tempu quo venturus est Antichristus, et universalis discessio futu est, non nisi longo post tempore, quo Paulus scripsit illa epistolam, futurum fuisse.» Nam hoc ipsum est quod Paul Thessalonicensibus tradere et persuadere studebat, ex illo pri cipio, quod Antichristus non solum nondum venerat, sed neq tam cito venturus erat, alioqui non recte conclusisset die Domini nondum instare. Nihilominus tamen idem rex neg Antichristum esse particularem personam, quamvis non ex il loco, sed ex alio id suadere nitatur, ut capite sequenti vide dibus.

CAPUT IV

Alteri objectioni ex cap. 17 Apocalypsis sumptæ contra eamde resolutionem capitis secundi satisfit

1. *Objectio regis Angliæ ex Apocalypsi.* — Tertio objic rex Angliæ in Præfatione, pag. 98, ubi sic inquit: «Scorto B bylonio, quod bestiæ inequitat, sedem alicujus imperii, et su cessione continuatam aliquorum hominum seriem illi præs dentem, non unum aliquem designari, perspicuum est, ex for

ua diversis libri locis Antichristus ipse describitur,» utique in pocalypsi, et inducit cap. 17 ejusdem libri, in quo refert Joanes ostensam sibi esse «mulierem meretricem sedentem super estiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem apita septem, et cornua decem.» De qua muliere concludit in ne capitis : «Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ abet regnum super reges terræ.» Ex quo rex concludit, mulieem illam «non posse significare certam unius hominis personam, sed plures homines sibi continenter succedentes, quorum edes est magna illa civitas.»

2. *Responsio.*—Respondeo, etiamsi regi demus civitatem lam, per mulierem significatam, esse Romam (ut ipse intenit), et septem reges per septem cornua significatos esse septem ormas regiminis illius civitatis, et octavum futurum esse Antichristum, ut idem rex arbitrio suo commentatur; licet (inuam) hæc omnia gratis demus, non video unde inferre possit, um fundamento in illo textu, Antichristum non esse unam ertam personam. Nam, licet mulier significet civitatem, in qua st aliquod imperium per bestiam repræsentatum, cum succesione plurium regum, seu plurium formarum regiminis, nihiominus bestia, quæ etiam significare dicitur Antichristum, num tyrannum unumque hominem significare poterit. Neque x textu aliquid induci potest, quod vel apparenter aliud indiet. Nam si forte fiat argumentum a simili, quia si mulier sigificat civitatem, et bestia imperium cum successione præsientium in illa, etiam bestia, ut repræsentat Antichristum, imili modo significabit seriem tyrannorum, etc., profecto conequentia nullius momenti est. Nam hæ imaginariæ repræsenationes, seu ænigmaticæ figuræ non semper ostenduntur seu roponuntur ad significandum idem, vel eodem modo, ut per se onstat.

3. *Meretricis nomine, aut Roma ethnica, aut mundus intelligitur.*—Addo, in illa expositione regis, in qua suam objectionem undat, esse quidem aliqua, in quibus cum nonnullis Catholicis

convenit, quæ probabilia sunt, sed incerta, alia vero esse regi propria, quæ vix aut nullo modo possunt subsistere. Nam im primis licet probabile sit meretricem illam Romam repræsen tasse, ut exponit Hieronym., epist. 151 ad Algasi, quæst. 11, e Tertullianus, lib. 3 contra Marci., et contra Judæos, qui no intelligunt Romam christianam, sed ethnicam, tamen etiam es valde probabile, non repræsentasse civitatem aliquam particu larem, sed civitatem diaboli aut mundi, sicut illam Augustinu distinxit a civitate Dei, id est, totum cœtum impiorum. Quo modo etiam dixit Hieronymus, Psalm. 54, duas civitates ess in mundo, Babylonem et Hierusalem: «Per Babyloniam» (inqui «intelliguntur mali.» Et hæc solet Scriptura mundum appellare In illum enim conveniunt omnia quæ de illa muliere dicuntu nam cum illa fornicati sunt omnes reges terræ, et ab ea in briantur omnes qui inhabitant terram, utique tanquam terren et animales homines. Et cætera simili modo. Hac autem posit mulieris interpretatione, non oportet bestiam, cui insidere vis est, esse Antichristum, sed Satanam, ut multi scriptores do cuerunt; diabolus enim quasi sustinet totum impiorum corpus et ideo illi insidere dicitur; et cætera, quæ ibi dicuntur, faci diabolo accommodantur. Cum ergo diabolus vel Satanas non s collectio personarum sibi in aliquo imperio succedentium, se una certa singularis persona, non est necessarium bestiam illa repræsentasse, ut rex vult, continuatam personarum serien sed unum principem dæmoniorum, qui ad Christum ejusq Ecclesiam impugnandam satellitibus suis, tam malis angel quam pravis hominibus, multisque tyrannis per temporum suc cessionem utitur.

4. *Bestia, qua meretrix vehebatur, Antichristi figura era non Antichristus.*—Præterea, licet demus «scortum illud Bab lonium (ut rex loquitur) esse Romam, et bestiam, cui inside esse Antichristum, non est necesse illum esse solum Antichri tum in persona, seu verum et proprium. Sed potius dicendu est illam bestiam prius fuisse Antichristum in figura seu my

rio, tandem vero in proprium ac verum Antichristum defec-
ıram. Ac proinde licet demus Antichristum per bestiam
epræsentatum non unum tantum hominem, sed plurium
ıccessionem postulare, nihilominus dicimus illam successio-
em in imperatoribus, qui malitia sua et tyrannide Antichris-
ım præsignarunt, impleri; cum autem in vero Antichristo suc-
ɛssio consummabitur, illum tantum esse futurum unam singu-
rem personam. Quam vero responsio hæc sit consentanea
vangelistæ, facile intelliget, qui attente consideraverit quam
ɔposite imperatores Romani tyrannidem exercentes in Christia-
ɔs significentur per «bestiam coccineam, et plenam nominibus
asphemiæ,» hæc enim epitheta non feminæ, sed bestiæ attri-
ıi, et omnes interpretes docent, et ex græco textu manifes-
ım est. Dicitur autem «coccinea,» quia «erat circumdata pur-
ıra et coccino,» ut infra dicitur; per purpuram autem impe-
um significari solet, quia erat quasi proprium illius dignitatis
signe, et ad id magis explicandum dicitur etiam bestia illa
rcumdata «inaurato auro, et lapide pretioso, et margaritis.»
ɔtest etiam dici «coccinea» propter sanguinem Martyrum, de
ıo infra dicitur: «Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanc-
rum, et de sanguine Martyrum.» Quamvis enim bestia san-
ıinem effunderet, et inde coccinea denominari possit, mulier
men, id est civitas illum bibebat, eo quod inebriabatur, odio
ɛrsequens Christianos, et idola colendo, propter quod etiam
ıater fornicationum et abominationum terræ» ibidem appel-
tur.

5. *Nero bestia fuit et mysterium iniquitatis in figura.*—Quod
tem bestia illa non solum Antichristum in persona, sed etiam
figura in sua repræsentatione complectatur, illo verbo «mys-
rium» a Joanne interposito satis significatum est, et explica-
r optime per verba Pauli, 2 Thessalonicens., 2: «Mysterium
m operatur iniquitatis,» utique Nero, qui cœpit in Christiano-
m persecutione Antichristum adumbrare, ut omnes Patres ex-
ɔnunt. Idemque optime declarant alia verba ibi subjuncta, et

sic intellecta: «Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascen
sura est de abysso; fuit» utique in mysterio et figura, qu
priusquam Joannes præscriberet, jam Nero mysterium opera
batur iniquitatis, quem multi imperatores postea imitati sun
«Non est» autem in persona, «sed ascendet de abysso et in in
teritum ibit,» ut c. 11 et 13 de Antichristi persona prædictu
fuerat. Denique sic etiam intelligi non incongrue possunt al
verba postea subjuncta: «Et bestia, quæ erat (utique in figura
«et non est,» id est, nondum venit, «et ipsa octava est,» qu
est distincta persona a septem imperatoribus, qui tyrannide su
illam insignius repræsentarunt; et ideo «de septem est,» qu
eorum imperium usurpabit, et crudelitatem augebit et consum
mabit; ipsa tamen «in interitum vadit,» quia brevi tempo
regnabit, et statim condemnabitur. Ex hac ergo interpretation
quæ valde probabilis est, potius colligitur quod, sicut imperat
res septem, qui mysterium iniquitatis Antichristi operati sun
personæ fuerunt certæ et singulares, ita et proprius Antichris
tus, qui post illos veniet, erit certa et singularis persona. Im
licet priora septem capita possint ita intelligi ac exponi, ut
singulis non tantum personæ unicæ, sed aliqua successio perso
narum intelligatur, nihilominus octava, «quæ erat et non est
erit singularis persona unica, quia brevissimo tempore dura
bit, et statim sine successione «in interitum ibit,» ut ibide
significatur.

6. *Per septem reges aliqui intelligunt bonorum persecutor
in septem ætatibus.—In ea opinione diabolus bestia illa est.*—Qu
propter ad objectionem dissolvendam, non multum refert exp
nere qui sint illi septem reges, quos per septem capita best
significari Angelus interpretatus est. Quomodocumque enim i
reges intelligantur, Antichristus, qui post illos futurus es
persona erit unica et singularis, quod breviter declaro, jux
duas magis receptas expositiones. Una est multorum, qui
explicandos septem illos reges, distinguunt septem mundi æt
tes: primam ab Adam usque ad diluvium; secundam, a diluv

d Abraham; tertiam, ab Abraham usque ad David; quartam, a avid usque ad Babylonicam captivitatem, et finem ejus; uintam, a fine, seu exitu populi a captivitate usque ad Chris- um; sextam, a Christo usque ad Antichristum; et septimam ibuunt temporibus Antichristi. Unde in prioribus sex ætatibus er singulos reges intelligi dicunt omnes reges crudeles et ty- annos, qui per singulas ætates Sanctos persecuti sunt. Ex qui- us regibus «quinque» præcesserunt seu «ceciderunt», ut ait oannes; «unus», id est, «sextus est; et alius», id est septimus, nondum venit», utique Antichristus. De quo addit Joannes: Et cum venerit, oportet illum brevi tempore manere», ut sig- ificet, licet priores reges non in una persona, sed in plurium uccessione duraverint, quia ætates illæ diuturnæ fuerunt, ul- mam vero futuram esse brevissimam, et ideo regem, in ea egnaturum, unam tantum et singularem futuram esse perso- am. Juxta hanc tamen expositionem bestia, quæ statim octava sse dicitur, non intelligitur esse Antichristus, sed diabolus, ui dicitur «fuisse», in prioribus, quia solutus erat, nunc vero i sexta ætate dicitur «non esse», quia ligatus per Christum st, et postea dicitur «ascensurus de abysso», quia solvetur empore Antichristi, et in ipso veniet, et cum ipso regnabit.

7. *Alii Antichristum et ejus præcursores intelligunt. — Sep- m capita non significare numerum incertum. — Ecclesiæ persecu- ones novem, secundum alios plures.*— Altera expositio supponit, er bestiam non dæmonem, sed Antichristum intelligi, vel otius imperium Romanum non absolute, et in tota sua ampli- udine, sed ut operans mysterium iniquitatis, id est perse- utionis Christianorum in præcursoribus Antichristi, usque ad ntichristum verum, qui omnem iniquitatem effundet. Et sic estia illa in Nerone incœpisse optime et consentanee ad aulum intelligitur. Dicitur autem habere capita septem prop- r imperatores successores ejus; sub quibus aliqui putant omprehendi omnes, qui in illo imperio persecuti sunt Chris- anos, sive plures, sive pauciores fuerint, sumpto numero cer-

to pro incerto, seu pro universali. Sed difficile hoc creditu est cum Joannes distincte numeret quinque qui præcesserunt, e unum, qui est, et alium, qui futurus est, hæc enim tam dis tincta computatio non fit in numero incerto. Et ideo alii propri verba intelligunt de septem tantum imperatoribus, qui pos Neronem usque ad Nervam fuerunt. Illo enim tempore Joanne vixit et prophetavit, et ideo tantum mysterium iniquitatis, quo in eo tempore, in quo scribebat, partim præcesserat, partii agebatur, partim duraturum proxime erat, commemoravit, ind vero ad Antichristum transitum fecit. Quod etiam difficile vi detur. Cur enim alii ibi non numerantur, præsertim Trajanus qui eodem fere tempore, et vivente Joanne, acerbissime Chris tianos vexavit? Unde addi potest, per septem reges intellig posse aliquos insigniores Christi persecutores, qui inter ethni cos imperatores Romanos fuerunt, et typi fuerunt Antichrist Quamvis enim Ecclesiæ persecutiones variis modis numerentu nihilominus sub aliqua non contemnenda consideratione a cum numerum reduci possunt, qui illi visioni accommoda possit. Severus enim Sulpitius, libr. 2 Sacr. Hist., novem tan tum numerat Ecclesiæ persecutiones, illas a Nerone inchoando Alii vero ab eodem principio numerant decem, teste Augustino libr. 18 de Civit., c. 51. Unde aliquam ponit Sulpitius, quæ i narratione Augustini omittitur, et e converso; quare facil possemus nos illa ad septem vel octo reducere. Augustinus au tem non putat esse inchoandum a Nerone, nec sistendum i Diocletiano, ut alii faciunt, et ideo in multo majori numer esse putat, eumque esse incertum, et pro varietate temporu multiplicari.

8. *Nero primus Christianorum persecutor. — Post Nerone alii Ecclesiam persecuti.* — Sed quidquid sit de re ipsa in se, e nude spectata, in ordine ad locum Joannis, quem tractamus non sine causa dicitur Neronem fuisse primum Christi perse cutorem, quia Joannes non de omnibus Christi hostibus, sed d Antichristo et præcursoribus ejus loquitur, et fortasse non ab

solute et simpliciter de omnibus; sed de his super quos Roma-
num imperium, vel Romana civitas insidebat. Inter hos autem
Nero fuit primus, qui post Christum publico edicto contra
Christum bellum movit, propter quod de illo singulariter dixit
Paulus: «Mysterium jam operatur iniquitatis», de quo mysterio
etiam Joannes loqui videtur, ut dixi, ideoque merito ille repu-
atur initium et quasi fundamentum Antichristianismi mystici
n Romano imperio. Post illum vero numerat Joannes alios
septem, in quibus eos numerare et intelligere probabile est,
qui novarum persecutionum Christianorum capita fuerunt.
Nam, ut dixit Optat., lib. 3 adversus Parmenian.: «Tunc nova
persecutio Christianorum in Romano imperio facta esse cense-
ur, cum publico imperatorum edicto nova aliqua ratione Chris-
iani divexati sunt»; ideoque non omnes, qui persecutionem ab
uno incœptam continuarunt, inter persecutores et Antichristos
mysticos distincte numerantur, sed illi soli qui vel novis modis
et edictis persecutionem innovarunt, vel qui eam, quæ jam
cessaverat, redintegrarunt. Sic post Neronem inter persecuto-
res numeratur Domitianus, et post hunc Trajanus, licet inter
eos alii intercesserint, et sic possunt alii numerari, ut Marcus
Aurelius, Decius, Diocletianus, Julianus Apostata, vel alius
similis.

9. *Ratio dubitandi in contrarium. — Responsio.* — Obstant
vero maxime huic expositioni verba Joannis, ubi de illis septem
regibus ait: «Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum
venit»; significat enim Joannes his verbis, quando illa scribe-
bat, quinque ex septem illis præcessisse, et sextum actu impe-
rasse; quod si ita est, non poterunt in illo numero computari
imperatores, qui post Joannem fuerunt, ut Decius, Diocletianus
et alii. Posset tamen quis dicere Joannem locutum esse prophe-
tico more de re futura, partim ut præterita, vel præsenti, par-
tim ut futura, diversis respectibus in ordine ad imperium
Christianum. Ita ut cecidisse dicat Joannes illos quinque præ-

cipuos Christi hostes, qui ante christianos imperatores, id es ante Constantinum, Ecclesiam persecuti sunt, quales probabiliter existimari possunt primi quinque illi qui proxime pos Neronem imperarunt, scilicet Galba, Vespasianus, Titus, Domitianus et Nerva. Prætermissis Othone et Vitellio, quorum propter temporis brevitatem non habetur ratio; et non computato Nerone, quia necesse non est ut in illo numero comprehendatur. Sextus vero, qui additur tanquam præsens, non mal intelligi potest Licinius, qui statim in principio imperii christiani tempore Constantini gravissime Christianos persecutu est, teste Eusebio, in Vita Constant., lib. 1, c. 4, et lib. 2, c. 1 et in Histor., lib. 10, c. 9.

10. *Juliani persecutio gravissima.* — Alter vero, qui venturus postea dicitur, non immerito Julianus Apostata intellig potest, in quem recte convenit illud, quod Joannes subjungit «Oportet illum breve tempus manere», et fuit ultimus imperator Romanus, qui Christum ipsum et Christianum nomen persecutus est. Nam, licet multi alii imperatores hæretici Ecclesiam Catholicam impugnaverint, ut Constans et Valens Constantinus Copronymus, et similes, illi tamen non contra Christum apertum bellum moverunt, sed sub nomine christian veros Christianos insequebantur. Aliorum vero persecutorum Ecclesiæ (licet plurimi in variis regnis et sectis fuerint) hic ratio non habetur, quia (ut dixi) solum de Romano imperio Joannes loquebatur. Verumtamen hæc omnia incerta esse fatemur quia non certa verborum expositione, sed sola conjectura e humana accommodatione nituntur: ea tamen solum proponimus, ut ostendamus, quocumque modo probabili locus ille exponatur, ex illo non colligi, octavum illum regem, per quem Antichristus designatur, esse corpus aliquod tyrannorum au seriem regum sibi succedentium, sed futurum esse certum e singularem hominem sicut fuit Nero, vel Diocletianus, et ali imperatores ibi designati.

11. *Rex Angliæ per septem capita septem formas regimini*

Romæ intelligit. — At vero rex Angliæ, his expositionibus non contentus, novam invenit, vel a suis Protestantibus didicit, ad hoc solum inventam, ut ad Apostolicam Sedem revelationem illam Joannis accommodent. Ait enim, septem reges non esse personas certas, nec imperatores Romanos, sed varias formas regiminis, quæ in civitate Romana a principio ejus usque ad ejus destructionem erunt, quas dicit esse septem, et illas intelligi per septem capita bestiæ, seu per septem reges, quos per septem capita significari Evangelista declaravit: «Nam Romæ (inquit) reges primo fuerunt, deinde exactis regibus, consules, dictatores, decemviri, tribuni militum. Sexta erat, quo tempore Joannes conscripsit Apocalypsim, Cæsarum Imperatorum; septima, quæ nondum venerat, et exiguo tempore erat duratura, Ecclesiastica est Episcoporum, quæ translationem imperii Roma Constantinopolim subsecuta est. Licet illorum regimen (ait) imperatoribus quodammodo fuit subordinatum.» Et infra addit, octavam esse Antichristum, quod multis verbis declarat, dicens, illum esse regimen eorumdem Episcoporum Romanorum, quod post annos 276 in eadem sede subsecutum est, utique a tempore Bonifacii III, ut inferius expresse dicit. Quæ omnia sine ulla probatione, sola dicendi auctoritate producit.

12. *Ostenditur sine fundamento hæc effingi. — Livius, decad. 3, libro tertio, circa medium.* — Priusquam de hac interpretatione judicium proferam, Tertulliani animadversionem præmittendam censui, in lib. de Præscript., cap. 17, dicentis: «Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ revincuntur, et his nituntur quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate cœperunt.» Hoc igitur in tota hac causa de Antichristo Protestantibus accidisse, vel ex hac ipsa interpretatione, quam tractamus, manifestum est. Nam imprimis in tota illa auctoritatem aliquam fide dignam vel probationem requirimus, nam si hæc omnia tanquam dictata prophetico spiritu vendicantur, oportet ut talis propheticus spiritus

aliquo signo, vel modo sufficiente nobis ostendatur; si autem sola humana conjectura, vel potius accommodatione inventa sunt, qua facilitate dicuntur, contemnuntur. Non solum quia humana conjectura plerumque fallitur, sed etiam quia illa nullum habet in textu fundamentum, neque in verbis. Imo rex illa detorquet ad peregrinam et inusitatam significationem. Qualis est, quod per quinque reges, qui præcesserunt seu ceciderunt, intelligantur reges, consules, dictatores, decemviri et tribuni Romanæ civitatis; et ideo nullus ante Novatores, illos reges ita intellexit. Deinde immerito illa quinque membra numerantur ut quinque regimina illius civitatis inter se distincta, et sibi succedentia. Nam consules, ex quo incœperunt, semper duraverunt, et ordinarium regimen tenuerunt, usque ad imperatores. Nunquam enim ante Julium Cæsarem fuit in illa republica ordinarium regimen per dictatorem, sed solum per occassionem interdum ad breve tempus creabatur. Ideoque consules et dictatores dici non possunt multiplicasse reges, vel ordinaria regimina in illa civitate. Nam consules semper durabant, etiam si suborta gravi occasione, dictator crearetur, qui post sex menses, vel cessante occasione, cessabat. Unde solum erat quasi extraordinarium subsidium, non regiminis mutatio.

13. *Idem dicendum de decemviris.* — Eademque vel major ratio in decemviris militat, quia decemviri non ad mutandum reipublicæ regimen, sed tantum legum ferendarum causa creati sunt, et interim potestatem regendi rempublicam acceperunt. Intra triennium autem cessarunt, et partem illius temporis non tam reipublicæ auctoritate quam vi obtinuerunt. Hoc autem non satis est ut illa censeatur peculiaris regni, seu regiminis mutatio, alioqui etiam numeranda esset mutatio regni in inter regnum, in quo centum gubernabant, unus tamen cæteris præerat, cujus imperium tantum per quinque durabat dies, et ita vicissim inter se per anni circuitum sortiebantur. Nam hæc ratio gubernandi non minus a regno distat, quam decemviratus a consulatu, nec minori tempore interregnum, quam decemvi

ratus duravit. Tandem eadem fere ratio in tribunis militum urget. Quia propter tribunorum militum adjectionem, nihil de regimine vel de consulibus immutatum est, sed illi sunt adjuncti de plebe tribuni militum, solo fere nomine a consulibus distincti. Est ergo illa distinctio et numeratio non solum voluntaria, sed etiam in rigore falsa, et contra veritatem historiæ conficta. Nam omnes historiæ tantum tria tempora Romanæ gubernationis usque ad Constantinum distinguunt, regum, consulum et imperatorum; nam cæteræ dignitates tantum fuerunt quasi comitantes tempora consulum, eosque in diversis occasionibus vel ministeriis adjuvantes.

14. *Pontificum regimen non significatur a Joanne per regem qui septimus dicitur.—Contrarium repugnat verbis Apocalypsis.*— Præterea incredibile est et intolerabile, quod septimus rex esse dicatur, regimen Sanctorum Pontificum a Sylvestro usque ad Bonifacium III. Eo enim tempore non fuit Roma meretrix fornicaria, per idolorum cultum, nec habebat in manu sua populum plenum abominatione, sed doctrinæ, fidei et sanctitatis. Nam, licet fortasse plures idolorum cultores in ea invenirentur, civitas ipsa in Christum credebat, et verum Deum adorabat, et quatenus talis erat Pontificum humeris insidebat. Ideoque Pontificum regimen, quod eo tempore fuit, dici non potest esse unum ex illis septem capitibus; præsertim cum Joannes dicat, bestiam illam coccineam plenam esse nominibus blasphemiæ, cui meretrix magna insidebat. Impium ergo est cogitare, bestiam illam, ut fornicationum fundamentum seu fulcimentum, esse in illo capite repræsentatam aliqua ex parte, seu quoad unum caput fuisse Sanctorum Pontificum regimen, vel (quod perinde est) hoc Pontificium regnum unum ex illis septem capitibus bestiæ fuisse. Præterquam quod immerito diceretur de illo septimo rege, «oportere illum brevi tempore manere, si 270 annis duravit, nam, licet comparatione sequentium illud regimen sit minus diuturnum, absolute et in se non potest dici breve. Et præsertim quia comparatione præcedentium fuit diu-

turnius, quam primorum regum Romanorum, qui septem tantum fuerunt, et juxta receptam sententiam ad summum annis 240 durarunt, et ab initio consulum usque ad initium imperii Augusti solum 478 anni transierunt, juxta communiorem computationem. Unde si ille numerus annorum in tria regna dividatur, ut rex vult, quodlibet eorum longe breviori tempore duravit, quam regnum illud Sanctorum Pontificum, quod rex septimum facit; cur ergo de illo potius quam de omnibus præcedentibus dictum fuisset, oportere illud brevi tempore manere? Neque omittam advertere, falsum omnino esse, quod rex obiter, et quasi aliud agens, interponit, regimen illorum Pontificum imperatoribus fuisse subordinatum, contrarium enim in superioribus ostensum est.

15. *A tempore Bonifacii nihil ex antiqua fide immutatum.*— Denique quod supponit, regimen Pontificium seu Romanorum Episcoporum a tempore Bonifacii III adeo fuisse diversum a regimine superiorum Pontificum, ut ex Christiano factum sit Antichristianum, dogma hæreticum est, et impia Protestantium ac mera impostura, contra omnem historiam; imo contra experientiam usque ad hodiernum diem. Nam eadem fides, quæ in prioribus fuit, in Bonifacio III et successoribus ejus perseveravit, et primatum, quem idem Bonifacius habere voluit, et professus est, non per rapinam usurpavit, sed a suis prædecessoribus (ut sic dicam) hæreditavit; eumdem enim illi exercuerunt et tutati sunt, ut in superioribus demonstratum est, neque in ulla re alia substantiale discrimen regiminis ecclesiastici ostendi potest. Est ergo vana illa distinctio regiminum in Romana Sede, et consequenter tota expositio regis, totaque calumnia Antichristianismi Romanis Episcopis imposita evanescit. Ac tandem evidenter convincitur, ex dicto loco Joannis non colligi, Antichristum esse seriem plurium hominum in eodem regno, sed potius contrarium indicari, nimirum, illum futurum esse aliquem singularem hominem, licet ex aliis Scripturæ locis id evidentius comprobetur.

CAPUT V

De tempore persecutionis et mortis Antichristi

1. *Per singula procedendum.*— Quamvis ex sola proprietate nominis Antichristi, et certitudine ac singularitate personæ ejus, evidentissimum sit, ineptissime ad thronum Romanæ Sedis applicari ea quæ de Antichristo prædicta sunt, nihilominus, quia rex Angliæ contrarium nititur saltem conjecturis ostendere, discurrendo per tria capita, ad quæ revelationes de Antichristo factas reducit, scilicet, ad tempus adventus ejus, sedem ejus, et descriptionem personæ ejus, opere prætium existimamus singula ponderare, et in omnibus ostendere, non solum conjecturam probabilem, ad id quod intenditur, inde non sumi, verum potius oppositum ex singulis convinci. Incipimus autem a temporis circumstantia, quia notior et evidentior est.

2. *De Antichristo quatuor prædicta: ortus, regnum, persecutio, mors.*— De Antichristo autem quatuor nobis prædicta sunt, scilicet, venturum in hunc mundum, regnaturum in eo, persecuturum Ecclesiam, ac tandem interficiendum esse a Christo. Hæc omnia patent: nam de adventu ejus dicitur Daniel., 7: «Ecce aliud cornu parvulum ortum est de medio eorum;» de regno subditur: «Porro cornua decem ipsius regni, reges decem erunt, et alius consurget post eos, et ipse potentior prioribus, et tres reges humiliabit.» De persecutione vero dicitur ibidem: «Sermones contra excelsum loquetur, et Sanctos Altissimi conteret.» Denique de illius fine subditur: «Judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem.» Et clarius Paulus, 2 Thes. 2: «Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et illustratione adventus sui.» Juxta hæc igitur quatuor, totidem puncta de tem-

pore adventus inquiri possunt: primum, quo tempore orietu in hoc mundo; secundum, quando regnare incipiet, et quanto tempore regnabit, antequam aperto marte contra Ecclesian pugnare incipiat; tertium, quando incipiet persequi Christianos, quantumve temporis in hac persecutione durabit; quartum, quando interficietur, id est, quanto tempore ante judici diem. Et quamvis ordine temporis, ortus et regnum ejus priora futura sint, nobis tamen notiora esse possunt tempora persecutionis et mortis ejus, quia clarius sunt in Scriptura revelata, e ideo de illis prius in capite præsenti dicemus, de aliis vero duobus temporibus in sequentibus.

3. *Variæ Protestantium opiniones de tempore adventus Antichristi. — Rex Angliæ circiter annum Christi sexagesimum ponit adventum Antichristi.* — Protestantes ergo varie de persecutione et fine Antichristi loquuntur: nam de initio ejus quidam dicunt ab initio Ecclesiæ fuisse, ut duobus capitibus præcedentibus visum est. Alii in quadringentesimum Christi annum illud initium referunt; alii in sexcentesimum sexagesimum sextum, vel circa; alii circa septingentesimum; alii circa millesimum ducentesimum, ut late tractat Bellarminus, libro 3 de Romano Pontifice, cap. 3. Rex vero Angliæ eam sententiam eligere videtur, quæ initium Antichristi ponit anno circiter sexcentesimo. Dicit enim in Præfatione, pag. 98, incœpisse Antichristi regnum ducentis septuaginta sex annis post translationem imperii Roma Constantinopolim per Constantinum factam, quæ, ut probabilius creditur, anno trecentesimo trigesimo Christi facta est, ex quibus, additis ducentis septuaginta sex, efficiuntur sexcenti sex, quo tempore Bonifacius III sedit, a quo Antichristum incœpisse rex affirmat. Neque ipse inter persecutionem et regnum distinguere videtur, quia sub eodem Bonifacio utrumque incœpisse autumat. Imo sentit non aliter incœpisse regnum Antichristi, quam inchoando persecutionem, nova dogmata cudendo, et ipsius Christi potestatem in terris usurpando. De tempore autem durationis ejusdem persecutionis, sentit non esse

lefinitum, sed esse totum tempus futurum ab ejusdem perse-
:utionis initio usque ad finem mundi, vel prope illum De tem-
)ore namque mortis ipsius Antichristi, seu fine persecutionis et
'egni ejus, nihil etiam rex definit, sed ignorari ait quanto tem-
)ore ante diem judicii sit futurum, ut patebit ex fundamentis
:jus. quæ capite sequenti expendemus.

4. *Persecutio Antichristi judicii diem non multum præcedet. — Probatur ex Matthæo. — Objectio. — Responsio. — Antichristus recte dicitur abominatio, et ejus persecutio tribulatio.*—Nos autem mprimis statuimus id, quod fortasse neque rex, neque alii Pro-estantes negabunt, persecutionem Antichristi prope judicii liem finiendam esse, seu (quod perinde est) judicium non mul-o post consummatam et finitam Antichristi persecutionem, sed)rixime et quasi immediate post illam futurum esse. Ita vide-ur aperte prædicere Christus Dominus, Matth., cap. 24: «Sta-im autem post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur, :t luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, virtu-es cœlorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filii ho-ninis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et vide-)unt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute nulta et majestate.» Quæ verba evidenter describunt secundum Christi adventum ad judicium, nec de hoc fuit unquam, nec)otest esse controversia. At vero tribulatio illorum dierum, de qua in eisdem verbis fit mentio, plane est tribulatio sub Anti-hristo futura, de qua paulo antea dixerat Dominus: «Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.» Dices, multos Patres et expositores ntelligere hæc verba de tribulatione Judæorum in destructio-ie Jerusalem per Titum et Vespasianum. Nam hanc prædixe-at Daniel, cap. 9, ubi prædicit futuram abominationem deso-ationis in templo, cujus Christus in eodem loco meminit, dicens: Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, unc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.» Respondeo, licet

probabile sit, Christum hanc etiam tribulationem voluisse com-
prehendere, tamen negari non posse quin simul et præcipue lo-
quatur de tribulatione sub Antichristo futura. Tum quia hoc
consonat antecedentibus et subsequentibus verbis. Discipul
enim simul de tempore destructionis templi, et consummationi
sæculi, et adventus Domini ad judicandum interrogaverunt
quia forte putabant simul esse futura, et ita Christus responde
verbis, quæ ad utramque tribulationem possunt applicari, e
postea tandem de judicio aperte sermonem instituit. Tu
etiam quia in rigore sola tribulatio Antichristi erit ita magna
ut nulla similis antea fuerit vel futura sit postea. Et ideo d
illa maxime locutus est Christus, eademque merito dici potes
«desolatio abominationis», id est, Antichristi. Nam, ut Irenæu
recte exposuit, lib. 5, cap. 25, ipsemet Antichristus «abomina
tio desolationis» merito vocatur. «Abominatio» quidem, qui
erit homo summe abominabilis; et cognominatur «desolationis»
quia in Sanctis et Christianis incredibilem desolationem efficie
Ergo ex verbis Christi satis colligitur, statim post finitam e
consummatam tribulationem ab Antichristo Ecclesiæ Christi fa
ciendam, incœptura esse signa diei judicii, et paulo post, Chris
tum esse ad judicandum venturum. Quod ex sequentibus magi
confirmabitur.

5. *Tribulatio Antichristi ante ejus mortem non terminabitur*
—In quo consistat illa tribulatio.—Addimus ergo secundo, tri
bulationem illam cum morte et per mortem ejusdem Antichristi
et non antea, esse terminandam; nam, licet Christus ibi ho
non expresserit, in aliis Scripturæ locis evidenter declaratu
Paulus enim, 2 ad Thessalon., 2, sic inquit: «Et tunc» (id es
sublato Romano imperio) «revelabitur ille iniquus, quem Do
minus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustration
adventus sui, cujus est adventus secundum operationem Satana
in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omn
seductione iniquitatis.» Ex quibus verbis aperte colligitur, no
destituturum Antichristum a persecutione sua, donec ab ipso

net Christo, ejusque jussu et imperio interficiatur. Nam tribu-
atio illa maxime consistet in coactione per tormenta, in induc-
ione per promissiones temporales, et in seductione per portenta
t falsa prodigia ; ab his autem non desistet ille iniquus, donec
. Christo interficiatur, et potentia ejus destruatur ; ergo, teste
Paulo, tribulatio finitur per Antichristi mortem, et non antea.
Et hoc idem significavit Daniel, cap 7, dicens, per tribulatio-
iem illam «Sanctos tradendos esse in manu Antichristi usque
d tempus, et tempora, et dimidium temporis.» Et statim sub-
.it : «Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur,
t dispareat usque in finem.» In quo loco de Antichristo ad lit-
eram loqui manifestum est, et omnes Patres et expositores
atholici unanimi consensu docent. Unde idem Daniel, in cap. 8,
oquens de Antiocho, dicit : «Contra Principem principum con-
urget, et sine manu conteretur»; quæ verba dicta etiam esse
le Antichristo in persona Antiochi repræsentato, auctor est
ivus Gregorius, lib. 30 Morali., cap. 12.

6. *Persecutionem Antichristi ejus morte terminandam.*—De-
ique Apocalyp., 19, de Antichristo, et quodam pseudopropheta
jus, qui «fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acce-
erunt characterem bestiæ», dicitur : «Vivi missi sunt isti duo
n stagnum ignis», additurque de sociis eorum : «Et cæteri oc-
isi sunt in gladio sedentis super equum», nimirum, Christi,
uem prius se vidisse Joannes narraverat. Constat igitur finem
ribulationis sub Antichristo futuræ, etiam esse futurum finem
mperii et vitæ ejus. Nam, licet sit dissensio inter Catholicos, an
n hoc mundo interficiendus sit propter Pauli verba, vel vivus
n infernum tradendus, ut Joannes significat, vel vivus absor-
endus a terra per hiatum ejus, ut intra illam conclusus ibi
noriatur et sepeliatur, et anima in infernum descendat, ut ita
cilius loca concilientur, hæc quæstio nihil ad rem præsentem
fert; quocumque enim modo ille præsentem vitam in hoc
undo inter mortales finiat, satis nobis est non prius amissu-
um regnum, vel a persecutione cessaturum, quam vivere in
oc mundo desinat.

7. *Persecutio Antichristi tres annos cum semisse durabit.*— Tertio dicendum est, persecutionem illam brevi tempore ess duraturam, nimirum, tribus annis cum dimidio, ac subinde to tidem annis ante mortem Antichristi esse inchoandam. Ita do cent Patres omnes: Irenæus, lib. 5, cap. 30; Hippolyt., de Co summat. mundi; Lactant., lib. 7, cap. 17: «Dabitur» (ait) «A tichristo desolare orbem terræ mensibus quadraginta et duobus Idem Cyrillus, cateches. 14; Crysostomus, homil. 49 in Ma thæum, in Imperfecto; Ephrem, tract. de Antichristo; Hiero nym., Danielis 17 et 12, dicens: «Sanctos permittendos ess potestati Antichristi per tres annos et dimidium.» Item Augus tinus, 20 de Civitate, cap. 18 et 23, dicens, «Antichristi adve sus Ecclesiam sævissimum regnum, exiguo spatio duraturu esse, qui vel dormitans hæc legerit, dubitare non posse.» Et st tim idem tempus declarat. Idem habet Prosper in Dimidi tempor., cap. 14; et Raban., in tractatu de Antichristo, qui fe tur sub nomine Augustini. Et eadem est communis sententi interpretum Daniel., 7 et 12, ubi præsertim Theodoret., et i Apocalypsi octavo et sequentibus; Victori., Primasii, Bedæ Anselmi, Ruperti, Aret., et recentiorum.

8. *Probatur ex cap. 7 Danielis.*—Fundaturque hæc senten tia primo, in verbis Daniel., 7: «Tradentur in manu ejus usqu ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.» In quibus ver bis nomine «temporis» annus significatus est, ut notant ibi Hie ronymus, Theodoretus, et omnes; et Augustinus, 20 de Civitate cap. 23; et patet ex Daniel. 4: «Donec septem tempora mu tentur super eum.» Et iterum: «Septem quoque tempora muta buntur super te.» Idemque inferius repetitur. Est ergo ill usus Scripturæ maxime in illo Propheta, quem Joannes i Apocalypsi imitatus est. Item necesse est ut ibi tempus signi ficet definitam aliquam temporis mensuram, quia alias non pos set numerari; non potest autem significare horam, diem, heb domadam, aut mensem, quia esset nimis parvum tempus; ne significat multitudinem aliquam annorum, quia esset nimia du

atio contra alia loca Scripturæ. Denique tempus in motu solis ıræcipue conspicitur, cujus integra revolutio annum consumnat, et ideo merito nomine temporis vel unius temporis signi.catur; quando enim incipit altera solis conversio, quasi no'um tempus inchoatur, in nulla vero multitudine annorum ıotest tam certa ratio metaphoræ occurrere, ut nomine tempois in singulari significetur. Unde etiam intelligitur, quando :icitur «per tempus», perinde positum esse ac si diceretur, per ınum tempus, maxime cum statim additur, «et tempora.» Hoc .utem plurale de duobus intelligendum est, et non de pluribus, um quia illud sufficit ad vim vocis, cujus amplitudo coarctanla est, ne in immensum crescere et sine termino ampliari posit, quod repugnat intentioni prophetiæ, et additioni dimidii emporis, quæ statim fit, et plane indicat tempus illud stricte umi; tum etiam quia, ut Hieronymus et Augustinus supra noant, in hebræo ibi est numerus dualis, qui Latinis non est in ısu, et ideo pluralis pro duali positus est. Igitur vox «tempoa» ibi duos annos significat; sunt ergo tres anni cum dimidio.

9. *Probatur idem ex c.* 12 *ejusdem Prophetæ. — Probatur tiam ex Apocalypsi.* — Accedit (ut notat Augustinus supra) quod ıoc tempus per dierum numerum ab eodem Propheta explicaur; sic enim ait cap. 12: «Et a tempore, quo ablatum fuerit uge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, lies mille ducenti nonaginta», qui efficiunt tres annos cum dinidio, et supersunt duodecim dies, quod non refert, quia non portet dimidium annum esse præcisum, nam communi sermoıe dicitur annus dimidius, etiam si aliqui dies ultra sex menes supersint. Præterea Apocalypsis 12 similiter dicitur: «Postquam vidit Draco, quod projectus esset in terram, persecutus st mulierem, quæ peperit masculum, et datæ sunt mulieri (id st Ecclesiæ) alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in ocum suum, ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium emporis a facie serpentis.» Qui locus intelligitur ab omnibus le tempore persecutionis Antichristi in eadem illarum vocum

significatione. Unde paulo antea in eodem capite per dies ide tempus declaratur, dum dicitur: «Mulier fugit in solitudinem ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mil ducentis sexaginta.» Et similiter cap. 11, per dies et mens idem tempus explicatur, cum dicitur: «Civitatem sanctam cal cabunt mensibus quadraginta duobus»; et de prædicatione Eli et Enoch subjungitur: «Et dabo duobus testibus meis, et pro phetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.» Qu non conficiunt integros annos tres cum dimidio, desunt enim octodecim dies.

10. *Difficultas.—Solutio.*—Unde oritur difficultas, quia su pra dictum est, hoc tempus mensium vel annorum non ess præcisum quoad dies, quia nonnullis diebus pluribus abundat hic autem deficiunt dies; fieri tamen non potest ut in eode mensium numero sit excessus et defectus dierum. Dicendu vero est hoc ita esse in ordine ad eumdem effectum, seu a eamdem rem quæ narratur, secus vero esse posse in ordine a res diversas. Quocirca, quoties fit numeratio per dies, numeru dierum sine dubio est præcisus, quia hoc requirit veritas na rationis, licet non oporteat extremos dies esse completos, se sit satis esse inchoatos. Similiter etiam narratio per mens requirit præcisum numerum quoad menses; ultimus tamen p test esse non impletus, et ideo in numero dierum non requiri tur tanta præcisio. Quod si certo numero mensium addatur di midium, tunc necesse est reliquos menses esse integros, qu dimidii mensis additio hoc requirit ad numeri mensium verita tem, et nihilominus quoad numerum dierum non requiritu tanta æqualitas; nam dimidium mensis dicitur mensis non com pletus, sive sit præcise dimidius, sive plures aut pauciores die quam quindecim fuerint.

11. Idem ergo est cum numerantur tot anni, verbi grati tres, et additur dimidium, nam priores anni requiruntur inte gri, in dimidio autem potest esse varietas, quia non semp requiritur aut completus, aut præcisus quoad numerum dierum

et mensium integritatem. In præsenti ergo tempus persecutionis Antichristi sine dubio erit trium annorum cum semisse. Et quia in alia numeratione per dies adduntur aliqui dies ultra præcisum tempus trium annorum cum dimidio, ideo necessario sunt intelligendi illi anni quoad præcisum numerum dierum, etiam si non oporteat, ut dixi, ultimum diem integrum esse. Non est autem necesse prædicationem Eliæ et Enoch durare toto tempore, et omnibus diebus persecutionis Antichristi; poterunt enim mitti aliquot diebus post inchoatam persecutionem, vel, quod verisimilius est, occidi aliquot diebus ante mortem Antichristi, et consequenter ante finitam ejus persecutionem, et ideo licet prædicaturi dicantur Elias et Enoch per tres annos, et dimidium, vel per quadraginta et duos menses, nihilominus possunt non esse integri quoad numerum dierum, licet in persecutione non solum integri sint, sed etiam aliquibus diebus abundent. Et simili modo dicitur Ecclesia in persecutione illa in desertum fugere, et ibi manere per idem tempus annorum et mensium, quia Sancti eo tempore fugient in montes, et se abscondent in solitudinem, et ibi manebunt. Fieri tamen potest ut non statim a principio se recipiant in solitudinem, sed post aliquot dies ab inchoata persecutione, et ideo quoad numerum dierum illudmet tempus annorum vel mensium minus recenseatur.

12. *Duæ sententiæ.* Quarto dicendum est, finem persecutionis Antichristi, et mortem ejus per solos quadraginta quinque dies antecessuram esse diem judicii, seu diem judicii esse futurum post mensem cum dimidio a morte Antichristi. Contra hanc assertionem tres possunt referri sententiæ. Prima est antiqua Chiliastarum, qui dixerunt, post Antichristum debellatum regnaturum Christum cum Sanctis in hoc inferiori mundo, in summa pace et gloria terrena, per mille annos. Hanc vero sententiam omitto, quia jam est ab Ecclesia rejecta tanquam hæresis manifesta, et quia nihil ad præsentem causam refert, et in aliis locis ex professo tractatur a Theologis, in 4, d. 43, et ab

expositoribus Apocal., cap. 20, ubi videri potest Ribera, et Pe
rer., lib. 8 in Daniel., in fine. Hac ergo omissa sententia, alter
est, dicentium moram illam esse futuram per tempus septen
annorum. Quia Ezechiel, cap. 38 et 39, describens persecutio
nem Antichristi sub nominibus Gog et Magog (ut est probabilio
expositio), dicit, superato Gog, id est, Antichristo, et destruct
Magog, ejus exercitu, tantam esse futuram stragem inimico
rum (1), tantamque pacem in populo Dei, ut post lustratam e
purgatam terram per septem menses, mortuos sepeliendo, ha
bitatores ejus per septem annos non indigeant lignis de salt
ad succedendum ignem, quia spolia ex armis inimicorum a
illum usum sufficient.

13. *Tertia sententia regis Angliæ dicentis id certo scire no
posse.*—Tertia vero sententia negat posse certo sciri quant
temporis mora inter Antichristi mortem et diem judicii inter
cessura sit. Quam tanta exaggeratione tradit rex Angliæ in Præ
fat., pag. 74, ut dicat, «sententiam, quam Pontificii sequuntu
tempus illud trium annorum cum dimidio, et tot dierum, pro
prie et ad amussim intelligendo, toti novo Testamento repug
nare.» Nimirum quia in illo dies judicii ignoratus ab omnibus
et repentinus futurus prædicatur. Et alioqui si quæ sunt hac d
re prophetiæ, tam sunt obscuræ propter verborum significatio
nem variam, et sæpius metaphoricam, ut nihil certum ex e
colligi possit. Unde concludit, in loco citato sumi diem pr
anno, et numerum definitum pro incerto, seu pro duration
diuturna.

14. *Probatur assertio posita auctoritate Patrum.*—Nihilo
minus assertio posita communis est Patrum. Eam docet Hiero
nymus, Daniel., 14; Theodoret., orat. 10 in Daniel.; Bed
Apocal., 8; Anselm., 2 Thessalon., 2; et frequentius modern
Bellarm., lib. 2 de Rom. Pontif., cap. 17; Ribera et Perer. s

(1) Ezech., 39.

ra. Probatur ex loco citato Daniel., 12, ubi, postquam dictum ierat persecutionem Antichristi duraturam diebus 1290, sta- m additur: «Beatus qui expectat, et pervenit usque ad dies ille trecentos triginta quinque.» In quo numero, quadraginta uinque dies adduntur priori numero, quod non alia ratione ictum intelligitur, nisi quia tot diebus, et non pluribus, diffe- endum est judicium post finitam persecutionem. Nam quia in lis diebus peccare potest, damnari etiam ille, qui in tentatio- e Antichristi firmus permanserit, non potest proclamari beatus ntra illum dierum numerum; qui autem pervenerit usque ad nem illorum dierum constans in eadem viva fide, pronuntia- ur beatus, quia jam erit finita via, post quam peccari non po- erit. Atque ita locum illum intellexerunt auctores allegati.

13. *Opinio recentiorum.— Improbatur.* — Quidam vero alii ecentiores dicunt, ex illo quidem loco colligi, quadraginta uinque dies futuros ante judicium post necem Antichristi, non amen statim post illos futurum esse judicium, quia ibi hoc non icitur (1). Verumtamen si attente ponderetur vis illius beatifi- ationis: «Beatus qui expectat, et pervenit usque ad dies, ut os illam expendimus, valde probabiliter utrumque inde colli- itur. Quia nisi finitis illis diebus 1335, statim esset futurus fi- is mundi et judicium, non esset cur absolute beatificarentur erseverantes usque ad illum numerum dierum, quia adhuc in ericulis versarentur. Et eadem ratione possent dici beati, qui erseverassent usque ad dies mille ducentos nonaginta, quia am vicerunt Antichristi tribulationem; et e converso dici pos- ent beatiores, qui usque ad dies quatuor mille perseverarent. Non ergo sine mysterio ille præcisus numerus dierum positus st, sed quia in illo finienda sunt bella, et pericula Sanctorum n terris. Habetque hoc argumentum, ut statim dicam, mag- am vim, quando tam accurate futurum tempus per dies, et

(1) Vide Massu, lib. 1, c. ult.; Riber.; Apoc., 20, n. 13.

numeros magnos et parvos, perfectos et imperfectos computa tur; nam tunc denotatur magna præcisio narrationis, et quo in illo puncto mysterium aliquod sit implendum; hic autem nullum aliud cogitari potest, nisi quod sit finis mundi futuri seu (quod idem est) judicii dies.

16. *Opinio aliorum.* — Dicunt aliqui significari potuisse, no omnes Christi hostes et Antichristi ministros cum illo simi esse occidendos, et ideo persecutionem non esse omni ex par finiendam in termino illorum millium ducentorum nonagin dierum, sed per alios quadraginta quinque occidendos ess hostes Sanctorum, et ideo ex tunc beatos appellari, quia in ma jori tranquillitate, extinctis hostibus, Christo servire poterun etiam si judicium tam cito futurum non sit. Sed hæc est volun taria conjectura, et non multum probabilis. Tum quia tempu persecutionis satis præcise numeratur Daniel., 7 et 12. Tu etiam quia non est verisimile, extincto mirabiliter Antichristo et pseudopropheta ejus futurum esse timorem hostium in San tis Ecclesiæ, aut futurum esse aliquem ministrum Antichristi qui eos persequi audeat. Tum præterea quia Ezechiel., 39, su nominibus Gog et Magog, ita describitur victoria contra Anti christum, omnesque fautores ejus, Gog, Magog, ut simul ips et omnes ejus ministri sint occidendi; sic enim dicitur: «Supe montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui, qu sunt tecum.» Et infra: «Super faciem agri cades, et immitta ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter. Hæc ergo narratio illas moras non admittit, neque erunt neces sariæ, cum non humano brachio, sed divina virtute et prodigi occidendus sit, non tantum Antichristus, sed omnis etiam exe citus, omnesque fautores ejus. Ergo ratione victoriæ et quiet a persecutione Antichristi, beati dici possent omnes, qui usqu ad millesimum ducentesimum nonagesimum diem persevera runt; ergo alia altiori et veriori ratione dicuntur beati, qui us que ad millesimum trecentesimum trigesimum quintum die constantes fuerunt, utique quoniam ad finem omnium pericu

rum pervenerunt, et «stabunt in sorte sua in finem dierum», cut statim ibidem dicitur a Daniele. Hæc ergo expositio simlicior est, et verbis ipsis magis consona.

17. *Non obstat locus Ezechielis.* — Neque obstant verba zechiel, 39, de septem mensibus pro sepeliendis mortuis, et ptem annis pro armis hostium ad ignem consumendis, quia on sunt posita ad prædicendum futurum, sed ad exaggeranm præsentem stragem. Itaque sensus non est assertivus furarum actionum, sed potentialis, id est, tot erunt cadavera, t pro sepeliendis illis septem menses sint necessarii, et tot morum spolia ad fovendum ignem, ut pro septem annis sufire possint. Ubi etiam septem anni vel menses non certum, d indefinitum tempus, id est longam, et longiorem moram gnificare possunt, ut Bellarminus notavit. Eumdemque senm vidit Ribera, n. 71, et aliis testimoniis illum confirmat; scio autem cur paulo post illi displicuerit.

18. *Et si tempus certum significarent, nihil officiunt veræ ntentiæ.* — Adverto etiam, intelligendo locum illum juxta corcem et proprietatem litteræ, ad summum inferri, futurum mpus septem annorum a morte Antichristi usque ad judicium, eodem numero 23 Ribera tradit. Quod quidem intentioni ostræ nihil obstaret, quia satis breve est tempus illud ad conudendum nondum venisse Antichristum. Verumtamen, supposito illo sensu, nullum relinquitur fundamentum illius exusivæ, nimirum, solum per septem illos annos differendum se judicium, saltem ex vi illius prophetiæ. Quia Ezechiel ntum dicit, ignem per septem annos fovendum esse ex spoliis morum, non vero dicit postea non esse futurum mundum nc inferiorem ad humanum usum ignis et lignorum, sicut t. Neque hoc posterius ex priori colligitur, sed solum post lud septennium, consumptis jam armis, necessarium fore colgere ligna, vel scindere arbores ex saltu; ergo nihil certum de colligitur, licet brevitas temporis in confuso aliunde haeatur, ut statim dicam.

ta

19. *Dies a morte Antichristi ad judicium multi esse non possunt.* — Unde tandem addo, licet obscuritas prophetiarum, et varietas expositionum sufficiat, ut ante Ecclesiæ definitionem non sit certa sententia hæc de quadraginta quinque diebus, nihilominus hoc non obstare, quominus probabilior vel etiam simpliciter vera censenda sit. In quo etiam animadverto, licet non sit certum de fide, tot dies, tantumve temporis præcise sumptum interponendum esse inter finem Antichristi et diem judicii, nihilominus certissimum esse illud tempus esse satis breve, nec posse per plures annos differri. Nam Christus Dominus dixit, Matth., 24: «Statim autem post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur»; non potest autem cum proprietate dici, statim post tale tempus fieri, quod fit per plures annos post finitum illud tempus; imo valde credibile fit ex his verbis, signa illa, quæ diem judicii præcedent, et mortem Antichristi sequentur, incœptura esse ante transactos illos quadraginta quinque dies, quia hoc indicat verbum «statim», a Christo positum; et per se est necessarium ut dies judicii in fine illorum, et post prædicta signa, vel paulo post esse possit.

CAPUT VI

Primæ objectioni regis Angliæ contra doctrinam superioris capitis satisfit

1. *Rex Angliæ contendit regnum Antichristi longius duraturum.* — Tria potissimum argumenta ex Præfatione regis colligo, quibus probare nititur, Antichristum longiori tempore esse duraturum; ipse autem nihil distinguit inter persecutionem, e regnum Antichristi, quia vel æqualis durationis illa facit, ve saltem utrumque censet longo tempore esse duraturum, et ide etiam nos in hoc capite de illis tanquam de uno loquemur

2. *Fundamento caret.* — Primum ergo argumentum sumit ex c. 13 Apocalyps., juncto 17. In priori enim ait Joannes, vidisse bestiam ascendentem de mari, habentem capita septem. Et de eadem postea subjungit: «Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est.» Sentit ergo rex bestiam illam esse Romam, et vulnus illud lethale, quod accepit, esse vastationem et quasi destructionem ejus a Gottis et Vandalis factam, et hoc vulnus «curabitur», ait, «in capite, sive in rege Antichristo, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.» Quod non aliter confirmare videtur, nisi ex consonantia alterius capitis 17. In quo etiam Joannes narrat vidisse bestiam habentem capita septem, quæ capita declarat esse reges, quibus postea octavum addit, qui «ex septem etiam est», et qui «erat, et non est. Qui (ut rex exponit) est Antichristus, qui regnare incipiet Romæ, postquam per operationem iniquitatis Christiana Roma plane corrupta fuerit et sinceritatem religionis amiserit.» Unde quia ipse jam hoc esse completum existimat, et «lethale vulnus, Romæ a Gotthis inflictum, jamdudum curatum est, et adhuc idem thronus Romæ durat», infert ipse, Antichristum, et regnum ejus multo longiori tempore quam per triennium cum dimidio esse duraturum.

3. In toto hoc argumentandi modo nullam vim rationis vel auctoritatis invenio, quia pro libito asseritur, et sine probatione sumitur, quod propriæ opinioni deservit; nihilominus tamen istud proponimus, ne aliquid prætermittere videamur, et ut dum per occasionem hanc visionem Joannis explicuerimus, veritatem catholicam magis confirmemus. De visione igitur capitis 13 breviter respondemus, probabile valde esse bestiam illam Antichristum repræsentasse. Nam omnia, quæ statim de illa bestia dicuntur, propria sunt Antichristi opera et signa, et quia statim introducitur alia bestia, quæ priorem prædicat, et nomen ejus adumbrat, quod omnes intelligunt de nomine Antichristi. Et ita hunc locum exposuerunt Patres antiqui, Irenæus, lib. 5,

c. 28 et 30; Hypolit., orat. de Consummat. mundi, et Method in simili orat.; Ephrem, tract. de Antichristo; Gregorius, 3 Moralium, cap. 26; Ambrosius, Rupert., Andreas, Aret., Ansel mus, et alii Apocalypsim exponentes.

4. *Septimæ bestiæ capita septem. — Reges sunt Antichris socii.* — De septem autem capitibus ejus licet varia sit expositio tamen simplicior magisque recepta est, illa septem significari reges, ex illis decem, qui tempore Antichristi erunt, et per de cem cornua apud Danielem et Joannem significantur. Nam qui ex illis decem tres interficientur et destruentur ab Antichristo alii vero septem illi subjicientur et sociabuntur, et cum illo si mul regnabunt, fasces illi submittendo, ideo Antichristus dici tur habere capita septem. Unde quod additur, «unum ex hi capitibus fuisse quasi occisum in mortem», non oportet de pro pria persona Antichristi intelligi, hoc enim ibi non dicitur, sed quod in uno ex capitibus suis graviter vulnerabitur et curabi tur Ergo non bestia, sed unum ex capitibus ejus plagam acci piet, ipsa autem bestia curabit plagam illam, specie quidem externa, mirabili quodam modo, ita ut «admirata fuerit univer sa terra post bestiam», etc. Igitur sensus est, unum ex illis septem regibus, qui Antichristo servient, fore lethaliter vulne randum, fortasse in aliquo bello, vel proprie, et ad litteram in suo corpore vulnus lethale recipiendo, et postea subito esse ab Antichristo dæmonis arte tam mirabili modo sanandum, ut om nes rapiantur in admirationem, et Antichristum adorent. Vel certe intelligitur magis metaphorice de vulnere in statu et reg no, quia aliquis ex illis regibus vincetur ab hostibus, ita ut videatur omnino destructus, et suo regno privatus, et subito ab Antichristo summa potentia curabitur, id est, restituetur in pristinum statum et regnum, hostibus superatis, ita ut omnes dicant: «Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea?» Vel fortasse utrumque simul continget, et significatur.

5. *Aliæ ejusdem loci expositiones.—Non bene conjunguntur visiones capitum* 17 *et* 13, *Apocalypsis.*—Unde juxta hanc expo-

sitionem, cum infra eodem capite Antichristus vocatur «prior bestia cujus curata est plaga mortis,» intelligendum est, non in se, sed in uno ex suis capitibus. Et eodem modo, quod infra dicitur, «quæ habet plagam gladii, et vixit,» intelligendum est habere in uno ex suis sociis, qui erunt quasi membra ejus. Nisi forte ipsemet Antichristus habiturus sit septem regna, et in uno eorum recepturus sit plagam illam, quam subito restauret et curet. Quocumque autem ex his modis intelligatur, inde non colligitur diuturnitas magna in regno Antichristi, tum quia hoc totum poterit uno mense fieri; tum etiam quia accidere poterit, antequam Antichristi persecutio incipiat, in progressu regni ejus, juxta dicenda capite nono. Et juxta hanc expositionem constat immerito conjungi visionem capitis 17 cum hac capitis 13, tum quia fortasse bestiæ in utraque visæ diversas res significant, ut ex supra dictis patet; tum etiam quia, licet eumdem Antichristum significent, non tamen eosdem reges, nam in c. 17 significantur septem reges, qui successive erant, ibi enim expresse dicitur quinque præcessisse, et alium esse, aliumque futurum esse. In capite autem 13, significari videntur septem reges, qui simul erunt cum Antichristo, et ita non recte inter se conjunguntur. Tum denique quia, licet ex cap. 17 colligatur diuturnitas necessaria ad illam sucessionem, non tamen in proprio Antichristo, et regno ejus, sed in successione tyrannorum, qui eum præcedent, eumque adumbrabunt et quasi præcurrent, ut in c. 5 declaravi.

6. *Aliqui Catholici bestiæ nomine imperium Romanum intelligunt.*—Addo vero non deesse catholicos scriptores (1), qui in capite 13 bestiam illam interpretantur esse Romanum imperium, et septem illos reges esse fortasse eosdem septem, qui c. 17 per septem etiam capita bestiæ repræsentantur. Quæ certe non est improbabilis sententia, cum in dicto c. 17 proba-

(1) Bellar., lib. 3 de Rom. Pontif.

bilissimum sit, bestiam illam esse Romanum imperium, ut dixi c. 4, et verisimile sit in utroque loco eamdem bestiam significari; intelligendum autem hoc puto de Romano imperio ethnico et tyrannico, in illis septem capitibus repræsentato. Neque ideo excluditur communis expositio, quod illa bestia sit Antichristus, intelligitur enim non adæquate (ut sic dicam), sed quia erit præcipuum caput illius bestiæ. Nam Romanum imperium (ejus deleto nomine) occupabit, et prædecessorum suorum tyrannidem augebit et consummabit. Qua expositione posita, caput illud plagam mortis accipiens erit ipsemet Antichristus, qui se ipsum cum omnium admiratione subito curabit, sive plaga illa tantum fuerit verum lethale vulnus, proprie curatum, antequam mors consummaretur; sive plaga illa fuerit ipsamet mors, non vera, sed ficta, et curatio fuerit etiam ficta resurrectio, ut ibi volunt Primasi., Beda, Anselmus, et nonnulli alii, et sentit Gregorius, lib. 11, epist. 3, dicens, quod veniens Antichristus mori se et resurgere simulat. Nam hoc etiam verisimile est, ut se Christum fingat, et ab illis verbis non est alienum. Ex quo etiam sensu nihil habet rex Angliæ, quo diuturnam durationem Antichristiani imperii ostendat, quia brevi tempore poterit factum illud contingere, neque in eo capite dicit S. Joannes regnaturam esse bestiam multo tempore postquam a plaga curata fuerit.

7. *Dictis favet ex parte rex Jacobus.*—Ad hanc vero expositionem videtur magna ex parte accedere Jacobus rex, quod attinet ad bestiæ significationem. Nam sicut censuit, in c. 17, bestiam esse regimen, seu imperium Romanæ civitatis, ita sentire videtur bestiam capitis 13 idem imperium seu regimen significare. Unde consequenter ait, bestiam, in uno ex suis capitibus vulneratam, esse Romam, «quæ a Gotthis lethale vulnus accepit, et postea curata est,» et deinceps «in ea multo tempore regnat Antichristus.» De qua interpretatione seu accommodatione, quatenus bestiam esse Urbem, vel ejus imperium aut regimen exponit, non controvertimus; quamvis enim minus

probabilis sit, non continet errorem contra fidem, et ideo id permittimus. Quod vero deinde addit rex, vulnus illatum bestiæ in uno ex capitibus suis esse illud quod a Gothis et Vandalis Roma accepit, confuse dictum est, nam sæpius Roma ab illis hostibus vulnerata est; et non explicatur quando illud vulnus acceperit, et a quo per Antichristum seu Antichristi tempore sanata fuerit. Quod, si per singula breviter discurramus, manifestum fiet, quocumque modo id rex intellexerit, non posse applicari expositionem.

8. *Vulnus illud non potest sumi pro prima Gothorum obsidione sub Alarico.*—Prima enim Gothorum Romana obsessio ab Alarico facta est, anno Domini 410, et tunc quidem non negamus, per convenientem metaphoram dici posse, Romanam urbem lethale vulnus accepisse. Nihilominus tamen immerito dicitur Joannem de illo fuisse locutum, quia vulnus illud non fuit illatum bestiæ in uno ex capitibus suis, ut ait Joannes, sed in ipso corpore bestiæ, utique in ipsa civitate; caput enim quod tunc bestia illa habebat (ut rex ipse vult), Romana Sedes seu Pontifex Romanus erat. At Romana Sedes nihil mali per Alaricum passa est. Nam imprimis Innocentius, qui Romæ præsidebat quando Alaricus illam pene destruxit, ad pacem inter Alaricum et imperatorem componendam discesserat; et Ravennæ substiterat, «Deo ita providente, ne urbis videret excidium,» ut ait Orosius lib. 7, c. 39; et attigit Sozom., lib. 9, c. 7; et Nicephorus, lib. 13, c. 35, ubi subjungit, Alaricum suis concessisse, ut domos expilarent et opes diriperent, jussisse autem ut uni templo, in quo tumulus Apostoli Petri est, parcerent: «Quæ res» (inquit) «in causa fuit, ne Roma omnis funditus interiret. Illum enim propter timorem plurimi confluxissent, ob Apostoli reverentiam servati, urbem denuo ædificiis restaurarunt.» Igitur neque Petri sedes, neque persona Pontificis, qui tunc sedebat, vulnus accepit, sed civitas ipsa, quæ propter vitiorum multitudinem, et præsertim propter reliquias idololatriæ cladem illam accepisse creditur, ut iidem auctores et multi alii tradunt.

Ergo non recte accommodantur ad illud excidium verba Joan
nis dicentis: «Vidi unum de capitibus suis quasi occisum in
mortem.»

9. *Regis expositio non stat cum aliis verbis ejusdem capitis*
—Unde multo minus potest altera pars illius prophetiæ hui
interpretationi adaptari; ait enim Joannes, «plagam mortis
quam unum caput bestiæ acceperat, curatam esse, et admi
ratam esse universam terram post bestiam,» nimirum post An
tichristum, de quo subditur: «Et adoraverunt draconem, qu
dederat potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam, dicentes
Quis similis bestiæ?» Utique quia modo quodam extraordinari
et mirabili plagam mortis curavit, ut omnes exponunt. A qu
interpretatione non discrepat rex cum subdit: «Atque ita illu
lethale vulnus, quod a Gotthis et Vandalis acceperat, curabitu
in illo capite, sive rege Antichristo, qui deinde exurget.» Ho
autem subsistere non potest, si ea, quæ historiæ tradunt, cu
his quæ rex ipse alibi supponit, conferantur. Nam vulnus Rom
illatum a Gotthis, duce Alarico, statim curatum est, non ex
traordinario modo, aut virtute dæmonis, sed speciali Dei prov
dentia, cooperantibus hominibus communi et ordinario mod
Ait enim Augustinus, in tractatu seu sermone de excidio urbi
Deum speciali providentia noluisse tunc Romam destruere, s
castigare, et ideo multos cives salvos servasse, a quibus post
civitas instauraretur. Quod amplius declaravit Nicephorus, lo
et verbis supra citatis, dicens, «cum ad D. Petri templum pl
rimi confluxissent, ob Apostoli reverentiam servatos, Urbe
denuo ædificiis instaurasse.» Quæ instauratio per paucos ann
fere ad perfectionem perduci potuit.

10. *Roma Vandalorum obsidione vulnus in capite non accep*
— Post annos vero quadraginta quinque Gensericus, rex Van
lorum, Urbem obsedit, et incendere ac demoliri incœpit, et
Romæ, jam a priori plaga curatæ, novam intulit. Illa aut
plaga non solum caput Urbis non attigit, verum etiam int
ventu ejusdem capitis factum est, ut Urbs ipsa a lethali v

nere, non tam curata fuerit, quam divina providentia præservata. Unde Sanctus Leo Papa, in sermone de Octav, Apostol.: «Quis hanc» (inquit) «urbem reformavit saluti? quis a captivitate eruit? quis a cæde defendit? Ludus Circensium, an cura Sanctorum? quorum utique precibus divinæ censuræ flexa sententia est, ut qui merebamur iram, servaremur ad veniam?» Et infra: «Libertatem nostram, non sicut opinantur impii, stellarum effectibus, sed ineffabilis omnipotentis Dei misericordiæ deputantes, qui corda furentium barbarorum mitigare dignatus est.» Hoc autem fecisse Deum intercessione ejusdem Sancti Leonis, refert Paulus diaconus, lib. 13, dicens: «Occursu Leonis Papæ mitigatus est Gensericus; ab incendio, cædibus, atque suppliciis urbem immunem servavit.» Addit vero, omnibus opibus ablatis, plures Christianos in Africam adduxisse. Illud autem nec dici potest lethale vulnus, et facile reparari potuit, ut per se notum est.

11. *Odoacer Romam occupavit, non tamen vastavit.*—Ulterius vero post viginti fere annos jam Urbe instaurata, iterum illam obsedit, et occupavit Odoacer, rex Erulorum, anno 476, ut Evagr., lib. 2 Histor., cap. 16, et Nicephorus, lib 16, cap. 11, et Cassiodorus, in Chron., referunt, qui tamen non civitatem incendisse aut destruxisse, sed tantum occupasse dicunt. Imo de illo ait Cassiodorus, «cum extinctis adversariis Italiæ libere dominaretur, modeste, ac temperate tanta usum esse felicitate.» Nullum ergo lethale vulnus tunc inflictum est Romanæ civitati, nec proprio imperio, quo tunc regebatur, id est, Pontificio; nam Simplicius, qui tunc præsidebat, nec dignitate, nec civitate sua privatus est, aut imminutus, sed civitas in eodem statu, in quo antea erat, in Simplicio, et successoribus ejus, Felice III et Gelasio, toto tempore, quo Odoacer vixit, perseveravit.

12. *Totila Romam graviter affixit, sed non lethali vulnere.*—Denique, anno Domini 547 et 550, Totila, Gotthorum rex, Romam vexavit et occupavit, et ex parte diripuit ac diruit, non tamen lethale vulnus inflixit, et illud qualecumque fuit, statim repa-

ratum est, seu curatum. Nam in primo ingressu, interven
Pelagii tunc diaconi, et postea Papæ, ejus nominis primi, e
Belisarii ducis, tam cum Romanis quam cum ipsa civitate be
nigne se gessit, et quamvis partem murorum everterit, paul
post per eumdem Belisarium instaurati sunt. In secundo ver
ingressu, licet Totila in principio Urbem demoliri et destruer
tentaverit, tandem vero et habitatores ejus revocavit, et ipsa
novis ædificiis munivit et illustravit. Ergo multo minus e
tempore recepit Roma lethalem plagam, aut expectare illa
oportuit Antichristum, qui eam a sua plaga curaret.

13. *Argumento ad hominem regis Angliæ assertio refellitu*
—Accedit, post has omnes plagas seu persecutiones, bestia
illam, seu Romanam urbem per 56 annos sanam et integra
in pace sub eodem imperio Pontificio, et in eadem fide perse
verasse (etiam ex sententia regis et Protestantium) priusqua
incœperit Antichristus, quem ipsi confingunt. Rex enim ai
Ecclesiam Romanam cœpisse esse Antichristianam anno 60
ultima vero Romana irruptio anno 550 præcessit, ut dixi; erg
quando venit illud tempus, jam non habebat bestia plagam
quæ sub Antichristo sanaretur. Multoque minus accommoda
potest, quod Joannes addit, «admiratam esse universam terra
post bestiam», utique propter curationem vulneris lethali
Neque etiam ex eo tempore, vel ob illud factum potentia Ro
manæ civitatis aut Romani Pontificis major visa est mundo, u
propterea omnes bestiam adorarent, dicentes: «Quis simil
bestiæ, et quis pugnare poterit cum ea?» Nec denique eo quo
excidium Romanum in quacumque ex dictis obsidionibus fa
tum postea instauratum est, nec ex modo quo plaga illa cura
est, colligi potest quod Joannes ait, «draconem dedisse potesta
tem bestiæ.» Nemo enim unquam cogitavit, instaurationem
illam factam esse virtute dæmonis, sed divina virtute et prov
dentia, quæ voluit populum suum corripere, non perdere,
recte dixit Augustinus, in dicto tractatu de Excidio urbis,
lib. 1 de Civitat., c, 1; unde nullus, nisi amens vel ethnicus, i

de potuit ad draconem adorandum, sed potius ad Deum laudandum et glorificandum, excitari; ergo nihil eorum, quæ Joannes eo loco prædicit, potest secundum illam frustra cogitatam expositionem accommodari.

14. *Male verba quædam Joannis textui adduntur.*— Ex quibus tandem manifestum est, ultima verba, quæ ad suam interpretationem rex adjecit, dicens: «Plaga mortis curabitur in suo capite, sive rege Antichristo, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur», hæc (inquam) verba ultima (quæ ad præsentem causam solum pertinebant), sine ullo fundamento in illa visione seu prophetia Joannis, a rege addita esse. Nam ibi nihil docet Joannes de daratione diuturna regni Antichristi; imo de bestia illa, quæ in uno de suis capitibus vulnus acceperat, et sanata fuerat, dicit: «Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos», facere (inquit) ea omnia quæ ibi declarantur, scilicet, «loqui blasphemias contra Deum, et contra eos qui in cœlo habitant, et facere bellum cum Sanctis,» etc., quibus persecutio et impietas Antichristi describitur. Ergo illa diuturna duratio Antichristi non solum sine fundamento in illo textu, sed etiam contra ejus verba excogitata est.

CAPUT VII

Alteri objectioni regis Angliæ ex cap. 18 *Apocalypsis desumptæ satisfit*

1. *Secunda regis Angliæ ex Apocalypsi objectio.*—Secundo hic præcipue colligit rex Angliæ hanc diuturnitatem regni Antichristi ex loco alio Apocalypsis 18, ubi prius describitur ingens casus et interitus civitatis magnæ Babyloniæ, quam rex Romanam esse supponit, et deinde prædicitur maximus planctus regum et mercatorum terræ super illam, et timor ex admiratione

desolationis ejus. Unde rex Angliæ sic concludit: «Ex illo gra vissimo planctu, planissime constat regnum Antichristi longiu triennio et semestri spatio, aut unius hominis ætate duratu rum.» Hoc autem probat, quia «reges qui cum ea fornicat sunt, et in deliciis vixerunt, tempus habuisse diuturnius a ad magnam illam necessitudinem contrahendam oportuit. Mer catores autem terræ sic ejus, dum stetit, prolixe copias et felici tatem ostentant, quasi suarum fuisset emporium divitiarum quæ tam exiguo tempore non poterant, ac ne uno quidem sæ culo coarcervari.» Ex his ergo duabus conjecturis concludis rex esse necessarium ut regnum Antichristi non trium annorun nec tantum unius hominis vitæ, imo nec unius sæculi, sed plu rium futurum sit; quomodo autem ex illis conjecturis hoc se quatur, non declarat, cum tamen inter se nullam connexione habere videantur, ut a me breviter explicabitur.

2. *Babylon alia vera, alia mystica.*—Prius vero necesse es exponere quæ sit illa Babylon, de qua Joannes, tam in hoc cap 18, quam in præcedentibus loquitur. Duplex enim ab hominibu distinguitur Babylon, una materialis et propria, in Chaldæa sit quæ initium imperii Chaldæorum fuit; alia mystica. Et licet A dreas, cap. 53, de utraque censeat posse Joannem intelligi, ca teri tamen omnes pro certo supponunt, non loqui Joannem d propria Babylone, quod et ipse satis indicavit cap. 17, dicen fuisse in fronte civitatis scriptum: «Mysterium, Babylon mg na», illique multa attribuit, quæ non recte veræ Babylon accommodantur. Loquitur ergo Joannes de Babylone mystic quæ autem illa sit inquiro. In quo solum invenio Aretam, q c. 53, illam Babylonem, de qua Joannes loquitur c. 16, in fin Constantinopolim esse interpretatus fuerit, sed sine fundame to in Scriptura vel ratione.

3. *Babylon dicitur universus mundus.*—Duæ igitur sunt pr babiles expositiones: una est hanc Babylonem esse universu mundum quoad pravorum congregationem, quam Augustin diaboli civitatem appellavit in libris de Civitate, præsert

in 18, a principio. Unde, Enarrat. 2 in Psal. 26, sic ait: «Est quædam civitas, quæ Babylonia dicitur. Civitas istas societas est omnium impiorum ab Oriente usque ad Occidentem, ipsa habet regnum terrenum», etc. Et Enarrat. in Psalm. 61: «Omnes» inquit «qui terrena sapiunt, omnes, qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi, ad eam civitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mystice, et habet regem diabolum.» Idemque repetit Enarrat. in Psal. 28, circa id: «Memor ero Raab et Babyloni sscientium me (1); Babylon» (ait) «civitas dicitur secundum sæculum, una civitas iniqua Babylon, omnes iniqui ad Babylonem pertinent», etc. De hac ergo Babylone exponunt dictum locum Apocalipsis graves et antiqui expositores, Beda, Victori., Tyconi., homil. 16 in Apocalyps.; Anselmus, Primas, necnon etiam Ambrosius ac Augustinus, in Commentariis quæ sub nomine illorum inter illorum opera feruntur, præter alios modernos expositores in eum locum. Et idem docuit Aretas, suo c. 41, 42, 53 et 55, licet aliis locis aliter interpretari videatur. Nec dissentit Andreas, licet ad alias etiam Babylones verba accommodet. Expresse et optime Prosper, in Dimidio temporis, capite septimo, ubi ita exponit illud Psalm. «Filia Babylonis misera», etc.

4. Possunt etiam pro hac expositione referri Petrus Damianus, epistola tertia ad Blancam, capite 12, quatenus ait, omnem animam iniquam nomine Babylonis comprehendi. Et de pœnis loquens verba illa exponit: «Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum» (2). Et hoc etiam habet Lucianus, Parænes. de Pœnit., in fine. Et similiter D. Aug., Psal. 149, exponit illa verba capitis 18 Apocal.: «Duplicate duplicia secundum opera ejus, in poculo, quo miscuit, miscete illi duplicia»; intelligitque dicta esse de mundo qui nomine Babylonis significatur, licet prædicta verba non ad litteram re-

(1) Psal. 86.

(2) Gagnajus et Melo in Apocal.

ferat, sed: «Sic», ait, «scriptum est: Reddite illi duplum, a quod fecit.» Atque ex hismet verbis seu locis fit probabilis hæ expositio Et præterea ex illis: «Facta est habitatio dæmonio rum, et custodia omnis spiritus immundi» (1). Hæc enim pro priissime de civitate impiorum dicuntur, et vix in aliquam par ticularem civitatem convenire possunt. Item illa: «Exi de ea populus meus, ne particeps sis delictorum ejus» (2), quæ si exponit Cyprian., l. de Lapsis. Sicut etiam illa: «Væ, væ civita illa magno, in qua divites facti sunt omnes.» Item illa: «Qu in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes, et in ea sangu Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium qui inte fecti sunt in terra.» Hæc enim non videntur posse nisi civita universum orbem occupanti adaptari; hæc autem est civitat impiorum; bene ergo illa per Babylonem intelligitur. Idemqu confirmat Aretas, suo cap. 41, ex illo adjectivo, quo sæpe il civitas «magna» vocatur; putat enim non poni ad distinctione civitatis parvæ (sic enim parum emphasis haberet, et nih magnum significaret), sed ad detonandam absolutam magn t dinem, id est, universalitatem illius civitatis; nam omnia lo et omnia tempora occupavit, quod videtur etiam s gn fica Hieronymus, epistola decima septima ad Marcel., non hoc c put, sed decimum tertium Apocalypsis explicando.

5. Neque est difficile ad hanc significationem Babylo cætera omnia, quæ in c. 17 de illa dicuntur, accommoda nam Babylon, in hac significatione sumpta, non est aliud qua mundus in malam partem acceptus, prout est frequens in sa Scriptura, ut 1 Joan., 5: «Mundus totus in maligno positus e et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra;» et Chr tus, Joan., 15: «Si mundus vos odit, scitote quia me prior vobis odio habuit.» Unde inter tres præcipuos salutis animar inimicos mundus numeratur; et intellectus creditur a Joan

(1) Apoc., 18.
(2) Apoc., 18.

l can., c. 2, per «superbiam vitæ,» de qua statim subjungit, «quæ ex mundo est.» Hac ergo ratione recte dicetur de hac Babylone mundi, «sedere super aquas multas,» super «populos, gentes, et linguas.» ut infra idem Joannes declarat. Vocatur etiam «meretrix magna,» quia revera «de vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt» (1), et similia, quibus vanitas et mundi malitia optime describitur. Ac tandem merito de illa dicitur, esse «ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu,» quia omnes impii Sanctos persecuti sunt, et Martyres in universis mundi provinciis sanguinem suum pro Jesu Christo fuderunt.

6. *Babylon hæc destruetur, cum impii perierint.* — Sicut autem hæc Babylon non est de lapidibus facta, sed ex hominibus pravis coalescit, ut dixit Tycon., dicta hom. 16, ita ejus excidium non consistet in murorum et ædificiorum demolitione aut incendio, sed in ultima impiorum omnium perditione. Et ita hæc Babylon non per Antichristum, nec ante diem judicii destruetur, sed ipso judicii die, et per Christum, et Angelos, ejus justitiæ ministros. Unde dicitur Apoc., 18: «In uno die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam.»

7. *Objectio. — Solutio.* — Dices: quomodo ergo «reges terræ et mercatores flebunt illam, et longe stient propter timorem tormentorum ejus» (2), cum ipsi membra sint illius civitatis, et tormenta ejus vitare non possint. Respondeo, imo hac ratione merito ploraturos, «quia plangent se super illam,» ut ibidem dicitur, et quia valde horrebunt illa tormenta, dicuntur «longe stare,» utique non corpore, sed affectu, ita ut quantum in se est fugere cupiant, sed non possint. Denique juxta hanc expo-

(1) Apoc., 18.
(2) Apoc., 18.

sitionem verum quidem est quod rex Angliæ assumit, reges é
mercatores terræ non nisi diuturno tempore amicitiam et nego
tiationem habuisse cum illa civitate, inde autem non sequitu
Antichristum longo tempore regnaturum, sed civitatem malo
rum per multa sæcula durare, priusquam a Deo judicetur
puniatur.

8. *Babylonis nomine etiam Roma significatur. — Id de Rom
Ethnica, non religiosa dicendum.* — Secunda expositio est, ut B
bylonis nomine ibi Roma significetur; ita ut ibi prædicetur de
tructionem, et stupendam Urbis ultionem divinam ante fine
mundi futuram esse. Quod enim Babylonis nomine Roma in
terdum significetur, clare tradit Augustinus, lib. 18 de Civit
c. 2, dicens, «veram Babylonem fuisse primam Romam, et v
ram Romam fuisse secundam Babylonem.» Et Hieronymus,
Script. eccl., in Marco, Petrum ait, cum 1 epist., c. 5, inqu
«Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta,» figural
ter Romam significasse (1), idemque habet Isaiæ, 47, in prin
ita etiam exponens loca Apocalypsis. Et in epist. 17 ad Ma
cellam, de Roma exponit locum hunc Apoc., 17 et 18. Ide
Isaiæ, 24, Romam esse sentit spiritualem Babylonem, de q
Joannes loquitur. Idem habet Orosius, lib. 7 contra Pagan
c. 2. Et Tertullianus, lib. 3 contra Marcionem, c. 13, ubi P
mel. advertit, hoc intelligendum esse de Roma ethnica s
mundana, non de sancta Ecclesia ibi congregata. Satis en
aperte illas distinxit Petrus, dicens: «Salutat vos Ecclesia, q
est in Babylone collecta.» Denique quod in hac significatio
in Apocalypsi sumatur Babylon, satis communis interpreta
est inter antiquos et modernos Apocalypsim exponentes, t
in hoc capite 18, quam aliis, ut sunt Victorin., Andre., A
thas, Riberus, Viegas; item Bellarminus, lib. 3 de Sum
Pontif., cap. 13; Sander., lib. 8 de Visib. monarch., cap. 8

(1) Lorin., 1 Pet., 5, refert quamplures.

alii complures. Estque probabilis expositio, quia Joannes, cap. 17 (si proprietas verborum teneatur), de speciali civitate loquitur, et in c. 18 non loquitur tantum de populo, sed etiam de materiali civitate, ut ex domibus et aliis ædificiis constante, et particulari loco terræ sita, quæ ab aliis terræ locis distare vel propinqua esse potest, ut indicant illa verba: «Longe stantes propter timorem tormentorum ejus,» et illa: «Omnis, qui in latum navigat, et nautæ, et omnes qui in mari operantur, longe steterunt, et clamaverunt videntes locum incendii ejus.» Si autem illa Babylon est civitas aliqua particularis, non potest certe esse nisi Roma, ut ex dictis satis constat, et ex superioribus capitibus ejusdem Apocalypsis est manifestum.

9. *Romam ante diem judicii delendam probabile est.* — Hac ergo admissa expositione, ex illa ad summum colligitur Romanam civitatem ante finem mundi delendam esse, et prorsus evertendam, etiam quoad materialia ædificia, et igni tradendam. Quod multi Catholici non solum sine rubore, sed etiam constanter docent ac defendunt, quos refert, eorumque sententias late describit Thomas Malvenda, lib. 4 de Antichristo, cap. 4 et 5; et quamvis ipse timeat in eorum descendere sententiam, ideoque aliis modis conetur loca Apocalypsis interpretari (quos nunc examinare, probare aut improbare non est necesse), nihilominus negari non potest sententiam illam probabilissimam esse, multumque et locis Apocalypsis et antiquis Patribus consentaneam, præsertim Hieronymo, cujus hæc sunt verba, Isai., 24: «Atteretur civitas vanitatis, sive omnis civitas, vel spiritualis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cujus supplicia in Apocalypsi Joannis legimus.» Nec ab ea sententia discrepat libro secundo contra Jovinian., licet indicet prophetiam non esse absolutam, sed comminatoriam, dicens: «Ad te loquor, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti,» etc.; «maledictionem, quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninivitarum.» Accedit Lactantius, lib. 7,

c. 25, qui testimonio sibyllæ confirmat, casuram et incendendam esse «urbem caput orbis. Et tunc» (ait) «quis dubitet venisse jam finem rebus humanis, orbique terrarum!» Et certe, supposita devastatione orbis, præsertim christiani, futura in fine mundi ante judicium, partim per decem reges, qui Antichristum præcedent, partim per ipsum Antichristum, qui majori potentia, et acerbitate ac odio, Christum et ejus Ecclesiam persequetur, per se probabilissimum est, aliquem vel plures eorum irruturos in Urbem, eamque penitus eversuros, ut Romanum nomen, imo et christianum, si possint, Roma deleta, prorsus extinguant.

10. *Tempus illius eversionis incertissimum est.* — Modus autem, ordo et tempus hujus eversionis, licet futuram esse supponamus, longe incertiora sunt quam ipsa eversio; nam de ipsa eversione habemus fundamentum in Scriptura, juxta probabilem sensum ejus, de cæteris autem circumstantiis fere nihil. Unde modus ille, quo vir eruditus, Thom. Malvenda, ultimum excidium Romanum describit, juxta eorum sententiam, qui de Romana urbe prophetias Apocalypsis intelligunt, neque ab omnibus qui illum sensum approbant, asseritur, nec mihi videtur necessarius, aut cogente fundamento fultus. Ait enim Romam circa finem mundi ad plura et majora scelera et flagitia redituram, quam prius, cum esset ethnica, commiserit, nam et fidem negabit, et Pontificem a se abjiciet, et ecclesiasticos ordines trucidabit, et ad idololatriam redibit. Nam antiquam temporalem potentiam iterum recuperabit cum majori amplitudine, et imperii majestate, quam antea habuerit, decemque reges potentissimos sibi subjectos habebit, quorum opera Sanctos persequetur acerbius, et martyriis crudelioribus afficiet, quam sub imperatoribus ethnicis passi fuerint. Postea vero intra breve tempus ait reges illos a Roma defecturos, et adversus illam insurrecturos, ac penitus delecturos, Deo id permittente, in virdictam scelerum ejus, tam præteritorum quam illo tempore præsentium. Hoc enim videtur indicasse Joan. Evangelist

cum eodem c. 18 dixit: «Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus » Credendum enim est Deum non permissurum tam grave Romæ supplicium, nisi ipsa prius antiquis peccatis nova superadderet, et ita iram Dei in se excitaret. Atque ad hunc modum accommodat cætera, quæ in hoc capite et præcedente Joannes prædicit. Ac tandem post destructionem Romæ a decem regibus factam, venturum esse dicit Antichristum, juxta alias prophetias supra tractatas.

11. *Impugnatur quoad primam partem.*—Hæc vero omnia, licet impossibilia non sint, neque cum aliqua prophetia aut promissione Romæ facta, quam ego sciam, repugnent, non videntur mihi necessaria, nec satis fundata. Nam (supposita expositione Babylonis, quam prosequimur) ex hoc loco Joannis solum habemus esse evertendam, ac penitus destruendam, ita ut «ultra jam non inveniatur», ut ait Joannes, id est, non amplius instaurabitur, nec habitabitur, ideoque «nec tibia canentium, nec artifex, nec vox molæ, nec lux lucernæ, nec vox sponsi et sponsæ amplius audientur aut invenientur in ea», ut ibi dicitur. Erit ergo desolatio sempiterna, ideoque certum et exploratum videtur, oraculum illud, de Roma intellectum, in nullo præcedentium excidiorum Romanæ urbis, impletum esse, ut facile conjectabit lector, si attente ea, quæ de illis excidiis in capite præcedente diximus, cum verbis adnotatis præsentis prophetiæ contulerit. Imo inde valde probabile fit, tale excidium Romanum, si futurum est, non nisi prope finem mundi esse futurum, quamvis hoc in dicto c. 19 non asseratur, neque alibi sit prophetatum, et ideo minus certum sit. Inde tamen aliquo modo suadetur, quia verisimile est tam mirabilem Urbis destructionem, et immanem sedis Apostolicæ persecutionem non nisi temporibus Antichristi vel prope illa esse futuram, quia illa fore videbitur tribulatio maxima Ecclesiæ, et in ea implebitur quod Daniel prædixit, cessaturum juge sacrificium, et similia.

12. *Impugnatur quoad secundam partem.*—Quod vero ante

illam destructionem reditura sit Roma ad pristinam potentiam et temporale imperium, non video unde probari possit, quia non omnia, quæ hoc capite de Roma dicuntur, necesse est in ea inveniri in illo ultimo tempore, in quo destruetur, sed in toto discurso temporis ex quo fuit condita usque ad finem «Quia (ut ibi dicitur) pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum et recordatus est Dominus iniquitatum ejus», utique omnium quæ in ea quovis tempore facta sunt. Quapropter etiam non vi deo unde satis probetur, redituram Romam ad idololatriam, ve ad similia scelera, quæ ex veri Dei ignoratione prodeunt, tun quia ut dicantur peccata pervenire usque ad cœlum, satis es quod prioribus flagitiis impiorum semper addantur nova et gra vissima peccata Christianorum quibus Deus magis quodammo do ad iram movetur, quam delictis hominum cæterorum igno rantium verum Deum, et fieri poterit ut in illo tempore peccat et flagitia in illa urbe multiplicentur cum majori luxu et cor ruptione, quam in præteritis christianitatis temporibus; tun etiam quia, licet illud excidium futurum sit in supplicium mu titudinis pravæ, credibile est futurum etiam esse in probatio nem bonorum, et in purgationem et meritum prædestinatorum ut de persecutione Antichristi Christus significat, et Patre ubique docent. Non erit ergo necessarium Romam ad idolola triam redire, ut illius destructionem Deus permittat.

13. *Impugnatur quoad tertiam.* — Quod denique additu decem reges prius futuros esse subjectos temporali imperi Urbis, et postea esse contra illam insurrecturos, non video, qu fundamento asseratur. Nam quod hic ait Joannes, «reges terra fornicatos esse cum illa, et plancturos se super illam» (1), a summum indicat, illos futuros esse Romanæ civitatis amico vel forte prius illius scelera imitatos fuisse, postea vero natur li affectu ejus perditionem doluisse. Addo etiam non videri ne

(1) Apoc., 18.

cessarium ut illi reges, qui prius fornicati erunt cum Babylonia, et postea plangent cum illa, sint illimet decem qui proxime antea adventum Antichristi regnabunt, sed alii reges terræ, qui non deerunt extra imperium Romanum, ut in Persia, in Africa, India, et aliis regionibus, qui fortasse usque ad mundi finem permanebunt. Denique non oportet per reges terræ intelligere solos supremos et principales reges terræ, sed etiam magnos principes et quasi regulos, ut sunt nunc multi duces et potentatus Italiæ et Germaniæ, et similes, qui ultra decem illos famosiores reges esse poterunt tempore destructionis urbis Romæ, et cum illa prius fornicari, non tantum per idololatriam, sed per alia vitia sectando mundi vanitatem, et postea de illius perditione dolere ac plangere.

14. Quocirca ex illo loco, supponendo per Babyloniam Romam intelligi, solum potest certo colligi, Romam tandem aliquando esse omnino et irreparabiliter evertendam, unde fit verisimilius id futurum esse prope diem judicii, et tempore Antichristi, vel circa. In quo vero statu erit Roma proxime antequam destruatur, tam in temporali imperio quam in spirituali et in fide, non video esse revelatum, nec cum fundamento definiri posse. Nullum vero est inconveniens quod, perseverando in fide, religione, et regimine, tam temporali quam spirituali per Apostolicam Sedem, sicut nunc est, in fine mundi destruatur per aliquem tyrannum infidelem, sive paganum, sive apostatam. Sicut enim hoc magna ex parte contigit in tempore Alarici, ita poterit acerbius et omni ex parte in fine mundi consummari. Neque hoc est contra sanctitatem illius urbis, tum quia, non obstante fide, et præsentia Vicarii Christi, poterunt in illa ita multiplicari peccata, ut, conjuncta præcedentibus, Dei judicium, juxta occulta consilia providentiæ ipsius, contra ipsam excitent. Tum etiam quia, licet civitas et capita ejus in fide permaneant, fieri poterit ut multitudo populi et præcipuorum civium, exemplo, et minis vel promissionibus tyrannorum infidelium corrumpatur, et deficiat. Tum denique

quia (ut dicebam) illud excidium non erit tantum propter vindictam, sed etiam ad probationem et multorum Martyrum perfectiorem consummationem. Ideoque non est etiam contra promissiones factas Ecclesiæ et Sedi Apostolicæ de perseverantia in fide, et in cathedra Petri, quod Roma illo modo destruatur, quia cathedra nunquam deficiet, nec fides ejus, sive in hoc, sive in alio loco consistat; ubique enim eadem erit, semperque Ecclesia visibilis durabit, etiam si vi persecutionis cogatur ad montes fugere, vel in locis occultis magna ex parte se abscondere.

15. *Incertum an ea destructio facienda sit ab Antichristo, vel aliquo ex ejus administris.*—Deinde neque ex illo loco, neque ex alio (quod ego sciam) satis colligi potest, an hæc ultima Romæ destructio ab ipsomet Antichristo perficienda sit et consummanda, vel ante illum, per aliquem, vel aliquos ex illis decem regibus qui in Romano orbe tunc regnabunt. Nam quod alterum ex his modis futurum id sit, posita dicta expositione, fit valde probabile, quia, ut dixi, tam generale excidium urbis capitis mundi, tantaque Ecclesiæ calamitas et persecutio non potes a temporibus Antichristi multum distare, et ideo vel ab illo erit, vel ab his qui proxime illum antecedent. Itemque ex alio principio id fit multum credibile, quia vel ante deletum prorsus Romanum imperium Antichristus non veniet, vel per illum destructio Romani imperii consummabitur; tunc vero maxime delebitur Romanum imperium, quando Roma prorsus extincta fuerit, et e converso dum illa in suo statu perseveraverit, ad huc reliquiæ Romani imperii durabunt. Ergo sicut imperium Romanum, ita et Urbs eodem tempore et sub eisdem tyranni destruetur. Quod autem alterutro ex dictis modis contingere possit, et neuter illorum vel revelatus sit, vel repugnet revelatis, patet, quia nullibi revelatum est, Romanam urbem esse duraturam usque ad tempora Antichristi inclusive seu intrinsece, ut sic rem explicem; poterit ergo antea per decem reges destrui. Item non solum probabile est, sed etiam aliqui conten

unt esse certum, ante adventum Antichristi imperium Roma-
um esse omnino per decem reges delendum ; ergo probabile
st ab eisdem esse Romam evertendam. Quod in capite etiam 17
pocalypsis insinuatur.

16. *Probabile est Romæ vastationem ab Antichristo consum-
andam.*— E contrario vero nullibi etiam est revelatum, Anti-
ıristum non esse venturum, donec Romana urbs sit destructa;
rgo si per ipsum destruatur, satis implebitur prophetia hujus
ıpitis, quod tractamus, de destructione Babylonis. Item supra
ıximus esse valde probabile, et Patribus consentaneum, Ro-
anum imperium, licet per decem reges, Antichristi proximos
:æcursores, ita sit dividendum et extenuandum, ut prope de-
ıatur, per ipsum nihilominus Antichristum esse consumman-
ım destructionem ejus; ergo per ipsum etiam poterit Roma
:strui atque extingui. Cum autem dico, «per ipsum», non in-
lligo esse necessarium ut ipse Antichristus præsens sit in tali
:llo ; satis est enim quod per se, vel duces suos, vel reges sibi
bjectos id faciat. Itaque utroque modo potest intelligi quod
: muliere fornicaria dicitur Apocalypsis, 17, et de decem cor-
bus bestiæ, seu de decem regibus, quod «odient fornicariam,
desolatam facient illam», etc., si per fornicariam Romam,
r bestiam autem, Antichristum intelligamus, ut est probabi-
, sed incertum, ut supra dixi, et 2 tom. tertiæ partis, dis-
.t. 56, sect. 2, ubi nihil aliud de ultimo Romæ excidio docui ;
ıo de illo tanquam de re incerta locutus sum. Neque aliter lo-
itur Bellarminus, qui potius sentit Romam ab ipso Antichris-
esse delendam. Nam lib. 3, c. 13, sic ait: «Antichristus odio
bebit Romam, et cum ea pugnabit, eamque desolabit et in-
ndet.» Idemque sentit lib. 4, c. 4, in fine. Eumdemque di-
ndi modum sequitur Bozius, lib. 24, c. 6, et citat Tertullia-
m, Lactant., Cyrillum, Chrysost., Ambros., Hieronymum et
ıgustinum.

17. *Concluditur, ex Apocal.* 18 *non colligi persecutionem An-
hristi ultra tres annos cum semisse duraturam.*—Ultimo tandem

(ut regi Jacobo respondeamus) dicimus, ex toto hoc cap. Apocalypsis, vel ex destructione Urbis in illo prædicta, vel circumstantiis cum quibus describitur, colligi non posse persecutionem Antichristi, longiori tempore quam per triennium semissem esse duraturam. Nam si decem reges Urbem deme hturi sunt, licet bellum illud per plures annos duret, vel po illud Roma per plures annos destructa jaceat, nihilominus A tichristus postea veniens, poterit brevi tempore durare. Si ve ipsemet Antichristus Romam debellaturus est, poterit id facer antequam spiritualem (ut ita dicam) persecutionem Eccles incipiat, dum temporale imperium acquirit, quod pluribus ann durare poterit, prout persecutionem antecedet, ut capite no dicam. Et tunc poterit persecutio durare tantum brevi tempo dicto, ut per se manifestum est. Vel certe, licet demus, ipsa Urbis destructionem futuram esse partem Antichristianæ pe secutionis, adhuc poterit triennio, imo biennio compleri qui quid de illa destructione Joannes præsignificat. Quia non solu intra annum, sed etiam intra menses paucos circumdari pote et expugnari, et incendio tradi, et alia pati quæ ibi describu tur. Et paulo post sequi poterit gravissimus ille planctus regu et mercatorum, quem Joannes commemorat, nam si planc ille futurus est in provinciis, et insulis Romæ vicinis, in paucos dies poterit notitia incendii ad eas pervenire, ad rem tiores autem intra plures, vel intra annum, planctus autem ip breviori tempore poterit consummari.

18. Quod autem rex objicit, quia et reges ad contrahend necessitudinem magnam cum illa Babylonia, et mercatores congerendas divitias, longiori tempore indigebunt, hoc (inqua probat quidem, et reges et mercatores, et Babyloniam ipsa longo et diuturno tempore esse duratura, priusquam An christus veniat, vel Babyloniam destruat, non vero probat d tructionem ipsius urbis, vel planctum postea subsecutum fu rum esse diuturnum. Tum quia hæc diversa sunt; tum eti quia frequenter illa, quæ multo tempore durarunt, uno

ento extingui solent. Eo vel maxime quod in toto illo capite ullum est verbum de Antichristo; unde licet ea, quæ ibi narntur, diuturnius tempus postularent, facile responderemus a consummanda esse ante ortum Antichristum (ut declaravi sse evenire), ipsum vero Antichristum postea esse venturum, brevi esse consummandum.

CAPUT VIII

ertiæ objectioni regis angliæ, ex variis novi testamenti verbis desumptæ, satisfit

1. *Contendit primo rex Angliæ positum tempus certum pro certo.*—Tertio impugnat rex Angliæ fundamentum quo nititur ad asserendum, Antichristi persecutionem brevi tempore iraturam. Contra quod duo objicit. Unum est, non esse necesrium Joannis de illo tempore loquentis verba in proprio sensu terpretari, quia inspecto more loquendi Prophetarum, satis mmode potest metaphorice intelligi. Duplicem autem in illis rbis ipse meditatus est allegoriam: una est ut numerus certus o incerto ponatur. Quia certum est Joannem id facere conevisse, ut c. 7, cum duodecim millia salvandorum ex singu- tribubus numerat; et c. 9, cum ait: «Et numerus equestris ercitus vicies millies dena millia» (1), etc.; idemque habet is in locis, præsertim c. 14, cum numerat: «Centum quadraıta quatuor mille virgines» (2), et c. 20, cum sæpius dicit, ristum regnaturum cum suis Sanctis «mille annis,» et c. 21, m varios numeros mensurarum describit. Accedit quod Joans in his numerationibus antiquos Prophetas imitatur, præ-

(1) Apoc. 7 et 9.
(2) Apoc. 14, et 20, et 21.

sertim Danielem, Ezechielem et Zachariam, apud quos sæ
sumitur numerus certus pro incerto, ut Daniel 7: «Decies milli
centena millia ministrabant ei,» et alibi sæpe.

2. *Contendit secundo tempus a Joanne assignatum significa dimidietatem spiritualis hebdomadæ.* —Altera regis allegoria e ut illa tria tempora et dimidium temporis neque annos neq certum tempus significent, sed dimidiam spiritualem hebdon dam: «Nam qui recordantur (ait) Joannem in visionibus mor Prophetarum imitari, admodum verisimile esse comperiet, illis tribus diebus et dimidio eum imitari Danielis hebdomad hebdomadam unam accipiendo totum illud tempus, quod in adventum Christi primum et secundum intercesserit, cu temporis, sive spiritualis hebdomadæ dimidio triumphant inducit Antichristum.» Potestque interpretatio hæc juvari s tentia Lyrani, qui, Daniel. 12, incertum putat esse an dies proprie sumatur pro naturali die, vel metaphorice pro an sicut hebdomada apud eumdem Danielem sumitur. Idem e dici poterit de locis Joannis in Apocalypsi, et ita erit proba lis hæc expositio.

3. *Tertio, argumentatur ab incertitudine diei judicii.*—Alt objectio principalis est, non posse verba Joannis in sensu p prio intelligi, quia talis sensus aliis Scripturæ locis et cuid fidei dogmati repugnat. Argumentatur ergo, quia si Antich tus certo numero dierum regnaturus est, et post mortem e intra quadraginta quinque dies judicium futurum est, statim Antichristus regnare, ac persequi Ecclesiam cœperit, ce scient fideles homines quo die futurum sit judicium. Hoc aut est contra Christi verba multis in locis. Nam imprimis, Mat 24 dixit: «De die autem illa et hora nemo scit, neque An cælorum, nisi solus Pater.» Deinde similitudine diluvii decla quam repente venturus sit dies ille, dicens: «Sicut auten diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis. Sicut enim eran diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et n tui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arc

non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes, ita it adventus Filii hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assu- etur, et unus relinquetur; duæ molentes in mola, una assu- etur, et una relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora minus vester venturus sit. Quibus omnibus (ait rex) signi- atur illorum temporum summa securitas, futuros esse homines riis negotiis et curis humanis implicatos, cum hora novissima s repente, nec opinatos occupet.» Sicut Christus in dicto loco ncludit: «Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias a hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi mum suam; ita et vos estote parati, quia qua nescitis hora lius hominis venturus est.»

4. *Multa congerit testimonia ex Scriptura.* — Secundo Matth. , ad declarandam illius diei incertitudinem, adducit Christus rabolam decem virginum, et concludit: «Vigilate itaque, quia scitis diem neque horam.» Tertio, addere possumus verba risti, Actor. 2: «Non est vestrum nosse tempora, vel momenta æ Pater possuit in sua potestate.» Quarto, addit rex verba tri, 1 canonic., c. 5: «Sobrii estote, et vigilate. Petrus» t) «jubet nos vigilare, et sobrios esse, ad excipiendum illum em semper intentos.» Quinto ait: «Joannes in Apocalypsi s nos admonet, ut furem nocturnum, sic Christum esse ven- rum. Veniam» (dicit Spiritus Sanctus, Apocal. 3) «ad te tan- am fur, et nescies qua hora veniam ad te;» et c. 16: «Ecce nio sicut fur.» Sexto, addere possumus, hoc dixisse Pau- n, 1, ad Thessal. 5: «De temporibus autem et momentis, tres, non indigetis, ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter tis quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim erint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet inte- us.» Denique id etiam dixit Petrus, epist. 2, c. 5.

5. *Regis fundamenta evertuntur.*—Ad priorem partem res- ndeo, litteralem expositionem verborum Joannis, quam Pon- cii, id est, Catholici sequuntur, fundatam esse imprimis in oprietate verborum Scripturæ, quæ præferenda est. Caven-

dum enim omnino est periculum deserendi verum Spiri
Sancti sensum: «Quem,» ut libro de Pudicit., c. 9, Tertullian
dixit, «omnino observare debemus, æque ac præceptum;» q
«non levior est transgressio in interpretatione, quam in co
versatione.» Magnum autem est periculum aberrandi a v
sensu, quando proprietas verborum sine auctoritate vel nec
sitate relinquitur; neutra autem ratio hic invenitur ad propri
verborum sensum relinquendum, ut infra ostendemus. Im
contrario dictus sensus proprius fundamentum habet in cons
nantia et concordia diversorum locorum Scripturæ, et in va
modis explicandi eamdem rem per tempora, menses et dies,
in veteri et in novo Testamento, ut credibile non sit, om
esse per metaphoram et improprietatem dicta. Fundatur p
terea in communi consensu Patrum, per quos Deus Eccles
verum sensum Scripturarum docet; qui autem Patres ita s
tiant, satis constat ex his quos capite sexto attulimus. Deni
fundari potest, quia nulla metaphora ibi quadrare potest, ne
habet probabile fundamentum, ut facile constabit per ea
currendo, quæ rex adducit.

6. *In Scriptura sæpe numerus perfectus pro incerto poni*
—Per numerum imperfectum determinata duratio significatur
Ad priorem ergo metaphorici sensus partem, in qua dic
accipi numerum certum pro incerto, et ad indicandum long
aut breve tempus, magnumque aut parvum numerum indef
tum, respondemus, regulam in generali sumptam veram e
et hoc modo ex testimoniis ibi relatis, et aliis multis quæ aff
possunt, recte probari, male tamen ad præsentem expositio
applicari. Nam imprimis, ut docte notavit Bellarminus, li
de Romanis Pontif., c. 8, tunc in Scriptura numerus defin
pro indefinito tempore sumitur, quando est perfectus, e
aliquo ordine consummatus, ut sunt decem, centum, mi
Quando vero numerus comprehendit non tantum magnum,
etiam parvum numerum, tunc esse signum propriæ et præ
numerationis. Et ratio est in promptu, quia simplex et abso

xpressio unius numeri consummati facile potest esse capax
lis metaphoræ, vel propter aliquam numeri perfectionem, vel
er aliquod mysterium, ut solet considerari in septenario numero
ropter mundi creationem, vel in millenario propter ejus per-
ectionem aptam ad significandam quamdam temporis plenitu-
inem, ut dixit Augustinus, 20 de Civit., c. 7, ubi etiam ita
xponit illud «centuplum,» de quo Dominus loquitur, Matt. 19,
t copiosum præmium significet. Et alia exempla profert in
b. 2 de Doctrin. Christ., c. 16. At vero quando minute et dis-
ncte additur numerus minor majori, et dimidius integro, sig-
um est definitæ ac propriæ numerationis, quia alias nunquam
aberemus certum aliquem in Scriptura numerum. Item quia
ec in illa imperfectione numerorum perfectio aliqua vel diu-
rnitas durationis cogitari potest, nec ratio probabilis reddi,
ır talis additio et multiplicatio numerorum fiat. Estque opti-
um exemplum ad hoc confirmandum, Dan. 8, ubi de Hiero-
lymitana vastatione per Antiochum facta, dicitur duraturam
se «dies duo millia trecentos.» Quem numerum omnes in-
lligunt, præcise et cum proprietate esse intelligendum, prop-
r specialem modum quo præscribitur. Et ita D. Hieronymus
i, ex libris Machab. et Josepho, illum comprobare et declarare
udet. Idem tradit Theodoret., orat. 8, et Glossa, Lyran., et
curate Benedict. Pereira.

7. *Locus ille Joannis metaphoricum sensum addmittere non
test.—Primum regis fundamentum evertitur.*—Quocirca partem
nc ita censeo veram, ut in ea nullam declarationem aut limi-
tionem credam esse necessariam, tum quia per se fundata est
verissima exponendi Scripturam regula, scilicet, retinendum
se proprium sensum, quando nihil est quod metaphoram in-
cet, vel ad illam excogitandam cogat; tum etiam quia nulla
rticularis exceptio illius partis occurrit. Nam si quis objiciat
emplum de centum quadraginta quatuor millibus signatis ad
lutem, Apocal. 7, et aliud de centum quadraginta quatuor
illibus virginibus stantibus cum Agno, Apoc. 14, respondet

ibi Ribera, per illos numeros ibi definitam ac præcisam multi tudinem significari. Sed quia hoc difficile creditu est, respon deo, numerum illum sic multiplicatum, mysterium continer et ideo pro indefinita multitudine poni; nam duodenarius nu merus est numerus universalis, et per se ipsum multiplicat juxta numerum duodecim tribuum illum numerum efficit, Beda, Rupert., et alii interpretati sunt.

8. *Perfectus etiam numerus ponitur pro tempore determina* — At vero in alia parte de sensu metaphorico, quia non grat et ubique confingendus est, necessario addenda est limitati Quia sæpissime numerus perfectus significat in Scriptura de nitum tempus, certamque durationem, ut quando dicitur cre tus mundus sex diebus, vel quando dicitur, Dan., 4: «Septe tempora mutabuntur super te», ubi, licet in verbo «tempor sit aliqua metaphora, quam supra explicui, in numero septen rio nulla esse intelligitur. Item in prophetia Danielis, de hebdomadibus, Daniel., 9, et sæpe alias. Ideoque illa pars pe missive tantum seu potentialiter intelligenda est, id est, pos in illo sensu tales numeros accipi, et metaphoram illam es usitatam in Scriptura. Nihilominus tamen in usu et applicatio ejus ad hunc vel illum locum, necessarium est circumstant considerare, ita ut illis quadret metaphora, nulloque mo illis adversetur Item etiam observandæ sunt communes Ecc siæ et Patrum interpretationes. Quæ duo (ut dixi) persuade etiam in dictis locis Apocalypsis non habere locum metaph ram, quia neque circumstantiis locorum accommodata est, n que Patres ibi illam invenerunt, sed certum ac definitum te pus ibi prædici intellexerunt.

9. *Secundum regis fundamentum destruitur. — Aliter Da de hebdomadis, aliter de tribus annis locutus est. — Mensium dierum numeratio hebdomadæ accomodari non potest.* — Alt vero pars metaphoræ, quam excogitavit rex, plane improbab est. Primo, quia nec Joannes in Apocalypsi, neque Daniel, c. nominarunt hebdomadam, sed tempora, menses et dies,

ıulto minus locuti sunt de dimidia hebdomada, sed per alios umeros mensium et dierum proprietatem sui sermonis declaarunt. Et confirmari hoc potest, quia ubi Daniel voluit tres nnos et dimidium per dimidiam hebdomadam significare, id :cit aperte, cap. 9, dicens: «Et in dimidio hebdomadis deficiet ostia et sacrificium», id est transactis tribus annis cum dimiio, hebdomadæ septuagesimæ. Secundo, nunquam per hebdoadam significatur in Scriptura omnino indefinitum tempus, ed quoties vox illa per metaphoram sumitur, saltem servatur roportio ad septenarium numerum, metaphora vero in eo poitur, quod ad numerum annorum extenditur, ut in dicto loco anielis, et Genes., 29: «Imple hebdomadam dierum», id est, ptem annos. At vero in tempore toto quod inter primum et cundum Christi adventum decurrit, nulla ratio septenarii nueri cogitari potest, nec probabilis causa talis metaphoræ afrri, nec auctoritas, nec exemplum; quæ est ergo hæc licentia l libitum interpretandi vel potius corrumpendi Scripturam? ertio, licet metaphora dimidiæ hebdomadæ posset accommoıri verbis illis: «Per tempora, tempus, et dimidium temporis», illo tamen modo potest accommodari numerationi quadraginta norum mensium, vel mille ducentorum nonaginta dierum; hæ enim ratio, vel proportio, seu analogia ad fingendam tam metaphoram excogitari potest? Quin potius, ut sæpe dixi, e modus explicandi tempora per menses, et numerum menum per numerum dierum, excludit omnem hujusmodi metaoram et proprium esse sensum ostendit.

10. Quarto, si tres illi anni cum dimidio, qui de adventu duratione Antichristi prædicti sunt, dimidiam spiritualem bdomadam illo modo intellectam significarent, saltem non cederent dimidium temporis illius, quod inter primum et sendum Christi adventum intercedit; at juxta regis sententiam, ntichristianismus incœpit anno Christi 606, et ita jam duravit ille septem annis, et adhuc durat, et durabit quantum scit us; ergo incredibile est totum illud tempus per trium anno-

rum cum dimidio spatium propter allegoriam dimidiæ hebd
madæ significari. Denique juxta hanc interpretationem inutil
est omnis illa numeratio temporum, dierum et mensium, qu
tam accurate a Joanne fit; quia ex illa nihil certum vel prob
bile de initio vel duratione temporis Antichristi conjectari p
test, sed unusquisque fingere potest quod voluerit initium,
temporis spatium, et asserere illud esse dimidiam spirituale
hebdomadam. At vero Scripturæ verba, licet interdum sint m
taphorica, non tamen inutilia, nec frustra prolata; ergo quan
metaphora talis est ut pervertat prophetiæ usum, intentione
et fructum, abjicienda prorsus est et vitanda.

11. *Lyrani dubitatio rejicitur. — Dies illo loco pro anno su
non potest.* — Quapropter deponenda est etiam seu rejicien
dubitatio Lyrani, an in illis locis dies metaphorice pro anno s
matur. Et pro certo statuendum est, ibi proprie sumi, et nat
ralem diem significare. Est autem advertendum, hoc intell
posse, vel de illis locis in quibus est sermo de mille ducen
nonaginta diebus persecutionis Antichristi, vel ubi est ser
de quadraginta quinque diebus post mortem ejus. Lyranus en
non de prioribus, sed de his posterioribus loquitur. De prio
bus autem non negat futuros esse naturales dies, quod inte
tioni nostræ maxime deservit, etc. Idcoque breviter ostendi
esse certum. Nam si dies ibi annum significaret, ergo cum
citur persecutio Antichristi duratura per mille ducentos no
ginta dies, intelligetur de totidem annis. Quomodo ergo ver
erit verbum Christi: «Nisi breviati essent dies illi, non fuis
salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi (1
Quomodo enim breviabuntur, si tot fere futuri sint quot hac
nus tempus legis gratiæ duravit? Similique ratione consist
non poterit quod Joannes ait, Apocalyp., 12: «Væ terræ
mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magn

(1) Matth., 24.

iens quia modicum tempus habet.» Et cap. 20 dicit, Satanam gatum fore per annos mille, et postea solvendum modico tem- ore; at vero tempus mille ducentorum ac plurium annorum on potest dici absolute modicum, neque comparate ad tempus io Satanas est ligatus. Ergo impossibile est ibi accipi diem o anno, sed pro vero die.

12. Confirmatur primo, quia numerus ille dierum postea r numerum mensium explicatur; quis autem dicat mensem i significare triginta annos? Nunquam enim in Scriptura talis etaphora mensium sicut hebdomadarum invenitur. Confirma- r secundo, quia si detur licentia diem pro anno explicandi, mdem alius sumet ad intelligendum mille annos, quia scrip- m est: «Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, æ præteriit (1).» Et consequenter sequitur duraturum Anti- ristum plusquam per mille annorum millia, quod ridiculum . Denique confirmatur ex Justino contra Tryphonem, qui hac ione irridet ejus interpretationem. Putabat enim ille, per npus ibi intelligendos esse centum annos: «Quod si ita est, lestum illum hominem ut minimum tercentum quinquaginta nos regnare oportet.» Quod tanquam absurdum et ridiculum ittit, præterquam quod nulla probabilis ratio vel funda- ntum in Scriptura talis significationis aut metaphoræ potest rri.

13. *Dies in ultima prophetia eodem sensu sumitur. — Confir- tur ex loco Ezechielis.* — Ex quo ulterius eadem certitudine cluditur, etiam in ultimis quadraginta quinque diebus, de uralibus diebus sermonem esse. Primo quidem, quia fingi potest, in eadem supputatione, respectu temporis persecu- nis Antichristi diem accipi proprie, respectu vero temporis tea futuri, sumi metaphorice pro anno, quia uno et eodem bo dicitur de utroque tempore, seu de toto illo duraturum

(1) Psal., 89.

esse, «mille trecentis triginta quinque diebus;» ridiculu
autem esset dicere, idem nomen, in eadem oratione semel pos
tum, partem temporis significare proprie, et partem metaph
rice. Secundo, quia rationes factæ de illis etiam diebus proc
dunt, et præsertim quia etiam dixit Christus, Matth., 2
«Statim post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur
ergo inter finem Antichristi, et initium signorum judicii n
intercedent quadraginta quinque mille anni, imo nec quadr
ginta quinque, quia quod post quadraginta quinque annos
non statim fit. Denique metaphora Lyrani non habet fund
mentum in Scriptura, ut ipse putat. Non enim potest ex Scr
turis ostendi, diem interdum significare metaphorice annu
Nam in loco quem Lyra adducit, Ezechiel., 4, ubi dicit
«Diem pro anno dedi tibi,» dies non significat metaphorice a
num, sed utraque vox in sua proprietate sumitur, dicitur
annus pro die computari, quia quot diebus Ezechiel, vinc
atque constrictus, sub sinistro vel dextro latere dormiturus e
tot annis Israel et Juda captivi erant futuri. Sic Hieronymus
omnes exponunt. Veluti cum dicitur in Psal., 89: «Mille a
ante oculos tuos tanquam dies,» dies proprie sumitur pro
naturali, comparantur autem mille anni cum naturali die,
cum momento respectu divinæ æternitatis.

14. *Tertium regis fundamentum veram sententiam non pugnat.* — *Non est de fide, statim post quadraginta quinque futurum judicium.* — Ad posteriorem partem objectionis, im
mis generatim dico, totam illam objectionem non proce
contra præcipuum dogma quod docemus, nimirum, persecu
nem Antichristi brevi tempore esse duraturam, et testim
Danielis et Joannis, quæ de illo tempore loquuntur, propri
ad litteram esse intelligenda. Nam ad summum procedit ob
tio contra illam ultimam partem de quadraginta quinque di
a morte Antichristi usque ad diem judicii interponendis.
nim, si dixerimus illos quadraginta quinque dies non esse
cise definitos, ut illis consummatis certo futurus sit ju

ies, omnino cessabit objectio, etiam si cætera de tribus annis
um dimidio, quibus persecutio Antichristi tantum durabit,
ertissima sint et constanter teneantur. Quia si post mortem
ntichristi non est certum, futurum judicium finitis quadra-
inta quinque diebus, ex morte Antichristi nunquam præscie-
ur quando futura sit dies vel hora judicii; ergo cessat objectio.
ars autem illa de quadraginta quinque diebus, post quos sit
uturum judicium, non est dogma fidei, nec de illo pertinaciter
ontendendum est, et ideo tota objectio non multum ad cau-
am refert. Dummodo non negetur illos etiam quadraginta
uinque dies proprie esse intelligendos, tam quoad numerum,
uam quoad naturales dies; hoc enim necessario conjunctum
st cum alia certa sententia de brevi tempore Antichristi, ut
eclaratum est. Quia hoc non obstante multi Catholici censent,
x Scriptura quidem colligi, post mortem Antichristi non esse
enturum diem judicii intra quadraginta quinque dies, non ta-
en inde colligi, finitis illis diebus, statim esse futurum, et
oc satis esse ut sit incertus, et consequenter ut cesset ob-
ectio.

15. *Judicii dies conjecturis cognosci potest ex Scriptura sump-
s.* — Nos vero addere possumus, verum quidem esse, Scriptu-
m non dicere aperte, immediate post illos quadraginta quin-
ue dies futurum esse judicium, insinuare tamen illud, satisque
robabiliter ex illa colligi, ut supra ostendi; hoc autem non sa-
s esse ut certo præsciatur dies judicii, sed solum ut conjectari
ossit cum magna probabilitate, quod nullum est inconveniens,
uia non repugnat testimoniis adductis, cum in illis de certa
ræcognitione et præscientia sermo sit. Denique addimus, etiam
conjectura illa de quadraginta quinque diebus incerta sit,
hilominus visa morte Antichristi post sufficientem cognitio-
em personæ ejus, certum esse posse scientibus Scripturas,
ope esse diem judicii, neque longe distare, etiam si dies et
ora certo non cognoscatur. Illud autem non solum verbis
ristri non repugnat, sed potius in eis continetur, cum ipse di-

xerit: «Statim autem post tribulationem illorum dierum s obscurabitur» (1), etc. Illud autem «statim» erit proxime po mortem Antichristi, ut ex Scripturis ostensum est; ergo q noverint Scripturas, evidenter intelligent propinquissimum es diem judicii, nam illud «statim» hanc propinquitatem aper indicat. Unde subjungit idem Dominus: «Ab arbore autem fi discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et fo nata, scitis quia prope est æstas; ita et vos cum videritis ha omnia, scitote quia prope est in januis.» Ergo talis prægnit diei judicii, vel certa quoad propinquitatem ejus, et non quo definitum diem, vel probabilis et conjecturalis quoad ipsu diem, non repugnat, sed potius est maxime consentanea Scri turis. Neque contra hoc aliquid probant testimonia adducta, discurrendo per singula facile constabit.

16. Ad locum Matt., 24 respondeo, priora verba Chris «De die illa nemo scit,» intelligi de certa et infallibili præ cientia, non de probabili conjectura. Dico præterea conjectura etiam haberi non posse, nisi ex revelatis, quia determina illius diei pendet ex Dei voluntate, quæ non potest nisi effectibus vel signis revelatis cognosci. Posita autem revel tione signorum præcedentium diem judicii, ex illis conject potest tempus illius diei, majori quidem vel minori probabi tate, juxta modum revelationis et signorum. Et his conjectu sæpe Sancti Patres usi sunt ad judicium aliquod faciendum appropinquante die judicii; imo ad hunc finem revelata esse Deo illa signa, ex allegatis verbis Christi aperte colligitur. cætera autem verba, quibus docet Dominus horam novissim diei judicii repente occupaturam esse homines, respondeo ea dem objectionem fieri posse contra verba Christi: «Scitote q prope est in januis» (2); nam hæc prægnitio satis esse pote

(1) Matt., 24.
(2) Matt., 24.

ut dies judicii non repente præoccupet eos qui verba Christi crediderint, et eventum illorum observaverint, et considerare voluerint.

17. *Paucissimi tunc erunt qui conjecturis illustrentur.*—Dico ergo imprimis hoc futuros esse rarissimos, quia pauci erunt qui prædictas prophetias perspectas habeant, easque intelligant ac recogitent. Ideoque licet pauci aliqui intelligentes et in fide sapientes possint ex illa expectatione parati esse ad Domini adventum, hoc non obstat quominus totus fere mundus nihil minus quam de illius fine cogitet, atque ita totum fere orbem repente occupet Christi adventus. Quod recte declaratur exemplo diluvii quo Christus utitur; aliqui enim fuerunt tunc homines quos non repente pluviæ præoccuparunt, utique Noe, et familia ejus, et nihilominus absolute ait Christus diluvium venisse, et imparatos homines invenisse, omnesque oppressisse; ita ergo erit in adventu ad judicium. Aliud simile esse potest de tempore primi adventus Christi, nam simpliciter repente venit, respectu orbis, licet pauci sapientes potuerint intelligere jam prope instasse adventum ejus.

18. *Judicii incertitudo tripliciter considerari potest.*—Deinde advertо, illam incertitudinem diei judicii posse considerari, vel respectu nostri, et omnium qui futuri sunt ante revelatum Antichristum, et inchoatam persecutionem ejus; vel respectu eorum qui eo tempore futuri sunt, quo persecutio Antichristi jam grassabitur, nondum vero finem ejus viderunt; vel respectu eorum qui vivent post Antichristi mortem, et antequam inchoentur proxima signa judicii, scilicet, «sol obscurabitur,» et similia; vel respectu eorum qui talia signa jam prospexerint. In primis igitur temporibus dies judicii est omnino incertus, imo vix potest per conjecturam aliquid de illius mora vel propinquitate judicari, ut Augustinus, epist. 80 late ostendit, et experimento satis cognitum est in Patribus, qui ante mille annos diem judicii propinquare existimarunt. Neque in hoc est controversia. De secundo tempore dicimus, sapientes quidem,

magna fide, intelligentia et attentione tunc res considerantes conjectare posse, diem judicii non longe abesse, quia certo credent tribulationem illam brevem esse futuram, et illa finita statim incœptura esse signa judicii, utrumque enim Christus prædixit. Unde Gregorius, 34 Moral., c, 10, in fine, alias 15 «Appropinquante» (ait) «die judicii, vel præcursoris vocibus, vel quibusdam erumpentibus signis, ipsa eis jam aliquo modo ad venientis Domini virtus interlucet » Erit tamen illa conjectura et confusa respectu definiti temporis, et rara respectu totius mundi, et incerta respectu plurium, quia cum multæ futuræ sint tribulationes, et multi pseudochristi, teste ipso Christo Matth., 24, difficillimum erit intelligere an illa sit ultima et maxima, et an ille sit proprius Antichristus.

19. *Regis objectio.—Responsio.*—Sed ait rex : «At Pontifi cii dicunt : Mundus non ignorabit, illum esse Antichristum duorum testium doctrina.» Respondeo duos illos testes prædi caturos brevi tempore, et fortasse in paucis orbis locis et pro vinciis ; et ita non sufficiet ut totus orbis sciat illum esse Anti christum. Imo etiam ubi prædicabunt, multi erunt incredul sicut fuerunt in diebus Noe, vel sicut fuerunt Judæi, quand Joannes testimonium præbuit Christo ; ideoque licet aliqui credant, et possint eamdem conjecturam appropinquantis judic facere, nullum est inconveniens, quia cæteri omnes, et mun dus, simpliciter loquendo, nihil tale cogitabit. Unde Ambro sius, 1 Thessalon., 5, in princ., de illo tempore intellexisse videtur multa ex dictis testimoniis : «Dies Domini ut furv niet» (1), et: «Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vest venturus sit» (2). Et illud : «Si quis vobis dixerit: Ecce hi Christus, aut ecce illic, nolite credere» (3). Subito enim (ait) ex insperato apparebit sicut corruscatio apparet ab Occiden

(1) 2 Petr., 3.
(2) Matth., 24.
(3) Isai., 3.

n Orientem, habens secum militiam exercitus Dei Patris ad erditionem Antichristi et satellitum ejus. Cum enim securi uerint perfidi de regno diaboli, interfectis Sanctis, id est Enoch t Elia, et læti de victoria, invicem sibi mittentes munera, si- ut dixit Apocalypsis, tunc illis subito veniet repentinus inte- itus.» In quibus verbis repentinum Christi adventum dicit in- hoari ante mortem Antichristi, et ad illum interficiendum, et unc maxime futurum repentinum incredulis; nam pauci cre- lentes jam poterunt illum expectare; quamvis illi etiam de die t hora etiam sint incerti futuri.

20. *Antichristi mors nota non erit omnibus hominibus.—Mul- i eorum qui mortem Antichristi viderint, Scripturas non intelli- ent.*—At vero in tertio tempore post mortem Antichristi, et nte signa judicii, major quidem esse poterit conjectura judicii ppropinquantis, tamen illa etiam in paucis erit. Nam impri- nis brevissimum erit tempus illud inter Antichristi mortem et igna judicii, ut sæpe probatum est ex verdis Christi Domini, icentis: «Statim autem post tribulationem illorum dierum sol bscurabitur» (1). Deinde in tam brevi tempore mors Antichris- i non poterit nota fieri universo mundo, neque magnæ illius arti, quia Christus descendens ad Antichristum interficiendum on revelabitur universo mundo, sed in illo tantum loco appa- ebit, ubi Antichristus adfuerit, et inde mors ejus divulganda rit per famam vel litteras, per temporis decursum, prout hu- nano modo fieri potest. Ergo interim nihil magis sollicitus erit undus de die judicii, quam si Antichristus non esset mortuus. Denique apud illos etiam qui noverint Antichristum, et mor- em ejus viderint aut crediderint, paucissimi erunt qui legerint t intellexerint prophetias de tempore adventus Christi ad judi- andum post occisum Antichristum. Imo illi etiam, qui illas ntellexerint, nunquam erunt satis certi de sensu illarum, do-

(1) Matth., 24.

nec impletas illas videant; ideoque licet probabiliter credere possint, post tot dies futurum judicium, non tamen certo scien diem illum. Et ita nihil sequitur contra testimonia Scripturæ de incertitudine diei judicii, etiam si in rigore de toto tempore e de omnibus personis intelligantur. Eo vel maxime quod etiam non constat an illi quadraginta quinque dies terminum habitur sint in ipso de judicii, vel in die in quo omnium hominum mors consummabitur, post quam diem non est revelatum, an statim vel post aliquos dies futura sit resurrectio universalis e judicium. Et ita semper manent incerta dies et hora judicii.

21. *Fidelibus in ultimo tempore judicii nota erit, non infidelibus.* – At vero de ultimo tempore postquam inchoata fuerin signa judicii, de quibus Christus ait: «Statim post tribulatio nem dierum illorum sol obscurabitur» (1) ex eodem Evangeli constat, notum esse futurum universis fidelibus, mundi consum mationem et judicii diem esse propinquissimas, cum Christus dicat: «Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.» Infideles autem, cum talia signa, et finem seu significationem eorum, vel prorsus ignoraverint, vel non crediderint terrebuntur quidem, et contremiscent, nihil vero de futuro even tu intelligent aut cogitabunt. Nihilominus tamen respectu om nium verum semper erit quod Christus proxime subjungit: «De die autem illa et hora nemo scit», quia infideles penitus illam ignorabunt; fideles autem, etiam sapientes, licet cognoscan esse propinquam, definite tamen nescient tali die et hora esse futuram; quia ignorabunt destinatum diem ad universalem mortem omnium hominum, et alium præfinitum ad resurrectionem, aliumque præordinatum ad judicium; imo etiam igno rabunt an sint futuri distincti dies, et quantum inter se dista bunt. Et præterea nescient quanto tempore duratura sint illa signa antecedentia judicium post mortem Antichristi, quia lice

(1) Matth., 24.

sapientiores fideles conjectare possint non duratura ultra quadraginta quinque dies, nescient nihilominus an totos illos dies occupatura sint necne; et consequenter nescient quo die conflagrabit mundus, et ita de cæteris, quæ usque ad diem judicii sunt futura. Atque ita omnia Christi verba ad litteram, et in omni rigore ac proprietate vera sunt, etiam si verba Joannis in proprio etiam et rigoroso sensu intelligantur, quod in sequentibus testimoniis amplius declarabitur.

22. *Explicatur parabola de decem virginibus de judicio particulari.—Judicii denunciatio magis repentina erit quam ejus adventus.*—Ad secundum testimonium sumptum ex parabola de virginibus, Matth., 25, respondetur, posse quidem omnia quæ in illa dicuntur ad privatum uniuscujusque judicium accommodari, nam ejus etiam dies et hora incerta est hominibus, et in illud judicium optime quadrat totius parabolæ conclusio: «Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.» Hæc autem ignorantia diei et horæ mortis non tollit, quin ante illius eventum et consequenter ante judicii particularis momentum præsentiri possit mors, et judicium illud prope esse conjectari, quamvis de die et hora certa et definita cognitio non comparetur, vel præconcipiatur. Et ita duo in eadem parabola inopinate eventura ante hoc judicium distinguere necesse est. Unum est, prius prænunciari adventum sponsi; aliud est, ipsum sponsum postea venire. Primum in illis verbis continetur: «Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei»; aliud ibi subjungitur: «Dum autem irent emere, venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo», etc. Ex quo intelligimus magis repentinam esse denunciationem adventus judicii, quam sit futurus ejus adventus, nam prior dormitantes vel dormientes invenit omnes virgines, id est, nihil de appropinquante judicio cogitantes; adventus autem sponsi prudentes invenit paratas, et accensis lampadibus ipsum expectantes, et ita licet diem et horam utriusque, scilicet, prænunciationis et adventus ignoraverint, non tamen tam inopinatus illis fuit sponsi adventus, si-

cut illius propria denunciatio. Unde in particulari judicio illa duo ita distingui possunt, ut momentum mortis sit idem quod erit adventus judicii ; dispositiones autem præviæ, proximæ ad mortem, prænuncient judicii adventum, ut ægritudines, et alia frequentia pericula mortis. Et ita dixit Gregorius, homil. 13 in Evang.: «Venit Dominus cum ad judicium properat, pulsat vero cum jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat.» Et hanc interpretationem prosequitur Origenes, homilia 22 in Matth.; et eam censet maxime litteralem D. Thomas ibi, nec displicet Augustino, epist. 80. Unde si illam sequamur, nihil ex illa parabola ad materiam præsentem conducere potest, quia regnum Antichristi non ante privatum judicium, sed ante universale futurum est. Quod si loqui velimus de judicio particulari illorum hominum qui post Antichristi mortem futuri sunt, illi etiam ignorabunt diem et horam suæ mortis, et consequenter etiam sui particularis judicii ; præsentire autem poterunt non longe distare, per signa et præconia appropinquantis finis mundi.

23. *Eadem parabola intelligi potest de judicio universali.*— Unde ulterius dicimus, licet hic sensus probabilis sit, non ita esse accipiendum, ut negemus posse etiam illam parabolam de universali judicio intelligi, sine præjudicio eorum quæ de tempore Antichristi diximus. Nam duobus modis possunt exponi verba illa : «Media autem nocte clamor factus es» (1). Primo, ut per clamorem illum intelligamus tubam et vocem magnam qua Angeli clamabunt ad electos congregandos, sicut Christus dixit, Matth., 24, ut exponunt Hieronymus, Chrysostomus et alii. Matth., 23; et Augustinus, epist. 120, cap. 34. Sed difficilis est expositio et æquiparatio: nam tuba illa et vox Angelorum præcedet judicem jam venientem post universorum hominum mortem, eosque vocabit, ut ad vitam resurgant, et in judicium

(1) Matth., 25.

veniant, juxta illud Pauli, 2 ad Cor., 15: «Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.» At vero clamor hic, qui in parabola virginum antecessurus dicitur, fiet ante mortem hominum, quando adhuc possint præparari et disponi ad sponsum recipiendum, sicut prudentes virgines fecerunt; ergo per hunc clamorem non potest vox illa Angelorum significari.

24. *Alia expositio.*—Respondet autem Augustinus, etiam clamorem illum, de quo in parabola de virginibus est sermo, futurum esse post mortem omnium hominum, quæ per somnum ibi significatur illis verbis: «Dormitaverunt omnes et dormierunt,» et consequenter ait illum clamorem non esse ut homines præparentur ad lumen justitiæ recipiendum de novo, sed ut resurgant. Tunc autem virgines prudentes ornare lampades suas, se præparando per recogitationem bonorum operum suorum ad rationem reddendam. Atque juxta expositionem hanc, nihil etiam ex illa parabola ad præsentem controversiam sumi potest; nam post universalem mortem omnium hominum, certum erit diem et horam resurrectionis et adventus judicii prope adesse; semper tamen quæ futura sit ignorabitur, donec audiatur vox tubæ, nisi forte animæ beatæ illam jam in Verbo videant, quod non repugnat verbis Christi, licet sit incertum.

25. *Tertia expositio.*—Alia vero expositio esse potest, ut clamor ille non sit vox tubæ, sed sit prædicatio Enoch et Eliæ, et aliorum servorum Dei, qui eo tempore vivent, vel etiam sint signa judicii quæ præcedent, ut, «sol obscurabitur,» etc.; illa enim suo modo clamabunt diem Domini appropinquare. Et sic etiam in illo adventu duo supra dicta distinguenda erunt: unum est prævia denunciatio adventus judicii, quæ erit non tantum antea ignorata, sed etiam inexpectata et repentina, quia ante illam non præcedat alia publica excitatio seu prænonitio præter generales, quæ jam satis in Scriptura factæ sunt. Aliud est adventus judicis, et hic non erit ita repentinus, quin præparatio et expectatio ad illum præcedere possit; semper tamen dies et hora ejus definite ignorabitur, donec veniat. Et hoc modo

explicavit hanc incertitudinem Œcumenius, 1 Thess., 5, suc c. 6, dicens, signa propinquantis adventus posse certo cognosci, adventum autem ipsum non ita.

26. *Explicatur locus ex c.* 1. *Act.*—Ad tertium testimonium ex Actor., 1, respondeo primo per verba illa: «Non est vestrum nosse tempora vel momenta,» ad summum excludi certam præ- cognitionem definiti diei et horæ secundi adventus Domini, ut notavit Cyprianus, lib. 3 ad Quirin., cap. 89. Deinde dico voluisse Christum reprehendere curiosam investigationem et inutile desiderium sciendi futura, maxime quæ a divina potes- tate et præfinitione pendent, ut notavit Justinus, quæst. 112 ad Gentes. Augustinus autem, in epist. 78, addit, per illa verba etiam excludi numerum quemlibet annorum, intra quem vel post quem immediate futurus sit secundus Domini adventus, quia hoc etiam proprie significat vox illa «tempora,» et ideo in nullius hominis cognitionem cadere potest post quot annos futurum sit judicium. Quod adeo confirmat, ut dicat, licet ex verbis Christi, Matth. 24, colligatur non esse futurum judicium, nisi prius Evangelium in universo orbe prædicetur, dicente Domino: «Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consumma- tio,» nihilominus etiam impleto illo signo, nunquam posse cog- nosci tempora (id est annorum numerum) quæ usque ad judicii diem supersunt. In quo significat duo: unum est, verba Christi: «Non est vestrum nosse,» etc., non solum excludere cognitio- nem per astra, aut alia humana signa, sed etiam per signa re- velata, et per prophetias. Aliud est, non solum dicta esse a Christo pro solis illis discipulis, qui tunc aderant, et ipsum in- terrogabant, sed etiam pro omnibus hominibus quocumque tempore futuris. Quod latius tradit epistol. 80.

27. *Objectio.—Solutio.—Verba Christi non ad solos Apos- tolos coarctanda.—Tempus ante Antichristi manifestationem incer- tum esse contendit Augustinus.*—Hinc vero sumi potest objectio contra dicta. Nam hinc fieri videtur, nunquam posse certum esse

quot anni residui erunt usque ad judicii diem; hoc autem repugnare videtur his quæ diximus de tribus annis cum dimidio persecutionis Antichristi. Respondeo imprimis, verum quidem esse verba Christi non solum ad Apostolos et discipulos, qui Christum audiebant, sed ad omnes nos etiam pertinere; omnium enim inordinatum desiderium præsciendi futura, quæ a Dei dispositione pendent, repressit Christus, docuitque non pertinere ad homines ea investigare, nec velle cognoscere, nisi quatenus ea Deus voluerit revelare. Ex quo recte etiam infertur, incerta nobis esse tempora adventus Domini, quia nihil de numero annorum durationis mundi nobis revelatum est. Et hoc est quod præcipue Augustinus in illis locis agit et intendit. Sub adventu autem Domini comprehendit etiam signa proxima adventus ejus, et inter ea ponit interdum Antichristi persecutionem, ut in lib. 18 de Civit., cap. 53, postquam dixit: «Illam sane novissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsentia sua ipse extinguet Jesus,» etc., subjungit: «Hic quæri solet quando istud erit, importune omnino.» Et statim inducit verba Christi: «Non est vestrum nosse tempora,» etc. Et in dicta epist. 80, dicit Paulum tradidisse nobis, «Antichristum manifestum futurum, et interficiendum ore Domini Jesu Christi. Sed post quantum temporis» (inquit) «hoc sit futurum, nec saltem obscure locutus est.» Itaque tempora usque ad Antichristum incognita esse contendit Augustinus; post manifestatum autem Antichristum, non negat Augustinus, ab his qui illum cognoverint, et Scripturas intellexerint et consideraverint, posse cognosci quam brevi tempore sit jam tunc mundus duraturus.

28. Unde quod in eadem epist. 80 paulo post subjungit: «Quod autem de signis evangelicis et propheticis, quæ quotidie videri cernimus, propinquum Domini adventum sperare debeamus, quis negat? Quotidie quippe magis magisque fit proximus. Sed quanto intervallo propinquet, hoc dictum est, non est vestrum scire,» hoc (inquam) de signis remotis secundi Domini adventus intelligendum puto, non de proximis, de quibus infe-

rius ait: «Puto quod non erunt sic, quando erunt quæ in Evan gelio prædicta sunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terr pressuræ gentium,» quæ ipse allegorice de persecutione Eccle siæ tempore Antichristi interpretatur. Tunc ergo poterunt sa pientes fidelium brevitatem residui temporis usque ad judicium præcognoscere. Neque agent contra verbum Christi: «Non es vestrum nosse tempora,» quia non per humanas conjectura aut naturalia signa, nec per singularem revelationem aut inor dinatam curiositatem illam cognitionem inquirent; sed per re velationem in Scriptura factam videbunt impleri quod prædic tum est. Sicut enim in primo suo adventu quædam signa Deu dedit, quibus a sapientibus cognosci poterat, vel jam factur esse, vel brevi tempore distare, antequam fieret, et post certus annorum numerum, saltem per hebdomadas Danielis, licet seni per dies et hora fuerint ignorata, ita cum proportione intelli gendum est in secundo.

29. *Explicatur locus ex* 1 *Petr*, 5. — *Vigilandum nobis a dæmonis insidias et mortis incertitudinem.*—Ad quartum, ex ver bis Petri: «Sobrii estote,» respondeo imprimis, Petrum ibi no agere de incertitudine mortis vel judicii, sed de certa et quot diana dæmonis persecutione, qua homines ad peccatum traher conatur, «circuit, quærens quem devoret;» hanc enim causar adduxit Petrus, ob quam sobrios nos esse et vigilare monebat Et ad hoc passim allegantur a Patribus illa verba, et res es adeo perspicua, ut superflua sit probatio. Unde licet alicui esse revelata hora mortis vel judicii, nihilominus necessarium esse illi consilium Petri; imo, si saperet, quo certius appropinquar diem judicii agnosceret, eo magis vigilaret, et sobrius esset, n a dæmone vinceretur. Addo vero ulterius, licet illud consiliu datum esset a Petro propter incertitudinem mortis vel judici nihil nobis obstare, nam Christus Dominus licet aliquando no moneat «vigilare, ne intremus in tentationem,» Matth., 26, alib sæpe similem vigilantiam admonet propter mortis incertitudi nem, ut in parabola de virginibus, et alibi frequenter. Und

sicut diximus circa dictam parabolam, illam incertitudinem non solum a nobis non excludi, verum etiam nec ab hominibus futuris tempore Antichristianæ persecutionis, ita dicendum esset de his verbis Petri, etiam si in illo sensu dicta fuissent, quia semper homines de die suæ mortis et judicii incerti erunt.

30. *Eodem modo alia Scripturæ loca exponuntur.—Cum mors venit, ut fur tunc etiam judicium venit.*—Ad cætera testimonia, quæ continent sententiam et comparationem illam, quod «dies Domini veniet ut fur,» dico imprimis, illam non solum ad judicium universale, sed etiam ad diem mortis et privati uniuscujusque judicii referendam esse, ut sapienter docuit Augustinus, dicta epist. 80. Ubi etiam ita exponit verba Marci 13, ubi post longum sermonem de die universalis judicii, concludit Christus: «Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniet, vespero, an media nocte, aut galli cantu, aut mane), ne cum venerit, repente inveniat vos dormientes.» Probatque optime, quia verba illa omnibus nobis dicta sunt, sicut Christus subjunxit: «Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.» Dies autem universalis judicii non inveniet nos et omnes homines in hac vita, ut propter illius incertitudinem oporteat nos omnes vigilare; ergo unicuique hoc dicitur propter suum privatum, ne illi ut fur veniat: «Quod unusquisque» (ait Augustinus) «debet etiam de die hujus vitæ suæ novissimo formidare.» Cur autem hoc monuerit Christus, cum de universali judicio sermonem fecisset, hac ratione et verbis exposuit Augustinus: «In quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis unusquisque in hoc die moritur, talis in illo die judicabitur.» Et infra: «Tunc ergo unicuique veniet dies ille,» scilicet, universalis judicii, cum venerit ei dies, in quo talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die.» Unde recte colligitur, unicuique in tantum venire diem judicii ut furem, in quantum dies mortis venit ut fur; quam ut etiam ait Augustinus: «Illum imparatum inveniet dies

ille, quem imparatum inveniet vitæ suæ ultimus dies.» Eoden
que modo de privato judicio explicuit comparationem illa
OEcumen., 1 Thess., 5.

31. *Mors ipsa non omnino ut fur venit.*—Non dicitur aute
mors venire ut fur, quia omnibus sit repentina; nam, lic
dies et hora ejus incerta sint, ordinarie instare prægnoscitu
et præcedunt signa non solum generalia, sed etiam speciali
quæ nos possunt ad vigilandum excitare, ne mors noctu,
est, dormientibus et imparatis nobis tanquam fur veniat; tam
quia etiam ipsa specialia signa mortis repente solent evenir
et tunc vix potest homo se ad mortem præparare, ideo mor
ut prævis suis præcursoribus conjuncta, dicitur venire ut fu
Hinc ergo etiam dies universalis judicii dicitur ventura ut fu
nobis quidem mediante nostro particulari judicio, ut exposu
Augustinus; illis vero, qui in illis ultimis temporibus viven
quia dies illa cum suis proximis signis repente incipient,
cum Ambrosio supra dixi. Nihilominus tamen non erit tam r
pentinus ille dies, quin per signa antecedentia sint homine
qui tunc vixerint, excitandi ut vigilent, et se præparent ne ill
imparatos inveniat. Unde Paulus, in eodem loco, 1 Thess., 5,
ibidem OEcumen. notat, alio exemplo mulieris prægnantis h
declaravit, dicens: «Tunc repentinus eis superveniet interitu
sicut dolor in utero habentis, et non effugient.» Partus eni
in se spectatus non est omnino repentinus, nam præcedunt d
lores, quæ sunt illius appropinquantis signa; tamen dolores ip
repente veniunt, et ideo antea oportet præparari, alias magnu
imminet periculum, et sic partus suis doloribus conjunctus d
potest venire ut fur, quia dies et hora ejus semper sunt incer
et dolores ejus repente incipiunt; ita ergo de die judicii intel
gendum est.

32. *Mors imparatis ut fur venit.*—Addit denique Augus
nus, epist. 80, diem Domini «non omnibus», sed «imparatis
dormientibus», ut furem esse venturum. Quod egregie colli
ex illis Pauli verbis: «Vos autem, fratres, non estis in tenebris,

vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei, non sumus filii noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus.» Igitur dormientibus, et rebus hujus mundi intemperate utentibus dies ille veniet ut fur; non autem vigilantibus et se præparantibus. Quia, licet ignorent illius judicii tempus, diem et horam, non ignorant tamen proxime instare, vel in se, vel in particulari judicio uniuscujusque, et ideo vigilant ne illos dies illa tanquam fur comprehendat. Unde quod ibidem ait Paulus: «Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus», etiam de illo tempore, in quo Antichristi persecutio grassabitur, et proxima judicii universalis signa videri incipient, Augustinus intelligit, dicitque illos, qui sanctos tribulabunt, dicturos esse, «pax et securitas», eisque tanquam furem venturum repentinum interitum; eos autem, qui persecutionem patientur, id est, filios Ecclesiæ, partim esse timore magno afficiendos juxta illud: «Arescentibus hominibus præ timore, et expectatione eorum, quæ supervenient universo orbi», quod maxime continget fidelibus peccatoribus, qui minus paratos eo tempore sese invenient; partim esse sperabilevandos, juxta illud: «Surgite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra», quod bis eveniet, qui sancte vixerint, et sobrii ac vigilantes inventi fuerint.

33. *Quamvis definitum sit tempus a morte Antichristi, dies judicii recte dicitur ignorari.*—Hæc autem omnia sic intellecta impleri optime possunt, etiam si tempus, quo Antichristus perfecturus est Ecclesiam, et quod inter mortem ejus, et adventum Domini intercedet, certum ac definitum, et in Scripturis revelatum sit. Nam hoc non obstante, homines mali et persecutores Ecclesiæ dicent: Pax et securitas, saltem toto tempore ante mortem Antichristi, quo tempore eis repentinus veniet interitus, et dies Domini, ut fur, et adhuc post diem interfectionis Antichristi, multitudo infidelium in sua ignorantia et incogitantia permanebit, et plures etiam ex credentibus mysterium

ignorabunt, et male antea viventes in eadem consuetudine perseverabunt, donec signa judicii incipient, quando vehementer timebunt, et licet diem certum suæ mortis vel judicii venturi non agnoscant, nihilominus vel inviti intelligent diem Domini instare, quando vix poterunt sese ad illum præparare, e ideo illis etiam dies Domini veniet ut fur. Electis autem et justis non ita veniet, quia Christi et Prophetarum verba intelligentes et præ oculis habentes, divinaque gratia excitati et adjuti, spe gaudentes judicem expectabunt.

CAPUT IX

Alteri difficultati occurrendo, tempus regni Antichristi et initium ejus amplius declaratur

1. *Antichristum nondum venisse.*—Ex his quæ præcedentibus capitibus disputavimus, solum concluditur neque præcessise neque inchoatam esse Antichristi persecutionem; si enim præcessisset, jam mundus judicatus fuisset; et si esset inchoata, intra breve tempus consummandus esset, quod est incredibile, quia neque aliqua persecutio nunc est acerbior quam præteritis temporibus fuit, nec juge sacrificium publice in Ecclesia celebrari cessavit, et alia signa diem judicii antecessura, quæ prædicta sunt, partim non sunt completa, partim nondum apparere incœperunt, et longius tempus requirunt, ut compleantur ut prædicationis Evangelii per totum orbem consummatio, divisio imperii Romani in decem regna, ejusque integra destructio et aliqua similia, quæ intra quatuor annorum tempus expectari non possunt Unde omnia bella, hæreses, et alia orbis mala, quæ hactenus patimur, nostrique majores experti sunt, ad illa pertinent, de quibus Christus dixit: «Audituri estis prælia, et opiniones præliorum; multi venient in nomine meo, et multos seduce

multi pseudoprophetæ surgent, scandalizabuntur multi, tradent vos in tribulationem, et occident vos» (1), etc. Et nihilominus adjungit: «Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum statim finis » Hæc enim omnia videmus et esse nunc, et fuisse olim in Ecclesia, et cum eadem rerum vicissitudine diuturno tempore. Ipse ergo rerum humanarum et Ecclesiæ status cum prophetiis conjunctus evidenter ostendit non esse finem mundi ita propinquum, ut intra tempus præfinitum et abbreviatum illius ultimæ tribulationis consummandus sit ; ergo manifestum est tempus persecutionis Antrichristi nondum inchoatum esse.

2. *Proponitur difficultas de initio regni Antichristi.*—Superest vero difficultas, quia ex hoc principio non est demonstratum nondum venisse et regnare cœpisse Antichristum, quia regnum ejus diuturnius futurum est, et non constat quantum durabit, nec quanto tempore ante diem judicii incipiet. Eo vel maxime quod non est etiam revelatum, an regnum illud antichristianum unius tantum hominis et regis futurum sit, an plurium in eodem throno sibi succedentium. Nam, licet ostensum sit, proprium Antichristum futurum esse unicum tantum singularem hominem, non tamen inde concluditur necessario futurum esse unicum regem in suo regno seu throno; poterit enim esse unus ex multis in eodem throno sibi succedentibus atque regnantibus, et ab illo denominabitur illud Antichristi regnum, et sic fieri poterit ut thronus Antichristi, seu regnum Antichristi sit inchoatum, et in mundo prævaleat, licet in illo nondum sederit unicus ille et proprius Antichristus. At vero si hoc totum concedatur, enervabitur argumentum contra hæreticos, saltem quoad eam partem, qua contendunt regnum, et thronum Antichristi jam incœpisse.

3. *Prima responsio, regnum Antichristi intra triennium cum semisse terminandum.* — Huic difficultati duobus modis occurri

(1) Matth., 24.

potest: unus est, asserendo non solum persecutionem, sed etiam absolute et simpliciter regnum et imperium Antichristi duraturum esse solum per dictum tempus trium annorum cum dimidio. Fundarique potest responsio, quia plures ex Patribus allegatis ita loqui et sentire videntur. Irenæus et Hyppolitus absolute dicunt, regnaturum Antichristum tribus annis cum dimidio. Augustinus etiam ait, Antichristi sævissimum regnum exiguo tempore duraturum. Eodemque fere modo Victorinus loquitur, et multi alii præsertim ex modernis, ut Bellarmin., lib. 3 de Rom. Pontifice, cap, 8; et Ribera, in cap. 8 Apolyps. Potestque ex Scriptura deduci, quia illa indifferenter loquitur de Antichristo, illique solum triennium et menses aliquod ad regnandum tribuit, neque inter ejus regnum et persecutionem distinguit; ergo nec nos distinguere possumus, nec habemus fundamentum quo plus temporis ad regnandum quam ad præliandum contra Christum illi tribuamus. Præsertim quia Scriptura dicit, dæmonem totam suam virtutem et potestatem illi communicaturum; dæmon autem non indiget multis temporum moris ad regna hominum debellanda, si a Deo permittatur; permittetur autem illo tempore ut libere agat, propter quod dicitur «solvi modico tempore», Apoc., 20; et cap. 12 dicitur: «Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.» Ergo non est cur regnum Antichristi, quod veluti regnum diaboli futurum est, diuturnius cogitetur.

4. *Responsio illa improbatur.* — Nihilominus responsio hæc non potest satisfacere, nam, ut attigi in 2 tomo tertiæ partis, disp. 54, sect. 5, licet de monarchia Antichristi recte declarata vere dici possit, tantum esse duraturam illo tempore quadraginta duorum mensium, utique ab eo tempore quo, extinctis tribus regibus, et superatis aliis septem seu cæteris totius orbis Romani, vel etiam christianis regibus, solus incipiat dominari, nihilominus necessarium est ut tempus vitæ et regni ejus futurum sit diuturnius. Et de tempore quidem vitæ id est per se ma-

nifestum, quia nascetur infans more aliorum hominum, et paulatim crescet, et per multos annos ad ætatem adultam perveniet, antequam regnaturus sit. Maxime quia (ut infra dicam) non habebit regnum hæreditario jure, sed per tyrannidem et fraudem illud usurpabit, quod nisi in adulta ætate facere non poterit.

5. *Tempus regni Antichristi determinate ignotum est.—Regni tempus longius erit quam persecutionis.*—De tempore autem regni, expressius quam alii hoc attigit Benedict. Pereira, lib. 15 in Daniel., non longe a medio, § «Cæterum,» etc., et ait, licet de tempore quo est Antichristi persecutio duratura, ex Scriptura constet, nihilominus, «quamdiu» (ait) «simpliciter Antichristus regnaturus sit, a nullo, quod ego sciam, traditur, et nulli opinor mortalium fuisse compertum.» Et statim tacite explicat Patres proxime allegatos, ut loquantur de Antichristi durationc, ab eo tempore ex quo «incipiet atrociter et crudeliter insectari sanctos, ipsisque prævalebit.» Et videtur sententia hæc fuisse Lyrani, Daniel., 12, nam circa illa verba: «Et a tempore ex quo ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem,» etc.; inquit: «Hic Angelus instruit Danielem de termino a quo sunt computandi tres anni cum dimidio.» Et infra: «Ab illo sunt computandi dies mille ducenti nonaginta.» Unde inferius colligit, «tres annos persecutionis Antichristi non esse computandos ab illo tempore quo se incipiet ostendere, et aliquos ad se attrahere, sed ab illo tempore quo jam erit tantæ potestatis, quod se exhibebit adorandum hominibus, et quo fideles non audebunt publice celebrare sacrificium.» Et certe, si verba aliquorum Patrum attente expendantur, non plus significant. Ait enim Lactantius: «Dabitur ei desolare orbem mensibus quadraginta duobus.» Ephrem vero ait: «Postquam tria tempora cum semi impleta fuerint potestatis et operationis scelesti Antichristi,» etc. Et similiter Hieronymus, Daniel., 7: «Tribus annis et sex mensibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt.» Augustinus item, lib. 2

de Civit., c. 8, solum dixit, «tempus, pro quo solvendus est Satanas, futurum trium annorum cum dimidio,» et cap. 23, non absolute regnum, sed «sævissimum regnum» Antichristi dixit «exiguo tempore» duraturum.

6. *Probatur ex Daniele.* — Denique ex ipsa Scriptura videtur hæc sententia satis probari, primo, quia Daniel, cap. 12, expresse designat initium illius temporis dierum mille ducentorum nonaginta, scilicet, «a tempore in quo ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem.» At non est verisimile, illud ipsum futurum esse initium regni et præliorum Antichristi, quia tam magna acerbitas persecutionis, quæ a publico sacrificio Christianos abstinere cogat, et ingens audacia sedendi in templo, tanquam sit Deus, quæ est abominatio desolationis, supponunt magnam potentiam, et regnum satis superbum et amplum; ergo duratio regni Antichristi non potest claudi illa brevi duratione. Consonatque ordo narrationis Joannis, Apocal., 13, ubi prius ait: «Vidi de mari bestiam ascendentem,» quam esse Antichristum fere omnes intelligunt, et subjungit: «Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam.» Et postea: «Admirata est universa terra post bestiam,» utique propter victorias et signa miranda; quæ omnia persecutionem præcedent. Nam postea subditur: «Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos,» etc.

7. *Iterum ex Daniele.* — Denique idem confirmat narratio Danielis, capit. 7, ubi post visionem quartæ bestiæ habentis decem cornua, initium regni Antichristi sic describit: «Ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus; et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia.» Et infra addit: «Et majus erat cæteris.» Et deinde subjungit: «Aspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos,» etc. Ex quo discursu apparet, cornu illud, priusquam contra Sanctos bellum inchoet, habiturum parvum initium, et postea bellaturum tria regna, et subjugaturum alia, et ita esse

ugendum ut fiat majus aliis; hæc autem non possunt parvo empore fieri; et tamen post illa sequetur initium persecutio- nis; ergo necesse est ut initium regni Antichristi per multum empus antecedat initium persecutionis ejus. Ac proinde fit ut empus totius regni Antichristi longius sit quam trium anno- um cum dimidio; quibus (ut ibidem ait Daniel) «Sancti tra- entur in manu ejus,» utique «Antichristi.» Aperte significans, llud breve tempus futurum esse solius persecutionis, tempus utem regnandi majus esse futurum.

8. *Tempus persecutionis certum est, monarchiæ incertum.* —)uantum autem futurum sit tempus regni simplicinter Ati- hristi, nullibi revelatum invenimus, et ideo nihil cum certi- udine affirmari potest, nisi futurum esse majus quam qua- raginta duorum mensium. Neque enim satis erit auxilium æmonis, ut sine mora temporis et aliquorum annorum tot prælia fficiat, totque regna debellet, quia modo humano hæc facturus st, quanquam credibile sit, per dæmonis auxilium brevius et icilius id esse consecuturum. Unde etiam fit ut regnum Anti- hristi aliquot annis antecessurum sit ejus monarchiam con- ummatam et perfectam, quia non in momento, sed discursu emporis illam consequetur, ideoque prius erit in fieri quam sit erfecta. Regnum autem incipiet simul ac per tyrannidem di- ionem aliquam occupaverit, supremamque vim et jurisdictio- em in aliqua provincia obtinere inceperit. Et ita probabile est, onsummatam monarchiam tantum illo brevi tempore quadra- inta duorum mensium esse duraturam, quia simul atque fuerit otitus regnis omnibus, persecutionem incipiet. Hoc autem non t ita certum, quia etiam post monarchiam perfecte obtentam eri potest, ut non statim persecutionem incipiat, et ideo de la persecutione certum est duraturam per solos illos menses. e monarchia vero est probabile, sed incertum, de regno vero mpliciter certum est, futurum esse diuturnius.

9. *Tempus regni Antichristi hominis vitam non excedet.* — t autem difficultati tactæ in principio occurramus, addendum

censemus, licet definire non possimus certam quantitatem d rationis illius regni, nihilominus credendum esse, tempus ill non esse diuturnius nec longius futurum, quam esse possit regulariter soleat esse unius hominis vita, nimirum septuagin aut octoginta annorum. Et in Antichristo credibile est mul brevius futurum esse tempus durationis ejus, quia non permi tetur vivere toto tempore quo naturaliter posset, sed divinit occidetur, aut vivus in infernum mittetur, fortasse in dimic dierum suorum, quia «propter electos breviabuntur dies illi (1 Ergo merito conjectare possumus initium totius vitæ Antichri vix antecessurum initium persecutionis per quinquaginta anno et initium regni vix per triginta et fortasse erit brevius. Na Alexander Magnus breviori tempore mundum subjugavit, ut lib. 1 Machab., c. 1, sumitur; verisimile autem est Antichr tum velocius occupaturum omnia propter dæmonis auxilium, licentiam seu permissionem Dei amplam, ut jam dixi. Qu autem totum tempus durationis Antichristi non sit futur majus quam possit esse tempus unius vitæ humanæ, ex a principio, cap. 2 posito, convincitur, nimirum Antichrist futurum esse unum singularem hominem tantum, ut stat amplius explicabimus.

10. *Instantia hæreticorum.* — Adhuc enim superest insta tia supra facta, scilicet, hoc recte dici et concludi de prop Antichristo, ut futurus est una singularis persona, et cons quenter etiam de regno ejus, ut futuro sub ejus personali i perio. ut sic dicam, non probari tamen sufficienter ex dic imperium Antichristi ab ipsomet Antichristo esse inchoandu Cur enim non poterit ab ejus progenitoribus inchoari, et ta dem ad illum pervenire? Quod si hoc ita contingere pote unde constabit nondum venisse, seu inchoatum esse thron illum et regnum, in quo Antichristus sessurus est, et inde p

(1) Matth., 24.

iturus ad alia temporalia regna occupanda, ac tandem Ecclesiam Christi persequendam. Fieri ergo potest ut regnum illud m incœperit, et quod per multa annorum sæcula duraturum t; quia illius regni non est prælinitum aliquod tempus in criptura, nec data sunt signa ad cognoscendum initium ejus, d tantum finem. Quod si hoc concedatur, consurgit difficultas principio tacta, quia nihil erit contra hæreticos effectum : illi im solum contendunt thronum et regnum Antichristi jam nisse, non personam aliquam singularem quæ sit Antiristus.

11. *Responsio.—Scriptura de Antichristo ut uno tantum homine loquitur.—Thronum Antichristi jam inchoatum falso fingunt reretici.*—Respondeo imprimis, fugam hanc nihil hæreticis hus temporis prodesse; illi enim contendunt proprium Antichrism jam venisse, et singularem persecutionem sub ipso prædicm jam esse inchoatam, et durasse per multos annos, usque ad ille vel plures, et fortasse per multos adhuc duraturam. Hoc tem esse falsum ex allegatis prophetiis aperte convincitur, et is circumstantiis planius fiet. Et præterea errant isti hæretici, ia in illo diuturno throno Antichristiano, quem fingunt, non nsent solam aliquam personam in illo sedentem esse proprium ntichristum, sed omnes qui in illo throno sedent, per totum c tempus, ex quo Antichristianismus secundum eorum imanationem cœpit, dicunt esse vere ac proprie Antichristum. ıo posito, explicare non possunt quis illorum sit, qui tribus ntum annis cum dimidio persequetur Ecclesiam, «tribulatione magna qualis nunquam fuit»; quisve sit ille quem «Christus cidet spiritu oris sui»; non enim occidet omnes sedentes in throno, nec plures, de uno enim tantum id est prædictum; is denique sit ille cui dæmon, a Deo specialiter solutus et missus, suam totam virtutem communicabit, et potestatem ferret, ut signa mendacia faciat et prodigia, nam hæc et sidia hactenus non fiunt, et de uno tantum homine prædicunt. Quod si dicant hunc esse futurum illum, qui postremo

sederit in tali throno, qui in illo destruendus est, et prorsus extinguendus, certe solum illum vocat Scriptura per antonomasiam Antichristum, et solum illum nobis tribuit inter signa certa futuri judicii; frustra ergo hæretici plures alios, qui æqualiter hoc nomen mereantur, fingunt, cum in aliis non possint illam proprietatem Antichristi ostendere Et præterea voluntarie, et ex sola malitia confingunt dari jam aliquem thronum regium, in quo ultimus rex futurus sit ille propriissimus Antichristus. Quæ enim sunt signa talis throni? aut ubi in Scriptura indicatus est? aut cur non poterit quis voluntarie dicere illum esse thronum regni Angliæ, sicut ipsi malitiose dicunt esse thronum Apostolicæ Sedis, et alius finget esse thronum Turcæ vel alium similem? Est ergo vana illa cogitatio.

12. *Regnum Antichristi brevius vita ejus futurum. — Antichristus regnum fraude, non hæreditate obtinebit.* — Quin potius addo, licet non sit tam evidens ex Scripturis, totum tempus regni et throni, quod possidebit Antichristus, non esse futurum diuturnius, quam fuerit duratio vitæ Antichristi, nihilominus magna probabilitate posse ex Scriptura colligi, minori tempore duraturum regnum, quam personam regis in statu regio. Quod ita declaro, quia imprimis persona Antichristi nec nascetur ex regibus, nec erit legitimus hæres alicujus regni. Utrumque colligo ex Daniel., 11, ubi sic dicitur: «Et stabit in loco ejus despectus, et non tribuetur ei honor regius et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia.» Quæ verba non possunt ad aliquam seriem hominum in throno aliquo sibi succedentium accommodari, sed de una aliqua singulari persona prædicuntur; nam in longa successione regum in eodem throno, licet fortasse primus fuerit despectus, et clam introierit per fraudulentiam, non possunt hæc de omnibus successoribus affirmari. Dicuntur ergo illa omnia simul de uno aliquo tyranno fundatore (ut sic dicam) vel inchoatore alicujus regni. Præterea illammet personam futuram esse Antichristum testatur Hieronymus ibi contra Porphyrium, qui de Antiocho locum illum interpretabatur, di-

cens: «Nostri autem et melius interpretantur, et rectius, quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judæorum, et tam humilis erit, atque despectus, ut ei non detur honor regius, et per insidias et fraudulentiam obtineat principatum.» Dum vero ait, «nostri autem», aperte significat hanc fuisse tunc ecclesiasticorum concordem sententiam, quam etiam sequitur Theodoretus ibi. Confirmarique potest ex Daniel., 7, ubi dicitur: «Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum», quod de Antichristo omnes scriptores ecclesiastici intellexerunt, ut ibi ait Hieronymus. Dicitur autem parvulum, quia erit abjectus, et infimæ originis, ac subinde non hæres regni alicujus, imo nec regiæ stirpis; et ideo dicitur, nasci «de medio eorum», utique regum, non ex illis. Igitur Antichristus non succedet in aliquo regno vel throno, sed erit primus rex in suo throno, quem ipse inchoabit, eriget seu usurpabit.

13. *Antichristus, ut primus in suo throno, sic erit postremus.* — His addo, Antichristum non habiturum in suo regno successorem, quia ipsemet, qui regnum per fraudulentiam obtinebit, illud per diaboli potentiam in immensum augebit, et Sanctos postea persequetur, ac tandem a Christo occidetur, et regnum ejus destruetur; ergo non habebit in regno successorem, et consequenter non plus, imo minus durabit regnum quam rex, quia simul finientur, et tardius incipiet Antichristus regnare quam esse. Quæ omnia ex eisdem locis Scripturæ colliguntur. Nam Joannes, dicto cap. 13, sub nomine bestiæ de uno et eodem homine loquitur, qui consurget de terra, cui diabolus dabit suam virtutem et potestatem, per quam universam terram subjugabit, et postea bellum faciet Sanctis per menses quadraginta duos. Idem sumitur ex Daniel., 7, ubi sub specie cornu parvuli describitur idem Antichristus cum eodem progressu in erectione throni, et augmento temporalis potentiæ, et transitu ad persecutionem Sanctorum, et blasphemias contra Deum et Christum, «usque ad tempus, et tempora, et dimidium tempo-

ris», quo tempore et ipse et regnum ejus destruentur; et consonant huic veritati, saltem in sensu mystico, verba Job., 18. «Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ulla reliquia in regionibus ejus.» Quæ verba interpretans Gregorius, l. 14 Moral., c. 11, per illa 2 Thess., 2: «Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui», addit: «Dum ergo ejus iniquitas cum mundi statu terminatur, progenies ejus in populo suo non relinquetur», etc. «At nulla ejus progenies in mundo remanet, quia districtus judex iniquitates illius cum isto mundi fine concludet», etc. «Quod vero hæc de Antichristo intelligi debeant, demonstratur, cum subditur: In diebus ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror», etc. Concludimus ergo durationem regni Antichristi non esse futuram diuturniorem quam vita unius hominis esse possit. Unde fit evidens Antichristum usque ad nostra tempora non venisse, neque regnum ejus inchoatum esse, non solum in persona ejus, quod est evidentius, verum neque in aliquo, vel aliquibus, quibus ipse legitime succedere possit.

14. *Signa adventus Antichristi nondum sunt impleta.—Tunc Romanum imperium evertendum. — Modus eversionis insertus est.* —Atque ad hanc veritatem confirmandam addi possunt duo alia signa temporis adventus Antichristi: unum est prædicatio Evangelii per universum orbem, quæ debet præcedere adventum Antichristi, et nondum est facta; aliud est destructio omnimoda Romani imperii, quæ vel præcedere etiam debet Antichristi adventum, vel per ejus potentiam et victorias est consummanda. De his vero signis aliquid in secundo tomo tertiæ partis, disp. 34, sect. 2, breviter attigi, et in disp. 56, sect. 1 et 2, eadem late ac diligenter tractavi, ideoque in præsenti nihil de illis addendum existimavi. Solum circa posteriorem, de Romani imperii destructione, adverto, eruditum quemdam virum (1)

(1) Thomas Malven, lib. 2 de Antichristo, c. 3, et l. 4, c. 15.

me reprehendisse, quod ibi dixerim signum hoc de eversione Romani imperii incertum esse, nec satis constanter ex Pauli aliisque Scripturæ vaticiniis colligi posse. Si tamen attente legantur quæ diximus, non signum ipsum in dubium revocavimus, quod certum. et communi Patrum traditione, quæ nobis etiam Apostolica visa est, constare diximus. De modo autem quo exponendum et intelligendum sit, tantam certitudinem esse negavimus, quia neque Patrum traditio et censensio æque in modum ipsum cadit, nec ex prophetiis satis definiri potest. Quod nunc etiam verum esse censemus, et brevem expositionem adjungimus.

15. Variis enim modis intelligi potest, extinguendum esse imperium ante Antichristi adventum, primo, quia dividendum est in decem vel plura regna Romani imperii sub regibus, qui illud inter se divisum occupabunt et retinebunt, donec Antichristus veniat, et illa omnia usurpet. Et hoc, si aliud non addatur, est certissimum, et plane colligitur ex prophetiis, præsertim Danielis, et est concors sententia Patrum, ut ibi diximus. Secundus modus addit præcedenti, futurum esse ante adventum Antichristi, ut per illa decem regna omnino extinguatur nomen et dignitas imperii, aut imperatoris, aut regis Romanorum, et hunc modum diximus non esse certum, neque satis colligi ex prophetiis, neque affirmari ab omnibus Patribus. Quia, licet in aliquo vel pluribus illorum regum, nomen et dignitas Romani regis perseveret, fieri poterit ut per Antichristum ipsum vincantur et spolientur. Et sic totalis destructio Romani imperii non omnino antecedet Antichristum, sed per illum consummabitur.

16. *Confirmatur ex Patribus.*—A qua sententia et explicatione certe non multum distat Hieronymus, Daniel., 7, cum ait: «Dicamus, quod omnes scriptores scholastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se dividant, et undecimum surrecturum esse regem parvulum, qui

tres reges de decem superaturus sit.» Et infra: «Quibus interfectis, etiam alii septem victori colla submittent.» Quæ verba ad prædictum sensum trahi possunt, licet in eis non declaret an in illis decem regibus, vel in aliquo illorum nomen Romanum permansurum sit, donec per Antichristum extinguatur. Cyrillus autem, cateches. 15, licet prius dicat: Veniet Antichristus, «cum impleta fuerint tempora imperii Romani», non explicat an debeant esse impleta, ita ut jam omnino extinctum sit, vel ita ut jam sit impletum tempus in quo sit extinguendum. Unde infra subjungit: «Decem simul reges Romanorum excitabuntur, post quos Antichristus Romanorum potestatem rapiet.» Tertullianus autem in Apolog., cap. 32, «vim maximam orbi imminentem, Romani imperii commeatu» dicit «retardari.» Ubi scholiastes ait: «Sicut Medorum dominatum Babylonii pessumdedere, Babyloniorum vero Persæ, Persarum rursus Macedones, Macedonum porro Romani, ita Romanorum imperium Antichristus, et Antichristi postremo Dominus noster.» Idemque Tertullianus, lib. ad Scapul., cap. 2, dicit de Romano imperio: «Tamdiu durabit, quamdiu sæculum stabit», quia usque ad Antichristi persecutionem stabit. Imo And. Cæsar., in Apoc., cap. suo 36, ait Antichristum assumpturum nomen et titulum regis Romanorum, et totum illum principatum in decem regna [illegible] divisum, funditus eversurum. Præterea Lactant., lib. 7, c. [illegible] dicit Romanum imperium esse delendum, non declarat ante an omnino ante Antichristum, vel per illum; cap. autem 25 addit, «quamdiu Roma incolumis, fuerit, non futurum judicium.» Et Chrysostomus, homil. 4, in 2 ad Thessalon., «Romanum imperium ab Antichristo extinguendum esse» dicit, et [illegible] multa ex Augustino, Theodoreto et aliis in dicto loco adduxi[illegible] quibus hanc partem probabilem esse ostendimus, neque a[illegible] denuo allegatum video, quo posterior hic modus improbabilis, prior vero certus omnino esse ostendatur.

17. Quin potius addo verisimile videri saltem tem[illegible] regnum Pontificis Romani duraturum esse usque ad Antichrist

tempora inclusive, donec per illum destruatur et usurpetur, ut infra videbimus; atque hoc satis judicari posse, ut Romanum imperium non censeatur omnino extinguendum ante adventum Antichristi, sed per eum esse tyrannidem consummandam. Denique ad majorem explicationem distingui possunt duo tempora Antichristi: unum, temporalium prœliorum, quibus decem reges vincet et omnia usurpabit, aliud persecutionis Sanctorum, et apostasiæ a Christo. Quod ergo ante hoc posterius tempus Romanum imperium omnino auferendum sit, certum est ex omnibus dictis, et ex aliis quæ dicto loco adduxi, et copiosius dictus auctor prosequitur. De priori autem tempore censeo valde probabile, in illomet tempore, et per Antichristi prælia destructionem Romani imperii consummandam esse, ut suadent cætera quæ insinuavi, et ita optime intelliguntur verba Pauli, 2 ad Thessal., 2: «Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, et tunc revelabitur ille iniquus.» Utique extollendo se «supra omne quod dicitur Deus», etc. Et facile etiam omnia Patrum dicta conciliantur. In hoc ergo sensu diximus non esse certum, an imperium Romanum omnino sit ante inchoatum regnum et prælia Antichristi, vel per illa, omnino extinguendum, quod nunc etiam verum existimamus.

CAPUT X

Aliis duobus argumentis satisfit, et obiter nonnullæ catholicorum opiniones de tempore Antichristi refelluntur

1. Præter ea quæ rex Angliæ objicit, duo alia solent ex Scriptura sacra, contra ea, quæ de temporibus Antichristi diximus, a Protestantibus opponi, quibus ad hujus puncti complementum satisfacere necessarium visum est. Primum est, quia licet finis Antichristi in fine mundi futurus sit, non opus est ut

ejus initium tanto tempore differatur, et consequenter fieri non potest ut ejus duratio tam brevis sit quantum a nobis est descripta. Ad hoc autem suadendum tria loca inducunt. Primus est illud Pauli, 2 Thess., 2, supra tractatum: «Mysterium jam operatur iniquitatis», etc. Secundus est, 1 Joan. 2: «Antichristus venit», ubi de proprio Antichristo loquitur, ut indicat articulus in græco additus juxta superius dicta, et tamen de præsenti dicit, «venit.» Tertius locus est 1 Joan., 4, ubi eodem modo de Antichristo loquens ait: «De quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est.»

2. *Antichristum jam fuisse tempore Apostolorum, et iterum venturum, aliqui dixerunt.*—Hæc vero ex supra dictis facilem habent solutionem; quia vero non solum hæretici, sed etiam aliqui Catholici nobis in hoc puncto negotium faciunt, illa iterum proponimus, ut opiniones quasdam Catholicorum attingamus, omnibusque satisfaciamus. Igitur propter hæc testimonia præsertim Pauli, aliqui ex antiquis scriptoribus dixerunt, Antichristi personam tempore Apostolorum venisse, non tamen tunc totam suam iniquitatem exercuisse et consummasse, sed in fine mundi iterum venturum, ut suum cursum expleat, et omnia, quæ de illo scripta sunt, impleantur. Hanc opinionem veterum Scriptorum fuisse, Hieronymus et Augustinus referunt, ille Daniel., 11, hic lib. 20 de Civit., cap 29, eamque secutus est Victor., in suo commentario super Apocalyp:, circa medium, ubi exponens decimum tertium caput, sic de Antichristo scribit: «Fuisse autem eum jam in regno Romanorum et fuisse inter Cæsares, Paulus contestatur, dicens: Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.» Unde sentit, eum, qui tunc tenebat imperium, utique Neronem, fuisse Antichristum. Eumdem vero putat esse iniquum illum, qui postea revelandus est. Nec tamen existimavit eum vivere, aut usque ad finem mundi victurum, sed mortuum esse et resurrecturum, «non sua» (inquit) «virtute, nec Patris» (utique carnalis, seu per humanam generationem), «sed Dei jussu suscitatus» ob hominum peccata ut postea prosequitur.

3. *Neronem iterum venturum, opinio aliquorum fuit.*—Sulpitius etiam Severus, lib. 2 Sacr. Histor., circa medium, refert, suo tempore, «multorum opinione receptum esse, Neronem Antichristum venturum fuisse», quam ipse ibi nec affirmat, neque negat, sed solum ait: «Dignus extitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet, nescio an et postremus explebit.» Inferius vero ait: «Unde creditur, etiam si se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus, servatus sub finem sæculi mittendus.» Cui sententiæ adhærere videtur, et secundum illam de Nenore intelligit illud Apocalyps., 13, de bestia, quæ plagam mortis accepit, quæ postea curata est. Unde sentit, Neronem nunc non esse mortuum, sed reservatum, ut in fine mundi veniat, mysterium iniquitatis completurus. Idem vero, in Dialog., 2 de Vita S. Martini, in fine, licet affirmet rediturum Neronem in fine mundi et debellaturum decem reges, et iterum imperaturum in Occidente, et acerbam persecutionem in Christianos renovaturum, ut eos ad idola colenda inducat, non tamen dicit illum futurum Antichristum, sed potius eodem tempore excitandum in Oriente Antichristum, qui se Christum venditet, et Christianos a Christo avertere conetur, non tamen ad idola, sed ad se adorandum. Judaismumque servandum trahat, eumque dicit pugnaturum esse contra Neronem, et illum superaturum, ac orbem subjugaturum, donec a Christo occidatur.

4. *Opinio illa in Paulo fundamentum non habet.*—Hæc vero sententia, licet anilem fabulam contineat, non tamen ex hæresi processit, nec illam in rigore continet, neque negat receptam traditionem, propriumve Scripturæ sensum, quo habemus Antichristum esse unam certam personam, et venturum esse in fine mundi, et parvo tempore duraturum. Sed adjungit alia, non quidem Scripturæ contraria, sed male in ea fundata, et per se vana et incredibilia. Paulus enim licet (juxta probabiliorem magisque receptam expositionem) dixerit, Neronem suo tempore operatum esse iniquitatem Antichristianam (ut sic dicam), non tamen eamdem quam postea Antichristus operabitur,

sed ad imitationem ejus, vel quasi imaginem ejus. Unde licet dixerit Neronem esse Antichristum, addit, in mysterio seu esse «mysterium iniquitatis», id est typum Antichristi ut supra explicuimus. Sine fundamento ergo fingitur. Neronis personam eamdem futuram esse cum persona Antichristi, vaneque, et præter divinam consuetudinem, imo et contra bonitatem cogitatur, suscitandum esse a Deo Neronem jam mortuum, ut iniquitatem quam inchoaverat in priori vita, postea consummet. Resurrectionis enim opus, quod proprium Dei est, non fit propter iniquitatem operandam, sed propter altiores et honestiores fines Deo dignos, et suæ divinæ sapientiæ ac providentiæ consentaneos. Præterquam quod Scriptura nunquam significat, Antichristum supernaturali modo esse a Deo procreandum, vel revocandum in mundum, sed more aliorum hominum generandum.

5. *Fabula est Neronem modo vivere.* — Unde non minus vana fuit cogitatio dicentium, Neronem conservari nunc in vita mortali, donec iterum appareat. Nam hoc etiam sine miraculo fieri non potest; ineptum autem est talia miracula Deo tribuere propter tales fines seu causas. Neque minus frivolum est, locum Apocalypsis de plaga bestiæ curata sic exponere, tum quia longe aliter a Patribus exponitur, ut supra visum est; tum etiam quia ex verbis cap. 13 clare colligitur, tam plagam quam curationem ejus tempore Antichristi esse futuram, quando admirata terra post bestiam, draconem adorabit; tum etiam quia ex historiis constat Neronem se ipsum jugulasse ac vere interfecisse. Ut enim ait Gregorius Turonensis, l. 1 Histor. Francor., c. 25, «excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab urbe lapide propria se manu interfecit.» Idemque habet Paulus Orosius, lib. 7 Histor., anno ab urbe condita 88, additque in eo omnem Cæsarum familiam consumptam esse. Idemque refert Eusebius in Chron., anno Domini 70; eodemque modo de Neronis morte loquitur Nicephor., lib. 2, c. 27, et libro quarto cap. primo, et in historiis profanis est res notissima. Denique

si (ut posteriori loco dicebat Sulpitius) Nero non est futurus Antichristus, cur vel quo fundamento fingitur iterum in fine mundi venturus? Hæc ergo licet hæretica non sunt, ut fabulosa sunt contemnenda.

6. *De Antichristo et Nerone ut distinctis loquitur D. Paulus*, 2 *Thes.*, 2. — Locus autem Pauli satis ex dictis declaratus est, quia, ut supra dixi, Neronem, vel totum imperium Romanum ethnicum, Antichristi mysterium seu typum appellavit Paulus, illum autem evidenter a vero Antichristo distinxit, dicens: «Quid detineat scitis, donec e medio fiat, et tunc revelabitur ille iniquus.» Ad priora autem Joannis verba respondemus primo, Augustinum, lib. 20 de Civitat., cap. 29, de futuro allegare verba illa: «De quo audistis quoniam venturus est,» sive quia ita legit ex græco, sive quia tacite ita interpretatus est. Non est enim novum in Scriptura præsens pro futuro accipi, ut Joan., 4 dixit Samaritana: «Scio quia Messias venit,» de præsenti loquens, et tamen statim per futurum declarat: «Cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.

7. *Opinio putantium aliquos hæresiarchas, Antichristum fuisse. — De Mahometo idem aliqui affirmant.* — Verumtamen hic nobis occurrunt alii Catholici, esto verum sit Antichristum non venisse Apostolorum tempore, non tamen esse expectandum circa finem mundi; nam illemet loquendi modus propinquitatem majorem indicat; ideoque non esse incredibile Antichristum jam venisse in Luthero, vel alio hæresiarcha simili. Præcipue vero notari obiter potest opinio Joannis Annii, qui super Apocalypsim, Mahometum esse Antichristum sibi persuasit, quem nonnulli secuti sunt, quos refert et sequitur Feuard., lib. 5 Irenæ., c. 30. Illi vero non verbis Joannis aut Pauli, nec aliquo Scripturæ testimonio, sed solis conjecturis, quibus ea quæ de Antichristo prædicta sunt, Mahometo accommodant, nituntur.

8. *Mahometum non fuisse verum Antichristum ostenditur.* — Non censeo autem necessarium illas vel referre vel refellere, tum quia id diligenter præstitit Benedictus Pereir. in proprio

opusculo contra Annium, quod suis disputationibus in Apocalypsim adjunxit. Tum etiam quia, licet unum vel alterum signum Antichristi in Mahometo reperire valeant, id mirum non est, quia nullus est hostis Christi, qui aliquam de proprietatibus Antichristi non participet; ideo enim omnes illi generali quadam appellatione Antichristi vocantur, ut supra vidimus. Necessarium ergo est omnium signorum Antichristi collectionem in aliquo ostendere, ut eum esse proprium ac verum Antichristum concludatur. Hoc autem in Mahometo ostendere impossibile est, nisi negando prædictiones multas de Antichristo, præsertim eas quæ sunt de tempore persecutionis et mortis ejus, in illo sensu proprio, quo a Patribus intellectæ sunt, easque ad sensus metaphoricos, alienos a proprietate verborum, et a multis circumstantiis, quas in ipsis prophetis ponderavimus, detorquendo; atque etiam illas, quæ sunt de brevi tempore quo est persecutio Antichristi duratura, et de morte illius prodigiosa, per quam persecutio finietur, et paulo post sequetur judicium. Accedunt etiam quæ de imperii Romani defectione tradunt Patres, ita interpretantes verba Pauli, 2 Thes., 3: «Quid detineat scitis, tantum ut qui tenet teneat, donec e medio fiat, et tunc revelabitur ille iniquus.» Anno enim 630, quando Mahometus apparuit, adhuc vigebat Romanum imperium sub Heraclio, et postea etiam floruit, et usque ad nostra tempora durat, licet semper in diminutionem iverit.

9. *Nec in throno Mahometi successive est Antichristus.* — Præterea omnia, quæ in sequentibus de testibus contra Antichristum mittendis, et de sede, et Antichristi erroribus variisque descriptionibus dicemus, opinionem illam aperte confundunt. Ideoque coguntur auctores ejus, quædam ad personam Mahometi referre, alia ad thronum ejus, seu imperium, duraturum usque ad mundi finem, et tunc acerbius in Christianos sæviturum, ideoque qui sic opinantur, in multis cum Protestantibus conveniunt, vel ad methaphoras voluntarias confugiendo, vel etiam non de una et eadem persona, quæ de Antichristo

prædicta sunt, interpretando, contra Scripturæ contextum ac certitudinem. Et ideo licet opinio hæc non contineat impietatem Protestantium, cavenda est, ne illis major errandi occasio detur, et ne pravis interpretationibus res per se difficilis et obscura magis involvatur. Unde merito Damascenus, lib. de Hæresibus, in fine, Mahometum typum et præcursorem Antichristi vocat, non ipsum verum Antichristum; idemque de Luthero, et de aliis hæresiarchis, qui hactenus fuerunt, intelligendum est; nam ex eisdem principiis de illis ferendum est judicium, ne circa singulos immorari necesse sit.

10. *Respondetur locis initio adductis.*—Ad objectionem ergo factam circa verba Joannis, nego verbum «venit» de præsenti accipi pro futuro propter propinquitatem effectus, sed sæpe propter certitudinem prophetiæ. Quod optime comprobatur Ezechiel., 3, ubi præsenti additur præteritum, cum dicitur: «Ecce venit et factum est,» et tamen sermo est de die judicii, ut exponit Hieronymus, qui et propter certitudinem prophetiæ, et propter exaggerationem, ut semper cogitetur quasi præsens, et jam factum, per verba de præsenti et de præterito significatur. Ita ergo locutus est Joannes. Quod satis declaravit, adjungendo: «Et nunc Antichristi multi facti sunt (1), perinde enim fuit ac si diceret, licet unus Antichristus singularis, ac cæterorum caput et exemplar certissime veniat, id est, venturus sit, jam vero nunc in præsenti tempore multi Antichristi facti sunt, id est, multi ejus ministri et præcursores, qui sicut facta, ita et nomen ejus participant. Dum ergo Joannes ait hos jam venisse, satis declarat alterum nondum venisse, sed dicit venire, quia certissime veniet, quia dum alii quasi vias ejus præparant, quodammodo jam venire dicitur.

11. *Explicatur locus 4 Joannis.*—Et sic facile etiam intelliguntur alia verba capitis quarti. Nam imprimis cum «omnis

(1) 1 Joan., 2.

vocari, vel ad declarandum futurum esse summum apostatam, sic enim solent abstracta pro concretis poni ad significandam excellentiam, seu excessum in tali proprietate; vel certe per metonymiam nomen effectus auctori seu causæ tribuitur, nam quia Antichristus erit causa maximæ apostasiæ in Ecclesia futuræ, nomen apostasiæ illi tribuitur.

15. *Discessio non necessario significat generalem apostasiam. —Apostatæ Ecclesiam non maculant, quia extra ipsam sunt.*—Ex quibus constat non subsistere, nec verum esse, quod rex Angliæ, pagin. 64 Præfationis, dicit, Pontificios omnes constanter affirmare, «discessionis» nomine generalem apostasiam ibi significari. Nam, licet aliqui, in meliori et saniori sensu quam Protestantes, ita vocem illam interpretentur, non tamen omnes constanter hoc affirmant, ut visum est. Nec satis intelligo rationem qua rex suadere conatur, Pontificios omnes necessario debere ita sentire, «quia (inquit) alias eorum Ecclesia esset quotidie erroribus obnoxia.» Nam quæ est hæc illatio? Numquid si per discessionem Romani imperii destructio vel Antichristus ipse significetur, ideo Ecclesia Romana erit quotidie erroribus obnoxia? Nulla profecto est connexio, nulla illationis verisimilitudo. Fortasse autem argumento illo solum probare voluit, apostasiam illam, quam significari vult nomine «discessionis», generalem esse futuram, et non particularem. Verumtamen neque hoc etiam inde probatur, nec illatio etiam in hoc sensu habet ullam verisimilitudinem. Quia, licet quotidie vel frequenter fiant apostasiæ particulares ab Ecclesia Romana et Catholica, non ideo illa quotidie fit erroribus obnoxia, quia et semper damnat errores eorum qui ab ipsa discedunt, et ipsi apostatæ statim extra illam exeunt, et ita ipsa, licet personis interdum minuatur, semper immaculata manet, juxta illud 1 Joan, 2: «Et nunc Antichristi multi facti sunt.» Et infra: «Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, si enim essent ex nobis permansissent utique nobiscum.» Et infra: «Vos unctionem habetis a Spiritu Sancto, et nostis omnia.» Semper ergo Ecclesia

retinet Spiritum Sanctum et veritatem (ut addit c. 4), licet quotidie multi ab ea discedant. Unde etiam in ultima apostasia, quæ sub Antichristo futura est, licet sano modo generalis dici possit, semper Ecclesia Catholica et Romana erit ab erroribus immunis, ut statim dicetur.

16. *Tertio, nomine discessionis intelligitur apostasia.*— Tertio ergo addimus et concedimus, «discessionem» ibi significare apostasiam ab Ecclesia Romana et fide Christi futuram in mundo, in fine ejus, retenta nimirum voce græca in sua sincera proprietate. Quam expositionem videtur mihi magis indicare Chrysostomus; item Anselmus, licet expositionem de defectione a Romano imperio primo loco ponat, statim addit: «Sive ut multitudo Ecclesiarum discedat a Pontifice Romano, aut multitudo hominum discedat a fide.» D. autem Thomas, intelligens illam discessionem esse futuram defectionem a Romano imperio, addit, intelligendam esse non solum de imperio Romano temporali, sed etiam de spirituali, «in quod, teste Leone Papa, temporale commutatum est.» Discessionem autem a spirituali imperio Romano dicit esse discessionem a fide catholica Romanæ Ecclesiæ. Fuitque hæc antiqua expositio, ut Augustinus supra refert, quam ipse non improbat.

17. *Apostasia illa non erit generalis.—Multi tunc fidem sunt recepturi.* — Hæc autem apostasia a fide non erit, sicut hæretici fingunt, ita generalis, ut fides vera a tota Christi Ecclesia peritura sit; hoc enim et fundamentum nullum habet, et repugnat promissioni Christi: «Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam», Matth., 16, et aliis verbis ejus, Matth., 24: «Propter electos breviabuntur dies illi», utique ne illi a charitate excidant, nedum a fide. Et Daniel, c. 12, dicit: «In tempore illo salvabitur omnis qui inventus fuerit in libro vitæ»; et in fine concludit: «Beatus qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque»; quod aliis verbis dixit Christus, Matth., 24: «Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.» Non deerunt ergo qui perseverent. Quin potius

tantum abest ut omnes antea credentes tunc sint fidem amissuri, ut multi potius, et maxime ex Judæis, tunc sint convertendi ad fidem, ut testatur ibi Theodoretus et Gregorius, homil. 12 in Ezechiel.; et Augustinus, 20 de Civit., cap. 29, ait, «per Eliam Thesbitem ultimo tempore ante judicium, Judæos in Christum verum, hoc est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum esse in sermonibus cordibusque fidelium.»

18. Unde idem Augustinus, eodem libro, c. 8, ait Ecclesiam, a Deo electam et prædestinatam, nunquam esse seducendam, neque etiam in persecutione Antichristi, sed «erit (inquit) hic Ecclesia illo tempore, etiam quo solvendus est diabolus, sicut ex quo hic est instituta, hic fuit, et erit omni tempore.» Et infra dicit tunc esse solvendum Satanam, «ut fidelissima patientia electorum probetur», non ut vincatur, «tales enim erunt (inquit) cum quibus ei belligerandum est, ut vinci tanto ejus impetu insidiisque non possint.» Inferius vero in eodem capite ulterius dubitat an in illo apostasiæ tempore non solum aliqui ex credentibus permansuri sint, sed etiam aliqui, qui in fide non fuerant, ad illam accessuri sint; et respondet imprimis parvulos multos esse illis tribus annis cum dimidio baptizandos a parentibus fidelibus, et ita illos saltem denuo ad fidem accessuros. Deinde generaliter ait, «neque qui cadant ab Ecclesia nec qui accedant ad Ecclesiam illo tempore defuturos», quod late confirmat. Dicitur ergo tempus illud discessionis seu apostasiæ, non quia tota Ecclesia et omnes fideles Christum negaturi sint, sed quia magna erit clades, pluresque superabit tentatio quam victores permanebunt, vel quam unquam in persecutione aliqua victi fuerint. Quanta vero futura sit apostatantium multitudo, incertum est; licet enim aliqui dicant duas partes fidelium esse casuras, et tertiam permansuram, nullibi esse revelatum aut satis fundatum invenio.

19. *Apostasia illa brevi tempore consummabitur.*—Non erit igitur hæc apostasia adeo universalis, ut non possit intra illud breve tempus, utique trium annorum cum dimidio fieri, tum

quia in illis postremis temporibus, prius etiam quam Antichristus veniat, Ecclesia erit multis persecutionibus et contradictionibus agitata. Nam ut prædixit Christus, Matth., 24: «Scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem, et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos, et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.» Et ita cum Antichristus venerit, inveniet homines valde dispositos, ut brevi tempore magnam illorum jacturam facere possit. Unde Augustinus, 20 de Civit., c. 19, refert, multos ex antiquis expositoribus intellexisse verba illa Pauli: Et nunc quid detineat scitis, et mysterium operatur iniquitatis» (1), non de Romano imperio, «sed de malis et fictis, qui sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat, et hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum.» Et inferius ait, tunc omnes hos malos vel occultos hæreticos prodituros, et conjungendos Antichristo, ut illi adhæreant, eumque ad cæteros evertendos adjuvent. Accedit, ut infra ex Paulo et Apocalypsi dicit, quod «præsentia ejus futura est secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis ac prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis; tunc enim solvetur Satanas, et per illum Antichristus mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.» Hinc ergo facile intelligitur non esse necessariam successionem multorum sæculorum (ut Calvinus dixit) ad illam generalem apostasiam, quæ tempore Antichristi fiet, vel certe si per multa sæcula ad illam generalem discessionem mundus disponetur, illa dispositio non sub Antichristo, nec per Antichristum fiet, sed per plures hæreticos, et præcursores Antichristi. Utramque enim significavit Christus, Matth., 24; et Joannes, 2 epist., c. 2 et 4; et Paulus, 2 ad Thessalon., 2.

20. *Instantia.—Solutio.—Incertum est an hæc apostasia to-*

(1) 2 Thess., 2.

tum orbem occupatura sit.—Quod si quis urgeat hoc recte procedere, si apostasia antichristiana aliquam provinciam tantum vel ad summum unam partem mundi occupatura esset, non fore autem ita, sed mundum occupaturam universum, neque videri posse in tam brevi temporis mora tam late extendi, respondemus imprimis non constare in quot regionibus orbis persecutio Antichristi propria grassabitur, et verisimile esse non ita esse disseminandum errorem Antichristi per totum mundum, sicut Evangelium est ante diem judicii in toto orbe prædicandum, quia illud prius non ita prædictum est in Scriptura, sicut hoc posterius. Neque etiam dicunt vaticinia Antichristum regnaturum in toto orbe proprie, et in tota sua universitate sumpto, sed dicunt Antichristum occupaturum orbem Romanum in decem regna prius divisum, et postea bellum contra sanctos esse moturum, unde verisimile fit in eodem orbe Romano futuram esse illam spiritualem stragem, et multorum fidelium apostasiam. Ad illam autem non erit necessaria multorum regnum aut temporum successio. Nam unus Antichristus quam plurimos habere poterit suæ iniquitatis ministros, qui simul per varias ejusdem orbis partes errores ejus disseminabunt; simulque (permittente Deo) dæmon totas suas vires exeret, et partim signis et portentis mendacibus, partim promissionibus temporalibus, partim coactione et exquisitis tormentis brevi efficiet, ut major fidelium pars Christo renunciet, et characterem bestiæ suscipiat. Et ita non solum multorum sæculorum, verum etiam nec vitæ unius hominis tempus ad prædictam apostasiam efficiendam necessarium erit.

21. *Dæmon potissimus minister erit hujus apostasiæ.*—Addo denique non esse necessarium ut totum orbem Romanum talis persecutio et discessio invadat, quia hoc revelatum non est, sed solum quod futura sit major quam unquam fuerit, quod esse poterit, et intensive (ut sic dicam) ubi fieri contigerit, et extensive respectu aliarum persecutionum, quod habere poterit, etiam si non omnes provincias et loca totius monarchiæ, nedum om-

nes mundi partes attingat. Præsertim quia sicut Christus dixit, propter electos breviandos esse dies illos, ita propter eumdem finem fieri poterit ut intra certos orbis terminos concludatur, non permittente Deo amplius extendi, propter eumdem finem, aliaque secreta suæ providentiæ consilia. Vel certe si fortasse tribulatio illa quoad loca, seu regiones et provincias orbis generalior futura est, et in omnibus illis magnam illam apostasiam est effectura, etiam ad illum effectum non erit necessaria diuturnior temporis duratio, quia non oportet ut successu temporum in diversis locis fiat; simul enim per varios ministros in diversis locis fieri poterit. Nam solvendus est Satanas, qui ubique habet invisibiles ministros paratissimos, et visibiles non deerunt Antichristo, ac brevi tempore poterit illos ubique transmittere, cum magna vi et potestate humana, dæmonis industria et potestate adjutos, illosque ad summam diligentiam et celeritatem instabit: «Sciens quia modicum tempus habet» (1). Ergo quacumque ratione apostasia illa intra tempus a Deo breviatum consummari poterit.

CAPUT XI

Antichristi tempore duos veros homines ad testimonium contra illum ferendum mittendos esse, ex cap. 11 *Apocalypsis contra duas falsas protestantium expositiones ostenditur.*

1. Quoniam de Antichristi tempore dicere incœpimus, priusquam ad cætera capita a rege proposita transeamus, necessarium est cum illo digredi, et de testibus contra Antichristum mittendis disputare, præsertim quia disputatio hæc cum

(1) Apoc., 12.

ea, quam de tempore Antichristi prosecuti sumus, valde conjuncta est. Nam unum ex præcipuis signis, quibus ostendere possumus Antichristum nondum venisse, inde sumitur quod testes contra illum mittendi nondum venerunt. Hoc autem fundamentum de duorum testium missione ex cap. 11 Apocalypsis sumptum est. Ideoque verus illius prophetiæ sensus inquirendus et explicandus est. Cum itaque Joannes prædixisset Antichristi persecutionem verbis illis: «Civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus», subjungit: «Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.» Qui dies fere totidem menses, utique quadraginta duos, efficiunt.

2. *Duos illos testes, duo Testamenta, ait rex Angliæ.*—Circa hanc igitur prophetiam, primo inquiremus an illi duo testes, quos Deus promittit se daturum tempore persecutionis Antichristi, futuri sint veri homines, vel quid sint. Nam rex Angliæ totum hunc locum metaphorice interpretatur, duasque habet expositiones, quas in hoc capite et sequent. expendemus. Juxta priorem expositionem, negat illos duos testes futuros esse homines, sed ait esse duo Testamenta, vetus et novum, quæ contra Antichristum, «et monarchiam Babylonicam (ut ipse loquitur) constans et manifestum testimonium præbent, ideoque illa maxime Antichristus odio prosequetur, nihilque intactum relinquet, quo» illa «dedecoret, corrumpat et supprimat.» Hæc fere rex, qui invehitur hac occasione in Summos Pontifices Romanamque Ecclesiam, fingens ab eis esse contra divinam Scripturam multa dicta et facta, «probri et ignominiæ plena. Quali sunt (ait) illam nasum cereum, litteram mortuam, et regulam lesbiam appellare, cum illa libros apocryphos miscuisse, eosque illi æquiparare tentasse»: imo «traditiones hominum illi præferre, eademque supprimere sub linguis peregrinis, et ne in vulgari sermone legatur prohibendo, occultare», ac denique «illam destruxisse et interfecisse,» quando alias translatione latinas præter Vulgatam, Pontificum auctoritate correctam e-

emendatam, iidem Pontifices sub censuris prohibuerunt. Hos autem testes ab Antichristo interfectos, Deus tandem per regem Angliæ ejusque ministros excitavit, seu in pristinam lucem et integritatem reduxit, ut ipse vult. Sicque concludit impletam esse prophetiam illam.

3. *Illi expositioni favent aliqui.*—Huic interpretationi metaphoricæ quoad eam partem, ut duo illi testes sint duo Testamenta, occasionem aliquam dederunt nonnulli antiqui Scriptores. Nam in libro super Apocalypsim, qui inter opera Augustini sub nomine illius ponitur, in Homilia 8 sic habetur: «Dabo duobus testibus meis, id est, duobus Testamentis.» Illud autem opus sine dubio non est Augustini, meritoque a Lovaniensibus in appendicem rejectum est. Creditur autem esse Ticonii, cujus opus in Apocalypsim idem Augustinus allegat, l. 13 de Trinitate, c. 3, ubi etiam dicit, Ticonium illum hæreticum Donatistam fuisse. Ideoque non multum curandum est de illius interpretatione. Quanquam ille non omnino negat illos testes esse homines; infra enim ait illos esse Ecclesiam, quæ propter duo testamenta binario numero ponitur. Quam expositionem imitatus est Beda, lib. 2 in Apocalyps., cap. 11, ubi per testes etiam intelligit, «Ecclesiam ex duobus populis unitam», et «duorum Testamentorum lumine radiatam.» Verumtamen Beda et mystice locutus videtur, et in ea expositione non insistit, nam statim refert aliam de Elia et Enoch, et non rejicit, sed tacite approbat. Et si quis postea scriptor catholicus (1), illam mysticam expositionem vel probare vel insinuare visus est, ab alio litterali sensu recedere non est ausus. Itaque metaphora illa, prout a rege traditur, propria est Protestantium, et a quodam Roberto Abbato Calvinista inventa dicitur, et quatenus alium sensum proprium et litteralem excludit, improbabilis

(1) Feuard., l. 5 in Joan., c. 30.

omnino est; quatenus vero contra Ecclesiam Romanam applica tur, erroribus scatet et hæresibus.

4. *Duo illi testes, veri homines futuri.*—Dico ergo teste illos, de quibus Joannes loquitur, futuros esse veros homines ad testimonium pro Christo contra Antichristum reddendum specialiter mittendos Assertionem hanc ita certam esse censeo ut sine temeritate negari non possit. Probatur primo ex ver borum proprietate, quam relinquere sine fundamento, magn temeritas et corruptio Scripturarum est. Hic autem nullum es fundamentum, vel in ipsa Scriptura, ut ex verbis constat, i quibus illa metaphora nullum fundamentum habet, neque i Patribus, quia omnes contradicunt, ut infra videbimus, nequ in aliqua ratione, vel conjectura, nullas enim rex adducit, sed so lam voluntariam accommodationem, propriis opinionibus et e roribus accommodatam, contumeliisque contra Ecclesiam Catho licam redundantem. Illa ergo non est Scripturæ interpretati sed corruptio.

5. *Probatur ex verbis sacri textus.*— Præterea si paulatin singula expendamus, quam sit inepta accommodatio facile in telligemus. Nam imprimis ex verbis illis colligimus, promisiss Deum dare duos testes tempore adventus et persecutionis An tichristi, ut ex contextu Joannis constat; ideo enim conjungi illa duo: «Civitatem Sanctam conculcabunt», etc.; et statim «Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt», id est, dab illis spiritum prophetandi, seu ad prophetandum in tempor illius calamitatis mittam illos. Non possunt ergo duo illi teste promissi ad litteram esse duo Testamenta, nam hæc data sun Ecclesiæ a principio, neque tempore Antichristi aliquid eis ad detur, aut novo modo dabuntur, nisi quatenus mittentur il prophetæ, qui sacram doctrinam majori spiritu proponant et in terpretentur Quin potius, si juxta regis sententiam. Antichris tus venit a 606 Christi anno, ab eodemque (ut Protestante etiam fingunt) cœperunt Scripturæ per traditionem hominum corrumpi, nullo modo tunc dati sunt duo testes ad prophetan

dum, sed qui multo jam antea dati erant, tunc interfici seu corrumpi cœperunt.

6. Deinde in eodem loco Apocalypsis dicitur, duos illos testes prophetaturos dies mille ducentos sexaginta, id est, toto fere tempore quo Antichristus civitatem sanctam, id est, Ecclesiam calcabit, quod tempus, juxta expositionem regis comprehendit omnia hæc tempora Romani Pontificatus a sexcentesimo sexto Christi anno, usque ad Lutherum, verbi gratia. Ergo toto hoc tempore utrumque Testamentum in sua virtute et integritate conservatur in Ecclesia, eorumque doctrina Ecclesiæ maxime innotescit, et contra Antichristum pugnat, nec aliquis audebit illam corrumpere, quia ibi dicitur de illis testibus pro illo tempore: «Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.» Et statim illorum magna virtus et potentia describitur, et tandem additur: «Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet contra eos bellum.» Ergo Antichristus non corrumpet Scripturas usque ad finem temporis et persecutionis suæ. At vero juxta sententiam regis, Scripturæ patiuntur bellum a Papa, ex quo cœpit in papatu Antichristianismus, et toto hoc tempore non prophetant Scripturæ in Ecclesia, sed traditiones humanæ, quibus Scripturæ obscurantur et corrumpuntur; quæ est ergo accommodatio talis metaphoræ, aut concordia prophetiæ Joannis cum ficta ista interpretatione?

7. *Alia verba Joannis dure et false duobus Testamentis accommodantur.* — Præterea Joannes ait, quod postquam illi duo testes a bestia seu Antichristo occisi fuerint, «corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, ubi Dominus eorum crucifixus est, per tres dies et dimidium,» quod rex dictum declarat, «quia ad dimidium spiritualis hebdomadæ, quod inter primum et secundum Christi adventum intercedit, Scripturæ tanquam cadavera jacebunt omnium contemptui expositæ, dedecoratæ, corruptæ, suppressæ,» etc. In quibus verbis duo notanda sunt. Primum est, ut juxta suum metaphoricum sensum hæc duo ca-

davera Prophetarum ad duo Testamenta accommodet, mult
fingere et exaggerare, quæ nec probare potest, neque ulla
verisimilitudinem habent, ideoque per errorem a suis Protes
tantibus accepisse convincitur; ac subinde nihil ad metaphora
explicandam deservire. Ait enim libros Scripturæ multis ret
temporibus «ad silentium esse damnatos, quia laicis eoru
lectio interdicta est, ita ut pro hæretico combureretur, qui
manus sumere auderet, aut inspicere.» Utrumque autem h
rum evidenter falsum est, tum quia neque lex, neque exemplu
de his ostendi potest; tum etiam quia contrarium manifes
constat ex usu et praxi Ecclesiæ Catholicæ.

8. *Lingua latina ignota non est, ut rex fingit.* — Addit ve
rex Scripturæ libros in ignota lingua absconditos jacuisse.
latina lingua non est ignota in Ecclesia Latina, nisi rudibus
idiotis, quibus utile non est per se ipsos velle Scripturas int
ligere aut interpretari, sed magis expedit ut quæ illos scire
intelligere de Scripturis convenit, a suis Pastoribus et Evang
lii prædicatoribus addiscant. Neque aliter Scriptura sacra
Catholica Ecclesia conservata et tractata est. Denique ut int
fectionem illam metaphoricam utriusque Testamenti rex co
fingat, dicit depravatam esse Scripturam, cum tamen in s
integritate, tam librorum omnium canonicorum, quam omni
eorum partium per Ecclesiam sit conservata, et legitima au
toritate proposita. Item ait corruptam esse, quod falsum pla
est, quia per Ecclesiam, ubi oportuit, lectio, quæ corrupta er
emendata est; ubi vero mutatio facta non erat, in sua antiq
tate conservata est. Tandem vero dicit fuisse interfectam a
millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quia pra
emendatam editionem vulgatam ab Ecclesia propositam, a
ab hæreticis factæ et corruptæ non permittuntur. Quæ omni
per se frivola sunt, et ad explicandum dictum Scripturæ loc
valde aliena.

9. *Non esse duo Testamenta, ex tempore determinato a Joa
convincitur.* — Aliud in dictis verbis regis notandum est, in

suam iterum inculcare expositionem, scilicet, Joannem per hos dies et menses non certum tempus, sed dimidium totius temporis cursum a primo usque ad secundum Christi adventum intellexisse, quam expositionem satis in superioribus refutavimus. Nunc vero interrogo, cum dicit «ad dimidium illius temporis» Scripturæ Testamenta «tanquam cadavera jacitura, contemptui exposita, neglecta pene ab omnibus, nec a pluribus intellecta;» interrogo (inquam) quid intendat, cum ait: «Ad dimidium temporis;» aut enim vult toto dimidio tempore, quod inter primum et secundum Christi adventum intercedit, Scripturarum corpora tanquam cadavera in illo statu jacitura; vel solum in dimidio tempore esse interficienda, sine designatione temporis pro quo mortua jacebunt. Hoc posterius repugnat vaticinio Joannis, dicentis: «Corpora eorum jacebunt in plateis civitatis.» Et infra: «Et videbunt de tribubus et gentibus corpora eorum per tres dies, et dimidium.» Jacebunt ergo cadavera illa per totam dimidiam hebdomadam, quæ si spiritualis est, ut vult rex, includit totam dimidiam partem temporis decurrentis inter primum et secundum Christi adventum.

10. Si autem hoc concedatur, et priorem sensum suorum verborum rex eligat, nobis, quæso, declaret qui fieri possit ut per illam eamdem spiritualem hebdomadam duo illi testes testimonium suum daturi sint, quomodove prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, prout Joannes ait, per quos dies etiam dimidiam spiritualem hebdomadam significari rex docet. Maxime quia Joannes dicit testes illos esse occidendos, postquam inierint suum testimonium dare, quod non potest intelligi de priori dimidia parte illius hebdomadæ spiritualis, id est, de sexcentis annis a primo adventu Christi, in quo (ut rex vult) Scriptura vixit, nam Joannes aperte loquitur de eodem tempore in quo Antichristus Ecclesiam persequetur; ergo in fine illius temporis occidentur testes; quomodo ergo postea per integram dimidiam hebdomadam eadem cadavera in platea jacebunt? Accedit quod, postquam occisi fuerint illi testes, non amplius

ferent testimonium contra Antichristum, quia jam finierun
suum testimonium, et quia statim ac revixerint, vocabuntur a
cœlum, et quia statim occidetur Antichristus. Ad vero ex sen
tentia regis duo Testamenta postquam per spiritum Lutheri ve
similem revixerunt, adhuc perseverant, testimonium ferend
contra Antichristum, et inter homines versantur, et quem ips
vocat Antichristum, ipse adhuc vivit, et usque ad finem sæcu
vivet. Nullo ergo modo subsistere potest accommodatio illa v
potius fictio.

11. *In hæreticos retorquentur metaphoræ quas confingunt.— Scriptura ab hæreticis jugulatur.* — Præterea, si vanis hujusmo interpretationibus aut accommodationibus uti liceret, quid ess facilius quam ostendere, metaphoras illas de duobus Testamen tis tanquam duobus testibus ab hostibus Christi interfectis, etc multo verius accommodari hujus temporis hæreticis, vel ips met regi, quam Ecclesiæ Catholicæ? Tunc enim homo interfic tur, quando spiritu, quo vivit et loquitur, privatur; ergo tu maxime dici posset Scriptura interfici, quando spiritu illo, q facta est et interpretari debet, privatur. Scripturæ enim velu corpus est scripta littera, spiritus autem et vita ejus est illi sensus; tunc ergo vere interficitur, quando proprio uniuscuju que spiritu humano, vel forte diabolico declaratur, et ad testi candum inducitur. Constat autem a rege et Protestantibus n aliter Scripturam tractari et exponi, ut in hac ipsa præsen loci expositione rex ostendit, et superius in statuenda regu suæ fidei testatus est. Ergo necesse est ut apud hujusmodi h mines Scriptura tanquam mortua jaceat, ejusque corpus ta quam cadaver in manibus eorum feratur. Quibus optime eti illud convenit, quod «inhabitantes terram, gaudent super ill et jocundantur, quia» (ud rex addit) «carnales suæ libidines n amplius comprimuntur, nec in ordinem rediguntur gladio ve Dei,» quia apud illos non est «vivum et efficax, sed mortuu ac sine divino spiritu.» Nam quocumque modo vivant, per s lam fidem, quod illis peccata non imputantur, justitiam et g

riam sibi promittunt, et neque mandatorum observationem, neque pœnitentiam de peccatis secundum Scripturas necessariam esse, prædicant. Denique dum isti jactitant se solos intelligere novum et vetus Testamentum, certissimum est sine vita et spiritu illa possidere atque adeo tanquam mortua corpora apud eos jacere.

12. Ad hunc denique modum potest illa interpretatio metaphorica ex discursu fere totius dicti c. 11 refutari et confundi. Nam si illi duo testes non sunt veri homines, sed sunt tantum verbum Dei in duobus Testamentis scriptum, vel impossibile est seriem totius capitis tenere et commode interpretari; vel infinitæ metaphoræ voluntarie et sine fundamento fingendæ sunt, quod sinceritati Scripturæ, et convenienti rationi eam explicandi repugnat. Nam si illi testes non sunt futuri veri homines et prophetæ, quid est quod de illis dicitur: «Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum?» Quomodo enim Scripturæ hanc habent potestatem toto tempore prophetiæ ipsorum? Quodve est tempus duorum Testamentorum, nisi vel totum tempus quo durat Ecclesia, vel illud certe maxime in quo ipsam Scripturam magis integram, incorruptam et vivam conservatam esse, Protestantes volunt? Item illud: «Potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint,» quo probabili modo potest ad duo Testamenta, vel ad aliquid aliud præter duos homines accommodari? Idemque argumentum de reliqua parte capitis fieri potest, ut jam satis declaratum est; necesse est ergo ut verba illa in sensu proprio de hominibus intelligantur. Quam sententiam, quoad hanc partem, quod illi duo testes futuri sint veri homines, catholicam esse censemus, tum quia in Scriptura est satis expressa, nec potest ad metaphoricum sensum nisi cum magna violentia detorqueri; tum etiam quia Patres et expositores communiter ita verba illa intellexerunt, ut in capite sequenti videbimus.

13. *Alia Protestantium metaphorica interpretatio.*—Jam vero

sequitur examinanda alia interpretatio, quam rex frequentius receptam esse dicit, utique inter suos Protestantes. Qui ut prophetiam illam suis novi Evangelii prædicatoribus accommodent, metaphoram in binario illo numero ponunt, quos ait rex duos testes appellari, quia pauci fuerunt; et in ciliciis seu saccis apparuisse, «quia pœnitentiam prædicarunt»; occisos vero fuisse, quia multi crudeliter interfecti et igne combusti sunt; resurrexisse autem in successoribus suis, quia non defuerunt qui verbi Dei prædicatione illorum virtutem et locum tenerent; miracula vero illorum fuisse, quia brevi tempore virtute spiritus magnas nationes, et multas in veram, scilicet, fidei viam reduxerunt. Hæc fere rex ex suo spiritu proprio, non tamen ex certa scientia, sed (ut ipse ait) ex sua conjectura, quam neque in sanctis Patribus fundare potest, illos enim in Apocalypsis explicatione errasse confitetur, neque in ipsis Scripturæ verbis, cum pro libito ad metaphoras sibi deservientes ea detorqueat, quæ satis quidem ad illam expositionem contemnendam esse possent. Ad majorem tamen erroris ejus ostensionem animadverto, quædam in accommodatione illa inveniri falsa, alia prave accommodata, et alia omissa, fortasse quia nullum locum vel sensum commodum in illa metaphora recipere possunt.

14. Primum enim falsum est, hos pseudoprophetas tam paucos fuisse, ut duorum nomine merito significari credantur. Nam sectæ hæreticorum hujus temporis tot sunt, ut vix possint numerari; et tot sunt capita quod sententiæ; imo in unaquaque plura capita pluresque magistri inveniuntur. Eo vel maxime quod in illo duorum numero non tantum vult rex primos uniusquisque hæresis inventores, sed etiam eorum successores, qui usque ad hodiernum diem novam fidem prædicant, comprehendi isti autem plures profecto sunt quam ut duorum nomine apte significentur. Deinde evidentius falsum est, hos novos prædicatores prædicando pœnitentiam apparuisse, cum constet unum ex præcipuis falsis articulis eorum esse, pœnitentiam non esse necessariam, sed novam vitam, quam in sola, nova et inaudita

fide propriæ justitiæ constituunt. Præterquam quod Prophetæ non dicuntur apparere vestiti saccis, quia pœnitentiam prædicant, sed quia vitam asperam et pœnitentem profitentur, seu quia pœnitentiam agunt; isti autem novi Evangelii prædicatores, quam, quæso, vitæ asperitatem profitentur, quamve pœnitentiam egerunt? Certe neque ipse rex id dicere est ausus, ne manifestum mendacium affirmaret. Non sunt ergo isti testes saccis amicti, quos Deus contra Antichristum missurus est.

15. *Hæresiarchæ a ficto illo Antichristo non sunt occisi.— Hæretici magis ex se ipsis surgere quam resurgere dicendi sunt.*— Præterea, si per duos testes omnes isti prædicatores intelliguntur, cum Joannes dicit duos illos fuisse ab Antichristo interfectos, consequenter intelligendus est affirmare, omnes illos prædicatores ab eadem bestia fuisse interfectos, nam eodem modo dicit duos fuisse interfectos, sicut duos prædicasse. At hoc falsum est, pauci enim sunt ex his hæresiarchis qui ab hominibus interfecti fuerint, vel per Ecclesiam digna mortis pœna puniti, sed plures eorum non sine prodigiis et signis divinæ justitiæ mortui sunt; ergo vel interpretatio illa falsum supponit, vel metaphora non subsistit. Multo vero magis incongruum est, quod in suis successoribus resurrexisse dicantur, hæc enim non est resurrectio, sed nova prolis generatio; Joannes autem loquitur de eorumdem, qui ceciderant, excitatione et resurrectione. Ait enim: «Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos», utique in illos eosdem qui interfecti jacebant, «et steterunt super pedes suos.» Præterea quod pravi prædicatores imitatores et successores habeant, novum non est, ideoque neque admirationem, neque stuporem efficit; at ex illorum testium occisorum resurrectione, «timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.» Illa ergo resurrectio non est alterius personæ similis successio, sed ejusdem miraculosa seu prodigiosa excitatio. Denique additur, inimicos illorum prædicatorum vidisse illos ascendentes in cœlum, ad quod statim post resurrectionem suam vocati fuerant; quando autem in successoribus

Lutheri, Calvini, aut Henrici VIII aliquid simile vidit vel audivit Ecclesia? Est ergo frivola accommodatio.

16. *Falsitas illius metaphoræ ostenditur a tempore.—Ostenditur etiam a loco.—Hæreticorum prophetæ regna non convertunt, sed pervertunt.*— Atque hinc denique convincitur esse etiam insufficientem. Nam imprimis explicare non possunt cur isti sui prophetare dicantur mille ducentis sexaginta diebus, cum in Scriptura non soleat tempus tot numeris et partibus definitum pro indefinito poni, nec ratio talis metaphoræ aut exemplum simile afferri possit. Multoque minus explicare possunt, cur dicatur quod corpora istorum suorum prophetarum jacebunt «in plateis civitatis magnæ», etc., «ubi Dominus eorum crucifixus est.» Nam cum isti in hac parte fateantur, sermonem esse proprium de vera morte suorum Prophetarum, etiam hæc verba proprie intelligenda erunt de corporibus eorum mortuis; quomodo ergo illa jacebunt in plateis civitatis per tres dies et dimidium, cum fere omnia, quæ pœna mortis interiere, statim combusta fuerint. Deinde neque locum accommodare possunt, nam per civitatem magnam, in qua Dominus eorum crucifixus est, Romam intelligunt, ut infra videbimus; at neque Lutherus, neque Cavinus, vel eorum successores Romæ interfecti sunt. Idemque argumentum procedit, etiam si civitas illa, ut veritas habet, Jerusalem intelligatur; de nullo enim Protestantium legimus ibi esse propter suum novum Evangelium interfectum. Neque etiam possunt exponere qui sint illi tres dies cum dimidio, nisi recurrendo ad spiritualem hebdomadam, quæ, juxta illorum sensum, plus quam mille annos comprehendere potest. Præterea ubi est inventa in his pseudoprophetis, «potestas claudendi cœlum, ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum», aut «convertendi aquam in sanguinem, vel percutiendi terram omni plaga, quotiescumque voluerint», aut faciendi aliqua alia mirabilia opera, quæ per illa verba metaphorice significata fuerint? Certe nullum miraculosum opus hos falsos prophetas fecisse legimus. Et perversio potius quam conversio provincia-

rum et regnorum, quæ per illorum falsam doctrinam facta est, nullum signum est virtutis verbis, aut spiritus ipsorum, cum homines non ad pœnitentiam et præceptorum observantiam, aut vitæ perfectionem attraxerint, sed licentia vivendi sine ecclesiastica obedientia, imo sine jugo legis divinæ, per solam fidem salutem promittendo, homines ad sensibilia proclives facile deceperint.

17. *Veritas catholica stabilitur.*— Vera ergo et catholica sententia est, illos Prophetas, a Joanne prædictos, futuros esse duos tantum homines, mortales, divina virtute ac providentia mittendos in mundum tempore adventus Antichristi, cum gratia et virtute Spiritus Sancti, ad prædicandum verum Christum Dominum nostrum, contra Antichristum, ejusque fidem veris ac novis mriaculis confirmandum, per veros ac præcisos mille ducentos sexaginta dies, id est, fere toto tempore persecutionis Antichristi, prout verbis Joannis in proprietate intellectis asseritur, et supra capite 3 explicatum est. Et habet convenientissimam rationem divinæ providentiæ, ne in tempore tam acerbæ persecutionis videatur Deus Ecclesiam suam sine externo auxilio sufficiente et proportionato relinquere. Congruum est enim ut Deus hominibus per homines subveniat, quod in omnibus temporibus et occasionibus observatum ab ipso videmus; ergo in illis etiam diebus simile auxilium per illos testes hominibus præstabit.

18. *Civitas illa mundum significat, sed magis proprie ac vere Jerusalem.*— In fine vero illorum dierum occidentur vere et proprie illi duo prophetæ ab Antichristo, utique vel per se, vel per ministros ejus, hoc enim Scriptura non declarat, et utroque modo veritas verborum salvatur. Item post mortem vere jacebunt eorum corpora in plateis civitatis magnæ per tres dies integros, et partem alterius, per quam civitatem mundum aliqui intelligunt, quatenus pravis hominibus abundat, nam ibi dicitur civitas illa spiritualiter vocari «Sodoma et Ægyptus», quibus nominibus solet hic mundus in Scriptura vocari: sed melius in-

teHigitur Jerusalem, nam additur ibi: «Ubi et Dominus eorum crucifixus est » De quibus verbis plura inferius dicemus. Illis autem diebus, mali et Antichristi sectatores vere ac proprie gaudebunt de morte illorum Prophetarum, et in eorum ignominiam non sinent eorum cadavera sepeliri. Quod etiam consulto permittet Deus, ut mirabilior sit eorum resurrectio, quæ post tres dies et dimidium vere ac proprie continget, juxta, verba illa: «Et post tres dies et dimidium spiritus vitæ intravit in eos», quæ non possunt intelligi de glorificatione animarum illorum Prophetarum, ut aliqui hæretici finxerunt, tum quia glorificatio animarum illorum Martyrum non differetur per tres dies, neque per momentum ; tum quia statim additur: «Et steterunt super pedes suos», ubi evidenter est sermo de resurrectione corporum. Quæ pro illis duobus Prophetis non reservabitur in tempus generalis resurrectionis, sed statim fiet, videntibus et mirantibus illis hominibus adhuc in vita mortali viventibus, audientque vocem illam de cœlo illos vocantem : «Ascendite huc», cui voci ipsi obedient ascendendo in cœlos, mirantibus eorum hostibus. Quorum magna pars statim, terræ motu magno corruente civitate, oppressa et interfecta est ; alii vero, qui permanserunt, terrore perterriti gloriam Deo dederunt, ut Joannes concludit.

19. *Quamvis illi duo testes non essent Enoch et Elia, adhuc essent veri homines.*— Neque oportet aliter hæc omnia confirmare, quam ipso contextu et verbis Scripturæ, nam in proprietate sua hoc significant, et nulla subest ratio vel necessitas, imo nec commoditas ad metaphoricos sensus illa trahendi, proprio arbitrio, et solo affectu ad proprias opiniones illa accommodandi, ut revera rex Angliæ et alii Protestantes faciunt. Accedit quod omnes Patres , et interpretes verba illius prophetiæ proprie intelligunt; quamvis enim vel in personis illorum testium designandis, vel in aliquibus minutioribus circumstantiis differant, ut mox videbimus, in hoc vero dogmate, quod vaticinium illud proprie et ad litteram intelligendum sit, omnes conveniunt, ut

in sequenti capite referemus. Solum hic refero Lactantium, lib. 7, cap. 17, ubi tacito nomine dicit, Prophetam magnum venturum tempore Antichristi, de quo locum Apocalypsis ad litteram interpretatur. Non video tamen, cur in singulari de Propheta magno loquatur, et non de duobus Prophetis, sicut expresse Joannes loquitur. Ita ergo intelligenda res est. Neque contra hunc proprium sensum illius contextus aliquid rex affert, præter ea quæ de Enoch et Elia disputat, de quibus capite sequenti videbimus. Nunc enim plane dicimus, licet illi duo testes non essent futuri Enoch et Elias, non inde fieri non esse futuros homines, verosque Prophetas ac prædicatores, proprie interficiendos ab Antichristo, et a Christo resuscitandos. Posset enim Deus ex sanctis hominibus tunc viventibus duos ad illud ministerium sua gratia vocare, eisque spiritum prophetiæ et miraculorum impertiri, et in eis possent omnia, quæ ibi prædicuntur, proprie ac verissime impleri. Hic ergo sensus, et veritas in hoc capite demonstrata per se potest subsistere, quidquid in quæstione alia de Enoch et Elia sentiatur.

20. *Locus idem Apocalypsis ostendit Antichristum nondum venisse. — Nec duo illi Prophetæ, nec alii eis similes adhuc fuerunt.* — Unde tandem concludo locum hunc, in hac proprietate et generalitate explicatum, sufficere ad demonstrandum, Antichristum nondum venisse, abstrahendo etiam ab speciali disputatione de Enoch et Elia. Quia non solum est evidens non venisse Eliam et Enoch, verum etiam nec aliquos duos Prophetas, contra aliquem Christi hostem ita prædicantes, ut in eis impleta fuerint omnia quæ ibi Joannes de illis duobus testibus ac Prophetis prædicit, hactenus apparuisse, ut est evidens, considerando cum proprietate et veritate circumstantias omnes quas notavimus. Nulli enim prædicatores hactenus fuerunt, qui per 1260 dies prædicaverint, cum potestate faciendi mirabilia in cœlo, aquis et terra, quique post illos dies fuerint publice interfecti, eorumque corpora per tres dies cum dimidio jacuerint in plateis alicujus civitatis, et postea publice resurrexerint. Ergo,

stante illo proprio et vero sensu, evidens est illos duos testes nondum esse missos, ac proinde neque Antichristum venisse. Multo ergo evidentius est non posse vaticinium hoc ad Papam accommodari.

CAPUT XII

Eliam et Enoch esse testes illos qui contra Antichristum mittendi sunt, ostenditur

1. *Testes illos non futuros Enoch et Eliam contendit rex Jacobus.*—Quanquam, ut dixi, ad ostendendum quod intendimus, necessarium non sit scire aut definire quinam futuri sint illi duo singulares homines, quos Deus testes ac prædicatores contra Antichristum daturus est; quia, dummodo constet illos futuros esse veros homines, quicumque illi futuri sint, procedit demonstratio, ut ostendi; nihilominus quoniam in hoc puncto vehementer invehuntur Protestantes contra Patres, contra Catholicos, et contra perpetuam Ecclesiæ traditionem, et communem sensum, suoque arbitrio et spiritu Scripturas eludunt, ideo quæstionem hanc prætermittere non potuimus. In qua ea solum addemus, quæ ad respondendum regi, ejusque novam sententiam confutandam necessaria videbuntur, nam cætera, quæ hic dici poterant, alio in loco a nobis tractata sunt. Contendit igitur Jacobus rex, sententiam asserentem, Eliam et Enoch venturos in fine mundi in sua carne mortali ad prædicandum contra Antichristum, falsam esse, eamque consueta Protestantium licentia ac libertate, «futilem et anilem fabulam», imo «vanitatem fabulæ Judaicæ, otiosumque somnium» appellat. Sic enim Protestantes, quod rationibus aut testimoniis confirmare non possunt, solent conviciis et exaggerationibus, rudibus et indoctis suadere. Rex igitur nulla testimonia nullasve rationes adducit, quibus suam sententiam persuadeat, sed illa tantum testimonia

quæ Bellarminus, ad confirmandum vetus dogma adduxit, efficacia non esse convincere conatur; idque ad suæ sententiæ confirmationem sufficere putavit, quia nostram, humanum captum superare, supponit, ut statim referam. Nos vero primum omnium errores, in quibus ipse versatur, detegemus et confutabimus; deinde Ecclesiasticam et veram sententiam confirmabimus; postremo vero illius objectionibus vel potius evasionibus satisfaciemus.

2. *Enoch et Elias adhuc sunt in vita mortali.* — Principio ergo statuimus, Eliam et Enoch usque nunc vivere, non vita cœlesti et gloriosa, sed mortali, id est, in qua nec Deum facie ad faciem vident, nec immortalitatem, vel claritatem gloriæ in corporibus assecuti sunt. Priorem partem, quod Elias et Enoch vivant, ut certam rex admittit; in cæteris vero contrarium dogma supponit, et fundamentum suæ sententiæ ponit, cum dicit: «Qui possit hoc cum Theologia vel ratione consistere, ut hæc duo glorificata corpora de paradiso cœlove descendant, prædicent, pugnent contra Antichristum, et interficiantur ab eo?» Hoc autem fundamentum colligere imprimis videtur ex Genes., 5, ubi de Enoch dicitur: «Ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. Vel ad se (ait) recepit. Et ex 4 Regum, 2, ubi Elias dicitur visus in cœlum ferri. Deinde hoc utitur dilemmate: «Nunc oportet illos aut in cœlo esse, aut in paradiso; si in cœlo (quod haud dubie verum est), glorificata sint corpora eorum oportet, cum nihil corruptibile eo possit penetrare», Apoc., 20. «Quod si sunt in terrestri paradiso, primum scire avemus ubi sit ille paradisus», etc. Et infra subjungit, «blasphemum esse credere, ex quo Adam ab illo paradiso ejectus est, aliquem ex Adami posteris illuc pervenisse.» Posteaque addit, terrestrem illum paradisum diluvio, si non ante, deletum esse.

3. *Probatur ex Scriptura. — Nemo gloriam assequitur, nisi prius moriatur.* — Verumtamen fundamentum illud non solum novum et inauditum est, sed etiam repugnat universalibus lo-

cutionibus Scripturæ, a quibus nihil licet excipere, sine auctoritate, vel ejusdem Scripturæ, vel verbi Dei non scripti, pe traditionem Ecclesiæ et Patrum manifestati, quod hic ostend non potest, sed potius contrarium. Assumptum duobus modi ostenditur. Prior sumitur ex universali regula Scripturarum nullum hominem mortalem transferri ad immortalem et beatam vitam, nisi intercedente morte corporali, et consequenter ne minem consequi corporis gloriam, nisi media resurrectione quæ est ad vitam. Utrumque docuit satis aperte Paulus, I Co rint., 15, dicens: «Per hominem mors, et per hominem resur rectio mortuorum, et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et i Christo omnes vivificabuntur.» Et infra: «Insipiens, tu quo seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.» Et infra: «Sem natur in corruptione et resurget in incorruptione; seminatur i ignobilitate, surget in gloria», etc. Et cætera quibus apertissim docet hanc esse generalem regulam, a qua neque Christus ex cipi voluit, nam ipsum etiam mori oportuit, et ita intrare i gloriam suam, et ideo «primogenitus mortuorum, et primiti resurgentium» appellatur. Nemo ergo illum ad gloriam comita tur, nisi prius mortem gustaverit. Unde ad Hebræos, 9, ait ide Paulus: «Quemadmodum statutum est hominibus semel mor post hoc autem judicium, sic et Christus semel oblatus est», et Et ad Romanos, 5: «Sicut per unum hominem peccatum in hu mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes hom nes mors pertransiit.

4. *Enoch et Elias gloriam assecuti non sunt.*—At vero Eli et Enoch hactenus mortui non sunt, ut de Enoch docet Paulu ad Hebr., 11, dicens: «Fide Enoch translatus, ne videret mo tem»; et de Elia colligitur ex quarto Regum, 2, ubi narratu vivum fuisse «in cœlum translatum, cum sermocinaretur cu Eliseo.» Et ita de utroque id fatetur rex cum tanta exagger tione, ut dicat, omnes Patres super hoc consentire, «utrumq Enoch, atque Eliam adhuc vivere, quod (ait) nemo Christian unquam, opinor, negaverit.» Et infra, explicando quomodo v

..., inquit: «Deus enim viventium est, non mortuorum Deus, ...to magis in vivis sunt Enoch et Elias, qui nunquam mortem more aliorum gustaverunt.» Ergo cum nondum gustaverunt mortem, nondum in cœlo domicilium et perfectam beatitudinem animæ, et corporis possident, juxta prædictam Scripturæ regulam.

5. *Ecasio. — Responsio.*—Responderi vero potest nullam esse tam generalem regulam, quæ exceptionem non patiatur, vel privilegium admittat; itaque licet dicta regula generalis sit, ex privilegio potuerunt facile Enoch et Elias excipi. Neque hoc mirum videri debet, cum multorum Patrum sententia fuerit, illos homines, qui prope judicium vivi invenientur, non esse morituros, sed immutandos et rapiendos in gloriosum statum, si justi fuerint; cur ergo non poterunt cum illis excipi Enoch et Elias? Præsertim quia generalis lex est, ut homines totum sentem vitæ cursum intra paucos annos absolvant, et certum sit ab hac lege exemptos esse Enoch et Eliam, qui per tot annorum millia mortui non sunt. Verumtamen, licet fateamur non esse tam certum, in hac posteriori regula non esse admittendam exceptionem sicut in priori, nihilominus vera sententia, et a Theologis recepta, et magis a Patribus probata, et Scripturis omnino consentanea est, etiam hanc regulam, nullam admittere exceptionem. Nam omnes omnino homines, etiam illi qui in fine mundi erunt, prius morientur quam Dominus ad judicandum veniat, juxta ordinem a D. Paulo positum in verbis proxime allegatis: «Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium» (1). De qua re alibi latius disputavi. Addimus vero, licet illa exceptio de hominibus in fine mundi futuris ab errore vel temeritate excusetur, quia ex Scriptura occasio illius sumpta est, et in Patribus habet aliquod fundamentum nihilominus exceptionem hanc de Elia et Enoch excusari non posse a

(1) Hebr., 9.

temeritate ex vi hujus secundæ regulæ, propter novitatem suam, et sine fundamento in Patribus; cum præter citata loca David, Psalm. 88, cum magna ponderatione dicat: «Quis est homo qui non videbit mortem?» Tanquam certum supponens, nullum esse de quo id possit affirmari. Cum ergo Enoch et Elias nondum viderint mortem, profecto nondum sunt immortales effecti, juxta hanc Scripturæ regulam.

6. *Ante Christi adventum nemo gloriam consecutus est.*—Ut autem certius constet sententiam illam non posse sine errore defendi, addamus alteram generalem Scripturæ regulam, videlicet, nullum hominem descendentem ex Adamo fuisse cœlestem gloriam, vel in sola anima, vel, quod gravius est, in corpore et animo, consecutum ante Christi Domini adventum et mortem. Hanc regulam nobis tradidit Paulus, ad Heb., 9, dicens, in secundum Tabernaculum, seu sancta sanctorum solum Pontificem solitum fuisse cum sanguine ingredi, «hoc significante Spiritu Sancto non esse propalatam Sanctorum viam adhuc priori tabernaculo habente statum.» Quem utique habuit usque ad punctum mortis Christi, quando velum templi scissum est, et janua cœlestis regni fuit aperta. Unde in Hymno «Te Deum laudamus» canit Ecclesia: «Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.» Et Innocentius III in cap. «Majores», de Baptism., dixit, «regnum cœlorum usque ad mortem Christi fuisse omnibus obseratum.»

7. *Evasio.—Responsio.—Enoch et Eliam gloria non potiri indicat Paulus.*—Dicetur forte non fuisse quidem eo tempore ita propalatam viam, ut omnibus justis esset pervia, neque in januam apertam, ut omnibus esset obvia; nihilominus uni, vel alteri, cui Deus voluit hoc beneficium conferre, extraordinarie patuisse. Sed contra, nam hæc est exceptio a regula data a Spiritu Sancto, quam non licet ex proprio cerebro fingere. Deinde contra illam obstant verba Christi, Joannis, 3: «Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.» Certe qui dicit «nemo», omnes pra-

ter se excludit, et exceptio illa firmat regulam in contrarium. Item Paulus, ad Hebræos, 11, cum inter Patres antiquos Enochum numerasset, subjungit: «Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.» Ergo neque Enoch neque Elias repromissionem acceperunt, neque consummati sunt, id est, nondum corporis et animi beatitudinem acceperunt. Nam Enoch in proprio nomine et persona induxerat Paulus, Eliam vero sub Prophetis sine dubio comprehenderat, et illum maxime designat, cum infra ait: «Circuierunt in melotis et in pellibus caprinis»; nam de Elia legimus, quod «incedebat zona pellicea accinctus renibus», 4 Reg., 1. «Et circumibat», fugiens persecutionem Jezabelis, «egens, augustiatus, et affictus errans in montibus, et in spelunca latens», 3 Reg., 19. Ergo sicut Enoch et Elias comprehenduntur sub omnibus qui fuerunt testimonio fidei probati, ita etiam sub his qui non acceperunt repromissionem nec consummati fuerunt.

8. Præterea idem Paulus sic ait, in cap. 10 ejusdem epistolæ: «Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi quam initiavit nobis viam bonam. Quam initiavit» (inquit), id est, cui ipse initium dedit, seu per quam ipse primus omnium ingressus est, vel, ut Theophylactus ait, «novam viam fecit, per quam primus ivit.» Idem latius Theodoret., et eodem modo intellexerunt Chrysost. et Œcumen. Unde si vel unus homo ante ipsum Christum viam illam perambulavit, et beatitudinis januam ingressus est, non initiavit Christus viam illam bonam. Et similia sunt verba capitis sexti: «Confugimus ad tenendam propositam spem, incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis intravit Jesus» (1). Certe si prius ingressi sunt Enoch et Elias, illi po-

(1) Hebr., 6.

tius intrarunt præcursores, quam Christus. Unde quia nemo illuc ingredi poterat ante ipsum, sic locutus est Dominus ad Apostolos, Joan., 14: «Vado parare vobis locum, et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum veniam, et recipiam vos ad meipsum.» Quæ testimonia alio in loco latius expendi, et Patrum expositionibus confirmavi, et veritatem hanc fuse probavi ac defendi, et ideo nunc a longiori confirmatione abstineo.

9. *Patres eamdem sententiam tuentur.— Cardinalem Bellarminum immerito rex accusat.*—His Scripturæ documentis accedunt testimonia Patrum, qui unanimi consensu docent, Enoch et Eliam mortem non gustasse, sed adhuc vivere in corpore et animo; nullus autem eorum dicit eos vivere in corpore immortali et glorioso, et multi vel indicant, vel aperte docent in corporibus mortalibus adhuc vivere, quamvis divina virtute conserventur, et ab omni alteratione corruptiva usque ad præfinitum tempus præserventur. At inquit rex Angliæ Bellarminum, ad suam sententiam confirmandam, quinque Patrum adduxisse testimonia, Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, et Augustinum; illos vero solum dicere, Enoch et Eliam vivere, eorum autem corpora esse mortalia non affirmare. Imo addit contrarium tradere Irenæum et Tertullianum. Ille enim dixit, «Enoch et Eliam in Paradiso remansuros usque ad consummationem conspicantes æternitatem.» Hic autem ait, «Enoch non gustasse mortem, ut æternitatis candidatum.» Sed oportet diligentius expendere singulorum testimonia.

10. *Divi Irenæi verba expenduntur.* — Irenæus quidem lib. 5, dicit, «Enoch et Eliam, ibi manere conspicantes incorruptelam.» Sed ubi, quæso, manere dicit? certe, «in paradiso (ait), ubi primus est positus homo», id est, in paradiso terrestri; at ille non est locus corporum beatorum; ergo contradicit Irenæus regi dicenti, «Enoch per multa retro tempora esse in cœlo in corpore glorioso.» Quin potius subdit Irenæus, «ibi», in eodem, scilicet, paradiso terrestri, «manere usque ad consummationem», id est, usque ad finem mundi. Quomodo vero hu

intelligendum sit, ex eodem Irenæo accipimus, lib. 4, cap. 30, ubi de Enoch ait: «Translatus est, et conservatur usque nunc.» Hæc enim verba non significant certe translatum esse ad immortalitatem, sed modo extraordinario a Deo conservari, «usque nunc», et usque ad finem mundi, quem nomine «consummationis» in alio loco significavit. Unde quod ait: «Conspicantes incorruptelam, non significat jam induisse immortalitatem seu incorruptibilitatem, sed actualem incorruptionem, quam illi in se experiuntur et vident; idem enim est «conspicantes», quod «conspicientes», et intuentes suam incorruptionem. Per quam etiam dici possunt, quasi in signo et participatione quadam conspicari immortalitatem, et spem illius dare, eo quod si Deus homines mortales ita conservat, facile credi potest etiam posse mortuos ad vitam immortalem resuscitare, hoc enim ibi persuadere Irenæus intendebat.

11. *Tertulliani sententia expenditur.* — Præterea Tertullianus, lib. contra Judæ., cap. 2, sic de Enoch scribit: «Enoch justissimum non circumcisum de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustavit ut æternitatis candidatus», ubi esse candidatum non significat jam esse in æternitate, sed esse illi propinquum, et ad illam aspirare, tanquam certum signum illius habens, hoc enim vox candidati in proprietate significat. Unde idem Tertullianus, lib. de Anim., c. 50: «Translatus est (inquit) Enoch, et Elias, nec mors eorum reperta est dilata scilicet. Cæterum morituri reservantur ut Antichristum sanguine suo extinguant.» Impetrando nimirum a Deo suo martyrio, ut Antichristum interficiat spiritu oris sui. Quid est ergo quod rex Angliæ dicit, Tertullianum plane negare, Enoch esse moriturum, cum tamen expressis verbis hoc loco illud fateatur? Nec Tertullianus sibi est contrarius, quia vocavit Enoch «æternitatis candidatum», quia (ut dixi) esse candidatum æternitatis, non est esse translatum in æternitatem, sed esse aspirantem ad æternitatem. Unde frivolum est regis argumentum, cum, inquit, «jam male sibi firmatum habet jus æternitatis, si iterum moriturus est.» Nam

potest habere firmum jus æternitatis suo tempore obtinendæ, licet sit moriturus, sicut habuit Christus dum in vita mortali vixit, et justi in gratia confirmati dici possunt habere firmatum jus æternitatis, id est, ad æternitatem, licet prius morituri sint. Sic ergo Enoch habere potest firmatum jus æternitatis, licet moriturus sit, quia sine dubio in gratia est confirmatus et præordinatus, ut per martyrium transeat ad æternitatem, ut in hoc posteriori loco Tertullianus dixit. Et ita utrumque conjunxit in libro de Resurrection. carn., cap. 58, ubi de Enoch et Elia dicit: «Nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, quia tamen de orbe translati, et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni injuria et contumelia, immunitatem carnis ediscunt » Cujus sententiæ clarus sensus est, nondum esse resurrectione dispunctos quia nondum ad eam perfectionem gloriæ corporum pervenerunt, quam post mortem et resurrectionem obtinebunt, sed per translationem aliud genus immunitatis ab effectibus et injuriis mortalitatis consecuti sunt, ratione cujus dicuntur candidati æternitatis. Unde subjungit: «Cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis documenta?

12. *D. Hieronymi sententia clarior est.*—Circa Epiphanium non immoror, sed ingenue fateor, ubicumque Enoch aut Eliæ sermonem attigit, solum dicere, eos non esse mortuos, et adhuc vivere, testimonium dantes æternitati, et corporum perpetuæ durationi futuræ; an vero postea venturi sint, vel morituri, non tractat, neque alterutrum definit, ut videri potest contra hæres. 9, et contra hæres. 64, proxime post fragmentum ex Methodio, et in Anchorato, versus finem. Venio ad Hieronymum, cujus clarior est in hac re sententia, nam epistol. 148 ad Marcellam, tractans locum Pauli, 1 ad Thessal. 4, de his «qui rapientur obviam Christo in aera,» ait: «Vis nosse utrum sic occurrant in corporibus, ut non ante moriantur, cum et Dominus noster mortuus sit, et Enoch atque Elias secundum Apocalypsim Joannis morituri esse dicantur, ne, scilicet, ullus sit qui non gusta-

verit mortem.» Et epistol. 61 ad Pammach., contra errores Joan. Hierosol., versus finem, dicit «Eliam et Enoch necdum mortuos, paradisique colonos, habere membra cum quibus rapti sunt, atque translati,» etc. Et licet non declaret quid de illis postea futurum sit, satis indicat non esse translatos ad cœlestem gloriam, sed in paradisum eisdem corporibus et ejusdem qualitatis divinitus conservari. Quod inferius magis declarat, dicens: «Tanto tempore in eadem permanent ætate, qua rapti sunt, et habent dentes et ventrem, et tamen cibis non indigent.»

13. *D. Augustinus aperte pro nobis stat.* — Denique etiam Augustinus diserte suam in hoc puncto sententiam aperuit, et veram fidei doctrinam tradidit, lib. 1 de Peccat. merit. et remiss., cap. 3, ubi cum dixisset, Adam in paradiso fuisse mortalem, licet non esset moriturus si non peccasset, adjungit: «Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch et Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos jam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit.» Latius id tradit idem Augustinus, l. 9 Genes. ad litteram, c. 6, dicens: «Neque arbitrandum est, Eliam vel sic esse jam sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium accepturi sunt, vel sic quemadmodum sunt homines, qui nondum ex hac vita migrarunt, de qua tamen ille non morte, sed translatione migravit.» Et infra dicit idem sentiendum esse de Enoch, et de utroque concludit: «Enoch et Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, et quod tandiu dilatum est, morituri.» Et alia loca infra referemus, quæ profecto si rex vidisset, non asseruisset Hieronymum et Augustinum negasse tantum Enoch et Eliam esse mortuos, non tamen affirmasse esse morituros, utrumque enim disertissime affirmant, et ex generalibus regulis fidei confirmant.

14. *D. Ambrosius in eadem est sententia.* — His Patribus addi potest Ambrosius, nam lib. de Paradis., c. 3, imprimis dicit Enoch mortem non vidisse, idemque de Elia dicit in lib. 1 de Abel, c. 2. Tamen super 1 ad Corinth., c. 4, exponens verba illa: «Puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit.» ait: «Hoc ideo personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones et pressuras ultra cæteros passus, sicut passuri sunt Enoch et Elias, qui ultimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, et muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos persecutionem pati et occidi lectio Apocalypsis testatur.» Idemque fere dixerat 1 Thessal., 5. Quod si quis fortasse his testimoniis non acquiescat, quia non est certum, opus esse Ambrosii, imprimis dicimus negari non posse quin sit alicujus gravis et satis antiqui expositoris. Deinde addimus opus indubitatum Ambrosii, tractat. de Symbol., ubi cap. 23, dicit: «Resurrectionis testes sunt Elias et Enoch, qui per tot annorum curricula, et usque ad secundum Domini adventum Christi in carne perpetuo manebunt.» Ac denique in lib. 4 de Fide, cap. 1, expresse dicit: «Translatus erat Enoch, raptus Elias, sed non est servus supra Dominum, nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Nam et Moysem, licet corpus ejus non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cœlesti legimus, nisi postea quam Dominus resurrectionis suæ pignore vincula solvit inferni, et piorum animas elevavit. Translatus ergo Enoch, raptus Elias, ambo famuli, ambo cum corpore, sed non cum resurrectione, non cum manubiis mortis,» etc., id est, non cum gloria resurgentium, neque cum dotibus gloriæ, quæ sunt quasi spolia mortis et crucis Christi.

15. Magnus item Gregorius, lib. 9 Moral., c. 3, alias 4, sic de Enoch et Elia loquitur: «Hinc est quod duo illi prædicatores eximii dilata morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur. Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra, quorum unum in Evangelio per semetipsum Veritas pollicetur,

Elias venturus est, et restituet omnia,» Matth., 17; et lib. 14, cap. 11, in fine, alias 12, in principio: «Illi» (ait) «qui in prioribus mundi partibus præcesserunt, Enoch et Elias, ad medium revocabuntur, et crudelitatis ejus» (id est Antichristi) sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt,» ubi noto particulam, «adhuc mortali carne,» quia per illam in ea nunc mortali carne vivere significat; et l. 20, c. 25: «Et si ad cœlum raptus est Elias, mortem distulit, non evasit.» Et homilia 29 in Evangel., «Eliam» (ait) «raptum esse in cœlum aereum, ut in secretam quamdam regionem terræ duceretur, ubi in magna carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et carnis debitum solvat. Ille enim mortem distulit, non evasit.» Denique Cyprianus, lib. de Montibus Sina et Sion contra Judæos, non longe ab initio, dicit Enoch translatum esse vivum in locum ubi Deus scit, et in fine mundi ex eo loco venturum esse ad confundendum Antichristum, unde evidenter supponit non esse in gloria, sed vivere potius in carne mortali.

CAPUT XIII

Joannem, per duos testes, Enoch et Eliam intellexisse, conjectura, et Patrum auctoritate ostenditur

1. *Ex eo quod mortui non sunt, venturos obviam Antichristo significatur.* — Ex impugnatione igitur hujus erroris ratio valde urgens colligitur ad persuadendum, illos duos testes futuros esse Enoch et Eliam, etiamsi ad id confirmandum, nullum aliud nobis suppeteret Scripturæ testimonium. Nam si Elias et Enoch non vivunt in gloria, neque habent immortalia corpora, sed divinitus conservantur, tot annis a morte et a corruptione præservati, cur, quæso, tam insigne miraculum et extraordinarium providentiæ genus factum est, nisi quia illorum virorum via

nondum consummata est, et in hac vita aliquod insigne opus illis agendum superest, propter quod a Deo reservantur, et ut pro ipsius honore aliquid in corporibus mortalibus patiantur. Ergo quando alia testimonia deessent, magnum argumentum hinc sumitur, eos reservari ad resistendum maximo Christi hosti Antichristo, et ad subveniendum Judæis et gentibus in summo periculo, et maxime necessitatis tempore, et ad sustinendam pro Christo insignem mortem. Ergo quamvis Joannes Evangelista eos non nominet, satis eos indicat, dum dicit «Dabo duobus testibus meis,» supple, spiritum seu virtutem et «prophetabunt.» In quo modo dicendi innuit illos testes non esse denuo creandos, seu producendos, sed jam existere, et tunc mittendos esse cum spiritu prophetiæ, etc. Merito ergo intelligimus illos testes futuros esse Enoch et Eliam.

2. *Probatur hæc conjectura Patrum traditione.*—Cui conjecturæ accedit communis Patrum traditio. Nam Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Gregorius in locis allegatis expresse id tradunt. Itemque Gregorius, Homil. 1 in Ezechiel., et Ambrosius, Apocalypsim exponens; Augustinus tract. 4 in Joan., specialiter de Elia, et 20 de Civit., cap. 29 de eodem tractans, habet verba notanda, dicens, Eliam ventu rum ante judicium, et per illum Judæos in verum Christu credituros, «celeberrimum esse in cordibus, oribusque fide lium.» Idem de Elia tradit Justinus Martyr, Dialogo contr Tryphon., dicens Eliam in persona futurum præcursorem secun di Christi adventus, sicut spiritualis Elias fuit præcursor prim adventus. Item Dorotheus, in Synopsi de Elia, inquit: «Contr Antichristum dux belli servatur, qui sese illi opponet, et seduc tionem illius, ac superbiam redarguet, qui id a Deo accepit, u secundi, et illustris Domini adventus præcursor futurus sit. Idem late de Elia docet Julian. Pomerian., lib. 1 de Judæis, an medium; et Chrysostomus, Homilia quarta in 2 Thessal.: «Ve niet (inquit) Elias fideles confirmans», et alia prosequitur, qu capite sequenti expendemus. D. Prosper, in Dimid. tempori

cap. 13, de Enoch et Elia exponit locum Apoc. Optime Damascenus, lib. 4 Fidei, c. 27: «Mittentur (ait) Enoch et Elias Thesbites, et patrum corda in filios, hoc est, synagogam ad Dominum nostrum Jesum Christum, et prædicationem Apostolorum convertent; ab eoque trucidabuntur.» Idem tradit Theodoretus, Daniel., 12, et Malac., 4. Denique idem tradunt communiter expositores Apoc., 11, præsertim Andreas Cæsariensis, suo cap. 30, qui dicit plerosque Doctorum per illos testes Eliam et Enoch accepisse, quos ipse sequitur; et ait esse ex traditione præconum Christi in Ecclesia invariabiliter recepta. Consentiunt denique Beda, et Anselmus, et Thomas Anglus, qui nomine D. Thomæ solet circumferri. Pluresque alios Patres capite sequenti addemus.

3. *Regium responsum.* — Ad illos vero omnes unico verbo satis a mente catholica alieno rex Angliæ respondet, dicens: «Quoniam in hunc de Patribus antiquis sermonem incidimus, sinite, quæso, hac occasione obiter vos moneam, mirum non esse si sæpius Patres hic errent, et minus recte multa Apocalypsis mysteria intelligant, propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit; et licet mysterium iniquitatis jam tunc ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat revelatus. In omnibus enim obscuris prophetiis certissima est regula, nunquam eas satis intelligi posse usque dum compleantur (1).» Et inferius verba subjungit acerbissima: «Tantum abest ut huic futili et anili fabulæ credam, ut contra, isto tam erudito sæculo, hoc qui credat (Deum testor) non modo pro magni nominis theologo, sed ne Christiano quidem habeam, quin potius scribis et pharisæis accenseam, qui sic insaniebant, ut quamvis Christus contrarium docuisset, semper tamen venturum esse Eliam somniarent. Veteribus autem Theologis, si qui in hac parte erraverint, æquior sum, propter rationem quam supra

(1) Præf., pag. 38.

memoravi.» Hæc sunt verba regis, a quo juste expostulare possumus ut talium verborum pondus, rationem, constantiam e veritatem expendamus.

4. *Regis dicta sigillatim expenduntur.*—Imprimis enim quoc tot et tam insignes Patres reprehendere audeat, sponsioni priu ab ipso factæ parum est consentaneum. Deinde quamvis pro phetia nondum impleta obscura esse soleat, quoad varias cir cumstantias, et quoad ea quæ solum per ænigmata et meta phoras prædicuntur, nihilominus in his quæ ad substantiam prophetiæ spectant, et quæ per verba propria revelantur, no solet ita esse obscura, quin saltem toti Ecclesiæ et sapientibu Doctoribus ejus nota sit. Quis enim diceret prophetias de Chris to venturo, antequam implerentur, non fuisse a sapientibu populi Dei intellectas, saltem quoad substantiam articuli d Messia venturo, et insigni Propheta futuro? Et quoad alias cir cumstantias expresse et verbis propriis prædictas, ut quod nas citurus esset in Bethleem ex Virgine, et similes? Sic ergo i præsenti dicimus, esto liber Apocalypsis sit obsignatus et obs curus quoad multa in eo revelata, dum non implentur, nihilo minus aliqua esse satis clare prædicta in propriis verbis, i quibus exponendis communis Patrum consensus non errat. Ali vero licet sint obscura, ex consonantia et collatione cum alii prophetiis clarioribus illustrantur, et in his etiam exponendi non errant Patres, quando communi consensu eumdem sensun ut certum dogma ecclesiasticum, tradunt. Quando enim pro phetia adeo est obscura et unica, ut dici possit consignata etiam ipsi Patres non tradunt suas expositiones ut certas, sc conjecturis utuntur, et ideo in eis regulariter non concordan In præsenti autem satis clara est prophetia Apocalypsis de duc bus testibus saltem in genere, quod sint futuri homines et Pro phetæ, ut capite præcedenti ostensum est; ex aliis vero Scrip turis et omnium concordia concludunt Patres fere unanim consensu, et magna asseveratione et certitudine, illos test futuros esse Enoch et Eliam; ergo sine ingenti audacia (ne qui gravius dicam) dici non potest eos in hac parte errasse.

5. *Impletam esse hanc prophetiam Rex sine fundamento supponit.* — Præterea ratio seu excusatio regis errorem deteriorem supponit; dicit enim latuisse Patres intelligentiam illius prophetiæ, quia nondum erat impleta; supponitur autem impleta, quia Papa est Antichristus, et quia vel duo Testamenta ab Ecclesia Romana corrupta, vel quia Lutherus, Calvinus, aut similes Apostatæ sunt illi duo testes promissi. Quam suppositionem neque rex probat, nec probare potest, quia neque vestigium, neque umbram veritatis habet, sed Protestantium calumniam et imposturam, ut ex hactenus dictis evidenter constat, et in sequenti magis illustrabitur et confirmabitur.

6. *In præfat., pag.* 63 *et* 129.—Ad hæc, si regi jam est liber ille reseratus, quomodo in conjecturis semper versatur, dum illum conatur exponere, totamque de Antichristo disputationem ita obscuram et involutam esse tradit ut neminem ad credendum cogat, imo et opinionem suam solum conjecturam appellat? Profecto postquam de sensu prophetiæ ex eventu, et quia impleta jam est, constat, non est amplius ambiguum vel conjecturale quod per eam fuerat prædictum, nec sola opinione sed certa fide credendum est. Quod si forte dicat se non certa fide credere, prophetiam illam Joannis de Antichristo esse impletam, sed hoc ipsum solum conjectura quadam opinari, ac subinde totam expositionem suam esse tantum conjecturalem, profecto si ita respondeat, convincitur imprimis, immerito affirmare, librum illum his temporibus jam esse reseratum, vel esse revelatum hominem peccati, ac prophetiam de illo ita impletam, ut satis jam intelligi possit. Nam quod humana conjectura affirmatur, nec revelatum est, nec satis intellectum. Unde majori certe ratione conjectare, imo et conspicere ac dicere possumus errare regem, dum putat se intelligere hujus libri mysteria, quæ Patres assequi non potuerunt, ut ipse ait.

7. Denique interrogo, cur pro Christiano non habeat, eum qui prædictam de Enoch et Elia sententiam credit. Nam si ipse in tota sua disputatione solis conjecturis ducitur, numquid

Christianus non est, qui conjecturis et somniis Protestantium seducentium regem Angliæ, non credit? Dicet ideo non esse illum Christianum habendum, quia non credit Christo dicenti Eliam jam venisse, et ideo cum Judæis adhuc sperat venturum; hoc enim in verbis suis rex significat. At profecto jam Christus suum de Elia testimonium dederat ab initio Ecclesiæ, et nihilominus Patres constanter sententiam illam de Enoch et Elia docuerunt; ergo si consequenter loquatur, necesse est, ut omnes illos Patres pro Christianis non habeat, quia quamvis (ut vult) Apocalypsim non intelligerent, saltem verbis Christi fidem adhibere debuerunt. Quod si illis licuit sine amissione Christianitatis, Christi verba, aliter quam rex illa interpretatur intelligere, cur etiam nobis non licebit cum Patribus potius quam cum Rege de sensu verborum Christi sentire, eisque fidem adhibere? Concludimus ergo, non solum salva Christianitate, verum etiam secundum sanam fidem hominis Christiani, et secundum veram et gravem Theologiam credendum, speranduque esse, Eliam esse venturum: quod ut planius fiat verba Christi et prophetarum in capite sequenti diligentius expendemus.

8. *Fundamento regis satisfit.*—Prius vero necesse est regi fundamento satisfacere, quod supponit Enoch et Eliam habere jam glorificata corpora, et ideo ingenue fatetur, «captum suum superare, qui possit cum Theologia vel ratione consistere, ut cœlo descendant, prædicent et pugnent, contra Antichristum interficiantur ab eo, postea quam per multa annorum millia exempti fuerunt a maledictione mortis.» Confirmat hoc dilemmate supra facto, quia vel sunt in cœlo, vel in paradiso, et utrumque impugnat. Denique addit, «cum eorum corpora tam diu fuerunt a peccato libera, non indigere maceratione, ac subinde non esse cur oporteat saccis apparere induta.» Sed imprimis nostra parum refert, quod sententiam catholicam captum suum superare affirmet, id enim certe non tam ex mysterii altitudine vel rei difficultate, quam vel ex præconcepto errore

vel ex Theologiæ defectu nascitur. Apprehendit enim corpora Eliæ et Enoch esse jam glorificata, et ideo non capit quod sint iterum ad prædicandum, pugnandum et moriendum ventura. Deponat igitur errorem illum, et facile cætera capiet. Addo vero, etiam glorificata corpora posse Deum ad statum mortalitatis revocare, et omnia prædicta eis agenda vel patienda committere; sicut potuit Paulum usque ad tertium cœlum rapere, vel (ut graves Doctores affirmant) usque ad visionem divinæ essentiæ elevare, et postea ad communem statum viatorum reducere. Verumtamen non est nunc nobis illud miraculum necessarium, quia certum nobis est illa corpora non esse glorificata. Cur enim hoc rex non credit? ex eo forte, «quod per multa annorum millia exempti fuerunt Enoch et Elias a maledictione mortis, cui per naturam omnes subjacent.» Sed hoc nullius momenti est, facile enim est Deo corpus mortale a morte præservare quanto voluerit tempore sine dotibus gloriæ, sicut, Adamo non peccante, omnibus in statu innocentiæ datum esset. Quibus Augustinus, locis supra citatis, Enoch et Eliam comparat, recte distinguens inter corpus immortale, quod non potest mori, et corpus mortale, quod licet mori possit, per specialem Dei providentiam aut operationem diu non moritur. De Enoch autem et Elia nunquam Scriptura dixit non posse mori, sed hactenus non esse mortuos; cur ergo rex non capit fieri posse et futurum esse, ut aliquando inter homines redeant et moriantur?

9. *Curiosum magis est quam utile, scire velle ubi sint Enoch et Elias.*—Cum autem interrogat ubinam sint, respondemus primo cum Patribus, quæstionem esse curiosam magis quam necessariam ad cætera fidei vel Theologiæ dogmata capienda et defendenda. Ubi enim Deus voluit, illa potuit conservare, et ubicumque sint, inde poterit illa huic inferiori mundo restituere. Sic Augustinus, lib. 2 de Peccat. origin., c. 23, inter quæstiones quæ salva fide tractantur, et in quibus vel conjectura, utimur, vel judicium propter ignorationem suspendimus, ponit

hanc: «Ubi sint nunc Elias et Enoch, quos tamen» (ait) «non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere»; Chrysostomus etiam, Homil. 21 in Genes., de Enoch ait: «Si quis curiose interroget, et dicat: Quo ipsum transtulit? discat non convenire humanis mentibus, curiosius ea, quæ a Deo fiunt, explorare», etc. Et similia habet, homilia 22 ad Hebræos, in fine litteræ. Deinde dicimus fortasse translatos esse in aliquem cœlestem locum, ubi ab elementorum immutationibus et impressionibus immunes sint, etiam si usque ad empyreum cœlum, quod glorificatorum corporum propria sedes censetur, non sint perducti. Verba enim Scripturæ ab hoc dicendi modo non dissonant, neque res ipsa magnam difficultatem vel admirationem habet. Quod enim rex quasi irridendo et tanquam absurdum infert quod futuri sint, «viridariorum more ultro citroque cœlum inter et terram cursitantes», frivolum est et risu dignum. Nam si Angeli quotidie ascendunt et descendunt in cœlum propter salutem hominum, si Christus ipse postquam semel ascendit, iterum descensurus est ad judicandum, et rursus ascensurus ad regnandum, quid mirum quod duo homines, electi a Deo ad extraordinarium opus et ministerium, translati semel fuerint, et iterum revertantur ad suum cursum ac ministerium implendum ac tandem in cœlum redeant consummati?

10. *Probabilius est illos in terrestri paradiso agere.*—Denique probabilius censemus esse in paradiso terrestri, in qua Adam fuit conditus, ut dixit Athanasius, in epistola pro Synodo Nicæn., circa principium, et de Enoch significatur in libro Sapientiæ, ut in capite sequenti videbimus, ubi hoc etiam magis confirmabimus. Nec repugnat, quod de Elia scriptum est, visum esse in cœlum ferri, nam, ut recte dixit Gregorius, homil. 29 in Evangel., de cœlo aereo, non de æthereo id intelligendum est. Quod autem rex dicit, «blasphemum esse credere, ex quo Adam ab illo paradiso ejectus est, aliquem ex Adami posteris illuc pervenisse», si intelligeretur de eo qui diceret, aliquem propria virtute, industria aut labore posse illuc pertingere

aut ingredi, recte dictum esset. Si autem intelligatur de illo qui divinæ virtuti, ac dono, seu dispensationi hoc tribuit, non solum sine fundamento dictum est, verum etiam cum illa censura, non dissimili censura dignum est, quia est contra Sanctorum Patrum sententiam, cui sacra Scriptura multum favet, ut statim dicam Quod autem ad hoc impugnandum ulterius rex interrogat, ubi sit ille paradisus, ad quæstiones adiaphoras pertinet, ut supra etiam dixit Augustinus, et quidquid in ea sentiatur, parum ad causam præsentem refert.

11. *Paradisum terrestrem eversum non fuisse probabilius est.* —Denique quod adjungit, «paradisum terrestrem haud dubie deletum esse, si exaggerationem illam, «haud dubie», abstulisset, tolerabile esset, quia non desunt graves auctores qui ita sentiunt, et quia non est illa sententia damnabilis, cum non sit aperte contra Scripturas, vel communem traditionem, aut Ecclesiæ sensum. Quod autem «haud dubie» ita sit, sine fundamento dicitur, quia nullum potest rex ostendere Scripturæ locum, quo dubitationem omnem illius assertionis auferat. Quin potius longe probabilius est paradisum non esse deletum per aquam diluvii, sed usque nunc in sua amœnitate et pulchritudine conservari, ibique Eliam et Enoch in quadam vitæ felicitate vivere, ut eam recte describit Bernardus, serm. 3 et 6, de Ascens. Domini. Et Augustinus, dicto cap. 23 de Peccat. origin., dixit curiose quidem inquiri, «qualis vel ubi sit paradisus, ubi Deus constituit hominem, quem formavit ex pulvere, cum tamen esse illum paradisum, fides Christiana non dubitet.» Ubi non tantum dicit fuisse, sed «esse.» Verumtamen de hac quæstione alibi pro captu meo disputavi, et ideo illam omitto, et quia præsens controversia ab illa non pendet. Nam, licet paradisus ille fuisset per diluvium deletus potuisset Deus vel alibi locum statui illorum duorum prophetarum convenientem præparare, vel illummet locum aut partem ejus ad pristinum statum, vel saltem ad amœnitatem illis hominibus convenientem resti-

tuere. Ac denique quamvis ibi nunc illi testes feliciter et sine pec cato vivent, venient nihilominus saccis vestiti, non ut pro præ teritis peccatis satisfaciant, neque fortasse quia illa macerationc carnis ad alia vitanda indigebunt, sed propter exemplum homi num tunc viventium, ut luctum et mœstitiam (ut Athanasiu inquit) ostendant.

CAPUT XIV

Utrum ex aliis Scripturæ locis ostendi possit Eliam et Enoc futuros esse secundi Christi adventus præcursores, et teste contra Antichristum.

1. *Multa alia Scripturæ loca significant duos illos testes fore Enoch et Eliam.*—Rex Jacobus in sua Præfatione (1) fidente affirmat, «verbum nullum in Scripturis reperiri, quod innuat ve Enochum et Eliam redituros esse, et cum Antichristo dimicatu ros, in eoque conflictu occidendos, aut quidquam simile passu ros.» Ut autem hoc ostendat, discurrit per ea Scripturæ loca quibus non solum Bellarminus, quem ipse tantum accusat, se etiam antiquissimi Patres et Catholici omnes solent dogma illu confirmare; et omnibus respondere aggreditur, imo et «ma fide agere», qui dicta loca illo modo interpretantur, conatu evincere. Nos vero, Catholicorum sententiam sequentes, asse rimus multa esse in Scriptura testimonia, quibus verum illu dogma ita confirmatur, ut licet per se certam fidem divinam no faciant, nihilominus ita prædictam veritatem comprobant, t sine formidine prudenter credi possit, præsertim acceden consensu antiquorum Patrum, et omnium fere expositorum in terpretatione. Et quoniam de loco Apocalypsis satis jam dix

(1) Pag. 77.

mus, nunc per cætera discurremus. Et quia illa, quæ de Elia loquuntur, clariora sunt, prius de Elia, postea de Enocho dicemus.

2. *Id imprimis ostenditur de Elia.*—Dicimus ergo primo Eliam venturum esse, ut sit præcursor secundi Christi adventus, et ut reliquias Israel ad Christum convertat, et ab Antichristo avertat, et sic contra Antichristum pugnet. Hæc assertio imprimis probatur ex verbis Malachiæ, cap. 4: «Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.» Quæ verba de vero Elia in persona, et de missione illius ante diem judicii finalis, et prope illum fere communi consensu antiqui Patres intellexerunt, Chrysostomus, Homil. 58 in Matth., et 4 in 2 ad Thessal.; Theodoret., orat. 10 in Dan., in fine, circa cap. 12; Ambros., 1 Corinthior., 4, in id: «Puto enim quod Deus», etc.; Augustin., 20 de Civitat., c. 29; Gregorius, 9 Moral., c. 4; Prosper, in Dimid. temporis, c. 13; Damascenus, lib. 4 de Fide, c. 28; Isidorus, lib. de Vita et morib. Sanctor., c. 35; et Julian. Pomer., lib. 1 contra Judæos, ante medium. Item expositores in eumdem locum, præsertim Cyrillus, Theodoretus; et in loca Matth., 11 et 17, præsertim Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Anselmus, et D. Thomas; et in Apocalyps., 11, præsertim Aretas, dicens: «Et certe quod Elias venturus sit, manifestum est, quoniam Scriptura hoc prædixit, quæ per Malachiam vaticinatur: Ecce ego mittam vobis Eliam.

3. *Rex Jacobus Malachiam de primo adventu et Joanne Baptista interpretatur.*—His vero non obstantibus, rex Angliæ interpretationem hanc non solum judicat esse falsam, sed etiam judaicam fabulam, ac subinde hæresim, quam qui credit, Christianum esse non putat, quia verbis Christi contradicit. Ait ergo Malachiam non loqui de Elia in persona, sed in spiritu, nec de secundo Christi adventu, sed de primo, cujus diem «magnam et horribilem» vocat propter diem passionis et mortis Domini, ac

proinde prophetiam illam in Joanne Baptista fuisse completam. Quod totum probat testimonio Christi, Matth., 11, ubi cum multa de Joanne dixisset, adjungit: «Omnes Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt, et si vultis recipere ipse est Elias, qui venturus est.» Quid clarius? Et addit c. 17, cum discipuli ipsum interrogassent: «Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire?» Respondens ait: «Elias quidem venturus est, et restituet omnia: dico autem vobis quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum.» Et subdit Evangelista: «Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.» Et similia fere habet Marc., cap. ultim., quæ postea ponderabimus. Et pro hac sua sententia solum quemdam Bibliandrum hæreticum allegat. Posset vero Hieronymum etiam adducere, qui non solum Joannem Baptistam, sed omnem chorum Prophetarum Christo testimonium perhibentium nomine Eliæ ibi significari intelligit, et addit, Christum in Evangelio in Elia Joannem intellexisse; et Rupertus ibi dubius esse videtur de sensu Malachiæ, quamvis simul dicat plures Doctores, «quibus omnes» (ait) «fere consentimus», credere Eliam ad litteram esse venturum, et omnia restituturum.

4. *Malachias in sensu proprio de secundo Christi adventu loquitur.*—Sed adverto aliud esse loqui de primario sensu litterali, et maxime proprio Malachiæ, aliud de sensu, vel secundario vel mystico et spirituali. Dico ergo negari non posse quin Propheta ad litteram, et in sensu maxime proprio, et nomini consentaneo, loquatur de secundo Christi adventu, et de propria persona Eliæ. Probatur primo, quia a principio capitis aperte loquitur Malachias de die judicii, de illa enim ait: «Ecce die veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipulæ, et inflammabit eos dies veniens», etc. Quæ verba manifeste indicant sermonem esse de die iræ, et vindictæ divinæ, ante quam præcedet ignis omnia comburens, quæ propriissime conveniunt in diem judicii, in diem autem vel tempus primi adventus Christi, nullo modo. E

in toto contextu sequenti idem sensus comprobatur. Et ita in hoc nec Hebræi, nec catholici expositores vel Patres discordant. Ergo cum postea dicit: «Antequam veniat dies domini magnus et horribilis», de eodem die judicii loquitur, qui erit «magnus justis, et horribilis peccatoribus» (ut ait Hieronymus), nam et contextus et litteræ consecutio hoc postulat, et proprietas verborum id satis indicat, et consonant verba Joel., 2. Nam sicut dixit Malachias: «Mittam Eliam antequam veniat dies magnus et horribilis», ita Joel postquam late depinxisset præcedentia ad diem judicii, dicens: «Ante faciem ejus ignis volans, sol et luna obtenebrati sunt, Dominus dedit vocem suam», et similia, concludit: «Magnus enim dies Domini, et terribilis valde»; ergo dies illa magna et horribilis in utroque loco est dies judicii. Quam etiam «magnam» appellat Sophon., cap. 1, et horribilitatem ejus egregie describit, dicens: «Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, dies tribulationis, et angustiæ», etc. Similiter eumdem diem vocat «magnum et iræ», Joannes, Apocalyp., 6. Non ergo accommodantur recte verba Malachiæ diei passionis Christi, nec invenietur antiquus expositor vel Sanctus, qui ita intellexerit. Et specialiter notavit Chrysostomus, homilia 58 in Matth., ponderans ultima verba Malachiæ: «Ne forte veniens percutiam terram anathemate», quæ non primo adventui Christi, sed secundo recte accommodantur.

5. *Malachias litteraliter loquitur de Elia, secundi adventus præcursore.*—Secundo hinc fit ibi etiam Malachiam proprie et ad litteram loqui de Elia, et prædicere illum esse futurum secundi adventus Christi præcursorem. Quod magis confirmant Septuaginta interpretes: «Ecce ego mittam Eliam Thesbitem», ut habetur in versione Hieronymi, et in Latina nuper correcta, et legunt Cyrill. et Theod. in Michæam, et Tertullianus, lib. de Anima, c. 35; Aug., Euth., Arethas supra; et Chrysost., Homil. 38 et 58 in Matth. Qui notat, additam nomini Eliæ fuisse circumstantiam patriæ ut tolleretur ambiguitas, et notaretur sermonem esse de propria persona Eliæ.

6. *Clarius id insinuatur in libro Ecclesiastici.— Hunc locum Protestantes cum ratione non possint, conviciis dissolvunt.—De eodem Elia omnia hæc ab Ecclesiastici auctore prædicta sunt.—* Tertio idem comprobatur ex verbis Ecclesiastici, 48, ubi a principio capitis de Elia propheta loquitur Sapiens, ejusque insignem sanctitatem, magna prodigia, et signa mirabilia, singularemque translationem describit et postea subjungit: «Qui scriptus es in judiciis temporum, lenire iram Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.» Ubi, quæso, scriptus est in hunc modum Elias, nisi apud Malachiam? ergo de eodem Elia Malachias loquitur, de quo Sapiens, ac subinde de propria persona Eliæ. Ad quæ verba respondet rex Angliæ, cum constet Ecclesiasticum alludere ad verba Malachiæ, Christum, interpretando Malachiam, etiam Jesum Sirach exposuisse: «Neque dedecori est (ait) huic mortali Jesu explicari ab immortali veroque Jesu, licet ad pudorem et confusionem hæreseos Jesuitarum.» Similiaque convicia libere proferunt Protestantes, quando nec probabilia nec verisimilia facere possunt, quæ dicunt. Quis enim legens caput illud Ecclesiastici, sibi persuadeat non loqui a principio de vero Elia? Sumpserat enim ille Jesus onus laudandi viros gloriosos parentes suos, ut dixerat c. 44, et incipiens ab Enoch, per Noe, Abraham, Isaac, Jacob, et cæteros Prophetas, pervenit ad Salomonem, in fine cap. 47, et postea incipit in 48: «Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat, qui induxit in illos famem», etc. «Et dejecit de cœlo ignem ter», et alia, quæ historice aperte refert usque ad illud: «Elias quidem in turbine tectus est, et in Eliseo completus est spiritus ejus.» Et postea de Eliseo sermonem prosequitur. In medio autem illius enarrationis de Elia interponit illa verba, «Qui scriptus es in judiciis», etc. Qui ergo verisimile est, relativum «qui», non referre personam propriam illius Eliæ, de quo in antecedentibus et sequentibus sermo texebatur? aut quis talem interpretationem Christo imponat? Præsertim cum eodem locutionis genere illi dicatur: «Qui sus

tulisti mortuum ab inferis, Qui dejecisti reges, Qui audis in Sina judicium, Qui ungis reges, Qui receptus es in turbine ignis», et statim : «Qui scriptus es.»

7. *Regis expositio confutatur.*—Suspicor sane, sub verbo «explicandi» intellexisse regem verbum «emendandi», vel «corrigendi», et ideo dixisse, non fuisse dedecori Jesu mortali «exponi», id est, «corrigi» et «emendari» a Jesu immortali, sentiens Jesum mortalem non recte intellexisse verba Malachiæ, et ideo aliter quam ipse senserit, explicatum esse a Jesu immortali. Cum enim rex sentiat, illum librum non esse canonicum, facile in illo admittet aliquid quod emendari potuerit. Sed licet hoc non esset dedecori homini mortali a se loquenti, fuisset tamen dedecori Spiritui Sancto, qui per illum loquebatur, ut vera fides docet, illum librum ut canonicum nobis proponens. Talis ergo interpretatio regia non potest Jesuitis esse pudori, rex videat an ipsi sit honori. Neque per illam aliqua hæresis confutatur, quæ per Dei gratiam hactenus in Jesuitis cum veritate notari potuerit, sed potius interpretatio illa hæresim involvere convincitur, quia vel male sentit de libro Ecclesiastici, vel certe non interpretationem, sed corruptionem verborum ejus Christo attribuit.

8. *De duplici Elia, altero vero, altero mystico, Christus loquitur.*—Quarto, Malachiam de persona Eliæ fuisse locutum, probamus ex ipsis Christi verbis, Matth., 17, ubi interrogantibus discipulis quid esset quod Scribæ dicebant, oportere Eliam venire primum, id est, ante adventum Messiæ, respondit Christus dando primum : «Elias quidem venturus est, et restituet omnia.» Deinde vero addit secundum, scilicet: «Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt, sic et Filius hominis passurus est ab eis.» Ex quo contextu imprimis colligo, Christum de duplici Elia esse locutum, nam de uno ait «esse venturum», de alio vero dicit «jam venisse»; de primo item dicit quod «restituet omnia», de altero vero non hoc dicit, sed potius esse

male tractatum, et quasi contemptum a Judæis, quia illi non crediderunt, et «fecerunt in eum quæcumque voluerunt» Denique tacite indicat duplicem suum adventum, unum in quo passurus fuit a Judæis, ante quem venit spiritualis Elias de quo proximo loco sermonem fecerat; alium, in quo non ad patiendum, sed ad complendum omnia veniet, ante quem venturus est proprius Elias, de quo propterea prædixit, quod «restituet omnia.» Juxta quem sensum summa seu paraphrasis responsionis Christi est: Verum quidem est Eliam verum et proprium esse venturum, non tamen modo, sed eo tempore quo restituenda sunt et complenda omnia: dico autem vobis esse alium spiritualem Eliam, qui jam venit tanquam præcursor istius mei adventus, in quo veni ad patiendum pro hominibus, a quibus ipse etiam male et infideliter tractatus est.

9. *Vulgarem de Elia venturo opinionem Christus non improbavit.*—Hunc autem esse verum et litteralem sensum verborum Christi, ostendo primo, quia est simplicissimus, et valde consentaneus verborum contextui et proprietati, quæ servanda est, nisi ubi clara fuerit metaphora, et ita hic sit. Nam in priori sententia, et nomen Eliæ, et futurum verbum «veniet», proprie intelligitur, idemque de verbo «restituendi omnia», statim explicabimus. In altera vero parte, nomen Eliæ spiritualiter exponitur, quia Christus ipse tam aperte illud declaravit, ut discipuli sensum intellexerint, alia vero verba omnia in sua proprietate retinentur. Accedit quod in prioribus verbis aperte Christus annuit sententiæ scribarum, quæ in illo populo erat vulgaris et receptissima, et tanquam vera illam approbat, nimirum, Eliam Prophetam esse venturum. Neque unquam significavit deceptos fuisse, qui de vero Propheta Elia prophetiam illam intelligebant. Postea vero, quasi addens mysterium novum non destruens prophetiæ litteram et veritatem, sed illam elevans ad spiritualem sensum, addit: «Dico autem vobis, jam venit, et non cognoverunt eum.» Cum ergo hic sit planus sensus, sine causa laborat rex Angliæ, ut illum evertat, dicendo

Christum in priori parte usum esse verbo futuro «veniet», non affirmando, sed referendo quod Propheta dixerat, et postea addidisse præteritum «venit», ut explicaret prophetiam, et doceret, jam esse impletam. Sed profecto magnam vim facit illis verbis: «At ille respondens ait: Elias quidem venturus est», nam hæc non sunt verba referentis, sed affirmantis et consentientis Nec discipuli dubitabant an Propheta id dixisset, sed an futurum esset; ipse autem respondit ita quidem futurum esse, et nihilominus addit, alio spirituali modo Eliam jam venisse. Sicut enim Paulus, 2 ad Thessalon., 2, de Antichristo dixit: «Mysterium jam operatur iniquitatis», et de eodem subdit: «Et tunc revelabitur», ita intelligere possumus dixisse Christum, Eliam in mysterio jam venisse, in persona vero adhuc esse venturum. Et hoc magis declaravit Marcus, c. 9, ubi prius refert dixisse Christum: «Elias cum venerit primo, restituet omnia.» Et infra subjungit: «Sed dico vobis, quod et Elias venit», ubi priora verba clarissime affirmando dicta sunt, et non referendo, et in posterioribus particula «et», unius Eliæ ab alio, et duplicis etiam adventus distinctionem denotat.

10. *Joannes Baptista non restituit omnia, cum paucos converterit. — Elias primo adventu paucos, secundo plurimos convertet.* — Secundo confirmatur dicta expositio, quia optime concordat cum aliis Scripturæ locis, in quibus de proprio Elia venturo, et de spirituali Elia, qui jam venit, sermo est. Nam ubi est sermo de Elia proprio venturo, de illo dicitur, vel quod «convertet homines ad Deum,» vel quod «placabit iram Dei,» et sic etiam illi tribuit Christus quod «restituet omnia,» quo verbo, omnia, quæ aliis verbis Malachias et Ecclesiasticus dixerunt, complexus est. Nec possunt illa verba Joanni Baptistæ recte accommodari, cum sua prædicatione parum Judæis profecerit. Quod enim Calvinistæ respondent, restituisse omnia, quia prædicavit Christum, qui omnia restituit, frivolum et valde extorum est. Tum quia verbum «restituet omnia,» significat efficaciam et effectum prædicationis ipsiusmet Eliæ futurum eodem

tempore, et per ipsum, ut aperte constat ex proprietate verborum. Tum etiam quia alias quilibet Christi prædicator dicetur restituere omnia, etiam si prædicatione sua nihil proficiat, quod ridiculum est. Tum denique quia cum Malachias dicit de Elia: «Et convertet corda patrum ad filios,» non potest exponi, id est, prædicabit eum, qui convertet; imo nec recte exponemus dicendo, Ita prædicabit ut ad convertendum sufficiat; sed sensus planus est. Convertet efficaciter, seu ita prædicabit ut convertat; hæc enim est vis verbi, et hoc declarant verba Dei per eumdem prophetam subjuncta: «Ne forte veniam et percutiam terram anathemate.» Ita ergo dixit Christus, «restituet omnia,» quia cum Judæi priori Eliæ non crediderint, et a vero Christo discesserint in ejus primo adventu, per alterum Eliam Christo restituentur, juxta illud Isai., 10, et Pauli ad Roman., 9: «Si fuerit numerus Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.» Altera vero pars de spirituali Elia consonat verbis ejusdem Christi, Matth., 11: «Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est,» id est, Joannes Baptista, et ut intelligeretur loqui de Elia in spirituali sensu, præmisit: «Si vultis recipere, ipse est Elias,» id est, ipse vobiscum exercebit Eliæ ministerium, quod erit convertere homines, præsertim Judæos, ad Christum. Quia vero sine consensu illorum perfici non poterat, ideo dixit, «si vultis,» ut Chrysostom. et Theophylact. notarunt. Et Hieronymus: «Hoc» (inquit) «quod dictum est: Si vultis recipere, ipse est Elias, mysticum esse et indigere intelligentia sequens sermo Domini demonstrat, dicens: Qui habet aures audiendi audiat,» id est, qui valet intelligere attendat, et altiorem sensum verborum percipiat. Nam sicut Angelus de Joanne prædixerat, Lucæ, 1, venturum esse «in spiritu et virtute Eliæ,» ita in præsenti dicitur esse Elias.

11. *Joannes Elias tropice dicitur a veri Eliæ similitudine.* Tertio ipsa metaphora, qua nomen Eliæ Joanni attributum est, indicat de propria persona illius Prophetæ, cui nomen illi prius impositum est, prædictum fuisse, mittendum fore præcu-

sorem alicujus adventus Christi, et prædicaturum Judæis ut convertantur ad Christum, nam quia in hoc munere Joannes assimilatus est vero Eliæ, ideo ipse Elias nominatus est, tanquam venturus in spiritu et virtute Eliæ. Sicut declaravit idem Lucas, c. 1, addendo: «Ut convertat corda patrum in filios,» alludens ad locum Malachiæ, ut ex verbis ipsis constat, et notavit præter expositores ibi, Augustinus, tract. 4 in Joannem, dicens, Joannem dictum esse in spiritu Eliam, quia hoc fuit in primo adventu, quod Elias erit in secundo. Idem Gregorius, homil. 7 in Evang.; ipsa ergo metaphora Eliæ, Joanni attributa, indicat priorem prophetiam ad litteram esse prædictam de proprio Elia. Quod ita etiam confirmatur, nam cum Angelus ait: «Veniet in spiritu et virtute Eliæ,» aperte distinguit Eliam a Joanne; ergo supponit proprium Eliam «venturum in spiritu et virtute, ut convertat corda patrum in filios,» etc., ac subinde supponit de illo Elia, distincto a Joanne, prius fuisse similia verba prædicta. Quocirca licet daremus verba Malachiæ interdum afferri de Joanne Baptista, quasi in eis fuerit prædictus, intelligendum id esset in sensu spirituali, fortasse etiam a Spiritu Sancto intento, non tamen est excludendus proprius litteralis sensus, qui multis aliis modis evidenter comprobatur. Sicut quando Joannes de Christo adducit verba illa: «Os non comminuetis ex eo,» non excluditur proprius litteralis sensus, quo significatur in typo id ad litteram servatum esse, ut observavit Augustinus, tractat. 120 in Joannem, et Chrysost., homil. 84. Ita ergo licet verba Malachiæ Joanni in spirituali sensu accommodentur, ad litteram servanda est proprietas. Nam de Joanne ad litteram prædictum fuerat per eumdem Malachiam, cap. 3: «Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.» Quæ verba prius retulit Christus, Matth., 3, tanquam proprie de illo dicta, unde præmittit: Hic est enim de quo scriptum est, etc.; postea vero longe aliter inducit locum Malachiæ, vel potius ad illum alludit per attributionem, vel in spirituali sensu ad Joannem verba accommodat.

12. *Auctoritate Patrum sententia catholica constabilitur.*— Ultimo auctoritate Patrum hæc expositio verborum Domini comprobatur. Hieronymus enim, Matth., 11, dicit Joannem mystice vocatum esse Eliam propter similitudinem, et addit, quod sicut Elias futurus est præcursor secundi adventus Christi juxta Malachiam, ita Joannes fuit præcursor primi. Quamvis enim ibi solum hanc referat, ut aliorum sententiam, ultimo tamen loco eam ponit, et tacite approbat; Matthæi vero 17, supponit ut veram traditionem Hebræorum de vero Elia venturo præcursore secundi adventus, et postea sic exponit verba Christi: «Ipse, qui venturus est in secundo Salvatoris adventu juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in veritate et spiritu.» Et Augustinus, lib. 83 Quæstion., quæst. 58: «In secundo» (ait) «adventu in claritate Dominus venturus est, cujus adventus præcursor speratur Elias, sicut primi Joannes fuit, et ideo dicitur a Domino: Elias jam venit, et multa ei homines fecerunt; et si vultis scire, ipse est Joannes Baptista, qui venturus est. Quia in eodem spiritu, et in eadem virtute, et tanquam præcedentis præconis officio, et hic jam venit, et ille venturus est.» Ubi clarissime exponit, Christum locutum esse de duplici Elia vero et mystico. Et lib. 1 Quæst. Evang., quæst. 21, de vero Elia intelligit illa Domini verba: «Elias quidem venturus est; et quod additur: «Et restituet omnia,» exponit: «Vel eos, quos Antichristi persecutio conturbaverit; vel ipse restituet morienda quæ debet.» Idem tract. 4 in Joann., ut supra retuli. Et similiter Ambrosius, lib. 1 in Luc., circa illa verba: «Et præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ» (1), inter alias rationes et similitudines ponit, «quia hic prioris, ille sequentis Domini præcursor adventus.» Et lib. 2 de Virginibus, in principio, dicit, «Eliam, qui virgo fuit, ideo raptum esse in cœlum, et Dominici,» ait, «venturus est præcursor adventus.» Gregor. etiam

(1) Luc , 1.

lib. 35 Moral., cap. 9, alias 6, de vero Elia intelligit; quomodo autem restituet omnia, declarat, dicens: «Nunc enim amisit Israelitas Ecclesia, quos convertere prædicando non valuit, sed tunc Elia prædicante, dum quotquot invenerit, colligit, velut plenius recipit quod amisit.» Et eodem modo intellexit verba Christi idem Gregor., lib. 20 Moral., c. 25, et hom. 12 in Ezech.

13. *Patrum Græcorum dicta proponuntur.* — Præterea Origenes, tractat. 3 in Matth., post interrogationem Apostolorum: «Quid ergo dicunt Scribæ, quod Elias oportet venire primum?» addit: «Ad hoc respondit Jesus, non reprobans quidem, quæ a Scribis tradita fuerant de Elia, sed alium Eliæ adventum ante se denotat factum, quem ignoraverant Scribæ.» Et ita statim exponit sequentia verba Christi de duplici Elia in persona et in spiritu, quorum alter venturus est, alter jam venit. Unde optime Chrysostomus, homil. 38 in Matth., 11: «Significavit» (inquit) «Christus Joannem, utrique enim unam administrationem susceperunt, et præcursores ambo constituti sunt. Quapropter non dixit: Hic est profecto Elias, sed, Si vultis suscipere, hic est,» et cætera quæ eleganter prosequitur, tum ibi, tum latius, et melius hom. 58, ubi exponit verba Christi: «Elias venturus est,» de Elia Thesbite, de quo etiam locutus fuerat Malachias. Et hom. 4 in 2 ad Thessalon., similiter declarat, Joannem dictum esse Eliam propter ministerium præcursoris, in quo vero Eliæ similis fuit. Et Theophyl., Matth., 17, exponens verba Christi, ait: «Dicendo quod Elias quidem veniet, ostendit quod nondum venit, et in secundo adventu veniens restituturus sit ad fidem Christi omnes Hebræos, quos persuasibiles inveniet,» etc. Denique Tertull., lib. de Anima, c. 35, eidem favet expositioni, ut posteriores omittam, Bedam, Anselm. et alios, qui verba Christi ita intellexerunt.

14. *Bellarminus defenditur.* — Quid est ergo quod rex Angliæ ait, nihil esse in Scripturis, quod innuat Eliam esse venturum ante judicium? Numquid verisimile est tot Patres tanta

concordia in assertione hac ex sacra Scriptura colligenda con venisse, sine magno et evidenti in eadem Scriptura fundamen to? Quapropter multum excedit, dum prædictam interpretatio nem verborum Christi in Bellarmino reprehendens, ea impudentem vocat, et paraphrasim non ferendam, vel callid et pessima fide inductam fuisse dicit. Aut enim Sanctos Patre non legit, aut omnes in uno Bellarmino tecte et callide, et con tra id quod alibi profitetur, reprehendit; utrumque autem in tolerabile est et rege indignum. Eo vel maxime quod nec ratio nem ullam, nec ponderationem verborum Christi alicuju momenti affert, quo receptum sensum verborum Christi im pugnet: neque his satisfacit quæ nos ad illum persuadendu induximus. Cum ergo et alia testimonia Scripturæ aliter rect intelligi non possint, et verba Christi in optimo et plano sens cum illis concordent, et communis Patrum interpretatio con sentiat, dubitandum non est quin Elias futurus sit secundi ad ventus Christi præcursor, ac subinde unus ex duobus testibus Joanne in Apocalypsi prædictis.

15. *Regis de Enoch sententia.* — De Enoch vero quasi irri dendo sic ait rex: «Sed Enochum oportet in hoc negotio cu Elia conjungi, nullam aliam ad rem, ni fallor, nisi ad jugum e altera parte tollendum.» Verumtamen dicteria hæc, et irrision verba non Bellarminum tantum (ut rex dissimulat), sed Patr omnes, imo ipsum Joannem Evangelistam pungunt. Nam si pr dicta verba audienda sunt, non solum adversus Enochum, s in universum omnem socium Eliæ in prædicatione, et adven suo irrident, et excludunt. Ita enim dicere aliquis poterit: Qu oportet alium quemcumque Eliæ conjungi, nisi forte ad jugu ex altera parte tollendum? Cur ergo Joannes duos testes duo que Prophetas venturos esse prædixit? Quis novit sensum D mini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis rationem ab i exiget, cur duos testes missurus sit, et non unum tantum, v non plures? Vel cur in primo suo adventu unum tantum pra cursorem miserit, in secundo vero duos? Vel cur ad prædica

dum Evangelium miserit duodecim Apostolos, et non plures, neque pauciores, et in fine mundi contra Antichristum duobus testibus contentus futurus sit? Sunt ergo futiles hujusmodi objectiunculæ; nam Deus «omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.»

16. *Congruæ aliquot rationes, cur alius socius sit Eliæ adjungendus.* — Quanquam recte consideranti statim multæ rationes hujus divinæ providentiæ occurrere possunt. In primo enim adventu unus tantum præcursor missus est, quia solum ad unum Judæorum populum, et ad unum terræ locum mittebatur, et eo tempore quo adhuc ille populus in fide perseverabat, et Prophetarum doctrinis erat instructus, ideoque unus testis eximius, qui esset «lucerna ardens et lucens», visus est sufficiens. Elias autem mittendus est ad Ecclesiam per totum orbem jam diffusam, et ex gentibus ac Judæis constantem, et eo tempore, quo vix invenient fidem super terram propter ingentem Antichristi persecutionem, et ideo socium aliquem habebit, qui eum ad ferendum jugum Evangelicæ prædicationis et Christi defensionis juvet, ut sint duo candelabra in conspectu Domini stantia; et utrumque populum illuminantia; et duæ olivæ, ex quibus major abundantia gratiæ in tempore tantæ necessitatis Ecclesiæ communicetur (1). Itaque gravissime rex errat de numero duorum testium dubitando, vel illum tanquam ratione carentem irridendo.

17. *Quis Eliæ sit adjungendus, non ita compertum est.* — Quis autem futurus sit ille socius, non est tam exploratum et certum, sicut quod alter futurus sit Elias. Unde in eo, quod addit rex, nullum Scripturæ locum de reditu Enoch loqui, minus errat. Nam etiam Aretas, Apocal., 11, suo c. 30, dixit: «Quod Elias venturus sit, manifestum est; de Enoch vero testimonium quidem, quod ad adventum spectet, ex Scriptura non habemus.»

(1) Apoc., 11.

Unde factum est ut de hoc socio Eliæ varie senserint doctores catholici, Victorin. enim, Apocalyp., 11, opinatus est Jeremiam cum Elia esse venturum; Hilarius autem, canon 20 in Matth., reprobata illa sententia, Moysem sociavit Eliæ, cujus sententiam aliqui moderni expositores Matth., 17, secuti sunt. Alii vero hoc munus prophetandi cum Elia tempore Antichristi Joanni Evangelistæ tribuunt, cum Hypolito, lib. de Consum. mundi. Qui tamen non excludit Enoch, sed tertium Joannem adjungit. Hoc vero fundamentum non habet, et ipsi Joanni repugnat, qui duorum tantum testium mentionem facit. Neque absolute credibile est Moysem, Jeremiam, aut Joannem venturum esse cum Elia, quia nullum vestigium vel indicium ejus rei in Scriptura habetur, et longe verius est illos omnes mortuos esse, et cum Christo jam regnare, et ideo verisimile non est illos esse iterum morituros, et de cœlo ab statu beatifico abstrahendos, ut ad pugnandum cum Antichristo descendant, ut latius alibi tractavi (secundo tomo tertiæ partis, disp. 55, sect. 3).

18. *Probabilissimum est Eliæ socium Enoch futurum.* — Superest ut omnino asseramus Enoch esse venturum simul cum Elia, ut sit alter testis et prædicator contra Antichristum. In hac enim affirmanda sententia gravissimi Patres, et fere omnes conveniunt. Tertullian., lib. de Anima, c. 50; Augustin., lib. 9 Genes. ad litter., c. 6, et lib. 1 de Mirabilib. Sacræ Script., c. 3; Ambros., 1 Corint., 4; Damascen., lib. 4, c. 27; Beda, Anselm. et D. Thomas, in Apocalyp., ubi etiam Andr. Cæsar. dicit, plerosque Doctorum hanc sequi sententiam; et Aretas dicit haberi ex traditione præconum Christi. Et argumentum magnum est, quia Enoch mortuus non est, sed translatus, ut Scriptura docet, Genes., 5, unde fit aliquando esse moriturum, «quia statutum est hominibus semel mori (1)», a qua regula

(1) Hebr., 11.

non potest cum fundamento excipi. Ergo verisimillimum est, ad hunc finem reservari, ut cum Elia veniat, et pro Christo moriatur.

19. *Favent maxime verba Ecclesiastici. — Elias ad Judæos, Enoch ad gentiles convertendos præcipue destinabitur.* — Accedunt verba Ecclesiast., 44: «Enoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.» Quæ verba de paradiso terrestri intelliguntur a Patribus, ut supra retuli. Rex autem Angliæ contendit sufficienter sic exponi: Qui positus fuit in exemplum futuris hominibus, quo ad pœnitentiam agendam et sectandum Deum incitarentur. Quam expositionem Theodoret., quæst. 43 in Genes., tradidisse videtur. Et posset tolerari, si alia non excluderetur, vel si multæ aliæ circumstantiæ aliquid amplius in verbis illis significatum esse, interpretari non cogerent. Nam si solum in exemplum translatus esset, non certe in paradisum terrestrem, sed in cœlestem transferendus fuisset, nec in mortali corpore in terra servandus, sed gloria et honore statim coronandus. Deinde pauci profecto futuri erant, qui illo exemplo tam distanti tamque abscondito permovendi essent ad pœnitentiam; alius ergo modus commovendi homines ad pœnitentiam ibi prædicitur. Denique in illa nota causali, «translatus est, ut det gentibus» (seu generationibus, ut habent Græca), satis indicatur, ex speciali providentia reservatum esse ad excitandos homines aliquando ad virtutem et pœnitentiam. Unde probabile est non sine mysterio positum esse «gentibus», quia Elias magis ad Judæorum conversionem, Enoch vero ad revocandos lapsos ex gentibus mittetur. Hoc ergo habet hæc assertio satis probabile in Scriptura fundamentum, quod, Patrum auctoritate et conjectura confirmatum, nisi quis velit voluntarie tergiversari, et plus sapere quam oportet, rem satis credibilem et moraliter certam efficit.

CAPUT XV

Antichristi sedem, et loco et gradu longisime a Pontificis sede distare

1. *Romam Antichristi sedem esse rex Jacobus suadere conatur.* —De tempore adventus Antichristi, et consequenter de testibus ad prædicandum contra ipsum venturis, satis (ut opinor) disputatum est; sequitur dicendum de Antichristi sede, quod est secundum membrum disputationis regis Angliæ, seu alter locus, unde ostendere nititur Antichristum jam in sede ac throno suo sedere. Videturque in hunc modum argumentari. Roma futura est sedes Antichristi; ergo magnum signum est eum, qui nunc Romæ sedet, esse Antichristum. Verumtamen nec rex ita expresse colligit, neque illatio ullius momenti esset. Duobus enim modis potest antecedens illius argumentationis intelligi: uno modo de sede ipsa Romani Pontificis, quatenus est Pontificius thronus, in quo dicatur sessurus Antichristus; alio modo, solum de loco Romanæ urbis, ita ut in illa collocaturus sit Antichristus thronum et regalem curiam imperii sui. Non potest autem antecedens illud in priori sensu intelligi, quia esset inutilis argumentatio, et petitio principii; nam illa est conclusio quam rex suadere conatur, nimirum Antichristum sessurum esse, imo et jam sedere in Pontificia seu Romana sede; si ergo in illo sensu antecedens illud intelligeretur, pro fundamento, et principio argumentationis, probanda conclusio assumeretur, essetque ridicula argumentatio.

2. *De Roma ipsa, non de Pontificio throno loquitur.*—Oportet ergo ut rex loquatur de loco ipso Romanæ civitatis, et pro fundamento suæ rationis sumat, Antichristum collocaturum sedem imperii sui in illa civitate, ut inde colligat Romanum Pon

tificem esse Antichristum, quia in eadem civitate sedem pontificatus sui habet. Et sic collectio quidem per se spectata frivola est, quia in eadem civitate possunt varii principes, imperio, moribus, et titulo, ac modo regnandi valde dissimiles, sedes imperii sui, saltem diversis temporibus, collocare. Neque propterea inde inferri potest unum imperium esse aliud. Alias eodem modo inferri posset, Constantinum fuisse turcam, quia in eadem civitate Constantinopolitana sui imperii sedem collocavit, in qua postea Turca sedet. Imo et inferri posset Petrum, et successores ejus, etiam ante Bonifacium, fuisse Antichristum, quia sedem suam in eadem Romana civitate habuerunt.

3. *Etsi Roma Antichristi sedes esset futura, non inde recte inferebatur in sede Petri sessurum.*— Quamvis autem hæc conditio habendi sedem imperii in eadem civitate non sit satis ad ostendendum esse eumdem qui sedet, neque habere proprie eamdem sedem, id est, eodem regnandi titulo, eademve potestate ac dominatione, nihilominus est conditio necessaria, et ideo rex cum suis Protestantibus maxime conatur ostendere, conditionem hanc figendi sedem Romæ vero Antichristo convenire, ut ex illa adjunctis aliis inferant, eum, qui nunc sedet in illa civitate, esse Antichristum. Cum autem ex hactenus dictis constet, conditiones alias de tempore Antichristi prædictas, in eum, qui nunc sedet, non convenire, et in sequentibus ostendendum sit alias etiam qualitates et proprietates de persona Antichristi revelatas in Pontifice non reperiri, etiam si daremus Romam futuram esse locum sedis Antichristi, nihil referret ad concludendum Antichristum aut venisse, aut esse Pontificem. Nihilominus tamen, quia etiam illud principium, scilicet, Antichristum Romæ sessurum, falsum est, ut evidentius constet quam sit vana fictio et impostura de Antichristiana sede Romæ collocata vel collocanda, expendemus in hoc capite regis probationes, ostendemusque assertionem ejus falsam esse, suisque principiis et expositionibus Apocalypsis repugnantem; postea vero de futura sede Antichristi pauca subjiciemus.

4. *Probationes regis proponuntur.*— Romanam ergo civitatem futuram esse locum sedis Antichristianæ, probat rex primo (1) ex Paulo, 2 ad Thess., 2, dicente de Antichristo: «Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, id est» (ait rex) «in sinu atque adeo in penetralibus Ecclesiæ.» Et addit: «Jam ubi sit Apostolica illa sedes, cuilibet relinquo divinandum, sed et quis in ea sedens pro Deo sese gerat, peccata condonans, fidei articulos definiens, omnium hominum censor et judex, ipse a nemine judicandus.» In quibus verbis hoc argumentum virtute continetur: Antichristus sedebit in Ecclesia, quæ est templum Dei; ergo sedes ejus erit in sinu et penetralibus Ecclesiæ, id est, in præcipuo, et (ut sic dicam) in intimiori loco ejus; ergo erit Romæ; ergo Apostolica Sedes, quæ ibi est, est sedes Antichristi. Probat virtute hanc ultimam illationem, «quoniam qui illic sedet, ostendit se tanquam sit Deus.» Hactenus rex.

5. *Templi nomine an Ecclesiam Paulus intellexerit.*—In hoc ergo argumento imprimis non hæremus in antecedente prout nobis propositum est, et virtute continet expositionem, quod Paulus per templum Dei Ecclesiam intellexerit. Nam hic sensus errorem non continet sed potius probabilis est: Hieronymus enim epist. 151 ad Algas., q. 11, sensum illum cæteris præfert, illumque sequitur Hugo Eter., lib. de Regres. anim., c. 23, et OEcumen ibi ita hunc sensum probat, ut alios excludat, dicens: «Non dicit templum, quod erat Hierosolymis, sed Ecclesiam Dei.» At vero Græci interdum insinuant, Paulum non loqui solum de templo Hierosolymitano, sed etiam de Ecclesiis Christi, id dicantes prius non excludere. In quam sententiam citatur Chrysostomus, 2 Thessal., 2, dicens: Jubebit se in templo Dei colcari, non Hierosolymitano solum, sed etiam in ecclesiis.» enim vertit Musculus, in Veneta impressione anni 1549; in

(1) Præfat., pag. 64.

vis autem editionibus Parisiensibus anni 1581 et 1588 ; interprete Germano Herveto, non legitur particula «solum», nec «ecclesiis», in plurali, sed in singulari, hoc modo: «Jubebit ipsum pro Deo adorare, et sedebit in templo Dei, non quod est Hierosolymis, sed in templo Ecclesiæ.» Theophylactus autem aliter videtur legisse vel exposuisse Chrysostomum, dicens: «Non in templo specialiter, quod est Hierosolymis, sed in ecclesiis simpliciter, et omni divino templo.» Apud Theodoretum etiam non invenio exclusivam secundum versionem ejusdem Germani Herveti, in Coloniensi editione anni 1573, sed verba ejus sunt: «Templum Dei appellavit ecclesias, in quibus primam sedem arripiet.» In quibus verbis potius videtur tacite excludere templum Hierosolymitanum, licet absolute dicendo «ecclesias», omnes includat, et consequenter etiam illas quæ Hierosolymis fuerint.

6. *Per templum congregatio fidelium exponi potest.—Secundo ecclesiæ, excludendo templum Hierosolymitanum.— Tertio, quilibet locus Dei cultui dicatus.*—Quocirca etiam ecclesiam per templum Dei intelligendo, duæ, vel tres sunt illius vocis expositiones. Una, ut per ecclesiam non materialis locus adorationis Dei, sed formalis (ut ita dicam) Ecclesia, id est ipsa congregatio fidelium intelligatur. Et hanc indicat Hieronymus supra, dicens: «Vel in Ecclesia, ut verius arbitramur, sedebit, ostendens se tanquam ipse sit Christus et Filius Dei.» Et idem significat Matth., 24, exponens illud : «In loco Sancto, id est in Ecclesia.» Et certe verba Chrysostomi, quæ retuli juxta Hervetum, ab hoc sensu aliena non sunt. Et eumdem sensum ut probabilem ponit Andr. in Apocal., c. suo 62. Alia expositio est, ut templum Dei sumatur pro materiali loco sacrificii et adorationis, quod «ecclesiam» vocamus. Et hæc expositio potest subdistingui. Unde secunda expositio erit, ut templum Dei generaliter sumatur pro ecclesiis Christi, et specialiter pro illis solis, ita ut templum Hierosolymitanum excludatur: et hanc posuit expresse OEcumen., et ab illa non discrepat Theodoret., licet

exclusivam expresse non posuerit. Tertia erit, per templum Dei intelligi omne divinum templum, sive sit in Ecclesia Christi, sive in Synagoga. Et hanc tradit Theophylactus, et sequitur Cajetanus, dicens, «non determinatum templum, sed quodlibet Deo dicatum significari.» Ita ut templum Dei positum sit ad excludendum tantum idolorum templa, ut voluit etiam Augustinus, in lib. 20 de Civit., c. 19.

7. *D. Augustinus ipsum Antichristum putat dictum Dei templum.*—Addit vero ibi Augustinus quartam expositionem magis metaphoricam. Nam per templum Dei intelligit ipsummet Antichristum, et ponderat, Græca non habere, «ut sedeat in templo Dei», sed «in templum Dei», id est, ut se gerat tanquam Dei templum. Quod potest intelligi vel de ipsa persona Antichristi et sic intelligendum erit, non illo communi modo quo justi dicuntur templum Dei, sed alio singulari modo quo ipse habere volet ut verus Deus. Sicut dicitur in Christo habitare plenitudo divinitatis corporaliter; et ita humanitas Christi, seu Christus ut homo, potest dici singulari modo templum Dei. Unde cum Paulus ait: «Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus» (1), juxta hanc expositionem, non ponit illa duo tam quam diversa, sed posterior pars est prioris explicatio; exhibebit enim se Antichristus in templum Dei, se ipsum verum Deum prædicando, et ut sic adorandum ostentans. Vel per Antichristum intelligi potest non sola persona Antichristi, sed simul cum corpore mystico ex pravis hominibus, qui illum sequentur, congregato; et sic dicitur Antichristus sedere in templo Dei, qui suam congregationem ostentabit tanquam veram Dei Ecclesiam in qua ipse sedebit tanquam Deus. Et hunc posteriorem sensum magis sequitur Augustinus.

8. *Optio datur quamlibet ex dictis expositionibus eligendi.*—Si ergo regi Angliæ placet, ut templum Dei in illo loco Pau-

(1) 2 Thes., 2.

Ecclesiam significet, non contendimus, eligat autem ipse ex dictis expositionibus quam magis probet; nunc enim nihil nostra refert inter eas dijudicare, sed ad rem solum spectat breviter ostendere, nullam earum Protestantium assertioni, seu vanæ potius cogitationi posse deservire. Nam si Ecclesia, per templum Dei significata, est fidelium congregatio, licet Antichristus in hac Ecclesia sessurus sit, ostendens se tanquam sit Deus, non sequitur in Romana civitate collocaturum sedem suam. Nam fidelium congregatio est per totum orbem diffusa, et de se abstrahit a materiali loco: unde sedere hoc modo in Ecclesia tanquam Deum, nihil aliud est quam in ipsa Christi Ecclesia, et ab his qui fuerint membra ejus, pro Deo haberi ac reputari. Quod verum esse poterit, sive Romæ, sive Constantinopoli, sive Hierosolymis contingat; imo sive in Europa, sive in Asia eveniat. Oportet autem advertere, congregationem illam, in qua Antichristus adorabitur ut Deus, vocari templum vel Ecclesiam Dei, quia, antequam per Antichristum perverteretur, erat templum et Ecclesia Dei; ipsum autem pro Deo suscipiendo, quoad eam partem facta erit Synagoga Satanæ, seu Antichristiana. Juxta hunc ergo sensum nihil colligitur de Romana civitate, quod sit futura sedes Antichristi. Imo aliunde evertitur blasphemia dicentium, Pontificem ibi sedentem esse Antichristum; nam (ut ait Hieronymus) «Antichristus sedebit in Ecclesia, ostendens se esse Christum et Filium Dei;» Pontifex autem non ita sedet, sed ut minister Dei, et Christi Vicarius, et servus servorum Dei. Et hæc ratio fere eodem modo de quarta expositione procedit, ut facile consideranti patebit, nam expositio Augustini ad hoc etiam revolvitur, ut per Ecclesiam hominum congregatio, non materialis locus designetur, eademque nomine «templi Dei» significetur.

9. *Ex regis conjecturis non magis sequitur Antichristum in Romano quam in aliis templis sessurum.— Instantia.— Responsio.* —Si vero placeat per Ecclesiam intelligere solas Christianorum ecclesias, cum Paulus indefinite de templo seu Ecclesia Dei lo-

quatur, non magis potest inferri sessurum Antichristum in aliquo templo Romano, quam in Constantinopolitano, vel Hierosolymitano, aut alio simili. Nec refert quod rex addit, sessurum Antichristum «in sinu et penetralibus Ecclesiæ», tum quia hæc verba non sunt Pauli, sed ipse illa adjunxit de suo capite, ideoque pari facilitate contemnuntur. Tum etiam quia satis erat Anglia in sinu et penetralibus Ecclesiæ, et tamen Deo permittente facta est sedes Antichristi; et Lutherus, ac Calvinus in medio quidem Ecclesiæ, ac subinde in sinu et penetralibus ejus, virus suum effuderunt, licet Romam evertere non potuerint. Dicet forte rex, licet templum Dei indefinite positum fuerit, per antonomasiam sumptum esse pro Roma, vel Romano templo, tanquam omnium præcipuo. Possetque juvari verbis Theodoreti, 2 Thessalonic. 2, dicentis: «Templum Dei appellavit ecclesias, in quibus primam sedem arripiet»; nos enim dicimus primam sedem esse Romanam; illam ergo arripiet Antichristus. Sed illud etiam voluntarie dicitur, et sine probatione. Et præterea facile respondebimus sessurum Antichristum non in templo, quod revera præcipuum est; sed quod ipse volet, et prædicabit esse præcipuum; credibilius autem est illud esse futurum in Judæa potius quam in Italia. Nam cum Antichristus se pro vero Christo et Messia venditaturus sit, caput Ecclesiæ suæ dicet esse Jerusalem, non Romam, ut mox videbimus. Theodoretus autem per «primam sedem» revera non intellexit Romanam, neque aliquam ex primariis Ecclesiis, sed in unaquaque Ecclesia vel templo primarium locum, ac sedem soli Deo debitam; vel locutus est de prima sede, non quæ nunc sit, vel suo tempore erat, sed quam ipse Antichristus eriget. Atque hic discursus æque procedit juxta tertiam expositionem, quæ sub nomine templi tam Judaicum templum, quam ecclesias Christianorum complectitur; nam sic magis ampla est, et indefinita Paulina propositio, ideoque minus potest ex ea inferri determinatus locus Romanæ civitatis.

10. *Sinus Ecclesiæ amplissimus est, nec solum Romam inclu-*

dit.—Pontifex non se Deum venditat, sed Christi Vicarium exhibet.—Ex quibus etiam concluditur, frustra regem divinandum proponere ubi sit Apostolica Sedes; nam, licet omnibus pateat illam esse Romæ, non sequitur Antichristum ibidem collocaturum sedem suam, etiam si sessurus sit in sinu Ecclesiæ. Quia sinus Ecclesiæ amplissimus est, et boni ac mali in illo existunt, et unus quidem legitime sedet, alius per ambitionem et tyrannidem caput Ecclesiæ fingitur. Præterquam quod (ut supra dicere cœperam) licet Antichristus Roma expelleret Pontificem, et suam ipse sedem ibi collocaret, non sederet in eadem sede, neque inde posset concludi, eum, qui nunc legitime sedet, ita sedere, sicut Antichristus sedebit. Nam qui nunc sedet, non se Christum aut Messiam esse prædicat, sicut prædicabit Antichristus. Quapropter vanum est quod rex subjungit, Pontificem pro Deo se gerere, «peccata condonando», etc. Nam aliud est vicem Dei gerere, et ut ministrum ejus, modoque ab ipso instituto supernaturales effectus operari, et divinam jurisdictionem exercere; aliud vero est, se pro Deo gerere, se ipsum tamquam Deum credendum adorandumque proponere. Illud enim legitime facit Pontifex, hoc autem posterius erit proprium Antichristi, ut Scripturæ docent, et Patres interpretantur, et in capitibus sequentibus fusius declarabimus.

11. *Altera regis probatio ex Apocalypsi.* — Alteram probationem, quod Roma futura sit sedes Antichristi, rex assumit ex Apocalypsi, supponitque ex cap. 13, bestiam, quam Joannes vidit ascendentem, habentemque capita septem et cornua decem, esse Antichristum. Deinde vero argumentum sumit ex cap. 17, ubi Joannes narrat se vidisse mulierem meretricem sedentem super eamdem bestiam (ut rex interpretatur), de qua muliere sic Joannes in fine capitis concludit: «Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.» Et de eadem prius dixerat, «ejus nomen esse Babylon magna», et eodem modo illam appellat c. 18; ergo «locus hic (ait rex) perspicue et sine ulla contradictione declarat, Romam

esse aut fore sedem Antichristi.» Probat illationem: Primum, quia nullus jam Papista inficiatur, Babylonis nomine ibi planissime Romam intelligi. Deinde hanc mulierem (ait) esse illum Antichristum, liquet ex tempore, quo vim suam et operationem exercet, quod erit quadraginta duorum mensium, prout 13 cap. habetur.»

12. *Mulier cum bestia confundi non debet.*—Prius vero quam huic argumento respondeam, in his et aliis regis verbis advertendum, illum confundere mulierem cum bestia et e converso; nam mulierem dicit esse Romam et Babylonem, eamdemque rursus dicit esse Antichristum, et paulo inferius constare dicit, bestiam septem capitum esse Antichristum. Et tamen pag. 108 dicit bestiam illam esse civitatem regiam. Et similiter pag. 9 mulierem cum bestia confundit, et nunc civitatem, nunc imperium ejus, nunc Antichristum significare dicit. Quæ confusio et communi expositioni repugnat, et intelligentiæ lumen obfuscat; nam si mulier est Babylon et Roma, quomodo est Antichristus aut quomodo insidet bestiæ quæ dicitur esse Antichristus? Deinde in c. 13 non dicitur potestas data mulieri per menses quadraginta duos, sed bestiæ; ergo inde non probatur mulierem esse Antichristum, sed bestiam. Non debent ergo confundi; aliud enim mulier, aliud bestia repræsentat, neque potest bestia se ipsam portare. Neque vero hoc dicimus ut objectionem vitemus, sed ut verum sensum declaremus, viamque paremus ad cavendas calumnias, quæ in illa confusione et æquivocatione delitescunt, ut infra cap. 20 videbimus. Objectio autem in hunc modum formari potest. Mulier fornicaria, quæ magna Babylonia nuncupatur, est Roma, et illa dicitur insidere bestiæ id est, Antichristo, tanquam principi et fundamento suo; ergo Roma futura est Antichristi sedes. Probatur consequentia, quia licet potius princeps videatur sedere in civitate, ubi habet solium, quam civitas in ipso, tamen etiam civitas ipsa dicitur sedere super principis humeros, quatenus ejus potentia et virtute regitur et conservatur. Sic ergo Roma visa est sedere super bestiam Antichristum, erit ergo sedes ejus.

13. *Si mulier illa Roma est, ethnica, non Christiana est.— Bestia, cui inequitat, non significat Antichristum, sed seriem tyrannorum gentilium.* — De hac objectione multa dici possent, nisi essent in superioribus dicta. Possemus ergo facile objectionem vitare, dicendo fornicariam illam in cap. 17 Apocalypsis a Joanne visam, non Romam, sed mundum significare, et bestiam, cui insidere visa est, non Antichristum, sed diabolum esse. Verumtamen ad respondendum regi, necessarium non est probabiles, nedum magis receptas interpretationes negare. Concedimus ergo mulierem illam Romam significare, non tamen christianam, sed ethnicam ut c. 6, declaravi. Cum vero subsumitur, bestiam, cui mulier insidebat, esse Antichristum, respondemus vel negandum id esse, vel certe distinguendum et sano modo intelligendum. Nam illa bestia dicitur habere septem capita, quæ ibi exponuntur esse septem reges, quorum nullus est Antichristus, sed alius, qui octavus esse dicitur, licet de septem sit, et vocatur specialiter, «bestia quæ erat, et non est», ut supra tractatum est. Igitur bestia habens septem capita, et cornua decem, non est adæquate (ut sic dicam) Antichristus, sed est successio tyrannorum persequentium Christianos in Romano imperio, post quos ortus est Antichristus tanquam «cornu parvum de medio eorum», ut dicitur Dan., 7. Hinc ergo non recte infertur, Romam aliquando insidere super illum Antichristum verum, et proprium, sed super imperatores Romanos ethnicos, Ecclesiæ persecutores, et Antichristos typice, et per figuram seu participationem. Horum ergo imperatorum seu Antichristorum fuit quidem Roma sedes, quando tenebat imperium super omnes reges terræ, et erat ebria de sanguine Martyrum, id est, quando erat Roma ethnica, non christiana.

14. *Confirmatur expendendo verba Apocalypsis.* — Unde si attente consideretur c. 17 Apocalypsis, nunquam in illo significatur, mulierem illam fornicariam visam esse sedentem super illam bestiam, quatenus proprium Antichristum, sed solum quatenus tyrannos præcursores ejus, et Romanos imperatores

ethnicos repræsentabat. Et ideo fortasse quando Joannes dicit vidisse mulierem sedentem super bestiam, solum addit, «Habentem capita septem et cornua decem,» quia Antichristus nec est unum ex illis septem capitibus, nec de decem cornibus. Nam ipse Joannes postquam dixerat, de septem regibus quinque præcessisse, et unum esse, et alterum nondum venisse, sed fuisse venturum, et brevi tempore duraturum, subjungit: «Et bestia quæ erat, et non est, et ipsa octava est, et de septem est, et in interitum vadit.» Et postea declarat, «decem cornua esse decem reges, qui potestatem accipient post bestiam,» cui «suam virtutem et potestatem dabunt.» Deinceps vero de his subjungit, quod «odient fornicariam, et desolatam facient illam et nudam, et carnes ejus manducabunt, et igne concremabunt,» utique in hoc bestiæ servientes, cum qua «habent unum consilium cuique suam virtutem tradent,» ut prius dixerat.

15. *Ex eo loco colligi non potest Antichristum sedem Romæ fixurum; magis colligitur Romam ab Antichristo evertendam.* — Unde ulterius colligo, tantum abesse ut dicat Joannes, fornicariam sedisse super illam bestiam, quatenus verum et proprium Antichristum adumbrabat, ut potius significet, per ipsum vel per reges ministros ejus esse destruendam. Ergo ex illa visione non solum non liquet, nec colligi potest, Antichristum fixurum sui imperii sedem Romæ, sed potius contrarium non obscure probatur, cum per ipsum Antichristum destruenda sit. Quod in cap. 18 multum confirmatur, maxime contra regem Angliæ, qui verba illius capitis: «Cecidit, cecidit Babylon illa magna» (1) de Romana civitate intelligit, et ita ex illius sententia ibi describitur desolatio et abolitio perpetua Romanæ urbis, unde necessaria fere consecutione infertur, illam Romæ destructionem per Antichristum et reges illi subjectos faciendam esse. Primo ex verbis antecedentis capitis, quæ proxime retulimus. Secundo

(1) Apoc., 18.

ex sequenti c. 19, quia illud excidium Babyloniæ, quod c. 18 describitur, non est totius orbis consummatio et combustio, sed cujusdam particularis civitatis, juxta illam interpretationem; erit ergo ante mundi finem. Et tamen ex cap. 19 colligitur, illud Babylonicum excidium prope finem mundi esse futurum, nam statim post illud ostenditur Christus descendens super equum album, et cum gladio ex utraque parte acuto procedente ex ore ejus, cœlestibus exercitibus comitantibus, ad perdendam bestiam cum regibus et exercitibus suis, qui occisi sunt in gladio «sedentis super equum;» ergo illam Babylonicam destructionem per Antichristum et exercitum ejus futuram esse satis consequenter intelligitur. Ergo inde evidenter concluditur non esse futuram Romam sedem Antichristi.

16. *Dilemmate idem probatur.—Alia pars dilemmatis.*— Tertio idem ita concluditur, nam si Roma est illo modo in fine mundi destruenda, vel id fiet per Antichristum, vel per alium; si per Antichristum, certe sedes ejus non erit, quia hæc duo inter se repugnant. Neque fingi potest quod prius in illa fixurus sit sedem, si postea illam sit destructurus, tum quia neque hoc habet fundamentum neque verisimilitudinem; tum quia monarchia Antichristi non tanto tempore durabit, ut ad illam vicissitudinem rerum possit sufficere; tum præterea quia (ut ex c. 17 colligitur) ex odio fornicariæ destruet illam per se, vel per reges amicos suos; ergo a principio gerent hostile bellum contra illam; ergo cogitari non potest quod prius sit Roma futura sedes Antichristi, et postea per illum destruenda. Neque etiam dici potest destruenda per alium, postquam Antichristus in illa sedem suam fixerit, tum quia repugnat cum verbis citatis ex c. 17, ubi dicitur destruenda per reges amicos bestiæ, id est, Antichristi, et executorum consiliorum ejus. Tum etiam quia ex aliis locis Apocalypseos, et ex Daniele et Paulo constat, Antichristum a nullo puro homine esse superandum, sed ab ipso Christo esse interficiendum; ergo si Antichristus semel sedem suam Romæ collocaret, non esset Roma ab ullo hoste An-

tichristi destruenda, neque ab ipso Christo ante generalem mundi conflagrationem, quia Christus, cum venerit ad Antichristum interficiendum, nullam destruet civitatem, neque hoc de illo legitur, sed solum quod Antichristum et pseudoprophetam ejus vivos in infernum mittet, et cæteros illorum socios in gladio suo occidet, Apocalyps. decimo septimo.

17. *Conclusio.*—Assertio ergo, quod Roma futura sit Antichristi sedes, et a rege non probatur, et dictis ac expositionibus ejus contraria est, et plane falsa. Denique est optima conjectura, quia Antichristus destructurus est Romanum imperium et magno odio illud prosecuturus, ut etiam ex 17 Apocalyps colligitur, et ex 2 Thess., 2, et ex omnibus Patribus; ergo non est verisimile, collocaturum esse Romæ sedem suam, quia etiam Romanum nomen cum imperio suo cupiet extinguere.

CAPUT XVI

Ubi futura sit Antichristi sedes

1. *Certius est Antichristi sedem non futuram Romæ, quam ubi futura sit.*—Longe quidem certius est Romam non esse futuram sedem Antichristi, quam sit certum quis locus vel civitas futura sit, in qua thronum suum sit collocaturus. Neque id mirum esse debet, quia in omnibus rebus obscuris, quæ a cognitione humana longe distant, facilius quid non sit quam quid sit agnoscitur. At nobis etiam non est tam necessarium cognoscere ubi sit Antichristus sessurus, quam scire non esse Romæ imperaturum, quia hoc posterius ad hæreticos confundendos multum conducit; illud vero prius, licet sit ignotum vel incertum, non multum refert. Nihilominus tamen ut ex hac affirmatione negationem demonstratam in sup. cap., in hoc amplior auctoritate confirmemus, quid in hoc puncto verisimilius videatur, paucis proponemus.

2. *Regiam Antichristi Jerosolymis futuram communis opinio est.*—Catholici ergo Doctores verisimillimum censent Jurusalem futuram esse regalem sedem Antichristi, templumque Hierosolymitanum utcumque per Antichristum instauratum futurum esse quasi fundamentum et caput falsæ religionis, quam Antichristus in mundum inducere conabitur. Quæ opinio sine ulla dubitatione ex antiqua traditione descendit. Nam Irenæus, lib. 5, c. 25, aperte dicit, Antichristum regnaturum in Jerusalem. Lactantius, lib. 7, c. 15 et 17, dicit regnaturum esse in Oriente, in ea que Asiæ parte quæ Syria vocatur, id est, in Judæa. Hypol., in orat. de Consum. mundi, dicit Jerosolymis sessurum. Idem Augustinus, vel potius Rabanus, tract. de Antichr.; Gregor. Turon., lib. 1 Histor. Francor., in princip.: «Antichristus» (ait) «primum circumcisionem inducet, se asserens Christum, deinde in templo Hierosolymitano statuam suam collocavit», etc. Idem Cyrill., catech. 15; Damasc., lib. 4, c. 27; Sever. Sulpit., dialog. 2, de S. Martin., et omnes exponentes Scripturas statim tractandas. Tantus autem Patrum consensus non potuit certe in sola humana suspicione aut opinione fundari, cum sit de re futura contingente, et ex divina providentia, ac permissione maxime pendente; ergo credendum est manasse ex communi intelligentia Scripturarum; sunt enim in Scriptura multa testimonia, quæ hoc significant; tamen quia prophetica, et obscura sunt, ex traditione aliqua verum illorum sensum Patres collegisse videntur.

3. *D. Pauli testimonium maxime favet. — Probabilius est D. Paulum loqui de templo Hierosolymitano quam de Ecclesia.*— Duo autem videntur esse præcipua testimonia, quibus hæc veritas confirmatur, quæ nunc expendemus, et obiter alia testimonia et rationes, seu congruentias attingemus. Primum testimonium est illud Pauli, quo Rex utebatur: «Ita ut in templo Dei sedeat» (1). Nam Paulum ibi loqui de templo Hierosolymitano

(1) 2 Thess., 2.

longe verisimilius est. Primum enim ita exponunt frequentius antiqui Patres, Irenæus, lib. 5, cap. 25: «Transferet» (inquit) «regnum suum in Jerusalem, et in templo Dei sedebit, seducens eos qui adorabunt eum, quasi ipse sit Christus.» Et c. 30: «Sedebit» (ait) «in templo Jerosolymis.» Idem Hypolit., in orat. de Consumm. mundi.; Ephrem., orat. de Antichrist., p. 3: «Honorabit» (inquit) «Judæos supra modum, et Judæorum populi ipsum maxime honore afficient. Unde et ipse tanquam eos honore præferens, designabit ipsis omnibus locum suum ac templum, suamque illud instauraudi providentiam.» Idem Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 15; Damasc., l. 4, c. 27, exponens Paulum ait: «Porro Dei templum non nostrum intelligi ed Judaicum, non enim nobis, sed Judæis veniet.» Ita etiam interpretantur locum Pauli Sedulius, Haymo, D. Thomas, e alii communiter. Et postet ita suaderi. Nam verisimilius es loqui Paulum de templo materiali, quod est locus adorationi et sacrificii, quam de templo metaphorico Ecclesiæ, vel anim humani, tum quia, illa significatio vocis «templi» est magi propria, magisque usitata, faciliusque poterat a fidelibus in telligi, quos tunc Paulus instruere volebat; tum etiam quia sin dubio alludit ad verba Christi Matth., 24: «Cum videritis abomi nationem stantem in loco sancto. Ubi non est dubium qui Christus de materiali templo loquatur. Tunc autem quando Paulus scribebat, solum templum Hierosolymitanum «templum Dei» quasi per antonomasiam a fidelibus vocabatur, quia tunc vé nondum incœperant christiana templa, vel non hac voce appel labantur, ut ex antiquis Patribus constat. Neque in alia signifi catione invenitur in Scriptura, et præsertim in novo Testamen to vox illa «templi Dei» in proprietate sua, et prout locum sa crificii significat; ergo verisimilius est in eadem signification Paulum illa voce usum fuisse.

4. *Præcedens expositio ex Matth. confirmatur.*—Confirmatu hoc testimonium ex alio Matth., 24, ubi Christus ait: «Cum v deritis abominationem desolationis stantem in loco sancto»; i

enim per locum sanctum templum Hierosolymitanum intel-
lexisse testes sunt omnes, qui de statua seu imagine Cæsaris
locum interpretantur, ut Chrys., Hom. 76; Theophyl. ibi.
Item Hilar., can. 25 in Matth., dicens: «De Antichristi tempo-
ribus hæc locutus est.» Et infra: «Atque a Judæis susceptus in
loco sanctificationis insistet, ut ubi Sanctorum precibus Deus
invocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis
sit.» Ambros. etiam, lib. 10 in c. 21 Lucæ, de «templo interio-
ri Judæorum» exponit. Et eumdem sensum indicavit ibi Hiero-
nymus, cum dixit verba Christi posse intelligi, aut simpliciter
de Antichristo, aut de imagine Cæsaris, quam in templo posuit
Pilatus, aut de statua Adriani, quæ in Sancto sanctorum loco
posita fuit; intellexit ergo Hieronymus illum locum Sanctum
esse templum et Sancta sanctorum, et tamen ibidem ait, de
eodem loco Paulum loqui, 2 Thessal., 2. Utrumque autem op-
time confirmatur ex loco Daniel., 9: «Et erit in templo abo-
minatio desolationis»; quidquid enim ibi per abominationem
desolationis significetur, dubitari non potest quin templum Hie-
rosolymitanum Daniel intellexerit; nullum enim aliud templum
Dei veri tunc erat, nec de alio est sermo in Testamento veteri.
Et Christus Dominus locum Danielis allegat; ergo idem tem-
plum per locum sanctum intellexit: Paulus autem ad utrumque
alludit; ergo de eodem templo loquitur, de quo Daniel, ut recte
notavit Origen., lib. 6 contra Celsum, circa medium.

5. *Aliud testimonium ex Apocalypsi nostram sententiam cor-
roborat.—Enoch et Elias Jerosolymis occidendi sunt.*—Secundum
principale testimonium est Apocalyp., 11, ubi dicitur, testes,
prædicaturos contra Antichristum, interficiendos esse «in civi-
tate magna, ubi Dominus eorum crucifixus est», id est Jeroso-
mis; interficientur autem ab Antichristo, ut ibidem dicitur,
ibidem Antichristus ipse interficiendus est; ergo longe ve-
similius est ibi præcipue regnaturum esse Antichristum. Sic
andr., in illum locum, suo cap. 30: «In hac namque civitate

(ait) ad imitationem Davidis regni sedem (ut probabile fit) con
tituet.» Idem cap. 62, cum majori dubitatione. Clarius Aret
cap 30: «Corpora (inquit) illorum insepulta projiciet in plate
Jerusalem, in ea enim regnabit tanquam rex Judæorum, qu
seducet.» Et eodem modo locum illum de civitate Jerusale
intellexerunt reliqui expositores antiqui et moderni in illu
locum, multique alii Patres docuerunt, Eliam et Enoch in Je
rusalem esse ab Antichristo occidendos, quod non nisi ex h
loco sumpserunt. Unde satis probabiliter colligitur, civitate
illam futuram esse regiam Antichristi; ideo enim in illa poti
quam in aliis testes Christi constanter prædicabunt, quia cap
superstitionis erit, sicut olim Petrus et Paulus in Romana urb
quæ caput erat ethnici imperii, præcipue docere studuerun
unde sicut ipsi martyrio ibi coronati sunt, ita etiam Enoch
Elias interficientur ab Antichristo in civitate sua regia Jerus
lem. Cum enim Judæus futurus sit, et pro Messia ad Juda
suscipiendus et adorandus, ut paulo post dicemus, per se ver
simile est, postquam in Oriente monarchiam usurpaverit, in c
vitate regia Judæorum, quam ipse instaurabit, solium suu
collocaturum. Illa ergo civitas, ab Antichristo instaurata
aucta, ibi a Joanne «civitas magna» vocatur; vel certe «mag
na», quia in ea magna et mirabilia contigerunt; quia vero fi
et moribus corruptissima erit illo tempore, ideo «spiritualit
Sodoma et Ægiptus» in eodem loco a Joanne appellatur.

6. *Rex Jacobus civitatis magnæ nomine Romam significat certat.—Prima ejus confirmatio. — Secunda. — Tertia.*—At ve
Rex Angliæ, non obstante dictorum verborum evidentia, R
mam a Joanne illis verbis significatam esse contendit. Et pri
advertit, cum Joannes dixit: «Corpora eorum jacebunt in p
teis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægy
tus» (1), illud verbum «spiritualiter», tam Jerosolymis qua

(1) Apoc., 11.

Sodomæ, et Ægipto tribui, ut credatur non esse sermonem de Jerusalem materiali, sed mystica, per quam Romam intelligit. Deinde expendit, post prædicta verba Joannem non addidisse simpliciter, «ubi Dominus eorum crucifixus est», sed, interposita particula «et, ubi et Dominus eorum», etc., et ita exponit: «Sedes Antichristi tam plena futura est spiritualibus fornicationibus et idololatriis, atque olim fuerunt Sodoma et Ægyptus, imo persecutione Sanctorum tam cruenta, ut in ea iterum Christus sit crucifigendus in membris suis», juxta regulam vulgarem, ut quæ in corpore et membris fiunt, capiti tribuantur. Tertio, expositionem hanc confirmat ex verbis Joannis, c. 18, in fine, ubi de mystica Babylone dicit: «Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra» (1). Nam sub illa distributione «omnium», Christum etiam comprehendi vult, quia ille interfectus est in terra. 4. Unde videtur colligere etiam Christum dici Romæ interfectum.

7. *Contendit etiam dici posse Christum Romæ occisum.* — Tandemque addit posse dici Romæ occisum Christum, quia auctoritate Romani imperii occisus fuit, et tanquam reus in imperatorem Romanum, «ita ut qui illum excusare niteretur, Cæsaris amicus non haberetur» (2). Potestque hæc interpretatio probari, quia nonnulli Catholici non intelligunt in proprio sensu verba illa. Nam Hieronymus, epist. 7, multis argumentis persuadere conatur, ibi non esse sermonem de civitate propria Jerusalem. Primum, quia in initio ejusdem capitis undecimi vocat Joannes, Jerusalem «civitatem sanctam», dicens: «Et civitatem sanctam conculcabunt mensibus 42.» Deinde quia in Scriptura sacra non civitas specialis, sed mundus solet spiritualiter Sodoma et Ægyptus appellari, et ita concludit civitatem

(1) Apoc., 18.
(2) Joan., 19.

illam esse mundum. Lyranus vero in illum locum per civita tem illam magnam, congregationem infidelium intelligit; erg si licet a proprio verborum sensu recedere, non erit cur inter pretatio regis probabilis non videatur.

8. *Primæ regis probationi occurritur.* — Respondemus im primis, ea, quæ rex advertit, levia esse, vel ad suam expositio nem suadendam, vel ad veritatem evertendam. Nam quod pr mo notat, adverbium illud «spiritualiter», non solum Sodom et Ægypto, sed etiam Jerosolymis tribui, manifeste falsum es et contra litteram. Quia imprimis non ponitur ibi nomen Jeru salem, ut spiritualiter accipi notetur, sed per periphrasim de cribitur, per alia nomina metaphorica, quibus ejus viles et fœd proprietates notantur, et per mortem Domini, quæ in ea co tigit, et ita non apparet quomodo illud adverbium «spiritua ter» ibi potuerit Jerusalem tribui. Deinde id fit manifestiu ordinem verborum notando, quæ sic habent: «Corpora eoru jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualit Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est.» U clare constat vocem «spiritualiter» non conjungi cum «civita magna, nec poni ad indicandum, non proprie, sed metaphori vocari civitatem, aut magnam, sed conjungi cum verbo «voc tur», et poni ad explicandum quomodo illa civitas vocetur «S doma et Egyptus», utique mystice, et non proprie; extrah ergo a propria significatione voces (ut sic dicam) in prædica propositionis positas, non subjectum ipsum, cui illa metapho ca prædicta tribuuntur. Neque etiam potest conjungi vox il «spiritualiter», cum posterioribus verbis: «Ubi et Dominus e rum crucifixus est», quia illa jam est quasi nova propositio, i dicans illam civitatem magnam per aliam conditionem s proprietatem ejus valde diversam, cui verbum «spiritualite ibi non tribuitur, nisi quis velit ad suum arbitrium verba p vertere. Ergo verbum «spiritualiter» nullo modo tribuitur Je solymis, quia neque sub hac ipsa voce, neque sub periphr seu descriptione de illa dicitur. Atque ita concluditur, ex

illius contextus, propter vocem illam «spiritualiter», non posse ibi metaphorice intelligi nisi nomina Sodomæ et Ægypti, et in hoc conveniunt Hieronymus et Lyran. supra allegati, cum expositoribus omnibus.

9. *Secundæ regis confirmationi satisfit.* — In his autem quæ secundo loco rex notat, particula «Et», quam rex ponderat, nihil veritati obstat; sensus enim litteralis et clarus est civitatem illam non solum esse spiritualiter Sodomam, et Ægyptum, sed etiam in illa commissum esse illud horrendum facinus occidendi Christum. Unde libenter accipimus quod rex ibi fatetur, sermonem ibi esse de civitate illa, in qua erit sedes regia Antichristi. Item admittimus quod addit, futuram esse plenam tenebris, et fornicationibus, vel spiritualibus, vel carnalibus, ob quas Sodoma et Ægyptus appellatur. Quam vero subjungit interpretationem, ut Christus non in se, sed in suis membris crucifixus ibi dicatur, omnino rejicimus et improbamus. Nam, licet illa regula interpretandi Scripturas de Domino et ejus corpore trita sit, tamen, ut ait Augustinus, 3 de Doctr. Christian., c. 31, illam explicans, «quid corpori, quid capiti conveniat, utique intelligendum est.» Quia, licet regula, in se ac generatim sumpta, vera sit, in mala ejus applicatione, sine delectu et intellectu facta, gravissime errari potest. Quod sine dubio regi non solum in hoc puncto, sed etiam in toto hoc discursu de Antichristo, imo etiam in aliis fidei dogmatibus, et in abusu aliarum regularum interpretandi Scripturas sæpe contingit, ut aliquoties jam in superioribus notavimus. Et in præsenti est manifestum, primo, quia ibi nulla est necessitas talis regulæ, vel metaphoræ, et illa non est applicanda neque affingenda sine fundamento. Secundo, quia verba non juvant, sed potius repugnant; cum enim dicitur, «Dominus eorum», expresse distinguitur caput a membris, et ab illis membris, qui pro ipso interfecti fuerunt. Tertio, quia verba illa, «Ubi et Dominus», nonnuntur ad designandam civitatem magnam, de qua erat sermo, et distinguendam illam a cæteris; si autem sit sermo de

capite in membris, inutile est signum, quia nec tantum Jero solymis, nec tantum Romæ, sed per universum mundum, fere in omnibus urbibus ejus, Christus est in suis membr crucifixus. Denique nullus expositorum ita locum illum intel lexit, neque aliquis ex Patribus.

10. *Ad tertiam regis confirmationem respondetur.* — Confi matione, quam tertio loco rex addidit ex c. 18 Apocalypsi maxime moti sunt Beda et alii, qui dixerunt Babylonem in il capite non civitatem aliquam specialem, sed universum mun dum significare, quam expositionem valde probabilem esse su pra ostensum est; illa autem posita, cessat objectio. Supponen autem illam Babylonem esse Romam, argumentum regis par momenti est: nam si ex illis verbis, «Sanguis omnium», etc colligi putat etiam Christum interfectum esse Romæ, et id exponit esse occisum in membris suis, ergo Abel et Machab martyres, item Stephanus, Andreas, et omnes Apostoli Ron interfecti sunt, nam illi etiam interfecti sunt in terra. At n sunt interfecti Romæ in propriis personis, nec in membris su quia Abel aut alius similis non fuit caput Martyrum, nec in é locum habet regula de capite et corpore; quomodo ergo omn illi Romæ interfecti sunt? Quod ergo rex de aliis responderi nos de Christo respondebimus, multoque facilius et probabiliu quia non est necesse illam distributionem intelligere de omn bus Sanctis a principio mundi interfectis, sed de illis qui p tyrannos persequentes Christi Ecclesiam interfecti sunt, et i non est necesse sub illis comprehendere Christum.

11. *Romæ dicitur inveniri sanguis eorum Martyrum, qui ej auctoritate vel approbatione occisi sunt.* — Dices saltem necess rium videri omnes Martyres novi Testamenti comprehen Propter hoc respondent docti expositores moderni, sensum n esse, omnes Sanctos interfectos esse Romæ, sed dici in ea inv niri sanguinem omnium Martyrum, quia Romana potentia auctoritate interfecti sunt, quotquot ubique pro Christo interfe fuerunt, maxime usque ad tempora Joannis. Potestque expos

tio hæc satis in littera fundari, sic enim habet: «In ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium, qui interfecti sunt in terra.» Ubi pondero particulam illam «in terra»; in hoc enim posteriori loco non dixit «in ea», id est, in Babylone, sed «in terra», id est, ubique in mundo; ergo non dicit omnes esse Romæ interfectos, sed omnium ubique interfectorum sanguinem Romæ attribui. Sed instabit aliquis, quia etiam hoc modo non omnes Martyres Romanorum imperatorum aut magistratuum ipsorum opera interfecti sunt. Nam Stephanus interfectus est a Judæis populari impetu, aut propria auctoritate: multi etiam in Perside, et aliis locis extra Romanum imperium interfecti sunt. Respondetur imprimis hos paucos esse, eorumque non haberi rationem, neque esse necessarium ut universales sermones Scripturæ sine ulla exceptione semper intelligantur. Vel dici etiam potest, omnium pro Christo interfectorum sanguinem Romæ inveniri, quia omnium martyria Roma suo exemplo approbavit, et omnibus tyrannis exemplum et animos præbuit ad persequendum Christianos, ac denique quia vel omnium mortibus cooperata est, vel affectu suo consensit, et ita particeps facta est interfectionis omnium.

12. *Etsi Christus Romana auctoritate sit occisus, violenter ex Joannis verbis dicitur Romæ occisus. — Romæ est sanguis martyrum, qui Romæ occisi non sunt.* — Atque hæc omnia optime in Christi mortem conveniunt, sicque melius accommodantur quæ ex ultimo loco in sua interpretatione dicit, Christum dici interfectum Romæ, quia Romani imperatoris auctoritate interfectus est. Hoc enim violentissime accommodatur ad verba Joannis, cap. 11. Nam ibi non agit de auctoritate, sed de loco, «ubi Dominus eorum crucifixus est», ut verba ipsa ostendunt, et occasio propter quam adjuncta fuere, utique ad signum exhibendum quo intelligeretur de qua civitate sermo esset, ad quem finem parum deservit, aut auctoritatem, aut potentiam qua Christus occisus est, nosse; potuit enim in toto orbe Romano, et in quacumque ejus civitate interfici, etiam si auctoritate im-

peratoris necaretur. At vero in cap. 18, omnes interfecti, sul quibus rex vult Christum comprehendi, non dicuntur interfect Babylone, sed «in terra»; sanguis autem omnium dicitur ess Babylone, seu Romæ, utique per participationem, auctoritatem cooperationem seu consensum, ut dictum est Hoc autem mod etiam sanguis Christi non in membris tantum, sed etiam in su persona Romæ inventus est, vel propter rationem regis, qui per Romanos milites et magistratum, et quasi in defensionem auctoritatis Cæsaris interfectus est, vel certe quia romani im peratores, persequendo et occidendo Christianos, maximum i Christum odium profitebantur, et ita interfectionis ejus partici pes fiebant. Rex ergo sua illa interpretatione solvit quidem propriam objectionem, quam in præcedenti confirmatione po suerat; non vero exponit, sed corrumpit verba cap. 11, qua tractamus.

13. *D. Hieronymus explicatur. — Alibi Hieronymus suam mentem clarius expressit.*—Ad Hieronymum respondemus impr mis non favere regi, quia non de Roma, sed de toto mundo lo cum interpretatur. Et nihilominus dicimus, etiam illam inter pretationem non probari a nobis, quia est a verbis et a ment scribentis aliena, ut explicatum est, censentque viri doct Hieronymum ibi non tam in propria persona, quam nomin Paulæ et Eustochii loqui, eaque proponere, quæ ad Jerusalem commendandam et ab ignominia vindicandam illæ confer putabant, non expendendo nec examinando rigorose veritate eorum, quæ dicebantur. Nec rationes Hieronymi cogunt, tu quia eadem civitas diversis respectibus vel temporibus sanc et iniqua nuncupatur, ut est frequens in Scriptura; tum etia quia probabile est «civitatem sanctam», de qua Joannes loqui tur in initio illius capitis, non esse eamdem cum «civitate ma na», de qua in fine loquitur, nam prior est Ecclesia Christ posterior vero est Jerusalem. Nec est inusitatum in Scriptu Jerusalem comparari Sodomæ, ut ibi late expositores ostendun et licet alibi factum non esset, hoc non obstaret quomin

Joannes, prævidens futurum Hierosolymitanum statum sub tempore Antichristi, eam comparationem faceret illaque metaphora uteretur. Nam etiam Roma in antiqua Scriptura non invenitur Babylon appellata, et tamen Petrus et Joannes nomen illud per metaphoram imposuerunt. Denique idem Hieronymus, Daniel., 11, in fine, ex professo docet, Antichristum Jerosolymis collocaturum esse solium regni sui, et ibi in monte Sion esse a Christo interficiendum. Et in hunc sensum exponit late locum Danielis, quem sensum, ut ipse ait, «prolixe prosecutus est, ut ostenderet Porphyrii calumniam, et Scripturæ difficultatem, cujus intelligentia absque Dei gratia, et doctrina majorum sibi imperitissimi vel maxime vendicant.» Quæ verba ideo refero, ut meam etiam in hoc libro prolixitatem eisdem excusem.

CAPUT XVII

Ex descriptione personæ Antichristi, quam Paulus tradit, 2 ad Thessal., 2, illum Pontificis adversarium maximum potius quam Papam esse futurum, evidenter ostenditur.

1. *Summum Pontificem Antichristum esse rex Jacobus colligit.* — Hoc est tertium caput disputationis quam rex de Antichristo proposuit. Qui statim in ejusdem disputationis initio inducit descriptionem personæ Antichristi traditam a Paulo, 2 ad Thessal., 2: «Homo peccati, filius perditionis, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus.» In qua omissis duabus prioribus particulis, solum tertiam expendit, et illam Pontifici accommodat, ut illum Antichristianismi arguat. Et in hunc fere modum colligit: Papa se extollit supra omne quod dicitur Deus; ergo est Antichristus. Antecedens patet, nam de regibus vel sacerdotibus, vel de utrisque ait Deus: «Ego dixi: Dii estis»,

Psal. 82. At Papa se extollit supra omnes reges et Episcopos, nam «super utriusque gladii potestatem se effert.» Ergo extollit se supra omne quod dicitur Deus, ac proinde est Antichristus. Neque in eo loco in verbis Pauli proprietatem aliam unde Antichristi persona describi seu cognosci possit, considerare voluit, sed post longam digressionem de sede et tempore Antichristi, in p. 102, ad descriptionem personæ illius revertitur, eamque non ex locis clarioribus Scripturæ, sed ex obscurissimis Apocalypsis visionibus eruere conatur. Sed prius quam ad illa obscuriora, minusque utilia, necessitate coacti cum illo divertamus, circa hunc locum Pauli insistendum est. Quoniam ex eo evidenter constare potest talem describi Antichristi persona, ut non solum a Pontifice Romano distinctus, sed etiam fide et moribus omnino diversus et oppositus, ac denique summus Apostolicæ Sedis hostis et adversarius cogitandus sit.

2. Et imprimis expendo verba priora quæ rex omisit: «Homo peccati, filius perditionis.» Nam per hæc verba describitur ille homo ut iniquissimus, et quod perditissimus sit futurus. Quod paulo post apertius idem Apostolus explicuit, dicens: «Ille iniquus, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, et in omni seductione iniquitatis.» Unde Chrysostomus ibi Homil 3: «Vocat eum hominem peccati, quia faciet innumerabilia.» Et Theodor.: «Ipsum (inquit) hominem peccati appellavit, quandoquidem natura homo est, qui omnem operationem diaboli in se suscipit. Filius autem perditionis, ut et ipse pereat, et aliis perditionem procuret.» Unde in hoc dicit Christum æmulaturum, ut sicut Christus omnium fuit causa salutis, ita ipse sit auctor perditionis omnium Theophyl.: «Hominem peccati illum ipsum vocat, ut qui omne peccatorum genus peracturus sit, et alios ad peccatum supplantaturus.» Similia habet ibi Œcumenius, eisdemque coloribus Antichristum depingunt Cyrill., catech. 15: «Judæos (ait) decipiet, eosque omni genere inhumanitatis et malis circumscribet, ita ut omnes, qui ante illum improbi et impii fuerint, excellat malitia.» Et S. Ephrem

serm. de Antichristo: «Evomet draco in eum universam suam amaritudinem cum omni sua malitia, propinabitque fraudulenter latens in se lethiferum virus.» Et similia habet Damasc., lib. 4, c. 27, et alii, qui de Antichristo scribunt, vel expresse vel tacite ita verba Pauli interpretando. Verba enim illa Pauli, «Homo peccati, filius perditionis», per exaggerationem et antonomasiam dicta sunt. Habent namque illa genitiva locum adjectivorum, et absolute posita illam magnam vim habere solent, sicut idem Paul., ad Coloss, 1, Christum vocavit «filium dilectionis suæ», id est, dilectissimum, in quem Pater omnes thesauros dilectionis suæ effudit, ut sensit Augustinus, 15 de Trinit., c. 19, in fine. Ad hunc ergo modum vocat idem Paulus hoc loco Antichristum hominem peccati, id est, summe malum ac perditissimum, vel, ut Hug. Card. exposuit, «servum peccati», vel, ut ait Cajetanus, «homo habens plenitudinem omnium peccatorum.» Et hinc etiam Theologi, cum Gregorio, 15 Moral., c. 28, Antichristum dicunt esse caput malorum omnium sub Satana, quia in illo futura est omnis malitiæ plenitudo. Et quia sicut Christus est sanctior omnibus bonis, ita Antichristus futurus est pejor omnibus malis, ut dixit cum gloss. D. Thomas, 2 Thessalon,, 2.

3. *Ostenditur Antichristi notas Summis Pontificibus non convenire.*—Quis ergo ita sit audax, et impudens, ut descriptionem hanc Bonifacio III aut Pontificibus, qui post illum fuerunt; attribuere non vereatur? Quid enim mali fecit Bonifacius III, propter quod «homo peccati» et «filius perditionis» vocari meruerit? Nihil profecto tale memoriæ proditum in historiis legimus. Nam sancte vixit, et sancta decreta edidit, et sancte mortuus est, ut constat, ex Platina et aliis. Solumque illud ei objiciunt Protestantes, quod ambitionem Constantinopolitani Patriarchæ, primatum Ecclesiæ appetentis, represserit, et Sedem Romanam matrem esse, et caput Ecclesiarum constanter fideliterque defenderit. At hoc summa laude dignum est; non enim fuit ab eo usurpatum aut noviter inventum, sed a Deo

concessum, et a Patribus ac prædecessoribus suis acceptum. Id enim omnes superiores Pontifices, usque ad sanctum Gregorium Magnum fecisse, in superioribus ostensum est.

4. *Phocas Romanæ Sedi primatum non detulit, sed ad summum declaravit.*—Sed instant, nomen universalis Episcopi ab imperatore Phoca sibi concessum usurpasse, ut Anastasius refert. Respondemus imprimis, aut eos tractare de nomine universalis Episcopi, aut de re per illud significata, scilicet, primatu Ecclesiæ. Primatum quidem Ecclesiæ Romanæ supra Constantinopolitanam et alias conferre non potuit Phocas, nam ante illum semper in Ecclesia Romana fuit, et ipsi Patriarchæ Constantinopolitani longe antea ac semper illum recognoverunt, ut in superioribus ostensum est. Ad summum ergo potuit Phocas Romanæ Ecclesiæ primatum contra insolentiam Cyriaci moderni Archiepiscopi Constantinopolitani defendere ac declarare. Atque hoc tantum fecisse Anastasius et Paulus Diaconus retulerunt, quorum verba recitat Baron., anno 606, n. 2. Si vero de nomine œcumenici seu universalis Episcopi tractant, et in eo ponunt hoc grande peccatum, imprimis in verbis Anastasii aut Pauli Diaconi hanc vocem non invenio, sed voces primatus primæ sedis et capitis Ecclesiarum, quæ antiquissimæ sunt. Deinde etiam si verum sit, Joannem Archiepiscopum Constantinopolitanum, nomen universalis Episcopi usurpare voluisse et Cyriacum eadem ambitione laborasse, et propterea Bonifacium obtinuisse a Phoca, ut illum compesceret, ipsumque Phocam id fecisse, et imperiali edicto declarasse, nomen illud solum Romano Pontifici posse convenire, nihilominus nec Anastasius refert, neque ostendi potest, Bonifacium aut sucessores ejus titulum illum accepisse, illa voce explicatum, et significatum. Denique concedamus, si placet, Bonifacium illo titulo et nomine usum fuisse, numquid hoc grande peccatum est, ut propterea mereatur Bonifacius homo peccati appellari? Certe res ipsa et dignitas vera est, ut revera est, non multum refert hac vel illa voce illam explicare, et fortasse in ea occasione a

reprimendum et confundendum Cyriacum illo nomine uti volentem, videri potuit expediens. Alioqui si Bonifacius titulum illum acceptans peccavit, gravius certe Chalcedonensis Synodus deliquit, quæ nomen illud Leoni Magno ejusque successoribus obtulit, teste Gregorio, lib. 7, indict. 1, epist. 30.

5. *Henricus vere debuit homo peccati appellari.* — Quod si Gregorius et prædeccessores ejus, ut idem ait, illud acceptare noluerint, vel propter humilitatem, vel quia suis temporibus non judicarunt necessarium, vel quia vocis ambiguitatem timuerunt, existimari posse arbitrantes illo nomine universalis Episcopi omnem alium episcopatum de medio tolli, potuit nihilominus Bonifacius suo tempore, jam satis explicata voce et intentione Cyriaci Constantinopolitani Episcopi, ad resistendum illi, sine humilitatis præjudicio, ad dignitatem ipsam tuendam nomen acceptare. Admiratione profecto dignum est, quod Henricus, rex Angliæ, ad suæ libidinis excusationem nomen capitis Ecclesiæ usque ad illa tempora inauditum ausus fuerit usurpare, et a Jacobo rege non homo peccati, sed potius verum Ecclesiæ caput, cui ipse succedere, quemque imitari debeat, censeatur; et Bonifacium III, propter acceptum a majoribus nomen, defensamque dignitatem, Antichristum, hoc est, hominem peccati, et filium perditionis appellare ausus sit. Omitto cæteros Pontifices, qui post Bonifacium sederunt, neque illo titulo ordinarie usos esse, neque indignum illud nomen hominis peccati meruisse. Nam, licet non negemus aliquos improbis moribus fuisse, illi tamen pauci fuerunt, et inter eos nullus tam iniquus habitus est, ut homo peccati et filius perditionis per antonomasiam dici meruerit, et e conversu multi fuerunt sanctissimi, ex quibus aliqui martyres fuerunt, multi vita et ·ctitate illustres, ac reliqui omnes sine ulla improbitate vel andalo Ecclesiam in fide et justitia conservarunt. Desriptionem ergo Antichristi illis verbis a Paulo insinuatam nemo qui vel judicium rationis habet, Pontifici Romano accomodabit.

6. *Alia Pauli verba a rege supprimuntur.* — Venio ad alia verba, quæ rex expendit, licet non integre illa referat, sic enim habent: «Qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.» Omisit enim rex verbum «adversatur», quia suæ interpretationi non congruebat: Pontifex enim non adversatur christianis regibus aut Episcopis, quos rex ibi deorum nomine significari vult, sed eorum se spiritualem patrem et protectorem, æquissimumque moderatorem esse profitetur. Prætermisit etiam illa posteriora verba, «aut quod colitur», quia sensum ab illo excogitatum prorsus evertunt. Sed videamus prius quomodo sancti Patres verba illa intellexerint. Certe illi non reges, judices aut principes mundi, vel Ecclesiæ sacerdotes aut Prælatos Paulum intellexisse existimarunt, sed ut sonant verba: «Omne quod dicitur Deus.» Et specialiter solent Patres de idolis et diis gentium id exponere, quia omnes abjiciet Antichristus, et supra omnes elevabitur, id est, supra omnes qui dei, licet falso, dicuntur. Sic Chrysostomus inquit: «Destruet Deos gentium, jubebitque se pro deo adorari.» Similiter Theodor.: «Se ipsum Christum et verum Deum dicet; et ita contra omne quod dicitur Deus, insurget.» Idem fere Theoph., OEcumen, et Ambros., aliique expositores. Irenæus vero clarius lib. 3, c. 6, de diis gentium locum Pauli interpretatur, «qui dicuntur dii, sed non sunt», et supra illos ait extollendum esse Antichristum, «non supra verum Deum.» Quod quomodo intelligendum sit, dubitare quis potest. Nam idem Irenæus, lib. 5, cap. 25, licet eodem modo verba illa exponat, simul de eodem Antichristo dicit: «Existens apostata et latro, quasi deus vult adorari.» Unde adjungit: «Idola quidem seponens ad suadendum, quod ipse sit Deus, se autem extollens unum idolum.» Itaque Antichristus revera supra verum Deum, et supra falsos seu idola se extollet. Sentit autem Irenæus Paulum, per illa verba, «supra omne quod dicitur Deus», tantum falsos deos intellexisse, exaltationem vero ejus supra verum Deum in aliis verbis: «Ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit

Deus», significasse. Unde c. 28 ait: «In templo Dei sedente, ut sicut Christum adorent illum, qui seducuntur ab illo.»

7 *Tam verum Deum, quam falsum a divo Paulo significari.* —Non est autem alienum ab universalitate dictorum verborum, ut intelligantur tam verum quam falsos deos comprehendere, scilicet, «supra omne quod dicitur Deus,» sive vere, sive false dicatur, et sive religiose, sive superstitiose colatur. Et ita Lyran. ibi, et Rab., in tract. de Antichristo, «supra omnes,» inquiunt, «deos gentium, et non solum supra illos, sed etiam supra omne quod colitur,» id est, supra Sanctam Trinitatem, quæ solum colenda et adoranda est. Idemque clare sentit OEcumen. ibi, dicens: «Adversabitur et extolletur sua superbia, non solum adversus Deum universorum, sed etiam adversus idola. Neque enim ad idololatriam ducet homines, sed ut ipsum tanquam Deum adorent; propterea dicitur, quod efferetur super omne quod dicitur Deus, aut Numen.» Et 1 Joan., 4, eadem verba tractans, adjungit: «Per hoc quod addit, et omne numen, etiam Christianismum significat,» in quo nimirum est cultus veri Dei. Præterea Chrysostomus ibi, cum Paulus simul dicat: «Adversatur et extollitur,» ita exponit: «Non enim inducet ad cultum idolorum, sed erit quidam Dei adversarius,» utique veri Dei; ergo etiam supra illum extolletur, nam faciet se pro Deo adorari,» ut idem Chrysostomus subjungit, homil. 40 in Joan., 5, exponens verba illa: «Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Antichristus» (ait) «neque se missum a Patre, neque ejus voluntate venire dicet, sed omnem potestatem tyrannice vindicabit, se omnium Deum profitebitur, ut Paulus inquit, supra omne quod dicitur Deus, aut colitur» (1). Alii vero Patres nunc de idolis et falsis diis, nunc simpliciter de omni cultu Dei lo[illegible]untur. Sic enim Tertullianus, lib. de Resurrect. carn., c[illegible] 24: «Adversatur» (ait) «et superextollitur supra omne quod

(1) 2 Thess., 2.

dicitur Deus, vel religio, ita ut in templo Dei sedeat, affirmans Deum se.» Idemque habet lib. de Anima, cap. 57, et lib. 3 contra Marcion., cap. 16: «Supra omne» (ait) «quod Deus dicitur, et omnem religionem.» Similia videri possunt in Hypolit. Ephrem, et aliis, in tractat. de Antichrist.; Cyrill., cateches. 15 Lactant., lib. 7, c. 17; Hieronymo, dicta q. 11, ad Algas; e idem sentit Augustinus, tract. 29 in Joan. Parumque refer quod per priora vel posteriora verba Paulus id dixerit, dum modo constet, in integra descriptione Antichristi, quam ibi posuit, non tantum de diis metaphoricis (ut sic dicam) seu pe participationem quamdam, ut sunt reges et Prælati, nec tantum de diis gentium falsis, seu idolis, sed etiam de vero Deo locutum fuisse.

8. *Principes etsi aliquando dii dicantur, ea significatio Paul loco non congruit.* — Valde ergo frigida est et inanis Protestantium expositio, aut potius accommodatio. Primo, quia est contra communem sensum Patrum. Secundo, quia «omne quod dicitur Deus,» plus comprehendit. Vel si verbum illud, «quod dicitur,» habet emphasim illam, «quod dicitur, cum non sit,» ut Irenæus significavit, sic non ad reges vel Prælatos, sed ad idola pertinet, quia reges et Prælati, eo modo quo dicuntur dii non falso dicuntur, cum ore ipsius Dei dicantur secundum quamdam analogiam vel participationem. Vel si absolute sumitur «omne quod dicitur,» sive sit, sive non sit, omnem appellatum Deum includit. Et præterea illud nomen «Deus,» debuit maxime comprehendere id quod frequentius, et ab omnibus, et a toto vulgo dicitur Deus; Episcopi autem aut reges, licet semel aut iterum in Scriptura dii dicantur, vulgo tamen et communiter non ita appellantur; idola autem gentium tunc maxime deorum nomine significabantur, et præter illos Deus verus, præsertim a Christianis, tunc maxime Deus dicebatur; ergo de his potius quam de regibus loquitur Paulus.

9. *Summa Antichristi superbia non erit in eo, quod velit hominibus, sed ipsi Deo præcellere.* — Accedit etiam non contem-

nenda conjectura, quod Paulus ibi non quamcumque animi ela-
ionem, sed summe pravam et inordinatam, in illo homine
peccati voluit ostendere ac describere, ut verba ipsa, et magis
quæ inferius adjungit, præ se ferunt. Ergo non loquitur tantum
e exaltatione super alios homines in potestatibus temporali-
ous vel humanis. Hoc enim modo multi fuerunt superbissimi
mperatores, supra omnem humanam potestatem se extollentes,
t ipse rex Angliæ in suo regno ita vult extolli, ut solus recog-
noscatur in temporalibus et spiritualibus, et ita se effert supra
utrumque gladium, ut infra Deum nolit recognoscere superio-
em, etiam in ordine ad salutem animæ, sed omnium volens
esse judex, a nemine putat se posse judicari. Multo ergo majori
atione potest hujusmodi rex Antichristus saltem in imagine
eu imitatione appellari. Nam Athanasius, epist. ad Solitar. vit.
gent., circa finem, ita de Constantio loquitur: «Gravia sunt
sta, et plus quam gravia, tamen istiusmodi quæ congruant in
um qui Antichristi imaginem gerit. Quis enim videns, eum in
ecernendo se facere principem Episcoporum, et præsidere ju-
icius ecclesiasticis, non merito dicat illum eam ipsam abomi-
ationem desolationis esse, quæ a Daniele prædicta est.» Hæc
e Constantio dixit Athanasius, quia judicia Episcoporum in
ebus ecclesiasticis, et præsertim in causa fidei usurpare vole-
at; quid ergo de sæculari principe, qui spiritualem primatum
ibi arrogat, dicturus fuisset?

10. *Antichristus supra Deum se efferet.*—Verumtamen, licet
oc genus superbiæ imaginem Antichristi referat, nondum ta-
ien veritatem; majorem enim voluit Paulus de Antichristo in-
icare, et ideo non ibi descriptionem conclusit, sed addidit:
Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.»
uæ verba sine causa rex in illa descriptione omisit, cum illa
naxime declarent personam Antichristi, et superbiam ejus, ex-
onantque quomodo intelligendum sit prius verbum: «Extollit
super omne quod dicitur Deus;» non quidem super utriusque
adii potestatem se efferendo, intra ordinem ministrorum Dei,

sed supra ipsum Deum se exaltando, et jubendo se in templ adorari ut Deum. Et hoc magis declarant quæ postea adjungit «Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omn virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.» Nam hæc omnia e tendent, «ut se Deum faciat in omni seductione iniquitatis.

11. *Argumentum ad hominem.* — Ex quibus etiam consta argumentum regis contra ipsum evidenter retorqueri. Primo a hominem, quia ipse dicit Romanum Pontificem esse idololatran adorando Sanctos, numina et deos, ac subinde illis se subj ciendo, et serviendo ; at vero Antichristus nulli numini se sul jiciet, sed supra omne illud extolletur, nec idola aut simulacr venerabitur, sed eis adversabitur, ut Patres ex verbis Pau colligunt; ergo non loquitur consequenter rex, dicens Papa esse Antichristum. Deinde evidentissimum est Papam non s facere Deum, nec jubere se adorari ut Deum, nec esse Dei a Christi adversarium ; nam ejus gloriam verumque cultum tan quam ejus minister procurat; non est igitur Antichristus, n que se extollit sicut Antichristus. Item Antichristus, ut Chrysostomo referebam, non se dicet a Patre vel Deo missu sed in nomine suo veniet, ut Christus etiam significavit, Joan., Pontifex autem non solum a Patre missum, sed etiam a Chris sibi esse potestatem commissam confitetur, et servum ejus, in et servorum Dei se profitetur; quæ igitur est conventio luc ad tenebras, Christi ad Belial, Vicarii Christi ad adversariu Christi?

12. *Proprie non se extollit qui jus suum juste tuetur.* — Un addo, injustissime attribui Pontifici verbum «extollendi se,» quod dignitatem suam supra utriusque gladii potestatem tue tur. Nam qui jus suum et a Deo sibi propter bonum Eccles datum defendit, non «se extollit» (quod verbum excessum arrogantiam significat, et in hoc sensu sine dubio acceptum a Paulo), sed divinam institutionem defendit, et universale b num Ecclesiæ procurat; Pontifex autem revera est a Chris constitutus supra utriusque gladii potestatem, ut in superio

bus ostensum est; ergo non se extollit, cum illum gradum honoris sedi suæ vendicat. Et quidem si hoc titulo Antichristi nomen meretur, non a Bonifacio III, sed a principio Ecclesiæ Antichristianismus incœpit; semper enim Pontifices illum excellentiæ gradum in sua sede recognoverunt et defenderunt, ut supra ostendimus Denique non minus efficax argumentum sumitur ex ultimis verbis, quibus describitur Antichristus ut operans signa et prodigia mendacia; nam Romana Sedes non est usa his artibus aut prodigiis ad suam dignitatem tuendam. Imo ipse rex Angliæ dixit se nescire, quibus artibus ad illud fastigium potestatis ascenderit; neque mirum, si illas nesciat, quia nullæ sunt, præter sinceritatem verbi Dei, et efficacitatem promissionis Christi stabilientis Ecclesiam suam supra petram, verisque miraculis illam confirmantis, ut c. 19 attingemus.

13. *Mendacibus signis Pontifices Catholicis illudere calumniantur Protestantes.*—Sed dicit rex hæc prodigiosa signa et mendacia, esse miracula, quæ Catholici in Ecclesia facta esse et fieri gloriantur, quæ ipse irridet, adhibens etiam exemplum de miraculo circa Eucharistiam facto, quo illius veritatem alibi Bellarminus confirmavit. Quod exemplum tam docte et pie idem Bellarminus defendit in sua respons., c. 9, ut nihil illi addi posse videatur. Solum advertere oportet hæc falsa prodigia interdum tribui Antichristo, ut in hoc loco Pauli, interdum vero prædici de quodam pseudopropheta ejus, ut Apoc., 13, ver. 12 et 13. Et utrumque locum exponit rex de falsis miraculis Ecclesiæ, confundit tamen Antichristum cum propheta ejus, et Romanum Pontificem cum Ecclesia. Ut autem errorem ejus et Protestantium calumniam detegamus, illa duo loca et puncta distincte tractare necesse est. Hic ergo de miraculis ipsiusmet Antichristi Apostolus loquitur. Ut ergo pontificatum Romanum in Antichristianismum transisse rex nobis probet, oportet ut demonstret, aliquem Romanum Pontificem, qui præstigiis et prodigiis mendacibus ad Antichristi imperium erigendum usus fuerit. At hoc ostendere non potest; fateatur ergo necesse est,

descriptionem Antichristi a Paulo datam Pontifici non convenire.

14. *Nullum Pontificem Romanum præstigiis grassatum ostenditur, et imprimis de Bonifacio.*—Minorem ex historiis probare possumus, a Bonifacio III incipiendo, et per alios discurrendo, quod esset prolixum; satis ergo sit in summa dicere, Bonifacium nulla signa fecisse, quibus dignitatem aliquam, vel potestatem, aut imperium consecutus sit, ut ex historiis et ex superius dictis satis est evidens. De successoribus autem ejus etiam sanctissimis, pauca vera miracula in ecclesiasticis historiis leguntur, tantum abest ut falsa confingantur. Nam Leonem II, qui multis annis post Bonifacium III sedit, sanctum virum fuisse, Anastasius, Platina et alii tradunt, et Romana Ecclesia anniversario cultu inter Sanctos eum veneratur. Et tamen nulla de illo miracula vel signa leguntur quibus vel potentiam aliquam usurpaverit, vel sanctitatis nomen obtinuerit. Martinus autem I, qui post Bonifacium III, ante Leonem II sedit, non solum signis aut portentis non est usus ad Ecclesiam decipiendam, verum potius sola Pontificia fide, et spirituali potestate, ac animi constantia Constanti Imperatori, et Paulo Constantinopolitano Episcopo, restitit, dicens, «etiam si totus orbis dogmata peregrina, et a fide aliena complecti velit, sed nec minis cujusquam, nec blandimentis, nec morte ipsa a doctrina Apostolica et Evangelica ullo pacto posse avelli» (1). Hac ergo fide, non falsis miraculis Apostolicam sedem commendavit, et ideo eamdem fidem in suis Epistolis maxime laudat. Et ob eamdem fidem Deus vero miraculo illum a manu Spatharii volentis jussu imperatoris, et exarchi Olympii tentantis illum occidere, liberatus est, eumque postea vivum et mortuum veris miraculis honoravit. Sic etiam Pontifex Deusdedit, Martino an

(1) Baron., anno 649, n. 4; Baron. supra n. 50, ex Anastas., Baron an. 654, num 3 et 6.

tiquior, et junior Bonifacio, in historiis Sanctus prædicatur, et anniversaria traditione colitur, suamque dignitatem sine prodigiis mendacibus conservavit, vera sanctitate vitæ, quam et historiæ referunt, et Ecclesia veneratur, et Deus aliquando simplici et vero miraculo, solo osculo ægrum a lepra mundando, manifestavit. Et similia de Gregor. II, III, ac VII, Agathone, Leone VIII et aliis, in gravibus ac fide dignis historiis referuntur, eisque cum sanctitate vitæ nonnulla miracula sine ulla fictione vel mendacii suspicione tribuuntur.

15. Miracula ergo, quæ a Pontificibus Romanis post Bonifacium interdum facta sunt, longe distant a signis Antichristi; nam hæc erunt «in omni seductione iniquitatis» (1), ut Paulus ait, illa vero in fidei defensionem, et Christi honorem semper facta leguntur. Denique Rex ipse alio loco fatetur, se ignorare artes per quas thronus ille Romanæ Sedis ad tam excellentem potestatem evectus est; cur ergo nunc fingit, per falsa signa et portenta mendacia esse comparatum?

16. *Refellitur Patrum consensu.* — Tandem addit Paulus aliud signum, et quasi particulam aliam descriptionis Antichristi, dicens, «quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.» Quæ verba Protestantes et rex illos sequens etiam ad metaphoram traducunt, dicentes, spiritum oris Christi esse verbum Dei prædicatum per Lutherum, et ministros ejus, quo Deus Papatum debilitavit, et paulatim destruit. Verumtamen neque iste est sensus Pauli, neque etiam in eo sensu verum est, quod dicitur. Paulus enim per spiritum oris Christi, ejus imperium efficax, et per illustrationem adventus ejus, verum descensum, et gloriosam apparitionem ad interficiendum Antichristum intelligit. Hoc enim verba in proprietate significant, et non est cur ad metaphoricos sensus orqueantur. Et ita illa Patres intellexerunt. Chrysostomus ibi,

(1) 2 Thess., 2.

orat. 4: Jussu (inquit) solo et præsentia, satis est enim eum adesse, et hæc omnia perierunt » Theodoret.: «Cum e cœlo apparuerit, loquetur tantum, et scelerato isti omnino afferet interitum.» Et adjungit locum Isai., 11 : «Spiritu oris sui interficiet impium.» OEcumen.: «Spiritum oris vocat jussum et præceptum.» Ambros., 1 Thessal., 5: «Subito et ex insperato apparebit Christus, sicut coruscatio apparet, habens secum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichristi, et satellitum ejus.» Et id confirmat ex Apoc., 11. Hieronymus, dicta quæst. 11 ad Algas., exponit: «Spiritu oris sui», id est, «divina potestate, et suæ majestatis imperio, cujus jussisse fecisse est » Et infra: «Quomodo tenebræ solis fugantur adventu, sic illustratione adventus sui eum Dominus destruet, atque delebit.» Et Augustinus, decimo octavo de Civit., c. 53: «Illam (inquit) novissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsenti sua ipse extinguet Jesus, sicut scriptum est», etc., et inducit verba Pauli. Juxta hanc ergo verborum proprietatem, verumque sensum, satis constat descriptionem Antichristi quoad hanc partem non esse in Romanis Pontificibus impletam.

17. *Protestantes de verbo Dei gloriantur.* — Sed neque id quod in sua metaphora jactant Protestantes, ostendere unquam potuerunt. Gloriantur enim de verbo Dei, cum tamen nihil minus credant, aut in veritate habeant. Retinent enim corpus inanime verbi Dei (ut supra dicebam), et spiritu proprio illud induunt. Huicque spiritui proprio fidem adhibent, illoque solo bellum contra Dei Ecclesiam et Romanum Pontificem movent, ut evidenter in lib. 1 demonstravimus. Absit ergo ut tali verbo et spiritu oris sui prævalere possint contra petram, super quam Deus fundavit Ecclesiam, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Neque propterea quod multos a fide et obedientia Romanæ Ecclesiæ perverterunt, ideo per eos impleta est Pauli prædictio; nulli enim fuerunt hæretici, qui non multos decipierent, et plures pervertit Arrius quam Lutherus, et non ideo delere potuit Christi Vicarium vel Ecclesiam ; est ergo inan

gloriatio illa vanaque præsumptio. Qui ergo integre consideraverit signa omnia, et colores quibus Paulus describit venturum Antichristum, evidenter inteliget non solum dissimilem Pontifici futurum, sed etiam ex diametro contra illum pugnaturum; nam cum sit futurus Christi hostis, non potest non esse maximus Vicarii Christi adversarius.

CAPUT XVIII

Quæ ex visionibus cap. 6 et 9 Apocalypsis rex inducit, refelluntur

1. *Equi pallidi sessorem Apoc., 6, Antichristum rex interpretatur.* — Pergit rex in sua Præfatione, pag. 102, et ad suam de Pontificum Antichristianismo persuadendam conjecturam, quatuor visiones Apocalypsis inducit, in quibus ait Antichristum depingi. Prima est in c. 6, ubi Joannes narrat apertiones sex sigillorum libri, quem c. 5 clausum viderat, et post primam visionem equi albi, cui Christus insidebat, et secundam equi rufi qui persecutionem, quam Christiani vel a tyrannis, vel a suis cognatis et amicis passuri erant, et tertiam equi nigri, qui famem et alias plagas, vel potius hæreticorum tenebras et persecutiones significabat, adjungit quartam visionem equi pallidi, quæ his verbis describitur: «Ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ» (vel, ut rex ex græco legit, super quartam partem terræ), «interficere gladio, fame et morte, et bestiis terræ.» Hunc ergo equum pallidum vel sessorem ejus vult rex esse Antichristum, quod inde confirmat, quod statim illi connectitur quinti sigilli reseratio, in qua SS. Martyres clamant, et accelerari judicium et vindictam exposcunt, quod statim in apertione sexti

orat. 4: Jussu (inquit) solo et præsentia, satis est enim eum adesse, et hæc omnia perierunt » Theodoret.: «Cum e cœlo ap. paruerit, loquetur tantum, et scelerato isti omnino afferet interitum.» Et adjungit locum Isai., 11 : «Spiritu oris sui interficiet impium.» OEcumen.: «Spiritum oris vocat jussum et præceptum.» Ambros., 1 Thessal., 5: «Subito et ex insperato apparebit Christus, sicut coruscatio apparet, habens secum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichristi, et satellitum ejus.» Et id confirmat ex Apoc., 11. Hieronymus, dicta quæst. 11 ad Algas., exponit: «Spiritu oris sui», id est, «divina potestate, et suæ majestatis imperio, cujus jussisse fecisse est » Et infra: «Quomodo tenebræ solis fugantur adventu, sic illustratione adventus sui eum Dominus destruet, atque delebit.» Et Augustinus, decimo octavo de Civit., c. 53: «Illam (inquit) novissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsenti sua ipse extinguet Jesus, sicut scriptum est», etc., et induci verba Pauli. Juxta hanc ergo verborum proprietatem, verumque sensum, satis constat descriptionem Antichristi quoad hanc partem non esse in Romanis Pontificibus impletam.

17. *Protestantes de verbo Dei gloriantur.* — Sed neque id quod in sua metaphora jactant Protestantes, ostendere unquam potuerunt. Gloriantur enim de verbo Dei, cum tamen nihil minus credant, aut in veritate habeant. Retinent enim corpus inanime verbi Dei (ut supra dicebam), et spiritu proprio illud induunt. Huicque spiritui proprio fidem adhibent, illoque solo bellum contra Dei Ecclesiam et Romanum Pontificem movent, ut evidenter in lib. 1 demonstravimus. Absit ergo ut tali verbo et spiritu oris sui prævalere possint contra petram, super quam Deus fundavit Ecclesiam, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Neque propterea quod multos a fide et obedientia Romanæ Ecclesiæ perverterunt, ideo per eos impleta est Pauli prædictio; nulli enim fuerunt hæretici, qui non multos decipierent, et plures pervertit Arrius quam Lutherus, et non ideo delere potuit Christi Vicarium vel Ecclesiam ; est ergo inan

gloriatio illa vanaque præsumptio. Qui ergo integre consideraverit signa omnia, et colores quibus Paulus describit venturum Antichristum, evidenter intelliget non solum dissimilem Pontifici futurum, sed etiam ex diametro contra illum pugnaturum; nam cum sit futurus Christi hostis, non potest non esse maximus Vicarii Christi adversarius.

CAPUT XVIII

Quæ ex visionibus cap. 6 et 9 Apocalypsis rex inducit, refelluntur

1. *Equi pallidi sessorem Apoc., 6, Antichristum rex interpretatur.* — Pergit rex in sua Præfatione, pag. 102, et ad suam de Pontificum Antichristianismo persuadendam conjecturam, quatuor visiones Apocalypsis inducit, in quibus ait Antichristum depingi. Prima est in c. 6, ubi Joannes narrat apertiones sex sigillorum libri, quem c. 5 clausum viderat, et post primam visionem equi albi, cui Christus insidebat, et secundam equi rufi qui persecutionem, quam Christiani vel a tyrannis, vel a suis cognatis et amicis passuri erant, et tertiam equi nigri, qui famem et alias plagas, vel potius hæreticorum tenebras et persecutiones significabat, adjungit quartam visionem eq̃i pallidi, quæ his verbis describitur: «Ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ» (vel, ut rex ex græco legit, super quartam partem terræ), «interficere gladio, fame et morte, et bestiis terræ.» Hunc ergo equum pallidum vel sessorem ejus vult rex esse Antichristum, quod inde confirmat, quod statim illi connectitur quinti sigilli reseratio, in qua SS. Martyres clamant, et accelerari judicium et vindictam exposcunt, quod statim in apertione sexti

sigilli concessum est eis. Quid autem tota hæc explicatio ad causam referat, rex non declarat.

2. *Occurritur regis conjecturis.*—Breviter ergo respondemus, vel falsum, vel valde incertum esse per illum equum pallidum significari Antichristum. Si enim accurate Apocalypsis expositores percurrantur, tot fere invenientur expositiones, quot capita. Nam quidam applicantes ea sigilla variis imperatoribus Romanis ethnicis, et insignibus Ecclesiæ persecutoribus, equum illum pallidum Domitiano accommodant, ut Petrus Aureol., quem Viegas sequitur. Alii diversorum ordinum persecutiones ibi significari intelligentes, equum pallidum Trajano tribuunt, quia illi facile applicantur insignia pallidi coloris, mortis et inferni: Ecclesiamque persecutus est fere illo tempore quo Joannes, visionem illam videns, a quarto animali mysterium illud didicit, ut Ribera ibi prosequitur. Andreas autem Diocletianum seu Maximianum intelligit, quorum tempore persecutio simul cum peste et fame Ecclesiam vexavit. Quod etiam Arethas refert et sequi videtur. Alii, aliter cætera interpretantes, per equum pallidum Mahometum, ejusque per se et per successores suos Christianorum persecutionem significari existimarunt, ut Joachimus et Pannonius. Alii falsos fratres significari dicunt, hypocritas, et pseudoprophetas Ecclesiam persequentes, ut Anselmus, Richardus, Vict., Hugo Car. At vero Victor., per equum rufum, nigrum et pallidum, bella, famem et pestem a Christo in Evangelio prænunciata significari dicit. Idemque placuit Tyconio, hom. 5, qui etiam addit, per equum pallidum «homines malos» intelligi, «qui persecutiones excitare non desinunt.» Ambrosius item, vel qui ejus nomine fertur, longe aliter et valde mystice locum interpretatur, et in aliis infinita est varietas. Neminem tamen reperio qui de Antichristo sigillum illud quartum specialiter intellexerit; quamvis si generaliter de pseudoprophetis et hypocritis illud intelligamus, recte sequitur Antichristum per antonomasiam sub illo comprehendi.

3. *Idcirco potest Antichristo quoque accommodari.*—*Confir-*

matio.—Et hoc quidem probabile est, et ad summum ad id suadendum valet conjectura illa, quod in quinti sigilli resignatione proponuntur petitiones Sanctorum Martyrum postulantium vindictam et judicium, et statim in sexto fit ad judicium transitus. Quanquam neque illud in rigore suadet. Nam ibidem in apertione quinti sigilli legimus Sanctis esse responsum, «ut expectarent modicum tempus, donec implerentur fratres eorum, et conservi illorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi» (1). Ex quo responso intelligimus, illas Sanctorum interpellationes proponi ut factas ante finem persecutionum, et maxime ante persecutionem Antichristi, ad quam referri potest illud «modicum tempus», quod Sancti expectare jubentur. Nihil ergo est quod nos cogat per equum pallidum Antichristum intelligere. Sed id gratis regi concedamus. Quod, quæso, inde argumentum ad suam de Romano Pontifice cogitationem fundandam vel persuadendam sumere potest? Nullum profecto, nam licet ibi describatur Antichristus venturus, nullum illius descriptionis vestigium in Pontifice invenitur. Color enim pallidus (ex omnium sententia) indicat timorem nimium, quem tyranni, et præsertim Antichristus hominibus et fidelibus maxime incutiet; Pontifex autem non ex terroribus, et comminatione mortis homines sibi subjectos habet, sed in virtute spiritus et verbi Dei, amore potius quam timore illos gubernat. Unde quod sequitur, «mors et infernus», nullo modo in Pontificem conveniunt; quia non profitetur, se recepisse potestatem «ad interficiendum gladio, fame et bestiis terræ»; hæc enim fecerunt imperatores tyranni, et reges apostatæ et rebelles; sed accepit Pontifex potestatem gladii, quo dissipet errorum tenebras, et disperdat vitia, et virtutem plantet. Igitur illius sigilli reseratio, quocumque modo intelligatur, nihil ad punctum quod tractamus pertinebat.

4. *Alio Apocalypsis loco rex vult ostendere Pontificem esse*

(1) Apoc., 6.

stellam de cœlo cadentem.—Secundam visionem affert ex c. 9 Apocalypsis, in quo quintus Angelus tuba cecinit; in capite enim 8 dixerat Joannes, cum Agnus aperuisset sigillum septimum, vidisse se septem Angelos stantes in conspectu Dei, et datas illis esse septem tubas, et in eo capite quatuor primarum tubarum clangorem descripserat; in nono vero capite incipit dicens: «Et quintus Angelus tuba cecinit; et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei. Et de fumo putei ascenderunt locustæ in terram, et data est eis potestas.» In quibus verbis, et in toto sonitu hujus tubæ duo tantum rex expendit. Primum est, «stellam illam, quæ de cœlo cecidit, significare aliquem eximiæ dignitatis qui de cœlo cecidit, quia cum deberet esse lux mundi, sicut Christus præcepit, ille contra munus suum deserens, instar Luciferi deficit, regnum sibi erigit.» Secundum est, locustas indicare pestiferum «examen subdolorum, et immanis sævitiæ animalculorum, quod stella illa in mundum emisit. Et ad hunc modum» (ait rex) «sedes Antichristi cœpta est erigi», sentiens stellam illam esse Antichristum, et illum virum eximiæ dignitatis, qui instar Luciferi defecit, esse Bonifacium III, quem Antichristi initium facit. Quæ autem sint animalcula illa sævissima, non declarat; videtur autem intelligere, vel omnes Pontificios, vel Doctores omnes et pastores, aut forte Jesuitas, qui Pontificis imperium dilatare student.

5. *Multa vitia Pontificibus falso objecta.* — Postea vero rex transitum facit ad clamorem sextæ tubæ, in quo solum considerat quod in fine capitis dicitur: «Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis,

neque a fornicatione, neque furtis suis.» Quæ omnia Protestantium more de Catholicis, vel (ut ipse vult) de Papistis interpretatur. Et primo illis attribuit quod adorent dæmonia, ex Vazquez, l. 3 de Cult. et adorat., disp. 6, cap. 3. Secundo, per simulacra, etc., imagines intelligit, «quia negari non potest quin caput doctrinæ de cultu earum sit Romanensis Ecclesia.» Tertio, per homicidia, exponit cædes et trucidationes, quas Romana Ecclesia efficit, hæreses persequendo. Quarto, veneficia dicit esse «Agnos Dei, benedicta indusia, reliquias, orationes, quibus putantur homines a variis periculis præservari.» Quinto, fornicationem dicit, partim spiritualem esse per idololatriam, partim propriam, quia in Ecclesia frequentior est propter cælibatum sacerdotum et clericorum in sacris, propter « tot otiosos monachorum et sanctimonialium greges. Nam otium est magnum libidinis incentivum.» Sexto, furta denique et metaphorice et proprie nobis attribuit, dicens: «Furti autem in eo maxime se alligant, quod Deo surripiunt titulos honorum et amplitudinem potestatis illi soli debitam, quam in Antichristum caput suum conferunt. Nec minus in accumulandis opibus furti tenentur, Jubilæis, indulgentiis, reliquiis, et id genus aliis», etc.

6. *Alia loca a rege contra Romanum Pontificem accumulantur.*—Tertio, ut suadeat rex, in his omnibus describi tempora Antichristi, transit ad cap. 10 Apocalypsis, ubi Joannes vidit Angelum stantem super mare et super terram, voce magna clamantem: «Quia tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.» Consequenter vero progreditur ad cap. 11, dicens, ibi describi exitium Antichristi, et ex professo ostendit illum significari per bestiam ascendentem de abysso, illamque bestiam esse eamdem quæ cap. 13 et 17 commemoratur, «quia semper ex abysso ascendere dicitur.» De quo non multum contendimus, ut ex supra dictis constat, et infra iterum dicam. Hic autem hoc ideo

rex inculcare videtur, ut suadeat Joannem in c. 9 de Antichristo tractare, post cujus destructionem sequetur judicium, et tempora cessabunt.

7. *Protestantium somnia non veritate, sed calumniandi studio niluntur.*—Hæc fere rex: in quibus si attente rem expendamus, ea, quæ pertinent ad interpretationem illam, ut per stellam aut bestiam Antichristum intelligamus, indiferentia sunt, nihilque ad fidei ostensionem vel defensionem spectant; illa vero quæ calumnias, falsa testimonia, et (ut quod revera sunt, dicam) blasphemias contra Romanam Ecclesiam continent, nullam habent probationem, sed solam maledicendi libertatem et Protestantium consuetudinem, a quibus rex misere deceptus, eorum sermones imitatur, et ideo responsionem omittere et omnia contemnere possemus; quia vero sapientibus et insipientibus debitores sumus, dicemus prius de litterali expositione cap. 9 Apocalypsis, postea vero vanas regis accommodationes, falsasque calumnias refutabimus.

8. *Per stellam e cœlo cadentem, Apoc.*, 9, *intelligunt aliqui bonum Angelum.*—Primo ergo stella illa, quam Joannes vidit cecidisse de cœlo, et datam esse illi clavem abyssi, duas habet apud Catholicos præcipuas expositiones: unam in bonam partem, alteram in malam, stellam illam interpretantes. Primo ergo dicunt aliqui, stellam illam non esse malum Angelum, nec personam aliquam pravam, sed esse aliquem sanctum Angelum a Deo mittendum circa finem mundi, ut aperiat puteum abyssi, permittendo, nimirum, principibus tenebrarum ut inde ascendant ad infestandos homines, partim tenebris hæresum et infidelitatum, excæcando mentes eorum, partim gravissimis malis et persecutionibus justos affligendo. Quæ expositio non potest facile refutari. Nam cum dicitur stella illa cecidisse de cœlo, non significat casum moralem a justitia ad iniquitatem, sicut dicitur cecidisse de cœlo Lucifer, Isai., 14. Sed significat descensum localem velocissimum, et ideo verbo illo declaratur. Et cum postea dicitur «obscuratus sol», etc., non

dicitur stellam misisse tenebras, vel mala subsequentia operatam fuisse, sed solum aperuisse, id est licentiam dedisse, seu impedimenta abstulisse, et tunc secutum esse quod subjungitur: «Et ascendit fumus putei», et cætera quæ sequuntur. Explicaturque interpretatio hæc ex alia simili Apocalyps., ubi Joannes vidit «Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Qui apprehendit diabolum et Satanam, et ligavit, et misit eum in abyssum, et clausit», etc. Illum enim Angelum bonum esse dubium non est; quid ergo mirum quod idem Angelus missus etiam fuerit ad «solvendum diabolum modico tempore», ut ibidem subjungitur. Est sane sententia hæc valde probabilis.

9. *Alii stellam illam Luciferum esse dicunt.* — Altera vero expositio, quæ in malam partem stellam illam interpretatur, non minus probabilis est, in plures autem dividitur. Antiqui enim expositores stellam illam diabolum esse interpretantur, nempe Luciferum, de quo in persona regis Babilonis dictum creditur, Isai., 14: «Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram», etc., usque ad illud: «Ad infernum detraheris in profundum laci.» Unde ponderant non dixisse Joannem, Vidi stellam descendere, sed descendisse de cœlo, quia non tunc descendit, sed antequam homines condererentur vel peccarent, descenderat. Vel si fortasse Joannes vidit tunc quasi stellam descendentem, significabat Angelum malum, qui jam longe ante descenderat. Huic autem stellæ sic expositæ dicitur data clavis abyssi, quia potestas inferni ei commissa est tanquam regni. Nam locustæ illæ feroces, quas Joannes descripserat, «habebant super se regem Angelum abyssi»; hic autem Angelus abyssi idem esse videtur qui dicitur stella cadens, cui clavis abyssi data est, quia potestas ei data est in cæteros illius regni incolas. Unde etiam Christus Dominus, Matth., 12, regnum attribuit Satanæ, dicens: «Si Satanas Satanam ejicit, quomodo stabit regnum ejus?» Et ibidem: «Beelzebub dicitur princeps dæmoniorum.» Neque obstabit quod clavis illa ad ape-

riendum deservierit, ut ibidem dicitur; nam potestas regni, civitatis vel domus etiam ad hunc actum extenditur. Et juxta hanc expositionem possunt cætera intelligi; nam fumus fornacis recte intelliguntur esse dæmonis tentationes, et locustæ ministri ejus, sive mali Angeli, sive perditi homines, etc.

10. *Nonnulli malis hominibus stellam cadentem accommodant.*—Alii vero per stellam illam non Angelum malum, sed vel genus aliquod malorum hominum, vel aliquem pravum hominem intelligunt. Ambrosius enim ibi: «Per stellam (inquit) hæresiarchæ designantur», quia sicut «stellæ in cœlo refulgent, ita etiam ipsi, antequam caderent, doctrina atque sapientia refulgebant in Ecclesia.» Et sic consequenter intelligit, locustas esse ministros hæresiarcharum, atque ad hunc modum cætera prosequitur. Anselmus vero, licet per stellam dæmonem intelligat, per locustas hæresiarchas ipsos dæmonis ministros interpretatur, quia sicut locustæ saliunt et non volant, sed statim in terram recidunt, et mordent ac corrodunt, ita hæretici superbia saliunt, sed cum per cognitionem in altum volare non possint, in terram recidunt, et sunt bonorum corrosores. Unde consentanee ad hanc expositionem possumus recte per stellam illam intelligere insignem hæresiarcham Lutherum, qui cum antea suo modo stella esse videretur, aut esse deberet, occulto Dei judicio permissus est in abyssum errorum cadere, et tenebras effundere, ex quibus ingens locustarum, ministrorum, vel potius etiam hæresiarcharum multitudo pullulavit.

11. *Alii transferunt visionem ad insignem aliquem Ecclesiæ hostem.*—Alii denique per stellam intelligunt non quemcumque hæresiarcham, sed aliquem insignem, qui non solum tenebras effundendo, sed etiam per tyrannidem et potentiam persequendo, Christianos insectatus fuerit. Et sic Lyranus per stellam illam intelligit Valentem imperatorem, qui, persuasione uxoris suæ, de altitudine fidei catholicæ cecidit in hæresim Arianam, et misit prædicatores, qui Vandalos et Gothos eadem hæresi inficerent. Quos Vandalos significatos dicit per locustas, qui

Italiam et alias provincias catholicas devastarunt. Quam expositionem secuti sunt Petrus Aureol., in eumdem locum, et Antonin., 1 part. Hist., tit. 6, cap. 1, § 2, quoad hanc posteriorem partem; nam per stellam cadentem, potius Gensericum, vel alium similem Vandalorum regem, quam Valentem interpretantur. Quid ergo mirum si quispiam simili allegoria dicat, Henricum VIII, regem Angliæ, fuisse stellam illam de cœlo cadentem, qui non solum de altitudine fidei in turpissimum schisma et hæresim lapsus est, sed etiam ex illustri Romanæ Ecclesiæ, non solum armis, sed etiam doctrina et scripturis defensore, in acerrimum hostem commutatus est, unde statim densissimus fumus pravæ doctrinæ per totam ditionem ejus sparsus est, et fidei lumen ac intelligentiam obtenebravit, indeque pravi ministri, et acerrimi Catholicorum persecutores tanquam locustæ et scorpiones, brevi tempore multiplicati sunt?

12. *Per eam stellam nemo antiquorum Antichristum intellexit.* —Hæc quidem et similia facile a quolibet excogitari possunt. Non tamen ideo illa propono, quia omnia interpretationi Scripturæ apta aut probabilia esse judicem, sed ut intelligat lector, non magis esse verisimilia quæ regi Angliæ Protestantes persuaserunt; nam solum per voluntariam accommodationem, sine fundamento in textu Joannis, et sine consecutione et observatione eorum, quæ in illo clangore buccinæ proponuntur, excogitata fuerunt. Unde cum tanta fuerit varietas inter antiquos auctores in exponenda illa stella, cumque multi eorum dicant, ibi præcursores Antichristi calamitates in Ecclesia futuras prope tempora Antichristi designari, nullum tamen ante regem Angliæ et magistros ejus reperio, qui dixerit stellam illam esse Antichristum, vel locustas esse proprios ministros ejus, sed ad summum præcursores, ut eos vocant Anselmus, et alii ex auctoribus allegatis.

13. *Antichristus dici non potest stella de cœlo cadens.* —Et merito quidem per stellam cadentem nullus Antichristum intellexit, quia longe diversa futura sunt Antichristi initia, ab his

quæ per stellam cadentem significantur. Nam in Apocalypsi semper inducitur Antichristus ut bestia de abysso ascendens, ut paulo antea rex ipse notavit; stella autem visa est, ut de cœlo cadens, qui modus oriendi longe diversus est. Nec refert si quis dicat, etiam dæmonem repræsentari per bestiam ascendentem de abysso, et nihilominus etiam per stellam cadentem significari posse, nam dæmon prius fuit stella, et cadendo in terram, in draconem et bestiam abyssi commutatus est. At vero Antichristus non erit prius stella, nec erit tanquam Angelus in cœlo, vel tanquam insignis persona habens in hoc mundo vel in Ecclesia aliquem excelsum vel regni vel sacerdotii locum, a quo ceciderit, sed erit (ut illum depingit Daniel, c. 7, 11) «parvus, et despectus, vilissimus, et indignus decore regio»; talia enim erunt Antichristi exordia, ut supra tactum est, et in sequentibus iterum dicam. Igitur non quadrat in illum accommodatio, seu repræsentatio stellæ in terram cadentis. Ut ommittam alia quæ vix possunt cohærenter ita exponi; nam in omni interpretatione summam habent obscuritatem.

14. *Esto Antichristus esset stella cadens, nulli Pontificum id quadraret.*—Tandem, esto stella illa sit Antichristus, et per eam significetur aliquis eximiæ dignitatis vir, profecto hac permissa interpretatione, ex illa convinci potest, neque ullum ex Pontificibus, neque signatim Bonifacium III Antichristum fuisse. Nullus enim hactenus suam dignitatem ita deseruit, ut Sedem Apostolicam sua majestate et excellentia privaverit, sed omnes constantissime illam tutati sunt ac defenderunt. Quod si aliqui per tyrannidem vel violentam mortem illa privati sunt, ille non est casus, sed consummatio dignitatis; imo, licet aliquis per culpas vel hæreses ab illa dignitate cecidisset, nullum esset indicium Antichristianismi, quia ille fuisset casus personalis, non qui adhæreret sedi, nec in illam, nec in successores redundaret. Verumtamen etiam hic casus per Dei gratiam in Pontifice Romano inventus non est, præsertim ut Pontifex est, et Ecclesiam illuminat; nunquam enim Pontifices hæreses do-

cuerunt, aut seminarunt, ut supra late ostensum est. Maxime vero de Bonifacio III in nulla historia legitur, doctrinam pravam in Ecclesiam introduxisse, aut aliquid contra illa verba Christi, Matth., 5, fecisse: «Vos estis lux mundi.» Qua ergo fronte, qua specie veritatis dicitur fuisse «stella cadens de cœlo, quia in eximia dignitate constitutus ad mundum illuminandum, munus suum deseruit?» Respondet tacite rex deseruisse munus suum, quia regnum sibi erexit. Sed hoc jam satis refutatum est. Et iterum hoc modo improbatur: nam vel erexit sibi spirituale regnum vel temporale. Non primum, quia non usurpavit Pontificatum, sed ad illum legitime electus est, et in illo constitutus, nihil sibi spiritualis potestatis arrogavit, quod a prædecessoribus suis traditum et observatum non fuerit, ut sæpe in superioribus dictum et demonstratum est, ubi de nomine universalis Episcopi etiam est sufficienter dictum. Nec etiam erexit sibi Bonifacius regnum aliquod temporale, quia nullum bellum temporale gessit, nec de tyrannide temporali ab aliquo historiographo accusatus est. Quod est sufficiens argumentum longissime distare ab Antichristo, qui prius temporale bellum geret, et imperium usurpabit, postea Sanctos persequetur.

15. *Fumus ab ore putei ascendens nihil ad Bonifacium.*— Atque hinc facile convinci potest, cætera, quæ in illo clangore buccinæ audita sunt, «de fumo ascendente de ore putei», etc., non posse ad tempora Bonifacii accommodari, quia per fumum illum densissimum, solem et aerem obscurantem, omnes expositores hæreses intelligunt, pravasque doctrinas; nihil enim magis apposite per illas tenebras et fumum significari potest, cum certum sit illa omnia non proprie, sed metaphorice ibi sumi. Nam licet in visione imaginaria sub specie visibili viderentur, non tamen repræsentabant corporalem fumum aliquando ascensurum ad solem obscurandum, sed aliquam spiritualem tribulationem, in Ecclesia futuram, fidei veritatem et lumen obscurantem. At tempore Bonifacii III nulla talis doctrina ex

officina Romana prodiit, nec aliquid circa veritatem fidei inno
vatum est, nec cum aliquo fundamento aliquid tale designar
potest, ut in libro primo et secundo late ostendimus, ergo no
cœpit tunc in Romana sede hæc prohetia impleri. Quod argu
mentum de toto reliquo tempore usque ad nostram ætatem fier
potest, quia nunquam ab illa sede fumus infidelitatis ascendit
ut in eodem loco probatum est.

16. *Post Bonifacium, in Ecclesia non locustæ subdolæ, se
multi viri Sanctissimi floruerunt.* — Denique quod in hoc puncti
rex subjungit de examine locustarum, id est, «immanis sævi
tiæ animalculorum et subdolorum», quomodo post Bonifacium
subsecutum sit, ostendere non potest. Nam post Bonifacium
fuerunt in Ecclesia sanctissimi et sapientissimi Pastores et Doc
tores, quales fuerunt ex Græcis Damascenus, Maximus, Ger
manus Constantinop., Theophylactus, Photius, Euthymius, e
alii. Ex Latinis vero Remigius, Bernardus, D. Thomas, D. Bo
naventura, Petrus Damianus, Laurentius Justinianus, Hugo e
Richardus de S. Victore, et singulariter ex Anglia Beda, An
selmus, Lanfrancus, et infiniti alii ex omnibus Christiani orbi
provinciis, Romanæ sedi adhærentes, ejusque fidem et doctri
nam ab antiquis acceptam illustrantes, et posteris tradentes
Neque etiam in ministris illius Sedis sævitia ulla vel persecuti
per vim aut cruciatus scorpiacos in Ecclesia facta est. Ergo lo
custæ illæ vel sæva animalcula ineptissime accomodantu
Doctoribus vel ministris Ecclesiæ Romanæ, cum potius hæreti
cos vel alios Antichristi præcursores vel ministros animalia ill
repræsentaverint, ut omnes antiqui et sapientes intellexerun
Et licet demus significare proprios ministros veri et singulari
Antichristi, inde potius convincitur illum a Bonifacio et succes
soribus suis quam longissime distare.

17. *Contra Catholicos inepte Protestantes buccinantur.* — Ex
clusa vero verborum accommodatione, quæ per tubam quinta
insonuerant, facile refutantur cætera, quæ ex clamore sexta
tubæ per solam calumniam ad detrahendum de Catholicis

Protestantibus arripiuntur. Oportet autem advertere, in illa visione describi ingentem cladem, et interfectionem futuram in mundo in novissimis temporibus, sive sub Antichristo, sive (quod probabilius est, magisque receptum) prope tempora illius, sub illis regibus qui Romanum imperium disperdent, antequam Antichristus veniat. Tria vero in visione illa distinguere necesse est, scilicet, multitudinem ingentem ferocium equorum cum sessoribus suis, multitudinem hominum occidentium, et homines ipsos occisos, qui dicuntur esse «tertia pars hominum», et alios, qui remanserunt, de quibus in fine dicitur, «non egisse pœnitentiam», etc. Igitur feroces equi sine dubio repræsentant vel hæreticos et eorum ministros, ut multi volunt, vel exercitus tyrannorum, ut verisimilius alii opinantur, et ab his occidenda dicitur tertia pars hominum, utique eorum «qui signum Dei non habebant», ut in principio capitis dicitur, et communiter de iniquis et impiis exponitur. Præter hos reliqui fuerunt homines, qui non sunt occisi in his plagis, de quibus in fine capitis dicitur non egisse «pœnitentiam ab operibus manuum suarum», et hos homines residuos vult rex Angliæ esse discipulos Antichristi; nam doctrinam Antichristi dicit in illis verbis declarari; et postea omnia accommodat doctrinæ Romanæ Ecclesiæ.

18. *Discipuli Antichristi, ut vult rex Angliæ, idololatræ non erunt.*—Sed imprimis repugnat aliis Scripturis, in quibus dicitur Antichristus destructurus idola, Daniel, 11: «Nec quemquam Deorum curabit, quia adversum universa consurget.» Et Paulus, 2 Thessal., 2: «Extollens se supra omne quod dicitur Deus;» et supra late explicamus, per verba illa: «Nec egerunt pœnitentiam ab operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare», non posse significari discipulos Antichristi, nec doctrinam ejus, quia ipse potius docebit non esse adoranda idola, et cultores illorum persequetur. Atque hinc aliqui colligunt,

illas plagas et cædes non esse futuras sub Antichristo, sed illum præcedere, et quia per illas non consumentur omnino idololatræ per Antichristum esse perimendos. Alii vero censent nihil referre quod illi feroces equi sint exercitus ipsiusmet. Antichristi nam, licet ille idololatras persequatur, non poterit omnes qui in mundo sunt occidere. Sicut Mahometus etiam insectatus idololatras, eos tamen abolere non potuit. Poterunt ergo aliqui etiam post persecutionem Antichristi vivere, et de iis qui remanserint post tot hominum cædes, et a suis idololatriis pœnitentiam non egerunt, recte dicitur, cum ipso Antichristo vel cum malis Christianis damnandos esse. Nam simili modo, licet Antichristus Christianos persequatur, non poterit tamen omnes interficere nec pervertere, et tamen si qui ex illis residuis pravi fuerint et non egerint pœnitentiam a suis fornicationibus et homicidiis, etc., etiam illi damnabuntur.

19. *De peccatoribus, non de Antichristi discipulis loquitur D. Joannes.*—Et ita possunt posteriora verba Joannis intelligi: «Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a fornicatione, neque a furtis suis» Hæc enim vitia non indicant doctrinam Antichristi, sed pravos mores hominum. Quod notavit ibi Richar. Victor., dicens: «Notandum ubi ait: Neque egerunt pœnitentiam de operibus manuum suarum, ibi redarguet eorum infidelitatem. Ubi vero dicit: Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis», etc., «ibi redarguit eorum pravas actiones.» Hæc autem vitia inveniri quidem solent in multis Catholicis, multo vero magis in hæreticis; inter quos præsertim exerceri veneficia vulgarissimum est; homicidia vero eorum et injustissimas cædes, et in antiquis hæreticis Donatistis, Arianis in historiis, et Sanctis Patribus legimus, et in modernis oculis conspicimus, qui eo ferocitatis pervenerunt, ut se ipsos sæpe occidant, ut hostes simul perimant, illorum ne in manus perveniant. Possunt denique sub illis verbis comprehendi etiam alii infideles, qui idola non colunt, ut pagani, qui maxime viti carnis, per fornicationes significatis, dediti esse solent; et J

dæi, qui usuris, et aliis injustis negotiationibus frequentius involvuntur. Ac denique sub illis quatuor membris omnia genera peccatorum mortalium comprehenduntur, a quibus qui pœnitentiam non egerint, licet aliquam Dei veri cognitionem habeant, imo licet veram fidem habeant, damnabuntur. In quo etiam perstringunt hæc verba hæreticos Protestantes, qui sine pœnitentia peccatoribus salutem promittunt.

20. *Respondetur ad primam ex calumniis Protestantium.—Ad secundam, de idololatria. – Ad tertiam, de homicidiis.*—Superest ut ad singulas Protestantium calumnias, quas rex imbibit, breviter respondeamus. Et imprimis quoad adorationem dæmonis, notissimum est in Romana Ecclesia non solum reprobari, sed etiam ejus criminis reos gravissime puniri. Neque ullus Doctor catholicus in dubium id revocavit. Gabriel autem Vasquez, vir insignis doctrinæ et pietatis, in hoc a catholicis Doctoribus non dissentit, sed tractat quæstionem de facto, et non de jure, an qui illuditur a dæmone sibi apparente sub aliqua specie vel figura Christi, et adorationem exhibet signo vel lumini apparenti, possit per ignorationem vel bonam intentionem ab idololatria vel superstitione excusari. Aitque utroque modo excusari posse, quia si ignoratio sit invincibilis, ut esse potest, culpam excusat. Si vero intentio adorantis non feratur in signum apparens, sed solum in Christum repræsentatum, vel in memoriam revocatum, etiam excusatur culpa, quia utroque modo revera non adoratur dæmon, sed Christus. Quæ doctrina evidenter supponit adorationem dæmonis per se esse damnabilem. Ad secundum, concedimus, catholicæ doctrinæ de cultu et adoratione imaginum Ecclesiam Romanam caput esse; quantum vero dissidium sit inter imagines et idola, quantumque adoratio imaginum ab idololatria distet, satis in lib. 2 tractatum est. Ad tertium, de homicidiis, dicimus illa quidem interdum committi a malis christianis, et propter illa fore damnandos, nisi pœnitentiam agant: pœnas vero, quæ auctoritate publica in Ecclesia Catholica interdum hæreticis infliguntur, non esse homicidia, sed justa supplicia.

21. *Ad quartam, de veneficiis.*—In quarta calumnia duo includuntur errores: unus est, damnare sacramentalia Ecclesiæ tanquam superstitiosa et venefica, quod evidenter falsum est et blasphemum, cum veneficia, dæmonis virtute, et sacramentalia Dei auxilio, oratione, et Sanctorum etiam intercessione Ecclesiæque precatione nitantur, ut in libr. 2 tetigimus, et alibi latius tractavimus (1). Alius error est, venerationem reliquiarum tacite negare, et miracula divina, quæ illis mediantibus fiunt, damnare contra Scripturam, Actor, 19, de sudariis et semicinctiis S. Pauli, et c. 5 de umbra Petri, et 4 Reg., 13, de reliquiis Elisei, et contra omnem traditionem, et historiam ecclesiasticam adeo constantem, ut vel illam negare, vel illi fidem non adhibere insolentissimum sit. Quod vero ibi additur de orationibus superstitiosis, Pontificibus et Pontificiis nihil obest, quia ipsi damnant superstitionem illam, et illis signis vel scriptis aut verbis utentes puniunt, ut tractando de superstitione dixi.

22. *Ad quintam, de fornicationibus.*—Quinta accusatio antiquas hæreses excitat, damnare enim videtur cælibatum, virginitatem et monachatum, quæ certe hæreses si ad Christianam doctrinam pertinent, Ecclesiæ fides a principio Antichristi fuit, non Christi. Ipse enim Christus virginitatem et paupertatem docuit, Paulusque consuluit, et a principio fuerunt in Ecclesia monachorum greges, et sanctarum virginum monasteria. Sed hæc aliis locis a nobis late tractata sunt (2). Nunc lectorem breviter advertimus, ut inter otium vitiosum et sanctum discernat; nam illud libidinis vel majorum vitiorum est incentivum; hoc vero charitatem nutrit, et ab ea desideratur, dicente Augustino: «Otium sanctum quærit charitas veritatis» (3). Hoc enim otium, licet ab operibus externis sæpe vacet, non tamen a divinis studiis, meditationibus aut orationibus, quarum adjutori

(1) Tom. 3, in tertia parte.

(2) Tom. 5 de Relig.

(3) Lib. 19 de Civit., c. 19.

fit, ut libido non dominetur, nec vincat, licet interdum pulset. Et ideo dixit Paulus, 1 Corin., 7: «Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu.» Et subdit inferius: «Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.» Status ergo continentium non solum perfectior, sed ad ipsam continentiam servandam utilior est, si homo recte illo utatur; nec damnandus est propter particularia personarum vitia, quæ in aliis statibus non desunt, et interdum propter majus commune bonum toleranda, et quantum fieri potest, corrigenda sunt; quod sancte et prudenter Romana Ecclesia observat.

23. *Ad sextam, de furtis.* — Quæ vero in sexto membro de furtis dicuntur, falsæ calumniæ Protestantium sunt, neque aliud responsum merentur; vixque illius sunt capaces, qui odium et indignationem contra indulgentias conceperunt, et illo ita excæcati sunt, ut pias et voluntarias eleemosynas a furtis discernere non valeant. Nam in concessione indulgentiarum, nullus est quæstus non solum injustus, verum etiam nec indecens, nec resultans in utilitatem temporalem concedentis indulgentiam, sed est paterna providentia succurrendi communibus necessitatibus quorumdam fidelium per pia opera aliorum, eos inducendo ad opera satisfactoria pro peccatis, inter quæ sunt eleemosynæ, quibus alii indigentes juvari possunt. Sed de hac materia latius a nobis in proprio loco disputatum est.

24. *Respondetur ad ea quæ rex ultimo contra Romanum Pontificem accumulat.* — Ad ea tandem quæ rex tertio loco inducit ex c. 10 et 11, ut suadeat in c. 6 sermonem esse de Antichristo, respondetur primo, ex verbis illis capitis 10, ubi «Angelus juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius,» ad summum probari illas tribulationes et supplicia divina, quæ in c. 9 prædicuntur, pertinere ad ultima tempora mundi: inde vero non necessario sequitur, inter plagas dicto c. 9 prænunciatas, contineri ultimam Antichristi per-

secutionem, satis est enim quod post illas proxime immineat. Nam quia homines per priores plagas nec pœnitentiam agere, nec emendari voluerunt, tandem permittet Deus ultimam, post quam mundus consumetur. Unde comminatio illa, «quia tempus non erit amplius,» non oportet ut intelligatur implenda statim post præcedentes plagas, sed post ultimam, quæ jam instabit. Quod ex consequentibus verbis potest facile intelligi, additur enim: «Tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei.» At septimus Angelus non statim cœpit tuba canere, sed in c. 11 prius præmittitur persecutio Antichristi, et prædicatio testium contra illum, et in fine additur: «Væ secundum abiit,» id est, completum est, «et ecce væ tertium veniet cito.» At væ secundum inchoatum fuerat in tuba sexti Angeli, nam primum væ in quinta tuba fuerat consummatum, ut in c. 9 dictum fuerat. Ergo væ secundum, quatenus in illo includitur Antichristi persecutio, non fuit completum, nec comprehensum totum in vocibus et prædictionibus sexte tubæ, sed duraturum est post omnia quæ dicuntur capite 10, et in priori parte capitis 11, usque ad dicta verba: «Væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito,» utique væ ultimi judicii dei. Unde statim subjungitur: «Et septimus Angelus tuba cecinit,» etc.

25. *Cap. 9 Apocalypsis magis ad impios quam ad Ecclesiæ statum spectat.* — Unde si quis verba et contextum Joannis attente consideret, facile intelliget priores plagas c. 9, ad universum mundum, et magis ad impios et infideles et iniquos, quam ad Ecclesiam et Sanctos pertinere, ut indicant verba illa capitis 9: «Præceptum est illis ne læderent.» Et infra: «Nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis;» ultimam vero persecutionem Antichristi, quæ c. 11 et sequentibus prænunciatur, futuram esse contra Ecclesiam et contra Sanctos, ut patet ex initio c. 11. Unde ulterius possumus distinguere duo tempora Antichristi, unum, in quo monarchiam expugnabit, et hoc tempus comprehendi potest in visionibus

capitis 9, nam sine dubio calamitates et plagas orbi inferet per bella, et exercitus suos, quibus totum orbem perturbabit; et pro eo tempore non ita se ostendet Christo contrarium, sicut post obtentam monarchiam, imo ficte et simulate procedet, ut Sancti etiam antiquissimi docuerunt. Aliud vero est tempus persecutionis Ecclesiæ, et de hac sine dubio incipit loqui Joannes in c. 11. Denique licet daremus regi, omnes prædictiones quintæ et sextæ tubæ pertinere ad personam Antichristi, et futuras esse in fine mundi, inde evidentius concluderemus, illas plagas nondum incœpisse, neque illum Antichristum apparuisse, aut bella sua excitare cœpisse, vel saltem non potuisse incipere ante mille annos, a temporibus Bonifacii III; jam enim mundus finitus fuisset, ut in superioribus demonstratum est.

CAPUT XIX

Idem ex cap. 13 ostenditur, et omnia quæ rex ex illo decerpit refelluntur

1. *Periocha capitis* 13 *Apocalypsis quoad priorem illius partem.* — Tertiam veluti descriptionem Antichristi colligit rex ex cap. 13 Apocalypsis, multumque laborat, lateque discurrit, ut eam Pontifici Romano accommodet; sed revera in vanum laborat, et quo licentius loquitur, et pro suo arbitrio et affectu verba Scripturæ accommodat, eo magis errorem, in quo versatur, ostendit, et nolens impugnat. Prius vero quam illius discursus expendamus, summam illius capitis juxta proprium et litteralem sensum magis receptum ante oculos proponamus. Duas etenim habet partes. In priori, narrat Joannes se vidisse bestiam ascendentem de mari, habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. De qua bestia dicit esse simi-

lem pardo, et habere pedes sicut ursi, et os sicut os leonis. Et draconem dedisse illi totam virtutem suam, et unum ex capitibus ejus fuisse abscissum in mortem, et plagam mortis ejus curatam; et admiratam totam terram adorasse bestiam. Et postea describit Joannes potestatem datam huic bestiæ ad loquendum magnas blasphemias, et ad persequendum Sanctos mensibus quadraginta duobus. Atque hæc fere sunt quæ in priori visione et parte illius capitis continentur.

2. De hac autem priori bestia quid sit seu repræsentet, et quo sensu accipienda sint quæ de plaga mortis illi data et curata, et de tempore persecutionis ejus dicuntur, in capite 6 diximus; ubi regis metaphoras impugnavimus. Et inde visionem illam ad Pontificem accommodari non posse, imo inde bestiam illam nondum apparuisse, convicimus. Nihilominus tamen necessarium est hoc loco refellere aliqua, quæ contumeliose per solam maledicentiam Pontifici accommodantur, quæque non nisi Protestantes et Scripturam adulterantes in ore regis posuerunt.

3. *Quatuor bestiæ illius proprietates Romano Pontifici rex affingit.* — Pungens igitur Romanum Pontificem, ait bestiam illam apparuisse pardo similem, «tum propter colorem, quia respersa erat maculis, id est, corruptelis contaminata, tum quod adulterinam quamdam imperandi rationem habet, specie spiritualem, revera secularem, quia super reges terræ extollitur.» Secundo, ait hanc bestiam apparuisse etiam leopardo similem, «quæ spuria est bellua, e leone pardoque mista.» Tertio, ait visam esse «ursinis pedibus, ad vires ejus significandas, ore autem leonis, ad rapacitatem declarandam, sævamque naturam.» Quarto, exponit aperuisse os suum ad blasphemias in Deum, et bellum Sanctis intulisse, quia «eam» (ait) «terram universam adorare oportet, quod nunquam vetus illa ethnica Roma a quoquam postulavit, quæ dedignata non est, fœdere conjuncto reges socios atque amicos comiter appellare.» Probat autem hanc adorationem dari Summo Pontifici ex more

inaugurandi Pontificem, testemque ipsum Cardinalem Bellarminum appellat.

4. *Respondetur ad primum.*—Verumtamen in primo puncto, interpretatio ipsa seu analogia, ad veritatem et ad litteram comparata, apta non est, nec sufficiens, quia Antichristus non erit tantum «corruptelis contaminatus», sed erit undique corruptissimus, nec usurpabit temporale regimen sub specie vel umbra spiritualis potestatis, sed primo, ac præcipue temporale imperium occupabit, et violenter usurpabit, et deinceps etiam divinitatem sibi arrogabit, ut partim ex Daniele et Paulo aperte intelligitur, et in præcedenti capite tactum est, et in sequenti iterum dicetur. Unde longe aliter Richard. Victor., l. 4 in Apocalyp., c. 4, per bestiam illam intelligens imperium ethnicum gentilium Ecclesiam persequentium, ait, «comparari pardo maculoso propter variam philosophorum assertionem», id est, propter variam superstitionem. Ambrosius vero ibi «hypocrisim Antichristi» in varietate colorum dicit designari: «Nam cum sit futurus homo nequissimus, variis virtutibus se decorabit, ut facilius stultos quosque decipiat.» Beda vero et Primasius, cum Tyconio, homil. 11, in maculis pardi aiunt repræsentari «gentium varietatem Antichristum sequentium», sive quia erit multitudo collecta ex diversis populis, sive quia diversis hæresibus erit maculata, ut ait D. Anselmus. Unde si maculæ pardi vitia repræsentant, non quoscumque defectus, sed universa vitia in Antichristo futura designant. Accedit quod Antichristus propter velocitatem pardo comparatur, quia brevissimo tempore imperium consequetur, et omnia conculcabit. Sicut Danielis, 7, Alexander Magnus, propter hanc causam per pardum repræsentatur, ut D. Hieronymus et alii exponunt. Item propter crudelitatem in humano sanguine effundendo. Nullus autem, nisi impudentissimus sit, similes proprietates in Romano Pontifice audebit confingere. Imo neque rex Angliæ, neque tota hæreticorum versutia eas corruptelas, quas in Sede Apostolica effingunt ostendere potuerunt; nam quæ ad doctrinam pertinent,

corruptelæ non sunt, licet ab hominibus, contrariis erroribus et hæresibus corruptis, tales judicentur; quæ vero ad mores spectant, maxima ex parte ab eisdem Ecclesiæ hostibus ultra veritatem effictæ et exaggeratæ sunt; et si aliquæ hujusmodi in Prælatis Ecclesiæ inventæ aliquando sunt, ad personales et humanos defectus pertinent, qui sedem ipsam non maculant.

5. *Respondetur ad secundum et tertium.* — Unde quæ in secundo et tertio puncto de similitudine leopardi, et de pedibus ursinis dicuntur, non gravate accipimus, apte enim in verum Antichristum conveniunt. Ex eisdem autem proprietatibus, earumque significatione convincitur, descriptionem illam non posse Pontifici accommodari. Cur enim Bonifacius III, vel alius similis Pontifex ejus successor poterit spurius appellari, cum neque origine talis fuerit, nec electione, sed legitime creatus? Vel quæ rapacitas aut sæva natura in eis inventa est, ut ursinos pedes habere dicantur? Antichristus enim dicitur pedes ursinos habiturus, quia «pedibus suis omnia conculcabit», ut dicitur Danielis, 7. Quod autem quarto loco addit de adoratione Pontificis, ridiculum est; non enim adoratur ut Deus, sed ut supremus Ecclesiæ Prælatus, ac Vicarius Dei. Quid enim est adorationis exhibitio? Ait enim Paulus: «Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt», 1 Timoth., 5; quid ergo mirum, quod is, qui toti Ecclesiæ præest, magna veneratione dignus habeatur, præsertim cum in Christi honorem tota illa veneratio redundet?

6. *Romæ ethnicæ et christianæ imperia male comparantur.* — Immerito autem comparat rex Romam ethnicam cum christiana; tantum enim distat imperium illius ab istius potestate, quantum terrestria a cœlestibus, corporalia ab spiritualibus, et temporalia ab æternis discrepant, ut in tertio libro abunde monstratum est. Romani ergo imperatores tantum temporales domini erant, limitatamque ditionem possidebant, ideoque aliarum ditionum reges non ut subditos, sed ut socios comiter tractabant. Romani autem Pontifices spirituales Prælati ac re-

ges sunt, totumque mundum pro territorio, omnesque oves Christi pro grege habent, et ideo reges omnes Christianos subditos appellare possunt; et nihilominus eos (nisi hæretici vel schismatici sint) non solum comiter, sed etiam humanissime filios, et interdum etiam dominos appellare non dedignantur. Imo interdum tanta submissione animi id fecerunt, ut eorum verbis abutantur rex et Protestantes ad eos imperatoribus subjiciendos, sicut de Gregorio Papa in tertio libro notavimus. Atque hæc sunt satis de prima bestia.

7. *Periocha secundæ partis, c.* 13, *Apocalyp.* — In secunda parte ejusdem capitis 13, narrat Joannes «vidisse aliam bestiam ascendentem de terra, quæ habet cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco», de qua multa dicit. Primum, fecisse ut omnes habitantes in terra adorarent bestiam primam. Secundo, datum esse illi ut faceret «signa magna», et in particulari ita «ut ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.» Tertio, per hæc signa «seduxisse habitantes in terra, ut faciant imaginem» prioris bestiæ. Quarto, «datum esse illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ, et faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.» Quinto, quod «faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos, habere characterem bestiæ in dextera manu sua aut in frontibus suis, ut nemo possit vendere, neque emere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, numerum nominis ejus.» Sexto, additur mysterium numeri nominis ejus his verbis: «Numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.» Quæ omnia adeo sunt obscura, ut vix humano ingenio conjectari possint, nedum comprehendi. Et ut recte annotavit Cardinalis Bellarminus, signum evidens est non esse impleta, quia hodie tam sunt obscura et ænigmatica, sicut quando primum scripta fuerunt; prophetiæ autem quæ per ænigmata fiunt, licet antea sint obscuræ, saltem quando implentur, intelliguntur et claræ fiunt, alias inutiles essent; cum

ergo hæc perinde obscura sint ac antea erant, signum est non esse impleta. Et nihilominus rex Angliæ suo more ita multa accommodat, sicut vel opinioni suæ, vel ad detrahendum Romanæ Sedi putat esse accommodata. Prius vero quam illi respondeamus, proprium et litteralem sensum hujus visionis proponemus, ut comparatione illius error fictæ interpretationis evidentius appareat.

8. *Hæc posterior bestia Antichristum ejusque emissarios significat.* — Hæc ergo posterior bestia vel generatim repræsentat Antichristi pseudoprophetas et prædicatores, quos ipse ad suam divinitatem suadendam, et Sanctos persequendos mittet, ut exponunt ibi Primasi., Beda, Anselmus et alii, et sentit Gregorius, 13 Moral., c. 26, alias 36, vel certe significat aliquem ex illis insignem et excellentem magum, et potentem etiam viribus et exercitu, qui per signa seducendo, et per potentiam cogendo, ad Antichristum adorandum homines convertat. Sic Irenæus, lib. 5, cap. 28, postquam priorem hujus capitis visionem retulerat, de hac posteriori subjungit: «Post deinde, et de armigero ejus quem et pseudoprophetam vocat, loquebatur (inquit) quasi draco, et potestatem primæ bestiæ omnem faciebat ei, in conspectu ejus.» Eamdem sententiam comprobat And. Cæsar., allegans etiam Irenæum, suo c. 37. Aretas vero, suo etiam capit. 37, licet in principio videatur per hanc etiam posteriorem bestiam Antichristum interpretari, postea magis rem declarans, vocat hunc «præcursorem Antichristi», et illos distinguit, comparans cum Joanne Baptista et Christo. Victorin. etiam in singulari intelligit falsum Prophetam, qui facturus est portenta et signa mendacia ante Antichristum. Et hanc nunc frequentius sequuntur eruditi Scriptores, quos refert et sequitur Malvenda, lib. 8 de Antich., c. 19. Ambrosius vero in Apoc. sub disjunctione ait, hanc bestiam esse aut multos prædicatores Antichristi, vel aliquem deteriorem cæteris.

9. *Loquitur etiam Joannes de primario aliquo Antichristi adjutore.*—Sed licet verum sit sub illo propheta falso, per an-

tonomasiam nominato, alios adumbrari, nihilominus negari non potest quin de singulari aliquo homine insigni fautore Antichristi et hominum deceptore Joannes loquatur, tum quia contextus ipse sincere spectatus id satis indicat; tum etiam quia in c. 19 evidenter id ostendit idem Joannes, dicens: «Apprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus; vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.» Ubi evidenter describit eumdem pseudoprophetam, quem sub nomine bestiæ de terra ascendere viderat, et de illo ut de singulari homine æque ac de Antichristo loquitur, et tanquam duos homines speciali modo damnatos numerat, eosque a cæteris sectatoribus Antichristi distinguit, subjungens: «Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum», etc. Non est ergo dubium quin per illam bestiam secundam particularis homo, singularisque Antichristi prædicator significetur, cujus duæ præcipue proprietates per duas bestiæ conditiones designantur. Dicitur enim habere cornua tanquam agni propter hypocrisim; ostendet enim se mansuetum, et erit crudelissimus persecutor, vel ostendet se tanquam verum Christum prædicans, loquetur autem ut draco, quia Antichristum prædicabit, motus et actus a dracone, qui priori «bestiæ dedit totam virtutem suam et potestatem.» Atque ita duas illas metaphoricas proprietates exposuerunt Irenæus, Andr. Aret, et alii supra allegati; et Ticon., alias August., Homil. 11 in Apoc., licet illas omnibus hæreticis accommodet. Idemque sensit Gregorius loco supra citato, easdem tribuendo quasi per participationem omnibus falsis prædicatoribus Antichristi.

10. *Pseudopropheta ille curaturus est, ut Antichristus velut Deus adoretur.*—Cætera vero quæ de hoc falso propheta Joannes prædicit, licet Patres et expositores Catholici obscura et difficilia intellectu esse fateantur, omnes tamen, qui eorum litteralem sensum investigant, in eis proprietatem verborum,

quoad fieri potest, servare student. Itaque, cum dicit facturam esse bestiam illam, ut «omnes habitatores terræ primam adorent», id de divina adoratione et vera latria intelligunt, hac enim ipse Antichristus cupiet adorari, ut in c. 17 ex Scriptura et Patribus ostensum est. Item cum dicit «facturum signa», de sensibilibus miraculis fictis et mendacibus prodigiis verba exponunt, juxta verba Christi, Matth., 24: «Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia.» Nam sicut quoad pseudochristos per antonomasiam implebuntur hæc verba in Antichristo, ita quoad pseudoprophetas in hoc Antichristi præcursore implenda esse Joannes sentit. Christum autem loqui de signis externis apparentibus, et sensus illudentibus, nemo unquam dubitavit. Unde cum ulterius Joannes ait facturam illam secundam bestiam, «ut ignis de cœlo descendat», de vero locali descensu, et de vero igne, vel saltem de corpore sensibili habente speciem tanquam ignis, omnes etiam interpretantur. Quia hoc et est consequens ad priorem interpretationem signorum in generali, et est consentaneum proprietati verborum, et nulla est necessitas alias metaphoras confingendi, præsertim cum Joannes dicat descensurum ignem «in conspectu hominum.» Similiter, quod tertio loco addit Joannes de imagine prioris bestiæ, de propria sensibili imagine vel statua Antichristi intelligitur, quam facient credentes in eum, et in templis et fortasse in Hierosolymitano eam collocabunt, ut ipsa adoretur, et Antichristus in ea tanquam verus Deus. Et cum eadem proprietate intelligitur, hunc pseudoprophetam daturum spiritum illi imagini, ut loquatur; nam per pactum cum dæmone hoc facillime fieri potest, sicut in sculptilibus et idolis gentium immundos spiritus loqui solitos fuisse, in historiis notissimum est.

11. *Character bestiæ erit signum quo Antichristi fautores palam agnoscentur.*—De charactere autem Antichristi, ejusque in manibus vel fronte impressione, omnes etiam in hoc conveniunt, quod sit futurum signum sensibile hominibus, accomodatum

ad externam suæ religionis professionem, et fortasse tanquam nsigne quoddam apostasiæ, vel discessionnis a christiana religione, et ad sectæ antichristianæ aggregationem ; quamvis in particulari nemo divinare possit qualis character ille futurus sit. Nam illud prius veritas et proprietas verborum Joannis requirit; hoc autem posterius per illa non explicatur, nec in aliis locis Scripturæ revelatum est, nec ratione investigari potest Denique de nomine bestiæ, omnes etiam docent tale futurum esse ut ex litteris constet, quæ ad rationem numerorum juxta morem græcæ linguæ redactis, numerum 666 contineant. Quia vero innumeris modis possunt græcæ litteræ ita componi, ut illum numerum reddant, addunt dicti expositores, sciri non posse quale futurum sit Antichristi nomen, donec appareat, et tunc ex effectu cognoscatur prophetiæ sensus et veritas. Nam, licet nunc contingat nomen alicujus constare ex litteris, quæ secundum græcum idioma illum numerum reddant, ut de Mahometo vel Luthero aliqui ostendere conati sunt, illud non est sufficiens Antichristi signum, si alia desint, quia est valde ambiguum et æquivocum, et ideo necesse est ut cum aliis conjungatur.

12. *Prædicta Patrum consensu firmantur.—De imagine.*— Hanc autem brevem paraphrasim seu expositionem litteralem verborum Joannis sumo ex auctoribus proxime allegatis; Irenæus enim, dicto cap. 28, de hoc pseudopropheta dicit, quod faciet signa «magica operatione.» Et ibidem adjungit cætera verba Joannis, simpliciterque sine alia interpretatione illa proprie intelligit. In cap. vero 30 late docet quod de numero nominis diximus. Victorin. etiam in Apocalyps., circa signum ignis, ait: «Hæc magi per Angelos refugas et hodie faciunt.» Et addit: «Faciet etiam ut imago aurea Antichristo in templo Jerosolymis ponatur et intret Angelus refuga, et inde voces et sortes reddat.» Et de nomine et nota characteris eodem modo sentit. Idem fere habet Aret., suo cap. 27, ubi de igne aperte dicit, descensurum, ita ut videatur, «intuentium oculos fascinando»;

et de charactere ait, futurum esse «perniciosi nominis insculp turam», et dandum esse «in signum, quo possint vel non pos sint homines negotiari», supponens illud futurum esse sensibi le. Et Andr., cap. 27: «Quidquid» (inquit) «Pseudochris præcursor ad hominum deceptionem facturus est, hoc totu per præstigias et incantationes facturus est, ut Antichristus te timonium habeat a viro qui tanta miracula patrarit.» Et infr «Non est mirum aut novum, si in oculis hominum ignem e cœ descendere faciat impostor.» Et adducit exemplum de igne vi tute diaboli incenso, vel superne dilapso ad Jobi armentum su bito ab sumendum (1). Postea vero de imagine propria et loqu la ejus alia verba interpretatur, exemplisque similium præs tigiarum dæmonum confirmat. De charactere item loquitu tanquam de nota sensibili, intelligitque proprie hominibus in primendum fore, ut signum necessarium ad emendum et ven dendum etiam res necessarias, «ut saltem» (inquit) «ob reru ad vitam necessariarum penuriam ad violentam mortem adigat utique illos qui characterem illum recusaverint.

13. *Ne cruci locus sit, in frontibus characterem Antichris pseudopropheta ille imprimet.*—Ac tandem cap. 38, quæ de no mine Antichristi diximus, tradit, et auctoritate Hyppoliti con firmat: «Dabit characterem in dextra manu, et in fronte, ne qu dextra sua manu pretiosam illam Crucem pingat in fronte.» In ferius autem sentit characterem illum futurum esse nomen ipsi Antichristi sigillo sensibiliter impressum in fronte vel manu De illo autem nomine negat sciri posse quale futurum sit. Si militer de charactere Antichristi loquitur Ephrem, tract. d Antichristo, metro seu § 2: «In dexteram manum seu fronte insculpturus est homini characterem hunc suum impium, n facultas sit homini se signandi signo Christi.» Et in sequen metro signa et falsa prodigia similiter de externis sensibilibu

(1) Job, 1.

præstigiis exponit. Ac tandem in metro ultimo idem repetit de charactere sentiens futurum esse sensibile signum, «quod Christi adversarii pro cruce Salvatoris assument.» Indistincte autem de his loquitur, prout ab Antichristo, vel ab ejus pseudopropheta facienda sunt, omniaque Antichristo tribuere videtur. Denique Primasius, Beda, Rupert. et alii in Apocalypsim, imo et moderni omnes in his quæ diximus consentiunt, licet in explicando charactere et nomine Antichristi varias et inter se dissentientes sententias tradant, quæ varietas nihil nostræ intentioni obest, ideoque necesse non est illam referre aut expendere, unusque pro omnibus videri potest Malvenda, lib. 8 de Antichristo, c. 18 et 19.

14. *Metaphoricæ regis expositiones litterali convincuntur.* — Superest ut cum hoc simplici Scripturæ sensu mysticas et metaphoricas regis expositiones, seu ad maledicendum accomodationes, conferamus. Ille enim per hanc bestiam secundam, Apostolicam Ecclesiam Pontifici Romano parentem, quam ipse more impiorum Protestantium «Apostolicam» appellat, interpretatur. Et nihilominus de illa subjungit: «Cujus firmior origo est et stabilior, ut quæ visibiliter veræ Ecclesiæ succedat.» In quibus verbis, rei veritate coactus vel non advertens quid diceret, Romanam Ecclesiam veram et Catholicam esse professus est. Nam illa est vera Ecclesia, quæ veræ Ecclesiæ antiquiori visibiliter succedit, ut in primo libro ostensum est. Unde illa comparatio, quæ hæc Ecclesia dicitur «firmior» et «stabilior», si ad synagogas Satanæ et congregationes Protestantium seu Apostatarum fiat, recte et verissime facta est ; si vero fiat ad Apostolicam Sedem, non recte fit per excessum, sed per æquatatem fieri deberet. Nam vera Ecclesia non potest a petra separari, neque e converso, ideoque tam firma et stabilis est Petri successio, quam est certa veræ ac visibilis Ecclesiæ duratio; utraque vero est tam firma, quam est certum verbum Christi: «Portæ inferi non prævalebunt adversus eam», Matth., 16.

15. *Bestia singularem hominem proprie significat.* — Quod

vero ad interpretationem bestiæ spectat, satis a nobis ostensum est, in proprio sensu significare unum quemdam singularem hominem. Concedimus autem mystice posse significare congregationem quamcumque impiorum, hæreticorum et Apostatarum sequentium et prædicantium Antichristum, sive generaliter e typice dictum, sicut ex Tyconio retulimus, per hanc bestiam significari omnes hæreticorum sectas, et ministros, sive singulares et proprium Antichristum prædicantium, ut multi Catholici exposuerunt. Sic ergo verum est bestiam illam esse Apostaticam congregationem. Hæc autem Apostatica congregatio nunc multiplex est ; omnis enim synagoga Satanæ sub nomine Christiano collecta apostatica congregatio est, talisque est omnis Lutheranorum, Calvinistarum, Puritanorum et Protestantium congregatio, similemque esse Anglicanam pseudoecclesiam, in primo libro ex ejus statu et lapsu evidenter ostensum est.

16. *Romana Ecclesia non habet agni cornua, id est, hypocrisim.—Nec ut draco errores docet aut unquam docuit.*—Ut autem Romanam Ecclesiam per illam bestiam repræsentari rex ostendat, dicit imprimis habere «cornua similia agni , quia Christi sponsum refert, et sibi propugnatorem ostendit.» At non per hypocrisim, sed per veram fidem et adorationem Christi, ejusque imitationem hæc refert, in quo multum ab illa bestia differt. Adjungit : «Revera tamen loquitur sicut draco, quia damnabiles diabolicasque doctrinas docet.» At hoc nunquam a ipso ostensum est, a nobis autem probatum sufficienter est in libro primo, testimonium hoc non solum falsum, sed etiam hæreticum esse, quia vera et visibilis Ecclesia Christi non potest a fide cadere, cum sit columna et firmamentum veritatis, propter promissionem Christi dicentis : «Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi»; et : «Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.» Et in lib. 2, cap. 3, non solum Ecclesiam hanc ab omnibus erroribus, quos in illa rex fingit, vindicavimus, sed etiam, propter contrarias hæreses, Angliam, quate

nus sub rege suo nunc militat, apostaticam et schismaticam esse convicimus.

17. *Retorquentur hæreticorum jacula in ipsos.*—Quocirca, priusquam ad alia progrediar, lectorem admonere libet, ut consideret quanto majori et veriori fundamento, regis illa metaphora in ipsum suumque miserandum regnum possit retorqueri. Cur enim non dicemus bestiam illam priorem esse Henricum VIII, et successores ejus illum imitantes, et super capita sua nomen habentes blasphemiæ, utique « capitis Ecclesiæ, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus supremi? Cur item non dicetur Henricus fuisse maculosus, ut pardus, cum fidei professionem et doctrinam, qua pollebat, turpissimis libidinis, schismatis ac tandem hæresis maculis fœdaverit? Quin etiam velocitate et ferocitate pardum imitari visus est: nam brevissimo tempore totum fere regnum apostatare fecit, et egregios viros in fide constantes atrociter necavit. Denique multo verius dicitur rex Angliæ adulterina imperandi ratione sub specie temporalis potestatis spiritualem usurpare, et indebitum cultum adorationemque ambire, dum tanquam suæ Ecclesiæ caput vult recognosci, obediri et honorari. Et ad hunc modum possunt cætera facile accommodari. Similique modo dicemus, alteram bestiam esse Anglicanam Ecclesiam, a vera fide lapsam, regem ut spirituale caput suum venerantem, et infinita verba blasphemiæ in veram Dei Ecclesiam Catholicam, Christique Vicarium proferentem; vel certe bestiam illam secundam dicemus esse ministrorum falsorumque prophetarum regi applaudentium gregem, sedulentem ibi habitantes, ut priorem bestiam adorent, eam ut caput Ecclesiæ recognoscendo. Hæc ergo et similia et facile cogitari possunt, et majori cum fundamento dici, tum quia vera sunt et notissima in universo orbe; tum quia licet rex Angliæ non sit Antichristus, inter ejus typos et præcursores juste numerari potest, cum Christum in sua Ecclesia et Vicario suo perequatur, quod cum factis exequi non possit, verbis et probris efficere conatur.

18. *Signa fieri ad firmandam Pontificum auctoritatem re. Jacobus ait.*—Unde ulterius rex progreditur, et quod Joanne dicit de signis et prodigiis ab hac secunda bestia faciendis, u gentes seducat, et ad priorem adorandam trahat, ad Ecclesi Catholicæ miracula accommodat, quæ «falsa» et «portenta me dacia» esse, et ad conciliandam Pontifici auctoritatem et potes tatem fieri affirmat. Quæ cum sine probatione contra omnem divinam et humanam auctoritatem ac fidem dicantur, contem nenda potius quam refellenda videbantur. Breviter tamen inte rogare libet an credant, in Ecclesia Christi veras potuisse fie virtutes, ac vera miracula, post sexcentesimum sextum annum necne. Si negant fieri potuisse, Christi promissiones eludunt eisque pro suo arbitrio terminum præfiniunt. Christus enim in definite dixit, Marc. ult.: «Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient», etc. E Matth., 17: «Si habueritis fidem, sicut granum synapis», etc. «nihil impossibile erit vobis.» Et Joan., 14: «Qui credit in me opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. Hæ ergo promissiones non possunt ad certum tempus limitari alioqui posset quispiam dicere, solos Apostolos vera miracul facere potuisse, vel quidpiam simile; quod absurdissimum est Ergo non pro solis prioribus Ecclesiæ sæculis, sed pro omni æv concessit Christus Ecclesiæ suæ, ut temporibus opportunis tali vera signa in ea fierent.

19. Dicent, promissiones has factas esse fidei, et ideo po testatem illam durasse in Ecclesia, quamdiu in illa duravit ver fides; postquam vero illa corrupta est, cessasse, et falsa miracu la incœpisse. Hoc autem est in aliud errorum barathrum incide re; nam si Ecclesia vera fide carere incœpit, periit Ecclesia contra verbum Christi: «Portæ inferi non prævalebunt adversu eam» (1). Dicent periisse veram Ecclesiam visibilem; sed jan

(1) Matth., 16.

satis ostensum est Christi veram Ecclesiam visibilem esse, eique Christum perpetuitatem usque ad finem promisisse. Præterquam quod signa et miracula sensibilia esse oportet, atque ideo non nisi ab Ecclesia visibili vera miracula fiunt; illi ergo factæ sunt Christi promissiones, et in ea semper durabit potestas a Christo promissa.

20. *Miracula olim a pluribus Sanctis facta sunt.*—Si ergo potestatem negare non possunt, cur negant esse vera miracula, quæ his temporibus in Ecclesia facta sunt? Non enim pauciora signa veritatis in eis, quam in illis quæ in antiqua Ecclesia fiebant, conspiciuntur. Nam imprimis facta sunt per viros sanctissimos, Benedictum, Bernardum, Franciscum, Antonium, et alios similes. Deinde frequenter facta sunt ad fidem persuadendam et in novis provinciis introducendam, ut de Anglia refert, lib. 9, Gregorius, fere proximus Bonifacii III antecessor; et similia fuisse postea in eadem provincia facta in ejusdem fidei confirmationem, auctor est Beda, lib. 5 Histor., c. 13; et Annales ecclesiastici referunt, cooperatione similium miraculorum in Flandria, Hollandia, aliisque provinciis, post tempora Bonifacii fuisse fidem introductam. Præterea eadem veritatis indicia in posterioribus miraculis quæ in prioribus reperiuntur, nimirum, in miraculo suscitandi mortuum, evidentia præjacentis cadaveris mortui, et vera vivificatio, temporis duratione, et pluribus actionibus vitæ, et publica conversatione confirmata. Denique non minori fide digna historia hæc quam illa miracula esse probantur; ergo temere et impie omnia falsa judicantur.

21. *Miracula fiunt ad Christi gloriam vel fidei confirmationem, non ad Pontificis auctoritatem primario.*—Quod autem rex dicit, hæc miracula Ecclesiæ facta esse ad conferendam et exhibendam Pontificis potestatem, non ita est: nam ordinarie fiunt vel in veræ fidei confirmationem et propagationem, vel in Christi gloriam et honorem; sæpe etiam sunt effectus veræ et firmæ fidei, cui Christus promisit, Matth., 17: «Si habueritis fidem sicut granum synapis», etc. Aliquando fiunt ex Dei mise-

ricordia, volentis talia beneficia indigentibus et petentibus miraculose concedere; aliquando ad ostensionem sanctitatis alicujus personæ, quam Deus ad aliorum exemplum et consolationem manifestare vult. Dico autem «ordinarie» hoc ita esse, quia cum articulus de primatu Pontificis ad fidei dogmata pertineat, et ad veræ fidei et Ecclesiæ confirmationem notitia ejus maxime necessaria sit, etiam in illius veritatis confirmationem potuerunt vera miracula fieri, quoties opportuna vel necessaria juxta divinæ providentiæ dispositionem fuerint. Ac denique quamvis vera miracula non semper propter illum finem fiant, nihilominus quatenus fiunt a ministris Ecclesiæ Pontifici obedientibus, et ejus auctoritate prædicantibus, satis eamdem veritatem de Primatu ejus confirmant. Quis ergo non videa quam sit execranda calumnia, miracula Catholicæ Ecclesiæ cum signis Antichristianæ bestiæ comparare?

22. *Excommunicationes a Pontificibus excussas, ignem esse de cœlo, rex Jacobus commentatur.*—Quia vero Joannes inter signa illius bestiæ unum peculiare designavit, dicens: «Ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum», egregiam profecto his verbis rex affinxit interpretationem, dicens: «Nempe fulmen excommunicationis, cujus tanta vis est, ut thronis exturbare principes valeat, adeo ut omnes pro hæreticis occidendi sint et exurendi, qui bestiæ nolunt imaginem adorare, hoc est, summam ejus potestatem nullis limitibus circumscriptam.» In quibus duplex metaphora indicatur, quæ si in allegorico sensu affertur, parvi momenti est ad persuadendum, eadem enim facilitate qua fingitur, contemnitur, quia solum ad maledicendum a Protestantibus excogitata est; si vero sensus ille ut litteralis proponatur, valde ridiculus est, et intentioni Spiritus Sancti, ipsorumque Protestantium dictis repugnans. Utrumque breviter ostendo.

23. *Ignis ille apud D. Joannem non significat excommunicationem.*—Prima enim metaphora est, quia «descendere ignem de cœlo, per metaphoram dicitur esse excommunicationem ful-

minare. At hæc metaphora imprimis nova est, sine fundamento in Scriptura, vel Patribus, aut expositoribus, aut communi modo loquendi. Quis autem credat Joannem usurpasse verba in sola illa metaphorica significatione, quam sibi nuper Protestantes pro sua libidine, et solum ad irridendum confinxerunt? Deinde Joannes illud ponit ut signum novum, singulare, et admiratione dignum; at fulminare excommunicationem non est novum, nec singulare, cum etiam ab ipsis hæreticis fiat, unde nullam habet admirationem, cum quotidianum sit. Imo, si illud est antichristi signum, profecto ante Bonifacium III cœpit Antichristianismus. Nam prius Innocentius I contra imperatorem excommunicationem fulminavit. Denique bestia illa faciet ignem de cœlo descendere, dæmonis arte et potestate; fulminatio autem excommunicationis fit potestate a Christo concessa, et in virtute verborum ejus: «Si Ecclesiam non audierit,» etc., Matth., 17. Ergo Joannes non de hoc signo loquitur, nec metaphora est verisimilis.

24. *Instantia.—Solutio.*—Dicet forte rex hæc vera esse de justa et ordinaria excommunicatione, se autem loqui de fulmine illius excommunicationis, «cujus tanta est vis, ut thronis exturbare principes valeat.» Sed contra primo, quia etiam talis excommunicatio potest esse justa et legitima potestate facta, ut supra ostensum est. Quanquam revera improprie dicitur excommunicatio ipsa exturbare a throno; nam, licet illi duo effectus tanquam duæ pœnæ ab eadem potestate procedant, et simul imponantur, distincti sunt. Nunc autem ut regi morem geramus, tanquam de uno loquimur. Itaque illud etiam fulmen vera et cœlesti potestate fit, et non est signum mendax, sed verum, ut probavimus; est ergo repugnans cum metaphora. Secundo, hoc signum, id est, hæc excommunicatio non fulminatur seu exhibetur in Ecclesia a prædicatoribus vel fidelibus obedientibus Pontifici, sed a solo Pontifice, et ita secundum rediam accommodationem non exhibetur a posteriori bestia, sed a priori; at signum illud faciendi descendere ignem de cœlo,

non tribuitur a Joanne priori bestiæ, sed specialiter secundæ; ergo talis interpretatio bestias confundit.

25. *Dum Pontifex colitur, imago bestiæ non adoratur.* — Altera metaphora regis versatur circa «imaginem bestiæ,» per quam rex summam Papæ potestatem significari vult. Hæc autem metaphora eisdem fere argumentis facile refellitur, tum quia nullum fundamentum auctoritatis, rationis aut probationis habet; tum quia recognoscere ac venerari hanc summam Pontificis potestatem non est novum in Ecclesia Christi, sed ante Bonifacium omnes præcedentes Pontifices eam imaginem induerunt, illaque potestate usi sunt, omnesque vere fideles illi paruerunt, ut in lib. 3 fuse probatum est. Ultra hæc vero, pugnant cum metaphora verba illa Apoc., 13: «Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ.» Quis enim Papistarum (ut isti loquuntur) aut verius Catholicorum docuit unquam fideles, ut facerent vel conferrent potestatem Pontifici, cum potius constanter doceamus solum Christum illam conferre? Non est ergo illa imago Pontificia potestas, sed aliquid quod arte et manibus hominum fieri potest. Nec dicere potest rex nihil aliud esse facere imaginem, quam potestatem recognoscere et confiteri, nam expresse Joannes duo distinguit, facere imaginem et adorare illam; at vero respectu potestatis, recognoscere potestatem, est venerari illam; ergo aliud est facere imaginem; unde fere evidens est, in illis verbis, «faciendi imaginem,» nullam esse metaphoram, ut supra dixi. Quod etiam valde persuadent sequentia verba: «Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ.» Hæc enim aperte ostendunt sermonem esse de imagine materiali et sensibili. Quomodo enim fingi potest Ecclesiam dare spiritum potestati Pontificis ut loqui possit, vel quippiam simile facere?

26. *Verba Apocalypsis expenduntur.*—Tandem in illis verbis considero duplex signum: unum, faciendi descendere ignem de cœlo, et hoc signum dicitur secunda bestia facere, non per coactionem, sed per seductionem, ut inducat habitantes in terra

ad bestiam primam ejusque imaginem adorandam, ut patet ex verbis illis: «Et seduxit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.» At vero fulmen excommunicationis non pronunciatur ad inducendos homines per seductionem, sed per vim et coactionem, quæ major fit, si cum excommunicatione deturbatio a regno conjungatur. Ergo non quadrat metaphora excommunicationis cum tali signo. Aliud denique signum, scilicet, dare spiritum imagini bestiæ, et facere ut loquatur, licet etiam sit ad seducendum, tamen ad coactionem progreditur, additur enim: «Et faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.» Et hic etiam non potest accommodari metaphora; nam Ecclesia non dat spiritum nec loquelam Pontifici, ut potestas ejus ad occidendos rebelles extendatur, sed potius ipse hanc potestatem suis ministris committit; est ergo ille Scripturæ abusus, non interpretatio.

27. *Characterem bestiæ obedientiam Pontifici esse rex contingit. — Joannes loquitur de signo permanente, non de pura professione.* — Deinde ultra procedit rex ad characterem Antichristi Pontifici accommodandum, dicitque characterem bestiæ esse professionem obedientiæ, quæ Summo Pontifici fit. At Paulus, Hebr., 3, cum monuit fideles: «Obedite præpositis vestris,» non sensuit professionem ecclesiasticæ et christianæ obedientiæ esse Antichristi characterem, sed Christi. Veriorique ratione dicere possemus, juramentum fidelitatis, quo rex premit sui regni catholicos, esse characterem Antichristi, quandoquidem sub specie professionis civilis obedientiæ sibi debitæ, Vicarii Christi obedientiam negare compellit. Præterea, ultra errorem, in quo accommodatio fundatur, repugnat Joannis verbis. Primo, quia vel per obedientiæ professionem intelligitur solum modus ipse vivendi sub obedientiæ Pontificis, vel intelligitur aliqua specialis formula hanc obedientiam profitendi. Prior sensus non est juxta mentem Joannis, quia expresse loquitur de aliquo signo vestando a sectatoribus Antichristi, quo protestentur sectam et obedientiam ejus, ut supra visum est, et ex littera ipsa eviden-

ter constat. Si autem per professionem intelligatur peculiaris forma promittendi obedientiam Pontifici, non quadrat cum verbis Joannis. Primo, quia Joannes ait, «omnes pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos,» gestaturos esse characterem bestiæ; at vero specialis professio obedientiæ ad Pontificem non exigitur ab omnibus fidelibus pusillis et magnis sed a Pastoribus, vel Doctoribus ecclesiasticis, aliisque in simili gradu constitutis.

28. *Nemo sine illo ad contractus humanos admittetur.* — Secundo, character Antichristi ita esse debet communis et familiaris omnibus, ut sine illo nullus permittatur emere aut vendere, etiam ad vitam necessaria. Unde notant Patres, in eum finem esse imprimendum, ut vel propter vitæ sustentationem omnes homines illum suscipere cogantur, sicut nunc in Anglia coguntur Catholici ecclesias hæreticorum adire, vel juramentum fidelitatis profiteri, ne bonis ad vitam necessariis, vel vita ipsa priventur; at in Romana Ecclesia, professio obedientiæ ad Pontificem non exigitur ut homines possint emere et vendere nec sub coactione amittendi necessaria ad vitam, sed in specialibus occasionibus, ubi ad securitatem doctrinæ, gradus, vel muneris suscipiendi judicatur conveniens, postulatur; nulla est ergo hujus characteris ad illam professionem comparatio. Tertio, character Antichristi futurum est signum aliquod permanens manibus gestatum, vel fronti impressum, quod videri possit, ut homines ad dictos contractus admittantur; professio autem obedientiæ est signum (ut ita dicam) transiens, quod in susceptione alicujus muneris semel exhibetur, postea vero nec in manibus, nec in fronte gestatur. Est ergo frivola characteris accommodatio.

29. *Opinio regis Jacobi de numero nominis Antichristi.* — Pervenit tandem ad numerum nominis Antichristi, et duas expositiones adhibet. Una est, ut ille numerus non sit nominis sed personæ Antichristi, id est, ut necessarium non sit in litteris nominis ejus illum numerum contineri, sed in ipsa persona

uia intra annos illius numeri, scilicet 666, venturus fuit Anti-
hristus. Quam expositionem colligit ex eo, quod idem nume-
us, qui prius dictus fuerat «numerus nominis ejus,» postea di-
itur «numerus bestiæ,» ibi: «Qui habet intellectum, computet
umerum bestiæ,» et statim additur: «Numerus enim hominis
st,» Apoc., 13. Et in his posterioribus verbis videtur rex per
ominem, Christum Dominum interpretari; ait enim juxta hanc
xpositionem dici numerum hominis, quia est «numerus anno-
um Domini» (1). Sic autem ait impletam esse prophetiam in
Bonifacio III, «qui primus» (ait) «se nominavit universalem
Archiepiscopum, quo titulo S. Gregorius Antichristum fore
ognoscendum prædixerat.» Atque illa quidem expositio nova
ion est; nam Joan. Annius et quidam alii illa usi sunt, ut os-
enderet Mahometum fuisse Antichristum. Et licet illam regi
ermitteremus, nihil referret, ut statim dicam.

30. *Negari non potest numerum illum esse nominis Anti-
hristi.* — Negari autem non potest Joannem prædixisse nume-
um illum 666, futurum esse in nomine Antichristi; expresse
nim dixit: «Aut numerum nominis ejus», id est contentum in
itteris nominis ejus, et ita intellexerunt illa verba omnes in-
erpretes. Hoc ergo negari non potest, licet non repugnet per
llum eumdem numerum nominis mystice indicari aliquam pro-
rietatem ad personam pertinentem. Unde si cum veritate alia-
um prophetiarum vel historiæ posset consistere, ut per illum
umerum significaretur tempus ortus Antichristi secundum
umerum annorum Domini, vel tempus durationis throni ejus,
t alii de Mahometo dixerunt, hoc quidem cum verbis Joannis
ion repugnaret. Tamen illud non ita esse, in Mahomete reipsa
nonstratum est, ut ostendit Pereira, disp. 5 de Antichristo. De
roprio autem Antichristo, constat ex aliis prophetiis, juxta
uas nec tam cito venire potuit, nec thronus ejus tanto tem-
ore durabit, ut supra ostensum est.

(1) Lib. 6, ep. c. 30.

31. *Numerus ille non est temporis adventus Antichristi.*— Juxta Protestantium autem accommodationem, clarum est non posse referri numerum illum ad tempus durationis Antichristi, quia opinione illorum jam duravit plus quam mille annis. Propterea ergo rex studuit numerum accommodare ad tempus ortus ejus. Verumtamen etiam hic sensus nullum fundamentum habet in textu, nam eumdem numerum, quem prius vocavit «numerum nominis bestiæ», statim, brevitatis causa, vocat «numerum bestiæ»; cum vero subdit, eumdem esse «numerum hominis», per hominem non intelligit Christum, quis enim hoc unquam cogitavit? aut quo fundamento affirmari potest? Accedit quod neque in illo sensu veritas illi numero respondet, quia Bonifacius III anno 666 non sedit. Respondet primo, numerum illorum non ab anno nativitatis Christi, sed ab eo in quo Pompeius templum diruit, computandum esse. Sed hoc neque ratione subsistit; cur enim ab illo potius quam ab alio quovis tempore computandus est ille numerus? neque constanter est dictum, quia jam ille non erit numerus annorum Domini, sicut paulo antea dixerat. Ac propterea respondet aliter, sexaginta annis post Bonifacium, fuisse confirmatum regnum Antichristi et ita fuisse numerum illum expletum. Sed hoc non minus frivolum et voluntarium est, quia neque Pontifices illis sexaginta annis post Bonifacium magis usurparunt nomen universalis Episcopi, quam per centum, vel plures sequentes, neque potestate aut dignitate magis creverunt.

32. *Bonifacius nomen jam D. Leoni datum ab usurpante vindicavit.* — Præterquam quod etiam falsum est, Bonifacium usurpasse nomen universalis Episcopi, quia solum ab alio usurpante vindicavit, et suæ tantum Sedi posse congruere ostendit licet non constet illo titulo usum fuisse. Quod si hæc usurpatio appelletur, non ille primo, sed Leo Papa ante plures annos illud nomen usurpasse dicendus erit, quia et Synodus Chalcedonensis titulum illum ei tribuit, ut supra ex Gregorio retuli et ipse in suis epistolis universalis Ecclesiæ Episcopum se no-

minat, quod perinde est. Falsum denique est Gregorium dicere, Antichristum titulo universalis Episcopi fore cognoscendum, sed verba Gregorii sunt: «Quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.» Quo autem sensu Gregorius nomen illud reprehendit, jam supra declaratum est. Quidquid vero de vocabulo et usu ejus fuerit, ex illo loco Gregorii evidenter colligitur, Bonifacium non esse Antichristum, sed ad summum posse inferri, fuisse elatum, vel imitatione quadam præcurrisse Antichristum, ex quo aperte sequitur non fuisse Antichristum. Melius certe posset considerare rex, Gregorium ibi ponere ut notam Antichristi, quod «se Deum dicet», et quod «Deus videri velit super omnes homines.» Quod nec Bonifacius neque ullus Pontificum hactenus fecit. Veriusque nos possumus illi objicere sententiam Athanasii, epist. ad Solitari. vit. agent., in superioribus commemoratam, ubi inter imagines Antichristi ponit «sæcularem principem, primatum ecclesiasticum supra Episcopos usurpantem.»

33. *Contendit rex nomen* Latinus *continere numerum Antichristi* — Aliam denique expositionem illius numeri nominis Antichristi admittit rex, eamque accommodat Pontifici quia in hoc nomine «latinus», græcis terminis scriptus, ille numerus continetur: «Quod recte (ait) cum Romana Ecclesia, cum Romana fide, et cum Latina liturgia congruit.» Sed quam sint hæc omnia violenta et frivola, perspicuum est. Et imprimis bene notavit Bellarminus, *lateinoz* græce non per *ei*, sed per *i* scribi, et hoc modo non reddere numerum illum. Nihilominus Arethas, suo c. 38 in Apoc., inter alia nomina, quæ de Antichristo excogitari possunt, nomen *lateinoz* posuit; statim vero addidit oportere scribi per diphtongum (utique præter morem et proprietatem Scripturæ), ut possit illum numerum reddere. Deinde Joannes de nomine proprio Antichristi locutus est; nullus fuit autem Pontifex qui proprio nomine «latinus» fuit appellatus; communi autem nomine etiam Rex Angliæ est

Latinus, et Lutherus, et Calvinus fuit Latinus; cur ergo magis Pontifex quam quilibet illorum Antichristus censendus est propter nomen Latinum? Hæc igitur omnia, quæ de Antichristo, ejusque Antesignano, in illo cap. 13 dicuntur, sincere intellecta, evidenter ostendunt Antichristum, prout ibi describitur, nondum apparuisse, et toto cœlo a Pontifice Romano distare; extortæ autem et violentæ interpretationes metaphoricæ Protestantium non minori claritate produnt errorem in quo isti homines cæci versantur.

CAPUT XX

Quaæ circa XIV, XV et XVI caput Apocalypsis rex notat discutiuntur

1. Finita tertia visione, priusquam rex ad quartam transeat, ex c. 17 sumendam, quædam ex c. 14, 15 et 16 arripit quæ licet leviora sint, operæ pretium duximus illa notare, ut nihil quod ad causam pertineat, intactum relinquamus. In principio igitur cap. 14, prius narrat Joannes peculiarem gloriam sanctorum Virginum sibi manifestatam; deinde narrat visionem Angeli volantis per mediumcœlum, et habentis Evangelium æternum, et diem judicii annunciantis. Et in his duobus nihil occurrit annotatione dignum. Tertio, ait Joannes, et alius Angelus secutus est, dicens Apoc., 14: «Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ a vino iræ suæ potavit omnes gentes», ubi rex notat, ruinam hanc Babylonis, quam hic Angelus prænunciavit, esse interitum Antichristi. Per Babylonem autem vult intelligi Romam, ut in superioribus sæpius dixerat. Unde significat Antichristum Romæ, et in ejus incendio ac destructione esse interimendum. Verumtamen Antichristum esse interficiendum Romæ, non

tio est sine fundamento excogitata ad suspicionem aliquam avam de Romana sede generandam. Antiqui enim in Oriente cidendum esse tradiderunt, ut ex Lactant., lib. 7, cap. 17 et quentibus; et Hyppolit, Irenæo, et aliis antiquis colligitur. ieronymus autem, Isaiæ. cap. 25, in monte Oliveti dixit esse cidendum. Potestque colligi ex cap. 11 Daniel., in fine, et ex p. 11 Apocal., ut supra notavi. Et capite 19 dixit Evangelista annes, Antichristum vivum esse detrudendum in infernum ique imperio Christi, ut Paulus, 2 ad Thessal., c. 2, significavit, et Daniel., c. 8, dicens: «Sine manu conteretur.» Si ergo r Babyloniam Romam intelligamus, tantum abest ut Romæ ina sit interitus Antichristi, ut potius per illum, vel duces t socios ejus abolenda, et igni tradenda sit, ut ex c. 18 Apol. colligi potest. Nam, ut supra notavi, si Roma delenda est te judicii tempus, non erit nisi tempore Antichristi, et ejus natu, ut extincto nomine Romano, ipse novam excellentiomque monarchiam erigere videatur. Si vero per Babylonem undum hunc intelligamus, incendium illud Babyloniæ suppot jam finitam Antichristi persecutionem, et destructionem ac rditionem ejus; ergo neque isto modo ruina Babyloniæ erit teritus Antichristi.

2. *In Apocalypsi ut in aliis prophetiis aliquando rerum ordo n servatur.*— Post has vero duorum Angelorum voces et mota, tertius sequitur Angelus, tam supplicia in Antichristi sectores superventura, quam beatitudinem eorum qui, patienter bulationem tolerantes, et mandata Dei custodientes, in Domino mortui sunt, denuncians. Et quoniam hæc discretio in dicio facienda est, ideo statim visio et repræsentatio judicii bjungitur. Hæc vero, ut omnes expositores advertunt, magna parte per anticipationem dicta fuere; nam priusquam fiat dicium, præcedent septem plagæ, quæ capite decimo quinto generali denunciantur, et in capite decimo sexto sigillatim censentur. Quas nunc explicare nostri muneris non est. Quia

vero rex sensu earum allegorico ludit, adverto breviter, plagas illas ad litteram et proprie intelligi de tribulationibus et calamitatibus corporalibus et externis, ut fuerunt plagæ Ægypti, quibus illas comparant Irenæus, lib. 4, cap. 50; Andr., cap 4 in Apocal., ubi singulas ita exponit, quem fere imitatur Areta. Et merito, nam omnia, quæ ibi dicuntur, vere ac proprie pos sunt intelligi, et ideo ita sunt intelligenda. Nihilominus tame illas plagas more suo rex in maledicta et opprobria sanctæ Ec clesiæ et Pontificis per suas allegorias convertit; non tame omnes accommodat, sed quas pervertere et accommodare p tuit, semperque eosdem errores supponit, per bestiam Pontif cem interpretando, per pseudoprophetam vero Apostolica Ecclesiam, et ita tenebras, in quinta phiala super sedem Ant christi effusas, dicit esse tenebras ignorantiæ et erroris Eccl siæ Romanæ. Ita enim solent hæretici ad excusationem s erroris et pertinaciæ, Ecclesiam ignorantiæ et cæcitatis arguer cum enim ipsi cæci sint, Ecclesiæ lumen videre non possunt, Augustinus sæpe contra Donatistas notat.

2. *Tenebræ in plaga quintæ phialæ sensibiles erunt, non i telligibiles.*—Præterquam quod nec metaphora est necessari ut dixi, nec potest accommodari; nam illæ plagæ superventu sunt super bestiam et regnum ejus, id est, super Antichristu et homines ab eo deceptos, ut ibi dicitur. Unde jam suppone densissimas tenebras spirituales; non est ergo de illis serm Sed tenebræ, postea per phialam quintam effundendæ, eru vere corporales; aut saltem temporales, quia vel super Jerus lem, ubi erit sedes Antichristi, et super totam illam regione sensibiles tenebræ et frequentissimæ effundentur; vel splend humanus, et fama Antichristiani regni obscurabitur magnitu ne calamitatum, a quibus non poterit Antichristus suis artib subditos liberare. Unde fiet ut ingenti dolore omnes affligant ita ut «linguas suas præ dolore commanducent, et Deum bla phement præ doloribus et vulneribus suis, et non agant pœnite tiam ex operibus suis.» Quæ verba nunquam potuit nec pote

ex sine rubore ad Ecclesiam accommodare; facile autem in-
elligi potest, quam meliori analogia magisque in veritate fun-
ata possent ad tenebras, et linguas, et blasphemias, et impœ-
itentiam Protestantium transferri.

4. *Phialam in Euphratem effusam miscent imperite Protes-
antes.*—Progreditur rex ad sextum Angelum; qui siccando Eu-
hratem, «præparavit viam regibus ab orta solis», quod dicit
sse impletum, «cum jam homo peccati cæptus est revelari,
ublatis omnibus impedimentis, quæ possunt iter eorum», id
st, Orientalium regum, «ad invadendum illum monarcham re-
ovari.» Ubi per «reges ab ortu solis», se et similes reges re-
elles Ecclesiæ Romanæ, eamque persequentes intelligit, ut
nferius in quarta visione, pag. 121, clarius exponit. Et his re-
ibus ait, parandam esse viam per effusionem illius sextæ
hialæ, ut, sublatis impedimentis, Monarchiam Ecclesiæ (quam
ose Antichristi esse fingit) libere et inopinato invadant. Sicut
yrus (ait) inopinato transitu Euphratis Babylonem cepit, et
althasarem, regem ejus, vasis ad Dei ministerium comparatis
butentem, atque ita tanquam in Dei templo sedentem, occidit.

5. *Reges de quibus ibi sermo est, non contra, sed pro Anti-
risto dimicabunt.*—In qua tota metaphora, omissa ejus impie-
te et audacia, summam ignorantiam Protestantium sic expo-
entium adverto, quia non solum extra litteralem sensum suo
rbitrio loquuntur, sed etiam contra illum verba accommodant.
am reges illi, quibus per effusionem sextæ phialæ, et exsic-
tione Euphratis via parabitur, non contra Antichristum in-
essuri prædicuntur, sed potius ad juvandum Antichristum in
xterminatione populi Dei, sicut circa Danielis prophetias infra,
ap. 22, notabimus, et sumi etiam potest ex verbis quæ Joan-
es paulo inferius subjunjit: «Spiritus dæmoniorum procedunt
l reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem mag-
um omnipotentis Dei.» Et ita locum illum de convocatione
nnium regum terræ, et præsertim Orientalium, per Antichris-
m facienda ad debellandos omnes Christianos, omnes inter-

pretantur. De qua convocatione et ingenti ad prælium congre
gatione, sub nominibus «Gog» et «Magog», mentionem fec
idem Joannes, c. 20, post Ezech., c. 38. Quomodo ergo qua
drare potest metaphora, ut per reges ab Oriente venturos in
telligantur hæretici contra Papam insurgentes? quid magis fri
volum magisque ridiculum dici aut cogitari potuit?

6. Accedit quod illi reges non congregabuntur, quand
Antichristus incipiet revelari, sed postquam Antichristus a
universo mundo agnitus, et per suum pseudoprophetam sat
publice prædicatus fuerit; imo, postquam jam cœperit per alia
tribulationes regnum ejus affligi, ut ex præcedentibus phialis
sequentibus verbis manifestum est; at isti hæretici orti et co
gregati sunt, antequam Antichristus notus esset, vel revela
inciperet, ipsi enim primi fabulam illam confinxerunt, et thr
nus, cui ipsi nomen illud imposuerunt, semper fuit notissim
Ecclesiæ, et nihil eorum, quæ per phialas illas prædicuntu
passus est. Denique illorum regum congregatio futura est
«prælium ad diem magnum omnipotentis Dei», quando nim
rum Christus de illis triumphabit, simulque Gog et Magog de
truet. At hæresiarchæ isti nec in unum diem congregati sun
et longe ante tempora diei magni Dei prodierunt. In hoc erg
solum conveniunt cum illis regibus, quod revera contra Chri
tum surrexerunt, et Antichristo viam parant, et contra Chris
Vicarium (sub titulo ficti Antichristi) bellum movent.

7. *Societatis Jesu alumnos ranunculis comparat rex Jacobu
pro Pontifice coaxantibus.*—Concludit tamen rex hanc suam pr
lixam allegoriam, inducendo illa verba ejusdem sextæ phialæ
Joanne scripta: «Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ,
de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ran
rum.» Per quos intelligit novam sectam exurgentem ad thronu
Antichristi, tenebris obscuratum et labantem, illustrandum
fulciendum, quam dicit ternario numero significari, quia trib
magistris diriguntur, «draconis», id est, Satanæ, «Antichristi
id est, Pontificis et «pseudoprophetæ», id est, Ecclesiæ R

anæ. Per quam sectam Societatem Jesu sine dubio intelligit, t Doctores ac prædicatores ejus ranunculis comparat, de qui- us hæreticorum more ad libitum detrahit. Pro illis autem res- ondere nec mihi decens est, nec necessarium. Opera enim lorum de ipsis testimonium perhibent, estque qui videat et idicet. Neque parum habent Societatis alumni et operarii, nde possint gloriari, quandoquidem cum Christi Vicario ejus- ue Ecclesia digni habiti sunt, pro Christi fide, ejusque Vicarii bedientia ignominiam et contumeliam pati.

8. *Non cohæret interpretatio.* — Solum quoad verborum cripturæ abusum et corruptionem adnotabo, præter alios er- ores de falsa interpretatione bestiæ et pseudoprophetæ ejus, t abusum aliorum verborum illius Scripturæ, in ipsamet alle- oria ad textum applicata, non esse constantiam aut consecu- onem. Nam hoc loco dicit, tres spiritus malos mitti ad faven- um Antichristo, ejusque thronum sustentandum, unde cum oannes de illis dicat: «Procedunt ad reges totius terræ, con- regare illos in prælium», consequitur aperte, reges ab his piritibus congregandos, esse futuros Antichristi amicos et fau- ores; paulo autem superius dixerat, reges illos, quibus sextus ic Angelus viam parat, esse hostes Antichristi, et illis expe- iri viam, ut sine impedimento possint monarchiam Antichristi ivadere; hæc autem duo non possunt simul subsistere. Nam eges venturi sine impedimento, et per illos tres spiritus con- regandi, iidem sunt; quomodo ergo et ad invadendum et ad istinendum labantem thronum Antichristi vocantur?

9. *Societatis Jesu operarii pacem, non discordias serunt.* — ræterea isti tres spiritus congregaturi dicuntur reges in præ- ium, utique contra visibilem Christi Ecclesiam, quæ tempore ntichristi erit; operarii autem Societatis non congregant re- es in prælium aliquod, sed ad pacem et unionem cum Christi icario, nec ad debellandam Ecclesiam visibilem, sed ad pa- em et unionem cum illa, Item illi reges congregandi sunt spe- aliter ad prælium unius diei, qui per antonomasiam dicitur

«dies magnus omnipotentis Dei», quia in illo «veniet sicut fur, ut statim dicitur, utique ad destruendum Antichristum, e omnes reges congregatos cum illo ad prælium, ut c. 20 aperti declaratur sub nominibus Gog et Magog. At hoc non potest a prædicatores fidei, qui nunc sunt in Ecclesia Catholica, ull modo accommodari. Ut alia infinita omittam, quæ evidenter os tendunt, Joannem loqui de corporali seu materiali prælio, de signando etiam locum in quo reges congregandi sunt, et de clarando aperte ranas illas esse tres spiritus immundos dæ moniorum, facientes signa, quibus reges ad prælium illu congregent. Ergo vana est et impudens allegoria ab otiosis e obduratis Protestantibus, adinventa.

CAPUT XXI

Ex visione capitis XVII et sequentibus Apocalypsis, novum c Antichristo errorem confutari potius quam confirmari

1. *Docet rex Jacobus mulierem fornicariam esse Antichri tum, ac proinde Pontificem.* — Refert Evangelista Joannes, c. 1 Apocalypsis, se raptum fuisse in desertum, et vidisse muliere fornicariam sedentem super bestiam coccineam, plenam nom nibus blasphemiæ, etc. Ex hac visione, quam rex Angli quarto loco posuit, colligere nititur, Romanum Pontificem es Antichristum, colligitque in hunc modum. Mulier illa fornic ria Antichristum repræsentat; et omnes proprietates, quæ i mulieri in eo capite tribuuntur, Romano Pontifici convenium ergo ipse est Antichristus. Majorem rex non probat, sed tan quam notum fundamentum suæ disputationis supponit. Min rem autem late prosequitur, ad libitum multiplicando prob contra Romanam Sedem, sine probatione, aut veritatis fund mento, sed solum quia cum ab infantia sub hæreticorum disc

lina falsam illam opinionem ac depravatam fidem imbiberit, t in ea fuerit consuetudine obfirmatus, nunc et mentis ignora- one et indignatione promotus, audet in cœlum ponere os ium, et sacra profanis commaculare.

2. *Mulier illa civitatem significat, non hominem.*—Sed im- rimis fundamentum, in quo nititur, falsum est, nam mulier la non repræsentat Antichristum. Quia Joannes ipse dixit, ulierem illam habere scriptum in fronte: «Babylon magna»; emo autem unquam dixit Babylonem, vel proprie vel figurate gnificare Antichristum; nam Antichristus homo quidam futu- us est, ut supra est demonstratum; Babylon autem semper gnificat civitatem aliquam, vel hominum congregationem, ut em Joannes, in fine illius capitis 17, conclusit: «Mulier, quam disti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges ter- e.» Et ita Patres omnes, et illius loci expositores in hoc con- eniunt, quod mulier illa, seu Babylon, magnam aliquam civi- tem repræsentet, quia hoc jam non tantum in ænigmate, sed xpresse revelatum, et ab eodem Propheta declaratum est. Quæ item sit illa civitas varie exponitur. Duas tamen esse opinio- es probabiles, unam explicantem hunc locum de civitate im- orum, aliam de Romana civitate exponentem, supra, c. 7, tulimus, ubi utramque opinionem declaravimus, et probabi- m esse ostendimus, et in utramque convenire omnia pravitatis signia, quibus Joannes illam onerat, minutatim declaravi- us. Advertimus autem ibi, juxta catholicam et veram declara- onem, si Babylon Roma est, intelligendum id esse de Roma on christiana, sed ethnica, ut erat tempore quo Joannes scri- bat, et quamdiu in illo statu duravit, et si forte ad illum, vel nnino, vel magna ex parte ante mundi consummationem re- tura est (ut multi opinantur), etiam pro illo statu merito eo- m nomine significatur; nam Roma Christiana, sub vera fide risti perseverans, Babylonia dici non potest, cum confessio- m falsorum dogmatum, aut plurium sectarum vel deorum non mittat. Ideoque merito Hieronymus, lib. 2 contra Jovinianum,

ad finem, ad Romam dixit: «Scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti», etc. Et hac ratione Petrus accurate distinxit Ecclesiam, quæ erat in Babylone, ab ipsa Babylone dicens: «Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta». Et eodem modo loquitur Hieronymus, epist. 18 ad Marcel., dicens: «Est quidem ibi sancta Ecclesia», etc.

3. *Calumniæ aliæ falsæ ostenduntur.*—Destructo igitur regis fundamento, ejus argumentum ruit. Quapropter omnes accommodationes, quas sub illo fundamento sumit, calumniæ Protestantium sunt, non Scripturæ interpretationes. Neque rex ipse responsionem hanc effugere potest, cum sæpius in sua Præfatione fornicariam illam Romam esse contendat, et nostrorum confessione id confirmet. Hic vero cavenda est callidita Protestantium, quam notavit Sander., lib. 8 de Visib. Monarch., et rex in præsenti imitari videtur, nam eamdem mulierem dicit esse Romam, et esse Antichristum, et bestiam iter esse Antichristum, ut supra, c. 15, animadverti, ut ita confundendo Romam cum Romano throno et cum Antichristo, poste ad omne regimen illius civitatis, ac tandem ad Romanam Ecclesiam et sedem sermonem transferat, illique omnia, quæ tan de Antichristo, quam de Romana urbe infideli, ejusque imperi ethnico dicuntur, accommodet. Talia itaque sunt omnia, quæ i toto discursu circa illud caput comminiscitur. Cum enim Rom dicatur fuisse «mater fornicationis», quando «omnium gentiu idolis et superstitionibus serviebat», ut Leo Papa inquit, serm. de Nativit., et serm. 1 de SS. Petro et Paulo, ideo crimen illu in Apostolicam Sedem transfert. Et sicut nos propter illam sedem dicimus, Romam esse matrem et magistram omnium Ecclesiarum, ita rex matrem omnium spiritualium fornicationum illam appellat. Quæ autem sint illæ spirituales fornicationes quas Romana Ecclesia vel exercuit vel docuit, nunquam hactenus ostendere potuit, cum ab antiqua et primitiva fide nec minimum discrepaverit, ut lib. 1 et 2 probatum est.

4. *Roma Christiana Martyrum sanguine nullo modo ebria.*—

t simili modo, cum Roma ethnica dicatur «ebria sanguine
lartyrum», propter imperatorum persecutiones, idem audet
omanæ Ecclesiæ et sedi tribuere; quod profecto non video,
ua specie vel umbra veritatis dici potuerit. Quas enim «imma-
es Christianorum persecutiones» excitavit Ecclesia Romana,
ut quando sanguinem martyrum fudit, ut propterea sanguine
lartyrum ebria dicatur? Sed fortasse justas quorumdam hære-
corum et apostatarum pœnas martyria rex vocat, cum tamen
la supplicia tam rara sint, ut nec propter illa dici potuerit
anguine hæreticorum ebria; nam, ut Patres et expositores no-
ant, per hæc verba innumera Martyrum multitudo denotatur.
enique, ut cætera omittam, non majori fundamento hæc, quæ
e Roma in Apocalypsi dicuntur, tribui possunt Romanæ Sedi a
empore Bonifacii III, quam tempore Sylvestri, verbi gratia, ut
epe dictum et probatum est; desinat ergo rex tergiversari; et
el Romam ratione illius sedis semper fornicariam fuisse fatea-
ır, vel ethnicæ Romæ crimina in Bonifacium aliosve sanctos
osteriores Pontifices, eorumque legitimos successores, traduce-
desinat.

5. *Bestiæ ac mulieris notæ male confunduntur.*—Deinde quia
x mulierem cum bestia, quæ illam portat, confundit, non so-
m proprietates mulieris, sed etiam bestiæ insignia de Papa
terpretari conatur. Et primo refert interpretationem septem
pitum ad septem regimina civitatis, quam supra impugnavi-
us; deinde mirabilem habet de decem cornibus expositionem,
iam in sequenti capite melius tractabimus. Ac tandem ad
estructionem Babylonis, in c. 18 prædictam, explicandam di-
editur. Quia vero supra, in c. 7, destructionem Babylonis illo
18 descriptam fuse tractavimus, non erit necesse circa omnes
legorias et accommodationes, quas hoc posteriori loco rex
mmentatur, discurrere, præsertim quia nihil novi continent,
d eadem maledicta et convicia contra Romanam Sedem in eis-
m erroribus fundata, et novis exaggerationibus sine ulla pro-
tione amplificata. Illis ergo fere prætermissis, solum quædam

puncta, quæ vel umbram aliquam objectionis habent, vel ca lumniam magis perniciosam et scandalosam continent, præter mittenda non duxi.

6. *Romam Christianam cum regibus fornicatam rex prodit — Ex suis verbis convincitur.*—Primo ergo, in pag. 122, ut simu objiciendo mordeat, verba illa capitis 28 expendit, ubi pos descriptam ruinam Romanam dicitur: «Et flebunt, et plangen se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in de liciis vixerunt.» Ex quibus concludere intendit, Babylonem il lam non esse Romam ethnicam, sed christianam, quia quod il refertur, «cum Roma ethnica a nullis unquam regibus factu est, nec fieri potuit, quos vi et armis subegit.» Ergo illa Baby lon et Roma Christiana, et reges, qui ejus interitum deflebant sunt illi, «quos honorificis (ait) nominibus titulisque ornavit veniamque eorum libidinibus atque illicitis matrimoniis indul sit.» Ad objectionem vero respondemus imprimis, eamde posse contra regem retorqueri, nam etiam cum Roma Christia na illud factum non est, neque fieri potuit, quia reges illos quos ipsa honorificis titulis ornavit, licet non vi et armis, fid tamen et pace christiana subjecit, ut Leo Papa dixit, serm. de Sanctis Petro et Paulo. Deinde dico de utraque Roma, seu d utroque ejusdem Romæ statu impertinentem esse objectionem quia prophetia illa nondum impleta est; nondum enim Ron fuit penitus extincta. Nam, licet aliquas graves calamitates clades non modicas sub Gothis et Vandalis passa sit, per illa tamen non est impleta illa Joannis prophetia in dicto c. 1 quia per illa excidia factum non est, «ut amplius non invenia tur», ut in dicto c. 7 animadverti; quamquam de illis etiam e cidiis verissime dici possit Romæ ethnicæ potius quam christi næ supervenisse. Erat enim tum quasi mista, nam licet in esset Apostolica Sedes et christiana religio, tamen adhuc in multæ reliquiæ gentilitatis, magnaque pars civium ethnicoru perdurabat, et ad eam ab illa fæce purgandam Deus illas cal mitates permisit, ut docte et erudite Malvenda ostendit, lib.

e Antichristo, cap. 6, ideoque licet, capta et diruta Roma, non otuerit non magna incommoda et damna pati Ecclesia fidelis, uæ in ea tunc erat, quia tamen idololatriæ et gentilitatis sce-ra erant causæ ruinarum, ideo potius in Romam ethnicam uam christianam pervenisse merito dici potest.

7. *Si Roma ad mundi finem in priorem statum restituenda t, in eam quadrant verba Apocalypsis* —Unde ulterius addo, uod in dicto cap. 7 ex opinione multorum sapientum retuli, on esse incredibile Romam, prope Antichristi tempora, vel in il-s, a gentibus iterum superandam esse, et ad priorem ethnicum atum revocandam, ejecta inde Ecclesia, vel ita afflicta, ut uasi in angulo vel in cavernis terræ delitescat, et tunc impleri ptime poterit prophetia Joannis in Roma ethnica, et poterunt lam deplorare reges ethnici et idololatræ, qui participes fue-nt fornicationum et deliciarum ejus. Atque ita merito etiam nc Babylon appellari poterit, sicut antea vocata fuit, etiam si illa esset Ecclesia, cui Babylonicæ nomen convenire non po-st. Unde sapienter dixit Sander., lib. 8 Monarch., c. 8, Anti-ristum non Romæ, sed inter reliquias et fragmenta imperii omani expectandum esse. Præsertim quia, licet fortasse antea x aliquis infidelis insurgeret, qui Romam vinceret, ibique am tyrannidem exerceret, ea res non magis imputanda esset di Apostolicæ, aut Ecclesiæ Romanæ, quam Neronis aut Dio-etiani persecutio eidem Ecclesiæ olim adscribebatur.

8. *Tunc jure Babylon dicetur.*—Tandem dico fieri etiam sse, ut Roma illud ultimum et perpetuum excidium patiatur, am si nunquam ad ethnicismum redeat, sed sub imperio ntificis permaneat, et quod id patiatur propter sua scelera, n tantum præterita, sed etiam in illis diebus ultimis futura. m (ut supra dicebam), licet illa Ecclesia fidelis perseveret, terit vel esse nimium depravata moribus, vel poterunt in ea ltiplicari sectæ, vel hæreticorum, vel ethnicorum, cum tan-potentia et libertate, ut Pontifices illos reprimere non valeant. in tali statu poterit etiam Babylonia vocari propter confusio-

nem, quæ in illo statu non poterit non esse maxima. Et similiter poterunt illam deflere reges, qui erant participes deliciarum ejus, sive illi futuri sint ethnici, sive fideles pravis moribus dediti, sive hæretici foventes sectas et scelera, quæ tunc esse poterunt per universam Italiam vel Europam, et ita prævalere ut auctoritate et potentia externorum regum Romam etiam invadant.

9. *Ecclesia Romana nunquam esse potest antichristiana.*— Quocumque ergo modo illa prophetia intelligatur, ex ea non solum non potest colligi jam nunc esse Romam Antichristianam, verum etiam neque ulla verisimilitudine inferri potest Ecclesiam, quæ Romæ nunc est vel jam esse, vel futuram esse aliquando Antichristianam, vel infidelem, quia, licet multi cives et membra ejus a fide deficiant, eo ipso fiunt extra Ecclesiam, quæ semper fidelis perseverat. Multoque minus sequitur caput veræ Ecclesiæ esse, vel futurum esse unquam Antichristum, quia, licet civitas illa funditus destruatur propter apostasiam, vel propter quamcumque aliam causam, poterit caput et petra Ecclesiæ firma consistere, et alibi residere vel latere. Imo licet Deus permitteret personam alicujus Pontificis in illis temporibus cadere, et tyrannis cedere, errores profitendo, non ideo Pontifex, ut Pontifex est, caderet, nec Ecclesiam falleret, sed illo deposito posset Ecclesia sibi Pontificem creare. Quod per exaggerationem, et ad rem magis explicandam dictum est; nam credibilius est id non esse permissurum Deum, præsertim in tanta Ecclesiæ tribulatione et oppressione.

10. *Mera calumnia est Pontifices veniam dare libidinibus.*— Ad calumniam autem quam rex obiter in objectione miscet dicens, solitos esse Pontifices veniam dare libidinibus regum aut illicita matrimonia permittere, respondemus falsum esse, et a rege non posse probari, a nobis autem vel ex ipso miserando lapsu Anglicano evidenter convinci. Nam dare veniam libidinibus duobus modis fieri potest. Primo, dando libidinosis veniam post libidinum pœnitentiam et satisfactionem. Et hoc fecerunt

epissime Pontifices. Ex quo non Antichristi, sed Vicarii esse ntelliguntur Christi, qui claves cœli illis commisit, et Petro nterroganti: «Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam i, usque septies?» respondit: «Non dico usque septies, sed sque septuagies septies» 1), utique si Ecclesiam audierit, et œnitentiam egerit, alioqui potius separandus est, ut ethnicus t publicanus. Alio modo attribui potest Pontificibus, quod libidinibus veniam præbeant, perseverantibus in illis, aut approantibus similia facta, aut publice et cum scandalo Ecclesiæ ea issimulando. Et in hoc sensu tale crimen falso Apostolicæ edi attribui, testis est ipsa Anglia; non enim aliam ob causam enricus VIII, et cum illo regnum ejus schisma contra Romaum Episcopum inchoarunt, nisi quia intolerandæ ejus libidini eniam dare noluit (2). Possentque similia exempla ex historiis usitaniæ et ex aliis ad eamdem falsitatem coarguendam peti. ed in re clara, necessaria non sunt, nec nos decet regum jam olita et deleta delicta in memoriam revocare.

11. *Invalida matrimonia nunquam approbat Ecclesia.*—In tero autem verbo quod rex adjungit, «illicita matrimonia perittere», alludere plane videtur ad matrimonium Henrici cum erenissima Catherina, quod Papa permisit, imo non solum ermisit, sed constanter etiam defendit, quia non illicitum, d verum et sanctum fuerat. Probabit autem rex Angliæ maimonium Henrici cum Anna Bollena, quod non matrimonium icitum, sed turpissimum adulterium et incestus execrandus it. Igitur permissio illiciti matrimonii variis etiam modis fieri otest. Primo, approbando matrimonia illicite facta etiam si inlida sint; et hoc falso tribuitur Ecclesiæ Catholicæ, vel Aposlicæ Sedi, nec a rege produci potest exemplum, quo id faciat ioquo modo credibile. Imo, licet matrimonium fuerit validum,

(1) Matth., 18.

(2) Vid. Chroni. Duarii Nunez, 1 p., in Vita Sancii II, regis Portug., in Vita Alfonsi III. Vid. Bosium, t. 1, de signis Eccles., lib. 12, c 3.

si fuit illicite factum (quod sæpe contingit), licet Ecclesia pro bet matrimonium, non probat delictum; imo nec permittit illud sed vetat, et punit si potest; interdum enim, quia sine majo scandalo punire non potest, dissimulat; hæc autem frequente esse solet culpa principum potentium, non Apostolicæ Sedis Alio modo permittitur matrimonium, ut cum dispensatione fia quod sine illa factum esset illicitum, et hoc sæpe facit Ecclesia et justissime facit, quia quando id contingit propter impedimen ta jure humano introducta, per potestatem etiam Ecclesiæ au ferri possunt, et sæpe expedit propter commune bonum, vel alia causam justam. Et ita factum est in matrimonio Henrici cu Catherina, ut est res notissima, et a multis doctissimis viris d monstrata. Propter has autem dispensationes, non sine dolo v captione dicitur «Pontifex permittere matrimonia illicita»; na hæc verba faciunt sensum compositum, ut sic dicam; significan enim permittere illa permanentia illicita, quod falsum est, se permittit dispensando ut licite fiant, quæ sine dispensation esset illicita.

12. *Ornatum B. Virginis ac templorum rex carpit.*—Perg ulterius rex, et occasione illorum verborem Joannis, in dict c. 18, vers. 12: «Quoniam merces eorum nemo emet amplius exaggerat Romanæ civitatis divitias, reprehenditque (ut al omittam) «ornatum templorum, et cultum sanctarum imaginum Additque horrendum Protestantium mendacium, quod illi im posuerunt, videlicet, «Beatam Virginem quotidie novitiis exquisitissimis vestimentorum generibus, quamvis habitum re ferant meretricium, Romæ indui et exornari.» Verumtamen i hac objectione satis Protestantes ostendunt, se non Roman quam fingunt novitiam et Antichristianam, sed veterem et Ca tholicam Ecclesiam Romanam calumniari et odio prosequi. Na ornatus templorum non est novus in Ecclesia, sed ab eo tem pore quo templa publice ædificari cœperunt, ornari etiam sum tuose incœperunt, et maxime Romæ. Cujus rei, præter gravis simas historias Eusebii et posteriorum, testes evidentissi

unt antiquissima monumenta, et ornamenta templorum ac re-
iquiarum, quæ hodie Romæ inspiciuntur, et in actis ipsorum
Pontificum, Sylvestri, Damasi, et aliorum usque ad Gregorium
opiosissime inveniuntur. Et præter exempla id etiam docue-
unt sancti et antiqui Pontifices, Felix IV et Leo I, ut alibi la-
ius tractavi (1). Idem manifestum est de cultu imaginum, de
uo satis in 2 libro dictum est.

13. *In Ecclesia decenter imagines amiciuntur.* — Calumnia
ero de indecenti vestitu seu cultu imaginis Beatissimæ Virgi-
inis sufficienter refellitur decreto OEcumenicæ Synodi Tri-
entinæ per Romanos Pontifices confirmatæ, usuque receptæ.
am, sess. 25, in decreto de Sanctorum et imaginum cultu,
ostquam Catholicam doctrinam declaravit, de morali in praxi
ervanda subjungit: «Omnis porro superstitio in Sanctorum in-
ocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tol-
atur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia
itetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec
rnentur.» Rursusque commendat Episcopis, «curam adhibeant,
t nihil inordinatum, aut præpostere, aut tumultuarie accom-
nodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum
omum Dei deceat sanctitudo.» Atque hanc curam et religiosam
ollicitudinem in Romanis templis magna diligentia et pietate
bservari scimus, et per plures annos oculis conspeximus, et
n Sanctissimæ Virginis imaginibus majori consideratione ani-
nadvertimus; ideoque fidenter in verbis illis non nisi meram
alumniam et hæreticorum impudens mendacium contineri af-
rmamus.

14. *Catholicorum liberalitas in religiosos conviciis discerpitur.* — Neque dissimile crimen est, quod tertio loco rex Pontifici-
us objectat occasione illorum verborum Joannis: «Merces
ri», etc., «et animarum hominum.» Dicit enim: «Omnium

(1) Tom. 3, in tertia parte, disp. 18, sect. 6, in fin.

autem sumptuosarum mercium, quæ maximi pretii sunt, animæ, scilicet, hominum postremo nominantur»; et statim interponit verba, quibus in religiosos et pios sumptus, quos in cœnobiis religiosorum ædificandis Catholici insumunt, et speciali ter in Societatem Jesu invehitur, quam injuriis et contumelii onerat. Quæ lubens omitto, tum ne piæ aures legentium ho opus offendantur; tum quia in hoc opere non pro Societate, se pro Catholica fide, et Apostolicæ Sedis singulari prærogativ respondere decrevi. Et licet in illis verbis aliqui errores contr fidem involvantur, ut contra purgatorium, contra suffragia pr defunctis, et contra statum religiosum, tantum obiter tanguntur et non possunt omnia hoc brevi opere refutari. Ac de priori bus, pro hujus operis opportunitate, satis in secundo libro di ximus; de ultimo autem speramus, divina ope, aliquando i lucem proditurum opus de statu religioso, germanum sociu alterius operis de religionis virtute, in quo errorem illum e professo confutamus. Post illa ergo verba, quæ omissa facimus subjungit rex : «Et certe credo, non est minima illa animarur negotiatio, cum homines spe et promissione æternæ salutis fas cinantur, ut facile persuadeatur fraterculo, regem suum confo dere», etc., tandem concludit: «Atque ita tam animi, quar animæ jacturam facere.»

15. *Concessio facultatis ad reges impune trucidandos fals attribuitur Pontifici.* — In quibus verbis rex significat, vel Romanos Pontifices, indulgentias seu remissiones peccatorum solere promittere hominibus, si reges suos et principes temporales occidant, vel Catholicos docere, esse pietatis opus, princip et regi hosti fidei et religionis, mortem machinari et inferre esseque maxime meritorium, et genus quoddam martyrii, mo tem pro tali facinore perpetrando subire, atque ita promission salutis æternæ deceptum fuisse fratrem, qui regem Galliæ in terfecit, et alios similes. Et quidem prior sensus videtur fuiss a rege intentus, est enim satis consequens ad ea quæ præcess runt. Ad illum vero breviter et docte respondet Bellarminu

lere quidem Pontifices indulgentias christianis militibus in ellis justis contra infideles dimicantibus vel decedentibus con-dere. Nam Gelasius II, ante quingentos fere annos militibus ontra Saracenos Hispaniam occupantibus indulgentiam con-ssit his verbis: «Si quis vestrum, accepta de peccatis suis nitentia, in expeditione hac mortuus fuerit, Nos eum Sanc-rum meritis, et totius Ecclesiæ precibus a suorum vinculis eccatorum absolvimus.» Et postea pro aliis vivis cooperanti-is aliam indulgentiam concedit, ut est apud Baron., ann. 1118, m. 18. Aliam concessit Joannes VI, tempore Ludovici III, nperatoris, omnibus decedentibus in bello pro defendenda cclesia contra Paganos, ut refert Baron., ann. 878, num. 34, epist. 144 ejusdem. Item est celebris indulgentia, quam su-entibus crucem pro expeditione terræ sanctæ concessit Urba-is Papa in Concilio Claramont., ann. 1095, ut ibidem Baron. fert, num. 25 et num. 50. Eamdem confirmavit Eugenius III, no 1145, ut refert Otho Frisingen., de Gestis Francorum, b. 1, cap. 34; et late Baron., eodem anno, num. 30 et se-uentibus.

16. *Variæ concessiones referuntur ex historia Anglicana.*— enique similem concessit Gregorius VIII in quadam epistola l universos Christi fideles, quam refert Rogeri. Anglican., in nnal.; et Guillielm. Neubrigen., libro tertio Historiæ Anglica-æ, capite vigesimo. Verba concessionis sunt: «Eis, qui de rde contrito et humiliato spiritu laborem itineris hujus as-mpserint, et in pœnitentia peccatorum et fide recta decesse-nt, plenam suorum criminum indulgentiam, et vitam pollice-ur æternam. Sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fece-nt, impositæ satisfactionis relaxationem, de omnipotentis Dei isericordia, et de Beatorum Apostolorum Petri et Pauli aucto-tate et nostra, se noverint habituros.» Eamque indulgentiam nfirmavit ejus successor Clemens III, ut Rogerius, et Baron., Annalib., ann. 1187, referunt. Additque Neubrigen., c. 21,

Richardum, comitem Pictaviensem, regis Anglorum filium, pr
mum omnium principum crucem Domini accepisse, et post
regem patrem ejus simul cum rege Galliæ in idem propositu
convenisse, et per sua regna propriis litteris indulgentiam
Papa concessam promulgasse, et postea in Concilio Anglican
plurium Episcoporum probatam et receptam esse.

17. *Ex forma concessionum falsitas dictorum convincitur.* —
Si ergo nunc rex Jacobus omnes hujusmodi indulgentias repr
hendere audet, satis tot Pontificum, Conciliorum, regum,
totius Ecclesiæ consensu, antiquaque traditione confunditu
præter alia quæ de hoc puncto in proprio tractatu a nobis di
putata sunt (1). Si autem accusat Pontifices, quod eis, qui pr
vata auctoritate suos reges audent occidere, similes remission
indulgent, eosve ad similia crimina perpetranda indulgenti
rum promissione excitant, novum crimen hoc est, et in R
mana Ecclesia inauditum, sed a Protestantibus ad concilianda
Pontifici invidiam excogitatum. Nam potius in forma conc
dendi indulgentiam, particulam illam, «vere pœnitentibus
confessis,» Romani Pontifices addere, aut aliam æquivalente
apponere consueverunt, tantum abest ut pro criminibus perp
trandis illam promittant.

18. *Quæstio, an cuivis liceat impune tyrannum occidere, n
est hujus loci.* — In altero vero sensu inculcat rex in illa sua r
prehensione quæstionem celebrem, an liceat cuicumque priva
homini legitimum regem suum tyrannice regnantem, et pr
sertim religionem et Catholicam fidem pervertentem, interfic
re. Quam nunc disputare prolixum et a nostro instituto alienu
esset. Solum ergo cum eodem Cardinali Bellarmino respond
mus imprimis, ex factis quorumdam privatorum, etiam si C
tholici fuerint, non recte colligi talia facta per Ecclesia
approbari; nam ex factis, præsertim paucorum, doctrinam co

(1) Tom. 4, disputat. de Indulg.

gere, aut ingens caligo ignorantiæ est, aut manifesta calumia; cum Christus ipse etiam de Scribis et Pharisæis dixerit: Quæcumque dixerint vobis facite, secundum opera vero eorum olite facere.» Deinde dicimus, non Catholicos, sed hæreticos arentes Lutheranorum et Protestantium docuisse, regem non olum propter hæresim vel tyrannidem, sed etiam propter uodlibet mortale peccatum regnum amittere, posseque a poularibus pro suo arbitrio corripi. Quam doctrinam secutus est oannes Hus; eam vero Ecclesia Catholica ut hæreticam damat, ut ex Concilio Constant., sess. 8 et 15, constat, et alibi a obis ostensum est. Imo in eodem Concilio, sess. 15, refertur ssertio quædam ad ipsum delata: «Quilibet tyrannus potest et ebet licite et meritorie occidi per quemcumque vasallum suum, el subditum, etiam per clanculares insidias, non obstante quoumque præstito juramento, neque expectata sententia, vel ıandato,» etc. Illa autem assertio hæretica declaratur, eamque ertinaciter defendens, hæreticus a Concilio denunciatur. Imerito ergo rex Jacobus Romanam Ecclesiam, vel ejus Catholi os Doctores criminatur, quod per doctrinam illam fraterculum el quempiam alium, ad suum occidendum regem spe salutis ternæ fascinaverint aut persuaserint. Et de hoc puncto hæc ı præsenti sufficiunt, nam in lib. 6 iterum occurret.

19. *Superbia Romanæ Ecclesiæ a rege Jacobo carpitur. — ed alia est mens D. Jounnis.* — Quarto loco, post alia convicia ontra Ecclesiam Catholicam, addit rex Romanam Ecclesiam cerbissime puniendam esse propter superbiam suam, quam uperbiam dicit explicari illis verbis: «In corde suo dicit: Sedeo egina, et vidua sum, et luctum non video.» Et postea hanc uperbiam rex, pag. 25, exaggerat, dicens: «Nulla enim certior st apud illos veræ Ecclesiæ nota, quam secundæ res et externa rosperitas.» Sed imprimis quod spectat ad verba Scripturæ, ertum est illa dicta esse de urbe impiorum, vel Roma ethnica t superba, quæ gloriabatur quod sederet ut regina, id est, uia multis regnis et provinciis imperabat, et vidua non esset,

quia imperatori et supremo domino gentium nupta erat; sicu
e contrario deplorabat Hierusalem Jeremias, quod «sedere
quasi vidua domina gentium.» Cum vero additur: «Et luctum
non videbo,» indicatur error gentilium, qui putarunt Romam e
imperium ejus fore perpetua, teste Hieronymo, dicta quæst. 11
ad Algasi., ubi inter alia ait, nomen blasphemiæ scriptum i
fronte meretricis in Apocalypsi esse «Romæ æternæ.» Et a
hunc fere modum communiter exponitur a Patribus et Doctori
bus, ideoque ridicula est et impia Protestantium illusio. Ma
xime cum in vera Christi Ecclesia non superbia, sed fidelis cha
ritas sit se sponsam Christi profiteri, cum Paulus, ad Ephes., i
dicat: «Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexi
Ecclesiam.» Et postea, explicans similitudinem per verba illa
«Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhæreb
uxori suæ,» subjungit: «Sacramentum hoc magnum est, eg
autem dico in Christo et in Ecclesia.» Unde cum Christus sit re
regum, quid mirum est quod sponsa sedeat «regina in vestitu
deaurato, circumdata varietate?» Non enim in se, sed in Do
mino, ratione sponsi, de tanta dignitate gloriatur. Eamdemqu
ob causam non ex superbia aut vana præsumptione viduitatem
seu luctum videre non timet, quia a suo sponso audivit: «I
portæ inferi non prævalebunt adversus eam;» et Matth., 16
«Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi
Matth., 18. Quapropter si verbis Scripturæ per accommodatio
nem uti liceret, multo justius posset Anglia timere commina
tionem et pœnas illas, quia revera dicit: «Sedeo regina,» qu
nullum sponsum præter temporalem regem, nec alium superio
rem in spiritualibus vel temporalibus recognosco. «Vidua no
sum,» quia supremum caput et Christi Vicarium proprium,
tanquam sponsum habeo; «et luctum non video,» quia spiritu
dictat hanc esse veram Christi Ecclesiam perpetuo cum Chris
mansuram, et paulatim Romanam Ecclesiam superaturam.

20. *Veræ Ecclesiæ notæ proponuntur.* — Denique, quod re
de suo adjungit, nullam certiorem notam veræ Ecclesiæ apt

ios esse, quam «res secundas et externam prosperitatem,» duo ontinet falsa. Primum et clarissimum cernitur in illa compara- ione, nam omnes Catholici uno consensu tradunt ut principa- iores, et certissimas Ecclesiæ notas, esse «unam, Sanctam, atholicam, et Apostolicam,» cum aliis, quæ in his recte expli- atis intime continentur, ut sunt habere legitimam successionem b Ecclesia primitiva, per certam et indubitatam connexionem um illa in doctrina, in regimine et pastorali munere, et præ- ertim in cathedra Petri. Item esse fundatam in illa Petra per nionem perpetuam, et obedientiam cum illa. Aliæ vero notæ, uæ ab aliquibus Doctoribus Catholicis multiplicantur, vel ad as reducuntur, vel non sunt tam propriæ et certæ notæ, quam eræ Ecclesiæ verisimillima signa.

21. *Prosperitas in utramque partem flexibilis est.* — Aliud ssertum falsum est, «externam prosperitatem et res secundas» bsolute, et sine aliqua declaratione vel restrictione inter Ec- lesiæ notas numerari. Non enim ignorant pii et sapientes viri, emporalem felicitatem rem indifferentem esse; ideoque pros- eros in his rebus successus malis et bonis, fidelibus et infide- bus, hæreticis et Catholicis esse communes. Neque etiam ig- norant nihil esse magis proprium Ecclesiæ Christi, aut sæpius o ipso prænunciatum, quam temporales afflictiones et tribula- ones ac persecutiones; e contrario vero pacem externam, et mporalium rerum abundantiam copiosius solere malis quam onis concedi, vel quia si quid boni operantur, illa tempora- a bona loco præmii recipiunt; vel quia propter peccata sua erentur ut eis concedantur bona, quibus Deus prævidet pe- res in dies esse futuros; vel certe ut boni meliores effician- r, tum carendo illis bonis temporalibus, quæ solent occasio- em ruinæ spiritualis afferre, tum sustinendo impiorum moles- as, qui prosperitatibus elati ipsos affligunt.

22. *Prospera suæ Ecclesiæ Deus moderate providet, etiam r miracula.* — Prosperitas ergo temporalis per se spectata non nitur a nobis ut nota veræ Ecclesiæ quia non est nota veræ

fidei nec veræ sanctitatis. Quia vero Ecclesia Christi, dum i terris degit, etiam his bonis temporalibus indiget (ut recte dixi D. Augustinus), ideo Christus Dominus sua singulari providen tia in horum bonorum largitione, conservatione ac defension peculiari cura illi providet; sæpeque extraordinario auxilio, a plane cœlesti in prosperis successibus obtinendis, et contrari vitandis, illi assistit. Atque ita prosperitates temporales hc modo provenientes Ecclesiæ aut principibus, inter signa ver fidei, ac subinde Catholicæ Ecclesiæ a Catholicis recensentu Sicque Card. Bellarminus, lib. 4 de Eccles., cap. ultimo, feli citatem quidem temporalem, loco decimo quinto et postrem tanquam cæteris inferiorem posuit, non tamen sine prudenti sufficienti declaratione, addit enim: «Temporalis felicitas div nitus iis collata, qui Ecclesiam defenderunt.» Et talia su exempla quæ inducit, et eodem modo loquuntur plures a auctores quos ipse refert, et copiose Bozius, 2, tom. de sign eccles, præsertim c. 20 et sequentibus.

23. *Pontificem et Turcam rex Jacobus eadem librat stater —Sed nulla est conventio lucis ad tenebras.*— In reliqua parte lius discursus, quam ad cap. 19, 20 et 21, rex adjungit, nil notatione dignum vel ad causam fidei pertinens invenio, præt illud quod obiter in transcursu dicit, an id, quod de Gog Magog Apocalyp., 20, dicitur, «de Papa et Turca accipiendu sit, necne, aliis judicium relinquo», et rationem reddit: «Qu fere eodem tempore ad suam magnitudinem excreverunt.» quibus verbis, multis modis errat et peccat. Primo, contra pi tatem, et humanam etiam urbanitatem, dum Papam inter Chri hostes et Ecclesiæ persecutores numerat, et Turcæ exæquat, quo non solum ostendit quantum ab omnibus principibus p et catholicis degeneret, qui summa reverentia et honore Pap prosecuti sunt, ut satis est in superioribus ostensum; veru etiam evidenter se prodit, non rationis pondere, sed tantum fectu et odio verba similia effutire. Nulla est enim conven vel comparatio Christi Vicarii, fidelium parentis, ac fidei e

magistri et defensoris, cum infideli tyranno, acerrimo Christianorum persecutore. Sed qui sapientes sunt in oculis suis, et prorio spiritu ducuntur, facile dicunt tenebras lucem, et lucem enebras.

23. *Pontificis magnitudo Christi jam tempore adolevit. — Turcæ multo post rerum summam sunt adepti.* — Deinde contra eritatem historiæ errat, dum ait Papam et Turcam eodem tempore ad suam magnitudinem excrevisse. Nam si de magnitudine apæ quoad spiritualem dignitatem et potestatem loquamur, in a nunquam crevit; a principio enim integra, et (ut ita dicam) n summo gradu in Petro fuit, eademque sine argumento aut iminutione est ad successores Petri derivata, ipsam utique poestatem in se spectando; nam usus ejus crescere potuit sicut revit Ecclesia, et impedimenta ablata fuerunt, et majores etiam ccasiones occurrerunt. Et in hoc etiam sensu dici potest Papa temporibus Constantini ad suam magnitudinem pervenisse; nc enim cœpit ejus dignitas universo orbi innotescere, et imerator ipse aliique temporales principes illi colla subdere inœperunt. Imo etiam quoad temporalem dominationem tunc re ad suam magnitudinem pervenit. At Turcæ imperium mulm post tempus incœpit, nam, licet Turcarum gens, qui olim azari dicebantur, antiqua sit, tamen secta et imperium eorum nge recentiora sunt, nam et impius Mahometus post sexcensimum Christi annum incœpit, et Turcæ non cœperunt orienle imperium Romanorum invadere usque ad Constantini Conymi et Iconomachi tempora, et usque ad annum millesimum fere centesimum illud non obtinuerunt (1). Unde si tunc catur Turca ad suam magnitudinem excrevisse, ut revera dindum est, omnino falsum est Papam, et Turcam ad suam agnitudinem simul pervenisse. Videtur autem rex Jacobus ad itium Mahometis respexisse, quia paulo post Bonifacium III

(1) Vide Baron. an. 763 et 1048.

in mundo apparuit; verumtamen sic etiam falsum est, aut ec tempore magnitudinem aliquam Pontificatui esse additam, aut Turcarum gentem vel imperium tunc incœpisse. Denique accommodatio illa de Gog et Magog, non solum in Pontifice, quod evidentissimum est, verum etiam neque in Turca, habet ullam verisimilitudinem, ideoque neque in dubium revocari, nec aliorum judicio remitti debuit, ut in superioribus tactum est, et in sequenti capite iterum videbimus.

CAPUT XXII

Ex descriptione Antichristi a Daniele propheta tradita fabula de Antichrstianismo Romano evidenter refellitur

1. *Danielis Prophetias rex Jacobus in medium non adducit* –Cum attente discursum regis Angliæ de Antichristo legissem et nullam in eo Danielis Prophetæ mentionem fieri vidissem nisi cursim et obiter asserendo Joannem in Apocalypsi imitari modos loquendi Danielis, Ezechielis et Prophetarum, miratus sum valde, et dubitare cœpi an rex crederet, Danielem de Antichristo prophetasse. Auxitque suspicionem, quod in principi suæ disputationis ait. Paulum clarius explicuisse, quod Joanne suis visionibus obscurius tradit, prætermisso Daniele, quas nihil ad causam pertineret, vel ac si neque obscure nec clar Antichristum prædixisset. Quod si fortasse ita verum est, e rex non credit Danielem de Antichristo prophetasse, interrogandus est cur id credat de Joanne, et de Daniele negat, quiuterque per ænigmata locutus est, et neuter nomen Antichrist expresse posuit, et visiones Danielis, judicio omnium Patrum et expositorum, minus obscure indicant Antichristum, quam Joannis. Imo Christus Dominus, Matth., 4, satis indicat Danielem de Antichristo fuisse locutum, eademque est perpetua Ec

clesiæ traditio. Quod si hoc rex negare non audeat, miramur cur in tam prolixa disputatione, et tam immani contra Papam accusatione, tanti Prophetæ gravissimum testimonium omiserit. Suspicor ergo Danielem silentio præteriisse, quia descriptiones ejus de Antichristo non solum ad errorem suum confirmandum nullo colore detorqueri poterant, sed illum potius redarguunt, et veritatem non obscure ostendunt. Ob hanc ergo causam, licet in superioribus ad ostendendum, Antichristum futurum esse singularem personam, et quanto tempore regnaturus sit, hujus Prophetæ testimoniis usi fuerimus, operæ pretium duximus descriptionem Antichristi ex ipso colligere; copiosius enim quam alii eam tradit, evidentiusque per illam non solum a Papa, sed etiam ab omnibus aliis, qui falso Antichristi putati sunt, discernitur.

2. *Per bestias apud Danielem imperia adumbrantur. — Descriptio Antichristi.*—Primum igitur in capite septimo ait Daniel se vidisse quatuor bestias; quæ quatuor mundi regna significabant, ut ipsemet declarat; illa vero quatuor regna ex communi sententia et expositione Catholicorum fuerunt Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum imperia, ut supra, c. 3, breviter declaratum est. Tribus autem bestiis seu regnis prioribus, quæ cito transierunt, prætermissis, de quarta dicit inter alia Daniel, quod habebat cornua decem, et subjungit, c. 7: «Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus; et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia.» In his ergo, et sequentibus verbis quæ postea addemus, intelligimus Danielem personam Antichristi descripsisse. Quod licet in superioribus obiter et per occasionem sæpius indicatum sit, hic ex professo et integre exponendum est, quoniam si colligantur simul omnes proprietates quas Propheta de parvulo cornui attribuit, falsitatis evidenter convincitur mendacium et impostura Protestantium de Romano Antichristianismo. Oportet tamen ut supponamus cornu illud parvulum

repræsentare Antichristum. Prius autem decem cornua interpretari necesse est; de ipsa vero bestia quarta nihil addere oportet his, quæ Daniel ipse dixit, videlicet, quartam bestiam esse «quartum regnum in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam.» Per quod omnes Catholici imperium Romanum intelligunt, omissis interpretationibus Porphyrii et Hebræorum, de quibus videri possunt D. Hieronymus, et alii expositores: nam in hoc nulla est in præsenti controversia.

3. *Per decem cornua quartæ bestiæ, totidem reges in imperio Romano repræsentantur.* — De decem item cornibus, Daniel declarat repræsentare decem reges futuros, satisque indicat esse futuros non omnino distintos ab illo regno maximo per quartam bestiam significato, neque in terris et provinciis extra ditionem totam Romani imperii, sed esse futuros decem reges ejusdemmet regni quarti, sic enim ait: «Porro cornua ipsius regni decem reges erunt.» Unde omnes colligunt, ipsummet regnum Romanum, quod prius unum imperium fuit, dividendum esse in decem regna. Quod etiam significatum fuit in c. 2 ejusdem Prophetæ, per decem digitos in quos statua desinebat.

4. *An numerus ille certus sit, an pro incerto positus.* — De hoc autem numero decem cornuum dubitatio est, an sicut Daniel præcise vidit decem cornua, et non plura neque pauciora, ita per illa significentur decem reges in eodem numero certo ac præciso, an indefinite multitudo regum in quos dividendum fuit Romanum imperium. Quam quæstionem attingit Augustinus 20 de Civit., cap. 23, et incertum esse putat an denarius ille numerus significet universam multitudinem regum futurorum in Romano imperio, prius quam Antichristus veniat, an vere præcise decem reges demonstret. Prosper etiam, in Dimidio temporis, capite octavo, licet de numero non moveat quæstionem, dubitat nihilominus an per illos decem reges intelligantur «truculentiores reges, qui fuerunt in religione Christiana. Aretas etiam, c. 36, in Apocalyp., generatim dicit, decem cor-

nua significare, «consummationem eorum quæ juvant ad mali-
tiam contingere Antichristianam», ubi numerum indefinitum
ndicat, quamvis aliam opinionem referat, dicens: «Sed et de
his quidam dixerunt, in decem regna divisum tunc iri mun-
dum.» Et in hanc sententiam videtur inclinasse Pereira, lib. 2
n Daniel., dum per decem digitos statuæ significari ait, Roma-
num imperium novissime divisum iri in multa regna, multos-
que reges, quorum alii potentiores, alii imbecilliores futuri
sunt, et ideo digiti partim ferrei erant, partim testiles.» Et
bidem ait, per decem cornua in c. 7, significari «multos reges.»
demque lib. 8, tractans sententiam Augustini, sub disjunctione
oquitur, dicens negari non posse quin quo tempore venturus
est Antichristus, futuri sint in orbe Romano, «decem reges,
vel multi reges.»

5. *Patres numerum illum determinatum sentiunt.* — Patres autem communiter, nullam dubitationem vel quæstionem moventes, simpliciter dicunt illa decem cornua significare decem reges, prout Daniel illos interpretatur, eosque futuros esse in orbe Romano tempore adventus Antichristi. Ita loquitur Irenæus, lib. 5, c. 25, et in c. 26, fusius in eodem sensu exponit decem digitos statuæ, Dan., 2, et decem cornua bestiæ, Apoc., 13 et 17; et licet expresse id non declaret, semper tamen tanquam de certo ac præciso numero loquitur. Hipolit. etiam, orat. de Consummat. mund., solum dicit cornua decem a Daniele visa, esse decem reges, et eosdem in decem digitis statuæ significari; et eodem modo loquuntur Cyril. Hierosol., catech. 15; Lact., l. 7, c. 16; Tertull., de Resurrect. carnis, c. 24 et 25; et in eadem opinione sunt Hieronymus et Theodoret., Daniel., 7 et 11, intelligentes, per hæc decem cornua bestiæ, ubicumque in Daniele et Apocalypsi eorum fit mentio, decem regna significari, in quæ erit Romanum imperium divisum. Consentiunt etiam Andreas, c. 36 et 53, in Apocal., qui inter alia dicit, «per decem cornua, terreni regni in decem partes sectionem significari.» Quod etiam Aretas c. 54 attingit refe-

rendo tantum aliorum nomine, qui ita inquit, «aiunt.» Et hanc sententiam sequuntur communiter moderni expositores et Doctores, et quidam satis eruditus (1) tanta exaggeratione illam affirmat, ut dicat, tam manifestum esse illos decem reges, nec plures, nec pauciores esse intelligendos, ut vehementer miretur potuisse de hoc sanctum Augustinum ambigere. Imo ait, «considerato tanto Patrum consensu, nimium perfrictæ frontis exiturum, qui contra obniti vel hiscere audeat.»

6. *Rex Angliæ numerum explicat.— Denarius et septenarius sæpe indicant numerum incertum.* — At nihilominus rex Angliæ, in Præfatione, p. 120, tractans locum Apoc., 17, denarium numerum ait ibi sumi pro numero incerto, utiturque hoc argumento, quod ibi Joannes alludit ad hunc locum Danielis, quasi supponens ut certius, Danielem denarium pro numero incerto sumpsisse. Additque aliud argumentum, quia septem capitum, et decem cornuum draconis seu diaboli numerus non potest aliter intelligi, nisi ut numerum declaret incertum. Ego vero imprimis non censeo controversiam hanc pertinere ad dogmata fidei, sed esse rem in opinione positam. Nam Patres pro secunda sententia allegati non tradunt illam ut certam; imo nec faciunt vim magnam in præciso ac proprio numero denario, sed in divisione imperii in plura regna, et utuntur illo numero, quia Scriptura ita loquitur. Constat autem numerum denarium esse unum ex his qui in sacra Scriptura pro multitudine magna vel universali sumitur. Unde, accedente Augustini auctoritate, et dubitatione aliorum, non videtur posse damnari, aut temerarius vel audax censeri, qui de significatione illius numeri denarii in illo loco dubitaverit. Præsertim quia de septenario numero capitum tam in hoc loco Danielis, quam in Apocal., 13, et multo magis in 17, multi dubitant an significet numerum certum, vel communitatem aliquam, seu collectionem regum

(1) Thom Malvend., l. 4, de Antichrist., c. 15 et 21.

npiorum, ut supra vidimus cap. 4. Unde cum in hoc loco dicit Daniel, tria cornua esse a facie parvi cornu evellenda, licet ræcise intelligatur de tribus regibus, quia numerus ternarius on solet in alia incerta significatione sumi, neque ibi est neessaria, nihilominus per septem alios reges subjiciendos vel onfœderandos Antichristo, intelligi possent omnes alii qui eo empore sunt futuri, sive pauciores, sive plures sint, quia sepenarius numerus ex mysticis est, qui solent universalitatem ignificare, et ibi non sine auctoritate, nec sine aliqua appaenti occasione præsumitur talis significatio, ut facilius prophea et intelligatur et impleatur.

7. *Certius est denarium pro numero certo poni.* — Propter æc ergo non censeo nimium esse exaggerandam certitudinem osterioris sententiæ, quamvis illam præferendam et simpliciter eram existimem. Primo propter Scripturæ testimonia quia non no vel alio loco, sed in multis, tam in Apocalypsi quam in aniele, ubi sub hac figura illa divisio imperii Romani in plura egna prædicitur, fit sub illo numero denario. Secundo, quia ulla est necessitas metaphoræ, vel improprietatis vocis, cum ihil obstet quominus illa regna futura sint decem et non plua, eademque facilitate possit multiplicatio in illo numero, uam in quocumque alio contingere. Maxime quia etiam si ortasse plura regna parva, vel principatus minores eo tempore n orbe Romano esse possint, nihilominus omnia poterunt ad ecem principalia regna et quasi capita revocari. Ita ergo fale potest ille numerus denarius proprie et præcise accipi, neue oportet ad incertos numeros recurrere. Tertio, propter ommuniorem Patrum consensum.

8. *Fundamenta regis Angliæ subvertuntur.* — Neque prima onjectura regis Angliæ est alicujus momenti, sed in contrarium erti debet, nam quia Joannes ad hunc locum Danielis alludit, in hoc loco probabilius est denarium proprie sumi, ideo in cis Apocalypsis idem judicandum est. Ad aliud vero argumentum, quod sumitur ex comparatione ad numerum septem

capitum et decem cornuum draconi seu dæmoni attributum dicens non posse aliter quam de certo numero pro incerto intelligi, respondemus negando assumptum. Et quoniam ipse non designat locum de quo loquatur, oportet per tria discurrere, in quibus Joannes illius numeri mentionem facit, utique c. 12, 13 et 17.

9. *De septenario numero distinctius agitur. — Antichristus organum dæmonis.* — Et quidem c. 12 fatemur illum numerum tribui dæmoni: nam aperte dicit Joannes: «Visum est aliud signum in cœlo, et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem.» Et nihilominus etiam in hoc loco dicimus eadem esse capita et cornua decem quæ in capite tertio, et quæ sunt apud Danielem, c. 7. Nam, licet ibi sit sermo de dæmone, et in aliis locis de Antichristo, utriusque organa et membra, seu instrumenta sunt illa capita et cornua, id est illi reges decem, quorum tres destruet Antichristus, et septem illi servient, nam dæmon et Antichristus conjunctissimi futuri sunt, non quidem unione hypostatica, ut quidam finxerunt, sed morali influxu et motione. Nam Antichristus dum vixerit, totus a dæmone quodammodo possidebitur, movebitur et gubernabitur, et ita erit membrum ejus præcipuum, et quasi conjunctum organum, quo dæmon cætera ad eumdem finem eosdemque effectus movebit. Et ideo illa decem cornua et septem capita, tam dæmoni quam Antichristo tribuuntur; dæmon ut principali agenti in illo ordine, magis vero remoto; Antichristo, ut propinquiori, minus vero principali, si ad dæmonem comparetur. Quamvis respectu aliorum hominum Antichristus etiam dici possit principalis causa; unde a Sanctis et Theologis (1), caput malorum dicitur, omnium quidem, excessu et abundantia malitiæ, eorum vero quos suo tempore subjugabit

(1) Gregor., 15 Mor., c. 28; Hier., Abac., 3; D. Thom., 3 p., q. 8 tur. 8.

quibusque tanquam instrumentis utetur, etiam influxu et motione.

10. *Duo Apocalypsis loca de septenario exponuntur.*—Alter vero locus est Apocalyp., 13, et ibi non est sermo de dracone, sed de bestia, «cui draco dedit virtutem suam», id est, de Antichristo, et ita ibi etiam non oportet explicare numerum certum pro incerto. Tertius locus est Apocalypsis, 17, ubi bestia potest quidem dæmonem repræsentare, et tunc idem dicendum est quod de c. 12 diximus. Vel significare potest Romanum imperium, ut supra etiam visum est, et tunc iidem decem reges, in quos desinet Romanum imperium, repræsentantur, ut idem Joannes exposuit, et sic etiam ibi idem numerus definitus est. Et de numero septem capitum, supra, cap. 5, ostendimus non incertum, sed certum numerum significare. Quod etiam rex Angliæ admittit, cum illa septem capita dicat esse septem regimina Romanæ civitatis, et non plura, neque pauciora, ex quo potest argumentum ad hominem retorqueri, idem esse de numero denario dicendum.

11. *Decem bestiæ cornua omnes christianos reges a Bonifacio III rex Angliæ interpretatur.*—Prius vero quam ad undecimum cornu parvulum transeamus, oportet hic breviter expendere novam et mirabilem interpretationem illorum decem regum, quam rex Angliæ nobis exhibuit. Illos enim reges ait esse omnes reges christianos, qui a tempore declinationis Romani imperii sub obedientia Romani Pontificis militarunt, et de illis exponit illa verba Apocalyp., 17: «Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipient, post bestiam, quia illustriora (inquit) orbis Christiani regna, non nisi ruente ethnico imperio Romano, libertatem suam vindicarunt.» Unde infert, eodem tempore incœpisse hos reges, quo Antichristus suum regnum auspicatus est, id est, tempore Bonifacii III, ut ipse antea exposuit. Et de his regibus ait perseverasse multo tempore in uno consilio, «adorando bestiam, ejusque pedes exoscu-

lando, omnem potestatem, auctoritatemque suam ei concedendo, calicem idololatriæ simul cum illa hauriendo, bellum cum agno in persecutione Sanctorum ejus, jubente ea, gerendo, quæ tot nationibus ac populis imperitabat.» Quod autem Joannes post illa verba: «Cum agno pugnabunt», subdit: «Et agnus vincet illos», exponit, dicens, «per nostram conversionem, postquam tandem aliquando», ait, «odio meretricem habebimus», hoc est Romam, «et desertam relinquemus, ac nudam», etc. «Deinde (inquit) rationem subjungit» (utique Angelus, seu, Joannes) «hujus tam subitæ mutationis in nobis» dicens: Deus enim dedit in corde eorum, ut faciant quod placitum est illi, ut dent regnum suum bestiæ, donec consumentur verba Dei.» Hæc est regis interpretatio de decem regibus in Apocalypsi, cumque ipse dicat Joannem alludere ad Danielis verba, idem de decem cornibus apud Danielem sentire indicat.

12. *De parvo cornu rex Jacobus omnino tacet.— Quid alii de eo senserint.*—Prius vero quam interpretationem hanc rejiciamus, explicare oportet quid per cornu parvum intelligendum sit. De quo affirmare non possum quid rex Angliæ sentiat, quia nullam ejus mentionem in disputatione sua facit, quod, ut in principio capitis dixi, admiratione dignum est, et suspicionem ingerit, non credere cornu illud Antichristum repræsentare. Quod si forte hoc ita est, interrogo quisnam sit; vel cur separatim et singulariter numeretur. Præsertim cum rex dicat illum numerum denarium non significare numerum certum, sed pro incerto poni, in quo etiam undecimus ille rex per cornu parvum repræsentatus includebatur. Profecto vix occurrit quid re possit, quod verisimile sit et prudentibus satisfaciat, responde re. Scio equidem Porphyrium dixisse, illud cornu repræsentas se Antiochum, neque defuisse alios, qui vel Mahometum ve Turcam significare senserint. Verumtamen Porphyrium confun dit Hieronymus, quia Antiochus præcessit imperium Roma num, et ex Alexandro Magno ac imperio Macedonum illustren duxit originem, et rex seu princeps natus est; cornu auten

iud post imperium Romanum et divisionem ejus futurum esse rædicitur, et parvum propter humile principium et ortum dictur. Aliæ vero opiniones facile etiam refutari possunt, quia in lis regnis non inveniuntur proprietates quæ ibi illi cornui tribuuntur, ut supra, cap. 2, tetigi, et facile ex dicendis lector poterit intelligere; in his enim nunc immorari necesse non est.

13. Sit ergo certum et constans, cornu illud parvulum Antichristum repræsentare; consideratis enim aliis locis Scripturæ, prædictione ipsius Christi de tribulatione magna Ecclesiæ fura proxime ante judicium, in nullo alio inveniri possunt proprietates omnes ibi a Daniele prædictæ, et illi cornui attributæ, si in Antichristo. Et ita in hac affirmanda sententia convenunt Patres, et expositores, Hieronymus, Augustinus et Gregorius, quos supra, c. 2, retuli; Athanas., epist. ad Solitari. tam agent., circa finem; Justin., contra Tryphon., parum ab itio; Origen., lib. 6 contra Celsum, circa medium; Cyrill. ierosol., cateches. 15; Irenæ., lib. 5 Contra hæres., c. 25 et 26; heodoret., orat. 7 in Daniel.; Prosper, in Dimid. tempor., p. 8; Ruffin., in Exposit. Symbol., circa articulum de adven- ad judicium, et reliqui exponentes tam Danielem, quam pocalypsim, et Paulum, 2 ad Thes., 2, ubi Chrysost. optime.

14. *Ex ipsis prophetiæ verbis regis Angliæ placita evertur.*—Hinc ergo imprimis colligimus falsam esse interpretatiom de decem cornibus, quam rex tradidit, nimirum, illa esse nia christiani orbis regna, quæ a tempore Phocæ imperato usque ad Lutherum, vel usque ad Henricum VIII, regem ngliæ, Romano Pontifici obedientiam dederunt. Nam decem reges, quos Daniel commemorat, nunquam dederunt obentiam Antichristo, seu illi cornui parvulo, sed potius statim cornu illud ortum est, tria ex decem cornibus «avulsa sunt a ie ejus, quia», ut infra dicitur, «cornu illud rex erit potenr prioribus, et tres reges humiliabit.» Ubi evidenter loquitur opheta de potentia temporali, et de usurpatione trium regno-

rum, per bella, vel aliam similem coactionem. Unde addu omnes Patres et expositores, debellatis illis tribus regibus, re liquos septem manus daturos Antichristo, et illi tanquam inf riores et subditos potius vi et metu, quam sua sponte esse s ciandos. At nullus Pontifex, sive Bonifacius III, sive quilib alius, tres reges bello superavit, neque alii inviti, et bello a potentia, et victoriis Papæ conterriti, sed fide et divina vocati ne adducti, ei se subjecerunt. Ergo quæ de illis decem cornibu et de undecimo parvo dicuntur, non possunt regibus christian et Romano Pontifici accommodari. Eo vel maxime, quod tr illi reges, quos cornu parvulum debellaturum est, sunt reg Ægypti, et Lybiæ, seu Africæ, ut est communis traditio P trum, quos sæpe retuli, sumpta ex Daniel., 11, ut ibi Hier nym., Theodoret. et alii exponunt. At Summi Pontifices nu quam in Ægypto, vel Æthiopia bella gesserunt, neque regn illis dominari cupierunt.

15. *Cornu parvulum exurget post Romanum imperium div sum.*—Præterea ex visione Danielis constat, ante ortum ill parvum cornu, quartam bestiam, id est, Romanum imperiu in decem regna esse distrahendum, nam expresse dixit Angel Danieli: «Porro cornua decem ipsius regni decem reges eru et alius consurget post eos.» Illi ergo decem reges futuri su ejusdem regni Romani; erit ergo inter eos divisum prius qua cornu parvum oriatur. At Romanus Pontifitatus, etiam quo statum quem habuit sub Bonifacio III, incœpit ante tantam d clinationem seu divisionem Romani imperii; nam tunc adh durabat Romanum imperium sub uno imperatore Phoca, multo tempore postea duravit, saltem usque ad divisionem i perii in Occidentale et Orientale. Et licet multi essent tunc r ges in terris impii, nondum imperii jugum omnino abjecera aut supremam potestatem obtinuerant; ergo nec illi fuer decem reges, de quibus Joannes loquitur; nec parvum cor potuit esse Bonifacius III, vel alius similis successor ejus.

16. *Bonifacius III novum regnum non erexit, ut Daniel vo*

natus est.—Præterquam quod non solum rerum eventus cum erbis et visione prophetiæ non consentiunt, verum etiam ve-tas ipsius rei resistit. Quia Bonifacius nullum regnum erexit, cut de parvulo cornu prædicit Daniel, nec novam aliquam po-estatem aut jurisdictionem accepit vel usurpavit; imo nec no-um nomen aut titulum, ut sæpe dictum est; ergo, licet perso-a ejus orta vel ad dignitatem electa fuisset post reges, tamen apa, vel Pontificius thronus, de quo potissime hæretici loquun-ur, non potest dici surrexisse post divisionem imperii in decem egna; imo neque post aliquam inclinationem ejus; nam in re osa incœpit cum ipso imperio, et externum etiam splendorem majestatem, imperio adhuc florente sub Constantino, habere epit, et in se nullum augmentum postea accepit; in externo item, seu temporali dominio parum crevit, variasque tempo-um vicissitudines habuit; ergo de illo nullo modo dici potest enisse post reges decem, vel post omnes reges, in quos Roma-um imperium divisum, vel dividendum est. Ac subinde nec ecem illi reges esse possunt illi catholici et christianissimi re-es, qui hactenus sub obedientia Vicarii Christi militarunt.

17. *Non solum externis regibus, sed Anglicanis insignem in-riam irrogat rex Jacobus.*—Cætera vero omnia quæ rex An-iæ, post suam de decem regibus interpretationem, in aliorum erborum Joannis expositionem adjungit, tantam præ se ferunt osurditatem, ut refutatione non indigeant. Imprimis enim non lum cæteris illustribus christianis regnis, eorumque regibus, d etiam regno suo, suisque progenitoribus magnam irrogat juriam, dum omnes usque ad Henricum VIII, Christi hostes m «Agno bellum gerentes,» et «fidei persecutores,» et «Sanc-s persequentes,» et «idolorum cultores, calicem idolatriæ cum stia haurientes,» appellat. Quod enim bellum tot sancti reges catholici principes contra Christum excitarunt, aut quos nctos sunt persecuti, quæve idola adorarunt? Certe si vene-ri Pontificem Christi Vicarium, fuit Christum persequi, fecit c Constantinus, et alii pii et catholici imperatores ac reges.

Si hæreticorum temeritatem ac pertinaciam reprimere, e
Sanctos persequi, fecerunt hoc antiqui Ecclesiæ Pastores, im
peratorum christianorum potentia adjuti, a temporibus Augus
tini aliorumque Sanctorum Patrum. Denique si venerari imag
nes eisque reverenter uti, cultus idolorum est, fecerunt hc
Christiani omnes ab initio Ecclesiæ. Igitur vel principes omn
catholicos qui post Constantinum in Ecclesia fuerunt, imo
omnes Sanctos Pontifices, Antichristianos faciat, vel posteri
res, qui a tempore Bonifacii fuerunt, calumniari desinat.

18. *Falsa interpretatio a rege Apocalypsis verbis adhibeta — Vinci in Joannis loco, non est converti, sed everti.* — Præter
interpretatio illorum verborum, «Et Agnus vincet illos,»
vincere sit eos convertere, ut contra Papam et Romanam u
bem insurgant, evidenter repugnat proprietati verborum,
contextui Joannis, dicentis de illis decem regibus: «Hi unu
consilium habent, et virtutem suam bestiæ tradent (1).» Na
tres illorum victi, ac superati ab Antichristo, non voluntari
sed necessitate coacti, totam suam potentiam in illum transf
rent, alii vero timentes potentiam ejus illum juvabunt, ejusq
consiliis inservient. Et ita omnes contra Christum insurge
sicut subjungit: «Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vinc
illos,» non solum decem reges, sed etiam ipsum Antichristu
principalem hostem, et ducem pugnæ. Non ergo vincet co
vertendo, sed præliando et interficiendo, proprie et vere il
vincendo, «quia Dominus dominorum est, et Rex regnum:»
hoc magis declarant verba sequentia: «Et qui cum illo su
vocati, et electi, et fideles,» utique qui tunc erunt, vince
etiam illos, seu erunt participes victoriæ. Ergo illi reges,
vincentur, non erunt vocati, nec electi, nec fideles; ergo «vi
ci» non est «converti,» sed destrui. Et hoc etiam confirm
idem Joannes, in c. 16, ubi ait, tres spiritus malos «congreg

(1) Apoc., 17.

uros reges terræ in prælium ad diem magnum omnipotentis ei,» id est, in quo Deus ostensurus est potestatem suam con- a illos, eos mirabili modo superando et vincendo, ut c. 21 lem Joannes describit. Nam sine dubio hoc prælium diei magni mnipotentis Dei non est nisi prælium Gog et Magog, de quo dicto c. 21 tractat, ut meliores interpretes intellexerunt (1). enique ex locis Danielis, paulo post, hunc esse verum sensum lius prophetiæ et victoriæ per Christum comparandæ, confir- abimus.

19. *Decem reges illi nunquam sunt adversus Antichristum rœliaturi.* — Unde etiam constat falsum omnino esse, decem los reges convertendos a Deo esse contra Antichristum, aut ugnaturos esse cum illo et victuros illum, sedemque illius et ivitatem regiam ejus tanto odio esse prosecuturos, ut illam gni tradant, prorsusque evertant. Nam hoc repugnat expressis erbis Joannis paulo antea citatis: «Hi unum consilium habent, t virtutem seu potentiam suam bestiæ tradent (2).» Nam ex equentibus etiam verbis, quæ exposuimus, colligitur clare, in o statu esse perseveraturos, donec cum Christo pugnent et ab o vincantur; nunquam ergo cum Antichristo pugnabunt, ne- ue vincent illum.

20. *Dare in corde, id est, permittere.—Romam non fore Antichristi sedem, Apoc*, 17. — Imo in illis eisdem verbis quæ rex etorquet, hoc evidenter continetur. Ait enim: «Deus enim edit in corda eorum,» utique regum, «ut dent suum regnum estiæ,» id est Antichristo, «donec consummentur verba Dei,» est, impleantur quæ de Babylonica destructione, et de ipsius ntichristi interitu prædicta sunt. Dicitur autem Deus hoc de- sse in corda illorum regum, non inspirando aut suggerendo, d (juxta morem loquendi Scripturæ) permittendo, et illorum

(1) Ribera, Viegas, Malvend., lib. 5, c. 16, et lib. 10, c. 9 et seq., ni alios referunt.

(2) Apoc., 17.

malitia ad executionem providentiæ suæ utendo. Hoc erg
modo permittet Deus, reges illos, fortasse prius catholicos, pra
vos autem et iniquos, Antichristo copulari, eique favorem suum
et potentiam impendere, et ita regna sua illi tradere, et fort
tributaria efficere, donec consummentur prophetiæ de Anti
christo. Durabit ergo illa confœderatio usque ad finem; nun
quam ergo illi reges contra Antichristum vel regiam eju
insurgent. Quocirca, si «Babylon» illa, et «meretrix,» seu «ci
vitas magna,» quam isti reges odient, et «desolatam facient, a
nudam,» est Roma, profecto inde potius convincitur Roma
nunquam esse futuram regiam sedem Antichristi, et impugna
tores Romæ non hostes, sed amicos fore Antichristi. Cum erg
rex Angliæ se inter eos reges numerat, dicens: «Meretrice
odio habebimus,» se inter socios et fautores Antichristi nume
rat; videat ergo et consideret quem fructum ex istis suis inte
pretationibus consequatur.

21. *Antichristi descriptio.* — Sic ergo explosa interpreta
tione illa decem cornuum, et supposito pro constanti, ill
repræsentare decem reges futuros tempore Antichristi, et po
tentiam suam illi tradituros modo explicato, evidentius etia
est cornu parvum esse Antichristum, ut Ecclesia semper intel
lexit. Superest ergo ut breviter videamus quomodo cornu illu
parvum Propheta describat, cap. 17. Primo enim ponderand
est proprietas indicata in particula «parvulum;» posita enim e
ad significandum, Antichristum ex vilissimis principiis et al
jectissimis parentibus, infamique gente esse oriundum; no
enim sine mysterio verbum illud additum est, ut omnes intel
lexerunt. Et aliis verbis statim subjunctis magis declarato
cum de eodem cornu parvo dicitur: «Ortum est de medio eo
rum» significatur enim ibi, ut in superioribus notavi, illum no
esse oriturum ex aliquo illorum regum, sed in terris eorum ap
pariturum.

22. *Regnum non hæreditate, sed calliditate consequetur.* —
Unde altera proprietas notari potest, scilicet, non habiturus

egnum hæreditario jure, sed ex parvis initiis, variis artibus, et
nposturis, ac dæmonis fallaciis, brevi tempore ita esse augen-
um viribus, ut «tria cornua evellantur a facie ejus,» id est, ut
es reges brevi tempore «humiliet,» et «major ac potentior fiat
æteris,» ut ibidem additur; ut recte Theodoretus exposuit,
icens: «Quia nascens cornu vidit, parvum appellavit tanquam
x parva natione Judæorum profectum, et interim obscurum
egnum obtinens; postquam vero ita evulsit cornua, merito
eliquis majus vocat.» Tertiam item proprietatem ex eisdem
erbis colligo, nimirum, illum primo ac præcipue futurum esse
yrannum, qui temporale regnum prius industria et pravis arti-
us inchoet, postea per potentiam et bella illud augeat, tres
eges superando, et suis regnis privando, et alios sibi subji-
endo, vel tanquam inferiores ac debiliores sibi conjungendo,
t magis Joannes in Apocalypsi declaravit.

23. *Ingenii acumine ad superbiam, et maledicentiam abute-
r.*—Quarta proprietas sumi potest ex illis verbis: «Ecce oculi
uasi oculi hominis erant in cornu ipso, et os loquens ingentia.»
bi per oculos hominis Theodoretus significari intelligit, inter-
am mentem et judicium, atque Antichristo tribui oculos homi-
s, quia erit sagacissimus, et prudentia humana gubernabitur.
lii simplicius hoc modo exponunt. Cum habiturus sit faciem
ominis, quia verus homo futurus est, loquetur non ut homo,
d ut superbissimus dæmon, quod Joannes alibi dixit: «Lo-
uebatur ut draco.» Dicitur enim loqui «ingentia» seu «gran-
a,» tum quia ingenti superbia se efferet; tum etiam quia
asphemias in Deum proferet, nam, ut statim subjungitur,
ermones contra Excelsum loquetur;» utrumque enim illis
rbis proprie significatur, et unum est ad aliud consequens.
credibili enim arrogantia se Deum proclamabit (ut ex Paulo
tavimus), et ita Deo excelso adversabitur, et contra eum lo-
uetur.

24. *Religionem conculcabit et sacra invertere conabitur.—
rope judicii diem, non ante venturus est Antichristus.* — Quinta

sumitur ex verbis illis: «Sanctos Altissimi conteret, reputabi
quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manu eju
usque ad tempus, et tempora. et dimidium temporis » Qua
verba sunt de persecutione Antichristi, et de tempore duratio
nis ejus, quæ per occasionem necessariam in superioribus ex
posita sunt. Nunc solum notanda sunt verba illa: «Putabit quo
possit mutare tempora et leges.» Quibus declaratur, persecutio
nem non tantum esse futuram temporalem et politicam propte
dominationem temporalem, sed simul et maxime futuram ess
spiritualem, nam conabitur «mutare tempora», id est (ut a
Hieronymus) cæremonias, festivitates, vel certe totam religio
nem per multa tempora in orbe fundatam, et in cordibus ho
minum radicatam, «et leges», utique tam divinas quam huma
nas. Nec ipse aliquam ex antiquis religionibus seu legibu
profitebitur, sed novam introducet, credens se posse leges e
tempora mutare. Et hasmet Antichristi notas colligit Athana
sius, dicta epistola ad Solitar. vitam agent., dicens: «Nonn
visio Danielis istiusmodi notis Antichristum significat? Nimiru
quod bella cum Sanctis gesturus sit, et quod invalescet cont
eos, quod malitia superabit omnes, qui ante ipsum fuere, e
quod humiliabit tres reges, loqueturque sermones contra Alti
simum, et quod meditabitur alienare et legum et temporu
articulos.» Sexta proprietas colligi potest ex sequentibus ver
bis: «Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratu
et dispereat usque in finem, regnum autem, et potentia,
magnitudo regni, quæ est super omne cœlum detur popu
Sanctorum Altissimi», etc. Nam in his ponitur ut nota Ant
christi, quod prope tempora judicii veniet, et quod regnu
ejus non nisi per adventum supremi regis Christi conteretur,
ipse interficietur. Quam proprietatem utpote ad tempora Ant
christi pertinentem supra explicuimus, illamque ibi Hieron
mus, Theodoretus et alii interpretes indicant.

25. *Eædem Antichristi notæ aliis locis a Daniele inculcantu*
—Has autem Antichristi proprietates idem propheta in seque

bus capitulis partim magis confirmat et declarat, partim etiam uget. Nam in cap. 8, postquam retulit visionem arietis et hir-i, et de Dario, rege Persarum, et de Alexandro Magno, rege ræcorum, iliam declaravit, tandem in fine quædam profert, uæ, licet ad litteram de Antiocho, qui ex Græcis regibus, qui lexandro successerunt, descendit, et Judæos multum vexavit, ntelligantur, in persona ejus de Antichristo dicta fuisse multi atres intellexerunt, præsertim Irenæus, lib. 5 Contra hæres., 25; et Origen., lib. 6 Contra Celsum, circa medium; et regor., lib. 32 Moral., c. 12, alias 14. Et revera verba Pro-hetæ tam proprie Antichristo quadrant, et ita consonant his uæ in aliis locis de Antichristo dicuntur, ut propter illum præ-ipue de illo dicta esse videantur. Nam initium ejus his verbis rædicitur: «De uno ex eis egressum est cornu unum modi-um», et iterum: «Consurget rex impudens facie», ubi etiam nores ejus notantur. De progressu vero ejus additur: «Factum st grande contra meridiem, et contra Orientem», etc. De illius atu: «Magnificatum est usque ad fortitudinem cœli.» Astutia ero, et artes per quas ascendet, in illis verbis significantur: Intelligens propositiones»; item in illis: «Roborabitur forti-udo ejus, sed non in viribus», suis, utique, sed dæmonis, per-ittente Deo. De bellis autem et crudelitate ejus dicitur: Supra quam credi potest, universa vastabit, et prosperabitur, faciet.» Deinde sic describitur ejus superbia et pugna contra eum: «Usque ad principem fortitudinis magnificatum est, et eo tulit juge sacrificium, dejecit locum sanctificationis ejus.» t iterum: «Cor suum magnificabit, et contra Principem prin-pum consurget.» Ac denique de Sanctorum persecutione citur: «Dejecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit as.» Et iterum: «Interficiet robustos, et populum Sanctorum cundum voluntatem suam, et dolus in manu ejus dirigitur.» c denique de fine ejus dicitur: «Sine manu conteretur», quod tis consonat verbis Pauli, 2 Thess., 2: «Quem interficiet ominus Jesus spiritu oris sui.»

26. *Antichristus se in templo velut Deum collocabit.*—Quam vis ergo hæc vere et ad litteram in Antiocho suo modo impleta fuerint, tamen per antonomasiam de Antichristo dicta esse creduntur; nam in illo cum majori plenitudine et excessu omnia inveniuntur tanquam in capite ipsius Antiochi, et malorum hominum. Ex his autem omnibus sex proprietates supra notatæ præcipue declarantur. Solumque additur altera de modo interfectionis ejus, quæ potest esse septima Octava vero sumi potest ex c. 9 ejusdem Prophetæ, in illis verbis fere postremis: «Et erit in templo abominatio desolationis»; nam, licet alii modis exponatur, tam ibi quam Matth., 24, nihilominus valde probabile est de Antichristo etiam intelligi, ut voluit Irenæus lib. 5, c. 25, saltem in secundario, vel mystico sensu. Nam ad litteram non erat ibi sermo de Antichristo, sed de destructione Jerusalem facta per Titum, ut constat; tamen verba ipsa multo magis in Antichristum conveniunt, juxta ea quæ exponendo verba Pauli et Apocalypsis late diximus. Est ergo octava proprietas, «quod se faciet Deum, et in templo sedebit, ut adoretur, et suam imaginem collocabit, ut per eam etiam tanquam Deus colatur», ut in Apocalypsi dicitur. Et hoc magis ex sequenti testimonio confirmabitur.

27. *Quæ de Seleuco, et Epiphane Daniel prædixit, conveniunt Antichristo.* — Est enim alius locus similis in eodem Propheta, c. 11, ab illis verbis: «Et stabit in loco ejus despectus et non tribuetur ei honor regius, et veniet clam, et obtinebit eum in fraudulentia.» In tota enim superiori parte capitis prophetaverat Daniel de regibus Persarum et Græcorum, et latius de successoribus Alexandri, præsertimque de regibus Syriæ et Ægypti, quos reges Aquilonis et Austri vocat, et pervenit tandem (ut Hieronymus deducit) ad Seleucum Philopatrum, Antiochi Magni filium, quem vocat «vilissimum, et indignum decore regio», et de illo subjungit: «Et in paucis diebus conteretur.» Et statim adjungit prædicta verba: «Et stabit in loco ejus despectus», etc. Quæ, juxta litteræ contextum, et prophe

æ seu historiæ consecutionem, sine dubio intelliguntur de
ntiocho Epiphane, fratre Seleuci, impiissimo rege, qui Dei
opulum vehementer exagitavit, ut ex libris Machabæorum
onstat; et fere omnia sequentia in eo capite de illo ad litte-
am dicuntur, ut fatentur ibi Hieronymus, Theodoret. et alii,
sumitur ex Chrysostomo, oratione secunda contra Judæos.
ihilominus tamen idem Hieronymus, Theodoretus et alii ex-
ositores ibi, et Gregorius, libro trigesimo secundo Moral.,
apite undecimo; Prosper, in Dimidio temporis, capite nono,
ulta etiam ex illis verbis de Antichristo dicta esse intelligunt,
uia in illum maxime conveniunt, et quia Antiochus in multis
ypus fuit Antichristi.

28. *Singula de illis et Antichristo verba expenduntur.* — Per
la ergo verba, quæ retulimus, recte confirmantur et explanan-
ur quæ de initiis Antichristi in aliis locis dicuntur. Dicitur
nim «despectus», sicut dicitur «parvum cornu», quia vilem et
espectam habebit originem et ideo in principio «non tribuetur
honor regius», quia non orietur ex regibus, nec regnum jure
ereditario obtinebit, sed «veniet clam, et obtinebit id in frau-
ulentia»; quia vafer erit, et «propositiones intelliget.» In
quentibus autem verbis describit quidem Daniel bella et vic-
rias Antiochi, dicens: «Abundantes et uberes urbes ingredie-
r», etc. Sub illarum vero figura Antichristi prælia et facinora
ædixit, et ideo quædam interdum ita exaggerat, ut in solum
ntichristum convenire posse videantur. Quale est illud: «Fa-
et quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum ejus»; quod
eronymus notat, ad Antiochum proprie non accommodari,
uia in regno et divitiis non omnes antecessores suos excessit.
sita ergo sunt propter Antichristum, qui obtinebit multo
mpliorem potentiam et monarchiam, quam ille Antiochus
erit consecutus. Postea vero describit Propheta persecutio-
m Antiochi contra Judæos, in figura etiam depingens perse-
tionem Ecclesiæ sub Antichristo, cui maxime illa verba
nveniunt: «Contra firmissimas cogitationes inibit», utique

consilia sua, et potentiam armabit contra firmas cogitationes sanctorum fidelium, ut Patres exponunt, unde infra dicitur: «Cor ejus adversus testamentum sanctum, et faciet.» Et infra: «Et auferent juge sacrificium, et dabunt abominationem in desolationem.» Quæ omnia fecit suo modo Antiochus, sed sicut omnia in figura contingebant Judæis, ita illa fuerunt umbra respectu veritatis per Antichristum futuræ.

29. *Dei contemptus in Antichristo. — Antichristus deos gentium non colet, sed dæmonem fortasse in occulto adorabit. — Malvend., lib. 7, c. 12.* — Postea vero de superbia et blasphemiis Antichristi propriissima sunt illa verba: «Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem Deum, et adversus Deum Deorum loquetur magnifica», etc. Et infra: «Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam deorum jurabit, quia adversus universa consurget.» Per quæ verba optime explicantur quæ supra tractavimus, ubi de cornu parvulo dicitur habere os loquens ingentia. Item quod circa verba Pauli diximus, quod ostendet se tanquam sit Deus, Dei veri locum et adorationem usurpans. Unde ex hoc loco colligunt Patres, Antichristum idola gentium demoliturum, et deos gentium non esse adoraturum. Ex quo etiam notat Hieronymus hæc verba ita convenire Antichristo, ut non possint de Antiocho intelligi, qui idololatra fuit, et Hebræos ad deos gentium adorandos compellebat, ut in libris Machabæorum narratur. Hæc ergo esse potest nona proprietas Antichristi, scilicet, non esse futurum idolorum cultorem, quod saltem in publico, vel de antiquis diis gentium intelligendum est. Nam statim addit Daniel, illum esse adoraturum Deum «Moezin», de quo quis sit futurus, magna est controversia, variæque expositiones, sed a. præsens non referunt. Et probabilius videtur habiturum Antichristum locum aliquem occultum, in quo dæmonem adjutorem suum sub aliqua imagine vel idolo occulte colat, ut tractavi in 2 tomo tertiæ partis, disp. 54, art. 4, ubi non dixi, ut quidam mihi imposuit, forsan illa verba interpretanda esse de sol

ntiocho, sed retuli primo loco hanc sententiam, et postea
ententiam Hieronymi ac Theodoreti, et communem prætuli, et
ıtione Hieronymi, quam in præsenti etiam tetigi, et validis-
ima est, confirmavi.

30. *Alia Danielis de Antichristo vaticinia c.* 11 *et* 12.—De-
ique in reliqua parte capitis iterum prædicit Propheta prælia
t victorias Antichristi, et specialiter quomodo tres reges Ægyp-
, Africæ seu Libyæ, et Æthiopiæ vincet, et regna eorum oc-
upabit. Postea vero Hierosolymam, debellaturus eam, cum
ıagna potentia «veniet in multitudine magna ut conterat et
ıterficiat plurimos, et figet tabernaculum suum Apadno inter
ıaria super montem inclytum et sanctum», quod de monte
ion vel Oliveti Hieronymus et alii exponunt. Ac tandem de
ıorte ejus subjungitur: «Veniet usque ad summitatem ejus, et
emo auxiliabitur ei», quia, nimirum, «interficiet illum Domi-
us spiritu oris sui», seu imperio suo, et «sine manibus», præ-
piet enim aperiri terram ut devoret eum, et vivus in infer-
um demergatur, ut in Apocalypsi dicitur. Postmodum vero
aniel, c. 12, declarat quanto tempore duratura sit illa perse-
ıtio Antichristi, et quomodo paulo post mortem ejus futurum
t judicium et universalis resurrectio, ut exposuit Augustinus,
0 de Civit., c. 23, et copiose in superioribus explicatum est.
tque hæc fere sunt notæ et signa quibus nobis Antichristum
aniel descripsit, quæ latius Hieron. et Thedoret, prosequun-
ır, et ex modernis Pereira, lib. 8 et 14 in Daniel., et Malven-
a sparsim in suis eruditis libris de Antichristo.

31. *Ex dictis patet Pontificium Antichristianismum meram esse
ıposturam.*—Conferant ergo omnes, qui fidem adhibent Scrip-
ıris, has proprietates et notas Antichristi, cum his quæ de Ro-
ıano Pontifice sunt toti orbi manifesta, et luce clarius videre
ɔterunt, quanta fuerit hæreticorum impudentia et horrenda
ɛmeritas, vel potius insania, qui venerandam Apostolicam Se-
em tam incredibili infamia dehonestare ausi sunt, et quanta
t illorum cæcitas, qui ipsorum nugis et inanibus cogitationi-

bus se illud simulat. Antichristi enim initia abjecta erunt, et obscura non tantum generis et originis illud enim non multum curandum esset), sed regni et potestatis. Origo autem Romanæ Sedis quoad dignitatem ipsam aliter cogitari non potest: ab ipso enim Christo fundata est, et inde ad singulas personas, etiam Bonifacii et posteriorum, per legitimam successionem manavit. Deinde Antichristi regnum ab ipso per falsas artes et tyrannidem inchoabitur: Pontificis autem regnum præcipuum nullum post Christum habuit initium, sed successionem, non per fraudes vel tyrannidem, sed per legitimam electionem. Ad hæc Antichristi regnum temporale erit, per fraudes incipiet, et per bella et cædes hostium dilatabitur; primatus autem Pontificis spiritualis est, semperque idem quoad dignitatem in se spectatum, et licet quoad populorum subjectionem creverit, non tamen per corporalia bella, sed per verbum Dei, et fidem credentium. Per quam simul in uno tempore dilatatum est, ita per infidelitatem aliquorum in aliquibus locis fuit imminutum, licet per Dei gratiam alibi semper augeatur. Omitto cætera, quæ ad mores, tempora, sedes et fines pertinent, nam in superioribus satis eas inter se contrarias, et non solum diversa, sed etiam omnino opposita esse ostendimus. Nunc quæ solum adnotare voluimus et advertere, quanta in his omnibus sit Scripturarum consonantia et concordia, ut inde et eam appareat quam sint violentæ Protestantium accommodationes ad visiones Apocalypsis, cum non solum sint voluntariæ et sine duce, et præter verborum proprietatem et contra rerum veritatem, sed etiam sint contra alia clariora Scripturarum loca, per quæ debent obscuriora intelligi juxta prudentem rationem Scripturam interpretandi.

EORUM, QUÆ IN HOC LIBRO TRACTANTUR SUMMA, CUM APOSTROPHE AD REGEM ANGLIÆ

32. Quamvis hujus libri materia et argumentum nihil aliud ræter calumniam, vel certe potius horrendam blasphemiam ontinere videatur, ideoque multis prudentibus melius fortasse ideri posset hæc omittere, quam cum piarum aurium offensione em per se incredibilem in quæstionem adducere, nihilominus aborem hunc nostrum neque inanem, neque piis auribus offenculo futurum esse judicabimus. Cum enim serenissimus Angliæ ex, in suo de Antichristo discursu, ita suis conjecturis confidere ideatur, ut earum responsionem per singula disputationis memra tanquam rem nobis arduam, vel certe impossibilem, audacr postulet, non solum utile, verum etiam necessarium visum st, tum ad singula respondere, tum etiam ostendere, omnia, uæ objiciuntur, et sine fundamento solido esse cogitata, et eque conjecturæ nomen mereri. Ita ut mirandum profecto sit re tanti momenti, ut in ea salutis æternæ cardo versetur, m levibus allusionibus seu allegoriis prudentes viros duci poiisse.

33. *Summa totius libri per singula capite.*—Hanc igitur ob usam prius de Antichristi persona fundamentum posuimus, ilmque futurum esse singularem quemdam hominem, ex Scriprarum verbis, serie ac concordia, necnon ex communi Patrum nsensu demonstrabimus. Deinde per singulas partes a rege opositas discurrendo, imprimis tempus ejus nondum venisse, rsecutionemque illam, qualis ab initio non fuit, ab eo mondam, nondum inchoatam esse, nec testes contra illum mitndos adhuc apparuisse, ex eisdem principiis ostendimus. Posa vero sedem ejus, nec Romæ esse, nec unquam futuram comobavimus. Ac denique Antichristi personam ex proprietatibus

a Prophetis et Apostolis de illo prædictis late consideravimus; e quomodo per incredibilem tyrannidem et fallaces artes, ac signi mendacia et ingentia prælia ab infimis principiis ad orbis mo narchiam ascendet, et in tantam denique arrogantiam et superbiam perveniet, ut supra omne, quod dicitur Deus, extollatur ita illum descripsimus, ut evidentissimum sit nullum mortalem hominem, nedum Romanum Pontificem, tam iniquum et abo minabilem hactenus fuisse.

34. *Hæretici typus Antichristi.*—Quod si aliqua illius ima go in aliquo terræ loco cogitanda est, non certe in sancta Ro mana Sede, sed in cathedris Hæresiarcharum, vel in thron regiis paganorum, aut schismaticorum Romanam Ecclesiam persequentium, cogitandam esse ostendimus. Sicut Hieronymus, Daniel., 11, et epist. ad Algas., q. 11, Antiochum et Ne ronem; Damascenus, lib. de hæres., Mahometem; Irenæus Marcionitas et similes hæreticos; Cyprianus, ep. 76 et 79, om nes Christi adversarios Antichristum appellarunt. Nemo enim nisi aliquis ex istis Antichristis et Christi hostibus in Roma num Pontificem tale nomen talemve calumniam traduxit. Ne que in ejus cogitationem ascendere poterit, qui antiquam illius sedis originem plane divinam, ejusque felicissimum progressum et admirandam stabilitatem, cum Augustino, et aliis Patribus attenta mente consideraverit.

35. Reliquum est, rex serenissime, ut, omni animi per turbatione deposita, vim rationum et pondus auctoritatis atten ta mente recogites, quantaque absurda ex libera Scriptur commentatione proveniant, mediteris, gravissima D. Hieronymi verba simul considerans, qui cum Porphyrio disputans, Da nielis, 11, ita concludit: «Hoc ideo prolixius posui, ut Scriptur sanctæ difficultatem ostendam, cujus intelligentiam absqu Dei gratia, et majorum doctrina, non nisi imperitissimi, v maxime sibi vendicant.»

FINIS LIBRI QUINTI

INDEX

LIBER QUINTUS

Pag.

Liber quintus.—De Antichristo cujus nomen et personam per calumniam et injuriam falso protestantes Pontifici attribuunt. 5

Caput primum.—De Antichristi nomine, ejusque varia significatione. 7

Caput II.—Utrum Antichristus proprie dictus sit homo aliquis singularis, vel sedis aliqua seu imperium. 12

Caput III.—Duabus protestantium objectionibus, ex Daniele et Paulo sumptis, contra doctrinam superioris capitis satisfit.. 20

Caput IV.—Alteri objectioni ex cap. 17 Apocalypsis sumptæ contra eamdem resolutionem capitis secundi satisfit.. 26

Caput V.—De tempore persecutionis et mortis Antichristi. 39

Caput VI.—Primæ objectioni regis Angliæ contra doctrinam superioris capitis satisfit. 52

Caput VII.—Alteri objectioni regis Angliæ ex cap. 18 Apocalypsis desumptæ satisfit 61

Caput VIII.—Tertiæ objectioni regis Angliæ, ex variis novi testamenti verbis desumptæ satisfit.. . 75

Caput IX.—Alteri difficultati occurrendo, tempus regni Antichristi et initium ejus amplius declaratur. 100

Caput X.—Aliis duobus argumentis satisfit et obiter, nonnullæ catholicorum opiniones de tempore Antichristi refelluntur. 113
Caput XI.—Antichristi tempore duos veros homines ad testimonium contra illum ferendum mittendos esse, ex cap. 11 Apocalypsis contra duas falsas protestantium expositiones ostenditur. 127
Caput XII.—Etiam et Enoch esse testes illos qui contra Antichristum mittendi sunt, ostenditur. . . 142
Caput XIII. — Joannem, per duos testes, Enoch et Eliam intellexisse, conjectura, et Patrum auctoritate ostenditur. 153
Caput XIV. — Utrum ex aliis Scripturæ locis ostendi possit Eliam et Enoch futuros esse secundi Christi adventus præcursores, et testes contra Antichristum. 161
Caput XV.—Antichristi sedem, et loco et gradu longisime a Pontificis sede distare. 171
Caput XVI.—Ubi futura sit Antichristi sedes. . . . 191
Caput XVII. — Ex descriptione personæ Antichristi, quam Paulus tradit, 2 ad Thessal, 2, illum Pontificis adversarium maximum potius quam Papam esse futurum, evidenter ostenditur. 201
Caput XVIII. — Quæ ex visionibus cap. 6 et 9 Apocalypsis rex inducit, refelluntur. 211
Caput XIX. — Idem ex cap. 13 ostenditur, et omnia quæ rex ex illo decerpit refelluntur. 231
Caput XX.—Quæ circa XIV, XV et XVI caput Apocalypsis rex notat, discutiuntur.. 235
Caput XXI.— Ex visione capitis XVII et sequentibus Apocalypsis, novum de Antichristo errorem confutari potius quam confirmari.. 261
Caput XXII.— Ex descriptione Antichristi a Daniele propheta tradita fabula de Antichristianismo Romano evidenter refellitur. 281

MENDA SIC EMENDA

AG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
61	12	daratione	duratione
63	2	istas	ista
87	5	hoc	hos
88	21	aliquid	aliqui
147	14	affictus	afflictus
194	16	ad	a
196	26	prædicta	prædicata

R. P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

TOMUS SEXTUS

DEFENSIO

FIDEI CATHOLICÆ

ADVERSUS ANGLICANÆ SECTÆ ERRORES

CUM RESPONSIONE AD APOLOGIAM PRO JURAMENTO FIDELITATIS, ET EPISTOLAM AD PRINCIPES CHRISTIANOS SERENISSIMI JACOBI ANGLIÆ REGIS

R. P. FRANCISCO SUAREZ

E SOCIETATE JESU

Accuratissima completaque editio a Bibliothecariis VERÆ SCIENTIÆ HISPANÆ *compulsata*

TOMUS SEXTUS

BARCINONE
APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA
IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16
1882

Eccles. super. permisu

LIBER SEXTUS

DE

JURAMENTO FIDELITATIS

REGIS ANGLIAE

PROŒMIUM

In quo controversiæ fundamentum, et origo declaratur

1. Quamvis liber hic postremum hujus operis locum sor-atur, quoniam et rerum ipsarum connexio, et doctrinæ pers-icuitas, et ordo quem in libro suo rex Angliæ tenuit, ita postu-bant, nihilominus ejus materia et argumentum, fundamentum t occasionem toti huic controversiæ præbuit, ut in suæ Præfa-onis initio rex ipse late declarat. Quamobrem ut disputationis copus præ oculis habeatur, initium originemque hujusmodi ju-amenti, ejusque usque ad præsentem statum progressum præ culis ponere necessarium duxi. Imprimis vero suppono id, uod nec Catholici, nec schismatici in dubium revocant, jura-entum fidelitatis temporali regi debitum, et convenienti forma

præstitum, ex se honestum ac consentaneum rationi esse, ita u regi liceat illud a vasallis exigere, et hi sancte possint, imo e debeant illud præstare, quando convenienti modo et ratione petitur, illudque postea observare ac implere teneantur. Cum enim uniuscujusque regis subditi, teste Paulo, ei parere et fidelitatem servare, et in omnibus, quæ ad potestatem regian spectant, illi obedire teneantur, ut in lib. 3 ostensum est, pe se manifestum est, juramentum de hac obedientia et fidelitat servanda (quod juramentum fidelitatis appellamus), per se e ex objecto suo honestum esse; ac subinde et posse a rege a suam majorem securitatem ac stabilitatem postulari, et tunc subditis et exhiberi et servari debere. Unde etiam obiter declaratum relinquitur, juramenti hujus formam, ut honesta si talem esse debere, ut potestatis regiæ terminos non exceda quia nec rex potest juste obedientiæ sibi non debitæ promissionem exigere, neque subditi illam facere aut jurare tenentu Imo si talis promissio aliorum juribus præjudicet, illam in cons cientia facere non possunt, ut in sequentibus latius dicemus.

2. Hoc autem fidelitatis juramentum, licet per se honestum sit, non adeo necessarium reputatum est, ut a singulis vasallis, et omnium ordinum personis in omnibus regnis exigatur. Quin potius, in rebuspublicis bene institutis, et quiete in pace viventibus, et præsertim in catholicis regnis consuetudine receptum est ut in publicis comitiis civitatum procurato res, aliique principes, ut magistratus, totius regni nomin principi, vel cum primum regni potestatem accipit, vel etia postea præscriptis temporibus, juxta uniuscujusque regni mo rem, hoc juramentum obedientiæ ac fidelitatis exhibeant. A si gulis autem de plebe postulari non solet, non quia fieri no possit, sed quia ipsimet principes, in pace et tranquilitate re nantes, et de subditorum fidelitate confisi, id neque necess rium, neque opportunum aut conveniens judicant. In reg autem Angliæ, ex quo tempore schismata et hæreses in illo s minari cœperunt, etiam mos exigendi a subditis peculiare j

amentum introduci cœpit. Unde sicut Henricus VIII schisma-is auctor fuit, ita ipse primus novam jurandi formam subditis uis proponere incepit, qua non solum civilem obedientiam, ed illam etiam, quæ soli Romano Pontifici debetur, sibi pro-nitti postulavit.

3. *Primum juramentum Anglis indictum.* — Refert enim Sanderus, lib. 1 de Schism. Anglican., circa medium, regem Henricum fere in schismatis initio ab omnibus sui regni ordini-bus in publicis comitiis petiisse, ut ab ecclesiasticis omnibus juramentum exigeretur, quo eamdem ipsi quam antea Romano Pontifici consueverant, obedientiam promitterent, quod, licet in principio non simpliciter, sed cum quadam limitatione ad-missum fuerit, ut infra dicam, hac tamen ratione tandem rex obtinuit quod expetebat. Non refert autem Sanderus specialem formam hujus juramenti præstandi ab Henrico editam esse, sed simpliciter formam usitatam jurandi obedientiam Papæ sibi ap-plicasse, utique eodem verborum tenore promittendam, et ju-amento confirmandam. Neque etiam refert omnes de populo coactos esse juramentum illud præstare, sed solum ecclesiasti-cas personas, neque illas omnes, sed quæ in comitiis suffra-gium habere poterant, quantum ex historia illa colligi potest. Nec etiam invenio tempore Eduardi aliquod simile juramentum populo vel ecclesiasticis iterum fuisse propositum vel postula-tum. Elisabetha vero in initio statim regni sui, seu in primis comitiis, quæ «Parlamentum» vocant, novam jurandi formam tradidit, omnesque. exceptis primatibus laicis, illam solemniter profiteri jussit; formam autem juramenti sequens est, ut eam refert Sanderus, lib. 3, in initio regni Elisabethæ.

§. *Forma juramenti ab Elisabetha prius subditis proposita, et postea sub Jacobo aucta*

«Ego A. B. prorsus testificor et declaro, in conscientia mea reginam esse solam supremam gubernatricem, et istius regni Angliæ et aliorum omnium suæ Majestatis dominiorum et regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque ecclesiasticis rebus, vel causis, quam temporalibus, et quod nemo externus princeps, persona, prælatus, status, vel potentatus, aut facto aut jure, habet aliquam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoque plane renuncio, et repudio omnes externas jurisdictiones, potestates, superioritates atque auctoritates.»

4. Recte autem advertit Sanderus, vel timuisse, vel putduisse feminam nomen capitis Ecclesiæ, quod sibi Henricus arrogaverat, usurpare, et ideo illud nomen in supremæ gubernatricis commutasse. In re tamen nullam fuisse differentiam, sed in nomine tantum, nam quod rex metaphorico nomine dixerat, Elisabetha magis proprio declaravit. Imo postea multi suspicati fuerunt, plus aliquid reginam per illam juramenti formulam intendisse, nimirum, omnem spiritualem potestatem etiam in administrandis sacramentis, sibi arrogare; ipsam vero declarasse, nihil aliud per illa verba sibi attribuere voluisse, quam quod patri et fratri sub nomine capitis Ecclesiæ ab Ordinibus fuerat concessum.

5. Hæc igitur juramenti forma tempore Elisabethæ servata est; postea vero Jacobus illam auxit, addendo specialem promissionem servandi fidem et obedientiam regi, propter quam potuit jam hoc vocari juramentum fidelitatis, nam antea solum videbatur esse quædam jurata confessio vel professio primatus

quasi cujusdam articuli Anglicanæ fidei. Forma igitur prioris uramenti a Jacobo rege præstiti, quam ipse in Apologia refert præter superiorem formulam, sequentem tantum addit promis-ionem.

«Ego A. B.», etc., «et promitto me deinceps fidem et veram bedientiam regiæ Majestati, ejusque hæredibus, ac legitimis uccessoribus præstiturum, et pro virili mea adjuturum ac por-ugnaturum omnes jurisdictiones, privilegia, præeminentias et uctoritates regiæ Majestati, hæredibus suis ac successoribus oncessas vel debitas, sive Imperiali hujus regni coronæ unitas t annexas. Ita me Deus adjuvet», etc.

6. Postea vero, ut in Præfationis initio, et in principio pologiæ, et sæpe in suo libello rex inculcat, occasione prodi-ionis seu conjurationis, quæ contra eumdem, suique publicos egni ordines in unum coeuntes per tormentarii pulveris impe-um destinabatur, novam ipse juramenti formam invenit, quam ege et decreto publico sancivit, ab omnibus suis exigendam et præstandam fore, tum ut si qui adhuc tanti criminis socii ibi estarent, deprehendi possent, tum ut se et suos a similibus pe-iculis et machinationibus securiores redderet. Forma autem uramenti est quæ subsequitur.

. Tertia jurandi formula, quæ a rege Jacobo fuit excogitata et defensa

«Ego A. B., vere et sincere agnosco, profiteor, testificor, et eclaro in conscientia mea, coram Deo et mundo, quod supre-us dominus noster rex Jacobus est legitimus et verus rex hu-us regni, et omnium aliorum Majestatis suæ dominiorum et errarum, et quod Papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam uctoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per ulla media um quibuscumque aliis, aliquam potestatem nec auctoritatem

habeat regem deponendi, vel aliquorum Majestatis suæ dominiorum vel regnorum disponendi, vel alicui principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas invadere, auctoritatem concedendi, vel ullos subditorum suorum ab eorum suæ Majestatis obedientia et subjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Majestatis suæ personæ, statui vel regimini, vel aliquibus suis subditis intra sua dominia afferendi. Item juro ex corde, quod, non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis aut deprivationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel quamcumque auctoritatem derivatam, aut derivari prætensam ab illo, seu a Sede sua contra dictum regem, hæredes suos, vel quacumque, absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen et veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus et successoribus suis præstabo, ipsumque et ipsos totis meis viribus contra omnes conspirationes et attentata quæcumque, quæ contra personam illius, vel illorum, eorumque coronam et dignitatem, ratione vel colore alicujus sententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam, omnemque operam impendam revelare, et Majestati suæ, hæredibus et successoribus suis, manifestum facere omnes proditiones, et proditorias conspirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum, ad notitiam, vel auditum meum pervenerint.

«Præterea juro, quod ex corde abhorreo, detestor et abjuro tanquam impiam et hæreticam, hanc doctrinam et propositionem, quod principes, per Papam excommunicati vel deprivati, possint per suos subditos vel alios quoscumque deponi aut occidi.»

«Et ulterius credo, et in conscientia mea resolvor, quod nec Papa, nec alius quicumque potestatem habet, me ab hoc juramento, aut aliqua ejus parte absolvendi. Quod juramentum agnosco recta ac plena auctoritate, esse mihi legitime ministratum, omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contra

um renuncio. Hæcque omnia plane ac sincere agnosco et juro
ıxta expressa verba per me hic prolata, et juxta planum ac
ommunem sensum et intellectum eorumdem verborum, abs-
ue ulla æquivocatione, aut mentali evasione, vel secreta re-
ervatione quacumque. Hancque recognitionem et agnitionem
.cio cordialiter, voluntarie et vere, in vera fide Christiani viri.
ic me Deus adjuvet.»

7. Hujus autem juramenti occasione non solum dubitatio-
es, sed etiam opiniones variæ, et dissensiones inter ipsos Ca-
holicos Angliæ ortæ sunt. Plures enim a tali juramento præs-
ando abhorrebant, eo quod in illa jurandi formula, etsi non
xpresse, tecte et implicite obedientia Pontifici debita abnege-
ır, regique promittatur, ac subinde articulus de primatu regis
i virtute contineatur et recognoscatur. Alii vero sine scrupulo
onscientiæ juramentum illud præstari posse dicebant, dummo-
o animo et intentione fieret promittendi tantum regi civilem
edientiam, nam reliqua, cum in juramento non contineantur,
intentio jurantis recta sit, non possunt juranti attribui; quia,
cet alii fortasse aliud suspicentur, illud est solum ex ignoran-
a, quæ per admonitionem et protestationem prius coram Ca-
holicis factam potest sufficienter auferri, et ita omne scanda-
ım evitari. Hoc autem e medio sublato, nulla interna malitia
illo juramento eis inesse videbatur Quoniam vero his colo-
bus decepti, et fortasse nonnullo humano timore inducti, ali-
ıi etiam ex primoribus Catholicis et ecclesiasticis non solum
hanc sententiam descendebant, verum etiam in juramento
æstando anteibant, necessarium fuit in re tam gravi, et pe-
culis exposita, Summum Pontificem pro sua pastorali cura
portunum remedium adhibere. Quamobrem Sanctissimus
N. Paulus V, ad Catholicos Angliæ, quid in re tam ardua
ntiendum et servandum esset, datis ad eos litteris in forma
revis admonuit, quarum litterarum forma talis est:

8. *Primum Breve pontificium*

«Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Magno animi mærore nos semper affecerunt tribulationes et calamitates, quas pro retinenda catholica fide jugiter sustinuistis. Sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namque compelli vos, gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cætus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. Profecto credimus procul dubio eos, qui tanta constantia atrocissimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, ut immaculate ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis. Nihilominus zelo pastoralis officii nostri impulsi, et pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis absque evidentissima, gravissimaque divini honoris injuria, obligare vos juramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audivimus, propositum vobis fuisse præstandum infra scripti tenoris, videlicet: Ego A. B., vere et sincere», etc., ut supra.

«Quæ cum ita sint, vobis, ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quod hujusmodi juramentum, salva fide catholica, et salute animarum vestrarum, præstari non potest, cum multa contineat, quæ fidei et saluti aperte adversantur. Propterea admonemus vos, ut ab hoc atque similibus juramentis præstandis omnino caveatis; quod quidem eo acrius exigimus a vobis, qui

xperti vestræ fidei constantiam, quæ, tanquam aurum in for-
ace, perpetuæ tribulationis igne probata est, pro comperto
abemus, vos alacri animo subituros esse quæcumque atrociora
rmenta, ac mortem denique ipsam constanter oppetituros,
otius quam Dei Majestatem ulla in re lædatis. Et fiducia nos-
a confirmatur ex his, quæ quotidie nobis afferuntur de egre-
a virtute atque fortitudine, quæ non secus ac in Ecclesiæ pri-
ordiis resplendet novissimis hisce temporibus in Martyribus
estris.»

«State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti
ricam justitiæ sumentes scutum fidei, confortamini in Domi-
, et in potentia virtutis ejus, nec quicquam vos detineat.
se autem qui coronaturus vos, certamina vestra in cœlo in-
etur, bonum opus, quod in vobis cœpit, perficiet. Nostis quia
scipulis suis pollicitus est se nunquam relicturum esse eos
phanos. Fidelis enim est, qui promisit. Retinete igitur disci-
inam ejus, hoc est, radicati et fundati in charitate, quidquid
itis, quidquid conamini, in simplicitate cordis, et unitate
iritus sine murmuratione, aut hæsitatione unanimes facite.
quidem in hoc cognoscent omnes, quia discipuli Christi su-
us, si dilectionem ad invicem habuerimus. Quæ quidem cha-
as, cum sit omnibus Christi fidelibus maxime appetenda, vo-
s certe, dilectissimi filii, prorsus necessaria est. Hac enim
stra charitate diaboli potentia infringitur, qui nunc adversus
s tantopere insurgit, cum ipsa contentionibus atque dissidiis
strorum filiorum præcipue nitatur.»

«Hortamur itaque vos per viscera Domini Jesu Christi, cujus
aritate e faucibus æternæ mortis erepti sumus, ut ante omnia
ıtuam inter vos charitatem habeatis. Præscripsit sane vobis
æcepta maxime utilia, de fraterna charitate vicissim exercen-
, felicis recordationis Clemens Papa VIII, suis litteris in for-
ı Brevis ad dilectum filium Magistrum Georgium, Archipres-
terum regni Angliæ, datis die quinta mensis Octobris 1603;
igitur diligenter exequimini, et ne ulla difficultate aut am-

biguitate remoremini, præcipimus vobis ut illarum litterarum verba ad amussim servetis, et simpliciter prout sonant et jacent, accipiatis et intelligatis, sublata omni facultate aliter illas interpretandi. Interim nos nunquam cessabimus, Deum, Patrem misericordiarum, precari, ut afflictiones et labores vestros clementer respiciat, ac vos continua protectione custodiat atque defendat, quos Apostolica benedictione nostra clementer impertimur. Datum Romæ apud Sanct. Marcum, sub annulo piscatoris, decimo Calend. Octobris 1606, Pontificatus nostri anno 2.

8. Quia vero nonnulli eo tempore, fortasse ad Catholicos decipiendos, ne illa occasione juramentum recusarent, rumores in Anglia sparserunt, quibus fidem illarum litterarum suspectam redderent, dicentes, Breve illud non verum, nec a Pontifice scriptum, sed ab aliquo fuisse confictum, ideo Summus Pontifex secundum Breve, quo prioris veritas certior fieret, conscripsit, cujus tenor est qui sequitur.

§. *Secundum Breve*

«Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Renunciatum est nobis reperiri nonnullos apud vos, qui, cum sa declaraverimus per litteras nostras anno superiore, decimo K. lend. Octobr., in forma Brevis datas, vos tuta conscientia præstare non posse juramentum, quod a vobis tunc exigebatur; præterea stricte præceperimus, ne ullo modo illud præstaret nunc dicere audent, hujusmodi litteras de prohibitione juramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu atque industr Eaque de causa iidem persuadere nituntur, mandata nostra d. tis litteris non esse attendenda. Perturbavit sane nos hic nu tius, eoque magis quia experti obedientiam vestram (filii nos unice dilecti), qui ut huic Sanctæ Sedi obediretis, opes, facu

ates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam pie ac ge-
erose nihil fecistis; nunquam suspicati essemus potuisse vocari
pud vos in dubium fidem litterarum nostrarum Apostolicarum,
t hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verum
gnoscimus versutiem, atque fraudem adversarii humanæ salu-
s, eique potius quam vestræ voluntati tribuimus hanc reni-
entiam. Ea propter iterum ad vos scribere decrevimus, ac de-
uo vobis significare, litteras nostras Apostolicas anno præterito,
ecimo Kalend. Octob. datas, de prohibitione juramenti, non
olum motu proprio, et ex certa nostra scientia; verum etiam
ost longam et gravem deliberationem, de omnibus quæ in illis
ontinentur, adhibitam, fuisse scriptas, et ob id teneri vos illas
mnino observare, omni interpretatione secus suadente rejecta.
æc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra, qui de
estra salute solliciti semper cogitamus ea quæ magis vobis ex-
ediunt. Et ut cogitationes et consilia nostra illuminet is, a quo
ristiano gregi custodiendo nostra fuit præposita humilitas,
desinenter oramus; quem etiam jugiter precamur, ut in vo-
s, filiis nostris summopere dilectis, fidem, constantiam, mu-
amque inter vos charitatem et pacem augeat. Quibus omnibus
m omni charitatis affectu peramanter benedicimus. Datum
omæ apud S. Marcum, sub annulo piscatoris, decimo Kalend.
ctob. MDCVII, Pontificatus nostri anno tertio.»

9. His Pontificiis litteris, et epistola ab Illustrissimo Car-
nali Bellarmino ad Archipresbyterum Angliæ conscriptis, exa-
tatus rex Angliæ, contra utrumque breve et Epistolam, et in
efensionem hujus ultimi juramenti libellum, suo nomine oc-
ltato, scripsit aut scribi fecit, in quo præcipue ostendere
natur, per juramentum illud nihil aliud quam civilem obe-
entiam ac fidelitatem a subditis exigi, et ideo vehementer
nqueritur quod subditi sui ab obedientia civili ei præstanda
terreantur. Sic enim ipse rex, in principio Præfationis, pag. 13,
firmat, et in alio loco Apologiæ sic inquit: «Ad proximum

capud Brevis quod attinet, quo Pontificiis omnibus interdic
ne ecclesias nostras adeant, neve ritus et cæremonias nostra
frequentent, non est mihi jam animus hæc attingere; siquider
id solum negotii nunc incumbit, ut orbi proloquar injurias e
injustitias Pontificis interdicentis subditis meis ne obedientiar
suam erga me profiteantur.» Et alio in loco, magno verborur
pondere et exaggeratione sic affirmat: «Ego enim, quantur
mea mens assequi potest, non cœlum a terra longius distar
credo, quam professio obedientiæ civilis erga civilem regen
differt ab iis omnibus quæ catholicæ fidei aut primatui Sanc
Petri quoquomodo sunt affinia.»

10. Hæc autem, et similia multa quæ in illa Apologia cor
tinentur, non sine sufficienti responsione et impugnatione
Cardinali Bellarmino relicta sunt. Statim enim ac in manus eju
Apologia pervenit, antidotum contra illam, quamvis tecto no
mine suo, scripsit; quo illud non fidelitatis sed infidelitatis ju
ramentum esse, nec solius obedientiæ civilis ad regem, se
etiam abnegationis Pontificiæ potestatis professionem esse con
vicit. Qua responsione veluti contempta rex in hac posterio
Apologiæ editione nihil illi addendum existimavit. Sed initi
fere Præfationis, postquam in auctorem illius responsionis acr
ter invectus, et de injuriis, convitiis, aliisque in modo scribend
defectibus gravissime conquestus est, tandem concludit, «num
quam eum ad id, in quo causæ cardo vertitur, directe respon
disse.» Hac vero occasione iterum ibi declarat, duo tantum ess
capita de quibus in Apologia disseruit: «Prius» (ait) «ut proba
rem, in fidelitatis sacramento nihil aliud quam obedientiam
mere civilem et sæcularem summis principibus a subditis debi
tam contineri. Alterum, ut ostenderem hanc in reges potesta
tem, a Pontificibus inique usurpatam, cum Scripturis, Concili
et Patribus pugnare.» Ex his autem duobus capitibus, hoc pos
terius in lib. 3 et 4 fuse a nobis tractatum est, ubi satis direct
omnibus, quæ in illa parte Apologiæ, vel in Præfatione rex in

icit, respondimus, ideoque illud amplius non attingemus; erum vero, quod brevius clariusque judicamus, compendio- is etiam in hoc libro prosequemur. Ne vero nobis etiam ob- iat, quod ab scopo aberraverimus, illum paulo fusius et dis- ctius iterum proponemus.

CAPUT PRIMUM

Quis sit præsentis controversiæ scopus et causæ status, et qu ratio disputandi in ea servanda sit

1. *Genera juramenti fidelitatis.*—Ut proprium hujus disp tationis scopum, statumque controversiæ præ oculis propon mus, varia juramenti genera, quæ a rege temporali exigi po sunt, et ex dictis colliguntur, distinguere oportet. Unum d potest civile juramentum, quia est solius obedientiæ civilis rebus mere temporalibus, et ad regis potestatem vere per nentibus. Aliud est juramentum sacrum, seu ecclesiasticu scilicet, solius obedientiæ ecclesiasticæ seu spiritualis, re temporali exhibendæ, tanquam supremam potestatem ecclesi ticam seu spiritualem habenti. Per quod juramentum cons quenter Pontificis potestas, eique debita obedientia abjurant Tertium dici potest juramentum mistum clare et aperte, q per illud expresse fit professio utriusque potestatis in temp rali rege, et utraque obedientia illi promittitur, et conseque ter utraque etiam Pontifici abjuratur. Quartum dici potest m tum palliatum, quia per illud obedientia civilis expresse jurat tecte autem et sub verbis minus claris obedientia Pontifici d bita negatur, et regi tribuitur.

2. *Licitum esse juramentum circa obedientiam civilem, cat licum dogma.*—De primo genere juramenti (ut dixi) nulla inter Pontificem et regem Angliæ controversia. Quantum enim rex injuriam et injustitiam sibi fieri a Pontifice conqu ratur, prohibendo subditis suis ne obedientiam civilem illi p mittant et servent, revera non ita est, ut merito notavit B larminus in responsione ad Præfationem regiam, c. 2, et Apologia respondendo ad objecta contra primum Breve Pon

is, § «Pergit deinde auctor», etc. Quia in neutro Brevi Pon-
cio reprehensio talis juramenti invenitur, nec aliquem auc-
rem catholicum allegare potest rex, qui hoc genus juramenti
m catholica fide non consentire judicaverit. Quapropter sine
usa laborat rex in sua Apologia, p. 25 et sequentibus, ex
ripturis, Conciliis et Patribus probando, vel deberi regibus
conscientia civilem obedientiam, vel licitum esse juramen-
m quo illa promittitur, nam hoc non solum verum, sed etiam
tholicum dogma esse omnes confitemur. Hoc autem et non
ud probant testimonia a rege allegata, ut in libro 3, ex pro-
so per singula discurrendo, ostendimus. Et sane testimonia
trum, quæ ipsemet adducit, diserte ita loquuntur, nam vel
ramque obedientiam distinguunt, vel cum moderatione et li-
tatione loquuntur. Augustinus enim cum dixisset milites
ristianos obedivisse Juliano, licet is apostata et infidelis es-
, statim adjungit: «Ubi veniebatur ad causam Christi, non
noscebant, nisi eum qui in cœlo erat.» Tertullianus vero di-
is: «Colimus imperatorem», statim addit: «Sic quomodo et
bis licet, et ipsi expedit.» Et similia sunt alia apud Gratia-
m, in Decret., 11, q. 1, sub finem.

3. *Idem dogma varia Concilia docuerunt.*—Neque minus
pervacanea sunt quæ in Apologia, in initio responsionis ad
istolam Bellarmini, rex congerit ex Conciliis Toletanis IV, V,
et X, ut probet juramentum fidelitatis, regi factum, esse ab
iversis subditis servandum. Tractant enim illa Concilia de
ro, licito ac honesto fidelitatis juramento, quod et tunc fiebat
Hispania suis regibus, et nunc etiam fit ac fidelissime serva-
. Non enim venit in mentem Patrum illorum Conciliorum,
e posse in Ecclesia catholica aliud juramenti genus, quo
ncipi temporali ecclesiastica obedientia promittatur, aut ali-
a spiritualis potestas in eo recognoscatur, vel in Pontifice
uretur. Unde in Concilio Toletano X, c. 2, expresse dicitur:
quis religiosorum, ab Episcopo usque ad extremi ordinis
ricum sive monachum, generalia juramenta in salutem re-

giam, gentisque aut patriæ data reperiatur violasse voluntat profana, mox dignitate privatus, et loco et honore habeatu exclusus.» Quæ verba satis declarant sermonem esse de gene ralibus juramentis, quæ in quacumque republica humana æ ejus conservationem, et ad civilem obedientiam, et vitæ ac re rum suarum securitatem regi præstandam, fieri solent. Et s militer alia Concilia de juramento, quod non solum inter fid les, sed etiam inter quoscumque gentiles fieri consuevit, aper loquuntur. Unde Concilium Toletanum IV, cap. 75, sic inqui «Sacrilegium quippe est, si violetur a gentibus regum suoru promissa fides, quia non solum in eos fit pacti transgressio, s et in Deum, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio.» eodem modo loquuntur cætera. Tractant ergo de commu pacto inter regem et regnum juramento fidelitatis firmato, qu est juramentum pure civile et politicum, de quo non est co troversia. Unde illa Concilia magis ad speciem et apparatu quam ad causæ probationem adducta videntur. Neque plus scopum disputationis pertinet canon. 12 Concilii Aquisgra sub Ludovico et Gregor. IV, in secundo articulo seu memb illius, ubi generatim damnantur, qui contra regem insurgu et juramentum fidelitatis illi non servant. Nam loquitur eti illud Concilium de puro juramento civili, tum quia null aliud erat tunc auditum in Ecclesia regibus fieri; tum eti quia pro fundamento præmittit Concilium: «Constat quia q cumque potestati a Domino datæ resistit, juxta Apostolic documentum Dei ordinationi resistit»; potestas autem regis vilis tantum est; de simili ergo juramento loquitur Concilio

4. *Ex Conc. Aquisgra. probatur diversitas primatus ecc siastici a laico.—Constantini sententia de jurisdictione Episco rum.*—Quod si rex Angliæ illi gravissimo Concilio fidem ad bet, ut par est, quæso, primum ab eo jactum fundament attente consideret; statim enim in principio sic Patres loqu tur: «Primo, visum est normam universæ religionis atque clesiasticæ disciplinæ in duabus consistere personis, Pontific

ielicet, atque imperiali.» Quod fundamentum primum auc-
itate Gelasii, præferentis auctoritatem Papæ potestati re-
m, confirmat; deinde testimonio Fulgentii, dicentis: «Quan-
m pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo
ntifice potior, et in sæculo christiano imperatore nemo potior
venitur» (1). Et in parte tertia ejusdem Concilii multa de re-
li munere, ac potestate traduntur, et in cap. 5 illius partis
fertur dictum Constantini ad Episcopos: «Potestatem vobis
dit Deus de nobis quoque judicandi, et ideo nos a vobis rec-
judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judica-
(2). Quando ergo Concilia juramenta fidelitatis regibus facta
rvanda esse decernunt, non confundunt civilem obedientiam
m ecclesiastica, sed unicuique quod suum est reddendum
tuunt, Cæsari quæ Cæsaris sunt, et quæ sunt Dei Deo. Et ita
primo juramento fidelitatis et obedientiæ tantum civilis nulla
controversia.

5. *Principem laicum habere jurisdictionem spiritualem, olim auditum.*—De secundo autem genere juramenti, quo vasallus elis regis christiani illum recognoscit ut supremum caput vel bernatorem Ecclesiæ in ecclesiasticis et spiritualibus rebus, ue obedientiam in eisdem spiritualibus promittit, nulla qui-n fuit olim in Catholica Ecclesia controversia, quia nunquam illa tale juramentum auditum est, quia materia ejus sacrile-et doctrinæ fidei contraria semper judicata est. A tempori-s autem Henrici VIII cœpit in regno Angliæ illud juramen-n introduci; et in principio ipsemet rex in comitiis regni sui id proponere non est ausus, quia res nova esset et inaudita, retque viris catholicis, et præsertim ecclesiasticis, futuram e acerbissimam. Ideoque Roffensem, virum magnæ auctori-is, ut illud proponeret, suaque auctoritate aliis persuaderet,

(1) Gelas. ad Anastas. imperat.; Fulgen., lib. de Prædestin. et grat.
(2) Ruffin., lib. 1, alias 10, cap. 2.

coegit, ille autem licet iniquitatem juramenti non ignorare tunc vel timore vel rationibus humanis inductus, regi paruit juramentumque non simpliciter, sed quadam limitatione add ta, cæteris Episcopis proposuit, scilicet «quantum eis per D verbum permissum esset ac licitum» (1). Hujus autem laps ex humana fragilitate profecti eum postea gravissime pœnitu publiceque contestatus est non debuisse cum exceptione il juramentum admittere, ac si res esset dubia, sed per verbu Dei veritatem aperire, ne alii in fraudem inducerentur. Itaq ex tunc schismatici et timidi juramentum probare et redder Catholici autem detestari et vitare cœperunt. Idemque diss dium inter Catholicos et hæreticos usque nunc durat, et perp tuo perseverabit, quamdiu illi Schismatici in suo errore pe manserint, quoniam nobis certum est fidem catholicam ta juramentum damnare.

6. *Non est hic quæstio de secundi juramenti genere, neque tertio.*—Nihilominus tamen quæstio, quæ nunc versatur, n est de hoc juramento; bene enim novit rex Angliæ Romana fidem illud juramentum damnare, et a veris ac constantib catholicis subditis suis non esse præstandum: imo (ut infra v debimus) ob hanc causam dicit, formulam juramenti mutass ne subditos suos in eas angustias cum ingenti discrimine ind ceret. Quamvis enim ipse et alii Anglicani Protestantes priva suo errore opinentur, juramentum illud esse licitum, quia p tant promissionem esse de re licita et debita, nihilominus n negant nec negare possunt, si vel ratione naturali uti v lint, iniquum esse, tale juramentum contra conscientiam pra tare, sive animo non implendi illud, sive credendo talem ob dientiam soli Pontifici Summo esse reddendam. Quapropter m manet inter nos in hoc puncto controversia de juramento, s de materia ejus, quæ coincidit cum controversia de prima quæ libro tertio tractata est.

(1) Sander., lib. 1.

7. *Quarti juramenti genus.* — Atque eadem ratione non est
æstio de tertio juramento, utramque obedientiam civilem et
clesiasticam aperte comprehendente. Cum enim bonum ex
tegra causa, et malum ex quocumque defectu, et una pars
ateriæ talis juramenti prava sit, manifestum est totum jura-
entum esse iniquum. Sicut enim propositio copulativa, cujus
a pars est falsa, simpliciter falsa est, ita juramentum illud,
m per illud copulative (ut sic dicam) et civilis et ecclesiastica
edientia regi ut supremo capiti promittatur, simpliciter ini-
uum et detestabile est. Denique qui credit regem temporalem
se supremum in temporalibus et spiritualibus, quamvis in
iori parte non erret, sed tantum in posteriori, simpliciter
ereticus est, quia una hæresis sufficit ad hæreticum consti-
endum; ergo similiter juramentum illud est professio cujus-
m hæresis, ac proinde abominabile. Idemque non minus
idens et certum esse debet de quarta jurandi forma, in qua
omissio obedientiæ civilis regi facienda, et abjuratio Pontifi-
a non clare, sed tecte et simulate proponitur, quia in morali-
s illa duo æquiparantur, parumque refert ad fidei constan-
m, quod aperte vel sub aliquo velamine et simulatione
ritas catholica negetur. Unde etiam de hoc puncto non est
incipalis controversia; quia vero ab ignorantibus potest in
bium revocari, inferius opportuno loco dictum veritatem con-
mabimus.

8. *Controversiæ status ac divisio.* — Punctum ergo principa-
in quo rex controversiam constituit, non est de jure (ut sic
am), sed de facto, id est, an in illa ultima forma jurandi a
ge Angliæ inventa sola obedientia civilis a subditis exigatur,
clesiastica vero nullo modo, neque expresse, neque tacite,
tecte, seu palliate. Et similiter an per illud juramentum
juretur primatus Papæ, ejusque suprema spiritualis potestas
getur, vel solum fiat professio supremæ potestatis regiæ in
ordine et gradu, sine professione spiritualis potestatis,
am usurpat. Nam rex Angliæ contendit, in eo juramento so-

lam promissionem obedientiæ pure civilis, et professionem su premæ regiæ potestatis temporalis contineri. Sic enim ait Præfatione, pag. 12: «Tanto studio tantaque sollicitudine cavebam, ne quicquam hoc juramento contineretur, præter fidelitatis illius et temporalis obedientiæ promissionem, quam ipsa natura omnibus sub regno nascentibus præscribit.» Et inf dicit scripsisse Apologiam, in qua suscipiebat probandu «nihil in eo juramento contineri, nisi quod ad obedientia mere civilem ac temporalem spectat, qualis summis princip bus a subditis debetur.» Idemque in aliis locis, tam Præfatio quam Apologiæ, repetit, ex quibus aliqua in præcedenti præf tione retuli. Hoc ergo imprimis est a nobis examinandum. primo quidem de re ipsa secundum se spectata disseremus; per singulas illius formulæ jurandi partes, prout rex postula videtur, discurrendo, quam sit injustum et fidei contrariu juramentum illud ostendemus. Postea vero ad ea, quæ cont Brevia Pontificia objiciuntur, facile respondebimus.

CAPUT II

Utrum in prima parte formulæ juramenti aliquid præte obedientiam civilem et contra ecclesiasticam jurandu proponatur?

1. *Vide lib.* 1 *de Juram., c.* 13, *n.* 8, 21 *et sequentibus.*- In quatuor partes seu paragraphos dicta juramenti formu divisa est: prima est in ejus initio, secunda in paragrapho «Ite juro», tertia in paragrapho «Præterea juro», quarta in par grapho «Et ulterius credo», quæ discutiendæ sunt, et atten considerandum an in omnibus, vel in aliqua earum verum in veniatur illud regis pronunciatum, nihil in illo juramento co tineri, nisi quod ad obedientiam mere civilem ac temporale

ectat. Prius autem quam ad singulas partes descendam, æmoneo, ab aliquibus notatum esse, verbum «juro» in prima ultima clausula non apponi, et ideo in eis non jurari, ac binde non tantam requiri certitudinem de veritate earum re- m quæ in eis proponuntur, quin sine culpa saltem gravi is possit illa confiteri, licet ea non credat, sicut in aliis dua- s partibus, quæ sub juramento proferuntur, necessaria est. ec vero consideratio falsa est et perniciosa. Primo enim citra bium verum est, etiam illa, quæ in prima et ultima parte ntinentur, sub juramento proferri. Nam in prima dicitur: «In nscientia mea coram Deo», quæ duæ particulæ, in rigore mptæ, solent esse formæ jurandi, et licet sigillatim sumptæ terdum sint ambiguæ, tamen simul conjunctæ ad invicem se vant, et determinant significationem ad indubitatam jurandi mam. Et augetur certitudo ex solemnitate juramenti, et ex ateria ejus, et quia statim in secunda clausula dicitur: «Item ro», et ex aliis quæ jam dicam. Nam in ultima etiam clausula nitur particula: «In conscientia mea», et deinde supponitur mpliciter juramentum hoc, quoad omnes suas partes esse tam lidum juramentum, ut a nulla earum possit Pontifex quem- am absolvere. Et quod tollit omne dubium, infra dicitur: Hæc omnia plane ac sincere agnosco et juro.» Et in fine con- ditur: «In vera fide christiani viri, et sic me Deus adjuvet.» od ultimum verbum sufficit ad jurandum omnia præmissa, in jure etiam canonico habetur, c. «Ego N.», de Jurejurando. timo vero addo, cum in prima parte dicatur: «Agnosco et ofiteor», et in ultima dicatur: «Credo», et materia pertineat dogmata fidei, etiam si juramentum non interveniret, fore avissimum peccatum in illa materia aliquid falsum confiteri l profiteri, quia esset contra fide confessionem, quæ necessa- est ad salutem, teste Paulo, ad Roman., 10.

2. *In prima juramenti parte virus latere ostenditur.* — Hoc go supposito, imprimis in ipso juramenti initio: «Ego A. B., re et sincere agnosco et profiteor, testificor et declaro in

conscientia mea, coram Deo et mundo, quod supremus dominu noster rex Jacobus est legitimus et verus rex», etc., adverto licet hæc verba sincere proposita et intellecta expresse nih aliud quam dominii ac regni temporalis professionem continen videantur, nihilominus in verbis illis: «Supremus dominus nos ter rex», virus latere. Nam juxta intentionem loquentis, ex al formula jurandi nunquam retractata, et ex publica ejus profes sione et scriptis satis cognita, et juxta vulgarem et receptum illo regno sensum, particula «supremus dominus» significat es supremum simpliciter, tam in spiritualibus quam in tempora libus; supremum (inquam) positive in suo regno, quia est su pra omnes, tam laicos quam ecclesiasticos, tam in temporalibu quam in spiritualibus; et negative respectu totius orbis s Ecclesiæ, quia nullum in ea recognoscit superiorem. Cum erg in ipsa forma juramenti cogatur omnis, qui jurat, illo mo recognoscere regem ut supremum dominum, tacite cogit confiteri primatum ejus supremum in magna Britannia et H bernia, et exemptionem ejus ab omni superiori potestate, consequenter tacite abjurare cogitur supremam spirituale Pontificis potestatem. Sic ergo in illa sola particula, «Supr mus dominus noster», aliquid ultra obedientiam civilem temporalem continetur.

3. *Excluditur evasio.*—Dicet aliquis, esto hæc fuerit inte tio regis, quam certe negare non potest, consulto non expre sisse illam in ipsa formula, ne Pontificiis (ut ipse loquitu scrupulus conscientiæ injiceretur, quem nunc poterunt faci deponere, non jurando juxta intentionem loquentis, sed jux simplicitatem verborum, sonum, et in sensu accommodat quem possunt illa verba facere, tantum de supremo dominio temporalibus ea intelligendo. Verumtamen hæc fuga licet sp culative (ut aiunt) et abstracte, ac remoto scandalo, posset su tineri, tamen in usu et praxi in tali loco, et inter tales pers nas, et cum aliis circumstantiis, ac periculo scandali, qu simul ibi concurrit, vix potest ab illis verbis separari talis si

ficatio, et consequenter illa erit quædam externa confessio et rofessio potestatis regis absolute supremæ in omni materia, et ne ulla limitatione, præter illam quæ in ipsis verbis additur, terris ejus dominio subjectis. Quæ limitatio auget cætera rba, ut sine ulla limitatione dicta intelligantur. Multoque agis id declarant verba sequentia, ubi jam non tecte, sed ex- esse ultra civilem et temporalem obedientiam juramentum tenditur.

4. *Dictis verbis Papæ potestatem abjurari.* — Additur enim: Et quod Papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctori- tem Ecclesiæ vel Sedis Romanæ, nec per ulla media cum ibuscumque aliis aliquam potestatem, nec auctoritatem ha- at regem deponendi.» Quis, quæso, dicat, per hæc verba ntum postulari a subditis obedientiam civilem, «qualis sum- is principibus a subditis debetur?» Certe alii reges Ecclesiæ n minus supremi principes in temporalibus sunt, quam rex ngliæ; et tamen neque ipsi talem obedientiam exigunt, nec i a subditis deberi credunt, nec subditi illam recognoscunt; go aperte declarat rex Angliæ de se loqui et sentire tanquam supremo principe, nullum in terris habente superiorem, et nc professionem per illud juramentum a subditis postulare. inde per illa verba non tam juratur obedientia regi, quam juratur potestas Papæ; tractare autem de potestate Papæ, et am jurandam vel abjurandam proponere, non pertinet ad testatem civilem aut temporalem regis, nec ad obedientiam vilem illi debitam; ergo illa verba evidenter excedunt termi- s obedientiæ civilis, tum quia verba ipsa aliquid aliud signi- ant præter obedientiam civilem regi debitam, ut ex ipsis nifestum est; tum etiam quia ipsemet actus exigendi tale ramentum, et imponendi obligationem profitendi hoc vel illud potestate Pontificis, est actus jurisdictionis plus quam civi- , imo superioris vel non subditæ potestati Pontificis; quia ad vilem potestatem non pertinet, spirituali potestati, præsertim premæ, terminos præscribere. Duobus ergo modis (ut theolo-

gicis terminis rem declarem) rex in illis verbis postulat obe dientiam plus quam civilem: primo, in actu signato, proponen do materiam non civilem; secundo, in actu exercito, utend potestate plus quam civili, et cogendo subditos ut illi se sub dant, et sua professione illam recognoscant.

5. *Præcipua ratio.*—Accedit quod per illa verba propon tur professio cujusdam erroris contra doctrinam ab univers Ecclesia probatam. Quamvis enim revera materia illa eccle siastica sit, si doctrina proposita vera esset, utcumque tolerab lis esset jurisdictionis usurpatio; cum tamen ipsa forma jura menti errorem contineat, et ad illum profitendum subditi compellat, non solum exigit aliquid ultra obedientiam civile sed etiam cogit ad abnegandam Pontificiam potestatem, et a confitendum aliquid sanæ doctrinæ contrarium. Assumptu ostenditur, quia ille articulus illius juramenti includit hai propositionem et fidem ejus: «In pontifice vel in universa E clesia non est potestas ad deponendum regem baptizatum ullo casu, vel propter quamcumque causam vel culpam.» Quai vis enim in ipsa juramenti forma non addantur expresse omn istæ particulæ, «in ullo casu, vel propter quamcumque causa aut culpam», in aliis æquivalentibus continentur, nimirui cum dicitur, quod «Papa, nec per se, nec per alios, nec cu quibuscumque aliis aliquam potestatem nec auctoritatem hab regem deponendi.» Si enim nullam potestatem habet, ergo n facultatem puniendi, nec quovis alio titulo potestatem habet e fectricem talis effectus seu depositionis. Et hoc idem per ali clausulas amplificatur, videlicet, quod Papa non habeat pote tatem disponendi de regnis sub dominio regis constitutis, a alteri regi concedendi auctoritatem illa invadendi. Nam h omnia pendent ex illo principio, quod Papa non possit illu cogere per talem pœnam depositionis, etiam si hæreticus, v schismaticus, vel Catholicorum persecutor sit, neque aliquib mediis coactionis temporalis seu corporalis uti ad illum punie dum, vel Ecclesiam defendendam, et Catholicos a tanto peric

eruendos. Quam vero falsum sit hoc dogma, quamque alienum rincipiis fidei, ab usu Ecclesiæ, et ab omni etiam recta ratio-, supposito munere pastorali quod Christus Vicario suo com-endavit, satis in libro tertio ostensum est; ideoque in hoc ncto in præsenti non amplius immorabor.

6. Tandem ejusdem rationis est alia clausula, qua hæc rs hujus juramenti concluditur, in qua rex suos subditos ju-re cogit in Pontifice non esse potestatem, «ullos subditorum orum ab eorum suæ Majestatis obedientia et subjectione onerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipsum rendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut dam-m Majestatis suæ personæ, statui, vel regimini, vel aliqui-s suis subditis intra sua dominia offerendi.» Quæ clausula isdem fere rationis est cum præcedenti, et ex eodem errore ocedit, nimirum, quod in Pontifice nulla sit potestas coerciva gis per corporalem violentiam, vel alias temporales pœnas; am doctrinam erroneam esse in eodem libro tertio ostensum .. Quamobrem etiam in hac clausula aliquid ultra obedien-m civilem jurandum proponitur, et spiritualis potestas usur-tur, eamque in ipso juramento profiteri, et in rege agnos-re subditi coguntur. Ac denique etiam potestas Pontificia juratur, et error contra fidei doctrinam juratur.

7. *Alii errores in hac clausula contenti.*—Imo hic involvun-novi errores. Unus est quod Papa non habeat potestatem re-andi juramenta, etiam si justa et rationabilis causa interce-, quod est contra ecclesiasticum morem, Conciliorumque neralium usum et approbationem, cap. 2, de Re judic., 6; et ntra catholicorum Doctorum consensum, et contra potestatem andi et solvendi Petro datam, et ita usu et moribus totius ouli christiani declaratam. Et præterea est etiam contra ra-nem, nam in similibus juramentis semper includitur vel ditio tacita: Si promissio impleri possit sine notabili damno periculo jurantis, maxime vero quando illud periculum et mnum provenit ex injuria et violentia ejus, cui fit promissio.

Vel intelligitur reservatum jus superioris, qui, non obstant promissione a subdito facta, potest illi prohibere ne illam im pleat, seu ne actionem promissam exequatur, si justa et ratio nabilis causa intercedat, et consequenter potest relaxare jura mentum, materiam ejus prohibendo. Denique hic error suppon priorem: nam si Papa potest deponere regem, consequente necesse est ut auferre possit vinculum obedientiæ et jurament quia non promittitur obedientia Jacobo ut Jacobus est, sed u rex; unde si desinat esse rex, eo ipso non debetur ei obedien tia, ac subinde nec juramentum obligat, nam, sublata mater juramenti, consequenter juramenti obligationem auferri neces se est.

8. *Alius error.*—Alius novus error est, quia non solum n gatur Pontifici potestas deponendi regem ipsum hæreticu sed etiam subditos ejus cogendi per hujusmodi pœnas, ut pat ex illa particula, «vel aliquibus suis subditis.» Est enim, circ sensum illorum verborum, advertendum, neminem esse, q doceat posse Pontificem suo arbitrio, et absque cogente just tiæ ratione, dare alicui principi licentiam, ut contra alium re gem vel subditos ejus arma sumat, aut vim aliquam vel nocu mentum ei inferat; sicut etiam non potest pro libito da licentiam subditis excitandi turbas contra regem suum, pro videtur rex Angliæ in discursu hujus operis Papæ attribuer ut in fine libri tertii animadvertimus ac refutavimus. Quis eni Pontifex hanc sibi unquam potestatem arrogavit? aut quis Ca tholicus, aut rationis usum habens, hoc unquam docuit a prædicavit? Non oportet ergo tegere aut palliare verba illa, fin gendo sensum eorum esse, Papam non posse illam licentia dare ad libitum, et sine causa, hoc enim neque rex timet, ne que in mentem hominum venit.

9. *Postremum juramentum priora virtute continere.*—Sens ergo est, non posse Pontificem violentiam aliquam vel dam num inferre, non solum regi, verum etiam nec subditis su neque alicui dare licentiam quippiam simile contra subdit

gis Angliæ faciendi, etiam si illi apostatæ sint, et Ecclesiæ manæ rebelles, ac schismatum et hæresum seminatores vel ıtores; hoc ergo modo dicimus, in verbis illis magnum et vum errorem contineri, vel certe eumdem de primatu magis plicatum. Quid enim hoc aliud est, quam profiteri subditos gis Angliæ non habere in terris alium superiorem, præter ipm regem, nec ab alio posse cogi vel puniri propter sua scele- etiam si aliis Catholicis et Ecclesiæ Christi perniciosa sint? go per omnes has clausulas, vel satis expresse, vel saltem imcite negatur et abjuratur suprema Pontificis potestas, et regi buitur. Unde concluditur, et falsum esse, nihil in hoc juraento exigi, præter professionem civilis ac temporalis obedien-, et e contrario verissimum esse, juramentum hoc esse mism, et virtute continere quidquid in prioribus jurandum offebatur. Neque video quid possit his rationibus cum aliqua babilitatis specie responderi; quamdam autem fugam, quam insinuat, in sequenti capite attingemus.

CAPUT III

secunda juramenti parte aliquid etiam ultra civilem obedientiam, et contra ecclesiasticam jurandum offerri

1. Incipit hæc pars ab illis verbis: «Item juro», et nihil e continet diversum a præcedenti, sed in ea magis declaran- omnia, quæ in priori parte contra potestatem Papæ abjutur, ut nimirum intelligantur non solum de potestate extraiciaria (ut sic dicam), seu de potentia faciendi per vires huma-, sed etiam procedere de potestate jurisdictionis et judiciaria, e in hac secunda parte expressius negatur et abjuratur Ponti- sequentibus verbis: «Item juro ex corde, quod, non obstante ua declaratione vel sententia excommunicationis, aut depri-

vationis facta, vel concessa aut facienda, vel concedenda p
Papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritate
derivatam, aut derivari prætensam ab illo seu a sua Sede, co
tra dictum regem, hæredes aut successores suos, vel quacun
que absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia, f
delilatem tamen et veram obedientiam suæ Majestati, hæredibu
et successoribus suis præstabo, ipsumque et ipsos totis meis vir
bus contra omnes conspirationes, et attentata quæcumque, qu
contra personam illius, vel illorum, eorumque coronam et dig
nitatem,ratione vel colore alicujus sententiæ, vel declaration
aut alias facta fuerit, defendam.»

2. *Duplex sensus secundæ partis juramenti.—Prior sens
excluditur, et alienus a mente regis ostenditur.*— Ut ergo null
detur subterfugiendi locus, interrogo an rex intelligat sente
tiam Papæ deponentis regem baptizatum, et qui se Christi
num esse profitetur, propter crimina, posse esse justam, a
vero credat semper esse injustam. Primum, ut credo, non ass
ret, alias subditos suos ad rem turpissimam jurandam inducere
nimirum ad non parendum sententiæ justæ, quæ secum affert ju
tum præceptum. Nam si sententia justa est, etiam erit justu
præceptum, quo illa a subditis servari mandatur, cum aliter n
possit executioni mandari. Item si sententia depositionis lata
Papa contra regem esse potest justa, etiam erit efficax ; hab
ergo effectum pœnæ quam imponit. Unde cum pœna imposi
per sententiam depositionis a regno, sit ipso facto privari r
gem dominio et proprietate regni, sententia justa efficaci
privat regno; ergo contra justitiam et obedientiam debita
Papæ est, resistere tali sententiæ, et defendere personam reg
contra executionem talis sententiæ; ergo qui primum credit,
nihilominus hoc secundum jurat, rem plane injustam et in
quam jurat. Et aliunde contradictionem involvit, velle serva
obedientiam et fidelitatem alicui tanquam vero regi, que
scias per justam declarationem, vel sententiam esse cum effe
tu a regno depositum. Ut si Papa ipse exigeret a fidelibus j

nentum, quod non obstante quacumque sententia vel decla-
ione depositionis ejus, etiam propter crimen hæresis, a quo-
mque generali Concilio facta, eum defendent in sua sede,
que eamdem obedientiam et fidelitatem præstabunt, juramen-
n esset iniquum, quia esset de re iniqua, et Ecclesiæ ac fidei
ntraria. Tale ergo est hoc juramentum regis, si dicta sen-
ntia justa supponatur. Hoc ergo sine dubio non admittet rex,
que etiam opinor adeo esse suarum rerum iniquum æstima-
rem, ut si concedat, sententiam, a Papa latam contra aliquem
gem, esse posse justam, nihilominus neget contra se posse
ndem tenere æquitatem. Quam enim majorem immunitatem
l innocentiam in se, quam in aliis regibus, qui Romanæ Ec-
siæ rebelles, aut fidei desertores et impugnatores fuerunt,
egare potest? Aut, licet in se causam depositione dignam
n agnoscat, unde scit in successoribus suis esse non posse,
n tamen de omnibus æque juramentum exigat ? Non est ergo
bium quin fundamentum hujus juramenti sit, talem senten-
m non posse esse justam.

3. *Posterior sensus a rege intentus errorem continere ostendi-*
.—Hinc ergo evidenter concludimus postulari a subditis regis
gliæ per illa verba, ut jurent, sententiam depositionis contra
em neque validam neque justam esse posse, nam revera hoc
fitentur, cum jurant tali sententiæ non parere, nec illam ser-
e. Unde ulterius concludimus, ab eisdem peti ut jurent non
e in Pontifice potestatem ad talem sententiam ferendam.
batur, quia non alia ratione credit rex, et a suis subditis
t credi, sententiam illam fore injustam, nisi quia abs-
e potestate et jurisdictione Papæ supra regem lata sit ;
enim jugum confringere et a se tollere his omnibus me-
conatur rex, et ideo in suo libro sæpe repetit, se nihil
ius esse a Pontifice, et Pontifici nihil negotii esse cum illo,
similia. Nec potest aliam rationem injustitiæ in tali sen-
tia rex allegare aut prætendere, quæ perpetua sit, et huic

parti juramenti fundamentum dare potuerit. Nam, licet in pri cipio Apologiæ duas alias causas ipse indicet, videlicet, quo dispar religionis cultus non sit sufficiens causa, ut subditi po sint contra regem conjurare, et quod inaudita causa damnati sit, quas querelas infra tractabo; nihilominus neutra earum e universalis et perpetua (ut de illarum qualitate modo nihil di cam). Et ita non potuit juramenti formam in illis causis fundar tum quia Pontifex nondum Breve suum scripserat, de quo re conqueritur; tum etiam quia juramentum loquitur de sententi facta vel facienda contra regem vel successores suos; compre hendit ergo omnem sententiam, sive feratur audita parte, siv non audita, sive propter disparem religionem, sive propter qua cumque alia crimina, vel aliam causam. Ergo injustitia, qua in illa sententia rex supponit, et in qua fundavit illam juramen ti formulam, non est nisi quia credit, non posse a legitima po testate et jurisdictione manare.

4. *In ea parte juramenti professionem erroris contra fide includi.—Quot ibi lateant peccata.*—Concludo igitur, in illis ver bis hujus juramenti non tantum postulari a subditis civile obedientiam, sed etiam professionem hujus erroris, quod Pap non habeat potestatem et jurisdictionem ad ferendam conta regem depositionis sententiam quacumque ex causa; ac subin de non esse veram illam regis propositionem, «nihil in eo jura mento contineri, nisi quod ad obedientiam mere civilem a temporalem spectat.» Et inde ulterius infertur, peccare gravis sime subditos illud juramentum præstando. Nam profitentu exterius Papam non habere jurisdictionem supra regem, qu possit in eum justam sententiam depositionis dicere, quacum que ex causa et quocumque modo illam ferat, servato ordi quem naturalis justitia postularet, si potestas non deesset. Au enim qui hoc juramentum exhibet, hoc, quod profitetur, credi vel non credit; si credit, corde et opere schismaticus est, et i doctrina fidei errat; si vero non credit quod in juramenti form continetur, et nihilominus jurat, peccat, tum contra fidei con

ssionem, tum contra religionem juramenti, sive juret absque tentione implendi quod jurat, sive cum intentione servan- illud, quia priori modo perjurus est, posteriori modo facit ramentum vinculum iniquitatis, et proponit obedire potius ominibus quam Deo, promittendo obedire regi contra justam ntentiam et præceptum Pontificis.

5. *Excluditar evasio.* —Quod si dicat eos, qui simpliciter rant, non intelligere omnia quæ in illo juramento continen- r, respondemus excusationem esse frivolam, tum quia non de ersonarum ignorantia, sed de juramenti qualitate, et justitia l injustitia tractamus; tum etiam quia ignorantia illa in Ca- olicis vix potest esse invincibilis, nisi valde rustici et parum structi in religione sint, quia litterati et periti facile intelli- nt errores in juramento latentes, et qui minus docti sunt, ltem dubitabunt, et tenentur veritatem indagare, et nullus t tam ignorans, qui possit tuta conscientia temere jurare, n inquirendo prius quale sit juramentum. Quod maxime in nglia locum habet, quia cum sciant omnes Catholici, etiam stici, regem et consiliarios suos Pontificem maximo odio pro- qui, et fidem Romanam aversari, et in ipsa juramenti forma deant multa contra Pontificem abjurari, necesse est ut dubi- nt qualis illa abjuratio sit; ergo si temere juraut, non excusan- r a gravissimis culpis, quas in juramento subesse declaravi- us. Ac denique cum tale juramentum cedat in contemptum postolicæ Sedis, et in Religionis Christianæ detrimentum, non test admitti sine magno scandalo, ideoque Pastores et Docto- s Catholici illius Ecclesiæ quæ in Anglia est, non debent ta- re veritatem, et ignorantiam simplicium permittere, nam in jusmodi eventu minus malum est afflictionem temporalem erare, vel aliquorum inconstantium lapsus permittere, quam ritatem occultare aut dissimulare.

6. *Sequentia juramenti verba errorem continent, similemque recedenti.—Alius error ibi inclusus.*—Atque hic discursus, fac- s circa iniquam abjurationem justæ sententiæ, quæ a Pontifi-

ce contra regem ferri potest, applicari etiam potest ad simile abjurationem, quæ de omni absolutione a juramento fidelitati quam Papa subditis regis concesserit, fit per illa verba: «V quacumque absolutione dictorum subditorum.» Nam hæc verb etiam excedunt obedientiam politicam, quia Papam posse v non posse absolvere a juramento, non est materia obedienti civilis, sed est materia ecclesiastica, spectans ad interpretatio nem potestatis ligandi et solvendi, Petro datæ a Christo Dom no. Et præterea hæc verba sunt connexa cum præcedentibu et eumdem errorem continent. Quia obligatio obedientiæ quocumque ordine vel statu tantum durat in subdito, quantu in superiori durat dignitas, seu potestas, et jurisdictio, qu hæc sunt correlativa, et unum ab alio pendet. Unde tam prælationibus Ecclesiæ quam in magistratibus civilibus, eo ip quod persona superior a prælatione vel magistratu deponitu cessat in subditis obligatio obediendi tali personæ, quia jam nc sunt illi subditi. Quod etiam in Summo Pontifice locum habe si pontificatui renunciet, vel propter hæresim deponatur; i ergo si Pontifex potest regem deponere, potest etiam subdit ab ejus obedientia absolvere; ergo ut minimum est æqual error in abjuratione omnis absolutionis fidelitatis per Pontif cem factæ, ac in abjuratione omnis sententiæ depositionis. Adc vero novum errorem in hac posteriori parte involvi, quia etia sine depositione a regno, potest Pontifex præcipere subditis regi pertinaci in aliquo errore, vel publico ac scandaloso cr mine, non obediant, et absolvere illos pro tunc a juramen obedientiæ per modum suspensionis obligationis, potius qua absolutæ privationis, ut infra, tractando de censura excommun cationis, tractabimus.

7. *Licite possunt ac debent subditi proditionem in principe revelare.* - *Limitatio.*—Supersunt expendenda ultima verba hu jus paragraphi, in quibus petitur juramentum specialis promi sionis revelandi omnem proditionem, his verbis: «Omnemqu operam impendam revelare, et Majestati suæ, hæredibus

iccessoribus suis, manifestum facere omnes proditiones, et roditorias conspirationes, quæ contra illum aut aliquos illo-m ad notitiam vel auditum meum pervenerint.» Circa hanc go promissionem adverto, si verba ejus in simplici ac proprio nsu sumantur, honestam esse, nihilque continere quod vel lelitatem civilem excedat, vel sanæ doctrinæ repugnet. «Pro-tio» enim gravissimum crimen contra principem vel rempu-icam læsæ majestatis significat, quod vulgari sermone «trai-on» vocatur; hujusmodi ergo proditiones et proditoriæ nspirationes, etiam seclusa speciali promissione, tenentur sub-ti revelare regibus suis legitimis, tum ex lege charitatis, et etatis ac observantiæ erga illos et rempublicam; tum etiam ex tulo subjectionis et fidelitatis, quam ex ipsa lege naturæ ratio-e illius subjectionis suo principi debent; ideoque hanc obliga-onem promissione et juramento firmare et augere, honestum sanctum est. Oportet autem ut verba illa: «Quæ ad notitiam el auditum meum pervenerint», sano modo intelligantur de otitia mere humana, et quæ per sacramentalem confessionem mparata non sit; nam confessionis sigillum in nullo casu reve-re licet, ut mox dicam. Et quidem si verba hujus promissionis mpliciter (ut dixi) acciperentur, de se illam declarationem et nitationem includunt, quia (inter Christianos, et Catholicos æsertim) illa verba juxta communem eorum sensum, genera-er seu indefinite prolata, non alium sensum referunt, nec ajorem obligationem inducunt.

8. *Si proditio in sensu improprio sumatur, revelanda non est. Nec talis revelatio licite promitti juramento potest.* — Quamvis tem hoc verum sit, ex vi verborum loquendo, et non consi-ratis peculiaribus circumstantiis, nihilominus, his omnibus nsatis, duplex fraus vel deceptio in illis verbis cavenda est. na est, quia nomine «proditionis» rex non intelligit tantum am quæ vere et in re ipsa proditio est, sed etiam omnem am quæ suo judicio, et juxta præcedentium clausularum erro-s, proditio existimatur. Itaque etiam si rex sit per Pontificem

legitime depositus, et subditi sint a vinculo juramenti et obe-
dientiæ regi debitæ per eumdem Pontificem legitime liberati c
absoluti, omnem regni vel reipublicæ, aut subditorum conspi
rationem ad depellendum regem, seque ab ejus tyrannide (s
forte eam exercet) liberandum, vocabit rex proditionem et pro
ditoriam conspirationem, cum tamen revera talis non sit, se
justa defensio, vel justum bellum aut supplicium, ut in capit
sequenti ostendam. Intelligendo ergo proditionem in hoc sen
su, injusta est talis promissionis exactio, et turpe esset ac sa
crilegum illam jurare, tum quia illa, ut dixi, non est proditi
nam in eo casu potius est servanda fides reipublicæ, seu com
munitati subditorum vi oppressorum, quam tyranno qui illi
injuste premit, cum vere jam non sit rex; tum etiam quia tun
obligat naturale secretum, sub quo notitia talis conspiration
habetur, quia est de re justa, et necessaria ad commune bonu
communitatis, quæ juste se defendit, ideoque promissio illi se
creto contraria neque obligat, neque potest esse honesta, a
proinde neque sancte jurari potest. Quocirca illa verba per s
spectata, et solitarie, ut sic dicam, sumpta, possent suspicion
carere; nihilominus, ut conjuncta præcedentibus, cavenda sunt
quia hic posterior sensus videtur maxime a rege intentus.

9. Alia fraus esse potest, quia promissio videtur fier
etiam si per confessionem sacramentalem comparata sit: ban
enim fuisse mentem regis, et eorum qui formam illam jura
menti ediderunt, inde colligi potest, quod apud illos nulla es
sacramentalis confessio, et sigillum confessionis pro nihilo du
cunt, nullumque discrimen inter illam notitiam et quamcum
que aliam constituunt. Neque de hac regis mente multum du
bitabit, qui ea, quæ de sigillo confessionis in sua Præfat
pag. 147, scripsit, attente consideraverit. Ibi enim licet fatea
tur scholasticos Doctores, ex quo in Ecclesia esse cœperun
omnes asseruisse, quidquid confessario sub confessionis vel
retegitur, quantumcumque noxia et periculosa res sit, tene
eum confitentis nomen celare, nihilominus doctrinam ita pro

nit, ut illam potius irridere videatur. Ait enim, «ex quo isti holastici Doctores in Ecclesia esse cœperunt, cœpisse etiam tiquæ Theologiæ fundamenta nobis e philosophia petitis la-factari;» significans sententiam illam de sigillo confessionis hunc Theologiæ lapsum seu defectum pertinuisse. Sed non norat orbis christianus, hujus temporis novatores Theologiam holasticam odio habere, vel quia illam ignorant, vel quia eo-m errores accuratius detegit et impugnat. Verumtamen fun-menta illius doctrinæ et sententiæ de sigillo confessionis tiquiora esse Doctoribus scholasticis, semperque eadem in cclesia fuisse et nunc esse, alibi a nobis ex professo probatum t, neque nunc potest obiter pro dignitate tractari, neque est cessarium, cum rex in citato loco de doctrina illa quoad hanc rtem contendere noluerit.

10. *Crimen Garneto impositum.* — Addit vero neminem an-quorum scholasticorum inficiari, si quid confessario patefac-m fuerit, cujus occultatio magnum nocumentum possit rei-blicæ creare, quoties id acciderit, confessarium posse et bere, quamvis hominem celet, rem indicare, ut periculo oc-rrat. Quam doctrinam tam certam esse opinatur, ut dicat, ntrariam, quam Jesuitis tribuit, novum et periculosum dogma ntinere, ita ut neque rex, neque respublica possit esse secura i doctrina illa assertores invenerit. Hanc vero doctrinam eam causam ibi proponit et exaggerat, ut Henricum Garnetum nquam conscium proditionis non revelatæ accuset, illiusque rticipem, non admissa excusatione secreti confessionis, effi-at. Quamvis hac criminatione non contentus addat postea et tendere conetur, Garnetum non in confessione, sed extra sa-amentum, conspirationis illius notitiam habuisse. Sed quod factum Garneti spectat, nihil ex certa scientia dicere pos-m, quia nec præsens adfui, nec certam illius rei historiam gere potui. Scio tamen Garnetum, quem per annos plures fa-liariter cognovi, magnis animi dotibus a Deo ornatum fuisse; m, præter ingenii præstantiam, et egregiam eruditionem,

magnum animi candorem, et morum integritatem, ac probita
tem in illo semper observavi, quam usque ad mortem custodis
se, certis indiciis ac testimoniis semper intellexi. Quamobren
in servando proditionis secreto, sive antequam comprehendere
tur, sive in confessione judiciali præstanda, magnam pruden
tiam, fidelitatem hac veritatem servasse non dubito. Ideoqu
cum Cardinalis Bellarminus affirmet, testes multos, et unus
imprimis gravem, et omni exceptione majorem, sancte affir
masse, in ipso mortis articulo ex ore Garneti audivisse, se illiu
proditionis conscium non fuisse, nisi in confessione sacramen
tali, utrisque fidem adhibendam censeo, scilicet, et Garnet
neganti se aliam notitiam habuisse, et testibus affirmantibu
Garnetum id negasse. Neque indigne ferat rex, si fidelium e
Catholicorum testimonium, hæreticorum, qui ipsi regi imposue
runt, testimoniis præferamus.

11. *Res, in confessione audita, ob rationabilem causam, ce
lata persona, manifestari potest.—Prima limitatio hujus doctrin*
—Quod vero ad jus pertinet, seu ad doctrinam asserentem, re
in confessione auditam posse ad ingens detrimentum vitandum
non revelata persona, indicari, dicimus illam quidem absolu
veram esse, et a Jesuitis nunquam negatam fuisse; nam Bella
minus, in sua Apologia, illam ingenue admittit, c. 13; et eg
in tom. 4, de Pœnit., disp. 33, secretum confessionis et pra
ceptum ejus ex professo declarans, in sect. 3, n. 8, exposu
secretum illud intelligendum esse cum relatione ad persona
peccatoris, et ideo propter utilitatem posse confessorem loq
de re ipsa, tacendo personam, quod in sect. 7 iterum confi
mavi et declaravi. Neque rex poterit auctorem Societatis os
tendere, qui contrariam doctrinam docuerit. Adhibent tamc
declarationes necessarias, ne quis doctrina illa abutatur. Una
in defensionem Garneti, et regi respondendo, acute sane, a
prudenter adhibuit Bellarminus noster, dicens, licere quide
de proditione in confessione cognita generalibus verbis princ
pem admonere, ut periculum caveat, sed tamen intelligendu

esse de principe imprimis catholico, qui religionem confes-
nis sacramentalis credat, et in debita reverentia habeat; ac
inde de principe pio ac christiano, de quo præsumi non pos-
, aliquid ultra fas interrogaturum. Alioqui neque sacerdos
ietur in tanto periculo et discrimine se constituere, nec de-
t, aut licite potest secretum confessionis illi revelare, quem
t et confessionem pro nihilo habere, et omnibus viribus co-
turum de persona proditoris interrogare et inquirere.

12. *Secunda limitatio.* — Atque huc spectat alia declaratio
neralis, doctrinam illam intelligendam esse, tunc licere de re
a in confessione cognita loqui, quando nec directe neque
lirecte revelatur persona. Unde, quia in moralibus periculum
entui æquiparatur (nam «qui amat periculum, peribit in illo»),
o qui de re ipsa ita loquitur, ut morali periculo exponat per-
nam confitentis, utique occasionem moralem præbendo, seu
rando viam ut in notitiam ejus perveniatur, contra sigillum
it, nam indirecte saltem revelat personam, et ideo id nulla
ione licet. Neque doctrina hæc sic intellecta est contra regum
t regnorum securitatem. Nam potius hæc tanta illius secreti
igio et observantia necessaria est, ut per confessionis viam,
per consilia et monita confessarii remedium aliquod hujus-
di proditionibus et iniquitatibus adhiberi posset, quod alias
ne cessaret; nam si pœnitentes de incolumitate sua per illud
cretum securi non fierent, nullus esset qui similia facta in
nfessione revelare auderet. Atque ita potius illi, qui vel con-
sionem irrident, vel ejus secretum labefactant, regum et
gnorum securitati parum consulunt.

13. Tandem (ut ad punctum nostrum, a quo digressi su-
is, revertamur) cum in formula juramenti rex Angliæ pro-
ssionem a subditis exigit, revelandi omnes proditiones quæ
eorum notitiam pervenerint, merito timere possunt, imo et
dere Catholici, sine ulla distinctione id postulari, sive noti-
illa sit per confessionem, et sive revelatio proditionis fiat
nul cum revelatione proditoris, sive cum morali ejus pericu-

lo, sive quocumque alio modo. In quo sensu etiam illa form excedit obedientiam civilem, et aliquid contra Catholicam rel gionem involvit. Ideoque etiam ex hac parte juramentum illu est valde suspectum, ac propterea merito possunt Catholici, prudentes viri majorem illius declarationem exigere, quamv propter alias causas simpliciter illud recusare teneantur.

CAPUT IV

Utrum in tertia parte juramenti aliquid ultra civilem obedien tiam et contra doctrinam catholicam contineatur

1. *Duplex tyrannorum genus.*—Post præcedentia juramen additur tertium in hæc verba: «Præterea juro, quod ex cor abhorreo et abjuro tanquam impiam et hæreticam hanc doctr nam et propositionem: Quod principes per Papam excommun cati vel deprivati possint per suos subditos, vel alios quoscu que deponi et occidi.» In his verbis tria expendere necessari est: primum, doctrinam ipsam; secundum, quo jure hoc jur mentum a subditis exigatur; tertium, quantum hæc verba il repugnent, quibus rex promittit ostendere, nihil in hoc jur mento præter obedientiam civilem contineri. Circa primu quoniam rex, de sua securitate sollicitus, sæpe inculcat vulg rem illam quæstionem; an liceat privatæ personæ vel subdi regem tyrannum interficere, et ab illius vera resolutione hu et aliarum partium intelligentia multum pendet, pauca de præmittere necessarium duxi. Duplex ergo a Theologis tyr nus distinguitur: unus est, qui non justo titulo, sed vi et i juste regnum occupavit, qui revera non est rex nec domin sed locum illius occupat, et umbram ejus gerit; alter est, licet verus dominus sit, et justo titulo regnum possideat, rannice regnat quoad usum, et gubernationem, quia, videlic

t omnia in proprium commodum, communi contempto, con-
tit, vel subditos injuste affligit, spoliando, occidendo, per-
tendo, vel alia similia publice et frequenter injuste perpe-
ndo. Talis fuit, verbi gratia, Nero, quem inter tyrannos,
os Deus interdum dominari permittit, numerat Augustinus,
. 5 de Civit., c. 19, sic legens illud Proverbiorum, 8 : «Per
reges regnant, et tyranni per me tenent terram.» Et inter
ristianos maxime est in hoc ordine numerandus princeps,
subditos suos in hæresim, vel aliud apostasiæ genus, vel
blicum schisma inducit.

2. *Princeps licet tyrannice gubernet non potest licite privata toritate interfici.*—Quæstio ergo præsens præcipue tractatur legitimo principe tyrannice gubernante, quia rex Angliæ de principibus loquitur, et quia in hoc ordine legitimorum re-
n nos illum habemus. Dicimus ergo principem propter ty-
nicum regimen, vel propter quævis crimina, non posse ab quo privata auctoritate juste interfici. Assertio est commu-
, et certa. Eam docuit D. Thomas, in lib. 1, c. 6, de Regi-
n. Princip., ubi optimis moralibus rationibus id confirmat.
m tradit Cajetan. 2, 2, quæst. 64, art. 3, ubi alii moderni;
Soto, lib. 5 de Justit., q. 1, art. 3; Molin., tom. 4 de Justit.,
t. 3, disp. 6; Azor, tom. 1, lib. 8, c. 12, q. 17, et c. 26,
7, et tom. 3, lib. 2, c. 2, q. 1 et c. 7, q. 30; Card. Toletus, in
nmæ, lib. 5, c. 6. Et Summistæ communiter, verb. «Tyran-
.» Consentiunt in hac veritate asserenda jurisperiti, Bartol.,
x., Socin., Card. Præposit., et alii, quos refert et sequitur
as, tract. de Crim. læsæ Majest., quæstione 65, per totam.
m tradit Lucas de Penna, in l. 1, C. «Ne armorum usus»,
11, et Conrad. Brun., tract. de Seditiosis, lib. 5, c. 2, n. 9
0; et Thomas Actius, opusc. de Ludo scaccor., q. 2, num 50;
et bene, pluresque referens Restaurus Castaldus, tract. de
erat., q. 82, per totam; et Parisius de Puteo, tract. de Sin-
t., § «An liceat occidere regem», qui hoc intendit, licet
fuse loquatur, ut infra dicam. Covarr., in epitom. 4 Decre-

tal., p. 2, c. 3, § 4, num. 6. Estque hæc veritas conformis præ ceptis Petri, 1 Epist., cap. 2: «Subditi estote omni creatur propter Deum, sive regi», etc. Et infra: «Servi estote domini non tantum bonis, sed etiam dyscolis.»

3. *Opposita doctrina ut hæretica damnatur.—Error Wicle et Joan. Hus.*—Magis vero in specie definita est, et contrari ut hæretica, damnata in Concilio Constantiens., sess. 15, u (ut lib. 5 retuli) damnatur articulus hic: «Tyrannus potest debet licite et meritorie occidi per quemcumque vasallum suu et subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles bland tias, vel adulationes, non obstante quocumque præstito jur mento, seu confœderatione facta cum eo, non spectata senten vel mandato judicis cujuscumque.» Declaratque Concilium es hæreticos, et ut tales puniendos, qui hunc articulum pertin citer defenderint. Hæc enim definitio, ut omnes auctores m derni intelligunt, procedit de tyranno in regimine, non in ti lo et usurpatione regni, quod ex verbis ipsis licet colligi Nam vasallus et subditus proprie dicuntur respectu veri pri cipis et superioris. Item verba illa: «Non obstante quocumq præstito juramento», includunt etiam juramenta legitime fa veris regibus, nam verba universalia sunt. Unde non est d bium quin auctor illius articuli saltem fuerit universaliter cutus de omni tyranno, sive in titulo, sive in regimine, ut ejus verbis et exaggerationibus constat. Item quia ille articu ex doctrina Wicleph et Joannis Hus ortus est, qui diceba dominos temporales per quodlibet peccatum mortale amitt principatum ipso facto, et ideo posse per suos subditos ad su arbitrium corripi, ut in eodem Concilio, sessione octava, hab tur. Concilium autem damnat articulum propter suam univer litatem et præcipitationem, quam statim præ se fert in om bus particulis et ampliationibus suis, præcipueque damnat ill quatenus veros reges et principes tyrannice gubernantes co prehendit. Potest autem etiam extendi ad tyrannum propr simum per injustam regni usurpationem et retentionem

n omnibus illis exaggerationibus temere asseratur, scilicet, on obstante quocumque præstito juramento, vel confœdera- ne facta cum eo», nam hoc est falsum, et contra rationem uralem, quæ dictat pacta, præsertim jurata, servanda esse.

4. *Fundamentum veræ doctrinæ.*—Ratio autem assertionis , quia rex tyrannice gubernans, vel posset occidi a quolibet dito privato titulo justæ vindictæ et punitionis, vel titulo æ defensionis suæ, vel reipublicæ. Primum est omnino fal- n et hæreticum, quia potestas vindicandi vel puniendi de- a non est in privatis personis, sed in superiori, vel in tota mmunitate perfecta; ergo privata persona, occidens princi- n suum illo titulo, usurpat jurisdictionem et potestatem, m non habet; ergo peccat contra justitiam. Major de fide ta est, eamque tradit Augustinus, lib. 1 de Civit., c. 17 et 18, ens: «Non licet alicui privata potestate hominem occidere entem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit»; et 21 et 26, dicens. «qui alium occidit sine publica potestate sve imperio justo, homicidam esse.» Ratio vero est, tum a vindicta et pœna delictorum ordinatur ad commune bo- n reipublicæ, et ideo non est commissa, nisi ei cui publica estas gubernandi rempublicam commissa est; tum etiam quia ire est actus superioris et jurisdictionis; ergo si a privato , est actus usurpatæ jurisdictionis; tum denique quia alias ueretur infinita confusio et perturbatio reipublicæ, et dare- occasio seditionibus et homicidiis. Quod si hac ratione ho- idium est, propria auctoritate occidere privatum hominem, m homicidam, latronem et assassinum, multo majus crimen manus in principem, licet iniquum et tyrannum, propria toritate extendere. Denique alias nulla posset esse in regi- et principibus securitas, nam facile vasalli conqueruntur d ab eis injuste tractentur.

5. *Liceatne in defensionem propriæ vitæ principem occidere.* lter vero titulus defensionis, licet fortasse in aliquo casu sit habere locum, non tamen in eo de quo tractamus, scili-

cet, an possit rex occidi a privato propter solam tyrannica gubernationem. Itaque distinguere oportet an quis defendat ipsum, vel rempublicam; item si se ipsum, an defendat vita aut membra, seu gravem corporis mutilationem, vel tantu defendat bona externa et fortunæ. Nam propter solam defe sionem externorum bonorum, non licebit regem invadent occidere, tum quia præferenda est vita principis his bonis e ternis, propter dignitatem ejus, et quia Deum singulari quod modo repræsentat, ejusque locum tenet. Tum etiam quia pr ceps habet quamdam superiorem administrationem bonor omnium subditorum, et licet ille fortasse excedat, non prop rea usque ad interfectionem illi resistendnm est; satis est en quod ipse obligatus maneat postea ex justitia ad res abla restituendas vel compensandas, et quod subditus possit il exigere, prout sine violentia potuerit. At vero si defensio propriæ vitæ, quam rex violenter auferre aggreditur, tunc q dem ordinarie licebit subdito se ipsum defendere, etiam si i mors principis sequatur, quia jus tuendæ vitæ est maximum tunc princeps non est in necessitate, quæ obliget subditum vitam pro illo pendendam, sed ipse voluntarie et inique in discrimine se constituit. Dico autem «ordinarie», nam si morte regis respublica perturbanda esset, aliave magna inco moda contra commune bonum esset passura, tunc charitas triæ et boni communis obligaret ad non interficiendum rege etiam cum mortis propriæ discrimine; sed hæc obligatio ad dinem charitatis spectat, de quo nunc non tractamus.

6. *Quid in reipublicæ defensionem.*—At vero si sermo de ipsius reipublicæ defensione, hæc non habet locum, supponatur rex actu aggrediens civitatem ut illam injuste p dat, et cives interficiat, vel quid simile. Et tunc certe lice principi resistere, etiam occidendo illum, si aliter fieri non p sit defensio. Tum quia si pro vita propria hoc licet, multo m gis pro communi bono; tum etiam quia civitas ipsa seu res blica tunc habet justum bellum defensivum contra injust

asorem, etiam si proprius rex sit; ergo quilibet civis, ut mbrum reipublicæ, et ab ea vel expresse vel tacite motus, est rempublicam defendere in eo conflictu, eo modo quo porit. At vero in præsenti non tractamus de illo casu, in quo actu infert bellum aggressivum ipsi reipublicæ ad destruenm illam, et multitudinem civium occidendum, sed quando in e regnans aliis modis rempublicam vexat, eisque noxius est, tunc non habet locum defensio per vim vel insidias contra vi- regis, quia tunc non infertur actualis vis reipublicæ, quam repellere liceat. Unde tunc aggredi principem esset bellum tra illum movere privata auctoritate, quod nullo modo licet, ia ordo naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poscit, suscipiendi belli auctoritas penes rempublicam seu princin sit», ut dixit Augustinus, lib. 22 contra Faustum, cap. 74. m quia, sicut non licet mala commissa ab aliquo per mortem s propria auctoritate vindicare, ita nec licet mala futura, e ab eodem timentur, per ejusdem interfectionem propria toritate impedire. Est enim eadem ratio, et in privatis maleoribus est evidens; idem ergo majori ratione in principe um habet.

7. *Tyrannus in titulo licite occiditur.* — Ut autem doctrinam c amplius illustrare, et ad præpositam jurandi clausulam a melius applicare possimus, necessarium prius est de altemembro, id est, de tyranno in ipso titulo, dicere, an præces doctrina in illo locum habeat, necne. Communiter enim r hæc duo genera tyrannorum constituitur discrimen, nam eritur hunc tyrannum quoad titulum, interfici posse a quanque privata persona, quæ sit membrum reipublicæ quæ nnidem patitur, si aliter non potest rempublicam ab illa nnide liberare. Ita sentit D. Thomas, in 2, dist. 44, quæ secunda, art. 2, in corpore et ad ult., quem fere omnes tores citati secuti sunt, et videri potest Conr. Brun., tract. Seditios., lib. 6, cap. 3, ubi varia refert exempla; sunt ta- ex justis et injustis actibus coacervata, et ideo non probant

jus, sed usum. Ratio ergo est, quia tunc non occiditur rex a princeps, sed hostis reipublicæ. Quomodo idem D. Thom lib. de Regim. Princip., c. 6, defendit factum Aod, Judic. qui, cum esset privata persona, Eglon, regem Moab, cui se viebat Israel, interfecit, quia non erat verus rex populi D sed hostis et tyrannus. Idemque tradit Abulens, ibi, q. 26, addit a quolibet Israelita potuisse occidi. Sic etiam Judith H lofernem interfecit, Judith., 13. Estque simile factum Ja occidentis Sisaram, Judic., 4, quod laudatur c. 5. Sic eti D. Thomas in priori loco approbat sententiam Ciceronis, l dantis eos qui Cæsarem interfecerunt, qui non justo titulo, per vim et tyrannidem imperium usurpabat. Ideo etiam Doc res dicunt, contra hunc tyrannum non committi crimen la majestatis, quia in tali tyranno nulla est vera majestas. Dic etiam nomine «principis» non venire hujusmodi tyrannum, ideo decreta, quæ dicunt, Non licet principem interficere, h tyrannum non comprehendere, ut videri potest in Gigan tract. de Crimi. læsæ Majest., q. 65.

8. *Quæ requirantur ut tyrannus in titulo, licite a priv occidi possit.*—Addit vero supra D. Thomas limitationem, nir rum hoc licere quando nullus recursus est ad superiorem, quem judicium de invasore fieri possit. Quæ limitatio locum h bet maxime quando tyrannis non a supremo principe, sed inferiori aliquo exercetur. Non enim soli reges, sed eti inferiores domini potentes possunt per tyrannidem domini aliquod, vel jurisdictionem, vel magistratum usurpare. T ergo licet in actu aggressionis possit populus invadenti resi re, tamen postquam jam facto possidet et dominatur, non p sunt propria auctoritate illum occidere, nec novum bell contra eum movere, si posunt ad superiorem recurrere. Q cum habeant superiorem, non licet eis propria auctoritate g dium sumere, minusque licebit cuicumque privatæ perso alias omnia perturbarentur, magnaque confusio in repub oriretur. Et ob eamdem causam, etiam quando non est supe

quem recurratur, necessarium est ut tyrannis et injustitia publica et manifesta; nam si sit dubia, non licebit per vim pellere eum, qui possidet, cum in dubio melior sit ejus conditio, nisi certum etiam sit possessionem fuisse tyrannicam. Præterea, ut licita sit occisio talis tyranni, oportet, necessaria ad libertatem regni obtinendam, nam si alia via minus cruenta possit tyrannus depelli, non licebit statim eum occidere de majori potestate, et causæ examinatione.

9. *Alia limitatio.—Ultima conditio.*—Præterea intelligendum est communis sententia, nisi inter tyrannum et populum pactus aliquod, vel tregua, aut pactum juramento firmatum intercesserit, ut notavit Abulens, supra, nam pacta et juramenta etiam cum hostibus servanda sunt, nisi fortasse fuerint evidenter iniqua, et coacte facta. Alia etiam limitatio adhibenda est, nisi eadem vel majora mala reipublicæ timeantur ex intercessione tyranni, quam sub illo patiatur. Et ita dixit Bart., Act. de Guelfis et Gibellinis, licere in eo casu occidere tyrannum propter commune bonum, non propter privatum. Nam si quis occidat tyrannum ut ipse potiatur imperio per similem tyrannidem, non excusatur a culpa homicidii, præter novam tyrannidem. Item, si credatur filium tyranni, vel alium similem ejus socium, eadem mala illaturum reipublicæ, non licebit, quia fit malum sine spe majoris boni, et quia tunc revera non defenditur respublica, nec liberatur a tyrannide, quo solo titulo illa mors honestatur. Denique oportet ut respublica non contradicat expresse, nam si expresse repugnet, tunc non solum non præbet auctoritatem singulis personis, sed etiam declarat defensionem non esse sibi convenientem, cui in hoc standum est, et inde consequenter fit ut non sit licitum privatæ personæ defendere tunc rempublicam per mortem tyranni.

10. *Aliorum sententia.*—His vero non obstantibus, non desunt auctores quibus hæc distinctio et sententia non placeat, sed distincte dicendum putent non esse licitum privatæ perso-

næ interficere tyrannum, sive in solo regimine, sive etiam titulo tyrannus sit. Ita sentit Castro, l. 14 adv. hær, ver «Tyrannus». quatenus indistincte loquitur, et eodem modo inte ligit Concilium Constantiense, et omnes ejus rationes eo ten dunt. Expressius id dixit Azor dictam communem sententiam r probando, in tom. 2, lib. 11, c. 5, q 10. Fundatur primo, qu Concilium Lateranense absolute et generaliter de tyranno loqu tur. Secundo, quia Augustinus, 1 de Civit., absolute etiam d cit, sine publica administratione non licere aliquem occider Tertio, quia D. Thomas non dicit hunc tyrannum laudabilit occidi a quolibet privato, sed indefinite, laudabiliter occi Quarto, quia nullus malefactor jure interfici potest, neque h qui possidet, facto dejici potest, nisi prius audiatur et judic tur. Nec sufficit evidentia patrati sceleris, nisi sententia pra cedat.

11. *Ejus reprobatio.— Respondetur ad Augustinum.*—S hæc parum cogunt contra receptum sententiam Nam Conc lium Lateranense, ut dixi, non definit universalem propositi nem negativam, Nullus tyrannus occidi potest, sed damnat un versalem affirmativam, Omnis tyrannus occidi potest, et n absolute prolatam, sed cum multis ampliationibus, et ideo ej definitio reducitur ad hanc indefinitam, Non omnis tyrann occidi potest ante sententiam contra illum prolatam, ex q nullum argumentum contra communem sententiam sumi p test. Ad Augustinum respondeo, illum privatum hominem, q hujusmodi tyrannum occidit, non id facere sine publica adm nistratione, quia vel id facit auctoritate reipublicæ tacite co sentientis, vel facit auctoritate Dei, qui per naturalem l gem dedit unicuique potestatem defendendi se, et rempublica suam a vi quam similis tyrannus facit. Ad D Thomam respo demus, satis clare loqui. nam in corpore illius articuli dic «Cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere»; solutione vero ad 5, per vocem illam «aliquis», aperte decla privatam personam, tum ita interpretando verba Ciceronis

rfectoribus Julii Cæsaris; tum quia ita concludit: «Tunc
n qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur, et
emium accipit.» Ad ultimam rationem dicitur, illam proce-
e, quando aliquis vel in pœnam delicti interficiendus est,
privandus his bonis quæ possidet quiete, et sine conflictu
ıali, formali aut virtuali; in nostro autem casu non de vin-
ta, sed de defensione agitur, nec tyrannus quiete possidet,
per vim actualem, quia, licet fortasse respublica non mo-
t bellum, quia non potest, nihilominus (ut recte Cajetanus
at) semper gerit bellum implicitum, quia renititur quantum
est.

12. *Nova difficultas proponitur.*—Hinc vero nova difficul-
suboritur, quia juxta doctrinam hanc nulla est differentia
er utrumque casum seu tyrannum. Quia etiam tyrannum
ad titulum non licet occidere auctoritate privata, sed publi-
hoc autem modo etiam licet occidere regem tyrannice gu-
nantem. Unde argumentor ulterius, quia vel tyrannus in
lo interficiendus est ad vindictam sui sceleris, vel titulo
ensionis. Priori modo, jam dictum est non posse interfici a
libet privata persona auctoritate privata, tum quia punire
actus jurisdictionis et superioris, ut supra dixi; tum etiam
a nec ipsa respublica a tali tyranno offensa posset hoc modo
m punire, nisi publico consilio, cognita causa, et sufficien-
judicata, et ideo ut privata persona id faciat, non sufficit
tus vel præsumptus consensus reipublicæ, sed requiritur
ressa declaratio per specialem, vel saltem per generalem
missionem. Unde etiam hoc titulo non licet extraneæ per-
æ privatæ, imo nec publicæ non habenti jurisdictionem in
m tyrannum, illum hoc titulo interficere sine expressa com-
sione reipublicæ offensæ. Si autem hoc tantum licet privatæ
sonæ titulo defensionis, sic nulla est differentia inter utrum-
tyrannum, quia etiam titulo de fensionislicet privatæ perso-
occidere regem verum tyrannice invadentem suum proprium
num, vel civitatem, ut diximus. Item illo modo non licet ta-

lis interfectio ex potestate tacite concessa a republica membr
suis, sed ex auctoritate Dei, qui per legem naturalem unicuiqu
dedit facultatem defendendi se et patriam suam, imo et quem
bet innocentem. Ideoque hoc titulo occidere tyrannum, non s
lum membris reipublicæ, sed etiam extraneis licet in utroq
casu et tyranno; nulla ergo est differentia.

13. *Explicatur difficultas.* — Respondeo imprimis ad ul
mam interrogationem, verum esse, tyrannum sine justo titu
regnum occupantem non posse a quolibet privato juste interf
per modum vindictæ seu punitionis, hoc enim convincunt arg
menta facta in priori membro dilemmatis. Unde quoad h
fateor non esse discrimen inter hunc et tyrannicum rege
quoad absolutam rationem injustitiæ, licet respectu proprii r
gis sit longe gravius crimen, et læsæ majestatis, quod non
respectu alterius tyranni, sed simplex injustitia, et usurp
jurisdictio. Superest ergo ut tantum jure defensionis liceat p
vatæ personæ hunc tyrannum occidere; in hoc vero est mag
differentia inter hunc et regem pravum. Nam rex licet tyrann
gubernet, quamdiu non movet actuale bellum injustum con
rempubicam sibi subditam, non infert illi actualem vim, et id
respectu illius non habet locum defensio, neque ullus subdi
potest hoc titulo illum aggredi, aut bellum contra ipsum m
vere. At vero proprius tyrannus quamdiu regnum injuste de
net, et per vim dominatur, semper actu infert vim reipubli
et ita ipsa semper gerit cum illo actuale seu virtuale bellu
non vindicativum, ut sic dicam, sed defensivum. Et quam
contrarium non declarat, semper censetur velle defendi a qu
libet suorum civium, imo etiam a quolibet extraneo; ideoqu
aliter defendi non potest, nisi interficiendo tyrannum, cuili
de populo licet illum interficere. Unde etiam in rigore, ver
est id non fieri tunc auctoritate privata, sed publica, vel po
regni volentis a quolibet cive tanquam a membro et organo
defendi, vel Dei auctoris naturæ dantis cuicumque homini po
tatem defendendi innocentem. Unde etiam in hoc non est c

men inter utrumque tyrannum; neuter niem potest occidi toritate privata, sed necessaria semper est potestas publica. erentia vero est, quod hæc potestas censetur commissa cui- t particulari personæ contra proprium tyrannum, non vero tra proprium dominum, propter discrimen declaratum.

14. *Altera difficultas. — Qua ratione rex hæreticus dominio ni privetur.* — Hinc vero nascitur nova difficultas præsenti ituto necessaria. Nam ex hac posteriori resolutione de pro- tyranno sequitur, priorem de rege tyrannice gubernante m procedere ante sententiam depositionis contra talem re- latam, non vero post illam, quod male fert rex Angliæ, et minatione dignum est. Nam sequela habet imprimis mag- fundamentum in Concilio Constantiensi; quia illud tantum uitur de interficiente principem tyrannum privata auctori- e, «non expectata sententia vel mandato judicis cujuscum- »; sic enim Concilium Constantiense contrariam assertionem nnavit; ergo si judex legitimus talis regis, quicumque ille vel esse possit, contra illum justam sententiam tulit, qua ipso facto a regno deposuit, jam non procedit Concilii de- tio. Deinde cessat etiam ratio facta, et ita non habebit tunc m prima assertio, ut proposita est. Nam tunc jam supponi- expectata sentencia justa et legitima, et sic non procedit ressor auctoritate privata, sed in virtute sententiæ, et con- uenter ut instrumentum auctoritatis publicæ. Denique post- m rex legitime depositus est, jam non est rex neque prin- s legitimus, et consequenter non potest in illo subsistere rtio, quæ de legitimo rege loquitur. Imo, si rex talis, post ositionem legitimam in sua pertinacia perseverans, regnum vim retineat, incipit esse tyrannus in titulo, quia non est timus rex, nec justo titulo regnum possidet. Declaratur hoc lius in rege hæretico, nam statim per hæresim ipso facto atur aliquo modo dominio et proprietate sui regni, quia vel fiscatum manet, vel ad legitimum successorem catholicum jure transit, et nihilominus non potest statim regno priva-

ri, sed juste illud possidet et administrat, donec per sententia saltem declaratoriam criminis condemnetur, juxta cap. «Cu secundum leges», de Hæret., in 6. At vero post sententia latam omnino privatur regno, ita ut non possit justo titulo ill possidere; ergo ex tunc poterit tanquam omnino tyrannus tra tari, et consequenter a quocumque privato poterit interfici.

15. *Difficultatis declaratio.—Respublica quando possit reg tyrannice gubernantem regno privare.*— Hæc difficultas suppon contra regem supremum etiam in temporalibus, posse depos tionis pœnam, et privationis regni sententiam ferri, quod r Angliæ audire detrectat; est autem verissimum, et ex princip positis in l. 3 evidenter colligitur, et in sequentibus iteru dicetur. A quo vero possit talis sententia ferri, magna quæs est; breviter tamen nunc supponimus, potestatem hanc dep nendi regem esse posse vel in ipsa republica, vel in Sum Pontifice, diverso tamen modo (1). Nam in republica solum p modum defensionis necessariæ ad conservationem suam, supra lib. 3, cap. 3, dixi. Ideoque si rex legitimus tyranni gubernet, et regno nullum aliud subsit remedium ad se defe dendum, nisi regem expellere ac deponere, poterit respubli tota, publico et communi consilio civitatum et procerum, rege deponere, tum ex vi juris naturalis, quo licet vim vi repelle tum quia semper hic casus, ad propriam reipublicæ conserv tionem necessarius, intelligitur exceptus in primo illo fœde quo respublica potestatem suam in regem transtulit. Et l modo accipiendum est quod ait D. Thomas 2. 2, q. 42, art. et 3, non esse seditiosum resistere regi tyrannice gubernan utique si legitima potestate ipsius communitatis, et pruden sine majori populi detrimento fiat. Ita etiam exposuit id D. Thomas, lib. 1 de Regimin. Princip., c. 6; et discipuli ej Soto, l. 5 de Just., q. 1, art. 3; Bannez, 2. 2, q. 64, art.

(1) Vide Sotum, lib. 5 de Just., q. 1, art. 3; Azor., tom. 2, lib. c. 5, q. 8 et 9.

b. 2; Molin., tom. 4, de Just., tract. 3, disp. 6. Aliqui vero jurisperitis allegatis confuse in hoc puncto loquuntur, nam ris. de Puteo supra, et Antonius Massa, tract. contr. Duel., 78 et 79, ita hoc affirmant, ut in singulis etiam civibus illam entiam concedere videantur; e converso autem Restaur. stal., dicta quæst. 82, ita repugnat, ut etiam communitati id gare videatur; sed juxta prædicta temperandi sunt.

16. At vero in Summo Pontifice est hæc potestas tanquam superiori habente jurisdictionem ad corripiendum reges, am supremos, tanquam sibi subditos, ut supra ostensum est. de si crimina sint in materia spirituali, ut est crimen hære- potest directe illa punire in rege, etiam usque ad deposi- nem a regno, si pertinacia regis et providentia communis i Ecclesiæ ita postulent. Si vero vitia sint in materia tem- ali, quatenus peccata sunt, etiam potest illa corripere per ectam potestatem; quatenus vero fuerint temporaliter nociva ublicæ Christianæ, indirecte saltem poterit ea punire, qua- us tyrannicum regimen temporalis principis semper etiam saluti animarum perniciosum.

17. *Regnum christianum in deponendo rege tyranno a Pon- e pendet.* — Imo addendum ulterius, licet respublica seu num hominum, ex sola rei natura spectatum prout fuit inter tiles, et nunc est inter ethnicos, habeat potestatem, quam mus, se defendendi a tyranno rege, et illum deponendi in finem, si necessarium fuerit, nihilominus regna christiana ad hoc habere aliquam dependentiam et subordinationem ad tificem Summum. Primo, quia potest Pontifex alicui regno cipere, ut se inconsulto contra regem suum non insurgat, illum non deponat, nisi prius causa et ratione ab ipso cog-, propter moralia pericula, et animarum dispendia, quæ in tumultibus popularibus moraliter interveniunt, et ad vitan- seditiones et injustas rebelliones. Unde in historiis legimus, semper regna in hujusmodi casibus Pontifices consuluisse, tiam ab eo petivisse, ut regem ineptum vel tyrannum de-

poneret. Ut de Childerico, rege Galliæ, tempore Zachari Papæ, cap. «Alius», 15, quæst. 6, et de aliis supra, lib. 3, c. 2 relatum est; et de rege Lusitaniæ Sancio II, tempore Innocen tii IV, referunt late Lusitanæ historiæ, fuisse a Pontifice ab ad ministratione regia depositum (1), licet non regno privatum, u refertur etiam in c. «Grandi», de Supplend. neglig. Prælat rum, in sexto. Secundo, pendet regnum Christianum a Pont fice in hoc, ut possit Pontifex non solum consulere, aut cor sentire ut regnum regem sibi perniciosum deponat, sed etia præcipere et cogere ut id faciat, quando saluti spirituali regn et præsertim ad vitandas hæreses vel schismata necessariu esse judicaverit. Quia tunc maxime habet locum usus potesta tis indirectæ circa temporalia propter spiritualem finem, et qu potest per se immediate regem deponere in tali casu; ergo p test cogere regnum, ut id exequatur, si necessarium sit, ali esset ejus potestas non solum inefficax, sed etiam insufficien Denique, quia tale præceptum in illo casu justissimum est.

18. *Post justam sententiam declaratoriam, quo modo rex p niri queat.* — Hoc ergo supposito fundamento, dicendum est puncto ultimo proposito, post sententiam condemnatoriam reg de regni privatione, latam per legitimam potestatem, vel, qu perinde est, post sententiam declaratoriam criminis habent talem pœnam ipso jure impositam, posse quidem eum, qui se tentiam tulit, vel cui ipse commiserit, regem privare regn etiam illum interficiendo, si aliter non potuerit, vel si justa se tentia ad hanc etiam pœnam extendatur. Non tamen stat posse regem depositum a qualibet privata persona interfici, ir neque per vim repelli, donec ei præcipiatur, vel generalis ha commissio in ipsa sententia vel jure declaretur. Prior pars ev denter sequitur ex præcedenti principio; nam qui potest al quem juste condemnare, potest etiam pœnam exequi per se, v

(1) Duar. Nunes, 1 part. Chronicæ in Sancio II, alias Capello.

auxilia ad id necessaria, alias frustra esset illa potestas di-
di jus sine potestate efficaciter coactiva. Atque hac ratione,
ait Augustinus, lib. 1 de Civit., c. 26, recte facit minister
is interficiendo hominem ex præcepto regis, quia tunc magis
estatem regis quam suam exequitur. Ita ergo, quando res-
blica juste potest regem deponere, recte faciunt ministri ejus
em cogendo, vel interficiendo, si sit necesse, quia jam non
estate privata, sed publica operantur. Sicque recte dixit
o, lib. 5 de Justit., quæst. 1, art. 3, licet rex, in solo regi-
ne tyrannus, non possit a quolibet interfici, «lata vero sen-
tia, quisque» (inquit) «potest institui executionis minister.»
demque modo si Papa regem deponat, ab illis tantum pote-
expelli vel interfici, quibus ipse id commiserit. Quod si nulli
cutionem imperet, pertinebit ad legitimum in regno succes-
em, vel, si nullus inventus fuerit, ad regnum ipsum specta-
. Et ita tradunt Doctores, servandum esse in crimine hæ-
s, quando rex hæreticus per publicam sententiam regno
vatus declaratur, ut videri potest in Castro, lib. 2 de Just.
et. punit., cap. 7; Siman., de Cathol. institut., tit. 46,
n. 75.

19. *Privatum propria auctoritate non posse morte damnatum dere.* — Atque ex his facile probatur altera pars, quia, licet uis sit ad mortem juste damnatus, non potest quilibet pri-
us suo nutu illum occidere, nisi præcipiatur ab habente toritatem, vel aliter moveatur, quia nemo potest alium oc-
ere, nisi vel superior habens in se talem potestatem, vel mi-
er ejus; non potest autem dici minister, nisi a principali estate moveatur. Quod si hoc verum est respectu cujuscum-
malefactoris, majori profecto ratione respectu principis edit. Dicet forte aliquis sufficere motionem implicitam seu tam reipublicæ, quæ, eo ipso quod regem deposuit, vult ab ibus expelli et cogi, et si resistat, etiam occidi. At hoc fal-
est, et contra rationem cogitatum seu fictum; nam judex demnans privatum hæreticum vel malefactorem, non statim

facit omnibus facultatem in illum animadvertendi; ergo n respublica vel Papa regem hæreticum vel aliter tyrannicu condemnans, omnibus talem licentiam concedit, etiam tacit vel implicite. Nulla enim justa ratione potest præsumi mag hæc licentia contra principem, quam contra alios; nam semp est necessaria prudentia, et justus modus in ipsa execution et majus periculum est turbationis et excessus in coaction personæ principis aut regis, quam cæterarum. Unde si Pa aliquem regem per sententiam declaret hæreticum, et a regn depositum, et de executione nihil amplius declaret, non stati potest quilibet princeps contra illum movere bellum, quia n est illo superior in temporalibus, ut supponimus, nec ab ip Papa illam potestatem accipit ex vi solius sententiæ. Et id (ut dicebam) solus legitimus successor ejus, si Catholicus s habet tunc illam facultatem, vel si ipse negligat vel nullus s communitas regni in illo jure succedet, dummodo sit catholic Ipsa vero petente auxilium ab aliis principibus, illud præsta poterunt, ut per se constat. Si autem Pontifex (quod sæpi fecisse, exemplis ostensum est in lib. 3) aliis regibus potest tem tribuat invadendi tale regnum, tunc juste fieri potest, qu neque deest justa causa, nec potestas.

20. *Ex doctrina tradita convincitur error in juramento in clusus.*—Ex hac ergo vera et certa doctrina, manifeste convin cimus tertiam partem juramenti ex variis capitibus excessu potestatis, injustitiam contra bonos mores, et errorem cont veram et Catholicam doctrinam continere. Primum probo, na qua auctoritate cogit rex suos subditos ad jurandum, ut hære ticam propositionem, quam Ecclesia Catholica hactenus n damnavit? Si enim rex dicat esse damnatam in Concilio Cons tantiensi, imprimis non potest constanter hoc dicere, cum au toritatem Conciliorum, præsertim modernorum, pro nihilo ha beat. Deinde ubi legit in Concilio Constantiensi particula illam: «Principes per Papam excommunicati vel deprivati Aut illam: «Per suos subditos, vel alios quoscumque?» Cu

go hæ particulæ additæ illi propositioni reddant illam et sen-
ntiam ejus longe diversam, fallaci et illusoria illatione talis
ppositio Concilio tribuitur. Quod si non Concilii auctoritate,
l sua rex damnat propositionem illam, excedit proculdubio,
abutitur potestate quam non habet. Et præterea mirabile est
od sæpe contemnat Papæ potestatem ad definiendas res fidei,
ipse illam sibi audeat arrogare, nam licet verbis non dicat,
to profitetur. In quo etiam parum sibi constat. Nam alibi
riatur in eadem Apologia, se non cudere novos fidei articu-
more Pontificum. Denique cum ipse nihil putet esse de fide,
i quod in Scriptura continetur, oportet ut nobis ostendat in
iptura ubi sit illa propositio ut hæretica damnata, vel con-
ria divinitus revalata, ut illa pro hæretica habenda sit. Certe
t Paulus dixerit: «Omnis anima potestatibus sublimioribus
dita sit,» nunquam addidit: Etiam potestatibus excommu-
atis vel deprivatis a Papa omnes subditi sint; neque unum
alio colligi potest, cum sint longe diversa, ne dicam veluti
osita, nam rex deprivatus jam non est sublimior potestas.
ue hinc ulterius concludo, professionem illius juramenti
ad hanc partem esse quamdam confessionem regiæ auctori-
s et potestatis, tum ad damnandas propositiones ut hæreti-
ad libitum suum, tum ad proponendum fidelibus authentice,
l credere de fide debeant, vel tanquam hæreticum protes-
; quod ex parte regis est excessus, et usurpatio potestatis
itualis, et ex parte profitentium tale juramentum est quæ-
virtualis professio falsæ fidei.

21. *Hoc ipsum ex verbis juramenti convincitur.—Altera ra-*
—Præterea ex ipsis verbis apertissime constat, regem in
juramento non solam obedientiam civilem, seu juramen-
ejus exigere. Nam sub juramento detestari propositionem
nam ut hæreticam, plane excedit obedientiam civilem, quæ
longe inferioris ordinis a christiana fide. Maxime quando
præceptum novum est in Ecclesia, ita ut rex, non solum
t Christianum subditum ad detestandam propositionem

alias damnatam ab Ecclesia (quod interdum potest facere ca
tholicus rex, modum debitum servando), sed etiam cogat a
detestandam propositionem quam ipse denuo sua auctoritat
condemnat, ut nunc rex facit. Unde satis etiam probatum re
linquitur, injustum esse hoc juramentum ex parte regis, qui
multis modis excedit potestatem suam, et ita est violenta coa
tio, et alienæ jurisdictionis usurpatio. Ex parte vero fideliu
etiam est injustum illud acceptare, vel generali ratione, qu
vel jurarent rem illicitam, vel mendacium; nam si credant es
hæreticam propositionem illam propter solam regis auctorita
tem, vel propter hoc solum damnabile est, multoque magi
quia propositio illa, quæ sic damnatur, verissima est, et ex vo
ris principiis fidei certa, ut in lib. 3 probatum est. Si aute
abjurent exterius talem propositionem, quam mente non cre
dunt esse hæreticam, manifestum perjurium committunt,
per se notum est. Et ultra hoc continet talis professio specia
lem et propriam injuriam contra Pontificem, cujus potestate
et obedientiam propter timorem humanum abnegant.

22. *Duplex error inclusus in tertia parte juramenti.* — Tan
dem facile intelligitur ex his, partem hanc juramenti doctrina
etiam erroneam involvere. Unus error est, in Pontifice non es
potestatem ad deponendum regem hæreticum vel schismaticu
et regnum suum ad idem schisma vel eamdem hæresim pertr
hentem, vel pervertentem. Hujus enim erroris professio præc
pue, magisque directe per illa verba fit, quam per alia, ut cu
libet legenti statim patebit, et in superioribus multipliciter e
probatum. Alter error minus quidem verbis expressus, in ip
vero sententia latens, et virtute contentus, est, in his quæ a
fidei doctrinam et detestationem hæresum pertinent, pos
temporalem regem fidem etiam juratam a suis subditis exige
Imo etiam in hoc esse præferendam sententiam regis sentent
Pontificis. Quæ sane virtualis quædam professio est primat
regis temporalis in spiritualibus, seu ecclesiasticis; nihil enim
majus est in Petri primatu, nec magis ad conservationem Eccl

, ejusque unionem necessarium, quam in proponendis rebus
i, et hæresibus damnandis suprema auctoritas, quam in illis
bis sibi rex Angliæ arrogat; ergo professio talis juramenti
manifesta schismatis et erroris professio; tenentur ergo veri
holici in conscientia illud respuere.

CAPUT V

De ultima parte juramenti, et erroribus in ea contentis

1. *In ultima parte juramenti errores supra positi repetuntur xaggerantur.*—In ultima juramenti parte fere iidem errores etuntur, et ideo vix aliquid addendum circa illam superest; a vero partim declarantur et exaggerantur magis, partim m pravitas juramenti augetur, singula breviter notanda et exponenda sunt, ut ab omnibus facile intelligantur. Primo o iterum abjuratur Pontificis auctoritas et potestas his ver- «Et ulterius credo, et in conscientia mea resolvor, quod Papa, nec alius quicumque potestatem habet me ab hoc mento, aut aliqua ejus parte absolvendi.» In his verbis af- atur aperte hæc propositio: «Papa non potest subditos regis poralis a juramento fidelitatis absolvere.» Quia quod de hoc mento affirmatur, non est propter peculiarem ejus rationem, propter dignitatem quæ in rege Angliæ major sit quam in temporalibus regibus, ut est per se notum, et rex in sua fatione aperte profitetur. Cum autem dicitur: «Papa non est», etc., intelligitur simpliciter, id est, nullo modo, nulla causa, in nullove casu; hoc enim significant illa verba se- dum planum ac communem sensum et intellectum eorum, modo vult ipse rex paulo inferius verba hujus juramenti ac- . Præterquam quod ex fine juramenti, et ex prima ejus par- atis clarum est hanc esse regis mentem.

2. *Potest Pontifex subditos hæretici a juramento fidelitat absolvere.*—Sic autem propositio illa hæretica est, quia est con tra potestatem ligandi et solvendi datam Petro prout, illar semper intellexit et exercuit Catholica Ecclesia. Sic enim sul diti hæretici cujuscumque, eo ipso quod per sententiam legiti mam publice denunciatur hæreticus, a juramento fidelitatis al solvuntur ex decreto Gregorii IX, in cap. ult. de Hæretici illiusque pœnæ et potestatem et justissimam rationem explic D. Thom., 2. 2, q. 12, art. 2. Simili modo absolvitur quis vinculo juramenti fidelitatis præstiti domino, qui publice ex communicatus ac denunciatus est, per Urbanum II, in ca ult., 15, q. 6; et Gregorium VII, cum Romana Synodo, in ca «Nos Sanctorum», ibidem. Ubi non omnino et simpliciter vinc lum juramenti tollitur, sed quasi suspenditur pro eo tempor pro quo excommunicatus in censura contumax perseverat. Quo secus est quando rex vel princeps propter hæresim vel alia cr mina deponitur et privatur regni dominio, tunc omnino tollit et quasi irritatur ejus materia subtracta. Atque hoc modo Inn centius IV, cum Concilio Lugdunensi, absolvit a juramento delitatis vasallos omnes imperatoris Friderici, et alia exemp supra posita sunt (1), quibus antiquus et universalis sensus E clesiæ ostenditur, qui est optimus Scripturæ interpres. Nam, de consuetudine humana dicunt omnia jura, esse optimam l gum humanarum interpretem, cur legis a Christo latæ, et p testatis ligandi et solvendi, ab eodem, Petro tributæ, non e optima interpres universalis et antiquissima Ecclesiæ consu tudo et talis potestatis usus? Quam potestatem iidem Ponti ces, qui illa usi sunt, summa auctoritate et doctrina defend runt. Præsertim Gregorius VII, lib. 8 Registri, epist. 22; Innocentius III, in epist. ad Ducem Caringiæ, in cap. «Vener bilem», de Elect.; et Bonifacius VIII, in Extravag. «Una Sanctam», de Majorit. et obedientia.

(1) Lib. 3, cap. 23.

3. Quod si rex, propositionem hanc in Scriptura fundatam, ntificum et Conciliorum auctoritate declaratam, et communi ctenus consensu receptam non credit, quo jure, quave aucto- ate cogere vult omnes subditos suos ad contrariam falsitatem edendam, et ore affirmandam, et juramento firmandam? aut omodo possunt ipsi «in conscientia resolvi», ut in juramento citur, ad id credendum et jurandum, sine alia ratione vel mo- o, nisi credant majorem auctoritatem habere solum regem m suis ministris ad suum errorem confirmandum, ejusque em exigendam, quam habuerit Romana et universalis Eccle- a cum Pontificibus Summis tam constanti traditione et con- nsu id tradentibus? Quod si hoc rex intendit, et ad hanc fi- m suos obligat, fateatur necesse est, in hoc juramento non o temporali tantum jurisdictione, sed pro primatu spirituali gnare.

4. *Eadem veritas alia ratione confirmatur.*—Quod alio etiam odo evidenter declaro. Nam contra rationem naturalem est cere, non posse quempiam absolvi a promissione juramento nfirmata per materiæ mutationem, illam auferendo et quasi itando. Nam, licet quis juramento promiserit reddere depo- um, si alter cedat juri suo, depositarius juramento absolve- r. Unde si talis mutatio per superiorem potestatem fiat, æque lletur fidelitatis obligatio. Quod etiam Triphon J. C. agnovit l. «Bona fide», ff. Deposit., dicens, si quis accepit depositum b fide reddendi illud domino, et dominus postea a prætore mnatus sit, ejusque bona fuerint publicata, liberari deposita- m a fide reddendi depositum eidem domino, et in publicum ud deferri debere. Quia, ut infra dicit, «ratio justitiæ postulat fidelitas servanda in contractu non sit spectanda ex solo res- ctu inter contrahentes, sed etiam respectu aliarum persona- m, ad quas id, quod geritur, pertinet » Quod maxime verum t, ubi auctoritas superioris et publicum bonum intervenit. eque dubitavit, ut opinor, rex similem potestatem in regno o exercere, subditum, verbi gratia, in crimine læsæ majesta-

tis inventum, bonis privando, et consequenter actiones on
nes, seu promissiones omnes illi factas, vel in se aut fiscu
suum transferendo, vel certe omnino eas simpliciter irritand
seu debitoribus condonando, vel remittendo, ex quo nece
sario sequitur ut, licet essent juramento confirmatæ, debit
res a juramento absoluti maneant. Ergo negari non pote
quin hic modus absolvendi a juramento honestus et valid
esse possit, si in absolvente sit potestas, vel de materia j
ramenti, vel de jure creditoris seu domini aut promissarii d
ponendi. Ergo vel potestas absolvendi vasallos a jurame
facto regi hæretico, vel pernicioso subditis christianis, injust
sime et contra omnem rationem negatur Summo Pontifici ;
non ex alio fundamento negatur nisi quia non creditur hab
potestatem ad coerdendos et puniendos reges temporales.
ita hæc pars ad superiores revocatur, et aperte continet prof
sionem erroris contra primatum Pontificis, et assertionem ha
ticam de primatu regis, ejusque absoluta exemptione ab o
dientia Pontificis, maxime quoad vim coactivam per tempora
pœnas.

5. *Juramentum hoc ex se non obligare.*—Denique non on
tam advertere (quia rex non generatim de juramento, sed de
juramento loquitur), in vero et catholico sensu, menti tan
regis contrario, dici potuisse, neminem posse ab illo jurame
jurantem absolvere, quia, videlicet, nemo absolvi potest p
prie, qui ligatus non est; illud autem juramentum non li
jurantem, quia non potest juramentum esse vinculum iniqu
tis, quale illud esset, et ideo nemo potest ab illo solvi. Nih
minus tamen potest declarari absolutus, seu non ligatus, q
speciali auctoritate potest facere Pontifex, satisque id fe
quando declaravit juramentum esse illicitum, et æternæ sa
contrarium. Inde enim non solum sequitur non esse præst
dum, sed etiam si factum sit, non esse observandum. Und
etiam, ut in alio sensu possit Pontifex ab illo juramento
facto absolvere, id est, a peccato in talis juramenti exhibit

commisso, dummodo digna illius pœnitentia tanquam necessaria dispositio præcedat.

6. *Jurandi hæc forma regi supremam potestatem spiritualem tribuit.*—Secundo, in eadem parte fit confessio supremæ potes regiæ in spiritualibus, ejusque exemptionis a Summo Pon , his verbis: «Quod juramentum agnosco recta ac plena oritate esse mihi legitime ministratum.» Et postea his ver- juramentum confirmatur: «Hæcque omnia plane et sincere sco et juro.» Quod enim illa confessio in verbis illis conti- ir, constat primo ex illis particulis, «plena auctoritate»; ivis enim ex industria vox «suprema» vitata sit, ne forte liciores deterreret, nihilominus vox «plena» ex mente , satis ex toto discursu intellecta, pro æquipollenti posita ion enim dicitur esse ex plena auctoritate illud juramen- nisi quia nulla est inter homines potestas quæ illud impe- prohibere aut auferre valeat; hæc autem est suprema tas. Deinde cum juramentum ipsum sit expresse contra potestatem, cum additur plena potestate legitime minis- n, evidenter significatur, potestatem regiam, juramentum trantem, esse vel superiorem potestate Papæ, vel illi valentem. Quod ergo rex in aliis locis expresse profitetur, ecte et in ipso usu potestatis usurpatæ involvit. Unde qui juramento consentit, plane jurat, actum usurpatæ potesta- tis, esse actum legitimæ potestatis, quod est apertum perju- rium, et confessioni catholicæ fidei contrarium. Ac denique ex his etiam verbis convincitur rex, non exigere in hoc juramento solam obedientiam civilem, cum recognitionem et confessionem plenariæ potestatis suæ ad decernendum contra potestatem Papæ expostulet.

7. *In ultimis juramenti verbis iteratur professio omnium erro- rum præcedentium. — Ex alio capite ostenditur ibi perjurium com- mitti.* — Tertio, in ultimis verbis novum juramentum additur hujus tenoris: «Hancque recognitionem et agnitionem facio

cordialiter, voluntarie et vere, in vera fide Christiani veri, s
me Deus adjuvet.» Quæ est nova confirmatio et repetitio om
nium præcedentium errorum, et confessionis, non solum exte
næ, sed etiam internæ eorum, ut jurans vel ab interna infidel
tate, vel a perjurio excusari non possit. Et præterea expen
particulam illam «voluntarie», quæ apertum mendacium invo
vit, quod sufficit ut sine perjurio jurari a Catholicis non poss
Nam est evidens, ipsos non voluntarios, sed coactos minis
terroribus juramentum præstare. Quia, ut ipsemet rex pau
antea dixerat eos, «si tali juramento renuntient, in discrim
amissionis vitæ, et fortunarum misere compingi et contrudi (1)
quomodo ergo vere jurare possunt se voluntarie tale jurame
tum præstare? Illud enim «voluntarie» ibi non significat quan
cumque voluntatem, sed illam, quæ metu gravi et poten
violentia humana coacta non est, quamque jurans habere
etiam si non cogeretur; sciunt autem Catholici se non habe
talem voluntatem, et rex ipse hoc non ignorat; ergo ex h
etiam capite juramentum iniquum est, quod perjurium in h
involvit et exigit.

CAPUT VI

Rationes, quibus juramentum defenditur, expenduntur

1. Hactenus «partite et minutatim», ut, optare se eisde
verbis rex declaravit, juramentum refutavimus, ejusque defo
mitates ostendimus; nunc, ne contra inauditam partem, qu
regis etiam est querimonia, sententiam dicere videamur, nec
sarium duximus, quidquid in defensionem juramenti vel r

(1) In Apol., pag. 5.

indicat, vel nos cogitare potuimus, in examen adducere, ut inde evidentius constet augeri potius inde juramenti damnationem, quam defendi vel excusari.

2. *Regis fundamenta.*—Primo ergo objici nobis potest auctoritas regia, quæ verbis expressis, ac sæpius repetitis, nihil aliud quam obedientiam civilem, ejusque professionem a subditis suis per juramentum illud exigere voluisse affirmat. Ita repetit sæpe tam in Apologia quam in Præfatione. Nam in pag 4 se inquit satis ostendisse, nihil ultra per juramentum desiderasse, quam ut de subditorum fide et constantia securus fieret, «quam propter conscientiam», ait, «mihi præstare tenebantur (1).» In Præfatione sæpius et apertius non solum id affirmat, sed etiam probat hoc fere modo: Cum Parlamentum inferioris domus clausulam inseruisset juramento, «qua Pontifici excommunicandi mei potestas adimebatur, illam protinus deleri volui»; ergo hinc licet colligere, «quanta sollicitudine cavebam, ne quicquam hoc jurejurando contineretur, præter fidelitatis illius, civilisque et temporalis obedientiæ professionem, quam ipsa natura omnibus sub regno nascentibus præscribit.» Probatio hujus illationis talis ex eodem loco colligitur, quia, sublata a juramento abjuratione potestatis Pontificis ad regem excommunicandum, nihil in eo relinquebatur præter civilem obedientiam et fidelitatem. Nam si quid argui potest, maxime, quod abdicandorum regum jus Pontifici denegatur et abjuratur; at hoc justissimum est, nec excedit civilem fidelitatem; ergo.» Probatur minor primo, quia tale jus «nullo legitimo modo Pontifici est acquisitum, sed per Paparum injustam usurpationem et violentiam sæcularem vendicatum», quod in Præfatione sæpe repetit, et præsertim pag. 22 ait, probandum in Apologia sumpsisse, illam usurpationem Pontificum cum Scripturis, Conciliis et Patribus repugnare. Secundo, quia talis ab-

(1) Pag. 11, 12, 13 et 14.

dicatio seu depositio regum, «excommunicationis, quæ spir tualis censura est, fines longe lateque excedit»; non potest erg excommunicatio Pontificis justam ac legitimam causam subdit ministrare, ut quicquam in regem vel ejus imperium moliantu Hæc fere rex in illo loco.

3. *Tria consectaria inde deducta.* — Et ex hoc fundamen tacite infert, tum ibi, tum in aliis locis, non posse subditos a solvi per Pontificem ab obedientia civili debita regi, quia n potest Pontifex deponere regem a gradu et dominio suo; er nèc potest facere quin obedientia illi debeatur, quia jure nat rali debita est, quod jus Papa tollere non potest. Hoc est en quod illis verbis rex significare voluit, «quam ipsa natura o nibus sub regno nascentibus præscribit.» Simili modo infe non posse Pontificem subditos a juramento fidelitatis absolve quia materia illius juramenti, quæ est obedientia civilis et p missio ejus, est immutabilis, et semper honesta, cum sit j naturæ debita; ergo nulla humana potestate fieri potest, q juramentum illius semper obliget. Probatur consequentia, q non potest quis a juramenti obligatione, sub qua aliquid p mittit, absolvi, nisi prius promissio ipsa, seu materia ejus mittatur aut irritetur, quia vinculum juramenti per se inviola est, et jure maxime divino et naturali obligat; cum ergo l juramento materia subtrahi non possit, profecto nec juram tum ipsum solvi potest. Tertio, hinc etiam colligit, mult differre inter hoc ultimum juramentum, et antiquum prima juramentum, quia in illo potestas etiam spiritualis abjuraba in hoc vero tantum potestas temporalis, quam in reges usur Unde in Præfatione valde reprehendit Bellarminum, quia, ait, «evincere nititur, hoc fidelitatis juramentum nihil e præter antiquum illud primatus juramentum, nunc rec verbis obscuroribus, et per ambages circumlocutionum for tum», etc. Hinc denique in principio Apologiæ dicitur, «no alium finem constitutum esse hoc juramentum, quam ut modo inter fideles subditos, et perfidos proditores, sed e

inter ipsos Pontificios, qui fidelitatem regi servandam esse crederent, et eos qui, prætextu disparis religionis contra regem conjurare, licitum esse arbitrarentur, discrimen aliquod extaret.» Unde infra concludit, «juramentum hoc eo fine constitutum fuisse, ut instar pignoris et auctoramenti subditorum erga ipsum fidei foret.» Nihil ergo præter civilem obedientiam continet.

4. *Ultimum probationis genus.* — Tandem ad hunc locum spectat aliud probationis genus, quod in Apologia in principio impugnationis epistolæ Bellarmini rex inducit, ducendo ad inconveniens. Quia qui hoc juramentum recusandum esse docet, necesse est ut proditoriis et absurdis positionibus implicet subditos, quos ab hoc juramento arcere contendit. Numeratque quatuordecim propositiones ejusmodi, quarum omnes vel aliquas ex juramenti reprobatione necessario inferri dicit. Quæ autem sint illæ propositiones, infra respondendo ad hanc partem constabit.

5. *Regis fundamento satisfit. — Ex titulo juramenti convincitur esse inventum ad discernendos Catholicos a sectariis.* — Hæc sunt quæ ex variis locis et dictis regis in ipsius defensionem colligere potui, quæ licet frivolæ excusationes sint, et in eodem semper cardine revolvantur, omittendas non censui, tum ut omnibus evidentius sit, nihil officii, quod ad difficultatem aut veritatem ostendendam possit conducere, a nobis prætermitti; tum etiam ut, si fieri potest, rex ipse animadvertat, in re tanti momenti tantique periculi, quam levibus rationibus, maleque fundatis opinionibus se duci sinat. Igitur ad verba regis imprimis dicimus, facta non esse verbis consentanea, magisque factis et rebus ipsis, quam verbis aut promissionibus assentiendum esse. Quid enim interest quod rex affirmet, se nihil aliud quam civilem fidelitatem et obedientiam a subditis suis per illud juramentum exigere voluisse, si ex forma ipsius juramenti et omnibus partibus ejus contrarium evidenter ostenditur? Deinde

verbis regis ejusdem verba opponimus. Nam in edicto regio (ubi hæc jurandi formula continetur, titulus illi superscript erat: «Ad detegendos et reprimendos Papistas», id est Catho cos, et Papæ obedientes, ejusque primatum recognoscentes; vero si juramentum solam fidelitatem civilem, et temporal obedientiam exigeret, non posset esse signum discernens I pistas a sectariis seu apostatis a Papa; quia obedientia civi communis est omnibus, nam illi, qui Papæ obediunt, just obedientiam civilem suis regibus non negant. Ergo tale ju mentum non alia ratione datum dicitur ad detegendos Papist nisi quia illud admittentes, eo ipso consentur renunciare Pa ejusque potestatem abjurare; et e contrario qui illud recusa eo ipso ostendere se fideles et obedientes Papæ; non ergo da propter solam civilem obedientiam; nam (ut ipse etiam totis viribus contendit) obedientia civilis non pugnat cum I mana religione, ac subinde neque cum obedientia Papæ, qu profitentur hi quos rex Papistas vocat.

6. *Ex titulo alterius juramenti colligitur velle regem prin tum in spiritualibus.—Principalis finis hujus juramenti est ab gatio Pontificiæ potestatis.*—Præterea in eodem edicto regio juramenta continebantur (2), suis titulis distincta: unum e «de Primatu regis in spiritualibus» inscribebatur, quale juramentum sub Elisabetha usitatum, et a Rege Jacobo p missione quadam locupletatum, ut supra in Præfatione nota mus. Aliud vero præscriptum erat, «contra potestatem Po ficis in principes christianos», quod non est aliud nisi q nunc rex vocat juramentum fidelitatis; nullum enim aliu illo edicto ferebatur, neque de alio hactenus mentio facta ergo ex ipsa inscriptione constat hoc juramentum conti potius abjurationem potestatis Pontificis in reges, quam fid

(1) Refert Bellarminus, in Apologiæ initio, et infra in defensione p Brevis, etiam in principio.

(2) Bellarminus supra, in posteriori loco.

tatem subditorum erga regem. Nam illud est et directe intentum, ut inscriptio ostendit, et proxime ac expresse per verba declaratum, sæpiusque repetitum; aliud autem indirecte ad summum ac remote, seu per consecutionem quamdam in ipso juramento continetur, licet fortasse ab ipso rege fuerit per se ac principaliter intentum. Unde non immerito notare hic possumus et applicare distinctionem scholasticorum, et moralium philosophorum de intentione operantis et operis, et de intentione finis et electione medii propter finem. Rex enim principaliter intendere potuit per hoc juramentum fidelitatem civilem subditorum, et suarum rerum suæque personæ securitatem ac indemnitatem; medium autem, quo ad illam obtinendam usus est, fuit abjuratio Pontificiæ potestatis, et ita licet prior finis fuerit fortasse præcipuus in operante, id est, in rege instituente juramentum, nihilominus in ipso juramento proprius scopus, et quasi objectum ejus, est abnegatio Pontificiæ potestatis, et hoc modo dicimus esse principalem finem operis, id est, talis juramenti, quia est intrinsecus finis, et proxima ejus materia, ut in singulis ejus partibus declaratum est. Et ita quidquid sit de intentione principali regis, de qua non curamus, neque illum mendacii arguere volumus, dubitari non potest quin juramentum ipsum, quo rex ut medio usus est, excesserit terminos obedientiæ civilis, et ad illam muniendam, ultra quam par est, potestatem Pontificiam invaserit, eam abjurando, simul fundamenta fidei evertendo et abnegando.

7. *Confirmatur ex æquivocatione verborum.—Potestas civilis subordinatur spirituali.*—Quod ut amplius declarem, adverto, in hac voce «obedientiæ fidelitatis civilis,» prout rex Angliæ illa utitur, æquivocationem latere, qua possunt facile simplices, et ignorantes decipi. Rex enim talem obedientiam civilem et fidelitatem a suis subditis exigit, quæ nullum in terris recognoscat rege superiorem, neque directe, neque indirecte, et quæ in nullo casu, neque propter ullam causam possit per aliquam jurisdictionem in mortali homine existentem impediri aut

tolli. Et quia non potest in rege recognosci tam suprema po testas, nisi abnegetur potestas Pontificis, quæ sola poterat es illa in terris superior, etiam in civilibus, saltem indirecte, id ad muniendam suam civilem obedientiam in illo gradu et mo quo illam efflagitat, usus est illo medio abjurandi Pontificia potestatem. Et ideo verbis dicit, se tantum fidelitatem civile a subditis exigere, re tamen vera abjurationem Catholicæ fi ab eis extorquet. At vero juxta sanam et veram doctrinam, ol dientia civilis generaliter dicitur illa, quæ debetur sublimio bus potestatibus temporalibus et civilibus, unicuique in s gradu, et in sua materia, et intra mensuram suam, juxta ill Pauli, Rom., 13: «Reddite omnibus debita, cui tributum, t butum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui h norem, honorem.» Et illud 1 Petr., 2: «Subjecti estote on humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellen sive ducibus tanquam ab eo missis,» etc. Itaque etiam mag tratibus civilibus debetur civilis obedientia, tamen subordin regibus, qui præcellunt; regibus autem, non recognoscentil superiorem in temporalibus, debetur etiam obedientia civ maxima in illo ordine; non potest autem illa non esse subor nata spirituali potestati, si christiana obedientia sit. Quia e debet juxta mensuram fidei, nam secundum illam tenentur o nes Christiani, sive reges sint, sive subditi, «obedire præpos suis,» ad Hebr., 13, et præcipue Vicario Christi, cui ipse o nes oves suas subjecit, inter quas reges connumerantur. Id que si a rege temporali talis obedientia civilis postuletur, q Pontificis obedientiam excludat, jam non est mera obedie civilis, sed transit in spiritualem et ecclesiasticam. Talis aut est obedientia quam rex Angliæ a suis exigit, ideoque in h formula juramenti quasi oblitus obedientiæ civilis, totus Pontificiam potestatem abnegandam et abjurandam incubuit.

8. *Concluditur postulare hoc juramentum plus quam civi fidelitatem.* — Unde constat primo, simpliciter falsum esse q rex Angliæ dicit, se tantum postulare per hoc juramentum

subditis fidelitatem illam, quam propter conscientiam illi præstare tenentur.» Nam propter conscientiam tenentur subditi, ut Christus dixit, «reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei Deo,» et consequenter etiam Vicario Christi quæ sunt illius; et quia singulari modo et titulo ad Deum pertinent, ideo sub posteriori membro verborum Christi continentur. Quapropter sicut Cæsare contra Deum præcipiente, potius est obediendum Deo quam hominibus, ut dixit Petrus, Actor., 4 et 5, ita. licet Christiani in conscientia teneantur obedire regi tanquam præcelienti in suo ordine, non tenentur tamen neque possunt illi obedire præcipienti abjurationem Pontificiæ potestatis, neque etiam tenentur illi obedire contra debitam Pontifici obedientiam, quæ altioris est ordinis, cui civilis obedientia ita est subordinata, ut in certis casibus vel ex justis causis interdum illi cedere debeat. Ergo falsum est in juramento nihil a subditis regis postulari, nisi quod ipsi in conscientia præstare tenebantur.

9. *Latenti regis objectioni occurritur.* — Quod autem paulo post in sua Præfatione, mutatis nonnihil verbis, repetit, «nihil in hoc juramento contineri præter fidelitatis civilisque obedientiæ professionem, quam natura ipsa omnibus sub regno nascentibus præscribit,» caute et attente legendum est. Nam continet objectionem, et latentem errorem. Objectio est supra facta, quia obedientia et fidelitas jure naturali debetur regibus; ergo debetur independenter a Pontifice; unde non magis potest ipse illam mutare quam jus naturæ, nec magis ab illa solvere quam a naturali jure. Error autem vel deceptio latens est, quia non altiori modo judicandum putat de obedientia civili inter Christianos quam inter ethnicos, nam utrique debent suis regibus illam obedientiam civilem, quam ipsa natura præscribit, ideoque sentit non aliis terminis, neque aliis regulis definiendam esse obedientiam civilem, a Christianis, suis principibus præbendam, quam ab ethnicis, suis regibus debitam. Atque hanc fuisse regis mentem facile sibi persuadebit, qui alia ejus cla-

riora verba, quæ in Præfatione, pag. 24, contra Bellarminum scripsit, in memoriam reduxerit. Ait enim: «Cum me hæreticis annumeret, et Juliano Apostatæ æquet, extra caulam gregemque Pontificium esse putet, necesse est. Eodem itaque jure ethnicis principibus censendus sum, in quos ipse nihil posse Pontificem fatetur.» Ex hoc ergo principio, in verbis aliis significare voluit, sicut Papa non potest regem ethnicum deponere, nec ejus subditos ab illius obedientia absolvere, ita neque posse suos subditos a sua obedientia et fidelitate liberare ideoque nihil in juramento postulare, nisi quod ipsa natura omnibus sub regno nascentibus imposuit.

10. *Qualis sit obedientia civilis subditorum fidelium.*—Veritas autem catholica docet, licet fides et gratia non destruant naturam, perficere tamen illam, et sub altioribus regulis ac legibus illam constituere, et ideo obedientiam civilem inter Christianos, licet ex lege naturæ oriatur, nihilominus definiri et limitari ad obedientiam civilem tali statui consentaneam, et fidei ac religioni non repugnantem, et justis Ecclesiæ legibus ac præceptis subordinatam. Ac propterea obedientiam civilem inter Christianos non esse æquiparandam in omnibus cum obedientia civili inter ethnicos, vel inter homines, qui pura naturali prudentia sine ullo fidei lumine gubernari possent. Qui ethnici vel infideles non baptizati non ita subjiciuntur Pontifici et legibus Ecclesiæ, sicut Christiani, et ideo in multis casibus possunt christiani principes, etiam in temporalibus supremi, prohiberi per Pontificiam legem, ne suis subditis aliquid imperent etiam in materia civili, in quibus principes ethnici cogi non possunt, quia in gremio ovium non sunt, neque unquam introierunt. Rex autem Jacobus (ut in libro primo probavimus) licet a crimine infidelitatis, seu hæresis, et apostasiæ excusari non possit, non ideo in exemptione ab obedientia Pontificis est ethnicis annumerandus, nam ratione baptismi characterem in se delere non potest, ita neque a debito obedientiæ Ecclesiasticæ eximi potest, etiam si millies jugum confringat, vincul

rumpat, et dicat: Non obediam. Poterit enim facto resistere, et non obedire; apud Deum autem semper erit inobedientiæ non tantum suæ, sed etiam suorum reus. Quapropter, cum dicit, «in hoc juramento nihil contineri præter obedientiam et fidelitatem civilem, quam ipsa natura omnibus sub regno nascentibus præscribit,» si id intelligat (ut videtur) de obedientia soluta ab omni regula et directione fidei, qualis etiam inter ethnicos recta ratione utentes esse potest, eo ipso satis confitetur sui juramenti errorem, et perversitatem quam involvit, quia talem obedientiam civilem exigit, quæ ecclesiasticam excludat, et illi præferatur; si vero sano modo velimus interpretari obedientiam civilem, quam omnibus sub regno nascentibus natura præscribit, sic falsum erit nihil aliud in illo juramento contineri, ut patebit respondendo ad objectionem quam ex verbis illis confecimus.

11. *Obedientia, regibus debita, est de jure gentium.—Qua ratione de jure naturali dici queat.— Aliquando non obligat.*—Respondemus enim fidelitatem et obedientiam civilem regibus datam, licet fundata sit et radicata in jure naturali, verius et proprius dici esse de jure gentium, quia non est immediate de jure naturali, sed supposita hominum conjunctione in uno politico corpore, et communitate perfecta. Vel certe ad summum dici potest esse de jure naturæ, supposito pacto et conventione inter ipsos homines, sicut est de jure naturali obligatio voti ad Deum, vel promissionis ac juramenti inter homines, ut supra in lib. 3, et libro etiam 3 de Legib late declaravi. Atque hinc fit, obligationem obedientiæ civilis quoad materiam et modum non esse æqualem in omnibus hominibus, qui sub regno nascuntur, sed in unoquoque esse juxta regni primævam institutionem et conditionem pacti et fœderis inter regem et populum, quæ vel per scriptas leges, quæ alicubi «fora» vocantur, vel per consuetudinem memoriam hominum excedentem constare solet. Et inde etiam fit ut vinculum talis fidelitatis seu obedientiæ, vel interdum non obliget, vel etiam aliquando rescindi possit, juxta

conditiones in primo fœdere inter regem et regnum, vel expresse positas, vel ipso jure naturæ exigente intime inclusas. Et sic non obligat illa obedientia ad parendum regi præcipienti illicita, vel saluti animæ contraria. Tantaque potest esse perversitas regis contra commune bonum reipublicæ, vel contra fœdera, et conventionem cum regno factam, ut totum regnum communi concilio possit pacta rescindere, et regem deponere et ita se ab illius obedientia et fidelitate civili liberare, ut supra, c. 5, diximus.

12. *Civilis obedientia in subditis christianis a fide divina limitatur.*—Ita ergo in bono sensu etiam Christiani, qui sub rege no nascuntur, dici possunt habere a natura præscriptam regum suorum fidelitatem, modo tamen communi juri gentium christiani et catholici orbis, vel potius divino juri et fidei accommodato. Hic autem modus est, ut civilis obedientia sit subordinata ecclesiasticæ, et ab ea dirigatur, quantum ad ea quæ ad salutem animæ spectant, et consequenter ut vinculum illud, in quo obligatio civilis obedientiæ fundatur, per Pastorem Ecclesiæ dissolvi possit, si is, qui potestatem civilem habet, illa in subditorum spiritualem perniciem, vel in suam, cum publico aliorum scandalo et detrimento abutatur. In hoc autem sensu falsum est, regem Angliæ solum exigere a suis subditis in hoc juramento illam civilem obedientiam, quam ipsa natura omnibus sub regno christiano nascentibus præscribit, quia in Christianis natura ipsa fide illuminata dictat esse obediendum regibus in civilibus, nisi aliquid contra fidem, vel contra obedientiam ecclesiasticam involvant aut præcipiant, sicut in hoc juramento a rege Angliæ fieri, satis superque ostensum est.

13. *Refellitur quædam evasio.*—Ad signum autem quo reconatur contrarium suadere, quia clausulam, in qua potestas ipsum excommunicandi abjurabatur, poni in juramento non permisit, respondemus, esto hoc ita sit (de quo propter verbum regis de facto testificantis non dubitamus) nihilominus signum esse insufficiens. Primo quia, licet expressa abjuratio potestati

excommunicandi sublata fuerit, implicita et involuta relicta est. Secundo, quia expresse est posita in juramento abjuratio potestatis Pontificis deponendi regem ex quacumque causa, quantumvis justa, et solvendi subditos a quacumque fidelitate vel obedientia regi debita, aut promissa, vel jurata, quæ potestas non minori certitudine Pontifici convenit, quam potestas excommunicandi. Utrumque ex dictis facile declaratur. Quia duobus modis potest rex contumax, seu rebellis contra religionem, per Pontificem privari potestate regni, et subditi ejus a fidelitate absolvi: uno modo quoad usum tantum, et per modum cujusdam suspensionis; alio modo quoad proprietatem et dominium, et per modum depositionis; et utrumque negat rex Angliæ in hoc juramento, primum quidem in secunda et quarta clausulis juramenti, expressius quam in aliis, aliud vero in toto juramento et omnibus partibus ejus. Doctrina autem catholica utrumque docet.

14. *Pontifex per excommunicationem privat regem jurisdictione regni quoad usum.*—Nam prior modus deprivationis in ipso vinculo majoris excommunicationis intrinsece inclusus est, ut docet Gregorius Papa VII, in capit. «Nos sanctorum», 15, quæst. 6, ubi ait, eos, qui excommunicatis «fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate absolvimus, et ne eis fidelitatem observent omnibus modis prohibemus.» Quibus verbis non tam fit nova prohibitio, quam declaratur illa, quæ virtute talis censuræ fit. Nam illa censura privat non tantum sacra, sed etiam civili communicatione in omnibus rebus seu casibus in jure non exceptis: in hoc autem non solum non fit exceptio, sed etiam declaratur prohibitio. Quod autem illa non sit absoluta depositio, sed quasi suspensio, patet ex limitatione ibi adjuncta: «Quosque ipsi ad satisfactionem veniant»; hinc enim constat, illam absolutionem non esse perpetuam, sed durante illo vinculo. Est ergo per modum suspensionis potestatis quoad usum, et non per modum depositionis. Quia vero illa verba ultima dicuntur non inveniri in codice manuscripto in

Vaticano invento, similis decisio cum illa expressa declaration reperitur ex Paschas. II, in cap. «Juratos», 15, q. 6, «quam diu excommunicatus est.» Et similis limitatio habetur in c. ul de Pœnis.

15. *Objectionis confutatio.*—Neque contra hoc obstat ob jectio regis, quia excommunicatio est spiritualis censura, et ide privatio jurisdictionis, vel temporalis potestatis etiam quoa usum, et per modum suspensionis, ejus fines excedit. Negatu enim consecutio. Nam, licet excommunicatio dicatur censur spiritualis, vel a principali materia et fine illius, vel quia a sp rituali potestate procedit, tamen sicut potestas ipsa, licet s spiritualis, indirecte ad temporalia extenditur, ita etiam censu ra excommunicationis eodem modo et spiritualis est, et indirect extenditur ad temporalia; privat enim non solum communica tione sacra, sed etiam civili et humana, ut constat ex institu tione et usu Ecclesiæ, perpetua traditione approbato, et i Scriptura fundato. Nam 2 Joan., 1, dicitur: «Neque ave ei dixe ritis»; et Paulus, 1 Cor., 5: «Cum ejusmodi nec cibum sumere. Et rationem ibidem insinuat, cum ait: «Judicavi», etc., «tra dere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiri tus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.» Ita ergo pe excommunicationem vexatur homo etiam in temporalibus e corporalibus, ut vexatio det intellectum, ut a contumacia re cedat.

16. *Depositio regis non est proprius excommunicationis effec tus.—Ex diuturno Ecclesiæ usu potestas Pontificis ad deponendu reges ostenditur.*—Alter vero modus privationis per modum dep sitionis a regno, vel ab alia temporali potestate, et consequente cum perpetua absolutione subditorum a fidelitate et obedienti civili, non est quidem effectus proprius et intrinsecus excommu nicationis majoris, si nihil amplius addatur ut ex propria materi suppono (1), et ex communi usu Ecclesiæ, et ex allegatis etiam ju

(1) Vide tomum 5, in 3 part. D. Thomæ, disp. 15.

ribus satis colligitur. Nihilominus tamen hæc etiam depositio et absolutio per modum singularis pœnæ adjungitur censuris, quando delicta principum cogunt Pontifices ad illa severitate utendum, qui usus satis est a nobis in lib. 3 comprobatus. Et inde convincitur potestas, quia tam publicus et constans usus, et tam efficax sine violentia armorum non potuit esse sine fide Ecclesiæ recognoscentis in Pontifice legitimam potestatem ad illam pœnam imponendam, inclusam in potestate ligandi et solvendi Petro datam a Christo, et in virga pastorali quam ad regendam Ecclesiam accepit, ut in citato loco satis ostendimus. Et hic etiam habet locum ratio Pauli, quia oportet sæpe hominem peccatorem corporaliter et temporaliter gravissime affligere, ut resipiscat. Item est optima ratio, quia subditi sæpe indigent hoc remedio ne subvertantur. Ideo enim de hæretico dixit Paulus: «Post unam et secundam correptionem devita» (1); quod multo magis in principe quam in aliis solet esse necessarium.

17. *Satisfit regis fundamento.*—Et ita nihil obstat quod rex ait, hanc pœnam longe lateque fines excommunicationis excedere; esto enim ita sit, depositione sic intellecta, nihilominus non excedit limites Pontificiæ potestatis, sicut in hoc juramento abjuratur. Cum vero ait hoc jus nullo legitimo titulo esse acquisitum Pontifici, respondemus non esse quidem aliquo humano titulo proprie acquisitum, sed divino jure esse inditum, ut ex Christi verbis in lib. 3 ostensum est. Ubi etiam illa verba regis refutavimus, «per Paparum injustam usurpationem et violentiam sæcularem.» Est enim facile hæc dicere, præsertim potenti regi, et affectu supremæ potestatis (ut pace illius dixerim) nimium capto et obcæcato, probare autem impossibile. Et ita rex nullam hujus injustæ usurpationis probationem vel indicium adduxit, nec est verisimile injustam usurpationem contra potentiam imperatorum et regum prævaluisse. Unde verba

(1) Ad Tit., 3.

illa, quæ adjungit rex, de «violentia sæculari», magis sunt p
se incredibilia, quia hæc violentia non fit nisi armis et poter
tia sæculari; hæc autem in Pontificibus non fuit tanta, ut
illam violentiam imperatoribus et regibus inferendam suffic
ret. Et ita nulla talis violentia Pontificum in historiis legitu
gratis ergo et per solam dicendi libertatem asseritur.

18. *Confutatio tertii corollarii quod rex inferebat.—Conf
tatio ultimi corollarii.*—Quocirca, ex corollariis quæ rex infe
primum et secundum de absolutione subditorum ab obedie
tia et juramento fidelitatis, satis ex dictis rejecta sunt. Tertiu
vero de comparatione hujus ultimi juramenti cum priori
primatu, facile etiam refellitur. Merito enim Card. Bellarmin
dixit, unum virtute et tecte in alio includi. Quia potestas, p
quam Pontifex reges schismaticos, ac gregi Christi pernicios
deponit, non est alia quam ipsa potestas quam a Christo acc
pit, quæ unica est et indivisibilis (ut ita rem explicem, et id
non dividitur nec minuitur, nec ex parte abjurari potest, et
parte riteneri. Cum ergo in hoc juramento potestas comprimer
et puniendi reges Pontifici abjuretur, plane tota ejus potestas s
ritualis abjuratur, quod in priori juramento expresse fiebat. Su
ciens autem hujus veritatis indicium est, quod rex ipse, ut ha
potestatem se deponendi cum fundamento negare videatur, co
sequenter negat Christum dedisse Petro, aut per eum Roma
Pontifici ad regendam Ecclesiam supremam spiritualem pote
tatem, sentiens ita esse hæc connexa, ut unum sine alio neg
non possit. Ergo dum in hoc juramento unum expresse abjur
tur, aliud consequenter et virtute, et cum eodem perjurio n
gatur. Ultima vero illatio et quasi protestatio regis de fine j
ramenti nihil ipsum juvat. Esto enim ipse intenderit per ill
iuramentum discernere et cognoscere proditores, medium a
tem quo usus est fuit abjuratio Pontificiæ potestatis. Unde p
illud juramentum non solum distinguit fideles civiliter a p
ditoribus, sed etiam fideles catholicos ad suam fidem prode
dam et abjurandam inducit, ex quo fit, ut multo magis in

credentes et non credentes discernat, aut saltem inter constanter recusantes iniquam abjurationem, vel misere propter vitanda temporalia incommoda illam simulantes. Quamobrem tale juramentum potius character Anglicani schismatis, quam pignus vel auctoramentum fidei subditorum jure censendum est.

19. *Ultimæ probationi regis satisfit.—Propositiones quas rex infert expenduntur.*— Superest ut ad ultimam regis probationem, sumptam ex quatuordecim propositionibus, quas ex reprobatione juramenti infert, respondeamus. Et imprimis dicimus ex illis evidenter colligi, intentionem juramenti non tam esse de obedientia præstanda regi, quam de potestate Pontifici abneganda, et sibi usurpanda. Nam ex omnibus propositionibus sola una pertinet ad regiam dignitatem tuendam, et illa non sequitur ex juramenti improbatione ; aliæ vero fere omnes directe sunt de potestate Pontificis, et in sano sensu verissimæ sunt, ideoque merito reprobatur juramentum, quia contradictorias assertiones continet, ut rex ipse fatetur, dum ait has propositiones per antithesim sequi ex reprobatione juramenti. Ut autem hoc evidentius fiat, singulas propositiones, et quid de illis sentiendum sit, adnotabo. Prima est: «Quod ego Jacobus non sim rex legitimus hujus regni, aliarumque omnium mearum ditionum.» Hæc vero minime sequitur ex detestatione juramenti, nam, licet Jacobus sit verus et legitimus rex, nihilominus pravum est juramentum, quo abjuratur Pontificia potestas ad illum deponendum ex causa legitima: hanc enim potestatem habet Papa supra legitimos ac veros reges et imperatores.

20. II. «Quod Papæ liceat me regno deponere, ex mera sua auctoritate, vel, si non sua, tamen auctoritate Ecclesiæ, Sedisve Romanæ; si non Ecclesiæ auctoritate, vel Romanæ Sedis, tamen aliis mediis, atque aliorum subsidiis ei liceat me regno deponere.» III. «Quod Papæ liceat de regnis, ac ditionibus meis pro arbitio statuere.» IV. «Quod penes Papam sit extraneo cuicumque principi potestatem concedere invadendi ditio-

nes meas.» V. «Quod Papæ liceat absolvere subditos meos fide atque obedientia mihi debitis.» VI. «Quod penes Papam s licentiam concedere uni aut pluribus ex subditis meis arm contra me ferendi.» VII. «Quod liceat Papæ veniam dare su ditis meis vim personæ meæ, aut dominiis, aut quibusdam subditis meis afferendi.» VIII. «Quod si Papa sententia la me excommunicaverit aut deposuerit, non sit liberum subdi perstare in fide atque obedientia mihi debita.» IX. «Quod Papa me judicialiter excommunicaverit, vel deposuerit, su ditis non sit liberum, personam et coronam meam omnibus v ribus defendere.» X. «Quod si Papa sententiam aliquam a excommunicationis aut depositionis contra me promulgaver subditi ex vi ejus sententiæ nequaquam obligentur retege omnes conjurationes aut proditiones contra me initas, quas audire vel nosse ipsis contigerit.» XI. «Quod non sit hære cum neque detestabile opinari, principes a Papa excommunic tos impune deponi aut occidi posse a subditis suis, aliisve q buscumque.» XII. «Quod Papa habeat potestatem absolve subditos meos ab hoc juramento, aut ab ejus aliqua parte.»

21. Hæ autem assertiones omnes in unam fere coincidu quæ quasi per partes illis duodecim positionibus ad rem exa gerandam declaratur. In quibusdam vero illarum interdum a ditur aliqua particula, quæ verum sensum destruit et comm tat. Quod ergo in secunda dicitur, «Papam mera sua auctorit posse Jacobum regem deponere», verissimum et catholicum e dummodo illa particula «mera non excludat legitimam causa sed tantum sufficientiam illius auctoritatis sine alterius admi culo declaret. Et quia propositio loquitur in particulari de persona, in qua legitima causa non deest, ut ex dictis sa constat, et universæ Ecclesiæ manifestum est, ideo propos sine ulla æquivocatione verum sensum facit, quia legitimam c sam non excludit, sed supponit. In tertia vero, quæ fere sim est, particula illa «pro arbitrio» ambiguitatem continet, et lumniæ occasionem præbet. Præsertim quia in aliis locis sc

rex dicere «ad libitum», vel quid simile. Itaque si intelligatur de arbitrio justo et legitimo, vera est propositio; si autem de mera et absoluta voluntate, solaque libidine intelligatur, sic est impostura, nullaque verisimili consecutione ex reprobatione juramenti inferri potest. Eademque ratio est de cæteris. Omnes enim sunt de eadem suprema potestate Papæ ad coercendos Christianos rebelles, etiam si reges sint, usque ad depositionem eorum, si gravitas causæ et necessitas spiritualis regni id postulet.

22. *Decima propositio repugnantiam involvit, occasionemque præbet calumniæ.*—Solum in decima oportet advertere (quod in superioribus indicatum est) partim repugnantiam involvere, partim calumniandi occasionem præbere. Dico involvere repugnantiam, quia si rex per justam Papæ sententiam ipso facto sit depositus, eo ipso qui antea erant illi subditi, desinunt esse subditi; nam rex ipse jam non esset rex nec superior. Ideoque neque jam possent proprie dici proditiones, si quæ conjurationes contra ipsum fierent. Neque cives tenerentur, saltem titulo fidelitatis aut subjectionis, illas revelare. Addo vero, modum illum loquendi esse posse calumniis expositum, quia rex criminosus, licet depositus sit, non statim potest a quolibet de populo per conjurationem vel insidias juste occidi, qui nec privatum civem criminosum licet aliis civibus his modis auctoritate sua interficere, sed solum auctoritate publica, vel potestate ab eo accepta, qui illam dare potest, vel per sententiam, vel per imperium, aut commissionem specialem.

23. Quapropter si post regem depositum, aliqui per privatas insidias, non accepta a legitimo judice potestate, illi mortem machinarentur, qui extra confessionem, illarum esset conscius, obligari posset ex charitate eas detegere, ut malum proximi impediret, concurrentibus circumstantiis quæ ad talem obligationem necessariæ esse solent. Quando vero contra personam talis regis juxta tenorem justæ sententiæ procederent, non excedendo limites potestatis a legitimo judice concessæ, tunc cessaret omnis

obligatio detegendi secretum, quia jam illæ non essent insidiæ iniquæ, sed esset justum bellum. Quia ergo propositio illa indistincte loquitur, ideo dixi dare posse calumniæ occasionem ac si diceretur, etiam quando conjurationes vel proditiones sunt injustæ, et iniquæ, nunquam teneri cives ullo titulo, etiam charitatis, illas manifestare, quod falsum est, nec ex reprobatione juramenti id sequitur, ut per se notum est.

24. *Undecimæ propositionis duplex sensus.*—Eademque cautio in undecima propositione adhibenda est; sententia enim illius in summa est, regem excommunicatum impune deponi vel occidi a quibuscumque posse. Quæ ita simpliciter prolata falsissima est; nam excommunicatio sola et nuda non dat potestatem occidendi excommunicatum, nec privandi illum dominio rerum suarum, sed sola communicatione. et consequenter potest privari excommunicatus usu alicujus rei propriæ, si absque tali communicatione fieri non possit. Rex ergo excommunicatus, si sententia nihil aliud contineat, non statim potest a subditis vel quibuscumque aliis deponi vel occidi, neque hoc sequitur ex reprobatione juramenti. Si tamen in ea propositione, sub voce «excommunicationis», comprehendatur etiam depositio, et diffidatio quæ per sententiam canonicam interdum fit, sic veritatem continebit imo etiam intellecta de sola censura excommunicationis in forma communi, si sensus propositionis esset, principem excommunicatum, durante excommunicatione, esse privatum jure præcipiendi subditis ut sibi obediant; quod si eos cogat, posse ipsos resistere, etiam per justum bellum: in hoc sensu erit verissima propositio, et doctrina contraria hæretica est, contra vim et potestatem clavium Ecclesiæ; per illam tamen propositionem ejusque nuda verba, non satis hæc omnia explicantur et ideo calumnia cavenda est, et aperte loquendum.

25. *Decima tertia propositio vera est, et recte sequitur ex juramenti reprobatione.*—Decima tertia propositio est: «Quod juramentum hoc neutiquam administretur subditis meis plena legitima auctoritate.» Hæc quidem aperte sequitur ex reprob

tione juramenti, quia juramentum iniquum a nemine potest legitima auctoritate præstari. Est tamen propositio verissima atque certissima, quod ex prioribus evidenter ostenditur, nam ex tenore illarum constat, omnes illos articulos esse de potestate Pontificis, ac subinde in juramento contineri multos potestati Pontificis contrarios; ergo manifestum est non esse in temporali rege legitimam auctoritatem ad tale juramentum subditis suis administrandum. Et simili claritate sequitur, tale juramentum non de sola civili obedientia, sed de sacra, et Apostolica potestate præstari; imo contra illam postulari.

26. *Ultima propositio falsa et perperam illata.*—Ultima propositio est: «Quod juramentum hoc suscipiendum sit cum æquivocatione, cum mentali evasione, aut tacita reservatione, et non ex animi sententia, atque ex intimo peccatore, in vera fide hominis christiani.» Hæc vero nullam cum reprobatione juramenti connexionem vel consecutionem habet. Quia licet pars etiam illa juramenti reprobetur, non ideo affirmatur suscipiendum esse hoc juramentum cum æquivocatione. Hæc enim contraria sunt affirmantia, et utrumqûe potest esse falsum, et inter ea est medium, scilicet, neutro modo tale juramentum præstare. Unde tantum abest, ut dicamus vel cogitemus tale juramentum esse suscipiendum cum æquivocatione, ut potius illud etiam reprobemus. Tum quia fieret cum perjurio contra ultimam juramenti partem; tum etiam quia fieret cum scandalo, et cum omissione confessionis fidei tempore debito; imo etiam cum externa fidei negatione, ut sequenti capite magis explicabimus.

27. *Horum verborum falsitas ostenditur.*—Ultimo, post has propositiones addit rex hæc verba: «Hi sunt articuli ex variis juramenti partibus per antithesim eliciti. Quibus oppositæ theses, neque Pontificis primatum in causis spiritualibus ullatenus attingunt, neque ullo unquam Concilio generali plene finito conclusum et definitum est, hujusmodi in reges potestatem ad Pontificis auctoritatem pertinere. Et ipsi denique eorum Doctores scholastici inexplicabili quodam litigio de iis inter se dissi-

dent in hunc diem.» Jam vero satis a nobis ostensum est, quo modo potestas, quæ his articulis explicatur, ad spiritualem Pontificis dignitatem pertineat, et consequenter quomodo op positæ theses in juramento inclusæ illi directe repugnent. Quo vero rex subjungit, in nullo Concilio generali plene finito con clusum et definitum esse, hujusmodi in reges potestatem a Pontificis auctoritatem pertinere, imo de hac ipsa potestate ess dissidium inter scholasticos, aperte falsum quoad utramqu partem est, neque potuit a rege affirmari, nisi quia cum per s non possit Concilia vel scholasticos evolvere, a Protestantibu deceptus est. Nam supra, lib. 3, ostensum est, multa Concil generalia hanc potestatem in Summo Pontifice recognovisse approbasse; præterquam quod sine Concilii definitione, Pont ficum definitiones ad certam illam veritatem faciendam suffic rent. Verumtamen cæpius simul Pontifices cum Conciliis gen ralibus illa potestate usi sunt, ut Innocentius III in Conci Lateranense, cap. 3, et Innocentius IV in Concilio Lugdunen Unde non est dubium quin ipsa Concilia facta approbando, p testatem in Pontifice recognoverint. Præterquam quod con muni Ecclesiæ traditione et consensu hæc veritas fundata e

28. *Omnes Catholici doctores admittunt in Papa jurisdicti nem ad regem hæreticum deponendum.*—Neque in hoc puncto dissensio inter catholicos Theologos (hos enim, ut opinor, n mine scholasticorum rex intelligit, nam sui Theologi scholas cam Theologiam detestantur). De communi autem consen Catholicorum in hoc puncto, satis dictum est in libro 3, et tius a Cardinali nostro, libro contra Barclaium, in principio. qui dissidere eos dicunt, ostendere debent auctores catholic qui huic veritati contradicant, quod certe facere non possu. Nam etiam illi scholastici (1), qui potestatem Pontificis int

(1) Vide Almainum, tract. de Suprema potestate laic ; Gerson, trac de Potestate Eccles , cons. 22.

dum restringere visi sunt, ut Okam, Gerson, Parisius, et similes, hanc potestatem deponendi reges hæreticos, vel perniciosos saluti subditorum, illi nunquam denegarunt, licet in modo loquendi sit inter eos aliqua diversitas, an Papa possit per se et immediate id facere, an solum præcipiendo subditis ut talem regem abjiciant: et in hoc etiam plures ex illis, et qui melius sentiunt, et cæteri omnes utrumque modum censent cadere sub potestatem Pontificis. Et revera, per se incredibile est non habere christianum regnum remedium contra hæreticum regem; est enim hoc contra omnem rationem, et contra exactam Dei providentiam, cum rex hæreticus facillime totum regnum inficiat, ut experientia docet. Unde etiam Papa, si hæreticus sit, potest ab Ecclesia deponi; ergo necesse est ut sit potestas in terra, quæ possit regem hæreticum pertinacem et incorrigibilem deponere. Ergo maxime esse debet in Pontifice tanquam in supremo animarum pastore visibili in terris, neque in alio potuit convenientius talis potestas collocari, ut illa privatio, quæ multis difficultatibus et periculis exposita est, majori cum maturitate et justitia fieret, ut explicatum est.

CAPUT VII

Summum Pontificem non solum potuisse, sed etiam debuisse catholicos anglos a professione dicti juramenti sua monitione avertere.

1. *Tres objectiones a rege propositæ contra Breve Pontificium.*—Hactenus injustitiam et errores prædicti juramenti fidelitatis demonstravimus, vanasque excusationes refellimus; superest ut Brevia Pontificia defendamus, et querelis regis et objectionibus satisfaciamus, quod ex principiis positis et breviter et facile expediri potest. In principio igitur Apologiæ audet

rex Pontificem reprehendere, quod «Brevi in Britanniam missc ibique vulgato, Papicolis omnibus interdixerit ne hoc sacra mento fidelitatis se adstringi paterentur.» Triaque peccata i ipso potissimum notat, unum contra ipsum regem, aliud contr Catholicos Anglos, tertium in modo ipso refutandi juramentun De primo sic inquit: «Cum indictum bellum non sit, negari no potest quin fecerit Pontifex contra bonos mores, et consuetu dinem principum, maxime christianorum, quod me inauditu condemnarit.» Unde postea sic colligit: «Pontifex, si existim se meum judicem, quod dici solet competentem, cur me indic causa condemnat? sin aliter se res habet, et si nihil Papæ m cum est negotii (quod est verissimum), quare se immiscet ope non suo, et falcem mittit in messem alienam, in re præserti civili, et quæ ad eum nullatenus spectat?»

2. Secundo, probat peccasse contra Catholicos Anglia quia «eos in miseras angustias conjecit, ut aut cum discrimi vitæ et jactura fortunarum fidelitati erga principem renuncien aut cum catholicæ fidei detrimento animarum salutem, ut o tendit Pontifex, in periculum adducant.» Utrumque enim h rum periculorum vitaretur, si, ut facere cœperant, bona fi juramentum illud præstare sinerentur. Tertio, probat Ponti cem defecisse in modo, «quia multam insumit operam, integra jurisjurandi formulam ad verbum recensendo, postea vero u generali verbo totum juramentum proscribit,» non indican quid reprehendat, ut vel emendari vel benigne interpretari ipso posset, vel si hoc ipse facere contemneret, aliquam exc sationem sui subditi Catholici haberent, si juramentum rec sarent.

3. *Fundamenta contrariæ doctrinæ. — Habet jus Ponti examinandi tale juramentum.* — Hæ autem objectiones ex duol erroneis principiis procedunt. Unum est, Pontificem non hab directam potestatem spiritualem supra regem; aliud est, mu minus habere Pontificem potestatem etiam indirectam su regem in temporalibus. Contraria vero dogmata in lib. 3 a n

bis stabilita sunt et probata, quibus suppositis facile objectiones omnes refelluntur. Nam imprimis dicimus potuisse Pontificem jure suo formulam juramenti a rege præscriptam examinare, et quatenus eam judicavit aut religioni christianæ contrariam, aut contra reverentiam juramenti sacrilegam, eam reprobare ac prohibere. Probatur primo, quia juramentum res valde spiritualis est et sacra; ergo directe cadit sub potestatem spiritualem Pontificis; ergo ad munus Pontificis pertinuit reprobare juramentum de re iniqua, et valde perniciosa fidelibus, quale in illa formula contineri, satis in superioribus ostensum est.

4. Secundo, quando lex civilis vel terminos suos temporales excedit, vel disponit de temporalibus, fovendo peccata, vel illorum occasionem præbendo, Pontifex per potestatem spiritualem, quatenus ad temporalia indirecte extenditur, potest illam reprobare et irritare, vel irritam declarare, ut supra lib. 3, c. 22, late ostensum est; at vero formula illa (ut rex ipse contendit) est quædam regia pragmatica, seu lex civilis, et (ut nos ostendimus) excedit terminos materiæ civilis et temporalis, et continet multa religioni et bonis moribus contraria, ita ut a fidelibus sine dispendio animarum servari non possit; ergo Pontifex illam reprobando legitima clavium potestate usus est, nimirum, clave scientiæ, declarando injustitiam et malitiam illius juramenti, quod est proprium munus pastoris, ad quem spectat pascere Christi gregem, et clave potestatis, prohibendo usum talis juramenti. Unde etiam confirmatur, nam Summus Pontifex jus habet defendendi potestatem quam Christus Sedi suæ contulit; sed juramentum illud directe est contrarium Pontificiæ potestati; ergo jure potuit illud efficaciter reprobare et prohibere.

5. *Pontificem ad reprobandum tale juramentum obligari.*— Deinde addimus, non solum potuisse, sed etiam ex vi muneris et officii sui debuisse non tacere, nec occultare veritatem, sed subditos suos monere ut a tali juramento abstineant. Probatur primo, quia tenetur publica scandala et occasionem peccandi

per doctrinam detegere, quando per fraudem et deceptionem a hostibus Ecclesiæ fidelibus offeruntur. Et similiter tenetu quantum in se est, talia pericula per potestatem suam auferr vel impedire, maxime quando aliqua publica auctoritate appr bantur et proponuntur. Utrumque enim horum includitur verbis Christi: «Pasce oves meas»; ibi enim data est potesta ut supra late declaratum est, et simul cum collatione potestat continent illa verba præceptum Petro et successoribus ejus in positum, ut constat, tam ex forma verborum quam ex materi nam, supposito munere, hoc præceptum connaturale est, pro ter quod dixit Paulus, Ecclesiæ præpositos rationem esse p animabus subditorum reddituros. At in hoc juramento illa om nia concurrunt, scilicet, latens occasio erroris et deception acceptando abjurationem Pontificiæ potestatis sub colore jur menti civilis fidelitatis, et consequenter occasio schismat hæresis et perjurii; ergo tenebatur Pontifex ex vi mune veritatem aperire, non obstante quocumque incommodo, qu cum tanto spirituali detrimento non est tacenda veritas, pro ter incommoda quæ ex hominum malitia formidantur.

6. Item ex alio principio sequitur hæc obligatio, quia t netur Pontifex ecclesiastica jura tueri ac defendere, tanqua fidelis dispensator et prudens. Quod cum de omnibus bonis e clesiasticis verum sit, maxime locum habet in Pontificia digi tate et potestate tuenda, quia est fundamentum ecclesiasti unitatis, ut Christus ipse docuit, et ad servandam fidei veri tem maxime necessarium, ut experientia ipsa ostendit, et lib. 3 probatum est. Hæc autem Pontificia potestas per hoc j ramentum labefactatur, in regno quidem Angliæ per potenti et pravam doctrinam, et inde posset per pravum exemplum alia redundare; ergo tenebatur Pontifex, non obstante quacu que difficultate vel impedimento, illi juramento sese oppone illudque detestari.

7. *Etiamsi juramenti controversia foret dubia, a Ponti dirimenda esset.* — Quin potius ulterius addimus, non solum

re tam clara, quam est illius juramenti perversitas, sed etiam si esset res dubia, ad Pontificem pertinuisse veritatem aperire, ne in re tam gravi et periculosa fideles in tenebris versarentur. Ita generaliter docet Innocentius III, in c. «Per venerabilem», Qui fil. sint legit., et adducit illud Deuteron., 17: «Si difficile et ambiguum apud te judicium fuerit», etc., usque ad illud: «Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille.» Quæ lex, quatenus directiva est et moralis, etiam nunc habet locum, non virtute legis veteris, sed virtute fidei Evangelicæ, quia, supposita potestate Summi Sacerdotis legis gratiæ, illa obligatio necessario sequitur ex lege quasi connaturali illi potestati. Unde ratio propria est, quia materia illa spiritualis est, tum quia pertinet ad doctrinam fidei et morum, quam declarare ad Pastores Ecclesiæ pertinet, non ad reges, ut supra ex Scriptura et Patribus satis probatum est; tum etiam quia proxime attingit salutem animæ; tractatur enim an tale juramentum animæ noceat, necne; ergo ad Pastores animarum, et præsertim ad eorum caput, judicium in tali dubitatione pertinet.

8. Confirmatur ac declaratur, nam orta simili controversia inter regem etiam catholicum et Papam, an aliquod juramentum sit licitum, et fidei consentaneum, non est certe talis controversia bello dirimenda, quia nec bellum est conveniens medium ad veritatem moralem declarandam, neque ille modo convenienter esset Ecclesiæ in spiritualibus provisum, nam inde necessario orirentur schismata, et regnum in se divisum non posset subsistere (1). Neque etiam posset talis controversia per arbitros terminari, quia in declaranda morali veritate, tale

(1) Vide Bellarmin., lib. de Sacram. matrim., c. 32; Victor., Relect. 3, de Potest. Pontif., § «Utrum potestas spiritualis», etc., n. 4; Ledes, n. 4, p. 2, q. 20, art. 4, dubio principali post conclus. 8; Molin., tom. 1 de Just., disp. 29, circa finem.

judicium circa rem dubiam non transcendit humanam opinionem, nec potest ab aliquo arbitro majori potestate ferri, et id non sufficit ad securitatem Ecclesiæ, nec potest Pontifex tam judicio se submittere; ergo necesse est ut talis controversia per regem vel per Pontificem dirimenda sit. Nemo autem qui Scripturas legerit, præferet in eo negotio potestatem regiam Pontificiæ, cum hæc sit simpliciter superior, spiritualis, ac Vicaria Pastoris, cui Christus oves suas commisit ad eas in fide et moribus dirigendas. Debet ergo rex in simili controversia a Pontifice dirigi et gubernari, et tanquam ovis a pastore duci et pasci.

9. Ex his satis convincitur, regem Angliæ non solum iniuste merito conqueri de Summo Pontifice, quod de sua juramenti formula judicium tulerit, verum etiam gravissime peccare a judicio illius discordando, cum illi tanquam subditus parere teneatur, præsertim in causis spiritualibus, ad quas controversia de juramento pertinere evidentissimum est. Accedit quod nullam justam excusationem aut defensionem sui juramenti afferre hactenus potuit, ut in priori parte hujus libri ostensum est, quæ ibi adduximus, nullam inveniri posse convincunt. Neque etiam contra Brevia Pontificia aliquid grave vel alicujus momenti objecit, præsertim quod ad punctum causæ principalis quæ est de honestate juramenti, pertineat, ut in sequenti videbimus.

10. *Prima regis objectio in ipsum retorquetur.* — In prima ergo reprehensione, qua Pontificem arguit, quod Pontifex ipse inauditum condemnarit, cum inter eos bellum indictum non sit, multipliciter rex ipse arguendo peccat. Primo, quia ratio ista de bello non indicto impertinens est. Nam etiam inter principes temporales, maxime christianos, licet neuter alteri subjectus sit, non licet inauditum condemnare, etiam post bellum indictum. Ut enim bellum ipsum juste indicatur ex parte aggredientis, necesse est ut contra inauditam partem non moveatur. Nam, teste Augustino, lib. Quæstionum in Josue, al. lib. 6 Quæst., q. 10: «Justa bella solent definiri, quæ ulc

cuntur injurias, si qua gens, vel civitas, quæ bello etenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.» Hæc autem constare non possunt parti non auditæ; ergo etiam per bellum justum non potest justa condemnatio fieri contra inauditam partem; ergo neque etiam post indictum bellum potest unus rex alium æqualem seu supremum per sententiam, vel alio modo inauditum condemnare, prout rex in sua objectione supponere videtur. Deinde quia quamvis inter alios principes æque supremos id utcumque procederet, longe diversa ratio inter ipsum et Pontificem intercedit, ideoque illa etiam comparatione abutitur, cum ipse jure subditus sit Pontifici ratione baptismi, et fidei, quam in illo professus est. Quod si ipse rex veritatem hanc negare, et contrariam profiteri publice non veretur, quomodo conqueri potest quod inauditus condemnetur? Præterea, cum rex ait non esse indictum bellum inter ipsum et Pontificem, si de bello materiali seu corporali intelligat, quid ad causam refert, quæ principaliter et directe (ut sic dicam) spiritualis est? Bellum autem spirituale maxime inter regem Angliæ et Summum Pontificem indictum est, illudque primus indixit publice Henricus, quem Jacobus successor ejus imitatur, et hoc satis est ut, etiam si condemnaretur, conqueri non posset inauditum condemnari.

11. *Pontifex nullam pœnam regi imposuit.*— Denique cur se condemnatum conqueritur? Nam in neutro Brevi Pontificio aliqua ejus condemnatio legitur, nec excommunicatio lata, nec depositio pronunciata, nec aliqua alia pœna inflicta, aut dicta sententia. Quod si juramenti reprobationem et prohibitionem, condemnationem suam appellet, immerito dicit se inauditum fuisse condemnatum, quia formula juramenti ubique auditur et legitur, quod satis est ut ipsa damnari possit. Neque oportet amplius audiri personam, cum contra illam nulla sententia declaratoria criminis in editione vel petitione talis juramenti commissi, neque aliqua pœna propter idem crimen in regem lata

sit. Sed ait rex, Pontificem ipsum inauditum condemnass «partim eum persecutoribus annumerando, partim imperan Anglis catholicis, ut ab hoc juramento abstineant.» Sed ne trum horum ad propriam et juridicam condemnationem pert net, quæ contra inauditam partem ferri non debet. Nam opinione privata ex publica fama et effectibus manifesta ju care, et loqui de aliquo tanquam de alicujus criminis auctor sæpe licet, etiam si ipse prius non audiatur, ut est per se m nifestum. Qua vero ratione possit juste rex Angliæ persecuto bus fidelium adnumerari, in decimo capite videbimus. De pr hibitione autem juramenti, jam diximus, satis esse auditu regem quoad hanc partem legendo ipsam juramenti formula quam neque ipse negat, neque dubitari poterat ejus auctorit factam, et suis subditis esse propositam.

12. Quocirca si tantum de condemnatione privata (ut dicam) loquebatur rex, nihil ad rem confert dilemma quod s jungit, quia ad judicandum de aliquo privatim non oportet e judicem competentem, id est, jurisdictione utentem, nec etiam est semper necessarium (ut dixi) personam judicand audire; satis est enim sufficientes causas, rationes et motiva ita judicandum habere. Neque etiam alteri membro de proh tione juramenti recte accommodatur dilemma, quia ad rep bandam falsam doctrinam non oportet esse judicem compet tem auctoris ejus, neque ipsum aliter audire, quam per scri sua. Ad prohibendum autem sub præcepto tale juramenti necessaria quidem est jurisdictio in eos ad quos fertur præc tum, quam Angli catholici in Summo Pontifice tanquam in pastore recognoscunt. Recte ergo potuit Pontifex Anglis ta prohibitionem imponere, præsertim cum non tam legem no fecerit, quam divinam et naturalem de evitando illicito ju mento, et falsi erroris professione fugienda declararit, et suo p cepto confirmarit. Respectu autem regis, licet verissimum Pontificem esse ipsius judicem competentem ut supra oste

mus (1), nihilominus tamen in hoc actu nullum judicium jurisdictionis in regem exercuit. Nam, licet auctor similis juramenti esset aliquis princeps ethnicus non baptizatus, si juramentum errorem aliquem in fide christiana, vel injuriam nostræ religionis involveret, posset Pontifex illud reprobare, et Catholicis sub quocumque imperatore gentili degentibus prohibere, ut ex hactenus dictis satis manifestum est.

13. *Discrimen inter Breve Pii et Pauli V.*—Quapropter immerito rex, in pagin. 7 Apologiæ, confert et æquiparat sententiam a Pio V latam contra Elisabetham, cum hoc Brevi Pontificio Pauli V, dicens: «Num potuit is» (id est Pius V) «aliquod statuere acerbius aut gravius, quam in me statuit hic Pontifex? Quid enim inter hæc duo intersit, subditos a vinculo obedientiæ solvere, et præcipere ut arma capessant, quod Pius V fecit, et dicere subditis ne principi juramentum fidelitatis exposcenti obtemperent, quod hodiernus fecit Pontifex, non facile discerni potest.» Sed quamvis utriusque Pontificis factum æquissimum fuerit, tam longe distant, ut facillime illorum discrimen cerni possit. Pius enim V sententiam in personam reginæ protulit, gravissimam pœnam indixit, et potestate sua severe, licet juste, in eam usus est. At vero Paulus V nullam in regem Angliæ sententiam tulit in suis Brevibus, neque hactenus aliqua pœna illum mulctavit, aut eam incurrisse auctoritate sua declaravit, sed improbitatem solius juramenti aperuit, et quod necessario consequens erat, regi illud imperanti obtemperare prohibuit; non vetuit autem (ut rex semper causatur) simpliciter et absolute ne subditi suo regi juramentum fidelitatis præbeant, sed ne hoc juramentum, quod fidei et religioni christianæ injuriosum est, præstent. Ideoque valde diversa sunt prohibere subditis regis hoc juramentum, vel illos a civili obedientia sui regis absolvere; possunt enim, sine coactione ad hoc jura-

(1) Lib. 3.

mentum, eam civilem obedientiam præstare et jurare, quæ fide Christianæ puritati non repugnet.

14. *Respondetur ad secundam regis objectionem.*—Ad secun dam objectionem de subditorum detrimentis et periculis respon detur, non a Pontifice veritatem docente, et quod per se malu erat prohibente, sed a rege tale juramentum imperante subdi tos Catholicos in eas angustias redigi. Supposita enim regis et coactione, no potuit Pontifex veritatem tacere, aut errore dissimulare, suo muneri, ut par erat, satisfaciendo. Ad tertia responsum optime est ab aliis, Pontificem ut legislatorem scri sisse, ideo breviter quid cavendum sit intimasse. Addere ve possumus, non oportuisse Pontificem designare, quid in il juramento reprehenderet, nam a principio ejus usque ad nem nihil fere in eo est quod cavendum non sit et vita dum, quia in singulis ejus partibus, ut ostendimus, vel iide vel diversi errores inculcantur. Et ita sunt omnes ejus se tentiæ inter se connexæ, ut vix ulla sit a suspicione erro libera. Quapropter non solum prudenti, sed etiam necessa consilio, nihil in particulari Pontifex reprehensione digna designavit, ne cætera tacite approbare videretur.

CAPUT VIII

Possintne angli hoc juramentum admittentes, aliqua ratio aut modo a culpa excusari

1. *Aliæ duæ objectiones contra Breve.*—Post initium et q si præfationem suæ Apologiæ, primum Pontificis Breve rex verbum recenset, et deinde ad illud impugnandum aggredit Possumus autem Breve ipsum in tres partes distinguere: pr enim Pontifex ad fideles in tribulatione sua consolandos, e moribus instruendos pauca verba præmittit; deinde jurame

tum reprobat ac prohibet; et tandem ad fortiter pro fide resistendum, et ad charitatis concordiam filios suos exhortatur. Quæ fere omnia eodem ordine rex impugnat, nobis autem commodius visum est prius materiam de juramento absolvere, postea vero cum rege circa alia digredi. Proposita ergo juramenti formula, illud exhibere his verbis Pontifex vetat: «Quæ cum ita sint, vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quod hujusmodi juramentum salva fide catholica et salute animarum vestrarum præstari non potest, cum multa contineat quæ fidei et saluti aperte adversantur.» Contra quæ verba nihil novi rex objicit, sed duas impugnationes repetit, quas licet sæpe inculcet, nullam vim præter verborum acrimoniam illis addit. Prima est, quia Pontifex paucissimis verbis juramentum perstringit, et sine ulla probatione juramentum refellit. Unde subungit rex: «Huic vero vetus dictum quadrat, quod de Philosopho circumfertur, multa dicit, sed pauca probat; imo vero nihil omnino probat.» Altera objectio est, quia professio fidelitatis erga principem non potest religioni et saluti adversari, et de contraria assertione inquit: «Ita excedit meam Theologiam, quantulacumque illa est, ut prorsus novam et exoticam planc assertionem esse, non possim non existimare, nec ejus ore proferendam, qui se universalem Episcopum, et omnium Christianarum animarum æcumenicum pastorem satis insulse venditet.» Et hoc argumentum repetit rex, pag. 30 Apol., et in pag. 31.

2. *Satisfit primæ.*—In his autem objectionibus, ut dixi, si pius et consideratus lector attendat, nullam rationis vim nullamve doctrinæ soliditatem, sed tantum dicendi licentiam inveniet. Ad priorem ergo reprehensionem jam capite præcedenti justas brevitatis causas reddidimus Ad novam autem redargutionem, «quia Papa dicit, et non probat», recte Bellarminus respondet, illa, quæ rex allegat, non hominis fidelis et Christiani esse, sed philosophi pagani, seu infidelis, sive ille fuerit Aristoteles de Moyse loquens, ut rex indicat, sive Averroes de

Christo, ut ferunt, sive Galenus, ut apud ipsum reperitur scri tum (1); omnes enim illi non fide, se proprio judicio et opini ne regebantur, quos in hoc hæretici imitantur, et ideo miru non est si Pontifici objiciant, quod alii Christo vel Moysi opp nebant. Pontifex autem cum loqueretur fidelibus, quibus dictu est: «Nisi credideritis, non intelligetis», non disputationem t xuit, nec prolixam probationem adjunxit, sed simplicis verita propositionem sufficere judicavit. Cum enim ad orthodoxos l queretur, qui de illius auctoritate et potestate non dubitant, inter eos multi sint rudes et idiotæ, qui rationes et probatio Theologicas assequi non valent, conveniens non erat eos rati nibus et probationibus onerare, sed simplicem veritatem doc re. Imo etiam pro doctioribus oportebat, non in ambiguit opinionem et humanarum rationum rem tanti momenti cons tuere, sed eam Pontificia auctoritate firmare, ac brevi decla tione veritatis rem expedire. Addo vero, etiam in illis ver certissimam et evidentissimam probationem Pontificem insinu se dicendo: «Vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet»; n est enim necessaria alia probatio præter verba juramenti, illa est sufficientissima, ut in sex primis capitibus a nobis d monstratum est, possuntque pro commentario quodam hor verborum Pontificis deservire.

3. *Confutatur secunda.*—Ad alteram objectionem jam sa responsum est, non oportere loqui in communi de juramen fidelitatis civilis, sed de hoc juramento, quod potius est abju tionis fidei erga Pontificem, quam fidelitatis ad regem. Ju mentum ergo fidelitatis in communi sumptum non repugn religioni Romanæ, nec fidei Christianæ, quæ eadem est, neq etiam saluti fidelium, neque Theologi nomen meretur, qui l ignorat Verumtamen, ut pro veritate libere respondeam, n satis illam ponderavit, qui assertionem illam tribuit Sum

(1) Vide Galenum, lib. 3 de Different. puls.

Pontifici, cum in neutro ejus Brevi, imo neque in universis decretis Pontificum aliquod ejus vestigium reperiatur. At vero hoc juramentum infidelitatis evidenter pugnat cum religione vera, et contra salutem est animarum, et hoc est quod Pontifex dixit, estque verissimum, et ex verbis juramenti perspicuum, ut in præcedentibus a nobis, et prius a Cardinali Bellarmino responsum et probatum est. Quibus probationibus rex nihil respondit, sed digreditur postea in sua Apologia ad probandam regum auctoritatem et potestatem in temporalibus, ac si aliquis Catholicorum illam negaret. Unde nihil adducit quod ad punctum præsentis controversiæ pertineat. Probant enim omnia illa, reges habere supremam potestatem in temporalibus; non tamen probant, non habere illam subordinatam et subjectam spirituali potestati Pontificis, ut in discursu tertii libri latissime ostensum est. Ubi ad omnia, quæ hic rex proponit, responsum est, ideoque de hac objectione nihil amplius nobis dicendum superest. Solum advertere non omittam, immerito regem, in pag. 33, Pontifici attribuere quod, incertis rumoribus ductus, temere hoc Breve expedierit, nam ex ejusdem Pontificis paucissimis verbis evidenter constat, non fama, aut rumoribus, nec aliis extrinsecis testimoniis, sed perspicuis juramenti verbis motum vel potius coactum fuisse, tale juramentum fidelibus interdicere. Neque dissimilia sunt quæ in subsequentibus usque ad finem hujus partis rex profert, quæ lubens omitto, quia et ad sola facta pertinent, et illis copiose Bellarminus respondet.

4. *An suscipiens hoc juramentum a peccato excusari possit.* — *Excusatio prima.* — Dubitare vero quis ulterius potest circa hanc partem Pontificii Brevis, an, eo non obstante, possit aliquo modo excusari a culpa infidelitatis vel sacrilegii, qui juramentum illud exhibere non recusaverit. Et ratio dubitandi imprimis esse potest, quia in illo juramento nullum dogma fidei negari seu abjurari videtur. Ad summum enim in illo negatur Pontifici potestas deponendi regem, nam cætera ex hoc principio pendent; at vero licet nos credamus esse verum, Pontificem

habere hanc potestatem, non tamen videtur pertinere ad do
mata fidei, quia nec in Scriptura invenitur expressum, nec
Ecclesia tanquam de fide definitum; ergo licet illud neget
exhibendo tale juramentum, non negabitur aliquod dogma
dei. Unde ulterius inferri potest, non teneri aliquem cum ma
na jactura, et præsertim cum evidenti periculo mortis tale ju
mentum recusare, quia si non continet fidei abnegation
externam, non est intrinsece malum, neque contra religi
nem, ac subinde excusari poterit a culpa propter tam grav
causam.

5. *Secunda excusatio.*—Secundo, potest augeri excusat
quia verba juramenti non sunt tam clara, quin possint in a
sensu concipi et jurari, in quo etiam illa Pontificis potestas
deponendos reges non abjuretur; ergo hoc modo licitum, se
culpa excusabile est hoc juramentum. Consequentia probat
quia, licet afferens juramentum, in pravo sensu et mala intenti
ne illud exigat, jurans non tenetur illius intentioni conforma
sed potest uti amphibologia quam verba patiantur, et tunc nec
contra veritatem juratur, neque contra religionem, vel fidei co
fessionem, quia jurans nihil tale jurare intendit. Difficultas itaq
videtur esse in antecedente, quod probatur, nam in prima clau
la cum juratur rex, «quod sit supremus dominus», etc., intel
potest in sano sensu de supremo dominio temporali, et cum s
jungitur Papam non posse eum deponere, jurans potest sub
telligere, «suo arbitrio et libidine», ut rex Angliæ loqui sol
possunt ergo ita hæc illius verba sumi, subintellecta illa pa
cula, ac si esset expressa, vel, quod in idem redit, subintel
potest «sine legitima causa.» Eademque particula mente co
pi et repeti potest in cæteris verbis ejusdem clausulæ. Et
clausula secunda, potest specialiter fundari in illis verb
«Ipsumque et ipsos totis meis viribus contra omnes conspi
tiones, et attentata quæcumque defendam. Conspirationes» e
et «attentata» in deteriorem partem accipiuntur ad signific
das conjurationes et tumultus injuste excitatos. Potest e

nusquisque in hoc sensu verba illa accipere, et non peccabit n eodem illa jurando ; ergo in eodem potest omnia præcedentia oncipere et jurare, quia in uno contextu posteriora verba ex-licant et limitant præcedentia. Et ita consequenter reliquæ lausulæ similem excusationem admittent, ut consideranti facile atebit.

6. *Ita legitur in Brevi Pontificio prout a Bellarmino refer-ur.*—Confirmarique solet ab Anglis, ut a fide dignis accepi, hæc mphibologia, quia juramentum in Anglicana lingua editum st, et in originali, pro verbo «interficiendi regem», est in vul-ari lingua verbum «murderari», quod anglice significat «in-iste interficere», et ita communiter accipitur ; ergo et in illo ramento potest licite ita accipi in sensu etiam litterali, ac ommuni, maxime in casu amissionis vitæ aut bonorum om-ium. At in illo sensu verum est nunquam esse licitum subditis murderari» regem, et hæreticum esse affirmare, id aliquando cere, sicut hæreticum esset dicere, aliquando esse licitum in-istitiam facere. Ergo alia verba trahi possunt ad eumdem sen-um propter connexionem. Vel certe, quia tota propositio, cum opulativa sit, ratione alterius partis est falsa. Nam in tertia lausula copulative proponitur abjuranda propositio, «licere egem deponere et occidere» (utique injuste); ergo tota propo-itio erit falsa et hæretica ratione unius partis, et ita poterit ine peccato abjurari, quia propositio copulativa, cujus una ars est falsa, simpliciter est falsa ; et similiter si una pars sit æretica, simpliciter hæretica erit.

7. *Excusatio tertia.*—Tertia evasio vulgaris esse solet de xcusatione per ignorantiam, quam non solum esse posse, sed e facto fuisse invincibilem apud Anglos, aliqui eorum persua-ere conati sunt. Quia opinio asserens licitum esse illud jura-ientum exhibere, multorum virorum auctoritate, et variis ationibus et expositionibus clausularum facta est probabilis; rgo, licet juramentum in se pravum sit, ut Pontifex declaravit, ihilominus practice non peccabunt illud admittentes, confor-

mando se opinioni probabili in casu tantæ necessitatis extren que periculi. Atque hæ sunt excusationes, quas ad permitte dum simile juramentum, ab aliquibus inventas esse audio; tamen vera potius sunt fraudes ad decipiendas animas, qu legitimæ defensiones talis promissionis veræ religioni contrar ut breviter per singulas discurrendo convincemus.

8. *Confutatur prima excusatio.* — Prima ergo excusatio hæreticis potius quam a fidelibus theologis inveniri potu falsum enim est et hæreticum quod in principio illius excu tionis sumitur. Nam propositio hæc: Papa potestatem habet deponendos reges hæreticos et pertinaces, suove regno in rel ad salutem animæ pertinentibus perniciosos, inter dogmata dei tenenda et credenda est. Nam continetur in verbis Chri Petro singulariter et peculiari ratione dictis: «Quodcumque gaveris, et quodcumque solveris»; et: «Pasce oves meas», pr Catholica Ecclesia, quæ est columna et firmamentum verita illa intellexit, et apertissime declaravit Bonifacius VIII in travag. «Unam Sanctam», de Majorit. et obedien., conclud esse veritatem hanc de necessitate salutis. Et ita omnes Doc res Catholici, tam juristæ quam Theologi in hoc gradu certi dinis veritatem hanc recipiunt, ut in lib. 3 ex professo est d putatum, et sæpius inculcatum est. Cum ergo in illo jurame abjuretur hæc potestas, plane abjuratur Catholica fides. Ur si ex corde fiat, amittitur fides, et in hæresim inciditur; si v fiat simulate, multiplex perjurium committitur, et contra fi confessionem peccatur, ut constat.

9. *Grave peccatum est abjurare Pontificis potestatem ve uno actu deponendi regem ex juxta causa.*—Addo vero etiam e falsissimum, quod in posteriori parte illius excusationis su tur, quia, licet veritas illa non esset in summo rigore de fi in primario gradu, ut aiunt, sed certa theologica certitudi gravissimum peccatum foret talem veritatem et illum actum P tificiæ potestatis abjurare. Probatur ratione proxime facta, q vel abjuratio ficte fit, et committuntur multa perjuria, et in

riosa ac perniciosa Pontifici, quod ad minimum est contra reverentiam et obedientiam illi jure debitam, et evidenter includit malitiam schismatis, quod proinde non audet rex de se negare. quamvis malitiam ejus dissimulet, ut in primo libro satis ostendimus. Si autem abjuratio fiat ex corde, gravius et formalius (ut sic dicam) schisma committitur, et juramentum licet non sit contra mentem, hoc ipso fit iniquum, et vinculum iniquitatis. Nam in materia gravissima, et necessaria ad unitatem, et concordiam Ecclesiæ, negare certam veritatem, etiam si non esset per se primo de fide, est gravissimum peccatum contra charitatem Ecclesiæ et contra justitiam, negando Sedi Apostolicæ quod legitimo titulo suum est; ergo jurare talem abnegationem, est sacrilegum et perniciosum juramentum. Non potest ergo ullo modo propter quæcumque temporalia incommoda vitanda admitti.

10. *Ostenditur argumento ad hominem. — Fundamentum dictæ Pontificiæ potestatis.*—Declaratur ad hominem: nam certe non est de fide Jacobum esse verum regem Angliæ, nullibi enim revelatum est; imo neque theologice certum est, satis enim erit si quadam fide humana moraliter certa credatur; et tamen non negabit quidem rex, quin jurare Jacobum non esse verum regem Angliæ sit grave peccatum, quia vel est jurare aliquid quod in re falsum est, vel saltem aliquid, quod sine magna temeritate non potest credi, vel affirmari tanquam verum, ideoque facile concedet rex, tale juramentum etiam propter vitandam mortem fieri non posse. At vero quantumcumque rex in sua Præfatione tergiversetur, longe certius est Pontificem habere potestatem in ipsum regem, quam ipsum esse verum regem, plura enim et altiora principia habet illud prius quam hoc posterius. Nam quod Jacobus fuerit verus successor regni, solum in quadam traditione et probatione humana fundari potuit, et non parum ipse formidavit ne in dubium verteretur, cum esset hæreticus, et reginæ jam declaratæ hæreticæ succederet; quem metum publica regni acceptatio, cum patientia et tolerantia

Pontificis auferre potuit. Potestas autem Papæ supra rege fundamentum habet in verbo Christi, in Ecclesiæ commu confessione, in Decretis Pontificum et Conciliorum, in doctrin Patrum et Theologorum optimorum, et catholicorum, et pr dentium utriusque juris interpretum, et in frequenti et invet rato usu; quomodo ergo potest una certitudo cum alia comp rari? Si ergo rex non gravate concedet iniquum esse, se subditis suis regem abjurari, quomodo disputare audet non es iniquissimum et perniciosum fidelibus Christianis Pontifici j suum, potestatem et obedientiam abjurare? quod in illo jura mento evidenter fit.

11. *Refellitur secunda excusatio.*—Secunda excusatio hominibus timidis, et in fide et charitate parum constantib inventa videtur; est enim valde frivola, et verbis juramen multis modis repugnans. Primum enim in fine juramenti add tur clausula excludens omnem extraordinarium sensum verb rum per subintellectas particulas, vel quolibet alio modo. enim dicitur: «Hæcque omnia plane ac sincere agnosco, et ju juxta expressa verba per me hic prolata, et juxta planum communem sensum et intellectum eorumdem verborum, ab que ulla æquivocatione, vel mentali evasione, vel secreta r servatione quacumque?» Si quis ergo hæc verba proferat ab que intentione implendi illa, eo ipso perjurus est; si vero corde et animo proferat, non habet locum tota illa secun excusatio, ut facile consideranti patebit. Nam, licet daremu particulam illam «sine legitima causa» vel «sua libidine» sub intelligi posse in abjuratione potestatis Pontificis per se spec tata, et non adjunctis aliis clausulis, non tamen potest tal additio tacita, seu mentalis, supposita illa ultima clausula, sin perjurio adjungi.

12. Deinde in hoc juramento non solum fit promissio nun quam occidendi regem, nec cooperandi ad conspirationem con tra illum, vel similia, quæ ad factum pertinent, et possent in telligi de injustis factis; sed abjuratur ipsa Pontificis potest

cum tot particulis distributivis, ut non habeat locum sensus ille seu limitatio subintellecta. Sic enim dicitur in prima clausula: «Et quod Papa nec per se ipsum, nec per ullam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuscumque aliis aliquam potestatem, nec auctoritatem habet regem deponendi,» etc. Quæ verba nullo modo restringi possunt ad potestatem deponendi injuste, vel sine causa, tum quia omnis potestas illi denegatur, tam in particulari respectu hujus regis, quam in generali respectu omnium successorum, ut in clausula secunda additur, et cum distributionibus, «non obstante aliqua declaratione, vel excommunicatione, vel depriyatione facta, vel facienda.» Tum etiam quia virtute juratur, talem sententiam vel depositionem non posse esse justam, nec efficacem, ex defectu potestatis, etiam si rex qui juramentum exigit, seu de quo in specie juratur, hæreticus vel schismaticus sit.

13. Præterea simili modo, et cum eisdem ampliationibus abjuratur potestas absolvendi subditos a vinculo obedientiæ, et quod, non obstante quacumque absolutione, defendant subditi regem etiam contra Papam, et nulla habita ratione alicujus censuræ vel excommunicationis. Quod non potest mente restringi ad excommunicationem injustam vel nullam, quia verba sunt adeo universalia, ut illis repugnet talis limitatio, scilicet: «Non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis,» a quibus verbis excludi non potest declaratio, quod talis sit hæreticus vel schismaticus, quæ sit vera, et a Papa per quamcumque potestatem suam facta, nam verba illa omnia comprehendunt. Denique tota illa professio, confessio et abjuratio est directe contraria Pontificum et Conciliorum definitionibus; ergo est expressa exterior negatio dogmatum fidei, quæ nunquam potest esse licita propter subintellectas interpretationes vel particulas, quia est contra obligationem confitendi idem, et non negandi illam etiam exterius. Ut omittam scandalum publicum aliorum fidelium, quod non potest a tali ac-

tione separari, neque præbendum est, etiam propter vitandam mortem, ut exemplo Mathatiæ Machabæi docemur.

14. *Refellitur confirmatio Pontificiæ potestatis.—Excluditur evasio.*—Unde ad confirmationem de vulgari verbo Anglicano «murderari,» quod dicitur significare idem quod «injuste occidere,» respondetur, si tantum proponeretur jurandum, hæreticum esse dicere, «regem posse a subditis murderari,» tolerabilem futuram fuisse excusationem. At nunc non solum ita proponitur, sed etiam esse hæreticum dicere, principes per Papam deprivatos aut excommunicatos, posse per subditos deponi, quod est contra doctrinam fidei. Nec habet locum evasio quod tota copulativa ratione unius partis sit falsa, tum quia ita forma juramenti prout habetur in libro regio, disjunctive legitur, «deponi aut occidi;» tum etiam quia, licet legatur copulative «deponi et occidi,» sensus idem redit, quia non juratur totum illud conjunctum, seu propositionem hypotheticam esse hæreticam, sed juratur singulas partes esse hæreticas, scilicet posse principem a Papa depositum per subditos deponi, et posse «murderari,» et ita semper damnatur ut hæretica propositio catholica, et secundum fidem certa. Eo vel maxime quod verbum «murderari» ideo positum ibi est, quia supponitur, non obstante sententia Papæ, occisionem regis esse iniquam prodictionem ejus, et contra fidelitatem regi debitam, et ita totum hoc ibi juratur. Unde, licet verbum illud per se sumptum illam significationem habeat, tamen in illo juramento per multa alia verba declaratur et extenditur, ita ut non habeat locum limitatio, præsertim respectu totius juramenti, et omnium clausularum ejus. In quibus sæpe fit expressa, et absoluta et universalis abjuratio potestatis Papæ ad puniendos reges, etiam rebelles et pertinaces; et præterea recognoscitur in rege auctoritas et potestas ad exigendum tale juramentum, et miscentur alia, quæ non possunt cum veritate jurari, seu a perjurio per illas verborum æquivocationes vel subintelligentias excusari.

15. *In quo sensu et in quibus personis tertia excusatio locu*

habeat. — Circa tertiam excusationem distinguere oportet tempora et personas. Quoad tempora enim possumus loqui de tempore ante declarationem factam a summo Pontifice, vel post illam. In priori tempore potuit fortasse esse aliqua contentio, vel opinionum diversitas inter Catholicos, salva conscientia, de quo statim dicam. Post declarationem autem Pontificis, nullo modo existimari potest probabilis opinio illi decisioni contraria, qui apud illum est potestas declarandi hujusmodi dubia ad bonos mores et fidem pertinentia, cui subditi stare tenentur, alias inutilis esset talis potestas. De quo jam satis in superioribus dictum est. Quoad personas vero distinguere oportet inter eos, qui docti sunt, et per se possunt qualitatem juramenti expendere, et de illo judicium ferre, et alios ignorantes, quos oportet aliorum duci opinione et judicio. De his posterioribus, non est dubium quin potuerint aliqui per ignorantiam excusari, si sacerdotes, qui reputabantur probi et docti, eos docebant juramentum illud potuisse salva conscientia præstari, retenta intentione non jurandi aliquid contra fidem vel contra Papæ potestatem. Hæc autem ignorantia jam non habebit locum etiam in his simplicioribus post Pontificium Breve, quia tenentur illud præferre omnibus suis privatis Doctoribus. Si tamen essent aliqui adeo rudes, qui nihil de Pontificia declaratione audierint vel intellexerint, posset adhuc in eis talis ignorantia durare, quia perinde se habebunt ac si Papa nihil declarasset. Verumtamen res adeo est notoria, et in illis partibus publica, ut vix possit casus moraliter accidere. In aliis vero fidelibus doctis, qui per se possunt juramenti momenta expendere, etiam sublato e medio Brevi Pontificio, nunquam censeo fuisse opinionem probabilem eorum, qui professionem talis juramenti licitam esse docebant, quia verba juramenti semper fuerunt tam perspicua et tam multiplicia, et tot modis conscientiam illaqueantia, et schismatis approbationem et professionem inducentia, ut, licet in una vel alia vocula aut particula, colorata evasio locum habere potuerit, impossibile fuerit modum vere

probabilem invenire totum juramentum honestandi seu excusandi, ac pericula ejus evadendi, ut satis probant quæ de singulis ejus verbis hactenus ponderata sunt. Si qui ergo in principio, doctrina et vita commendati, in illam sententiam prolapsi sunt, ducti fortasse timore aut ratione humana, non satis rem considerarunt, quorum ignorantia probabilis fuerit, necne, nunc judicare non est necesse, oportere autem existimo, maculam timere, eamque tum pœnitentia, tum publica confessione, qua infirmiores animentur et instruantur, ne in fraudem incurrant, compensare, et, si opus sit, proprio sanguine abluere.

CAPUT IX

Liceatne catholicis anglis templa hæreticorum adire, et cum eis in ritibus communicare sine intentione cultus vel cooperationis cum illis, solum propter temporales pœnas vitandas?

1. Quamvis rex Angliæ, in Apologia sua hanc partem Pontificis Brevis referens, eam attingere noluerit, ad hujus operis complementum, et ad majorem fidelium instructionem, majoremque eorum, quæ de juramento diximus, declarationem et confirmationem, nonnulla de hoc puncto dicere opportunum et necessarium hoc loco existimavi. Occasio autem seu necessitas hujus doctrinæ orta est ex dura vexatione quam Catholici in Anglia patiuntur, dum per leges acerbissimas bonis privantur, aliisque gravibus pœnis subjiciuntur, nisi Ecclesias hæreticorum adeant, eorumque concionibus, precationibus aliisve ritibus intersint. A temporibus enim Elisabethæ statim cœperunt Catholici gravissimis pœnis cogi ecclesias hæreticorum frequentare, eorumque ritibus et concionibus interesse. Priusque, ut Sand., lib. 3, ann. 1559 refert, in singula capita duodecim

assium mulcta est indicta ecclesias sicut prius frequentare recusantibus. Postea vero (ut idem refert an 1582) «ordinibus convocatis legem promulgant, qua mulctant utriusque sexus singulos (modo annum decimum sextum ætatis attingerint) qui recusant adire Protestantium preces, conciones, ac ecclesias, viginti libris Anglicanis menstruis, id est, aureis fere septuaginta.» Additumque est, referente Episcopo Tarazonensi, ut qui aureorum summam non haberent, in carcere detinerentur, donec solverent. Quæ leges et pœnæ acerbiores usque ad præsentem diem factæ sunt, ut capite sequenti referemus. Hinc ergo nonnulli, pia Catholicorum miseratione commoti, dubitare cœperunt an possint aliqua ratione a culpa excusari, illas leges servando, ita ut neque sine evidenti obligatione cogantur tot mala sustinere, neque etiam cum conscientiæ periculo, propter humanum timorem, vel temporalium rerum nimium amorem, iniquis ac tyrannicis legibus subjiciantur.

2. *Explicatur divinum præceptum de fide exterius confitenda.* — Ut autem ratio dubitandi veraque illius decisio intelligi ac fundari melius possit, pauca de obligatione et præcepto confitendi fidem, non solum verbis, sed etiam factis præmittere necesse est. Et imprimis tria illa discernenda sunt, quæ communiter in hac materia distinguuntur, scilicet, «confiteri fidem exterius», utique publice, seu coram aliis, ita ut videntes vel audientes per signa externa, a me exhibita, intelligant me esse Christianum; huic extreme opponitur «negare fidem»; quasi medium autem inter hæc est «occultare fidem», quod tantum negative opponitur confessioni, non contrarie, sicut negare fidem.

3. Ex his autem tribus certum est primum, scilicet, confiteri fidem, cadere sub præceptum divinum. Ita docent omnes catholici Doctores cum D. Thoma 2. 2, quæst. 3. Estque certum de fide ex illo Pauli, ad Rom., 10: «Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.» In hoc enim ultimo verbo, «fit ad salutem», significat Paulus, confessionem fidei esse ne-

cessariam ad salutem ; sicut enim dicitur corde credi ad justi tiam, quia fides est ad justificationem necessaria, ita fide confessio dicitur fieri ad salutem, utique æternam, quia a illam consequendam , et ad gratiam conservandam, est neces saria. Et inde etiam constat loqui Paulum de externa et sensi bili confessione fidei, nam interna pertinet ad prius membrum credendi corde; non enim aliter interius confitemur fidem, i est, veritates fidei, nisi illis assensum internum tribuendo quod est corde credere. Ultra hoc ergo requiritur ad salutem externa confessio. Quam etiam explicuit Paulus, dicens «ore fieri, non quia solo ore fieri possit aut debeat, nam etiam potes fieri actibus corporeis, et aliis signis externis , quibus christia nam religionem profitemur; sed quia verba sunt signa magi expressa, et ad mentem exprimendam principaliter instituta ideo specialiter tribuit Paulus ori confessionem fidei.

4. Christus autem, Matth., 10, absolute dixit: «Qui m confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.» Quæ verba non habent tam ex pressam formam præcepti, sicut promissionis, sed aliis loci explicuit Christus, confessionem nostram esse nobis necessa riam ad obtinendam confessionem suam, ut statim videbimus Recte autem quadrat Christi promissio cum verbo Pauli «a salutem.» Distinxit enim Apostolus inter fidem cordis et con fessionem oris, et illam dixit necessariam «ad justitiam», i est, ad remissionem peccatorum, et internam animæ renovatio nem obtinendam, quia interna fides fundamentum est ipsiu justitiæ; ad illam autem non est ita necessaria confessio extern fidei, nisi forte in proposito generali implendi omnia præcepta Alioqui enim justificatur homo per internam fidem cum cordi contritione et dilectione, priusquam in externum actum con fessionis fidei prodeat. Unde recte dixit Ambrosius in Psalm. 38 «Fides credentium principalis est, confessio executionis.» E ideo confessio fidei non dicitur esse ad justitiam , sed «ad salu tem» ; nam post justitiam obtentam adhuc necessaria est fide

confessio ad perseverandum in illa justitia, et consequenter ad salutem consequendam, nam «qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, et illum Christus coram Patre suo confitebitur.

5. Hoc autem præceptum non est tantum positivum divinum, sed est morale præceptum quasi connaturale ipsi fidei, seu homini, supposito statu fidei: ideoque in omni tempore, et in omni statu Ecclesiæ fidei confessio fuit ad salutem necessaria. Rationem autem hujus veritatis attigit Augustinus, lib. de Fid. et symbol., in princip., dicens: «Fides a nobis exigit officium et cordis et linguæ; ait enim Apostolus: Corde creditur», etc. «Et ideo oportet nos esse justitiæ memores et salutis, quandoquidem in sempiterna justitia regnaturi a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus.» Quibus verbis insinuat, fidei confessionem propter proximum esse necessariam. Idemque declaravit amplius, serm. 181 de Tempor., alias serm. 59, de diversis, his verbis: «Sine fide impossibile est placere Deo, hanc in cordibus nostris agnoscit, qui scrutatur renes et corda. Sed propter conservandam Ecclesiæ unitatem dispensationi hujus temporis cum fide cordis necessaria est oris confessio, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, non tantum prædicatorum, sed etiam eruditorum: non enim aliter frater de fratre sentiret, nec pax Ecclesiæ servaretur, neque alium docere, neque ab alio discere saluti necessaria posset, nisi quod in corde habet, signis vocum tanquam suis vehiculis ad aliorum corda transmitteret. Est ergo fides et corde servanda, et ore promenda. Fides enim omnium bonorum est fundamentum.

6. *Proprium motivum confessionis fidei est ad internam manifestandam.* Itaque sentit Augustinus fidem cordis propter Deum per se primo necessariam esse, confessionem vero fidei propter proximos, seu propter Ecclesiam, nam sicut fides interna est fundamentum unionis animæ cum Deo, ita confessio fidei

est fundamentum ecclesiasticæ unitatis et pacis. Non quod ipsa etiam confessio fidei non sit præcepta propter Dei honorem et cultum, sed quod non ita directe et immediate ad Deum tendat vel propter ipsum necessaria sit, sicut interna fides. In quo est etiam considerandum, confessionem fidei duobus modis fieri posse, uno modo propter ostendendam exterius fidem internam quam in corde habemus, ita ut hoc sit præcipuum et quasi unicum proximum motivum talis confessionis; alio modo fit præcipue propter aliquem cultum externum exercendum, Deoque exhibendum; et hoc modo sacrificium Missæ et usus sacramentorum, et aliæ cæremoniæ, dici possunt pertinere ad confessionem fidei, proprie autem sunt actus religionis, et propter Dei cultum et honorem proxime ac præcipue fiunt et præcipiuntur. At vero formalis (ut ita dicam) et propria confessio fidei est, quæ fit ad manifestandam aliis nostram internam fidem, et hæc sine dubio ad homines immediate refertur, nam propter Deum non erat necessaria, ideoque recte fundatur ratio hujus præcepti in necessitate hujus confessionis ad conjunctionem fidelium in unius Ecclesiæ pace et unitate, quam ipsamet fides exigit. Et ita etiam exposuit idem Augustinus illud Psalm. 115: «Credidi propter quod locutus sum, quia non perfecte credunt (inquit) qui quod credunt, loqui nolunt.»

7. Atque hinc colligitur etiam, secundum, scilicet «negare fidem», esse contra divinum præceptum, seu cadere sub præceptum prohibens, seu negativum. Quod eodem modo est de fide certum, dicente Christo Domino, Matth., 10: «Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.» Nam quia negaverit, audiet: «Nescio vos», ut ibi dixit Theophil. Unde Paulus, 2 ad Timoth., 2: «Si negaverimus, et ipse negabit nos», ubi Ambrosius, Theodoret. et Primas id notant. Et Chrysostomus, homil. 35 in Matth., rationem reddit, dicens: «Liberam petit confessionem, et ad majorem charitatem nos adducit, et sublimes atque invictos esse desiderat, quapropter omnibus hæc præcipit.» Et eodem modo inter

pretatur ibi verba illa Christi: «Estote prudentes sicut serpentes (1), qui corpus exponunt cuicumque vulneri ut caput servent; ita enim fidelis debet potius corpus prodere, quam fidem (quæ caput est et initium bonorum omnium negare. Quod etiam habent ibi Hieronymus et Hilarius, cap. 10; et Augustinus, lib. 2 de Doctrin. Christian., cap. 16.

8. *In præcepto confitendi fidem includitur negativum.* — Sequiturque hoc præceptum ex priori: nam in omni præcepto affirmativo includitur negativum nihil faciendi contrarium ei quod per affirmativum præceptum est; ut si jubemur amare Deum ibi virtute prohibemur quidquam agere divino amori contrarium, et sic de aliis, nam unum contrarium destruit aliud, unde si unum præcipitur, contrarium sine dubio prohibetur. Cum ergo præcipitur fidei confessio, ibi virtute prohibetur fidei negatio, nam hæc confessioni contraria est, ut per se patet. Imo ex præcepto internæ fidei sequitur necessario prohibitio negandi eamdem fidem. Nam qui negat fidem ore, vel eamdem fidem negat corde, et sic infidelis est, et agit non solum contra fidei confessionem, sed etiam contra præceptum fidei; vel negando ore, corde retinet fidem, et sic mentitur mendacio valde pernicioso, et honori Dei contrario, quia negando fidem, Deo tribuit mendacium, dicens falsum esse quod Deus dixit. Christianam etiam religionem gravissime offendit, et Ecclesiam, quantum in se est, dissolvit, ejusque unitatem scindit. Ergo mendacium illud prohibitum est, non tantum generali præcepto non mentiendi, sed etiam speciali præcepto fidei et religionis christianæ, ut recte sentit Augustinus, lib. Contra mendacium, cap. 6. Unde etiam fit ut, sicut mendacium dupliciter profertur, scilicet, vel negando quod verum est, vel affirmando quod est falsum, seu quod est vero contrarium, ita in præsenti hæc fidei negatio duobus modis contingere possit, scilicet, vel pure ne-

(1) Matth., 10.

gando esse veram aut esse certam fidei veritatem, vel contra rium errorem profitendo, nam professio falsi necessario e negatio veri, et eamdem vel majorem malitiam involvit.

9. *Præceptum confitendi fidem et non occultandi fidem no obligat pro semper.—Duplex fidei occultatio.*—Tertium, quod pr posuimus, scilicet, occultare fidem, mediam quamdam hab rationem, quia nec semper malum est, nec semper licet, omnes etiam Doctores Catholici docent. Ratio est, quia verita tem tacere, aut non proferre, non est illam negare, sed absco dere, ut per se notum est, et ita etiam occultare fidem, non e negare fidem, ideoque ex hac parte non est semper malu Aliunde vero præceptum confitendi fidem, cum affirmativu sit, licet obliget semper, non tamen pro semper; hæc enim e natura præcepti affirmativi, ut nunc supponimus, et propter non confiteri fidem, quod fit occultando fidem, non est semp malum, quia si exercitium alicujus actus non est per se nece sarium, cessatio ab illo actu non potest esse semper mala, per se notum est. Tantum ergo erit prava occultatio fidei, si tempore occultetur, pro quo præceptum confitendi fidem obl gat; sicut tacere propria peccata non semper, sed tunc est m lum, quando præceptum illa confitendi in judicio aliquo obliga Unde duplex fidei occultatio distingui potest, una per modu puræ negationis, quæ potest licite aut sine peccato esse to eo tempore, in quo vel pro quo non tenetur homo externa fidei confessionem exhibere. Alia est per modum privation seu omissionis moralis, quia eo tempore admittitur, quo fid confessio exhibenda esset, et ita est carentia actionis debit ideoque moralis privatio dicitur. Et hæc est peccatum de grave, quia est contra præceptum confitendi fidem. Nam l affirmativa, præcipiens actum pro aliquo tempore, consequen ter prohibet omissionem ejus pro eodem tempore, ut est per notum.

10. Et de hac omissione possunt recte intelligi verl Christi, Lucæ nono: «Qui me erubuerit, et meos sermone

hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua, et Patris, et Sanctorum Angelorum. Erubescere» enim minus esse videtur quam «negare»; non enim tantum qui negat, sed etiam qui Christum vel fidei ejus veritatem (quod perinde est) omittit confiteri, cum debet, Christum «erubescit.» Et quamvis Christus verbo «erubescendi» (quod proprie significat, aliquid propter pudorem, vel propter timorem alicujus contemptus vel irrisionis, vitare) ubi usus fuerit, quia vel præsenti materiæ, de qua loquebatur, erat magis accommodatum, vel quia in principio doctrina Evangelii a gentibus et Judæis irridenda erat, et ita multi per pudorem et erubescentiam illam erant despecturi, nihilominus doctrina et comminatio generalis est; nam quacumque ratione, sive ex pudore, sive ex timore perdendi vitam, vel alia temporalia bona, quis omiserit fidei confessionem tempore debito, eamdem reprehensionem et comminationem incurret.

11. *Pro quo tempore obliget præceptum confitendi fidem.*— Occurrebat autem statim inquirendum quod sit illud tempus pro quo obligat fidei confessio. Sed hoc ex professo explicare non est temporis præsentis. Satis ergo sit supponere, esse illud in quo ad Dei vel Religionis Christianæ honorem tuendum necessaria est confessio fidei, ut censetur esse, quoties quis a tyranno seu publica potestate de sua fide interrogatur, vel certe quoties tacere et non confiteri esset virtute negare. Hic enim est alius modus, quo prava fit hæc omissio, quia virtualem fidei negationem involvit; quia in moralibus implicitum pro expresso reputatur, quando eumdem effectum inducit. Et ita præceptum non negandi fidem, non solum expressam negationem, sed etiam tacitam et virtualem prohibet. Dicetur autem talis omissio, virtualis negatio fidei, quando ipsamet omissio confessionis communiter accipitur pro signo abnegandi fidem. Sicut in ordinario et communi usu non ferre vestes nec tonsuram clerici seu monachi sine speciali causa aut necessitate, est quædam virtualis negatio talis status, quæ ad apostasiam

externam potest interdum sufficere. Ita ergo potest contingere i confessione fidei, si alicubi sit juste institutum aliquod signu ita proprium christianitatis, ut qui illud omiserit, eo ipso Christianum esse negare videatur, ut magis in sequentibus e plicabitur.

12. *Ratio dubitandi.* — Ex quibus intelligitur proposit quæstionis difficultatem in hoc sitam esse, ut expendamus exercere illos actus eundi ad ecclesias hæreticorum, eorum conciones audire, et cum eis preces fundere, vel aliis eorum tibus interesse, sit veram fidem negare, seu (quod idem es errorem contrarium profiteri; an vero tantum sit non confite veram fidem, et, hoc posito, an sit pura negatio vel omiss moralis peccaminosa. Ratio autem dubitandi sumitur ex dif rentia inter verba, et actiones, seu res alias; nam verba et e pressius significant quam res, et non habent alium propriu usum, nam ad hoc sunt per se primo instituta; aliæ autem re ut vestes, domus, cibi, et similia, vel etiam actus audiendi, dendi, et hujusmodi, non sunt per se instituti ad significand mentem operantis, sed ad alios naturales vel humanos usus, h interdum per quamdam consecutionem aliquid significare vide tur. Unde fit ut magis obscura et ambigua, seu æquivoca esse leat rerum, quam vocum significatio. Deinde etiam fit ut facil etiam habeat locum simulatio, vel potius dissimulatio sine m dacio in usu aliquarum rerum, seu actionum; quam in usu borum, quæ magis certam et usualem (ut ita dicam) signific tionem habent. Denique ex hoc eodem principio est longe a ratio dubitandi de his actionibus adeundi ecclesias, etc., de q bus nunc tractamus, quam de professione juramenti fidelita nam hæc fit per verba expressa, et in hunc solum finem exp candi mentem, et talia sunt verba formulæ juramenti, ut pressam abnegationem doctrinæ fidei, et consequenter confes nem contrariæ hæresis contineant; et ideo nemo, qui in ead hæresi non versetur, vel nisi in aliam antiquam incidat, dicebat posse sine peccato negari fidem in tormentis, et

cum juramento, dubitare potest quin professio illius juramenti non liceat.

13. *Primum argumentum quo ostendi videtur licitum esse adire hæreticorum ecclesias, etc.*—At vero de illis actionibus in quæstione propositis videtur posse dubitari. Primo, quia ex propriis objectis et materiis indifferentes sunt, nam ingredi ecclesiam vel est de se bonum, vel saltem indifferens; nec ideo fit intrinsece malum, quia hæretici male illo loco utuntur, nam hoc pertinet ad pravam intentionem eorum, sine qua illuc ingredi indifferens est; nam etiam ingredi Synagogam Judæorum, vel paganorum templum, non est per se malum. Similiter audire concionem cujuscumque doctrinæ, etiam pravæ, intrinsece malum non est; potest enim quis illam audire ut eam confutet, vel delectetur eloquentia concionantis, vel ut irrideat. Denique interesse precibus et sacris eorum materialiter sumptum indifferens est, quia potest quis, dum est ibi, preces Catholicorum, et ritu Catholico secrete fundere, vel de vera fide cogitare. Aliunde vero illi actus non habent significationem fidei contrariam, ad quam sint per se impositi, quia non ad significandam fidem specialiter impositi sunt, sed solum ad operandum aliquid quod per unumquemque illorum proxime fit. Quod si vel ex discursu videntium, vel ex communi usu aliorum, tales actus indicare solent pravam fidem, id est accidentarium, si a Catholico non ea intentione fiant; quia ipse non significat falsam fidem, nec decipit alios, sed permittit eos decipi. Ergo qui faciunt tales actus solum ad obediendum regi in materialibus actibus externis, ut evitent temporalia damna, non negant fidem, nec in fidei confessione ex præcepto debita deficiunt, quia tunc nulla est specialis necessitas propter quam obliget pro tunc affirmativum præceptum confitendi fidem; ergo cessat ibi omnis ratio culpæ. Unde catholici Doctores docuerunt non esse per se malum in actionibus sacris cum hæreticis communicare, quamdiu nominatim declarati non sunt.

14. *Secundum.*—Secundo, si aliqua ibi esset culpa, maxi-

me, quia est professio falsæ religionis, saltem simulata; at ha simulatio non est semper intrinsece mala; ergo maxime er licita in illo casu propter vitandas mulctas et vexationes gra vissimas. Consequentia patet, quia si talis simulatio non es intrinsece mala, non erit prohibita quia mala; ergo ad summu erit mala quia prohibita, vel ex accidente propter mala qu inde sequuntur; at hæ rationes cessant in tam urgente necessi tate, quia positiva prohibitio non obligat cum tanto rigore, incommoda, quæ tunc sequuntur, non sunt intenta, sed pe missa, et ideo non imputantur. Major etiam est clara, quia su ponimus intentionem operantis non esse profiteri aliquid fa sum, sed tantum ibi adesse, et aliquid bonum vel indiffere ibi facere, quidquid alii inde concipiant, quæ est dissimulat vel simulatio materialis. Probatur ergo minor, primo, quia n defuerunt auctores catholici et graves, qui docuerint non es intrinsece malum, falsam vel superstitiosam religionem simul re, seu in exterioribus actibus fingere, faciendo illos material ter tantum (ut aiunt), id est, sine intentione religionis aut cu tus, sed propter aliquam utilitatem humanam. Imo multi tr buunt hanc sententiam Hieronymo, dicenti licuisse Aposto simulate servare legalia, eo tempore quo jam erant mortifer serio et ex intentione cultus facta, ut late dixi lib. 9 de Legil c. 16, ubi plures auctores allegavi, et testimonia Scriptur rum, quibus moventur, adduxi. Ratio autem est supra tact quia talis simulatio mendacium non est; non enim per illam i tenditur significari aliquid falsum, aut contra mentem, s est tantum cujusdam veritatis, seu fidei occultatio, aut n confessio. At priori ratione habet, ut non sit mala tanquam dei abnegatio, quia hæc non est sine mendacio; posteriori a tem ratione non est mala, quia nihil est quod tunc obliget se manifestandum, nec ad veritatem confitendam.

15. *Tertium argumentum.*—At responderi potest, has rat nes recte procedere de malitia per se inventa in illis actib nihilominus tamen illos esse malos ratione scandali, quod m

raliter ab illis separari non potest, et illud sufficit ut actus semper sit moraliter malus. Sed contra hoc objicitur tertio, quia etiam scandalum non solum separari potest, sed etiam actu separatur ab illis actibus, prout in illo regno a Catholicis fieri posse dicuntur. Nam imprimis omnes sciunt eos, qui Romanam fidem tenent, non facere illos actus sponte aut ex animo, sed solum ad vitandas pœnas. Imo etiam sciunt, a rege ipso potius præcipi ob cupiditatem auri et argenti, quam propter Dei cultum aut religionem, et ideo libentius imponere pecuniarias pœnas quam corporales; unde consequenter etiam persuasum habent, Catholicos non facere illas actiones causa religionis, vel in contemptum fidei, sed solum propter vitandam bonorum spoliationem. Ergo non est unde possint scandalum rationabiliter accipere, cum actio per se mala non sit, et species mali, quam habere videbatur, per illam publicam notitiam tollatur. Accedit quod dicuntur fideles facere prius publicam professionem suæ rectæ intentionis et veræ fidei; ergo si quod superest scandalum, non est datum, sed acceptum, quod operanti non imputatur, maxime quando tam gravis causa et necessitas intercedit.

16. Nihilominus absque ulla dubitatione dicendum est, non licere Catholicis Anglis in Ecclesia schismaticorum et hæreticorum ad conciones hæreticas audiendas, et profana sacra peragenda convenire. Ita monet in suo Brevi S. D. N. Paulus V, his verbis: «Profecto credimus, proculdubio eos qui tanta constantia, atque fortitudine acerbissimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt, ut immaculate ambularent in lege Domini, nunquam commissuros esse ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis. Nihilominus zelo pastoralis officii nostri impulsi, et pro paterna sollicitudine, qua pro salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ sa-

lutis.» Ex quibus verbis licet colligere, hanc non esse tantu prohibitionem positivam, seu humanam, ratione cujus illi ac tus fiant mali quia prohibiti, sed esse legem declarativam mi litiæ et turpitudinis existentis in ipsis actibus, ratione cuj prohibentur quia mali. Hoc enim significant illa verba: «Nc enim licet vobis hæc facere», et ideo non tam utitur Pontifi verbis prohibentibus, quam monentibus et obtestantibus mal tiam talis communicationis cum hæreticis. Deinde colligitur illis verbis, hanc culpam esse mortalem, et satis gravem: «N Dei iram incurratis; non enim licet vobis hæc facere sine detr mento divini cultus ac vestræ salutis.» Unde licet fortasse ant fuerit inter Catholicos aliqua de hoc puncto disceptatio vel juc ciorum diversitas, jam omnino cessare debet, quia non licet e de authentica Pontificis declaratione in re morali, et ad sal tem animarum pertinente, dubitare.

17. *Summi Pontificis declarationem esse maxime consent neam Sacris Scripturis.*— Ostendere autem oportet quam s hæc declaratio principiis fidei et doctrinis Sanctorum Patrur ac rationi consentanea. Imprimis enim in Scriptura maxime pr hibita est communicatio cum infidelibus, præsertim in reb sacris; non est autem dubium quin hæretici sub infidelib comprehendantur. Imo de his præcipue scribit Paulus, ad T moth., 2 epistol., cap. 2: «Profana et vaniloquia devita, mu tum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut canc serpit, ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate e ciderunt», etc. Et ideo ad Titum, 3, hæreticum hominem pe tinacem devitandum esse monet, et 1 Corinthior., 6, et ad Rom nos, 16, gravissime monet «declinare ab eis qui dissensiones offendicula, præter doctrinam» (ait) «quam didicistis, faciun Nam per dulces sermones et benedictiones seducunt corda inn centum.» Joannis item verba in epistol. 2 notanda sunt; cu enim de hæreticis dixisset: «Neque Ave eis dixerit», subdit r tionem: «Qui enim dicit eis Ave, communicat operibus eoru malignis.» Quocirca cum omnis communicatio cum hæretic

prohibita sit ab Apostolis propter periculum, illa tamen maxime et majori rigore, quæ est «in operibus malignis», quæ nimirum faciunt quatenus hæretici sunt. Talia autem sunt illa de quibus nunc tractamus, et negari non potest quin Catholici cum illis convenientes in ecclesiis, ad similia conventicula peragenda, cum ipsis in eisdem operibus communicent. Quocirca, licet fortasse non omnis alia communicatio cum personis hæreticorum nondum declaratis excommunicatis sit sub rigoroso præcepto prohibita, hæc peculiaris, quæ est in operibus malignis, et schismaticis (ut sic dicam), semper prohibita est. Dicit enim Paulus, 1 Corinthior., 10: «Nolo vos socios fieri dæmoniorum, non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum, non potestis mensæ domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.» Et 2 Corinthior., 6: «Nolite jugum ducere cum infidelibus», id est, ut D. Thomas exponit, «nolite communicare in operibus infidelitatis cum infidelibus.» Nam, ut subjungit Apostolus: «Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?»

18. *Esse etiam Sanctis Patribus conformem.—Esse præceptum apostolicum prohibens talem communicationem.*—Hanc Scripturarum legem secuti sunt, nobisque tradiderunt Sancti Patres. Irenæus enim, lib. 3, cap. 3, sic ait: Tantum Apostoli et eorum discipuli habuerunt timorem, «ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem»; refertque Pauli testimonium, et vulgata exempla Joannis Evangelistæ, et Polycarpi, et lib. 1, cap. 13: «Exsufflantes» (ait) «et anathematizantes, oportet alicubi et longe fugere ab eis.» In eamdem sententiam Cyprianus, epistol. 55 ad Cornel., in fine: «Declinent» (ait) «de cætero fortiter et evitent dilectissimi fratres nostri verba, et eloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit, sicut Apostolus dicit.» Et infra: «Simus ab eis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi. Et infra: «Hoc» (inquit) «Beatus Apostolus non tantum monet, sed etiam jubet, a tali-

bus ut recedatur. Præcipimus» (inquit) «vobis in nomine Domi ni Jesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulanti bus inordinate, et non secundum traditionem, quam accepe runt a nobis.» Est ergo hoc præceptum Apostolicum test Cypriano, et propriissime convenit in præsentem causam, na conventus schismaticorum Angliæ inordinatissimi sunt, et nov adinventiones humanæ a traditionibus Apostolorum aliena ergo ex Pauli præcepto talibus ritibus et conventiculis vir fide lis communicare non potest. Similia habet libro de Lapsis, i fine. Clarius vero et expressius eumdem statum causæ attin gens, epistol. 4 ad Plebem, contra eos qui Ecclesiam cont mores legitimos scindebant, ejusque ritus contemnebant, in quit: «Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud alta constitui, aut sacerdotium novum fieri præter unum sacerdo tium, et unum altare non potest.» Et subdit paulo post: «Pro cul ab hujusmodi hominum contagione discedite, et sermon eorem velut cancer et pestem fugiendo, vitate, præmonen Domino, et dicente: Cæci sunt, et duces cæcorum.» Et infr «Nemo» (ait) «filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat, pereant si soli, qui perire voluerunt, extra Ecclesiam soli remaneant, q ab Ecclesia recesserunt.» Et infra: «Vitate lupos, qui oves pastore secernunt. Quid clarius pro Anglicanis schismaticis di poterat?

19. *Doctrina hæc miraculo confirmata fuit.*—Præterea D. H larius, cap. 10, in Matth., mystice interpretans verba illa Chr ti: «In viam gentium ne abieritis», etc., inquit: «Non qu non etiam ad salutem gentium mitterentur, sed ut opere et vi gentilis ignorantiæ obstinerent. Et quod civitates Samaritan rum vetiti sunt introire, ut Ecclesias hæreticorum non adeat admonentur.» Augustinus, lib. Contra mendac., et lib. 2 R tract., cap. 62, ex professo docet non licere hæresim simula etiam propter ipsos hæreticos convertendos, sentitque semp illud esse perniciosum mendacium. Et epistol. 162, in princ

pio, docet cavendum omnino esse a communicatione hæretico-rum, præterquam in his quæ ad eorum conversionem ordinan-tur. Ergo maxime in his quæ ad religionem pertinent. Multaque extant antiquitatis monumenta, quibus constat Sanctos Patres a ritibus hæreticorum, maxime vero ab omni communicatione cum eis in sacris abhorruisse. Ideo enim prohibitum semper fuit ab eis communionem accipere, ut constat ex Decreto Julii Papæ, in cap. «Is qui acceperit», 24, quæst. 5, cum similibus. Estque notandum exemplum quod refert Gregorius Turon., lib. 1 de Glor. Martyr., cap. 80, sacerdotem, scilicet, catholi-cum, «seu Romanum» (ut ipse loquitur), noluisse gustare cibos ab hæretico sacerdote benedictos, etiamsi ritum hæreticum in benedictione non exerceret, Deumque id factum miraculo com-probasse. Quanto ergo magis vitanda est in ipsis cæremoniis hæreticis communicatio? Unde etiam legimus, Gregorium, li-bro primo, epist. 41 ad Leandrum, scripsisse omittendum fuis-se aliquo tempore ritum baptizandi trina mersione, quia hære-tici ad falsam significationem illo abutebantur.

20. *Refellitur duplex evasio. — Prima ratio probans eam communicationem esse illicitam.* — Sed hæc doctrina SS. Patrum generalis est, et posset quispiam eam eludere, vel illam non de rigoroso præcepto, sed de monitione ratione periculi interpre-tando, vel eamdem ad ordinarium et voluntarium usum, non ad coactum sine ingenti periculo inevitabilem limitando. Ve-rumtamen neutra evasio locum habet in verbis Augustini, serm. 6 de Verbis Dom., ubi tractans illud Roman., 13: «Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit», interrogat: «Sed quid si illud jubeat quod non debeas facere?» Et respondet: «Hic sane contemne potestatem, timendo potestatem.» Quod exem-plo declarans, infra subdit: «Si imperator jubet: Esto mihi in obsequium, recte; sed non in idolio. In idolio prohibet major potestas. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur.» Deinde ex allegatis sententiis Sanctorum utraque evasio, si verba singula ponderentur, et omnia inter se conferantur, fa-

cile posset refutari; efficacius autem id fiet, rationes hujus ve
ritatis explicando, et occasione illarum magis testimonia Patru
urgendo et locupletando. Prima ergo ratio sit, quia illa comm
nicatio cum hæreticis, de qua quæstio movetur, fieri non pote
nisi profitendo novam hæreticorum religionem, vel potius su
perstitionem, aut saltem illam simulando; utrumque autem e
intrinsece malum, et contra præceptum confitendi veram fide
et honorandi Christum, veramque ipsius religionem ergo pro
ter nullum humanum timorem licita est talis communicati
Consequentia evidens est ex dictis. Antecedens vero quo
utramque partem sic ostenditur. Nam illi, qui cum hæreticis
ecclesias conveniunt, duobus modis possunt ibi assistere. Pr
mo, animo colendi Deum illis ritibus et cæremoniis, seu inte
tione exercendi illos ritus tanquam licitos et religiosos; et h
est formaliter ac vere, falsam religionem profiteri: sicut q
adorat idolum cum vera intentione cultus, vere idololatri
profitetur, et qui nunc exerceret ritus judaicos intentione cu
tus, vere esset professor sectæ Judæorum. Unde necesse est
qui sic profitetur falsam religionem, abnegat veram, et cons
quenter etiam fidem, in qua fundatur. Neque in hoc esse pot
dubium, neque Catholici intendunt hoc modo ritibus hæretic
rum interesse.

21. Alio ergo modo potest hoc fieri sine intentione cult
vel religionis, sed solum cujusdam coactæ obedientiæ politi
quoad externam corporis præsentiam, cum proposito ibi secre
colendi Deum ritu catholico At in hoc ipso necessario includ
tur simulata professio schismatis, et communicatio exteri
cum hæreticis in suis ritibus, quia juxta communem et rece
tum usum illius gentis et loci hoc significatur per illas extern
actiones, et ad hunc finem fit ille conventus et communis co
vocatio. Talis autem simulatio semper est mala, ut late prol
Augustinus, dicto lib. Contra mendac., et in variis epistolis
Cessatione legalium ad Hieron., et cum illo probavi in lib.
de Legib., capit. 17. Et breviter ostenditur, primo, ex Paul.

ad Cor., 10: «Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum,» id est, superstitionis gentilis et idololatriæ, «non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum,» utique idolothyta manducando, etiam sine intentione cultus et adorationis idoli, ut verba sequentia declarant, quæ paulo post expendemus. Et ita intellexerunt locum illum Patres reprehendentes graviter esum idolothytorum, quando exterius fit per modum actus religiosi, et tanquam usus cibi sacri. Ut videre licet in Cypriano, dicto libro de Lapsis, et in multis epistolis, in quibus omnem externam significationem communicandi vel consentiendi ritibus infidelium, gravissime condemnat, præsertim epist. 31 et 52, cujus aliqua verba infra referam. Idem late Tertullianus, lib. de Spectat., cap. 13: «Idololatria» (inquit) «abstinemus, nec minus templa quam monimenta despicimus, non sacrificamus, nec de sacrificato edimus.» Et infra: «Oculos et aures ab idolothytis abstinemus;» et lib. de Idolol., capit. 13: «Hoc loco» (inquit) «retractari oportet de festis diebus» (utique infidelium), «et aliis extraordinariis solemnitatibus, quas interdum lascivia, interdum timiditate nostra subscribimus, adversus fidei disciplinam communicantes nationibus in idolicis rebus.» Et subjungit quæstionem, «An cum ipsis nationibus communicare in his servus Dei debeat, sive habitu, sive victu,» etc., utique quatenus fiunt religionis causa, et respondet: «Ad hæc nihil communionis est lumini et tenebris, vitæ et morti.» Quam doctrinam late etiam tradit Origenes, lib. 8 contra Cels., parum a princ. Est etiam de hoc insignis locus Chrysostomi, in Imperfecto, cujus verba statim referam. Ratio autem propria est, quia omnis communicatio in his superstitiosis ritibus, etiam si ficta intentione fiat, est quædam superstitionis participatio. Unde sicut exterior idololatria, etiam ficto animo facta, malitiam idololatriæ participat, ita etiam omnis superstitio exterior, etiam simulata, malitiam superstitionis induit.

22. *Confirmatio hujus doctrinæ.—Ratio D. Augustini am-*

plius declaratur.—Confirmatur hæc ratio, quia exterior profess
simulata talis schismatis est quædam ejus approbatio, et cor
testatio, quod sit religiosa et ex vera fide; ad hoc intrinse
malum est, etiamsi interius non credatur neque intendatu
quia est exterius confiteri falsam religionem. Neque enim a t
libus factis, et in tali materia, scilicet, religionis et cultus, pe
test separari significatio, quia exteriores actus, vestes, vel al
cæremoniæ non sumuntur ad cultum, nisi propter aliqua
significationem; ergo qui illis exterius utitur per modum rel
giosi cultus, exterius saltem approbat illum ritum colen
Deum. At hoc intrinsece malum est, nam verbis approbare, v
confiteri talem ritum esse religiosum, malum, et contra fide
ac religionem est; ergo et factis idem probare est æque pr
vum, quæ est potissima ratio Augustini citatis locis. Quæ in
amplius declaratur, quia hæc simulatio falsæ religionis est qu
dam negatio exterior fidei; hæc autem semper est mala, ut
principio posuimus; ergo et illa simulatio. Major constat, qu
illa simulatio est approbatio religionis superstitiosæ, et cons
quenter est confessio falsæ fidei, a qua illa superstitio procedi
affirmatio autem erroris est negatio veritatis; ergo illa simula
tio est negatio Catholicæ fidei, quæ hæresi contraria est. Den
que cum religio vera tantum sit una, qui exterius unam appr
bat, omnem contrariam reprobat; ergo qui approbat exteri
ritus hæreticos, eo ipso eodem modo catholicam religione
abnegat, et ita deficit contrarie in confessione fidei. Unde i
hac etiam ratione talis simulatio est valde contraria hono
Christianæ religionis; nam cedit in contemptum ejus, cum ex
terius negetur et reprobetur, et contraria in animis inimicoru
ejus firmetur, ut paulo postea dicemus. Ex quibus tandem cor
cluditur, nunquam esse licitam talem simulationem, etia
propter vitandam mortem, tum quia abnegatio fidei externa e
simulata nunquam licet propter vitandum quodlibet malun
tum etiam quia maxime tenetur homo servare præceptun
etiam positivum et humanum, non obstante periculo violenta

nortis, quando ejus transgressio in contemptum religionis exorquetur, ut dixi in l. 3 de Legib., c. 30.

23. *Altera ratio qua posita doctrina explicatur.*—Alio modo possumus vim hujus obligationis explicare, quia in illo articulo cum coguntur fideles, legibus iniquis, sacris hæreticorum interesse, obligat specialiter præceptum affirmativum confitendi eidem catholicam, resistendo talibus legibus; ac proinde qui exterius dissimulant et obediunt, etiam si id faciant ficto animo, in confessione fidei deficiunt, ac subinde inter lapsos in persecutione fidei computandi sunt. Doctrinam hanc sumo ex Cypriano, in locis allegatis, præsertim ex epistol. 31, quæ est clericorum Romæ existentium ad ipsum, ubi, cum dixissent non solum defecisse in fide, qui exterius idolis sacrificaverant, vel idolothyta manducaverant, sed etiam qui libellos quosdam submissionis, vel præsentes obtulerant, vel absentes miserant, subdunt verba notanda: «Non est immunis a scelere, qui vult videri propositis adversus Evangelium, vel edictis, vel legibus satisfecisse; nam hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.» Et infra vehementius Anglos pungit, tam schismaticos, quam in fidei constantia debiles, dicens: «Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et servos severitatis, eversa fidei majestate, dissolvere.» Et consonant verba ejusdem Cypriani, lib. de Lapsis dicentis: «Nec ibi, quominus agant pœnitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientias polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est christiani quod fuerat abnuentis, fecisse se dixit, quidquid illius faciendo commisit. Cumque scriptum sit: Non potestis duobus dominis servire, servivit sæculari domino, obtemperavit eius edicto, magisque obedivit humano imperio, quam Deo.»

24. *Eleazari exemplum.* — Eamdem doctrinam sumo ex Chrysostomo, hom. 25 in Matth., in Imperf., ubi prius ostendit necessitatem confitendi fidem, et inter alia dicit: «Si tibi tantum Deus cor creasset, sufficeret tibi fides cordis; nunc au-

tem os tibi creavit Deus, ut corde credas et ore confitearis.» adjungit: «Non tantum ore, sed etiam quinque sensibus canalibus; si autem vel unus sensus minus fuerit, non est perfecta confessio.» Declarans autem occasionem necessariam ta confessionis, addit verba sequentia, quæ quia veritatem ha multis modis confirmant, et ad solvenda regumenta lucem all runt, integre illa referam: «Ergo (inquit) si quis tibi dica Non manduces idolothytum, sed aspice tantum ad idola· qu modo speciosa sunt; si aspexeris provocatus, oculis tuis nega ti Christum. Non quia aspicere idola aliquid sit, sed quia inv tatus aspicis, peccas. Si tamen non aspexeris, oculis tuis co fessus es Christum. Ideo scriptum est: Averte oculos meos videant vanitatem (1). Si vero dixerit tibi: Nolo ut aspici idola, sed tantum ausculta, quomodo ille gentilis blasphem Christum, ut glorificet Deos. Si auscultaveris, auribus tu Christum negasti. Si dixerit tibi: Nolo ut audias blasphemia Christi, sed ecce quomodo incensum diis offertur, tantum s et accipe odorem incensi illius; si odoratus fueris, odoratu t Christum offensus es. Item si dixerit tibi: Non manduca carne dentibus tuis, tantum finge te de immolato manducare; si s mulaveris, sic gustu tuo Christum negasti. Si autem noluer fingere, Christum confessus es, sicut Eleazarus, in libro Mach bæorum, qui carnes vervecinas sub specie porcinæ noluit ma ducare. Si dixerit: Nolo fingas te de immolato manducare, s tantum tange idolum manu tua, aut tene thuribulum, si tet geris aut tenueris, tactu tuo Christum negasti. Si autem nolu ris, tactu tuo Christum confessus es, sicut scriptum est: Si e iniquitas in manibus meis. Omnia enem membra animæ v corporis tui non solum tibi ad usum Deus creavit,sed sibi gloriam.

25. *Præceptum confitendi fidem in eo articulo cur obliget.*

(1) Ps. 118.

Ratione autem ostendi potest dicta propositio assumpta, nimirum in eo articulo obligare affirmativum præceptum confessionis fidei, quia tunc maxime seu pro tunc obligat hoc præceptum, quando fidelis a tyranno infideli seu hæretico, vel quocumque publico fidei persecutore de sua fide interrogatur, ut, an Christianus sit, vel an Romano Pontifici obediat; vel, si interrogetur an sectam vel ritum colendi Deum alienum ab Ecclesia Catholica, seu Romana, licitum vel sanctum esse credat; in his enim casibus tenetur fidelis non solum non negare aperte fidem catholicam, aut non confiteri falsam, sed etiam non tergiversari, aut dissimulare, seu tacere, sed aperte fidem et religionem catholicam confiteri; sed in eo casu, in quo per edictum coguntur fideles adire templa hæreticorum, et eorum ritibus interesse, per potestatem publicam virtute interrogantur an probent illos ritus, necne, vel an catholicam religionem profiteantur; ergo tenentur fideles confiteri veritatem, non parendo talibus edictis, nam illa recusatio est quædam fidei confessio, ad quam obligat tunc præceptum. Major propositio communis est Theologorum, cum D. Thoma 2, 2, quæst. 3, articulo 2, ubi Cajetanus et omnes moderni expositores non solum consentiunt, sed etiam tanquam certum dogma illud tradunt. Nam, licet aliqua controversia sit an quælibet interrogatio sufficiat (quæ ad præsens non refert), tamen cum interrogatio est a publica potestate, nullum est dubium de obligatione confitendi fidem, quia tunc maxime imminet necessitas honorandi Deum et Christianam religionem, et ideo qui tunc tergiversatur, subtrahit Deo debitum honorem, et vere Christum erubescit. De quo ita scribit Cyprianus, in citato libro de Lapsis: «Christus in præceptis suis dicit: Qui confusus me fuerit coram hominibus, confundetur eum Filius hominis; et Christianum se putat, qui Christianus esse confunditur, aut veretur? quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit aut metuit?»

26. *Hoc supponit et docet aperte Navar., cons.* 10, *de hæret. n.* 10.—*S. Ermenegildi exemplum.*—Quod autem in casu de qu tractamus, Catholici interrogentur per publicam potestatem tum de sua religione et fide, tum etiam an probent vel recu sent Protestantium superstitionem, ex ipso facto manifestatu Ideo enim sub gravissimis pœnis coguntur eorum ecclesias ad re, etc., ut ostendant an sint Pontificii, seu Romanæ Religionis ut ipsimet loquuntur, et an Calvinianam detestentur. Qui potius ita interrogantur, ut non possint non alterutrum exteri ostendere; ergo est illa occasio, in qua maxime obligat præce tum confitendi fidem, saltem recusando talem cum hæretic communicationem. Quod optime confirmat exemplum sanc Ermenegildi, Hispaniæ principis, qui ne Eucharistiam de ma hæretici acciperet, etiam jubente patre, usque ad mortem re cusavit. Quod factum valde commendans Gregorius, lib. 3 Di log., cap. 15, dicit: «Vir Deo deditus Arriano Episcopo venien exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpa tionibus repulit.» Quibus verbis significat ex debito obliga tionis id fecisse, ne hæresi ministrantis communicare vid retur.

27. *Confirmatur doctrina tradita ex ratione scandali.*—Al ratio hujus obligationis sumi potest ex scandalo, quod tam v detur intrinsece annexum his actionibus, ut inseparabile eis videatur. Hoc autem satis est ut illa communicatio exter cum schismaticis peccaminosa sit et detestanda, juxta doctr nam Apostoli ad Rom., c. 14, et 1 ad Cor., c. 8, ubi hoc pecc tum vocat, «peccatum in Christum»; et c. 10: «Nolite ma ducare propter illum qui indicavit, et propter conscientia conscientiam, dico, non tuam, sed alterius.» Et ex facto Mat tiæ, 2 Machab., 6, et egregiis verbis ejus constat, potius es mortem tolerandam, quam hoc scandalum fratribus tribuendu Quod autem in hoc negotio scandalum interveniat, declarat primo ex parte ipsorum hæreticorum, nam ex hujusmodi frag litate Catholicorum in suo errore confirmantur et obdurescu

atque fidem Romanam contemnunt. Unde Sander., lib. 3 Histor., cum retulisset, tempore reginæ propter acerbissimam legem et coactionem, multos Catholicos, schismaticorum ecclesias, conciones, communionem, ac conventicula, aliquando etiam publice adire non recusasse, subjungit: «Interim regina et sui ab initio præclare secum agi existimarunt, quod cum tot essent antiquæ fidei in regno cultores, plerosque tamen scirent, ritus a se præscriptos publice, vel amplexari, vel utcumque præsentia sua exterius approbare, licet interius aliam fidem, de qua ipsi non adeo curabant, vel ad tempus dissimulandam censebant, colerent. Ac, ne sacerdotes quidem quosdam ab illis administrandis abhorrere, gaudebant non mediocriter.» Ita ergo dissimulatio hæc Catholicorum in augmentum schismatis, et magnum contemptum Romanæ Religionis cessit, ejusdemque scandali occasio semper durat. Et ita reperitur etiam in tali actione alia malitia, quia redundat in favorem et juvamen hæreticorum quatenus hæretici sunt, id est ut opera sui erroris exercent; hoc autem intrinsece malum est, ut in simili notavit Navarrus, consilio duodecimo, de Hæreticis, numero sexto, in fine, et sequentibus. Unde maxime etiam invenitur hoc scandalum ex parte Catholicorum, præsertim simpliciorum, nam facile imitantur alios, qui videntur esse sapientiores, et ita hujusmodi consuetudo offendiculum fit infirmis. Si enim quis viderit (ut Paulus ait), eum, qui habet scientiam, in ecclesiis hæreticorum ritibus illorum interesse, conscientia ejus, cum sit infirma, ædificatur ad eum imitandum, et sic perit infirmus in scientia doctoris. Et, quod caput est, inde fit ut, multitudine crescente, jam non simulate, sed ex animo, illo ritu ad Deum colendum utantur, ita ut simplices inter antiquam religionem novamque superstitionem distinguere nesciant. Est ergo evidens nocumentum et scandalum, ratione cujus non tantum est hoc peccatum contra charitatem fraternam, et divinum honorem, sed etiam contra fidei confessionem, quæ maxime obligat, teste D. Thoma supra, quando ex

dissimulatione vel taciturnitate subtrahitur debitus honor Deo, «et utilitas proximis impendenda.»

28. *Probatur ultimo ex periculo amittendi fidem.*—Ultimo his addere possumus rationem ex morali periculo desumptam, nam si fidelis populus conventicula hæreticorum frequentet, et præsertim si eorum conciones audiat, in maximo periculo versatur amittendi fidem. Nam, licet unus vel alter possit eos sine periculo audire, imo eos impugnare et confundere, tamen simplex vulgus facile decipitur, et ideo etiam provectiores abstinere tenentur a talibus concionibus, ne suo exemplo alios secum ferant, et ita eorum fides periclitetur. Et ideo monet Chrysostomus, orat. 2 de Provid. et fato, magis esse fugiendum a locis et concionibus quæ pestilentibus opinionibus complentur, quam a locis contagiosis et infectis, quia hæc corporibus nocent, illa vero animas interimunt: «Ne steteris (inquit), resili, ne tardaveris, vel brevissimam hic metuas moram. Hæc dicimus, non stabilitatem illarum opinionum veriti, sed imbecillitatem vestram metuentes», etc. Ideoque monet Augustinus, in lib. de Fide et symb., c. 1, «ne fides fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cautaque vigilantia providendum esse.» Et Gregorius Nazianzenus, orat. 53, quæ est de nova Dominica, graviter reprehendit, qui, ut ipse ait, «ad temporis arbitrium fidem suam accommodant», nimirum, quando hæretici rerum potiuntur, eorum voluntati in rebus fidei obsequentes, et (ut subjungit) «dispensatione in fide utendo.» Quæ potius est simulatio quædam periculosa, et ideo etiam dicit, eos, qui ita ambulant, «in fide claudicare», quia revera in confessione fidei deficiunt, et in periculo versantur amittendi fidem, et licet fortasse ipsi constantes sint, fratres suos in illo periculo constituunt.

29. *Satisfit primæ rationi dubitandi.*—Ad rationes autem dubitandi facile ex dictis respondetur. Ad primam dicitur, actiones illas, abstracte et generatim sumptas, dici posse indiffe

rentes, quatenus intrinsece malæ non sunt, tamen, in particulari sumptæ, ut cum tali modo et cum talibus circumstantiis fiunt, habere intrinsecam malitiam. Nam, sicut ex Chrysostomo referebam, aspicere idola non est intrinsece malum; aspicere autem propter inductionem vel metum tyranni, est Christum negare: «Non» (inquit) «quia aspicere illud aliquid sit, sed quia invitatus aspicis, peccas.» Ita ergo ingredi ecclesiam hæreticorum, vel synagogam Judæorum, per se nihil est; ingredi autem religionis causa, et ad hæreticorum ritus exercendos, ad obsequendum hæretico præcipienti, malum est; sic etiam, licet audire concionem hæretici per se et intrinsece malum non sit, tamen adire conciones frequenter, et ad jussum inducentium ad hæresim, et cum scandalo et periculo infirmorum, et interdum proprio, perniciosum est. Multoque clarius superstitiosum est precibus et ritibus hæreticorum interesse, quia vel est quædam tacita approbatio hujusmodi superstitionis, vel miscetur etiam cooperatio. Quæ maxime cernitur in participatione sacramentorum; et ideo inter omnes ritus, qui a Calvinistis fiunt (1), detestabilior est communicatio cum illis in sacrilega cœna et ficta eucharistia quam ministrant, nam qui illam participant, evidenter cooperantur infideli superstitioni, et pro Christi sacramento id recipiunt, quod nihil est, suoque facto illum morem approbant. Sic denique, licet in necessitate possit Catholicus baptizari ab hæretico, utente vero et substantiali ritu baptismi, si tamen adhibeat hæreticus alios ritus accidentarios, superstitiosos, et alienos a consuetudine Ecclesiæ Romanæ, non potest illis cooperari, licet possit eos interdum tolerare, si neque scandalum neque religionis contemptus interveniat, et eos vitare non possit.

30. Et ita etiam responsum est ad aliam partem illius rationis. Nam isti actus ex communi impositione et usu sunt ac-

(1) Vide Navar., cons. de Const., q. 29; Azor., tom. 1, l. 8, c. 11, q. 9.

tus religionis, et partim ex natura rei, partim ex impositione et usu hominum hanc significationem habent; unde in particulari sumpti in tali occasione, et cum tali inductione, et in consortio et communicatione talium schismaticorum, plane significant illorum religiosum cultum et ritum, et ad hoc sunt a tali rege instituti. Quapropter sicut est intrinsece malum assumere signum falsæ religionis, neque propter illum timorem fieri licite potest, ut est in Theologia constans, ita est per se malum, actus illos tali modo et in tali occasione exercere. Doctrina vero illa, quod, dum hæreticus non est denunciatus, liceat in sacris communicare cum illo, quam tradit Navarrus, ab eodem expresse declaratur, dummodo ipsa sacra ritu catholico fiant, neque ulla sit communicatio ritus, cæremoniæ aut impietatis hæreticæ; et præterea ut nulla Catholicorum offensio nullumve periculum fidei intercedat, ut expresse declaravit Azor, referens Navar., dict. libro octavo, capite undecimo, quæstione quarta, tom. 1.

31. *Secundæ rationi dubitandi satisfit. — Quando maxime obliget præceptum confitendi fidem.* — Ad secundam respondetur, simulationem falsæ religionis esse intrinsece malam, ut in dicto libro 9 de Legibus late ostendi, ex sententia Augustini supra allegati, et plurium Doctorum, quos ibi retuli, et idem sentiunt omnes, qui negant esse aliquando licitum assumere signum falsæ religionis, vel externum actum infidelitatis exercere, etiam si interna fides retineatur. Quia, licet assumens signum non intendat significationem ejus, tamen non potest illam separare, et ideo, velit, nolit, actu ipso significat se esse infidelem, et ita falsam religionem opere ipso confitetur, quod est contra præceptum confessionis fidei. Nam, sicut fides vera obligat ad sui confessionem, ita etiam obligat ad vitandam contrariam infidelitatem, et consequenter etiam ad non exterius confitendam illam. Estque hæc obligatio urgentior, cum instat in contrarium publici tyranni vexatio, nam tunc maxime obligat præceptum confitendi fidem veram, et vitandi omnem contra-

riam simulationem. Eritque hæc obligatio major, quo majus fuerit scandalum, majusque eversionis fidei et contemptus Romanæ religionis periculum, quæ omnia in præsenti casu maxime concurrunt.

32. *Satisfit tertiæ rationi.* — Per quod responsum etiam est ad tertiam rationem, quæ erat de scandalo; dicimus enim imprimis præter scandalum esse alias rationes sufficientes. Deinde dicimus non vitari scandalum propter fugas ibi propositas. Cum enim dicitur notum esse omnibus, a Catholicis non ex corde, sed coacte illa exterius fieri, respondemus et hoc esse incertum (multi enim id poterunt ignorare), et illud sufficere ad gravissimum scandalum, nam illamet fictio est grave peccatum. Præterquam quod non vitantur alia pericula et injuriæ religionis Christianæ. Item, cum dicitur regem non vexare fideles, tam causa religionis, quam cupiditatis pecuniarum, respondeo, etiam hoc dici divinando; sed quidquid sit, parum refert, quia non intentio operantis, sed operis spectanda est; licet enim rex intendat pecuniæ lucrum, proxime inducit ad profitendam falsam et superstitiosam religionem, cum expressa, vel saltem tacita abnegatione Romanæ religionis; hoc autem est intrinsece malum, et ideo quacumque ratione a rege intendatur, resistendum illi est.

33. *Protestatio publica ad cohonestandam communicationem superstitiosam non sufficit.* — Denique etiam protestatio non excusat, tum quia moraliter non potest esse tam publica et notoria, sicut est simulatio ipsa hæresis; tum etiam quia protestatio, etiam si esset omnibus Catholicis nota, non tollit quin actio illa sit simulatio et externa professio erroris, et falsæ superstitionis, nec tollit defectum confessionis fidei, nec contemptum religionis, nec periculum animarum. Imo illa via datur licentia profitendi exterius quamcumque infidelitatem cum protestatione facta apud fideles Catholicos, quod id non fiat animo infideli, sed affectu humano non perdendi facultates, et alia temporalia bona; hoc autem turpissimum et perniciosissimum est;

et contra rationem; nam hæc professio ficta pravæ religionis non solum est mala, quia alii fideles credent ex infidelitate fieri, sed etiam quia hoc significatur quibuscumque videntibus et intelligentibus talia signa. At vero protestatio ad summum a Catholicis illam existimationem tollit, quia protestatio solum coram fidelibus fieri solet, non coram infidelibus. Et præterea licet coram omnibus fieret, semper actio illa est contra Dei honorem, et in contemptum fidei, et cum periculo et scandalo infirmorum. Protestatio ergo malitiam talium actionum non purgat. Atque ita tandem sententiam suam explicuit Azor, in tom. 3, lib. 1, c. 7, post quæst. 2.

CAPUT X

An vèxatio, quam in Anglia catholici patiuntur, sit vera Religionis Christianæ persecutio

1. *Ecclesiam Catholicam persequitur qui in odium Romanæ quamlibet illius partem vexat.* — Hæc quæstio non in eo sensu tractanda est, ut iterum ad primam controversiam, ubi sit vera et Catholica religio, an in Anglicana insula, vel in toto orbe seu, quod idem est, in Ecclesia Romana, redeamus; hoc enim satis in lib. 1 disputatum est, et ex ibi dictis supponimus, veram fidem et Religionem Christianam esse in Ecclesia Romana ex quo evidenter sequitur, si in Anglia vexantur fideles (qui a hæreticis Papistæ vocantur), quia Ecclesiæ Romanæ uniuntur ejusque fidem, religionem et obedientiam profitentur, illam esse propriam et omnino veram fidei Catholicæ et Ecclesiæ Christi persecutionem, et qui auctor est illius, esse Christi hostem et Christianorum persecutorem. Neque de hac consecutione sed conditionali propositione dubitare quis potest, posita dicta hypothesi; nam, si Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi, qui

Ecclesiam Romanam persequitur propter suam religionem, seu qui ejus religionem oppugnat, Christi Ecclesiam persequitur et oppugnat, et consequenter illa erit persecutio Christi et ejus Ecclesiæ. Quæ tunc maxime ita appellatur, quando non est tantum privata unius vel alterius personæ, sed est etiam publica et generalis totius communitatis. Nam, licet persecutio cujuscumque membri, quatenus tale est, seu propter fidem vel justitiam, sit persecutio ejusdem Christi, et ratione generalis causæ seu motivi in totam Ecclesiam redundare videatur, nihilominus per antonomasiam illa dicitur ecclesiastica persecutio, quæ communitatem Ecclesiæ, ejusque universale corpus oppugnat. Non est tamen necesse ut talis vexatio, vel in tota Catholica Ecclesia, ut est per totum orbem diffusa, vel in Ecclesia Romana, ut est particularis episcopatus, directe et immediate fiat, ut nomen persecutionis Ecclesiæ mereatur; sed satis est ut in aliquo regno Christiano propter eamdem Romanam et Catholicam fidem grassetur. Ait enim Augustinus, lib. 8 de Civit., c. 52: «Quale est enim non considerare, Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem posse in aliquibus gentibus persecutionem pati a regibus, etiam quando in aliis non patitur?» Et affert exempla de persecutione facta in Perside a rege, et a Gotthis in sua ditione, et ab Herode Hierosolymis. Talis enim vexatio in uno regno vel parte principali Ecclesiæ non fit sine quadam universalis Ecclesiæ participatione et turbatione; nam tota quodam modo conquassatur. Quia, licet in una provincia persecutio moveatur, totius Ecclesiæ fundamenta convellere nititur.

2. *Status controversiæ.*— Hoc ergo pro constanti supposito, sensus præsentis controversiæ est, cum de facto constet professores Romanæ religionis ab illius regni principibus post Henricum VIII (Catholica Maria excepta), pluribus modis vexari, magnisque suppliciis affici, an illa vere sit, et appellari debeat Ecclesiæ et Christi persecutio, vel solum aut injustum bellum, vel justa punitio. Et occasionem quæstionis præbuit nobis rex

Angliæ, qui de Pontifice valde conqueritur, quod ipsum inte
Ecclesiæ persecutores annumerare videatur. Unde contend
pœnas illas et afflictiones quæ in Anglia auctoritate regia Pa
pistis (ut ab eis intelligamur) inferuntur, non mereri nome
persecutionis Ecclesiæ, quia non titulo religionis, sed in pœnar
justam criminum contra regem vel rempublicam commissorun
infliguntur. Unde in principio Apologiæ sic inquit: «Negari no
potest quin Pontifex contra bonos mores, et consuetudine
principum, maxime christianorum, peccarit vehementer, cu
me inauditum condemnarit, quod quidem fecit, me persecut
ribus annumerando, ut ex eo quod cohortatur Catholicos su
ad martyrii gloriam aspirare, non obscure innuitur.» Deinc
vero in impugnatione primi Brevis Pontificis late circa hoc d
greditur, et prius de Elisabetha, pag. 18, affirmat, «Nemini e
Pontificiis religionis causa pœnam irrogasse, antequam eoru
scelera et flagitia, veluti invitæ, supplicia, quæ pertulerun
extorsissent.» Hoc autem probat hac fere partitione, quia reg
na neque ante editum Breve contra illam a Pio V, neque pos
juste potest persecutionis infamia notari. Priorem partem os
tendit, quia illo tempore, antequam Pius V contra reginam se
tentiam fulminasset, «neque graviorem aliquam mulctam Ca
tholicis imposuit, neque severiores leges, neque tunc tempor
ulla capitis pœna fuit in Pontificios constituta.» Alteram parte
ostendit, quoniam ab illo tempore, quo illa fuit in reginam la
sententia, «tot conjurationes et machinationes, ac rebellion
publicæ in illo regno ortæ sunt, ut illæ non solum fuerint ju
tæ, sed etiam moderatæ pœnæ delinquentium»; ergo propt
illas pœnas non potest regina persecutionis infamia notari, s
potius magnæ clementiæ nomine commendari.

3. *Rationes quibus se rex excusat.*— Deinde ad se suumq
regimen transitum facit, et pag. 23 sic inquit: «Quod me
Catholicorum persecutione calumniantur, nunquam probari p
test, quemquam conscientiæ causa et religionis ergo, me re
nante hactenus, vel morte mulctatum fuisse, vel in mor

ericulo modo versari. Nisi forte (addit) hæc misera Catholicis nterdictio a Papa facta, quominus de juramento suo mihi promittant, causa sit dehinc, cur multi eorum merito plectantur.» Deinde multis argumentis et indiciis ostendere conatur, persecutoris nomen non mereri. Primo generatim per comparationem d reginam, quia Jacobus rex majori multo mansuetudine et ietate cum Catholicis se gessit, quam regina. Secundo, quia anta clementia in Catholicos usus est, «ut et ipsi in spem verint se brevi religionis suæ libertate fruituros», et alii secarii familiares regis stuperent, et magnam regni perniciem nde formidarent. Tertio, recenset favores humanos, temporaiaque beneficia in Catholicos collata, ut sunt recusantes alios equestri dignitate donare, alios accessu et colloquio suo articipes efficere, sine ullo religionis discrimine honores et eneficia illis largiri, et similia. Quarto, inter hæc beneficia umerat, quod judices suos monuerit, ne sacerdotes, etiam si ssent convicti, supplicio afficerent, et præcipue exaggerat clementissimum edictum, quo permissum est sacerdotibus mnibus non comprehensis, et tum extra custodiam agentibus, tra constitutam diem e regno excedere. Quod si qui in carere detinebantur, libere etiam abire permissi sunt, et si qui lii postea fuerunt comprehensi, trans mare ablegati sunt, et i libertati restituti.» Ex quibus concludit, ingratitudinem ontificis ostendi, «qui tam iniqua mensura tot beneficia comensarit.»

4. *Christianorum vexatio, quæ sistit in temporalibus, non est ersecutio Ecclesiæ.* - Quia vero nobis certum et exploratum est, uam nunc in Anglia patitur, et post Henricum sub Elisabetha assa est, unam esse ex gravissimis persecutionibus, quas Ecesia Catholica in aliquo regno particulari hactenus sustinuit, eo ut a suis initiis et fundamentis hoc ostendam, adverto, in mni persecutione, ad judicium de illa ferendum, primum omium spectandum esse scopum et finem, in quem tendit persetio; deinde media quibus illius finis consecutio intenditur.

Ut ergo aliqua Ecclesiæ vexatio sit propria et publica persecu tio, necessarium est, et sufficit ex parte finis, ut in destructi nem vel mutationem Catholicæ religionis in tota Ecclesia, v in aliqua ejus notabili parte faciendam ordinetur. Nam, lic vexatio Christiani populi aut regni ordinetur ad dominiu temporale ejus tyrannice occupandum, et hac ratione mu temporalia nocumenta Christianorum per rapinas, homicidia, alias similes injurias fiant, si hæc non tendant in eversione religionis Christianæ, sed tantum in appetitu temporalis impe sistant, non erit propria persecutio Ecclesiæ, ut nunc de i tractamus. Quia per illam non vexantur fideles, quatenus fid les et Christiani sunt, sed quatenus homines vel cives su sicut interdum vexantur gentiles et pagani. Poterit ergo i dici persecutio corporalis, non spiritualis, humana non Chri tiana, nam hæc esse debet propter Christum, seu propter fid ejus, juxta verbum ipsius, Matthæi, 5: «Beati estis cum ma dixerint vobis homines», etc., «propter me.» Et 1 Petri, «Nemo vestrum patiatur ut homicida», etc. «Si autem ut Chr tianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine.»

5. *Quæ sit Ecclesiæ persecutio.*—At vero e contrario si pe secutio tendat in illum finem, et sub eo nomine fiat, quibu cumque mediis intendatur, erit Christiana persecutio. Quia in moralibus dicitur, finis est qui dat esse et speciem actio Unde sicut qui favet Christianis, quia Christiani sunt, vel pro ter fidem et amorem Christi in eos qualiacumque benefi confert, Christum honorat, et ab illo potest præmium expect re, juxta illud Matth., 10: «Quicumque potum dederit uni minimis istis», etc., «tantum in nomine discipuli, non perc mercedem suam», ita etiam e contrario qui directe inten Catholicam religionem offendere, et eam profitentes ab i avertere, quibuscumque mediis ad hoc utatur, erit prop persecutor Christianorum, et consequenter etiam Christi, ju verbum ejus dicentis ad Paulum: «Quid me persequeris?» A tor., 9. Quoad media vero in eodem loco Matth., 5, var

nodos persequendi Christianos idem Dominus insinuat, dicens: «Cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me.» Ubi Augustinus, lib. 1 de Serm. Dom. in monte, accurate illa ria distinguens, ait, «persecutiones» proprie fieri per vim vel nsidias; «maledicere» autem esse, aliquem in præsentia ejus nhonorare, et contumeliis afficere; «dicere autem malum adersus aliquem», proprie esse de illo absente detrahere, ejusque famam lædere. Quamvis autem hæc recte dicta sint, umpto stricte verbo persequendi, nihilominus etiam vexatio lla, quæ per contumelias vel infamationes Christianorum fit, ersecutionis nomen meretur, sicut de Apostolis dicitur Actor., 5, quod «ibant gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.» Et 1 Petr., 3: «Si quid patiamini propter justitiam, beati.» Itaque pro diveritate mediorum aut tribulationum esse quidem poterit major vel minor persecutio; quocumque tamen modo fiat, si ratione fidei aut religionis Christianæ fit, erit Christiana persecutio. Sicut Augustinus, loco citato, dixit, «tunc aliquem propter Christum pati, quando secundum veram fidem et Catholicam disciplinam Christianus vocatur, et ideo vexatur.»

6. *Persecutio Ecclesiæ propria quæ.* — Deinde ut majorem ucem huic causæ afferamus, tam fines persecutionum Ecclesiæ, uam media quibus fieri solent, distinctius explicare utile cenemus. Potest enim persecutio esse vel solum contra bonos nores per violentiam et potentiam humanam aliquem pravum norem in rempublicam introducendo, et eos graviter affligendo ui resistunt, vel pro veritate quovis modo pugnant. Sed talis exatio, quamdiu intra hos limites continetur, quia in omni egno etiam mere humano et gentili esse potest, ideo non tam cclesiastica persecutio, quam gubernatio iniqua et tyrannica ocari solet. Ulterius ergo progredi solet vexatio christiani rincipis ad unitatem Ecclesiæ scindendam, et unius capitis bedientiam ita contemnendam, ut omnes subditos suos, sibi

in eodem schismate non consentientes affligat, et vel hoc sc dignos suppliciis existimet. Et hæc jam proprie attingit grad aliquem ecclesiasticæ persecutionis. Tandem potest finis scopus persecutionis esse mutatio fidei, et veræ religionis in fundatæ, cum vexatione et afflictione fidelium tali mutatio resistentium. Et hæc est ex parte finis consummata Eccles persecutio, quia fundamentum ejus prorsus evertere nititur.

7. *Primum medium quo persecutores uti solent.*—Media ver quibus Ecclesiæ persecutores ad hunc finem uti solent, h fere sunt. Primum, per vim et potentiam divinum cultum Ecclesia evertere, templa destruendo, imagines concremand monasteria et loca sacra in profanos usus convertendo. Sicut Donatistis refert Optatus, lib. 6, quos verbis Eliæ accusat: «A taria tua confregerunt. Cur vota (inquit) et desideria homin cum ipsis altaribus evertistis? Cur concidistis precibus viam Et Augustinus, lib. 3 contra Crescon., cap. 59, inde convin Donatistas, persecutionem fecisse Maximianistis, «quia basi cam Maximiani destruxerunt.» Sic etiam Ariani templa Cath licorum evertebant, ut refert Victor, lib. 1 de Persecut. Vand Alii etiam imperatores imagines everterunt et incenderunt, satis notum est. Aliud medium esse solet, leges et edicta pr nunciare fidei contraria, quibus cogantur fideles sub gravissim pœnis abjurare fidem, aut aliquid contra fidei regulas profite Quod fecerunt non solum gentiles imperatores, sed etiam qui Christo defecerunt, Julianus, Valens, et similes. His accec pœnarum et tormentorum executio. Atque interdum etiam s lent violenta media adhiberi, quibus filii Catholicorum a min tris et magistris hæreticis doceantur et instruantur, et e co trario ut a Catholicorum disciplina arceantur, et omnib modis prohibeantur, sicut a Juliano Apostata factum esse, m moriæ proditum est. Denique aliquando tyranni solent blandi et favoribus humanis animos credentium tentare, ut in histor ecclesiasticis vulgatum est.

8. *Vexationem fidelium in Anglia persecutionem esse Eccl*

sive, ex fine ostenditur.—Primo ergo probandum est, vexationem fidelium in Anglia ex parte finis persecutionem ecclesiasticam esse. Si enim initium et originem ejus contemplemur, manifestum erit. Nam Henricus VIII, ut sententiam divortii in regno suo adversus reginam Catherinam, contempta Sede Apostolica, proferri faceret, novam Ecclesiæ formam in Anglia induxit, seque ipsum caput illius Ecclesiæ constituit ; decretumque statuit, ut in illo regno in nulla rerum Ecclesiæ administratione Pontificis auctoritate opus foret. Et per hanc potestatem sic usurpatam novos religionis ritus, et leges colendi Deum, longe alias quam antea fuissent, in regnum suum inducere decrevit ; et in hunc finem multa egit, quæ postea attingemus. Hunc scopum habuit etiam Eduardus, vel potius protector, et consiliarii ejus, qui ita finem illum auxerunt et amplificarunt, «ut intra breve tempus tremendum sacrificium, divina officia, et sacramenta omnia ritu catholico in Anglia fieri omnino desierint» (1), ut Sander. refert. Imo cum Henricus, excepto articulo primatus, in aliis ad fidem pertinentibus mutationem fieri vetuerit, statim ab Eduardo Zuingliana hæresis introduci cœpta est, ut supra vidimus. Eumdem finem instauravit Elisabetha simul atque ad regnum assumpta est, nam et se gubernatricem supremam totius Angliæ, non minus in spiritualibus et ecclesiasticis rebus quam in temporalibus, declaravit, et a suis subditis jurari voluit; neque solum in conservando schismate, sed etiam in introducenda Lutherana hæresi, vel alia parum illi dissimili, ac omnino mutanda religione Catholica, quam soror Maria instaurare cœperat omnibus modis incubuit; et in ea cura et sollicitudine usque ad finem vitæ laboravit.

9. Eamdem autem religionis formam, Catholicæ nimirum repugnantem, Jacobum regem in suo regno conservare ac tueri, omnibusque modis intendere, probare non est necesse. Satis

(1) Sander., lib. 2.

enim diserte et explicate sæpius in suo libro rex ipse hoc profitetur, ut ex suæ fidei professione supra tractata satis manifestum est, et in sequentibus multa ejus verba et loca designabimus, in quibus hunc finem ostendit et declarat. Ex quibus omnibus constat, tres illos pravos fines, quos in persecutione religionis Christianæ supra distinximus, pravos scilicet mores, mutationem religionis per schisma, et fidei mutationem per hæresim, omnes in hac turbatione Anglicana inventos esse; incepit enim a morum corruptione, et ad schisma processit, et ad apertam hæresim consummata est, et ita nunc perseverat. Nam schisma neque ab ipso rege negatur, illud autem jam est in hæresi fundatum, ut lib. 3 ostensum est, et multis aliis hæresibus est cumulatum, ut in lib. 1 et 2 est probatum; schisma autem et hæresis sine magna morum corruptione esse non potsunt. Ergo ex parte finis omnia mala ibi concurrunt, quæ in ecclesiastica persecutione inveniri possunt.

10. *Idem ex parte mediorum demonstratur.— Quam gravis fuerit persecutio sub Henrico.*—Quod autem etiam ex parte mediorum fuerit, et ante Elisabetham, et sub illa, et post illam sub Jacobo acerbissima persecutio, probatur discurrendo breviter per capita quæ attingimus. Primum erat de violenta eversione et usurpatione rerum sacrarum ; hæc autem statim cum mutatione religionis sub Henrico cœpit. Nam solus Henricus decem millia monasteriorum ac templorum, a Catholicis per multa sæcula ædificatorum, violenter occupavit, et in profanos usus pervertit, ut refert Boz., tom 1 de Signis Eccles., c. 1, cujus tyrannidis seriem ac modum latius describit Sander, lib. 1, pag. 154 et sequent., «et principio» dicit, «præcepisse Henricum, ut omnes omnium ordinum viri ac mulieres pretiosissima quæque Ecclesiarum ornamenta, et reliquias suis quæstoribus traderent.» Deinde in publicis comitiis obtinuisse ait, ut minora quæque monasteria, quorum redditus septingentos aureos non excederent, suæ libidini dederentur; et ita trecenta septuaginta sex monasteria, et ex eis centum viginti millia au-

reorum in annos singulos occupasse, et plus quam decem mille utriusque sexus religiosos in sæculum remisisse. Intra triennium vero omnia totius regni monasteria evertisse, eorumque omnia bona fisco per summam violentiam applicasse. Quod quanta vi quamque pravis artibus executioni mandaverit, idem auctor late prosequitur (1). Post hæc vero contra imagines, monumenta et reliquias Sanctorum bellum movit, et celebriora omnia evertit, contumeliis affecit et expilavit. Alias vero ecclesias licet non omnino everterit, quidquid tamen in eis erat pretiosum arripuit, easque infinitis aliis modis, sacra omnia indigne tractando, violavit.

11. *Quantum sub Eduardo persecutio creverit. —Sub Elisabetha.—Sub rege Jacobo.*—Hæc autem omnia sub Eduardo conservata et aucta fuerunt, nam si quæ imagines aut cruces in Anglia remanserant, partim eversæ, partim combustæ sunt, et vasa omnia aurea et argentea, calices ac vestes sacræ ecclesiasticæ, omniaque ecclesiarum bona regi applicata fuerunt (2). Et officia divina ritu hæretico et vulgari lingua recitari cœperunt, atque ita ablato divino sacrificio, et altaribus destructis, ecclesiæ Catholicorum templa Dei et Christi esse desierunt, et in synagogas Satanæ commutatæ sunt. Postea vero Elisabetha templa, monasteria, et sacra omnia, quæ soror ejus in antiquum veræ religionis decorem ex parte reduxerat, iterum e medio abstulit, et majori vi et potentia sacra omnia invasit, et omnem antiquæ religionis usum auferre totis viribus conata est. Jacobus vero licet fortasse monasteria non invenerit quæ destrueret, aut eorum stabilia bona quæ denuo occuparet, nec templa quæ jam non essent ab hæreticis contaminata, nihilominus eamdem vim rebus sacris inferre censendus est. Primo, quia potentia sua facit ut abominatio illa desolationis conserve-

(1) Sander., lib. 1, pag. 286 et seq.
(2) Sander., lib. 1, p. 174 et 175.

tur, eademque violentia impedit ne aliquid, quod Catholicam religionem redoleat, in suis regnis instauretur. Et quamvis in Hibernia (ut inde accepimus) ecclesiæ ab hæreticis olim diruta nunc expensis Catholicorum jussu regis reædificentur, id tamen fit ut sacrilegis Calvinistarum ritibus et conventiculis inserviant; quæ duplicata, ut sic dicam, est injuria et persecutio. Deinde si quæ sacra vasa occulte a Catholicis retinentur, ministri regis illa inveniant, ea rapiunt, et ad suos et profanos usus convertunt. Imo (ut a fide dignis accepimus) hoc colore pretiosa quæque auri et argenti vasa, aut feminarum ornamenta surripiunt, fingentes esse vasa sacra, aut ad reliquiarum vel altarium ornatum conservata.

12. *Alterum persecutionis medium.—Quantum sub Elisabetha.*— Alius modus persequendi religionem Christianam esse solet per edicta, et leges violentas ac pœnales Catholicæ fidei repugnantes; quales innumeras in Anglia sub prædictis regibus latas esse et quotidie ferri, notissimum est. Nam Henricus in principio sui lapsus, publico edicto subditos coegit ad juramentum primatus illi præstandum, ut supra visum est; imo tanto odio in Pontificem exarsit, ut lege publica sub pœna capitis præceperit, ut omnes Papæ nomen ex omnibus libris sui delerent. Et aliæ similes leges sub illo, et sub Eduardo contra religionem Catholicam latæ sunt. Postea vero Elisabetha, statim in principio regni sui, juramentum de primatu suo ecclesiastico suis subditis suscipiendum proposuit. Nam, licet nomine «capitis Ecclesiæ» non uteretur, sed «supremæ gubernatricis», postea tamen declaratum est eamdem rem utraque voce significatam fuisse. Addebaturque pœna privationis bonorum et perpetui carceris prima vice recusantibus, secunda autem vice pœna capitis. Præterea prohibitus est usus sacrificii et sacramentorum ritu Romano sub pœne 200 aureorum prima vice, 400 secunda, tertia omnium bonorum, et carceris perpetui (1). Item

(1) Idem ann. 1559.

sub pœna amissionis omnium bonorum et perpetui carceris prohibuit, ne quis in Angliam afferret agnos Dei, cruces, vel quascumque res alias auctoritate Pontificis consecratas, et sub pœna capitis, ne Brevia aut Bullas Roma quisquam portaret. Reconciliare aliquem Ecclesiæ Romanæ, crimen læsæ majestatis esse voluit (1). Qui extra regnum religionis causa navigarent, bonis omnibus privavit. Postea vero legem edidit, qua omnes clerici Pontificia auctoritate ordinati intra certum diem regno exire cogebantur, et a transmarinis nunquam redire sub pœna læsæ majestatis. Et similia edicta innumera promulgavit.

13. *Sub Jacobo rege quid.* — Neque Jacobus rex in oppugnanda fide Catholica legibus suis segnior fuit. Nam, ut late refert Cardinalis Bellarminus, in responsione sua ad Apologiam, an. 1606 edictum a rege prodiit, cujus titulus erat: «Ad detegendos et reprimendos Papistas.» Ex quo titulo manifestum est, causa religionis, et in defectionem a Papa edictum latum esse. Unde in primo ejus articulo confirmatæ sunt leges ab Elisabetha latæ, in aliis vero multa sub gravissimis pœnis propter eumdem finem statuta sunt. Ut, quod Catholici recusantes cœnam hæreticorum sumere, vel templa eorum adire, et sacris interesse, variis pœnis pecuniariis mulctentur, eas in singulis vicibus augendo, longe acerbiori modo quam sub Elisabetha fieret. Deinde, licet rex dicat se antiquum juramentum temperasse, non tamen illud abstulit. Scimus enim fide digna relatione, superiori anno decretum esse, ut omnes subditi juramentum præstent. Præterea, recusantes etiam novum juramentum fidelitatis admittere, in carcerem sicariorum conjiciuntur, et si ibi etiam recusent, privantur omnibus bonis, et carceri perpetuo mancipantur. Item ut qui aliquem regis subditum ad obedientiam Ecclesiæ reduxerit, reus majestatis læsæ habeatur, ejusque criminis pœnam subeat, nisi intra certum tempus crimen con-

(1) Idem ann. 1571. Late Episc. Tarazon., lib. 4, c. 5.

fessus, utrumque juramentum primatus, et contra potestatem Papæ suscipiat. Quæ omnia edicta et leges in scopum avertendi homines a Romana religione manifeste ordinantur, et magnam coactionem continent; quandoquidem per comminationem privationis bonorum et perpetui carceris homines ab actibus Romanæ fidei ac religioni consentaneis arcentur, vel ad jurament perfidiæ et sacrilegas hæreticorum superstitiones inducuntur.

14. *Conventus quatuor Archiepiscoporum Hiberniæ, pr extirpanda Catholica fide.* — Accedit (quod antea sub Elisabetl non tam acerbe factum fuerat sicut his posterioribus anni præsertim ab anno 1565 usque ad præsentem) eadem edicta Hibernia (ut inde scribitur) esse promulgata per legatos et gu bernatores a rege magna cum potestate missos, a quibus i Catholici vexantur, ut vix vivere permittantur, nisi antiqu religioni renuntient. Præcipitur enim omnibus sub gravissim pœnis, ut ecclesias Protestantium Dominicis diebus et fest adeant, et impiis eorum ritibus intersint, et Catholici patria deserere coguntur, nisi Protestantibus conformari velint. Pr hibentur præterea Catholici sub pœna perpetui carceris, ne ir tra regnum grammaticam aut aliam scientiam juvenes docean Parentes sub pœna confiscationis bonorum interdicuntur fili extra regnum ad litterarum catholica studia mittere; quod eos misisse constiterit, in carcere detinentur, donec filii redeai Item qui sui juris sunt, prohibentur similiter regno exire scie tiæ comparandæ causa, sub pœna carceris perpetui, si in exi comprehendantur. Nullus permittitur ad magistratum alique eligi, nec ad ejus regimen admitti, nisi prius juramentum primatu ecclesiastico regis Angliæ exhibeat. Quæ omnia, et a multa, quæ brevitatis causa omittimus, in eumdem finem ev lendi radicitus Romanam fidem ab illa insula, in qua vige adhuc videbatur, ordinantur. Unde cum jussu regis quatu Archiepiscopi, qui soli sunt in illa provincia, ad tractandum rebus religionis, Dullino convenissent, omnes uno ore jurar omnibus modis et viis procurare, ut in suis suorumque suffr

ganeorum diœcesibus, atque adeo in universa Insula in religionis ritu uniformitas conservetur. «In finem (inquiunt) eradicandi penitus Papisticam religionem, et loco illius veram (scilicet) fidem ac religionem plantandi.»

15. Hæc autem vexatio per edicta et leges non in comminationibus tantum sistit, sed ad executionem magna ex parte progreditur, ut Sander., in lib. 3 suæ Histor., de tempore Elisabethæ late refert. Et de hoc tempore per constantem famam et relationes fide dignissimas nobis constat, maxime vexari Catholicos expilationibus et rapinis, ut ad summam pauperiem redacti, nec vires nec animos ad resistendum habeant. Cujus rei exempla multa referre possemus: unum vero sufficiat, de quodam illustri viro vicecomite Montagu, qui ne juramentum novum susciperet, pro compensatione sex mille libras, hoc est, viginti quatuor mille cruciatos Lusitanos solvit superiori anno 1611. Neque necessarium est, ut de aliis mediis tormentorum, pœnarum ac coactionis, quibus fideles gravissime vexantur, longiorem probationem adhibeamus, quia et in sequenti capite multa hujus veritatis argumenta et exempla referre oportebit; et nunc etiam ad objectiones, vel potius excusationes regis respondendo, idem evidentius constabit. Nam etiam ipse rex non audet omnino negare afflictiones et pœnas, quas orthodoxi in Anglia passi sunt, et nunc etiam patiuntur, sed alias excusationes prætendit, quas expendere necesse est, ut evidentissime constet tam claram et crudelem esse illam persecutionem, ut nulla tergiversatione celari possit.

16. *Excluditur evasio qua rex utitur.* — Prius ergo excusat rex prædecessorem suam Elisabetham partitione temporum superra facta. Nam ante sententiam a Pio V latam, fideles graviter non vexavit; post sententiam vero non illos vexavit, sed se defendit, nec fidem persecuta est, sed crimina et conjurationes. At prius membrum falso nititur fundamento. Dicit enim rex, ante Pii V excommunicationem non esse in Anglia severiores leges latas contra Catholicos; at illa excommunicatio lata fuit a

Pio V anno 1569, et tamen anno 1558 et sequenti latæ fue-
runt leges supra relatæ, quæ non solum severiores, sed etiam
severissimæ dici possunt et debent. Pœnæ enim privationis bo-
norum, vel perpetui carceris per se ac sigillatim sumptæ, gra-
vissimæ sunt; quomodo ergo non est judicanda severissima lex
quæ utramque pœnam semel recusanti juramentum primatus
id est, perfidiæ, imponebat? Aliæ item leges pecuniarias pœna
imponentes tam servantibus in sacris Catholicum morem, quam
sacrilegum Protestantium vitantibus, cum eos paulatim su
bonis ad vitam necessariis privent, et in bono perseverante
perpetuo carceri tandem mancipent, non possunt non gravisima
et severissimæ censeri.

17. *Refellitur altera evasio.* — Addit præterea rex, nullam
pœnam capitis fuisse illo tempore in Pontificios constitutam. A
contrarium constat ex dictis legibus, nam secunda vice recu
santi juramentum perfidiæ, pœna capitis imponebatur. Eadem
que mulctabatur qui Bullam quamlibet Pontificiam in Anglian
deferret. Et Doctor Catholicæ fidei, si aliquem ab hæresi con
verteret, reus læsæ majestatis, ac subinde etiam mortis reu
habebatur. Neque solum legibus, sed etiam illarum executione
et innumeris aliis modis regina illo jam tempore Catholicos ve
xabat. Refert enim Sander., lib. 3, ann. 1585, plures Episco
pos, qui nec jurare, nec aliis impietatibus consentire voluerun
de gradibus depositos, et carceribus traditos, et ibi tandem
«longo miseriarum tædio fuisse extinctos.» Alios item nobiles
aliosque utriusque sexus religiosos, vel similes pertulisse vexa
tiones, vel, ut illas vitarent, patriam deserere, et relictis omn
bus exules fieri, coactos esse Est ergo evidentissimum, priu
Elisabetham gravissima persecutione Catholicos vexasse, quam
Pius V in ipsam animadverteret. Unde si æquo animo, ut re
postulat, ipse rem totam cum suis circumstantiis æstimare e
pensitare voluisset, longe verius diceret, Pium V nullam re
ginæ pœnam irrogasse prius quam ejus pertinacia et in Catho
licos sævitia Pontificem ad innocentum defensionem compu
lissent.

18. *Altera evasio evertitur.* — Videamus deinde quam sit legitima de actis ab Elisabetha in posteriori tempore excusatio: «Elisabetha», inquit, «censura et depositione Pii V exacerbata», in Catholicos ira et indignatione commota est. At quænam hæc excusatio est? Profecto nulla; quin potius inde gravior et detestabilior facta est persecutionis iniquitas. Nam, ut ostensum est, ante Pii V sententiam per plures annos Elisabetha Catholicos vexaverat, ut eos ab obedientia Pontificis averteret, cumque Pius IV legatum ad illam misisset, qui eam admoneret ne regnum suum nobilissimum propter odium Pontificis perderet, et si quid sibi de jure regni timeret, sedis Apostolicæ benignitate facile transigi posse affirmaret, ipsa nec legatum audire voluit, nec illi in Insulam trajectionem permisit, ut lib. 3, an. 1566, Sanderus refert. Additque alium nihilominus legatum ab eodem Pontifice in Angliam fuisse missum, qui reginam hortaretur, ut aliquos ex suis Episcopis ad Concilium Tridentinum omni securitate promissa mitteret, ut causa fidei tractaretur, quem etiam superbe rejecit. Item ait, variis litteris imperatoris, regum et aliorum virorum illustrium catholicorum duriorem semper factam. Quid ergo mirum, si Pius V, cum per quatuor fere annos sui Pontificatus patienter etiam aliquam correctionem vel moderationem in moribus reginæ expectasset, et nihil proficeret, severitate tandem in ipsam utendum esse censuerit? Nemo sane, qui de potestate Papæ non dubitaverit, rustam ejus indignationem reprehendere audebit, nec reginæ pertinaciam excusabit.

19. Possumusque ad præsentem causam egregiam Augustini sententiam accommodare, qui in lib. de Unit. Eccles., cap. 20, ita ad Donatistas loquitur: «Si vos contra Christi Ecclesiam altare erexisse, et a Christiana veritate, quæ toto orbe diffunditur, sacrilego schismate separatos esse, et corpori Christi, quod est Ecclesia toto orbe diffusa, et blasphemando, et quantum potestis oppugnando, adversari, Sancta et canonica Scriptura convincit, vos impii atque sacrilegi: illi autem, qui

vos pro tanto scelere tam leniter, damnorum admonitionibus vel locorum, vel honorum, vel pecuniæ privatione deterrendo coercendosque decernunt, ut cogitantes quare ista patiamini sacrilegium vestrum cognitum fugiatis, et ab æterna damnatione liberemini, et rectores diligentissimi et consultores piissimi deputantur. Hanc vobis dilectionem debent Pontifices, u et sacrilegia vestra, et propter Christianam mansuetudinem no pro merito punienda decernant, et propter Christianam sollici tudinem non omnino impunita dimittant. Hoc in eis Deus ope ratur, cujus misericordiam, etiam in his molestis, de quibu conquerimini, non vultis agnoscere.» Hæc fere Augustinus, qu licet non de Pontifice cogente regem schismaticum, sed de im peratore in favorem Ecclesiæ contra subditos rebelles sævient loquatur, nihilominus, ut dixi, verba ipsa totaque sententi optime ad præsentem causam cum proportione accommodantu Neque poterit contradicere, nisi qui potestatem Papæ ad rege schismaticos coercendos negaverit; is autem ad quæstionem d causa religionis controversiam revocabit. Atque ita etiam con cluditur, licet Elisabetha, sententia Pontificis provocata, pers cutionem auxerit, non ideo scopum et finem persecutionis mu tasse; semper enim contra religionem pugnavit, et in eo pro posito occasione justæ sententiæ magis confirmata, et crudelio facta est, atque ita persecutio Catholicorum non fuit mutat seu ablata, sed aucta.

20. *Persecutionis progressus sub Jacobo.* — Ad alia, quæ d se suoque regimine rex proponit, breviter respondemus, impr mis ex comparatione quam inter se et Elisabetham facit, a summum ostendere, in principio sui imperii mitius se cu Catholicis gessisse, et persecutionem Elisabethæ aliquo mod temperasse, non vero ab illa cessasse. Nos enim facile oster dere possumus, ipsum etiam Jacobum a principio regni sui re ligionem catholicam persecutum esse. Primo, quia in prim anno regni sui, primoque Parlamento edicta reginæ non solu confirmavit, sed etiam non parum auxit, ut Bellarminus in su

responsione testatur. Secundo, quia ipsemet rex dicit, Catholicos de sua benignitate confisos, in eam spem venisse, ut se brevi religionis suæ libertate fruituros confiderent. Ergo fatetur, ipso etiam regnante, semper fuisse Catholicis interdictum, ne suam religionem profiterentur vel observarent; ergo cogebantur illam deserere; quæ autem esse potest evidentior religionis persecutio, quam illius usum per iniquas leges et per vim interdicere? Tertio, ipse rex fatetur, summam clementiam suam erga Catholicos eo pervenisse, ut intra diem constitutam regno excedere permitterentur, vel potius cogerentur, nam exilium illud ad vitandas graviores pœnas illis concedebatur. Et hoc vocat rex «clementissimum edictum.» Sed audiat quid de simili concessione tempore Elisabethæ facta scribat Sanderus: «Inierunt his ipsis diebus novum consilium de quibusdam, quos in vinculis habebant, in exilium mittendis, vel quia morte ac mactatione sacerdotum senserunt se nihil profecisse, vel quia judicarunt hoc imprimis facto fucatam clementiam suam, cujus laudem tantopere expetunt, pluribus in locis divulgari posse.» Quid ergo si de simili regis consilio idem judicium quis faciat? Fortasse non multum a vero aberrabit. Verumtamen demus regem id fecisse animo leniendi vexationem, et minuendi pœnas. «Profecto perpetuum exilium, neque magnum est lenitatis argumentum,» ut idem auctor adjungit; imo per se spectatum est gravissima pœna, et per illud cogi ad graviores pœnas vitandas, magna est calamitas, ac denique ea conditione impositum, ut redire sit capitale, durissimum ac sævissimum est.

21. *Evasioni occurritur. — Non excusatur beneficiis in Catholicos, si ratione politici regiminis collata sunt.* — At inquit rex, se regnante, probari non posse, aliquem religionis causa morte mulctatum fuisse. Sed imprimis hæc nulla gratia est, nisi beneficium reputetur illud latronum, qui gloriari solent vitam se eis dedisse, quibus non ademerint. Deinde pessima est illa collectio: «Non interficiuntur Catholici; ergo neque persecutionem patiuntur;» quasi vero sola occisio et mors sit coactio et

gravis pœna. Unde Augustinus, de Unitat. Eccles., c. 20: «Quo ties principes per terrores etiam leviorum pœnarum, a bon vita et a bonis factis minando et sæviendo deterrent, persecu tores et oppressores sunt.» Denique falsum etiam esse illud quod asseritur, in capite sequenti ostendemus. Et ex eo quo rex addit, et futurum significat, ut interdictio juramenti occa sio sit plures recusantes interficiendi, satis ostendit regis pro positum esse persequendi Sanctos usque ad mortem, religioni causa. Nam, ut ostendimus, religio et conscientia fideles obli gat hoc juramentum non admittere; ergo qui fideles ob ea causam interficit, eos propter causam religionis usque ad mor tem persequitur. «Sanguisque eorum non in Pontificem,» u rex prophetat, sed in caput persecutoris recidet, nisi corriga tur. Non enim Pontifex causam dedit effundendi talem sangui nem, qui veritatem declarando, juramentum interdixit, sed rex qui et veritatem oppugnando tale imponit juramentum, et us que ad mortem persequi statuit illud recusantes, erit vera caus sanguinis tam crudeliter effusi. Præterea favores et beneficia quæ Catholicis se contulisse refert, et parvi momenti sunt a excusandam persecutionem; non enim religionis causa illis fa vere, vel potius cum illis dissimulare incepit, sed ob ratione politicas, ut in principio regni sui omnes sibi aliquo modo con ciliaret. Et fortasse illis blanditiis et honoribus eorum animo lucrari cupiebat, ut eos postea in rebus etiam religionis facilius voluntati suæ obsequentes inveniret. Quod si ita est, illa no excusatio, sed potius pars et augmentum persecutionis cen senda est. Denique quod rex frequenter in suam defensionem allegat, sceleribus conjurationis coactum fuisse in Pontificio severius agere, et non excusat persecutionem quam multo an tea inchoaverat, ut ostendimus, et ad excusandam a persecu tione vexationem catholicorum inde subsecutam nihil juvat, u sequenti capite ostendemus.

CAPUT XI

An qui propter romanam religionem et obedientiam in Anglia morte mulctati sunt, inter veros martyres sint annumerandi.

1. Ut persecutoris Ecclesiæ infamiam rex Angliæ quoquo modo effugiat, in religiosos et fideles viros pro Christo in eadem insula interfectos illam rejicere conatus est, constanter affirmans, propter scelera et crimen perduellionis vel inobedientiæ gravis in transgressione legum civilium, justo supplicio affectos, non vero propter conscientiæ aut religionis causam esse interfectos. Et ideo mentiri affirmat, valdeque irridet eos qui illos Martyres vocant. Unde in Præfatione sic inquit (1): «Licet sat superque idoneis probationibus Jesuitas perduellionis et conjurationum reos esse pateat, ipsique veritatis victi confessi sint, nihilominus pro Martyribus habendi sunt.» Inferius vero, post longam digressionem contra P. Henricum Garnetum et alios factam, adjungit: «Id constanter assevero, quod et in Apologia mea posui, hic neminem sive meis, sive defunctæ reginæ temporibus, conscientiæ ac religionis causa affectum esse supplicio.» Quod si hoc verum est, necessario concluditur nullum Catholicum, saltem Elisabethæ et Jacobi temporibus, supplicio mortis affectum, verum martyrem fuisse, quia (ut est constans in theologia principium) Martyrem non facit pœna, sed causa, ut ex Cypriano, Augustino, et aliis Patribus supra, in c. 22, lib. 1, declaravimus. Quibus autem argumentis vel indiciis rex suadere nitatur, violentas Sanctorum mortes An-

(1) Pag. 157, et seq.

glorum fidelium auctoritate regia in Anglia factas, non propte causam religionis, sed propter alia crimina inflictas esse, pos tea videbimus. Ostendemusque illis gloriam Martyrum no obscurari, sed potius ipsiusmet regis verbis illustrari et con vinci; tam potens enim est veritatis lux et splendor, ut nun quam ita possit per calliditatem vel violentiam occultari, qui tandem se prodat et ostendat.

2. *Veritas affirmans ostenditur.—Martyres ex Carthusiana Franciscana familia.—Illustria Thomæ Mori et Roffensis martyri* —Dicimus ergo non solum sub Henrico VIII, sed etiam su Elisabetha et Jacobo, plures in Anglicana persecutione morte pro Christo suscepisse, qui inter veros Christi Martyres magn gloria et constanti veritate computantur. Ita sentiunt de h sanctis viris omnes catholici scriptores, qui de Anglicanis rebu his temporibus scripserunt. Nam Polydor. Virgin., in fine su Historiæ referens lapsum Henrici abnegantis Papæ potestaten seque caput Anglicanæ Ecclesiæ constituentis, subjungit «Illud autem decretum non ab omnibus probatur. Et imprim ab Episcopo Roffensi, viro magna doctrina, summa integritate innocentia; item a Thoma Moro, equite, litteris ac bonis mori bus ornatissimo, qui demum ambo maluerunt de vita quam ea sententia decedere, ut ocyus in cœlo, quemadmodum ip sperabant, fruerentur ævo; aliquotque alii idem sponte fece runt.» Ubi, licet expresso nomine Martyres non vocet, tame dum de illorum innocentia testatur, et veram interfection eorum causam aperit, et ipsos Martyres esse et pro sola rel gionis causa interfectos esse confirmat. Idem de illis, et de ali sub Elisabetha interfectis affirmat, et variis exemplis ac ratio nibus ostendit Sander, in lib. 1 et 3 de Schismate Anglica Nam in lib. 1, anno 1533 et sequentibus, refert plures religio sos Carthusianæ et Franciscanæ familiæ illustres fuisse Mart res, et præclare triumphasse, illustre pro veritate testimoniu reddendo, confirmat. Postea Roffensis et Mori insignia martyr describit; et signatim de Moro refert, interrogatum esse «

probaret legem publice latam, in qua omnis potestas Pontifici Romano abrogata, et summa Ecclesiæ gubernatio regi concessa esset», cui interrogationi cum prius ita respondisset, ut neque fidem negare, neque temere mortis periculo esse offerre videretur, tandem instante necessitate ita respondit: «Ego per Dei gratiam semper Catholicus, nec unquam a Pontificis Romani communione discedens, audiveram aliquando Pontificis Romani potestatem, legitimam quidem et laudabilem, sed tamen humani juris, non divinæ præscriptionis fuisse. Itaque cum viderem statum hujus regni eo ferri, ut necessario investigandum esset quæ ex origine Pontificis Romani potestas dimanaret, toto septennio hujus rei diligentissimæ indagationi me dedi, et deprehendi potestatem Romani Pontificis, quam vos temere (ut nihil dicam gravius) abrogastis, non modo legitimam, laudabilem et necessariam, verum etiam divini juris et præscriptionis esse. Hæc mea est sententia, hæc fides, in qua per Dei gratiam moriar. Vix hæc dixerat, cum omnes magna voce clamarunt, proditorem et perduellem esse Morum.» Et similiter de Roffense ait esse interfectum, eo quod in articulum de primatu spirituali ab Henrico usurpatum consentire recusaverit. Addit vero utrumque etiam fuisse interfectum, eo quod legitimas fuisse nuptias Henrici cum Anna Bolena jurare noluerint. Ex quo ansam sumpsit rex Jacobus eorum Martyria illudendi; verumtamen ex hoc etiam capite illustriora fieri, capite sequenti ostendemus. Denique idem auctor in omnibus fere sequentibus annis vitæ Henrici illustrissima martyria refert; verumtamen quia rex Jacobus de tempore Henrici nihil dicit, hæc nunc sufficiunt.

3. *Martyrium Thomæ, comitis Northumbrii.*—In libro autem tertio, multos propter solam fidei causam extinctos per Elisabetham affirmat, quos et Martyres esse censet. Et primum, ante expeditum Breve Pii V in Elisabetham, refert Thomam, comitem Northumbrium, qui contra hæreticos arma sumpserat, in manum Anglorum traditum, «et vita (iquit) si vellet religionis sententiam mutare oblata, claro martyrio fideliter in Domino

finivisse.» Interposuit autem hic auctor verba illa, «vita si vel let», etc., ne forte quis hunc commitem a gloria martyri excludendum putaret, eo quod propter rebellionem motam in terfectus videretur; non enim ita est, nam illa conditio ei oblat sufficiens fuit, ut propter fidei testimonium potius, quam prop ter prius factum (qualecumque illud fuisset) mortuus fuerit Quod pro multis aliis exemplis observandum est. Postea verc anno 1571, cum multæ leges capite præcedenti notatæ, contr Catholicos latæ essent, ait Sanderus: «In quas leges cum mul devoti Catholici vel vere offenderent, vel saltem calumnia le gum irretiti tenerentur, alii carceribus, alii bonorum proscrip tione, alii etiam morte mulctabantur, tam sacerdotes quai utriusque sexus laici omnium ordinum.» Et in sequentibus an nis 581 et sequent., Patris Edmundi Campiani, e societate Jesu et aliorum multorum (1), martyria præclarissima refert, d quibus tandem ait: «Frustra vero in hoc instituto compendi commemoraverim, quibus de criminibus tam crudeliter in in nocentes animadversum sit, cum omnibus constet, veram so lamque causam fuisse religionis avitæ professionem, et Apos tolicæ Sedis ad communionis contra Ecclesiæ rebelles filio defensionem. Quod postea multis indiciis et testimoniis confir mat. Unde quod rex Jacobus ait, Elisabetham a Pio V exagita tam hæc et similia commisisse, nihil impedire potuit quin ha omnia vera martyria fuerint; quin potius inde magis ostend potest, omnia illa homicidia in odium Romanæ religionis, e ad confirmandam sectam illi contrariam commissa fuisse, a subinde nihil ad veram martyrii rationem in eis posse desi derari.

4. Atque eodem modo de his martyribus senserunt Gene brard., in Chron., ann. 1534, referens Paulum Jovium, Georg Lilium in Chron., et Sleidam, lib. 9. Item Surius, in sua Histo

(1) Hos late recenset idem auctor, lib. 7, de Visibil. monarchia.

ia; Bozi., de Signis Eccles., p. 1, lib. 11, c. 1, ubi martyria Carthusianorum sub Henrico late refert, notatque sua sponte lla sustinuisse : «Nam conditio (ait) proponebatur ijs, ut vel liscederent a fide, vel ea tormenta subirent.» Deinde vero liorum tormenta et martyria sub Elisabetha refert, quæ omnia atius prosequitur lib. 12, cap. 22. Post hos Didacus a Yepes, Episcopus Tarazonen., in Anglicana historia, veritatem hanc æpe confirmat; maxime vero in lib. 1, cap. 14, hæreticorum onsilium et industriam detegit, causam religionis sub nomie criminis læsæ majestatis involventium, ut sub illo prætextu c calumnia Catholici interficerentur, et Martyrum gloriam inter Christianos non consequerentur. Et lib. 2, cap. 5, refert ndre. Filipatrum egregie de his martyribus, qui ab Elisabetha cti sunt, scribentem.

5. *Testimonium Card. Baron. de martyribus Angliæ.—Martyres a societate Jesu.*—Præterea illustrissimus Baron., in Martyol., die 29 Decembris, quo die festum S. Thomæ Cantuariensis Ecclesia celebrat, post brevem ejus Martyrii descriptionem ubjungit: «Videre meruit sæculum nostrum, ex hac parte felissimum. quamplurimos Thomas, sanctissimos sacerdotes aliosue nobilissimos viros Anglicanos ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, duplicisque tituli coronis auctos, cum non olum (ut Thomas) pro Ecclesiæ libertate, sed pro fide catholica uenda, restituenda ac conservanda, nobilissimo martyrio occuuerint; ut inter alios, quos nuper S. Societas Jesu velut agos innoxios in sacris septis, sanctis eruditionibus ad martyum acceptissimas Deo hostias, saginavit; quos Romanum, quos hemense sacra collegia, quæ dixerim celsas turres a facie quilonis, et fortissima propugnacula fidei, emiserunt ad triumhos, et provexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute, nglicanorum nobilissime ac gloriosissime cætus, qui tam ilstri militiæ nomen dedisti, ac sacramento sanguinem spoponsti: æmulor sane vos Dei æmulatione, cum vos martyrii ndidatos ac nobilissimæ purpuræ Martyres designatos aspicio.

Compellor et dicere: Moriatur anima mea morte Justorum, e
fiant novissima mea horum similia.» Quæ verba dixit vir gra
vissimus, non solum de his qui temporibus Elisabethæ, se
etiam de his qui suo etiam tempore sub Jacobo propter simile
causam passi sunt, quos non paucos fuisse, multorum fide dig
norum relationibus compertum habemus, licet nondum in hi
toria aliqua typis mandata, quæ ad manus nostras perveneri
scriptum sit.

6. *Grave testimonium pro Henrico Garneto Martyre, e So
cietate Jesu.*—Denique ita de Anglicanis Martyribus sensit etia
Petrus Opmecrus, in novissimo opere chronographico, ann. 153
et Laurenti. Beyerlinck, in tomo 2 ejusdem chronographia
ann. 1606, ubi postquam descripsit sulphuream conjuratione
contra regem Angliæ, et supplicia conjurationis auctoribus i
flicta, de Patre Henrico Garneto grave reddit testimonium, qu
hoc loco transcribere, opportunum visum est: «Paulo post v
nit etiam in suspicionem sulphureæ conjurationis, odio cred
derim ejus, cui se adscripserat, Societatis Jesu, Henricus Ga
netus, omni litterarum genere excultus. Qui tamen artibus il
nunquam se admiscuerat, obtestatus nihil se de iis palam re
civisse. Catesbium in arcanis conscientiæ detexisse, quidqua
in animo sibi esse quod religionem promoveret, ita tamen ve
borum involucris id implicuisse, ut regiæ necis mentione
nunquam fecerit. Acta judicii, et quæ tam adversus illum qua
ad ejus defensionem in medium allata sunt, editis libellis e
plicata fuerunt. Interim 28 Martii (alii tertiam Maii dicunt) i
territus, et exporrecta fronte ad supplicii locum necemq
trahitur, obtestatus se gaudere plurimum quod eam mort
invenisset, quæ sibi ad immortalitatem aditum reservaret. N
que ille solus in ejus facinoris suspicionem venerat, sed plu
insuper, quorum nonnulli qui in Belsio degebant, ea mac
aspersi feruntur. Dies quo conjuratio detecta primum fuit,
fastos relata, totique regno celebris ad perennem rei memori
esse jubetur.»

7. *Excluditur regis evasio.*—Scio ad hæc omnia responsu-
um Jacobum regem, non esse his auctoribus fidem adhiben-
lam, tum quod Pontificii sint, tum quod falsis rumoribus fue-
int decepti. Verumtamen cum omnium istorum virorum non
antum fides in Deum, sed etiam doctrina et prudentia nota sit,
t aliqui eorum in vitæ integritate et puritate fuerint illustres,
redendum potius illis est quam Protestantibus, qui et fidem
egarunt, et odio in Pontificem facti sunt infidelibus deteriores.
Quapropter qui non ex aliorum relatione, sed ex certa scientia
t experientia loquuntur, ut Sanderus, et quos ipse allegat,
estes profecto sunt omni exceptione majores. Qui vero audita
eferunt non leviter motos esse, verba ipsorum manifeste os-
endunt. Unde potius credendum est, regem in his, quæ de
udiciorum suorum legitimis probationibus affirmat, ab hæreti-
is et Papæ hostibus deceptum esse, quam tot viros sapientes
anis rumoribus ductos esse, cum rem non ut dubiam, sed ut
ertam afirment, et multi eorum, scriptis et testimoniis fide
ignissimis, quæ proferunt, illa se didicisse testentur. Quod
ine ullo falsitatis vel redargutionis timore fecit etiam illustris-
imus Bellarminus, ut omittam alios Societatis Scriptores, qui
estimonium huic veritati dederunt.

8. *Ex verbis regis demonstratur, personas quasdam, ab ipso interfectas, pro Christo occubuisse.*—Prætermissis autem conjec-
uris et testibus, ex verbis ipsiusmet regis eamdem veritatem
emonstrare possumus. Suppono enim ex dictis supra, lib. 1,
22, in personis a regibus Angliæ interfectis, nihil aliud desi-
erari posse, nisi ut propter Christum, seu, quod idem est,
ropter justitiam, fidem, aut veram religionem extincti sint,
am omnes aliæ conditiones ad martyrium requisitæ, et omnia
ndicia veri martyrii in eorum morte inventa sunt. Quia tam in
dei antiquitate, quam in animi constantia et patientia, necnon
verborum gravitate et prudentia antiquos martyres imitati
unt, ut in dicto capite declaravi. Unde neque rex ipse Angliæ,

neque Protestantes omnes aliam rationem aut modum obscu
randi hæc martyria invenire hactenus potuerunt, nisi negand
religionis causa hos Martyres passos esse. Et fortasse ideo hac
excusationem prætendere ausi sunt, quia cum ex facto pendea
difficilem probationem habere videtur; tam potens autem e
veritatis vis, ut etiam suis verbis Jacobus illam negare, in
etiam occultare non potuerit.

9. *Martyres sunt, qui oblatam veniam mortis quam merentu
respuunt, ne Romanam fidem abnegent.* — Nam in præfation
pag. 153, cum dixisset neminem, suo vel reginæ tempore, re
ligionis causa esse ultimo supplicio affectum, probationem hi
verbis subjungit: «Nam quantumvis religioni suæ deditus si
quantumvis eam aperte et constanter profiteatur, nullum ei
legibus impendet capitis periculum, nisi comperto contra leg
externo aliquo actu deliquisse, aut conjurationem consilium
rei summæ perniciosum iniisse; exceptis tantummodo sacrific
lis, cæterisque Pontificiarum partium, qui transmarinis regi
nibus sacris ordinibus initiantur, qui tot conjurationibus, t
proditionibus ab ipsis in Anglia, vel conceptis, vel laudatis i
fames, a nostris finibus sub perduellionis pœna arcentur.»
quibus verbis primum notanda est regula generalis, in qua r
ait, eis, «qui catholicam fidem aperte, et constanter profite
tur, nullum a legibus impendere capitis periculum.» Non en
negat alias graves pœnas et afflictiones eis imminere, neq
affirmare potest licere eis per leges, suam fidem profiteri h
actibus et modis, quos ipsamet fides præcipit vel docet, ut
dicendis patebit. Deinde notandæ sunt exceptiones: una e
«de his qui conjurationem inierunt,» de qua nihil dicere n
cesse est; nam si tali crimine legitime convicti fuerint, jus
pro illo puniuntur, neque illa mors ad martyrium pertinet. S
let autem (ut quibusdam exemplis supra ostensum est, et g
neraliter fama prædicat) illis promitti pœnæ remissio, si Rom
nam religionem abjurent, et tunc si cum pœnitentia prioru
delictorum patiantur, non carebunt gloria martyrii, quia ta

dem propter fidei constantiam mortem sustinent. Sed de hoc alias. Nunc quod ad rem nostram pertinet, est altera exceptio de his, «qui externo aliquo actu contra leges deliquerunt.» Atque in hac immorandum est, et cum illa, cætera, quæ de religione et exterminatione Catholicorum dicuntur, expendemus.

10. *Qui morte afficiuntur ob non servatam legem iniquam, martyres sunt.— Ostenditur multos Catholicos qui ob transgressionem legum Jacobi regis occisi sunt, propter Christum passos esse.* —Interrogo igitur de quibus legibus rex loquatur, an de pure civilibus, quibus latrones, homicidæ, et alii similes morte mulctantur, vel de legibus quibus Catholici, aut falsam sectam profiteri, aut obedientiam et potestatem Pontificis abjurare cogantur, aut actus religionis Catholicæ exercere, vel illam docere prohibentur. Profecto de prioribus legibus solis rex loqui non potest, alioqui facile convincetur falsitatis ejus assertio. Tum ex legibus allegatis capite præcedenti, tum ex factis ipsis universo orbi notis, tum etiam ex verbis regis in Apologia, ubi recusantibus juramentum nuper editum, mortem comminatur, ut capite etiam præcedenti ponderavimus, certaque relatione jam accepimus aliquot ob solam illam recusationem esse in Anglia interfectos. Necesse est ergo ut de legibus in materia religionis disponentibus contra Romanam religionem loquatur. Hinc autem evidenter, sequitur, eos, qui propter solam transgressionem talium legum interficiuntur, propter solam causam religionis et conscientiæ interfici, ac subinde veros martyres esse; quia, ut dixi, nihil aliud ad verum martyrium in tali morte desiderari potest.

11. *Ob eamdem causam Martyres nascentis Ecclesiæ occidebantur.* — Probatur autem illatio, primo in legibus præcipientibus actus veræ religioni contrarios, ut est jurare primatum reginæ vel regis, et abjurare potestatem Papæ, vel nomen ejus ex omnibus libris delere, ut præcepit Henricus. Quia nemo potest talem legem servare, nisi contra suam conscientiam agendo, vel interius, vel exterius saltem Catholicam religionem

negando; ergo idem est propter talium legum transgressionem quod propter suam conscientiam et religionem immaculatam servandam interfici. Consequentia evidens est, et antecedens constat ex sententia Petri et Apostolorum, Actor., c. 5: «Obedire oportet Deo, magis quam hominibus.» Unde recte dixit Augustinus, epist. 166, «si contingat imperatorem in errore versari, et pro errore suo contra veritatem leges dare, qui non faciunt quod ille jubet, quia Deus prohibet, licet torqueantur, non puniri, sed probari nunc et postea coronari.» Similesque Patrum sententias congerit Gratianus, 11, q. 3, c. 92 et sequentibus. Et confirmatur, quia non aliter omnes Martyres principio Ecclesiæ passi sunt. Per edicta enim imperatorum contra fidem vel cultum veri Dei aliquid agere præcipiebantur sub comminatione mortis, quam sustinere potius quam talibus obedire mandatis eligebant. Eodem autem modo puniuntur in Anglia talium legum transgressores. Atque ratio hæc et assertio locum habet, etiam in illis Angliæ legibus, quæ alios actus sacrilegos, ut participationem Calvinianæ Cœnæ, et similes communicationes cum hæreticis in eorum ritibus et Synagogis præcipiunt. Nam, licet in legibus non imponatur capitalis pœna, nihilominus qualiscumque sit pœna, illam propter talis legis transgressionem sustinere, est quædam martyrii participatio vel inchoatio, quæ si usque ad mortem sustineatur, potest martyrium consummari, ut infra dicam.

12. *Martyres sunt qui propter violationem legum prohibentium actus religionis catholicæ occiduntur.* — De aliis autem legibus vetantibus actus exteriores bonos, et ex fide et religione catholica profectos, ut sunt sacra facere, seu missas privatas dicere, absolvere pœnitentes, Catholicos exhortari, ignorantes vel hæresi deceptos docere, et schismaticos Ecclesiæ Romanæ reconciliare, et specialiter docere Papam esse caput Ecclesiæ ubique existentis, etiam in Anglia, et similia; de his, inquam, legibus facile etiam probari potest, eos, qui ob transgressionem illarum interficiuntur, esse veros Martyres, et propter causam

religionis interfici. Sunt enim hæ leges similes illi præcepto sacerdotum et scribarum dato Apostolis, Actor., 4, quando «vocantes eos denunciarunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.» Quibus Petrus et Joannes responderunt: «Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate, non enim possumus, quæ vidimus et audivimus non loqui.» Et iterum cap. 5, cum princeps sacerdotum Apostolos reprehenderet, dicens: «Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto,» etc., Apostoli responderunt: «Obedire oportet Deo magis quam hominibus.» Et cum ob eam causam cæsi fuissent, «ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.» Ubi expendo, licet sacerdotes propter transgressionem sui præcepti Apostolos cædi fecissent, illos nihilominus existimasse «pro nomine Jesu» passos fuisse: unde si passio illa usque ad mortem pervenisset, sine dubio fuisset consummatum martyrium. Ex quo loco generatim colligimus, si præceptum vel lex humana prohibeat actus veræ religionis catholicæ, qui ad ejus defensionem, conservationem vel propagationem ordinantur, et propter ejus transgressionem aliquis a fidei persecutore occidatur, vere interfici propter causam religionis, etiam si tyrannus propter legis suæ transgressionem pœnam illam imponi dicat. Est enim omnino eadem ratio. Cum ergo per has leges Angliæ similes actus religionis catholicæ prohibeantur, illæ nihil obstant quominus omnes, qui propter usum talium actionum interficiuntur, propter fidem et religionem moriantur.

13. Ratio autem est, quia leges illæ sunt iniquæ, et nullam obligationem inducere possunt, tum quia sunt civiles, et in materia religionis contra religionem disponunt; tum quia prohibent actus de se licitos et sanctos, in spiritualem perniciem Ecclesiæ quæ in illo regno est. Et ideo illas leges non observare nulla est culpa; imo, si fiat prudenti modo et sine temeritate, est insignis actus fortitudinis et religionis, et signum magnæ charitatis; ergo mors illata propter tales actus re vera

non est pœna transgressionis legis, quia ubi lex nulla est, etia transgressio est nulla, et consequenter nulla culpa; ergo ne vera pœna esse potest. Superest ergo ut sit tantum persecut religionis, et afflictio seu passio talis personæ, solum quia ta lem religionem profitetur aut defendit, vel prædicat; hoc aute est pati propter causam religionis, et propter Christum, sic patiebantur Apostoli. Hæc autem ratio procedit evidentiu quando actio, ab homine prohibita, a Christo est præcepta; tu quia homo tunc patitur ne hominem Deo præferat, juxta illa Apostolorum sententiam: «Obedire oportet Deo magis qua hominibus;» tum etiam quia in illo articulo obligat Christi pr ceptum: «Nolite timere eos qui occidunt corpus,» Matth., 1 Nam, ibi ait auctor Imperf., hom. 25: «Non solum ille prodit est veritatis, qui transgrediens veritatem mendacium loquitu sed etiam ille qui non libere veritatem pronunciat, quam libe pronunciare oportet.» Unde subjungit, non solum sacerdote sed etiam laicum esse debitorem profitendæ fidei in tali nece sitatis articulo. Quomodo ergo non erit Martyr, si ob eam ca sam interficiatur?

14. *Qui interficitur, quod actum religionis catholicæ exerce martyr existit.*— Addo vero: licet talia opera lege humana pr hibita possint aliquando omitti sine transgressione præce divini, vel quia sunt tantum de consilio, ut vovere castitate vel religionem profiteri, vel quia si cadunt sub affirmativu præceptum Dei vel Ecclesiæ, vel illud non obligat pro tali te pore, vel cum tot periculis, et ideo posset optime pro tu omitti, sine ejusdem transgressione; nihilominus si quis, n obstante iniqua prohibitione, et tyrannica comminatione, pr ter zelum fidei illos actus exerceat, eo modo quo sibi licent, judicat ad Dei gloriam, et utilitatem animarum expedire; propterea occidatur, erit vere martyr, quia «non ut maledic 'aut fur», vel inobediens regi, cujus lex est iniqua, «sed Christianus Catholicus» patitur, et propter justitiam interfi tur. Non enim solum homo operatur justitiam, quando obe

præcepto, sed etiam quoties operatur propter Christum, et Dei gloriam, licet tunc non obligetur; ergo qui patitur ne hanc justitiam voluntariam, ut sic dicam, id est, non necessariam tunc ex præcepto, Deo autem gratam et proximis utilem, omittat, revera propter justitiam patitur; ergo si interficiatur propter eamdem causam, vere occiditur propter causam religionis, ac subinde est verus martyr.

13. Cum ergo rex fateatur in Anglia interfici Pontificios propter transgressionem talium legum civilium, negare non potest quin propter causam religionis interficiantur, et consequenter neque inficiari potest esse veros martyres. Nam lex injusta et invalida non potest impedire martyrii veritatem, nec veram causam talis mortis immutare, quæ causa revera sola professio talium actionum, quæ ideo displicet regi suisque consiliariis, quia displicet illis Romana religio, et timent ne per illos actus vel conservetur vel instauretur in illa Insula, et ne contraria secta confundatur. Nec refert, si dixerint prohiberi hos actus, non propter religionem, sed propter civiles rationes, quia tales homines seditiosi sunt, et conjurationem movent, etc. Nam imprimis majori ex parte hæc sunt falsæ calumniæ et prætextus ad evertendam religionem catholicam. Dato enim (et non concesso) quod aliqui Catholici in hoc aliquid peccaverint vel excesserint, non ideo in omnes Catholicos redundare debet infamia, hoc enim contra rationem et justitiam est, ut constat. Maxime vero iniquum est ut ob eam causam ipsa catholica religio (ut sic dicam) infametur, et persecutionem patiatur, usum ejus, et omnia media necessaria vel utilia ad illius conservationem vel propagationem subditis prohibendo. Deinde multa sunt legibus Anglicis sub pœna capitis prohibita, et punita, quæ ad evitandum illud periculum, si quod esset, nec necessaria nec utilia sunt. Ut, verbi gratia, «prohibere affirmare Papam esse caput Ecclesiæ», nihil profecto ad illum finem confert. Quin potius illa lex efficit ut fideles Papæ obedientes cogantur sese abscondere, ex qua violentia et similibus solent tales conjura-

tiones prodire. Et idem est de prohibitione usus sacrificii, e aliarum rerum sacrarum, ut imaginum, et de administration sacramentorum ritu catholico. At vero si subditi libere suam fidem profiteri sinerentur, et essent cogniti qui a Pontifice sunt occasio conjurationis ac similia pericula essent sublata; erg hoc colore non possunt tales leges, vel mortes, quæ sub illarum titulo fiunt, a persecutione causa religionis excusari. Ex qu tandem dicimus, si quod est periculum insidiarum et conjura tionum, ex pertinacia ipsorum hæreticorum nasci. Et ideo si a vitandum periculum volunt potius religionem catholicam fun ditus evertere, quam a sua pertinacia desistere, hoc ipso evi denter ostendunt se catholicam religionem persequi, ut suam hæresim retineant, et in illa temporalem statum conservent ergo quando propter similem causam sacerdotes vel alios fide les occidunt, propter causam religionis illos perimunt, ac sub inde tanquam veros martyres, velint, nolint, eos Deo mactant

16. *Obedientiam Pontificis profiteri, nullum est perduellionis crimen.—Idem confirmatur edicto Jacobi regis pro juramento fidelitatis.* — Nec movere debet Catholicos aut dubietatem aliquam inferre, quod leges Angliæ damnent eos qui talia agunt, tanquam perduelliones, traditores, aut hostes occultos regis ve Reipublicæ; non enim apud Deum, sed apud depravatum judicium hominum tales censeri possunt. Conditores enim talium legum dignitatem Pontificis contrariam esse censent regiæ majestati, et ideo crimen læsæ majestatis appellant, obedientiam Pontificis profiteri, cum tamen negare Pontifici obedientiam crimen sit læsæ majestatis divinæ, quæ vices suas Pontifici in terris commisit, et ideo obedientia, quæ illi tribuitur, Deo tribuitur, et non potest esse contraria fidelitati justæ, et principibus temporalibus debitæ; cum Christus ipse docuerit, non repugnare, quæ sunt Cæsaris dare Cæsari, et quæ sunt Dei Deo Hoc autem esse præcipuum institutum et artificium talium legum, intelligi facile potest ex his quæ refert Sander., de Tempore Elisabethæ, lib. 3, pag. 469, ubi de SS. Confessoribus

ait: «Cum cæteras confictas criminationes in judicio facile depulissent, mox ipsorum secretiores cogitationes, et futura facta, quibusdam captiosis interrogationibus super Bulla declaratoria Pii V fit inquisitio; nimirum, si sententiam illam legitimam fuisse judicent? Si putent in Papa esse potestatem reges exauctorare, ac subditos ab ipsorum obedientia liberos reddere? quid sint facturi ipsi, aut aliis in conscientia præscribent, si bellum a quoquam inferatur propter religionem; ac hujus generis alia; in quibus si quid pro Pontificia potestate, vel prudentissima veterum moderatione dixissent, continuo læsæ majestatis, et non religionis rei decernebantur.» Et postea confessione cujusdam Joan. Nicolai, et variis ac illustribus exemplis idem late confirmat, ac tandem ex legibus in quodam regio edicto contentis id comprobat, præcipue usque ad pag. 484. Nos vero id ipsum convincere possumus ex regis Jacobi edicto pro suæ fidelitatis, vel potius abnegationis Pontificiæ potestatis juramento, facto ad proclamationem, seu ad petitionem Parlamenti, anno 7 regni ejus, cujus tenor, omisso proœmio, est: «Per has præsentes stricte præcipimus et mandamus, ut domini, et cæteri nostri secretioris consilii Archiepiscopi, Episcopi, Præsides, et custodes pacis», etc., «ad quos spectat hoc negotium, ut administrent hoc juramentum omnibus personis, et præcipue his quibus potest et debet administrari, juxta statutum factum in tertio anno nostri regni, et quod in recusantes animadvertant juxta leges nostras respective. Et quamvis poterimus propter amorem erga omnes subditos nostros (quibus per providentiam Dei loco patris sumus) optare, ne ullus inveniretur intra terminos nostrorum dominiorum, qui illud recusaverit, nihilominus si quis cor suum ita abalienaverit a serenissimo principe suo, ut illud, vel illius ullam partem externæ potestati subjecerit, in derogationem nostræ coronæ et dignitatis, severitatem et justitiam nostrarum legum, tali debitam declarabimus; sicut e contra favor noster et benevolentia bene meritis subditis debetur.»

17. *Nihilominus, quia alienatio hæc a nobis et nostra corona est præparatio quædam ad ulteriorem et periculosiorem defectionem, et ideo tendit ad crimen læsæ majestatis, resolvimus reservari nobis et nostro usui totum ordinem, potestatem, et dispositionem circa hunc casum, sicut et pœnas ejusdem.* — Ex quibus verbis satis constat, has pœnas revera non infligi, nisi propter confessionem primatus Pontificis, vel propter non abnegatam potestatem ejus quæ manifeste est causa religionis; ut autem gloria Martyrum obscuretur, tegi causam veram sub ficto velamine criminis læsæ majestatis, pœnarum autem severitatem et injustitiam sub blandis verbis clementiæ et paternæ providentiæ occultari in quo rex Angliæ antiquos imperatores, qui ab Ecclesia defecerunt, imitatur. Sic enim de Constantio refert Hilarius, libr. contra illum, quod Catholicos persequebatur, partim blanditiis, partim terroribus et afflictionibus, «sine invidia (inquit) gloriosarum mortium.» Unde in hunc modum contra Constantium proclamat: «Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis. Sanctos persequeris, prædicatores Christi odisti, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum.» Et infra: «Subrepis nomine blandiendi, occidis specie religionis, impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicato extinguis.»

18. Similiter Julianus Apostata, «callide et artificiose» (ut ait Nazianzenus, oratione tertia, alias prima, contra illum bellum contra Christianos movit, «tyrannidi clementiam tam quam hamo escam circumponens, ac vim persuasione verbo rumque blanditiis illiniret.» Et subdit Nazianzenus: «Etenim ut alia, ita eum quoque quo Martyres affici solent, honore athletis invidebat. Ac proinde id molitur, ut ipse quidem e vim afferat, et interim afferre non videatur.» Quod late prosequitur. Et similia repetit orat. 4, quæ est 2 contra eumdem. Oratione autem 32, postquam de Juliano sermonem fecit, d Valente subdit: «Secundus nihilo humanior illo fuit; imo e etiam acerbior, quod Christi nomen ferens, pseudochristus era

Christianisque probrum ac dedecus, quibus et facere impium, et pati inglorium erat; quod nec injuriam quidem accipere viderentur, nec illustre martyrii nomen cruciatibus accederet, verum hic quoque fucus veritati fieret, ut qui tanquam Christiani patiebantur, tanquam impii cruciatu afficerentur.» Nihil est ergo quod Catholici de istorum Sanctorum martyrio dubitent; nam juxta regulam Augustini (1), cum sint certi, eos in unitate Ecclesiæ pro eadem unitate et obedientia mortuos esse, dubitare non possunt quin sint tanquam Martyres coronati, et interfectores eorum tanquam persecutores martyrum esse judicandos. «Nemo igitur (ut Cyprianus dixit) infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias destruat et coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume, nec dicere aut facere aliquid contra Christum potest, cujus et spes, et virtus et gloria omnis in Christo est (2).

19. *Qui varie pro Christi fide vexantur, martyrii gloria non carebunt.*—Addere tandem possumus ad fidelium consolationem, Catholicos diu pro fide vexatos, licet non sint violenter pro fide interfecti, si in ea tribulatione constanter usque ad mortem perseverent, sive in montibus et solitudinibus fugiendo errantes, sive in vinculis et carceribus afflicti, sive voluntariis vel coactis exiliis peregrinantes, sive speluncis et cavernis terræ delitescentes, sive aliis modis, et egestate multa incommoda patienter sustinentes, usque ad finem vitæ pervenerint, non fore privandos gloria vel mercede Martyrii. Cujus veritatis testis sufficiens mihi est Cyprianus, ep. 5, 6 ad Thibarit., quos ad martyrium exhortans, ait: «Si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflxerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem, tempestas ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro nominis

(1) Augustinus, de Unit. Eccles., l. 29.
(2) Cyprianus, lib. de Laps.

sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit. Nec minor est martyrii gloria non publice et inter multos periisse, cum pereundi causa sit, propter Christum perire. Sufficit ad testimonium Martyrii sui testis ille, qui probat Martyres et coronat.» Sicque dixit idem Cyprianus, ep. 18 ad Lucium Papam: «In confessoribus Christi dilata Martyria non meritum confessionis minuunt, sed magnalia divinæ protectionis ostendunt.»

20. *Duplex modus prædictas afflictiones tolerandi.*—Hæc autem tolerantia afflictionum et pœnarum usque ad mortem duobus modis potest accidere: uno modo, cum tanta corporis violentia et invaletudine ex ipsis afflictionibus, vel earum occasione provenientibus, ut magna ex parte inde mors proveniat, aut nimium acceleretur, ut contingit in diuturno carcere, vel in exilio ad loca insalubria, in longa et periculosa navigatione, vel in tanta rerum penuria, ut gravibus et continuis incommoditatibus corpus extenuetur, donec extinguatur. Et in his casibus in omni proprietate et veritate martyrium consummatur, et ita solet Ecclesia eos, qui hoc modo pro Christo moriuntur, ut veros martyres colere, eorumque facta celebrare. Alio vero modo fieri potest ut, licet quis vincula, aut exilia, vel alias similes afflictiones usque ad mortem pro Christo sustineat, nihilominus afflictiones illæ non sint causa mortis, sed suo naturali cursu proveniat; et tunc, licet dubium inter Theologos sit an illud fidei testimonium usque ad talem mortem redditum, ad nomen et specialem martyrii aureolam obtinendam sufficiat, certum nihilominus est, copiosam martyrii gloriam et mercedem illi deesse non posse. Nam qui sic perseveravit, revera implevit conditionem a Christo postulatam: «Qui me confessus fuerit coram hominibus»; unde Christum etiam ipsum promissionem suam implere necesse est, «Confitebor et ego eum coram Patre meo.»

21. Et in his qui sic patiuntur, maxime locum habet quod Augustinus ait, ser. 46 de Temp.: «Non martyrium sola effusio

sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum. Pervenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam.» Et serm. 232 de Temp.: «Quicumque pro veritate testimonium dederit, quidquid pro testimonio veritatis et justitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit», utique in ea confessione usque ad mortem perseverando. Et sic etiam in his Confessoribus maxime completur, quod Sancti Patres sæpe dicunt, martyrium non deesse ubi voluntas non deest, sicut dixit Chrysostomus, Psalmo 95: «Martyrium non tantum eventu æstimatur, sed etiam proposito.» Et Cyprianus, epistol. 11: «Non contristetur aliquis ex vobis, quasi illis minor, qui ante vos tormenta perpessi, victo et calcato sæculo ad Dominum glorioso itinere venerunt. Dominus scrutator est renum, et cordis arcana perspicit, et intuetur occulta. Ad coronam Dei promerendam sufficit ipsius solum testimonium, qui judicaturus est.

CAPUT XII

Ad ea, quæ contra secundum breve Pontificium et contra cardinalis Bellarmini epistolam rex objicit, responsio

1. *Regis in Cardinalis Bellarmini brevitatem redargutio.*— Inter alia arrogantiæ signa, quæ rex in Præfatione ex Apologia Bellarmini ejusque responsione enumerat ac reprehendit, unum est, quam in scribendo brevitatem rex tenuerat, eamdem ipsum Bellarminum in respondendo sequi voluisse, et addit: «Quo compendio in secundo Pontificis Brevi confutando usus eram, eodem in me voluit uti, meoque exemplo sese pene intra unius paginæ angustias coercere.» Ut ergo similem reprehensionem vitarem, omnemque umbram occasionis ejus effugerem, sicut in cæteris hactenus feci, in hoc ultimo puncto copiosam

reprehensionem serenissimo regi dare desideravi. Nihil auter vel in ipso Brevi, quod nova defensione vel probatione indigere neque in oppugnatione regis, quod peculiare responsum postu laret, inveni; ideoque satius duxi in eamdem regis offensione et reprehensionem incurrere, quam vel jam dicta repetere, v superfluis verbis et otiosis cartas onerare. Ideoque brevit posterius decretum Pontificis, ejusque rationem explicabo deinde nihil difficile contra illud a rege objici eadem brevitat ostendam; tandemque simili modo circa epistolæ Bellarmin confutationem discurram.

2. *Proponuntur præcipuæ decisiones secundi Brevis Pauli V* —Pontifex igitur in hoc posteriori Brevi nullum novum onu vel obligationem Catholicis Anglis imponit, sed prius Brev iterum confirmat, distinctiusque explicat in eo duo facta esse Unum est, declarare non esse licitum in conscientia hoc jura mentum fidelitatis præstare; aliud est, proprio etiam præcept illud prohibere, ut omnis occasio tergiversandi vel dubitand tolleretur. Insuper etiam declarat, prius Breve non solum mot proprio, et ex certa scientia, verum etiam post longam et gra vem deliberationem de omnibus, quæ in juramento continen tur, adhibitam, fuisse scriptum, ideoque omnino servandu esse, omni interpretatione secus suadente rejecta. Ratio auter vel necessitas hujus novæ declarationis seu confirmationis fuit quia, ut ipsemet Pontifex refert, nonnulli, vel subditi, vel se ductores regis, rumorem in Anglia sparserant, Breve vel fictu esse, vel non legitime, et ex certa scientia, sed per surreptio nem aliquam fuisse expeditum, quo prætextu aliqui, illo con tempto, juramentum non recusabant. Quam fraudem et reni tentiam versutiei adversarii humanæ salutis idem Pontife benigne ac prudenter tribuit, ut infirmiorum fidelium fragilita tem excuset.

3. *Objectiones cum rex non haberet contra secundum Brev verborum exaggeratione utitur.*—Rex autem Angliæ cum nih haberet quod contra verissimam Pontificis declarationem e

necessariam prohibitionem objiceret, sive ab auctoritate, sive a ratione petitum, in verborum exaggerationem prorumpit, verbaque ipsiusmet Pontificis, quæ proxime adduximus, arripit, et in ipsum convertit, dicens, nulla fraude ita potuisse dæmonem Catholicis Angliæ per mille annos nocere, sicut hujus Brevis expeditione Papa illis nocuit. Quia ex illo hoc magnum (scilicet) incommodum sequetur, quia multi etiam sacerdotes, qui juramentum admiserant, illud abjurare cogentur; atque ita fiet ut duo juramenta fidelitatis suo regi exhibita pejerent. Unum est illud quod omnes, qui sub regno nascuntur, tacite jurant, aliud hoc quod posterius admiserunt. «Unde sequitur (inquit) neminem posse in Anglia Romanam religionem profiteri, nec salutem animæ suæ curare, qui non fidelitatem suam erga principem cognitam et juratam exuerit et ejuraverit.» Nihilque aliud contra hoc posterius Breve objicit.

4. *A quo spiritu forma illa jurandi inventa fuerit.—Satisfit incommodo a rege illato.*—Non est autem difficile in præsenti puncto «probare spiritus», et ostendere an institutio juramenti ejusque exactio potius quam ejusdem reprobatio et prohibitio ex spiritu Satanæ fuerit, nam «ex fructibus» seu effectibus eorum discerni possunt. Finis enim juramenti est, avertere fideles ab obedientia ecclesiastica sub colore obedientiæ civilis, eos inducendo ad abnegandam Pontificiam potestatem, sub prætextu jurandi regi fidelitatem. Unde fructus talis juramenti, si exhibeatur, erunt schismatis professio, confirmatio et augmentum, fidei abnegatio, et illius regni integra in spiritualibus ruina, et animarum perditio. Est ergo perspicuum, juramentum illud ab adversario humanæ salutis excogitatum esse, et in cordibus Protestantium regi consulentium immissum; et ab eodem spiritu omnia verba, et media quibus tale juramentum defenditur, proficisci. E contrario vero reprobationem et prohibitionem ejusdem juramenti a contrario seu divino spiritu inspiratam esse, tum quia proprium opus spiritus Dei est dissolvere opera diaboli; tum etiam quia qui prohibitionem illam plena fide et

constanti obedientia susceperint, et suis conscientiis consulent, et schismati ac infidelitati cum spe magni fructus et mercedis resistent. Qui vero sive ex animi fragilitate, sive per errorem et deceptionem tale juramentum admiserunt (ut rex affirmat), lapsum et errorem suum per clamorem Pastoris agnoscentes, dissolvent colligationes impietatis, et iniquum juramentum abjurabunt. Hoc enim non solum inconveniens non est, ut idem rex infert, sed potius est ad salutem necessarium, et inter præcipuos effectus hujus Brevis computari debet.

5. Neque propterea sequitur altera pars quam rex involvit, quod, scilicet, abjuretur juramentum obedientiæ et fidelitatis ad regem, cum ipsis subditis congenitum. Sive enim per hoc juramentum intelligat obligationem illam, quæ veluti hæreditario jure pervenit ad omnes subditos, et ad eorum filios, ex fidelitate a suis parentibus et majoribus suis principibus jurata, sive etiam loquatur de expresso juramento licito et honesto a subditis facto de fidelitate politica regi debita, neutro modo sequitur abjurari naturale illud vinculum, seu juramentum obedientiæ civilis, ob retractationem juramenti a rege inventi, et ab aliquibus admissi. Quia in eo, ut ostendimus, non promittitur regi civilis obedientia justa et honesta, sed directe abnegatur Pontifici obedientia et potestas, et ideo quando retractatur, abjuratur abnegatio, ut sic dicam, ac proinde recognoscitur Pontificis potestas, et ad ejus obedientiam reditur. Regi autem solum negatur illa obedientia, quæ obedientiæ Pontificis ac Dei fuerit contraria, quod contra civilem, naturaliterque debitam non esse, sæpissime declaratum et probatum est.

6. *Satisfit ultimæ illationi regis.* — Unde ad ultimam regis illationem jam respondimus. Nam si rex loquatur de obedientia, quam ipse desiderat, quæ nullam supra ipsum vel directe in spiritualibus, vel indirecte in temporalibus recognoscat, optime infert neminem posse in Anglia Catholicam fidem tenere et servare, talem obedientiam regi jurando, vel tale juramentum, si illud aliquando præstitit, non retractando. Neque rex

n hoc dubitaret, si, ut tenetur, crederet, extra unam Catholi-
am et Apostolicam Ecclesiam non posse esse salutem aut fidem;
quia ubi non est unio cum capite, ibi est schisma et divisio ac
eparatio ab Ecclesia, ideoque fieri non potest ut qui juramen-
um illud admiserit, et in eo perstiterit, in statu salutis existat.
At vero si de pura ac legitima obedientia civili rex loqueretur,
nullius momenti esset illatio, quia hæc obedientia civilis cum
Ecclesiastica non pugnat, et in aliis regnis Catholicis servant
ubditi Romanam religionem, et consulunt saluti suæ, et nihil-
ominus non exuunt nec abjurant fidelitatem regi suo debitam,
mo illam ampliori fide, et cum majori regum pace ac securitate
bservant.

7. *Regis objectiones contra epistolam Bellarmini confutan-
ur.—Prima.—Secunda.*—Post impugnata Pontificia decreta in-
vehitur rex in epistolam Cardinalis Bellarmini, cui quoad hanc
partem respondere non duxi operæ pretium, tum quia Cardina-
is doctissimus solita eruditione id egit plenissime; tum etiam
quia fere nihil ad causam pertinens attingit, cui in superiori-
ous satisfactum non sit. Quod ut omnibus sit evidens, sigilla-
im et per partes id brevissime declarabo. Primum enim Bel-
armino tribuit, quod juramentum fidelitatis cum juramento
primatus confuderit. Sed objectionem hanc Cardinalis ipse sa-
is confutat. Et ideo nos in principio hujus libri utriusque ju-
amenti formulam proposuimus, ut nullus tergiversationis aut
mbiguitatis locus relinqueretur. Deinde, in versic. «Atque ut
ustitiam,» etc., quatuordecim assertiones proponit, quas om-
nes, vel saltem aliquas ex impugnatione juramenti sequi affir-
mat. Sed de illis c. 6 satis dictum est.

8. *Tertia.—Quarta.—Quinta.—Falso imponuntur regum
ædes Romanis Pontificibus.*—Tertio, in § «Atque ut clarius,»
ransitum facit rex ad persuadendam justitiam juramenti fideli-
atis Conciliorum auctoritate. Sed, ut notavi c. 2 hujus libri,
la Concilia de juramento longe diverso loquuntur. Unde non
mmerito possumus nos in regem retorquere errorem, quem

ipse in principio hujus impugnationis Bellarmino tribuit, nimi rum, quod ad confirmandum juramentum a quæstione prorsu alienum probationes non necessarias congerat, ut dicto loc latius declaravi. Quarto, in § «Nunc vero,» quod pag. 65 habe tur, per multas paginas digreditur, verbis injuriosis, seu convi ciis et contumeliis Bellarminum insectando et arguendo; in on nibus autem illis nihil vel ad causam, aut doctrinam pertinens vel discussione dignum invenio; qualiacumque tamen illa sin ab eodem Bellarmino docte refelluntur, quanquam non imme rito contemni potuissent. Quinto, pag. 84, § «Nunc auten unde digressus fuerat» (ut inquit) regreditur, statim vero ali divertitur, ut Bellarminum alterius contradictionis redargua quod ut efficiat, probandum assumit Pontifices multos impera tores vexasse, inquietasse, et usque ad interitum persecut esse. Inducitque varia exempla imperatorum et regum, quo Pontifices deposuerunt. Sed inter ea multa falsa veris permis cet, ut erudite Bellarminus ostendit. Quocirca quæ vera sun confirmant veritatem Catholicam, ut illa referendo in lib. 3 di ligenter expendimus, singulorum circumstantias ponderando quæ autem sunt falsa, contemnenda sunt, nam potius arguen tem redarguunt. Et ita neutra ostendunt, Pontifices regum cæ des per sicarios vel insidias fuisse machinatos, quod Bellarmi nus negaverat, nam falsa nihil probant, veræ autem histori solum convincunt, causa legitima interveniente, et justa caus exigente, sæpius Pontifices contra inicuos principes, servat juris ordine, usque ad depositionis sententiam processisse.

9. *Sexta.— Quod probatione eget supponitur, non probatur.*— Sexto, in pag. 90, versic. «Nam cum illud constet,» etc., pro pinquius rex accedit ad causam de juramenti malitia, vel pro bitate tractandam, parum tamen in ea insistit, statim enim pe similitudines, vel exempla a Bellarmino adducta divagatur, i singulis disparitatem, tanquam nodum in scirpo quærens Nih vero in defensionem juramenti, vel ad ostendendam ejus pro bitatem adducit, præter illud generale principium, quod jura

mentum fidelitatis civilis regi præstitum sanctum est. Cum autem difficultas versetur in applicatione illius verissimi principii ad hoc juramentum, de quo est controversia, ostendendo illud esse purum juramentum civilis obedientiæ, nihilque religioni catholicæ contrarium continere, sæpe quidem hoc supponit et repetit, nunquam vero illud probat neque defendit, nisi Pontificis potestatem abnegando. Et ideo in hoc solo puncto insistendum censuimus; reliquæ enim similitudines, vel exempla quæ ad exhortationem magis quam ad probationem feruntur, supponunt doctrinam Catholicam, et illa stante, sunt optima, nec a rege refelluntur, nisi negando Catholicam doctrinam, ut recte notavit idem Bellarminus, omnes epistolæ suæ partes, et exempla ac testimonia defendens et confirmans. Quia vero verba quædam Gregorii et Leonis Pontificum, quæ rex late insectatur, pagin. 106 usque ad 116, ad causam de primatu pertinebant, ea nos in libro 3 late tractavimus. In secundo vero refellimus quæ in pagin. 117, contra communionem sub utraque specie, et contra Missas privatas repetit.

10. *Septima. — In uno loco tacere quod in alio dicitur, non est contradictio.* — Septimo, a pagin. 117 usque ad 126, iterum in Bellarminum et Sanderum, ac denique in Thomam Morum et Roffensem invehitur, et, licet omnia quæ attingit, ad punctum causæ non pertineant, tamen quia fidei doctrinam aliqua ex parte attingunt, de singulis aliquid breviter dicendum putavi. Primo enim reprehendit non Bellarminum, sed Ecclesiam, quæ in verbis consecrationis Corporis non addit verba illa, «quod pro vobis datur,» contra Lucam, inquit, et Paulum. Additque habere se adversarium et hostem Bellarminum, confitentem illa non posse conciliari. At quis unquam dixit esse oppositionem inter aliquos de eadem re loquentes, quorum alter rem integre narrat, alter partem refert sine discrepantia, partem vero tacet. Si hæc contradictio vel oppositio est, infinitæ sunt oppositiones inter Evangelistas, quæ inter se conciliari non poterunt. Imo in hoc eodem puncto Matthæus et Mar-

cus opponentur Lucæ et Paulo, quia tacuerunt particulam «quod pro vobis,» quam Lucas et Paulus posuerunt. Quin etiam erunt Lucas et Paulus quodammodo inter se oppositi, quia non eodem verbo usi sunt, sed alter dixit, «quod pro vobis datur;» alter, «quod pro vobis tradetur.» Quod adnotare libuit, ut qui hæc legerit, advertat quibus prætextibus Protestantes Catholicam Ecclesiam relinquant, ejusque Apostolicos ritus reprehendere audeant. Constat enim evidenter ibi nullam esse oppositionem, quia nêque tacere est contradicere, neque Paulus aut Lucas dixerunt, omnia illa verba esse necessaria ad Eucharistiam conficiendam, neque verisimile est Matthæum et Marcum aliquid substantiale huic sacramento prætermisisse; blasphemum autem et hæreticum est cogitare, Petrum mutilatam et insufficientem formam Eucharistiæ Ecclesiæ Romanæ ac Catholicæ tradidisse, de qua re alibi a nobis ex professo disputatum est.

11. *Illustre Thomæ Mori et Roffensis martyrium a calumniæ vindicatur.*— De persona Sanderi dicit rex, «esse male meritum de patria sua», quod probat ex ejus sententiis, seu assertionibus, octoque recenset, quas hic transcribere non est necesse: nam in libris ejus videri facile possunt (1). Ex illis autem aperte colligitur, non alia ratione dici Sanderum male meritum de patria sua, nisi quia veritatem Catholicam docuit, vel quia regibus schismaticis non adhæsit, neque adulatus est, vel denique quia propter fidei constantiam exul a patria mortuus est. De Thoma Moro et Roffensi, insignibus viris et illustrissimis Martyribus, licet negare non potuerit interfectos fuisse, quia decreto de primatu regis Angliæ in spiritualibus assentire noluerunt, addit, non ob hanc solam causam, sed etiam fuisse occisos, quia secundas nuptias regis approbare recusarunt. Quod specialiter dicit de Moro, idem tamen de Roffense intelligit, nam de utroque ita historiæ referunt. Subjungit auten

(1) Lib. 2 de Visibil. monar., c. 4; et in Clave David., lib. 5, c. 3 et 4, et lib. 6, c. 1.

rex, «quæ meo judicio valde carnalis causa martyrii fuit.» Ego vero judico, hoc regis judicium satis ostendere quam sit potens error semel imbibitus ad pervertendum prudens judicium, etiam in rebus quæ luce meridiana clariora sunt. Quid enim detestabilius esse potest, quam dicere malum bonum, aut quid gravius quam approbare falsa pro veris, in rebus præcipue morum, et quæ salutem æternam concernunt? Cum ergo secundæ nuptiæ regis Henrici adeo essent detestabiles, ut contra omne jus divinum et humanum fuerint sine valore et effectu contractæ, etiam si nulla alia causa moriendi intercessisset præter recusationem approbationis illarum, illa sine dubio esset ad martyrium sufficiens. Nam, licet adulterium et polygamia, vivente prima et vera conjuge, carnalia sint, illa tamen damnare opus virtutis et valde spirituale est, et propter constantiam in tali opere mortem constanter ferre, egregia est causa martyrii. Sic enim mors Joannis Baptistæ, ut sentit Ecclesia, illustre fuit martyrium, quamvis Joannes ex odio concubinæ potius quam uxoris, quia regi prædicabat: «Non licet tibi habere eam», interfectus sit, quia illa causa, licet ex parte regis et Herodiadis satis carnalis fuerit, nihilominus ex parte Joannis fuit spiritualis, utique testimonium veritatis, propter quod occisus est. Ita ergo contigit Moro et Roffensi, ideoque ex hoc capite non obscuratur, sed illustrius fit martyrium. Reliqua vero, quæ de his sanctis viris rex detrahit, ad calumnias hæreticorum pertinent, quibus ipse fidem adhibet, et ideo etiam scriptores et conventicula hæreticorum Angliæ Roffensi opponit contra totius orbis auctoritatem et consensum, quod frivolum est, ut egregie Bellarminus prosequitur.

12. *Octava.*—Octavo, in § «Denique illud (1)», etc., regiam dignitatem, et potestatem ex Scriptura veteris et novi Testamenti persuadere aggreditur, sed frustra laborat, quia dignita-

(1) Pag. 126, in fin.

tem et potestatem legitimam regis temporalis nemo negat, spiritualem autem potestatem regis, aut exemptionem ejus ab obedientia Prælatorum Ecclesiæ, illa testimonia non probant, et aliis certissimis improbantur, ut in lib. 3 ostensum est, ubi de testimoniis quæ hic rex congerit, copiose diximus. Et inde satis perspicuum est quam sint frivolæ oppositiones, quas rex fingit inter modos loquendi Scripturæ et Bellarmini de regum temporalium dignitate et potentia, quibus ipse Bellarminus satis respondet. Sicut etiam refellit quæ rex postea subjungit adversus titulos, «Pontifex maximus», vel «caput fidei», quibus solet Papa decorari, de quibus et de pluribus aliis nos etiam in lib. 3 diximus. Ideoque (ut dixi) in tota hac parte Apologiæ nihil amplius immorandum censui.

OPERIS CONCLUSIO, ET AD REGEM ANGLIÆ PERORATIO

13. Qua verborum gravitate et moderatione in controversiis fidei loquendum vel disputandum sit, Gregorius ille, qui per antonomasiam Theologi nomen consecutus est, tum exemplo, tum luculenta et gravissima sententia nos docuit, dicens (1): «Non imperite docemus, nec adversarios contumeliis et conviciis incessimus, quemadmodum plerique faciunt non cum sermone, sed cum loquente confligentes, ac rationum et argumentorum infirmitatem maledictis interdum obtegentes, non aliter ac sepias atramentum ante se vomere aiunt, ut piscatores effugiant, aut conspectum sui eis eripiant. Verum nos pro Christo bellum gerere hoc argumento planum facimus quod secundum Christum, qui mitis ac pacatus est, atque infirmitates nostras portavit, dimicamus. Nam nec in veræ doctrinæ detrimentum paci studemus, nonnihil de animorum con-

(1) Gregorius Nazianzenus, orat. 32.

tentione remittentes, ut facilitatis et mansuetudinis famam colligamus (non enim quod bonum est male aucupamur); et rursum pacem colimus, legitime pugnantes, atque intra limites nostros spiritusque regulam nosmet continentes. Ac de his quidem ita sentio, cunctisque animarum dispensatoribus, rectæque doctrinæ arbitris legem statuo, ut nec per duritiam hominum animos exasperent, nec per summissionem elatos et insolentes efficiant, sed prudenter et consulte in fidei causa se gerant, nec in alterutro horum mediocritatem excedant.»

14. Ad hanc scribendi regulam totam hanc disputationem ita conformare optavi, ut si fieri posset, ne minimum quidem ab illa discreparem. Hoc enim et regiæ majestati debitum, et officii mei esse, et ad finem, propter quem hunc qualemcumque laborem suscepi, obtinendum, pernecessarium esse persuasum semper habui. Non enim propter victoriæ laudem, aut ingenii vel doctrinæ ostentationem vincere optavi, sed ut veritas ipsa vincat, et errorum tenebræ depellantur, et ut Christus in omnibus regnet, hoc maxime in votis habui. Quamobrem, Rex serenissime, si quid in responsione et disputatione mea acrius quam soleam, aut liberius quam par sit, dictum esse apparuerit, non in personam quam sustines, sed in doctrinam, tum novam, tum etiam contra Christi Vicarium ignominiosam, dictum esse intelligas, tranquilloque animo consideres difficillimum esse, pravam et perniciosam doctrinam, quam vir Catholicus abhorret, doctor aversatur, religiosus indigne fert, acriter, ut par est, reprehendere, quin aliquid in talis doctrinæ sectatores redundare videatur. Sunt enim hæc adeo conjuncta, ut vix possint disputatione vel admonitione separari. Quod in Paulo quondam notavit Chrysostomus, dicens: «Volebat, gravitate et reverentia servata, loqui, et auditorem interdum mordens percellere; at hæc ambo non dabantur, sed alterum alteri impedimento erat. Nam si quid reverenter dicas, haud quaquam possit auditorem perstringere; quod si rursus vehementer perstringere volueris, necesse tibi est aperte ac nuda oratione rem designare. Ad

prudentia (inquit) Pauli utrumque exacte præstitit, ipso naturæ nomine et increpationem augens, et hoc tanquam peripetasmate ad enarrationis verecundiam usus (1).» Hanc certe Pauli prudentiam præ oculis habui, et qua potui diligentia imitari studui, semper de re ipsa, non de persona, quoad fieri posset, tractando, vel ubi necessitas cogeret, non ad regem, sed ad Protestantes illius deceptores, sermonem dirigendo.

15. Superest ergo, Rex serenissime, ut, qua polles animi benignitate, et ingenii magnitudine, de qua semper multum confisus sum, nostrum hoc opus benevole accipere, et puro veritatis amore interdum evolvere non dedigneris, simulque consideres, ingenui animi maximique judicii esse, falsam opinionem, mendacio detecto, deponere, veritatemque intellectam animo amplecti et verbo profiteri, ac æternitatis impendentia pericula præcavere. Nullum enim in pertinacia decus, summa autem in ingenii docilitate prudentia, atque in pia ad Deum conversione providentia, qua non tibi tantum soli, sed patriæ olim florentissimæ, nunc vero in summo discrimine constitutæ prout ex officii tui magnitudine debitor es, consules. Quod si vocem Domini te vocantis audieris, eique obedire decreveris quod ipse vocando inceperit, adjuvando perficiet, nihilque erit quod, divino præsidio fultus, vincere ac superare non valeas. Unde non est cur hostium veritatis, quorum sermo ut cancer serpit, contradictionem timeas, proteget enim te Deus a contradictione linguarum: «Contradicunt linguæ multæ», ait Augustinus, «diversæ hæreses, diversa schismata personant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ, tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum (2).» Henricus ille, qui primus fidei defensor nominatus est, contra linguas contradicentes egregie prius

(1) Chrysostomus, homil. 4 in Epist ad Rom., c. 1.
(2) Psalm. 30.

scripserat; postea desipiens, et sibi et patriæ male consulens, deplorandum tam Angliæ quam orbi universo exemplum reliquit. Cur non et Jacobus, licet prius, a seductoribus deceptus, contra Dei tabernaculum, Ecclesiam nimirum catholicam, scripserit, intellecta postea veritate, ejusdem Ecclesiæ acerrimus propugnator, et Anglicani decoris instaurator existat? Ita enim fiet ut illustrem fidei catholicæ defensoris titulum, quem non sine causa magnifacere ostendis, non verbis tantum, sed opere et veritate, immortali cum laude merearis.

16. Quod si fortasse, Rex serenissime, nostris disputationibus, desiderio, et excelso animo, acrique ingenio vestro nondum satisfecimus, et aliquarum rerum, vel plenior responsio, vel major probatio desideratur, aut vobis, vel ministris vestris novæ contra catholicam doctrinam objectiones occurrunt, quibus satisfacere necessarium sit, proponantur velim omni sinceritate, et solius veritatis intelligendæ gratia, et quantum in me fuerit, paratum semper invenietis, ad eam, quæ in nobis est, fidei, sive scripto, sive etiam verbo, si occasio tulerit, rationem reddendam; et ad omnia, quæ proposita fuerint, non de me, sed de divino auxilio, et veritate confidens, pro virili respondendum. Hoc solum Majestatem vestram omni animi submissione enixe postulo, ut si adversus ea, quæ in his disputationibus pertractavi, aliquid rescribere visum fuerit, ab omni vana verborum contentione abstineatur, et digressiones variæ de rebus quæ interdum vel casu excidunt, vel obiter attinguntur, et ad causam fidei nihil referunt, evitentur, et solo amore veritatis res ipsa tractetur, et fidei veritas inquiratur. Si enim hoc a vobis obtinuero, spe alicujus publicæ utilitatis erectus, nulli labori parcam, sed libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.

FINIS LIBRI SEXTI

INDEX

LIBER SEXTUS

Pag.

roœmium.—In quo controversiæ fundamentum, et origo declaratur. 5

aput primum.—Quis sit præsentis controversiæ scopus et causæ status, et quæ ratio disputandi in ea servanda sit. 18

aput II.—Utrum in prima parte formulæ juramenti aliquid præter obedientiam civilem et contra ecclesiasticam jurandum proponatur?. 24

aput III.—In secunda juramenti parte aliquid etiam ultra civilem obedientiam, et contra ecclesiasticam jurandum offerri. 31

aput IV.—Utrum in tertia parte juramenti aliquid ultra civilem obedientiam et contra doctrinam catholicam contineatur. 42

aput V.—De ultima parte juramenti, et erroribus in ea contentis. 61

aput VI.—Rationes, quibus juramentum defenditur, expenduntur. 66

aput VII.—Summum Pontificem non solum potuisse, sed etiam debuisse catholicos anglos a professione dicti juramenti sua monitione avertere. 87

aput VIII.—Possintne angli hoc juramentum admittentes, aliqua ratione aut modo a culpa excusari. 96

Pag

Caput IX.—Liceatne catholicis anglis templa hæreticorum adire, et cum eis in ritibus communicare sine intentione cultus vel cooperationis cum illis, solum propter temporales pœnas vitandas?.. . . 1
Caput X.—An vexatio, quam in Anglia catholici patiuntur, sit vera Religionis Christianæ persecutio. 1
Caput XI.—An qui propter romanam religionem et obedientiam in Anglia morte mulctati sunt, inter veros martyres sint annumerandi. 1
Caput XII.—Ad ea, quæ contra secundum Breve Pontificium et contra cardinalis Bellarmini epistolam rex objicit, responsio. 1

INDEX

UORUMDAM E PRÆCIPUIS SACRÆ SCRIPTURÆ LOCIS

QUÆ IN HOC OPERE EXPONUNTUR

EX VETERI TESTAMENTO

EXODUS

ap. XXII. *Applicabitur ad Deos,* hoc est, ad judices, t. 3, c. 24.

JOSUE

ap. 1. *Quemadmodum Moisi obedivimus; ita tibi obediemus,* utique civili obedientia, t. 3, c. 24.

ap. X. *Obediente Deo voci hominis.* Exaggeratur efficacitas piæ precationis, t. 2, c. 7.

LIBER PRIMUS REGUM

ap. X. *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem.* Ostenditur ea Samuelis unctione promissum, non datum fui se regnum, t. 3, c. 3.

LIBER SECUNDUS REGUM

Cap. V. *Tu pasces populum meum Israel.* Gubernab's civil ter, t. 3, c. 5.

Cap. VII. *Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filiu* t. 3, c. 24.

LIBER QUARTUS REGUM

Cap. XVIII. *Confregit serpentem æneum.* De veneratio quam Judæi habebant hujus serpentis, t. 2, c. 12.

PSALMI

Ps. L. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Remisso peccat cujus egregie Davidem pœnituerat, temporales pecca pœnas adhuc luendas insuper sibi remitti postulat, t. c. 15.

Ps. LXXXI. *Ego dixi: Dii estis*, t. 2, c. 24.

Ps. LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Apost los et Prophetas D. Augustinus allegorice interpretatu quia Prophetarum prædictionibus, per Sanctos Apostol divulgatis, in christiana fide sustinemur, t. 1, c. 17.

Ps. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus.* Arcam Testame ti, t. 2, c. 11 et 12.

ECCLESIASTES

Cap. LXIV. *Enoch translatus est in paradisum.* Terrestrer atque illum ipsum Adami, sicut est verisimile, t. 5, c. 1

ISAIAS

Cap. LX. *Quam imaginem ponetis ei?* scilicet, propriam qu fieri non potest, t. 2, c. 13.

JEREMIAS

Cap. XXVII. *Submittite colla vestra subter jugum regis Babylonis*, dupliciter exponitur, t. 3, c. 24.

EZECHIEL

Cap. XIV. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job*, etc., cum illi vel maxime possent placare precibus divinum numen Judaeorum scelere violatum; minime tamen placatum efficerent, dum isti adhiberent suam contumaciam. Nullus itaque in gratia nos ponet cum Deo, nisi ipsi contendamus et connitamur, t. 2, c. 9.

DANIEL

Cap. VII, n. 8. *Et ecce cornu parvulum*, etc. De Antichristo locus hic fuse explicatur, t. 5, c. 22.

— n. 13. *Filius hominis veniebat... et dedit ei potestatem et regnum*, etc. Praedictio haec litteralis habetur de regno Christi, t. 3, c. 5.

MALACHIAS

Cap. IV. *Mittam vobis Eliam*, etc. Ipsum verum et proprium Eliam mi tam sub tempus judicii extremi, qui dilabantem religionem sustineat magna vivendi atque dicendi severitate, t. 5, c. 14.

De Joanne e iam Baptista per intentam quoque allegoriam hic locus exponitur, ib.

LIBER SECUNDUS MACHABÆORUM

Cap. XII. *Sancta et salubris cogitatio est pro defunctis exorare*, ut a peccatis solvantur, pro purgatorii dogmate, t. 2, c. 15.

EX NOVO TESTAMENTO

MATTHÆUS

Cap. V. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Non egredieris de carcere, hoc est, purgatorio, donec etiam minima peccata persolvas, t. 2, c. 15.

Cap. X. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, etc. Hinc apparet beatitudinem Angelorum non interpellare custodia salutis mortalium, t. 2, c. 7.

Cap. XI. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Unius Christi est, peccatorum pondera auferre et animadversionem remittere ; qui Judaicæ legis onera allevavit, novamque legem tulit plenam omnibus gratiis, t. 2, c. 9.

Cap. XVI, n. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona*, etc. Locus hic fuse explicatur pro vera fide Ecclesiæ Catholicæ seu Romanæ, t. 1, c. 3.

Et pro principatu ecclesiastico D. Petri et successorum in pontificatu Romano, t. 3, c. 10.

— n. 18. *Inferi.* Tyranni, peccata, et hæreticorum doctrina, t. 1, c. 3.

Cap. XVII, n. 12. *Elias jam venit.* Non improbatur vulgaris opinio de redituro proprio Elia, t. 5, c. 14.

— n. 26. *Ergo liberi sunt filii.* Qui sint isti filii dicitur, t. 1, c. 5.

Cap. XVIII. *Quæcumque alligaveritis et solveritis*, etc. Significantur actus jurisdictionis externæ, t. 3, c. 6.

Cap. XXIV, n. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, et tunc veniet consummatio.* Hinc intelligitur propagationem Ecclesiæ in omnibus terris, indicium fore divini judicii universalis, t. 1, c. 16.

— n. 22. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Occiso Antichristo, t. 5, c. 10.

Ne electi concidant, non dicam a fidei, quam semper Ecclesia conservabit, sed neque a charitatis constantia, c. 10.

Cap. XXIV, n. 36. *De die illa et hora nemo scit.* Non negatur probabilis conjectura, t. 5, c. 8.

Cap. XXV. *Ecce sponsus venit,* etc. Hæc parabola late exponitur de judicio extremo, tam universali quam peculiari, t. 5, c. 8.

MARCUS

Cap. ult. *Praedicate Evangelium omni creaturæ.* In orbe omnium terrarum, t. 1, c. 16.

LUCAS

Cap. XVII, n. 20, 21. *Quando veniet regnum Dei.* Quando veniet rex Messias. *Respondit eis: Non venit regnum Dei cum observatione, nec dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est,* id est, jam Messias hic vobiscum commoratur; quo adveniente, non is futurus erat hominum motus et concursus, qui fieri solet in regnum adventibus, t. 1, c. 8

Cap. XXII, n. 32. *Ut non deficiat fides tua. Tua,* id est, ipsius Petri, itemque eorum qui in tua sede legitime confidebunt, t. 1. c. 5.

JOANNES

p. II. *Vinum non habent.* Vox fuit non imperantis, sed maternæ fiduciæ, t. 2. c. 7.

p. VI. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem,* etc. Particula *et,* copulative quidem, sed divisim, non vero conjunctim est accipienda, de more loquendi Sacræ Scripturæ. t. 2, c. 5.

o. XIV, n. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Varia et inæqualia Beatorum præmia, t. 2. c. 15.

n. 16. *In æternum.* Quamdiu mundus duraverit. t. 1, c. 3.

n. 26. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Ut perficiat quæ ego inceperam, t. 3, c. 6.

Cap. XVIII. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Non est temporale, sed spirituale, t. 3, c. 5.

I AD CORINTHIOS

Cap. III. *Ignis probavit.* Purgatorium. t. 2, c. 12 et 15.
Cap. V, n. 4 *Congregatis vobis et meo spiritu.* Mea notitiâ animique præsentia. t. 3 c. 11.
— n. 5. *Tradere hujusmodi in interitum carnis.* Quæ diabolica cruciamenta pertulerint excommunicati a D. Paulo t. 3, c. 23.
Cap. VI, n. 1. *Judicari apud iniquos.* Infideles, t. 3, c. 4.

AD GALATAS

Cap. I, n. 6. *In aliud Evangelium.* Interpretatum alio et privato judicio, t. 1 c. 11.
— n. 8. *Angelus de cœlo.* Qui cœlestis appareat, sed esse nequeat, ib.

AD EPHESIOS

Cap. I. *Quem dedit Deus caput supra omnem Ecclesiam.* Triumphantem, scilicet, et militantem, quæ una est coagmentata, t. 3, c. 12.

AD THESSALONICENSES

Cap. I. *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati,* etc. Verus et proprius Antichristus, de quo exquisite locus hic explicatur toto libro 5, multis in locis.

I AD TIMOTHÆUM

Cap. III. *Ecclesia firmamentum veritatis.* Omnes confirmans in veritate, seu retinens veritatem affirmatam divinis prodigiis, t. 1, c. 4.

AD TITUM

Cap. III. *Hæreticum hominem devita*, etc., *cum sit proprio judicio condemnatus*, id est, suo privato spiritu, atque illa certa scientia hæreticorum; unde velut e fonte omnes hæreses fiunt, t. 1, c. 11 et 23.

I PETRI

Cap. V, n. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Gubernate, t. 3, c. 10.

— n. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, hoc est, Romæ, t. 3, c. 13.
Vide Roma.

I JOANNIS

Cap. II, n. 18. *Nunc Antichristi multi facti sunt.* Non proprii, quia unus futurus est, sed metaphorici, t. 5, c. 1 et 8.

Cap. IV. *Probate spiritus*, examinate animi motus et agitationes, doctrinam fidei approbantes, non ex privata uniuscujusque, sed ex publica Ecclesiæ sententia, t. 1, c. 11.

APOCALYPSIS

Cap. XI, cum aliis. *Duobus testibus meis, Eliæ et Enoch*, t. 5, c. 10, latissime, et in discursu ejusdem libri, multa alia ejusdem Apocalypsis capita exponuntur.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

A

Aaron vitulum an adoraverit, t. 1, c. 3.
Adorationis, honoris et venerationis vocabula quid significent, t. 2, c. 7, 8 et 11.
Adorationis species, latria, dulia, et hyperdulia explicantur, c. 7.
Ætates mundi septem, t. 5, c. 4.
Angli Christi fidem primum acceperunt a Joseph ab Arimathia, t. 1, c. 12.
Deinde ab Eleutherio, Romano Pontifice, ib.
Postremo a Gregorio Magno, c. 2.
Angli fidem puram, et integram conservarunt usque ad annum post Christum natum 1534, ib.
Anglorum regum veterum pietas atque subjectio erga Romanam Ecclesiam, t. 3, c. 21.
Anglorum schisma, et falsa existimatio de Romano Pontifice, t. 1, c. 22.
Quae refutatur, ib.
Anglorum prolapsio in haeresim, ib.
Anglorum haeresis quasi differentia essentialis posita est in eo, quod suum regem plusquam regem constituit, delato supremo jure Pontificali, c. 12, 15, et t. 3, c. 6.
Anglorum caetera haeresis fere Calviniana est, t. 1, c. 12.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

A

Aaron vitulum an andoraverit, t. 1, c. 3.
Adorationis, honoris et venerationis vocabula quid significent, t. 2, c. 7, 8 et 11.
Adorationis species, latria, dulia, et hyperdulia explicantur, c. 7.
Ætates mundi septem, t. 5, c. 4.
Angli Christi fidem primum acceperunt a Joseph ab Arimathia, t. 1, c. 12.
Deinde ab Eleutherio, Romano Pontifice, ib.
Postremo a Gregorio Magno, c. 2.
Angli fidem puram, et integram conservarunt usque ad annum post Christum natum 1534, ib.
Anglorum regum veterum pietas atque subjectio erga Romanam Ecclesiam, t. 3. c. 21.
Anglorum schisma, et falsa existimatio de Romano Pontifice, t. 1, c. 22.
Quae refutatur, ib.
Anglorum prolapsio in haeresim, ib.
Anglorum haeresis quasi differentia essentialis posita est in eo, quod suum regem plusquam regem constituit, delato supremo jure Pontificali. c. 12, 15, et t. 3, c. 6.
Anglorum caetera haeresis fere Calviniana est, t. 1, c. 12.

Anglorum haeresis cur non dicatur Henriciana, cum auctorem Henricum habuerit, ib.
Anglorum haeresis vix tertiam partem Britanniae occupat, c. 15.
Anglorum haeresis Apostolica fides dici non potest multis de causis, c. 17.
Angli si quid Apostolicum retinent, id ab Ecclesia Romana acceperunt, ib.
Angli cognomen Catholicorum perdiderunt, c. 12.
Anglorum haeresis impugnatur martyrum testimoniis, c. 19 et 20.
Angli veram hierarchiam ecclesiasticam non habent, sed solum politicam gubernationem, c. 14.
Anglorum haeresi conveniunt duodecim notae, quibus haeretica disciplina internoscitur, c. 22.
Anglicanae sectae caput primarium est illud, de adulterino Ecclesiae capite, ib.
Anglicana secta male coarctat Ecclesiae auctoritatem ad quinque post Christum saecula, t. 1, c. 24.
Anglicanam vexationem Catholicorum persecutionem ecclesiasticam esse monstratur, t. 5, c. 5, et latius, t. 6, c. 10.
Angli pro fide et obedientia Romana morientes sunt veri Martyres, t. 6, c. 11.
Angli Henrici Garnety martyrium, ib.
Angli mortem potius subire, quam juramentum Jacobaeum praestare, vel sacris haereticorum interesse tenentur, c. 8, 9, 10 et 11.
Vide Juramentum, Martyrium, et Persecutio.
Annae Bolennae incestis nuptiis Catholicae fidei Anglia ruinam edidit, t. 1, c. 1.
Annae Bolenae nuptias nefarias quidam Calvinianus impudenter decantat, t. 1, c. 2.
Antichristi nominis etymologia, t. 5, c. 1.
Antichristi nomen per antonomasiam significat unum quemdam Christi adversarium capitalissimum, ib.
Antichristi nomen ex Apocalypsi, quod continet numerum, c. 19.

Antichristi cognomina, «abominatio», c. 5 et 1. «Discessio», c. 10. «Homo peccati et filius perditionis», c. 17. «Caput malorum», c. 22.

Antichristum haeretici quidam quasi pro Christum seu vice Christum interpretantur, tam inerudite quam malitiose, c. 1.

Antichristus describitur a Daniele Propheta octo proprietatibus, c. 22.

Antichristus describitur a D. Paulo, in secunda Epistola ad Thessalonicenses, c. 2. a n. 3 usque ad 14, qui locus in quinto libro saepius recurrit.

Antichristus proprius homo unicus erit, non vero daemon, neque una series hominum succedentium in uno munere vel uno solio, c. 2.

Antichristi patria erit Judaea, c. 16.

Antichristus parentibus nascetur infamibus, c. 9, 10 et 22.

Antichristus erit homo vaferrimus, c. 22.

Antichristus omni scelere coopertus erit, c. 17 et 22.

Antichristus in suis vitae actionibus erit organum daemonis quasi conjunctum, non hypostatice, c. 22.

Antichristum nondum venisse constat ex multis locis Sacrae Scripturae, c. 9.

Antichristum jam olim venisse, rediturum sub tempus mundi extremum, error fuit quorumdam, etiam Catholicorum, c. 10.

Antichristus veniet prope tempus judicii extremi, c. 15.

Antichristus callide et violenter auxilio diaboli regna cuncta usurpabit, c. 9 et 18.

Antichristus in urbe Hierosolymorum domicilium sui imperii constituet, c. 16 et 22.

Antichristus sedem Romae non figet, c. 15.

Antichristus imperium Romanum excindet, c. 9.

Antichristus Romam omnino evertet, c. 7 et 15.

Antichristus, occupata tyrannide omnium rerum, et terrenarum et spiritualium, inducet novam religionem in orbem terrae, c. 22.

Antichristus ipse clam adorabit diabolum, ib.

Antichristus sibi per vim extorquebit adorationem latriae, c. 10 et 22.
Antichristus mentita prodigia multa dabit, c. 22.
Antichristum infernae furiae agitabunt in Christianos, quorum tanta erit vexatio, quantam vix capiat mens humana; vires humanae certe non capient, c. 5 et 10.
Antichristianae vexationis coagitator horribilis erit diabolus, c. 10.
Antichristiana vexatio nunquam intermittet, c. 5.
Antichristianae vexationi furenti praecipue resistent Enoch et Elias, mira severitate vitae ac sanctitate. Vide Elias.
Antichristiana vexatio licet maxima sit, fidem Catholicae Ecclesiae non omnino perdet, t. 1, c. 3, et t. 5, c. 10.
Antichristiana vexatio tres solos et semis annos durabit, t. 5, c. 8.
Antichristianae vexationis exitus erit paulo ante diem judicii extremi, c. 5.
Dies videlicet quinque et quadraginta, ib.
Sed referuntur contrarii errores, ib.
Antichristianam vexationem nondum extitisse convincitur, c. 9.
Antichristi monarchia quantum tempus futura sit, ignoratur, id.
Antichristi monarchia non transgredietur spatium vitae unius hominis, ib.
Antichristi monarchia ad alium hominem non transmittet, id.
Antichristus ad aspectum Christi accedentis postratus occumbet, sub terramque ad inferos praecepe agetur, c. 5, 18 et 22.
Antichristi asseclae una profligabuntur, c. 5.
Antichristus per translationem dicitur quicumque insectator Christianitatis seu Ecclesiae Romanae, c. 1.
Antichristus figuratus Antiochus fuit, c. 22.
Antichristus figuratus Nero Claudius fuit c. 8 et 10.
Antichristus proprius non fuit Mahometus, quam suspicionem quidam habuerunt, nec ullus alius, c. 2, t. 5, c. 9, et t. 6, c. 12.

Antichristi solium per allegoriam vel accommodationem ineptissime haeretici Romanae Sedi attribuunt; aptissime vero vel ipsis haereticis, vel Anglicano throno, postquam a fide defecit, accommodabitur. t. 5, c. 9. 11, 17 et 19.

Antchristi fabula, quam haeretici in Pontificem transferunt ex Daniele, cujus dicta rex Jacobus silentio praeteriit, redargitur, c. 22.

Apostoli fidem non instituerunt, sed promulgarunt, t. 1, c. 17.

Apostoli omnes aequales erant in privilegio non errandi in materia fidei. t. 3. c. 13.

Apostolorum dignitatis privilegia, c. 12.

Apostolos subjetos fuisse magistratibus ethnicis quidam etiam Catholici affirmant. sed plures verius negant, c. 3, et t. 4, c. 10.

Apostolis ut succedant Episcopi, t. 3, c. 11, 12, et t. 4, c. 10.

Apotolica fides quae nominetur. Vide Fides.

Arbiter judex damnatum cogere non potest, t. 4, c. 7.

Ariana haeresis quomodo dicatur orbem fere omnium occupasse terrarum, t. 1, c. 16.

Auctoris observantia et pia lenitas, et bona voluntas erga regem Jacobum, cujus librum refellit, nitet in toto opere; quaedam loca hic notantur, c. 2, 14, 21, 22, 23, 24, 25; t. 2, c. 9. 12, 16. t. 3, c. 11; et t. 4. c. 34.

Auctoris modestia in respondendo probris et maledictis Jacobi regis contra Pontificem Romanum ejusque defensores, praecipue socios Jesuitas. t. 5, c. 13 et 18.

Auctor adhortatur Jacobum regem ad veram Romanam religionem t. 1, c. 25.

Auctor adhortatur Jacobum regem ad standum in fide, quam christianis principibus dedit de mutanda sententia si convinceretur, t. 2, c. 16.

Auctor adhortatur Jacobum regem ad recognoscendum sanctum principatum Romani Pontificis, t. 3, c. 30.
Qua de re cupit cum rege clam colloqui, ib.

Auctor adhortatur Jacobum regem ad deponemdum quod habet, odium contra immunitatem ecclesiasticam, t. 4, c. 34.

Auctor exponit quid in hoc opere curaverit, et deinde quid a rege Jacobo exoptet, t. 6, c. 12.

B

Babylon mystice, t. 5, c. 7.
Vide Roma.
Baptizatus rite ab haeretico infans qualiscumque seu catechumenus, membrum verae Ecclesiae efficitur, t. 4, c. 24.
Beatus nullus hominum fuit ante Christi adventum, t. 5, c. 12.
Beatum nullum fuisse, nec fore etiam in fine mundi priusquam moriatur, ut probobilius defenditur, ib.
Bellarminus Cardinalis a calumnia liberatur, t. 5, c. 12, 14 et 21.
Bellum justum utrinque esse potest ex ignorantia, t. 4, c. 13.
Bello justo adducitur devictus populus in servitutem, t. 3, c. 2.
Bello non fit via consentanea ad veritatem aperiendam, ib.
Bona ecclesiastica an sint immediate sub Christi dominio, non per methaporam, sen in sensu proprio, t. 4, c. 18.
Bona ecclesiastica an ex vi solius consecrationis ab humano dominio eximantur, disputatur, c. 19.
Bona Ecclesiastica. Vide Immunitas ecclesiastica.
Bonorum mobilium et immobilium explicatio, c. 18.
Bonifacium III, Romanum Pontificem, penitus odit Jacobus, rex Angliae, eo quod sustentavit suae sedis primatum. Sed Bonifacium auctor defendit, t 5, c. 5 17. 18 et 19.
Breve primum Romani Pontificis Pauli V ad Catholicos Angliae pro repudiando juramento regis Jacobi, et pro animandis Catholicis ad relinquendam communicationem cum haereticis in rebus sacris, t. 6, in prooemio.
Breve secundum ejusdem Pauli V ad eosdem Catholicos, ib.
Brevis secundi mittendi quae ratio fuerit, ib.
Brevis utriusque epitome, et vendicatio a calumnia, c. 12.

Breve utrumque dissimile est a Brevi Pii V, Romani Pontificis contra Elisabetham, gravem Ecclesiae persecutricem, c. 16.
Breve praedictum Pii V severe quidem, sed juste mulctabat Elisabetham, ib.

C

Campanae prope snnt necessariae, t. 2, c. 16.
Campanae sunt in usu abhinc annis circiter mille et trecentis, nimirum in pacata Ecclesia, ib.
Campanis benedicendis pie sancteque faciunt Catholici, ib.
Catholici ab haereticis justa discordia dissident, t. 1, c. 2.
Catholici a solis haereticis Homuosianorum vel Papistarum, vel aliis cognominibus perhibentur, c. 13. Quae tamen cognomina veram et veterem doctrinam indicant, ib.
Catholicum cognomentum solius est verae fidei, et Christianae Ecclesiae, c. 12.
Catholicum cognomentum invidiosum est nonnullis haereticis, ib.
Caiholicum cognomentum est coaetaneum Apostolorum, ib.
Catholicum cognomentum veram Ecclesiam a falsis distrahit, ib.
Catholicum cognomentum quadrat in unam Christi Ecclesiam, ib.
Catholicorum cognomentum debetur soli Romanae Ecclesiae, ut recognoscenti universalem Christi Vicarium, ib.
Catholicum cognomentum minime convenit Anglorum haeresi, ib.
Catholicum cognomentum nulla meretur falsa religio, quamvis dilatetur per orbem terrae, c. 16.
Censura ecclesiastica ferri potest ex parte superioris Praelati, non vero in illius virtute vel Summi Pontificis, t. 3, c. 11.
Caeremoniae ecclesiasticae quomodo sint a jure divino, t. 4, c. 9.

Character ordinis, c. 8.
Chiliastarum haeresis, t. 5, c. 5.
Christiani primae Ecclesiae falso suspecti fuerunt quibusdam principibus de negatione politici principatus, t. 3, c. 1.
Christiani subjecti sunt potestati legitimae magistratuum, etiam ethnicorum, c. 4.
Christiani vetantur creare principem infidelem, ib
Christianos non liberat character baptismi a jurisdictione principum secularium, t.1,c. 8.
Christianorum libertas quae sit, c. 7.
Christianis non interdicitur lege aliqua, ut habeant politicos principatus, t. 3, c. 5.
Christiani in sua gubernatione etiam politica multum pendent a Romano Pontifice, t. 6, c. 4.
Vide Pontifex Romanus.
Christianorum subjectio civilis dirigenda est a potestate ecclesiastica, t. 6, c. 6.
Christus ut homo an fuerit rex temporalis, t. 3, c. 5.
Clericorum majoris et minoris ordinis discrimina, t. 4. c. 27.
Clericorum et animi et corpora subjecta sunt Romano Pontifici, c. 9.
Clericorum exemptio. Vide Immunitas personarum ecclesiasticarum.
Clericorum bona. Vide Immunitas personarum ecclesiasticarum in suis bonis.
Cognitio humana in rebus obscuris facilius assequitur quid ipsae non sint, t. 5, c. 16.
Concilii generalis potestas, t. 3, c. 18.
Consilia Christi non obligant necessario, c. 4.
Crux ipsa Christi a Catholicis inter venerandas ejusdem reliquias habetur, quia instrumentum fuit peculiare suae redemptionis, neque vero in cruce cogitant vim aliam, seu beneficium a Christo datum, t. 2, c. 4.
Cyprianus D. nunquam fuit haereticus, t. 1, c. 20.

D

Danielem Joannes imitatus est in Apocalypsi, t. 5, c. 5.
Daniele nullus propheta clarius vaticinatus est de Antischristo, c. 21 et 22.
Davidi an Deus, an vero populus regnum immediate dederit, t. 3, c. 3.
David nominatur Angelus Dei in Sacra Scriptura, c. 24.
David nominatur lucerna Israel in Sacra Scriptura, ib.
Decretalium Epistolarum auctoritas, c. 16.
Dii, qui nominentur in Scriptura, c. 9, et t. 5, c. 17.
Directa subjectio et gubernatio quae sit, t. 3, c. 5 et 30.
Dominari non est Praelatorum nec ullius pastoris Ecclesiastici, t. 1, c. 5.
Dominium humanum quo jure fuerit introductum, t. 3, c. 2.

E

Ecclesia universalis fidem nunquam deperdidit, t. 1, c. 3.
Neque deperdet tempore Antichristi, ib., et t. 5, c. 9.
Ecclesiae fidem haeretici perditam metuentur, t. 2, c. 2, et t. 1, c. 3.
Ecclesiae unitas, t. 1, c. 3.
Ecclesiae firmitas, ib.
Ecclesiae perpetuitas, ib.
Ecclesiae persecutiones, hoc est vexationes praecipue, quot fuerint, t. 5, c. 4.
Ultima et gravissima fuit Juliani Apostatae, ib.
Ecclesia errare non potest in fidei decretis, t. 1, c. 4.
Ecclesiae est dirimere fidei controversias, c. 11.
Ecclesiae est Scripturam Sacram certo interpretari, ib.
Ecclesia semper fuit eritque visibilis, tractabilis quidem per

suum corpus et membra peculiaria, et aspectabilis per multa signa verasque notas suae intimae rationis, c. 7.
Ecclesiam sic Antichristus percellet, ut ejus aspectum fugitura dicatur, t. 5, c. 6.
Ecclesia non potest distrahi a vera fide, t. 1, c. 3 et 11.
Ecclesiae frequentius adversae res temporales accidunt quam secundae, t. 5, c. 21.
Ecclesia illas prosperitates a Deo habuit, quae opus erant ut conservaretur, ib.
Ecclesiam in solam quadrat cognomen Catholicae, t. 1, c. 12. Multo excelsius quam humana cognomina in suas familias, ib.
Ecclesiam Spiritus Sanctus nunquam deseret, c. 4, et l. 2, c. 9.
Ecclesia nullas de novo fidei doctrinas ab aetate Apostolorum, sed veteres multo explicatius tradidit, t. 1, c. 19.
Ecclesia eisdem moribus cum semper regi non potuerit, omnem accessionem et mutationem facit accommodate ad instituta et mores Apostolorum, c. 18, et t. 2, c. 4, 5 et 6.
Ecclesia est unum corpus mysticum perfectissime institutum, t. 3, c. 8.
Ecclesiam unam esse oportet, ib.
Ecclesia debuit gubernari monarchice, c. 10.
Ecclesia non habet unum supremum principem temporalem, c. 5.
Ecclesiae militantis perfectio essentialis consistit in vera et viva fide operante per charitatem, c. 4.
Ecclesia militans et triumphans duae sunt quasi partes unius coronae, sive monarchiae, c. 14.
Ecclesiae Catholicae quae sint notae verissimae, t. 5, c. 22.
Ecclesiae Catholicae laudes ex D. Augustino, t. 1, c. 4.
Ecclesiae ministerio Deus homines docet, ib., et t. 5, c. 11.
Ecclesiae immunitas. Vide Immunitas ecclesiastica.
Ecclesiae observatio prudens in usu suae immunitatis, t. 4, c. 13.
Ecclesiae singularis triplex consideratio, c. 17.
Ecclesia Romana una est, et eadem atque Catholica, t. 1, c. 5 et 12.

Ecclesia Romana, ut universalis, certissimam habet fidei constantiam atque doctrinam, c. 4 et 5.
Ecclesia Romana, ut universalis, habet sedem Petri Apostoli, pro cujus fide Christus rogavit ne unquam deficiat, c. 5.
Ecclesia Romana quantumcumque perturbabitur ab Antichristo, non labefactabitur, t. 5. c. 21.
Ecclesia Romana ex ipso ore adversariorum Catholica cognominatur, c. 13 et 14.
Ecclesia Romana quatenus est peculiaris quaedam Dioecesis non ita certam habet firmitatem fidei atque doctrinae, sed pie creditam, c. 5.
Ecclesiastica bona. Vide Bona.
Ecclesiasticae personae. Vide Immunitas propria personarum ecclesiasticarum.
Ecclesiastica potestas. Vide Potestas.
Eduardus VI, rex Angliae, Zwinglianus fuit haereticus, t. 1, c. 1 et 22.
Eduardi VI persecutio ecclesiastica, t. 6, c. 10.
Edmundi Campiani e Societate Jesu Martyrium.
Elias et Enoch nondum mortui sunt; unamque vivunt vitam mortalem, neque beatam usque ad tempus postremum, t. 5, c. 13.
Elias et Enoch ubi tam longam aetatem degant, scire velle ad nos non pertinet; sed est verisimilis conjectura vivere in paradiso terrestri, ib.
Elias et Enoch, Antichristo potiente rerum ac religionum, ad sustentandam Christianitatem afflictam et prope jacentem revenient, c. 11, 12, 13 et 14.
Elias et Enoch annos circiter tres et dimidium evangelizabunt, Judaeis quidem Elias et Enoch aliis gentibus, t. 5, c. 5 et 16.
Elias et Enoch occidentur jussu Antichristi (Hierosolymis, ut verisimile est), ubi tres dies et semis insepulti jacebunt. Deinde resurgent vocati e coelo, quo statim conscendent, attonitis cunctis et suspicientibus; deinde urbs conquassabitur terrae motu horribili, antichristianosque plurimos opprimet, t. 5, c. 11.

Elisabetha, Angliae regina, haeretica fuit Calviniana, t. 1, c. 1 et 22.
Elisabetha se cognominavit *supremam gubernatricem in spiritualibus*. non ut pater Henricus, *caput Ecclesiæ*, vel quia feminam id cognominis puduit, vel, quod nonnulli sunt suspicati, volebat insuper jus usurpare supremum in tradendis sacris initiisque Christianis, t. 6, prooemium.
Elisabethicum juramentum fidelitatis. Vide Juramentum.
Elisabethae reginae persecutio ecclesiastica, t. 6, c. 10.
Elisabetham Pius V juste per litteras mulctavit, ib.
Episcopi ut succedant Apostolis, t. 3, c. 11.
Episcopi non recipiunt a Christo immediate jurisdictionem, t. 4, c. 9.
Episcopi jure divino liberi sunt ab omni potestate civili, ib.
Episcopi qualem immunitatem dare potuissent personis ecclesiasticis sibi subjectis, c. 11.
Episcopus laico nullius ordinis ecclesiastici dare non potest jurisdictionem supra personam ecclesiasticam, ib.
Episcopi an dominium habeant episcopalium facultatum, c. 1.
Evangelii nomen omnem catholicam doctrinam comprehendi, t. 1, c. 1.
Eucharistia vere ac realiter continet Christi corpus et sanguinem sub panis et vini speciebus, t. 2, c. 1.
Eucharistiae sub consecratis speciebus panis et vini substantia non remanet, c. 2.
Eucharistiae sub utravis specie totus est Christus, totumque fructum sacramenti impertitur, c. 5.
Eucharistiae veritas transsubstantiationis confirmatur, c. 3.
Eucharistiae usus sub utraque specie, quamvis frequens e communis fidelibus fuerit in prima Ecclesia, c. 5.
Attamen etiam est consuetudo coaetanea Ecclesiae sumendi solam panis speciem, ib.
Quae consuetudo est admodum rationalis, ib.
Eucharistiam sumere sub una tantum specie, probabile esteneri jure divino sacerdotes sacrificantes, ib.
Eucharistiam veteres Christiani saepe domum portabant, ib.
Rem circiter quingentos annos retinuerunt, ib.

Eucharistia praeberi potest aegroto non deglutienti immersa in aquam, vel vinum minime consecratum, ib.
Eucharistia adoranda ut Deus, ib.
Eucharistiam erigendi, ut suspiciatur a multitudine, mos est antiquissimus; ipsam in pompa et publicis supplicationibus circumgestandi non ita pris inus, nec recentissimus. Sed mos uterque est imprimis laudabilis et fructuosus, c. 4.
Excelsa quae dicantur in Scriptura, t. 3 c. 25.
Excommunicationis censura usitata tempore Apostolorum, c. 23.
Excommunicatos a D. Paulo vexatos simul fuisse a diabolo dicunt aliqui Patres, ib.
Excommunicationes latae a Romano Pontifice adversus reges et imperatores, ib.
Excommunicati reges non sunt eo ipso regnis privati, t. 6, c. 6.
Excommunicatis regibus interdicta est regni administratio, ib.

F

Fides modo res creditas, modo credendi virtutem significat, t. 1, c. 9.
Fides Catholica sive universalis cognominatur primo ab universitate materiae, c. 14.
Deinde ab universali credendi regula, ib.
Tertio ab integritate sacrorum, tum munerum, tum personarum, ib.
Ultimo, quia universum mundum complexa sit, ib., et c. 15 et 16.
Praesertim a tempore Constantini imperatoris, c. 16.
Fides vera et vera Ecclesia individuae comites, c. 4 et 12.
Fidei regula sunt divinae litterae expositae, traditionesque comprobatae a vera Ecclesia, c. 6.
Fidem Apostoli non condiderunt sed promulgarunt, c. 17.

Fidei dogmata non nova eduntur, sed explicantur, c. 18 et 19.
Fides Apostolica quae dicatur, c. 17.
Fidei documenta rationibus non demonstrantur, t. 6, c. 8.
Fides subvertit, qui partem ejus evertit. t. 1, c. 23.
Fides specialis seu fiducia novatorum sit quam vana et haeretica, c. 12.
Fidei de causis judicare proprium est ecclesiasticae potestatis, c. 11.
Fidei christianae externa confessio jubetur praecepto divino positivo, et moraliter quasi connaturali cum ipsa fide t. 6, c. 9.
Fidei confessionis praeceptum ubi fundetur, ib.
Fidei confessionis praeceptum involvit alterum negativum negandi fidem, ib.
Fidei quaedam occultatio tacita licita est aliquando, ib.
Fidei occultatio duplex negativa et privativa, quae de utraque, quid sentiendum, ib.
Fidei confessio quo tempore obliget, ib.
Fidei occultatio interdum est quaedam virtualis negatio, ib.
Fidem posse negari in tormentis, fuit quorumdam haeresis, ib.

H

Hebraica lingua genitivis nominum substantivorum in exgerando utitur pro adjectivis, t. 5, c. 17.
Haeresis et haeretici notio atque distinctio, t. 1, c. 23.
Haereses singulae a conditoribus nomen inveniunt, c. 12.
Haereses oriuntur ab animi perturbationibus, c. 15. 16 et
Haereti i nomine sunt Christiani, quia sunt baptizati, srevera sunt infideles, quia non habent fidem divinat. 3 c. 4.
Haereticorum vaniloquentia t. 5, c. 17.
Haereticorum privatus spiritus confutatur, t. 1, c. 11.
Haeretici tranctant Scripturam sacram valde indecore, t. c. 21.

Haeretici Catholicorum falsum cognomen si quando assumunt, timide ac prudenter id faciunt, t. 1, c. 14.
Haeretici novi antiquos exprimunt, c. 15.
Haeretici inter se discordant de rebus gravissimis, ib., et c. 16.
Haeretici non sunt animati ad fidei propagationem, c. 16.
Haeretici quantacumque sint multitudine, non coagmentantur in unum corpus ecclesiasticum, neque politicum, c. 15.
Haereticorum omnis generis colluvies fere media pars est mortalium, qui Christum agnoscunt, c. 14 et 16.
Haereticus esse potest qui nunquam in Ecclesia fuerit, c. 9. Sed poenis Ecclesiae non erit obnoxius, c. 24.
Haereticae disciplinae duodecim notae explicantur, c. 22.
Haereticorum, qui non sunt nominatim excommunicati, quando sit communicatio licita, t. 6, c. 9.
Henricus librum contra haereticos edidit ob defensionem fidei Catholicae et Romanae, t. 1, c. 1.
Henricum Leo X, Romanus Pontifex, cognominavit Catholicae fidei defensorem, post librum editum pro fide Romana, c. 12.
Henricus fidei fuit desertor propter impudicas Annae Bolenae nuptias, c. 1.
Henricus vere appellari posset homo peccati, t. 6, c. 17.
Henricus principio fuit schismaticus, t. 1, c. 21, et t. 3, c. 6.
Henricus deinde fuit haereticus, t. 1, c. 22.
Henricus omnium regum primus affectavit imperium spirituale, idque tyrannice usurpavit, t. 3, c. 6 et 9.
Henricus confertur cum bestia Apocalypsis 9, habente supra caput nomen blasphemiae, hoc est cognomentum capitis Ecclesiae, t. 5, c. 19.
Henricus moribundus Eduardo filio haeredi fidem catholicam commendavit, excepta una obedientia Romano Pontifici, t. 1, c. 1 et 22.
Henrici VIII persecutio ecclesiastica, t. 6, c. 10.
Henrici Garneti e Societate Jesu Martyrium, c. 11.
Hispaniae regum pietas in Ecclesiam, t. 3, c. 6.

I

Idololatriae definitio, t. 2, c. 12.
Imago Dei propria et metaphorica, t. 2, c. 12.
Imago Dei propria fieri non potest, ib.
Imagines Dei circa metaphoricas nullum est fidei decretum, ib.
Imaginum Dei usus pius est, ib.
Imaginum Dei usus licitus est, decorus, et utilis in Christiana Ecclesia, c. 13.
Imaginum Dei usus prohibitus erat in Synagoga, ut caeremonia damnosa Judaeis, ib.
Imaginum hostes graece Iconomachi a servo persa, Xenaja nomine, originem suae haeresis trahunt, c. 11.
Imaginum hostium effraenatio, ib.
Imaginum hostium sophismata redarguuntur, c. 12.
Imagines ipsas non orant Catholici, sed excitantur earum praesentia, ut Deum et Sanctos attentius orent, c. 11.
Imaginibus nulla vera inest sanctitas, sed translatitia, et injecta extrinsecus a rebus quas praeferunt, ib.
Imaginum usum et venerationem, ab Apostolica semper Ecclesia retinuit, c. 9, 10, 11 et 12.
Imagines fructuosissimae sunt, c. 11.
Imagines coluntur bifariam, et honorifice tractari debent, ib.
Imagines si superstitionis occasio essent insipientibus Catholicis, docendi isti forent illae non violandae, c. 7.
Imagines inter et idola discrimen, c. 12.
Immunitatis causae omnes breviter perstringuntur, t. 4, c. 14.
Immunitatis divisio, t. 4, initio.
Immunitatis descriptio, t. 4, c. 1.
Immunitas an distinguatur a libertate, ib.
Immunitatis differentia ab exemptione, ib.
Immunitatis differentia a privilegio fori, c. 16.

Immunitatis differentia a privilegio canonis, t. 3, c. 15, et t. 4, c. 2.
Immunitatis excellentiae multae, t. 4, c. 30.
Immunitatis dubia quæcumque ad judicium pertinent ecclesiasticum, c. 34.
Immunitas amplianda est, non imminuenda, ib.
Immunitatis proxima causa efficiens Deus est, c. 9.
Immunitas ut possit esse a jure divino pariter et humano, ib., et c. 13.
Immunitatem imperatores christiani non constituerunt tantum, sed etiam ductu fidei recognoverunt, c. 9.
Immunitatem quantum foverint jura civilia Christianorum, c. 12, 13 et 14.
Immunitas quomodo videri possit data olim fuisse a principibus laicis, c. 11.
Immunitatem nemo dare potest, ita ut immunem faciat ex-legem, c. 3.
Immunitatis perpetuitas tractatur, c. 30, 31 et 32.
Immunitati perpetuitatem tribuit jus divinum, c. 10.
Immunitatis perpetuae sola disparitas, mutatione necessaria, permissa fuit jure humano Summi Pontificis, t. 3, c. 30.
Immunitas non revocabitur ab ipso Deo, t. 4, c. 10.
Immunitas revocari non potest a Summo Pontifice, c. 30.
Immunitas minui non potest ab ulla potestate civili, ib.
Immunitatem renuntiare non potest ulla communitas, nec omnes simul ecclesiastici, neque Concilium generale completum cum Romano Pontifice approbante, c. 31.
Immunitatem suam non potest Summus Pontifex renuntiare, aut imperatori, aut ulli quantaelibet potestati, c. 7.
Immunitatem renuntiandi facultas concedi alicui privato quomodo possit a Summo Pontifice, c. 12.
Immunitas renuntiari non potest permissu episcopi, c. 31.
Immunitatis renuntiatio firmata etiam jurejurando irrita est, ib.
Immunitatis partem aliquam renuntiante sripuni, debent, quia vetantur sanctis canonibus; jubenturque hoc sui status decorum servare, ib.

Immunitas nulla consuetudine amitti minuive potest, c. 32.
Immunitate gaudent res quae stricte appellantur sacrae, quia sunt instrumenta cultus divini, vel quia sunt praeditae benedictione peculiari, c. 17.
Immunitates propriae Ecclesiarum prout sunt domus destinatae ad tuendas res et personas ibi existentes breviter attinguntur, ib.
Immunitas locorum in quo consistat, c. 1.
Immunitatem habent Ecclesiae, ut de se male meritos et maleficios ad judicium trahant ecclesiasticum c. 34.
Immunitas causarum spiritualium an sit juris divini, c. 3.
Immunitate majori praedita sunt bona ecclesiastica, quam bona propria personarum ecclesiasticarum, c. 16, 17, 20, et t. 5, c. 7.
Immunitatem habent facultates ecclesiasticae ex vi suae institutionis, ut in religiosis tantum operibus consummantur, t. 4, c. 1.
Immunitatem habent res immobiles vel pretiosae, ne alienentur, nisi modo praescripto a jure canonico, ib.
Immunitates omnium bonorum Ecclesiae a quacumque jurisdictione civili tanguntur, c. 17.
Immunitatem a tributis secularibus habent omnia bona ecclesiastica, tam mobilia quam immobilia, c. 18 et 21.
Immunitatem a tributis habent bona ecclesiastica, quamvis vendantur vel transportentur, c. 19.
Immunitatem a tributis habent bona ecclesiastica, quae antequam ab Ecclesia compararentur subjecta erant tributis ex vi regalis jurisdictionis, ib.
Immunitate praedicta carent ea bona, quae antequam fierent ecclesiastica, obnoxia erant privato oneri, vel saeculari tributo ex vi dominii pactive praecedentis, c. 23.
Immunitatem utrum participet privilegium privatum datum peculiariter rei vel personae ecclesiasticae, quaestio est, c. 2.
Immunitates, personarum ecclesiasticarum a quo jure proveniant, c. 8.
Immunitas haec haberi potuit a jure divino et canonico, et civili, t. 3, c. 8.

Immunitas haec probabilius data fuit a jure divino, t. 4, c. 10.
Immunitas haec in rebus causisque temporalibus sancte habetur jam usque a prima Ecclesia, t. 3. c. 3.
Immunitas haec dari potuit a Romano Pontifice, t. 4, c. 11. Invitis principibus, etiam ethnicis, ib.
Immunitas haec per se non pendet a jure civili, c. 9.
Immunitatis hujus et privilegii nobilium similitudo, t. 3, c. 3.
Immunitas quae dicitur privilegium canonis non explicatur in tomo quinto de Censuris, t. 4, c. 2 et 28.
Immunitas privilegii canonis est pure humana, c. 28.
Immunes sunt personae ecclesiasticae ab omni potestate legum civilium, et quomodo, c. 1.
Immunes item sunt a censu, seu tributo, quod dicitur capitationis, c. 22.
Immunes item sunt a subeundis occupationibus, muneribusve, etiam non sordidis, quae alii cives jubentur a legibus vel magistratibus, c. 20.
Immunes item sunt, ut ne ullo modo priventur emolumentis, commoditatibus, ullisve rebus aut actionibus communibus civium reliquorum, c. 21.
Immunitas Christi a tributo Caesaris, quoniam esset filius Dei. c. 5.
Immunitas Summi Pontificis ex jure divino, tam naturali quam positivo, ostenditur, c. 10 et 27.
Immunitas Apostolorum disputatur, c. 10.
Immunitas Episcoporum est de jure divino, c. 10.
Immunitas perfecta ac plane communis datur cum personis omnibus ecclesiasticis cujusque status et gradus quae male de ipso non mereantur, de quibus nominatim disseritur, c. 28.
Immunitate privantur clerici sacri etiam ordinis propter crimina quae exprimuntur, c. 27.
Immunitate privantur clerici minoris ordinis, qui clericalem statum amittunt, praeterita una qualibet trium conditionum, quas apponit Concilium Tridentinum, et explicantur, ib.

Immunitate privantur clerici conjuges nisi multis conditionibus satisfaciant, ut quamdam partem immunitatis retineant, in causis videlicet criminalibus, c. 29.

Immunitas personarum religiosi status absque ordine singulatim tractatur, ib.

Immunitate an gaudeant laici ministri Ecclesiae, vel famuli clericorum, vel Episcoporum familiares, ib.

Immunitatem retinent haec bona sub potestate clerici constituta, si ille non fieret eorum dominus, sed dispensator. Si vero persona est vere domina, jam ea bona non plus habent immunitatis, quam caetera vulgariter acquisita, in quibus etiam censentur mercedes acceptae ob actiones spirituales, c. 23.

Immunia sunt cuncta bona etiam vulgaria personarum ecclesiasticarum a civilibus legibus, c. 1.

Immunia item sunt a tributis civilibus, sive realibus, sive mistis. Sed excipiuntur ea tributa, quae jus canonicum quibusdam de causis solvere jubet, c. 24.

Excipiuntur etiam bona in quibus praeerant tributa imposita ex aliquo pacto privati domini. Minime vero excipiuntur bona onerata tributis regalibus, quae exigebantur ex vi solius jurisdictionis, c. 25.

Immunitas a tributo quod lusitane dicitur (fintas), et saepe a singulis exigi solet ad opera vulgo vel necessaria, vel utilissima, quanta sit in personis ecclesiasticis, tractatur, c. 26.

Immunitas in omnibus causis sancte habetur jam usque a prima Ecclesia, c. 3.

Immunitas in causis ecclesiasticis probatur, c. 2.

Immunitas in causis civilibus probatur ex jure canonico, c. 14.

Immunitas in causis realibus, hoc est fundatis in re mere temporali, quin interveniat ipsa persona ecclesiastica defenditur, ib.

Sed excipiuntur primo causae feudorum quae agi debent coram domino feudi, ib.

Secundo, causae bonorum regalium, ib.

Tertio, bona civilia data personis, vel rebus ecclesiasticis, ea conditione ut foro civili semper subjiciantur, ib.
Aliae ramissive, ib.
Immunitas praedicta intelligitur, si personae ecclesiasticae reae citentur, ib.
Sed ab ista declaratione fieri solent exceptiones.
Prima, si bona de quibus litigatur, sint Ecclesiae, ib.
Secunda refertur, si bona sint ipsius personae immunis, sed reprobatur, ib.
Tertia, quando alicubi sit contraria consuetudo, nimirum ut reus secularis ad judicium veniat ecclesiasticum, ib.
Quarta, si actor ecclesiasticus habeat legitimum privilegium reum vocandi ad suum forum, ib.
Qualia privilegia Summus Pontifex saepe privatim concedit, ib.
An vero possit generaliter, disputatio est, ib.
Probaturque posse. Quinta, si laicus judex in culpa sit, propter quam judex ecclesiasticus possit litem ad suum judicium traducere, ib.
Immunitatem habet persona ecclesiastica, ut trahi non possit ad seculare judicium, seu rea in illo constitui propter ullam quamvis maximam culpam judicis ecclesiastici, ib.
Immunitas in causis criminum, tam ecclesiasticorum quam etiam secularium negari non potest, c. 15.
Immunitas in causis criminum probatur ex jure canonico, et civili, ib.
Immunitati criminum praedictae quae leges repugnare videntur, rejiciuntur vel explicantur, ib.
Praesertim dictum Concilii Matisconensis prima specie contrarium, ib.
Immunitatem hanc habent omnia crimina, praeter excepta a Summo Pontifice in regnis quibusdam, ib.
Immunitatem hanc habent omnes personae ecclesiasticae praeter exceptas vel a lege canonica, vel a justa sententia ecclesiastica, vel a delegatione, quam Summus Pontifex fecerit judici laico, ib.
Vel a defensione legitima, ib.
Vel a pacto et convento etiam legitimo, ib.

Immunitas haec etiam intelligitur, si persona ecclesiastica rea sit actor, nisi ratione sacrilegii, ib.
Immunitatem hanc participant crimina commissa ante ordinem sacrum susceptum, vel eo tempore quo persona ecclesiastica privata erat immunitate, quam postea recuperaverat, ib.
Immunitas violari solet tum legibus, tum actionibus, ib.
Immunitatis violatio utraque contingere potest, vel directe, hoc est, palam et aperte; vel indirecte, hoc est per praestigias et quasi ex insidiis, ib.
Quae indirecta obscuraque violatio, vera quoque et propria est judicanda, c. 16.
Immunitatem, quae leges vel canones videntur corrumpere, rejiciuntur vel explicantur, c. 14, 15, 16, 22 et 25.
Immunitatem minus retinuisse principes aliquos, quomodo accipiendum sit, c. 13.
Immunitati resistens princeps catechumenus, baptizandus non esset, c. 11.
Immunitatis violatores quantum scelus suscipiant, c. 33.
Immunitatis violatores quibus poenis teneantur, remissive, ib.
Immunitatem non violant tributa a Summo Pontifice imposita rebus ecclesiasticis, c. 18.
Immunitas non praebet impunitatem personis immunibus, c. 19.
Immunitati ecclesiasticae infesti sunt majori ex parte magistratus civiles, c. 22.
Immunitatis sine culpa violandae sex Catholici utuntur quaesitis excusationibus minime ferme accipiendis, c. 34.
Immunitatis violandae excusatio prima est ignorantia Facti, si sit facti interdum admittitur, juris vero minime, ib.
Quid vero si res sit dubia, ib.
Immunitatis violatorum excusatio secunda, necessitas est, quam inter Catholicos non posse obvenire ostenditur, ib.
Immunitatis violatorum excusatio tertia est consuetudo, nullam vero immunitati contrariam, quantumvis longissimi seculorum intervalli praevalere posse ostenditur, ib.

Sed ponderantur varii usus atque abusus plurium regnorum, ib.
Immunitatis violatorum excusatio quarta, est concordia, seu pactum ib.
Sed oportet ut a Summo Pontifice approbatum legitime sit, et revocari ab eodem potest, quandocumque libuerit, ib.
Immunitas minui non potest per Episcoporum pacta nisi Pontifex ea confirmet, c. 11.
Declarationes adhibentur, ib.
Immunitatis violatorum excusatio quinta est privilegium, quod a Summo Pontifice datum nec revocatum fuisse oportet, c. 34.
Num vero sint aliqua privilegia, quae non revocentur per bullam Coenae, quaestio est, ib.
Immunitatis violatorum excusatio postrema est justa, et legitima sui vel rerum suarum defensio; quae quidem verum jus germanamque justitiam continet, c. 34.
Sed homines laici umbra fere et imagine hujus utuntur, ipsam justitiam vix tenent, ib.
Imperatorum pietas atque subjectio erga Pontificem Romanum, t. 3, c. 21, et t. 5 c. 17.
Imperator non est supremus totius Ecclesiae princeps etiam in temporali jurisdictione, t. 3, c. 5.
Indirecta subjectio et gubernatio, c. 5 30, et t. 4, c. 11.
Indulgentiae manant ab infinita copia reposita meritorum Christi, necnon etiam aliqua Sanctorum hominum quam Christi Vicario dispensare licet, ex sua suprema potestate solvendi, t. 2, c. 15.
Indulgentiarum et satisfactionum causa efficiens, materia, et finis, ib.
Indulgentias ab hinc annos quingentos solent Pontifices dare militibus ad bellum contra infideles proficiscentibus, t. 5, c. 21.
Infideles non sunt subjecti Ecclesiae, t. 3 c. 4.
Internos actus Ecclesia non potest praecipere, c. 23.

J

Jacobus natus matre catholica baptizatus est in Romana Catholica Ecclesia, t. 1, c. 24.
Jacobum prava in infantia institutio atque doctrina averterunt a vera religione, ib.
Jacobus se schismaticum esse non diffitetur, c. 21, et t. 3, c. 2.
Jacobus haeretici notam fugere cupit, t. 1, c. 23 et 24.
Jacobus vivam fidei regulam seipsum statuit, c. 3.
Jacobus in sola quam suo arbitratu eligit Scriptura fundamentum fidei ponit, c. 9.
Jacobus sibi arrogat certam intelligentiam sacrae Scripturae, c. 10.
Jacobus sacram Scripturam mutilat, c. 16, et t. 5, c. 19.
Jacobus Ecclesiae traditiones abhorret, t. 1, c. 9.
In quo non sibi constat, ib.
Jacobus persecutionis ecclesiasticae auctor, t. 5, c. 10.
Jacobi de Romano Pontifice futiles querimoniae, c. 7.
Jacobi assertio de novitate primatus romani pluribus antiquissimis et oculatis testibus refutatur, t. 3, c. 15.
Jacobus nolens fabulam de Antichristo impugnat, t. 5, c. 19.
Jacobus non videns Antichristi fautorem et asseclam, se ipsum constituit, c. 22.
Jacobus redarguitur de asserendo sibi ecclesiastica potestate quam Petro et successoribus negat, t. 4, c. 6.
Jacobus principatum Ecclesiae Petro eripit, ut deinde Romano Pontifici detrahat, ac tandem vacuum occupet, t. 3, c. 9.
Jacobus fidei Catholicae defensor non est, sed oppugnator, t. 1, c. 1 et 9, et fere per totum librum.
Jacobi libellus multa continet, quae clare pugnant cum suis, met scriptis, ut de privato spiritu, c. 11.
De catholico cognomento, c. 12, et t. 2, c. 8 et 9.
De testimonio veterum Martyrum, t. 1, c. 20.
De sua ipsius Jacobi regis cum Ecclesia Catholica communione, c. 24.

De principatu spirituali regum britannicorum, t. 3, c. 6.
De veneratione Sanctorum Patrum antiquae Ecclesiae, c. 8.
De auctoritate definiendi nova dogmata fidei, t. 5, c. 11.
De Apocalypsis libro sibi reserato, ib.
De Roma et Babylone, c. 15.
Cum aliis multis fere per totum librum sextum, c. 99.
Jesuitae socii odio habentur a rege Jacobo, et aliis haereticis, ut observantes Romani Pontificis, t. 6, c. 11.
Judaerom regum excellentiae, t. 3, c. 24.
Judaei ut gubernari possint a potestate civili christiana, c. 4.
Judex ecclesiasticus saecularem longe praecellit t. 4, c. 14.
Judicii extremi dies conjectari poterit; plane sciri non poterit, t. 5, c. 8.
Judicio extremo tam uniuscujusque quam universali omnium hominum accommodatur Christi parabola de decem virginibus, ib.
Judicii extremi dies quam erit horribilis et pertimescenda, c. 14.
Juramentum fidelitatis quid sit, t. 6, in prooemio.
Juramentum fidelitatis civilis nihil involvere debet ecclesiasticum, ib.
Juramentum non est necessarium ad obligandos subjectos, ut manifestent proditiones suorum principum, cum naturaliter sint obligati a fidelitate et charitate, c. 3.
Juramento firmare et adaugere obligationem fidelitatis honestum est, ib.
Juramentum fidelitatis fieri debet cum legitime postulatur a superiore, c. 1.
Juramentum fidelitatis comprobatum fuit in multis Conciliis, c. 1.
Juramentum fidelitatis licitum esse nemo Catholicus inficiatur, ib.
Juramenti fidelitatis civilis honestas frustra monstratur a rege Jacobo, ib.
Juramentum fidelitatis, de quo dubitetur an sit legitimum, doceri debet a Romano Pontifice, c. 7.
Juramentum fidelitatis relaxare potest justa de causa Romanus Pontifex, c. 2.

Juramentum fidelitatis ex se dissolvitur, cum regno is care in cujus verba juratum fuerat, ib.
Juramentum fidelitatis illicitum est si deroget quicquam d jure alieno. ib.
Juramentum fidelitatis civilis illicitum est, si contra chris tianam religionem vel clare aliquid proponat, vel etian occulte involvat, ib.
Juramentum fidelitatis in regnis pacatis peti non solet sin gulatim ab omnibus, sed solum a primariis, t. 6, prooe mium.
Juramentum fidelitatis antiquo in Hispania de more soli qui dam optimates praestant, ib.
Juramentum primarii ecclesiastici in Anglia catholica facer solebant Romano Pontifici, ib.
Juramentum fidelitatis praestandae sibi in rebus sacris, nul li regum christiani nominis in mentem venerat, c. 1.
Juramentum sibi in rebus sacris primus ambire coepit Hen ricus VIII, sed ipsum istius petitionis initio puduit, ib.
Juramentorum quae post miserandam Angliae ruinam coe perunt extorqueri, nullum hactenus fuit verum jusjuran dum fidelitatis, sed sacramenta quaedam perfidiae, seu usurpationis primatus Romani per primatum Britanni cum, c. 1.
Juramentum istud extorquere coepit Henricus VIII a viris primariis ecclesiasticis. ib.
Juramentum idem Eduardo VI fieri solitum videtur ex ea quod dicit regina, ib.
Juramentum jussum ab Elisabetha, ib.
Juramenti Henriciani et Elisabethici forma aucta est a Jaco bo, addito fidelitatis et obedientiae jure jurando, ut ea specie fidelitatis omnes commoti venena bibant, quae pro pinantur, ib.
Jurament Jacobi forma prima et secunda, ib.
Juramentum suum Jacobus contendit esse mere civile, c. 1.
Juramentum Jacobi in quatuor partes dividitur in quibus transilire longissime civiles terminos exquisite auctor de monstrat, c. 2.

Juramentum Jacobi est expressus character Britannicae haeresis, c. 6.
A malo spiritu, c. 2.
Juramenti Jacobei latens venenum, judicio suo Romanus Pontifex docere debuit, t. 6, c. 7.
Jurisdictio ecclesiastica est excellentior quam secularis, c. 10.
Jurisdictio nulla est in jure nominandi, eligendi vel confirmandi, t. 3, c. 29.
Jurisdictione caret privilegii datio, t. 4, c. 16.
Juris vocabulum bifariam accipitur, c. 9.
Jus divinum quod sit naturale, quod positivum, c. 5.
Juris naturalis divisio in negativum et positivum ; sive concedens, non vero praecipiens, t. 3, c. 2.
Jus humanum duplex, civile et canonicum, t. 4, c. 9.
Jus canonicum an recte divinum dicatur, ib.
Jus canonicum derivatur a jure divino positivo, t. 3, c. 6.

L

Levitarum excellentia, t. 4, c. 9.
Legis humanae obligatio unde proveniat, t. 3, c. 2.
Legum civilium et Pontificiarum materia, c. 22.
Leges civiles ejusdem materiae cum Pontificiis directe irritari possunt a potestate ecclesiastica, ib.
Leges civiles de rebus ecclesiasticis ipso jure sunt irritae, ib.
Leges civiles nullam vim habent in materia ecclesiastica, neque in bonis, vel ecclesiasticis, vel personarum ecclesiasticarum, c. 12.
Leges Justiniani de materia canonica non sunt verae leges, t. 4, c. 2.
Leges civiles prospicientes communi secularium, et clericorum societati non obligant clericos sed ipsi obligantur ex vi rationis et canonici juris, c. 16.
Legum civilium potestas duplex; directiva et coactiva : a quibus manant omnes effectus legitimi, ib.

Legis quae regia vocatur etymologia, t. 3, c. 2.
Libertas hominis quanta sit. ib.
Libertas ecclesiastica. Vide Immunitas ecclesiastica.

M

Marcellinus Papa, t. 3, c. 18.
Mahometus non fuit proprius Antichristus, t. 4, c. 2, t. 5, c. 9, et 22.
Mahometanum errorem fortase tot gentes quot Christianam religionem obtinent, t. 1, c. 16.
Varia Virgo coli debet hyperdulia, t. 2, c. 7.
Mariae Virginis subsidium invocandum mortalibus, ib.
Maria Virgo sine sollicitudine aut incommodo semper propitia est hominibus, ac pro eis intercedit, ib.
Mariae Virginis imaginum cultus catholicus, et decens praecipue Romae, t. 5, c. 21.
Maria, regina Angliae, fidem catholicam instauravit, t. 1 [illegible] 2
Martyrum sanguine facta est Ecclesia foecundior, c. 19.
Martyrum sanguine est vera fides illuminata, ib.
Martyrium quali morte praestetur, c. 20.
Martyr nullus erravit in ullo fidei decreto, c. 19.
Martyrii laudem nullus haereticus habere potest, c. 20.
Martyr est qui occiditur propter honestum actum religi[illegible] etiam si non esset sub praecepto, t. 6, c. 11.
Martyr est cui religionis catholicae causa immatura mors [illegible] celerat, t. 6, c. 11.
Martyrii palmam magna ex parte consequetur qui usque [illegible] mortem in tribulationibus et laboribus pro catholica [illegible] constanter perseverat, ib.
Matthias an immediate a Deo habuerit Apostolatum t. 3, [illegible]
Matrimonium conjugis infidelis quando possit dissolvi, c. [illegible]
Miracula Ecclesiae Catholicae defenduntur a calumniis, [illegible] c. 19.
Missa etiam secreta, sacrificium est publicum, t. 1, c. 6.

Missa fieri non debet sine ministratore, ib.
Sed haec interdictio magis videtur ecclesiastica quam divina, ib.
Missa privata dicitur tribus modis omnibus licitis, ib.
Et confirmatis miraculorum atque exemplorum comprobatione, ib.
Moralibus in rebus implicitum pro expresso habetur, quando idem efficitur, t. 6, c. 9.
Moysis corpus propter quam rationem Deus occultaverit, t. 2, c. 12.

N

Neronem Antichristum fuisse, iterumque venturum quidam etiam Catholici falso putarunt, t. 5, c. 9.

P

Poenae ecclesiasticae, t. 3, c. 24.
Papa, etc. Vide Pontifex.
Paradisus terrestris, ut est verisimile, servatur hactenus, nec excindetur nisi cum ipsa hac rerum natura, t. 5, c. 13.
Peccati culpam cum Deus remittit, poenam commeritam non semper totam condonat, t. 2, c. 15.
Peccata justorum levia seu venialia divinam gratiam non extinguunt, ib.
Pericula cavenda, t. 6, c. 3.
Persecutio ecclesiastica est ea vexatio totius vel magnae partis Ecclesiae, quam praepotens dominatus molitur, ad evertendam vel minuendam veram religionem, c. 10.
Persecutio ecclesiastica non dicitur ea tyrannis quae nihil nocet religioni, ib.
Persecutionis ecclesiasticae prima machina est labefactatio

christiani cultus dirutis templis, imaginibus et sacris locis combustis, vel in profanos usus mutatis, ib.
Persecutionis ecclesiasticae secunda machina est legum crudelium latio et executio in catholica opera, sive personas, ib.
Persecutionis ecclesiasticae tertia machina est infidelis, et prava puerorum omnium educatio atque doctrina, ib.
Persecutionis ecclesiasticae quarta machina sunt insidiosae blanditiae, sive favores ad vitae commoda, ib.
Persecutio ecclesiastica. Vide Angli Catholici.
Personae ecclesiasticae quae sint, t. 4, c. 27.
Vide Immunitas.
Petrus habuit a Christo Domino potestatem supremam spiritualem ad gubernandam Ecclesiam militantem, t. 3, c. 10.
Petrus nominabatur Simon, sed Christus ei cognomen addit, ib.
Petri excellentiae, ib.
Petri varia ex epitheta Sanctis Patribus, ib.
Petrus ex mera Dei voluntate consecutus est principatum Ecclesiae, c. 11.
Petro data est jurisdictio ordinaria universalis, et derivanda in suos posteros; secus vero aliis Apostolis, ib.
Petri primatus durabit ad omne tempus Ecclesiae, per totum caput 14.
Petrum discipuli sibi praepositum cognoscebant, t. 4, c. 5.
Petro interveniente datum est aliis Apostolis munus Episcopale, t. 3, c. 12.
Petrus a Christi ascensu sex circiter annos domicilium stabile non habuit, c. 13.
Petri sedes Antiochena, ib.
Petrus martyrium obiit Romae, ubi collocavit suam certam sedem, ac domicilium principatus ecclesiastici, ib.
Petri immunitas a tributo Caesaris explicatur, t. 4, c 5.
Petri immunitas transmissa ad successores Romanos Pontifices, ib.
Philippus imperatorum primus Christi fidem accepit, t. 3, c. 29.

Pii IV legatio ad Elisabetham bis fuit rejecta, t. 6, c. 10.
Pilatus quam potestatem in Christum habuerit, t. 4, c. 7.
Pontificem ut Deus immediate nunc creet atque creaverit in lege veteri, t. 3, c. 2 et 3.
Pontifex unus tantum esse potest, c. 13.
Pontifices neque maximi neque minores interdicuntur temporali et politico principatu, c. 5.
Pontifices Judaeorum suis etiam regibus antecellebant, c. 26.
Pontifex Christianus Judaeum veterem longissime superat, c. 16 et t. 4, c. 6.
Pontificem Christi Vicarium visibilem esse oportet, et habere certam sedem atque sucessionem, t. 3, c. 13.
Pontifex Romanus Pastor est et universalis Ecclesiae Catholicae, et peculiaris Romanae dioecesis, t. 1, c. 5 et 12.
Pontifex Romanus successor, est Divi Petri Apostoli in stabilitate doctrinae fidei, morumve generalium, c. 5 et 6.
Pontifex Romanus successor est Petri in suo primatu supra totam Ecclesiam, t. 3, c. 13, usque ad finem libri.
Pontifex Romanus solus Petri est successor, t. 3, c. 13.
Pontificis Romani sedes non potest ab Ecclesia mutari aliorsum, ib.
Pontifices Romani suum hunc principatum quibus modis tuentur, c. 14, 17, et t. 5, c. 17.
Pontificum Romanorum auctoritas quantum valeat in asserendo suo principatu, t. 3, c. 16.
Pontificum Romanorum potentiae documenta antiquissima, c. 29.
Pontifex Romanus non est monarcha temporalis totius Ecclesiae, c. 5.
Pontificum Romanorum temporale regnum comparatum fuit jure humano, t. 4, c. 4.
Pontificum Romanorum majestatem non minuunt excellentiae regalis dominationis, t. 3, c, 24.
Neque acta regum Judaeorum, c. 25.
Neque dicta Conciliorum, aut patrum, c. 27.
Neque acta imperatorum et regum, c. 29.
Pontifex Romanus etsi non possit dispensare jus naturale, potest ejusdem materiam mutare, c. 30.

Pontifex Romanus poterat dare personis ecclesiasticis immunitatem, si non habuissent a jure divino, t. 4, c. 11.
Pontifex Romanus causas ecclesiasticas subjicere laicis non potest, nisi delegata jurisdictione spirituali, c. 2.
Pontifex Romanus dispensans humana matrimonii impedimenta non fovet libidines, malasve nuptias, t. 5, c. 21.
Pontifex Romanus subjectos habet Christianos reges in rebus sacris, t. 3, c. 21.
Pontificis Romani est universam potentiam regum Christianorum dirigere ad finem spiritualem, c. 22 usque ad finem, t. 3.
Pontifex Romanus justa de causa Christianitatis potest reges punire, regnaque etiam adimere, t. 3, c. 23, et t. 6, c. 7.
Pontifices Romani regna ademerunt, t. 3, c. 23, et t, 6, c. 4.
Pontificis Romani auctoritas supra imperium Romanum, t. 3, c. 24.
Pontificem Romanum summa pietate atque subjectione prosecuti sunt Catholici imperatores, c. 21, t. 5, c. 4 et 17.
Pontificis Romani potentia in bella, et militiam Christianam, t. 3, c. 21.
Pontificis Romani potentia in leges, et judicia Christianorum, ib.
Pontificum Romanorum severitas in coercendis libidinibus regum christianorum, t. 5, c. 21.
Pontificis Romani pedes osculandi consuetudo, t. 3, c. 11, et t. 5, c. 19.
Pontifici Romano subjecti sunt infideles principes, t. 4, c. 6 Licet minus quam Christiani, t, 6, c. 6.
Pontifices Romani non utebantur sua potestate aut immunitate sub imperatoribus ethnicis, t. 4, c. 6.
Pontifex Romanus potest justa de causa Christianos eximere ab obedientia principis ethnici, ib.
Pontificis Romani maxima immunitas ex jure divino, tam naturali quam positivo, profecta monstratur, t. 4, c. 4, 5, 6, 7 et 8.
Pontifex Romanus suam immunitatem non potest Ecclesiae renuntiare, c. 7.

Pontifex Romanus a nemine coerceri legitime potest, c. 6. Quamvis ipsi ita lubeat, c. 7.
Pontifex Romanus an se possit subjicere judicio humano, ib.
Pontifex Romanus quomodo subjectus sit suo confessori, ib.
Pontifex Romanus potest statuere arbitrum suarum rerum, ib.
Itaque aliquando statuerunt Pontifices, ib.
Pontifex Romanus ut fraterne corrigi possit, c. 6.
Pontificis Romani electio, t. 3, c. 13, 22, et t. 4, c. 6.
Pontificum Romanorum licentiam multa reprimunt, c. 6.
Pontificum Romanorum multi bene functi sunt suo maximo munere, t. 3, c. 20, t. 5, c. 17 et 28.
Pontificum Romanorum integritas atque innocentia, et miracula edita, t. 5, c. 17 et 19.
Pontifex Romanus privatim haereticus ut privetur summo Pontificatu, t. 4, c. 6 et 7.
Pontifex Romanus ut fit verisimile, calamitosissimo Antichristi tempore privatam quoque fidei servabit constantiam, t. 5, c. 21.
Pontificis Romani depulsio a Summo Pontificatu ut fieri possit, t. 4, c. 6.
Pontifex Romanus renuntiare potest Ecclesiae suum Pontificatum, ib.
Pontificis Romani despectio seminarium est haeresum, t. 3, c. 11.
Pontificis Romani quae a fidei hostibus fit comparatio impudentissima cum Antichristo, refutatur toto libro quinto, summatimque, t. 5, c. 22.
Potestas suprema quae sit, t. 3, c. 5.
Potestas suprema gubernandae communitatis ipsimet soli et toti communitati a Deo tribuitur immediate, non peculiari dono, sed consequentia naturali, c. 2 et 4.
Potestatem aliquam quibus modis Deus immediate concedat, c. 2.
Potestatis civilis auctoritas et honestas, c. 1.
Potestatis civilis necessitas maxima, ib.
Potestas civilis suprema dividitur in democraticam, aristocraticam et monarchicam, c. 2.

Potestatis civilis haec tria genera saepe inter se commiscentur, ib.
Potestatem civilem negavit quidam Galilaeus, sectatoresque habuit sui erroris, c. 1 et 4.
Potestas legitima magistratuum, tam christianorum quam ethnicorum, Christianos, et justos etiam continet, c. 4.
Potestas mere civilis, vel in uno est homine, vel in uno concilio sociato ad gubernandam caeteram communitatem, c. 1.
Potestas civilis a Deo instituta confertur bifariam ab hominibus, c. 4.
Potestas regalis multis modis dicitur a Deo dari, c. 3.
Potestas regalis non est immediate a Deo, c. 2.
Potestas regalis non ex divina institutione positiva, sed solum ex ratione naturali ducit originem: ab hominibus vero libere atque immediate data est, ib.
Potestas regalis quanta sit, ib.
Potestas regalis comparatur diversis modis, t. 3, c. 2 et 5.
Potestatis regalis diversi gradus, c. 2.
Potestate regali Christiani non prohibentur, c. 4.
Potestas aristocratica non est immediate a Deo, c. 2.
Potestas popularis seu demotratica naturalior est caeteris, ib.
Potestas popularis imperfectior est caeteris ad finem politicum, ib.
Potestas civilis duplex, urbana seu moralis, executiva seu militaris, c. 22.
Potestatem civilem deperdi quovis peccato mortali: posseque magistratus ita peccantes corripi a quolibet subdito commentum fuit haereticorum, t. 3, c. 5.
Potestas civilis subjecta est Ecclesiasticae, t. 3, c. 7.
Potestas Ecclesiastica nulla fuit in lege naturae, c. 6.
Potestatis Ecclesiasticae differentia a temporali, ib. et c. 30.
Potestas Ecclesiastica temporalem multis modis excellit, c. 21.
Potestas Ecclesiastica indirecta vim directivam temporalium rerum includit, c. 22.
Potestas jurisdictionis interni fori quae sit, c. 6.
Potestas ordinis quas vires habeat, ib.
Potestatis ordinis discrimina, ib.

Potestas ordinis apud haereticos Angliae confertur a rege vel magistratu, per solam ministri designationem, c. 8.
Potestas Ecclesiastica jurisdictionis externae, c. 6.
Potestatem Ecclesiasticam fori externi negant haeretici, praecipue Angli, ib.
Potestas Ecclesiastica fori externi probatur, ib.
Potestas ligandi coercivam includit, c. 23.
Potestas Ecclesiastica num poenam capitis possit inferre, t. 4, c. 3.
Potestas Ecclesiastica data a Summo Pontifice ad se coercendum invalida est, c. 7.
Praescriptio non potest fieri eorum quae sunt de ratione intrinseca potestatis supremae, c. 3.
Praesentia Dei praesidium significat, t. 1, c. 4.
Principatus. Vide Potestas.
Privatus spiritus, quem sibi fere haeretici arrogant, late refellitur, c. 9, 10 et 11.
Privilegii cujusque ratio generica, et specifica, t. 4, c. 14.
Privilegium datum semper justa de causa revocari potest, ib.
Privilegium fori. Vide Immunitas.
Prophetiae quantumvis obscurae, postquam deprehenduntur eventis, manifestae redduntur, t. 5, c. 19.
Prophetiae, priusquam impleantur, licet quoad circumstantias et aenigmata sint obscurae, quoad rem proprie praedictam saepe sunt manifestae, c. 13.
Providentiae humanae est connivere in multis in rebus, t. 4, c. 6.
Purgatorium convincitur ex quibusdam fidei propositionibus, t. 2, c. 5.
Purgatorium asseritur ab antiquissimis Ecclesiae Patribus, ib.
Purgatorium demonstratur ex nova et veteri divina Scriptura, ib.
Purgatorium evanescet a die judicii extremi, ib.
Puritanorum Angliae haeresis, t. 3, c. 8.

R

Redemptio Christi abundat et effluit in salvandis hominibus; sed non omnes salvantur, t. 2, c. 5.
Regnum fit e tyrannide cum populo est libitum, vel juste praescribitur a successoribus, c. 2.
Regna orbis clarissima majori ex parte contra fas occupata fuere, ib.
Regna orbis praecipua, quae monarchica dicuntur, figuravit Daniel quatuor bestiis, t. 5, c. 22.
Regum. Vide Potestas civilis.
Reliquiae justam habent venerationem, t. 2, c. 10.
Reliquiarum veneratio est religiosissima, ib.
Reliquiarum veneratio Deo est admodum accepta, ib.
Reliquiarum veneratio comprobatur miraculis, ib.
Reliquiae malos daemones fugant, ib.
Reliquiae de more antiquo et sancto in locis publicis exponuntur, ib.
Reliquias inter censentur multa praeter particulas Sanctorum, ib.
Regum excellentiae, t. 3, c. 24.
Regibus jure gentium obedientia debita est, c. 5.
Regum muneri nulla data est potestas spiritualis, c. 7.
Regum potestas subjecta est spirituali, á capite 22, usque ad finem, t. 3.
Reges Christiani potestate civili suprema sunt praediti, t. 3, c. 5.
Regum potestas nihil minuitur ex fidei Catholicae professione, imo amplificatur, c. 30.
Regum vitam tenentur subjecti defendere, conjurationes et crimina laesae majestatis, optimo quo possint modo, aperiendo, t. 6, c. 3.
Regem creare infidelem Christianis non licet, t. 3, c. 4.
Rege per sententiam declarato haeretico, liberantur subjecti a sacramento fidelitatis, t. 5, c. 14.

Reges tolli a populo possunt quibus de causis, t. 3, c. 2.
Regis est libertatem dicendi permittere, t. 1, in prooemio.
Rex. Vide Potestas civilis, et Excommunicatio.
Roffensis juramentum et poenitentia, t. 6, c. 1.
Roffensis martyrium, c. 12.
Roma non habuit septem formas regiminis a Jacobo inventas, t. 5, c. 4.
Romae dicitur inveniri sanguis eorum Martyrum, qui usque ad Joannem Evangelistam a magistratibus Romani imperii occisi sunt, c. 16.
Roma fortasse iterum sub Antichristo vulgo ethnica erit, c. 21.
Romae expugnatio per Alaricum, Gotthorum regem, c. 6.
Per Genserícum, regem Vandalorum, ib.
Per Odoacrem, regem Erulorum, ib.
Bina per Totilam, Gotthorum regem, ib.
Romae eversio, atque excidium ultimum ante diem judicii extremi, c. 7.
Roma an sit evertenda penitus ab Antichristo, c. 7, 15 et 20.
Roma ethnica dicitur Babylon in Scriptura, t. 3, c. 13, et t. 5, c. 7.
Romae superbia, t. 5, c. 21.
Romana Ecclesia. Vide Ecclesia Romana.
Romanus Episcopus. Vide Pontifex Romanus.

S

Sacerdotum dignitas et immunitas, t. 4, c. 10.
Sacerdotum dignitas in lege naturae, t. 3, c. 9.
Sacerdotum cognomina honorifica, c. 24.
Sacerdotes dicuntur Angeli in S. Scriptura, ib.
Sacerdotis est libere dicere, t. 1, in prooemio.
Sanctorum veneratio debita est, t 2, c. 8.
Sanctorum veneratio sacra est, imo et conjunctissima cum divina, ib.

Sanctorum canonizatio, hoc est, consecratio et conscriptio in Divorum numero, quantae auctoritatis sit, ib.
Sancti prospiciunt, et consulunt rebus humanis sine detrimento suae beatitudinis, c. 7 et 9.
Sanctos implorandi mos post Christi discessum est vetustissimus, c. 9 et 10.
Sanctos implorandi consuetudo est Deo gratissima, c. 9.
Sanctos implorandi consuetudo necessaria est quodammodo; certe est utilissima, ib.
Sanderi merita de Ecclesia Universali et Anglicana, t. 6, c. 12.
Sauli an Deus, an vero populus immediate contulerit regiam potestatem, t. 3, c. 3.
Schismatis significatio et genera, t. 1 c. 21.
Schismatis turpitudo, ib.
Schismatis cum haeresi conjunctio, t. 2, c. 1.
Scriptura divina duos patitur sensus simul primarios, unum historicum seu litteralem, alterum vero spiritualem, t. 5, c. 14.
Scriptura divina praesenti verborum modo interdum utitur pro futuro, c. 10.
Scriptura divina propositione interdum utitur universali pro indefinita, c. 26.
Scripturae divinae arithmetica, seu numerandi ratio, c. 5 et 8.
Scripturam divinam decenter admodum tractant Catholici, c. 11.
Haeretici vero quam indecore, ib.
Scripturae divinae interpretatio est difficillima, t. 1, c. 10.
Scripturae divinae interpretatio una est privata, altera authentica, c. 11.
Scripturae divinae certa interpretatio solum est ab Ecclesia Catholica, ib.
Scripturae divinae interpretatio metaphorica fugienda est, ubi propria potest bene constare, t. 3, c. 30; t. 5, c. 8 et 11.
Secretum confessionis sacramentalis quatenus supprimendum sit, t. 6, c. 3.

Serpentem aeneum venerari an aliquando Judaeis licuerit, t. 2, c. 12.
Servus initiatus sacris ordinibus, ut liberetur a servitute, t. 4, c. 11.
Spiritus Sanctus non potest dici proprie Christi Vicarius, t. 3, c. 6.
Spiritus Sanctus ut Christi Domini vices gerat, ib.
Spiritus Sancti assistentia non omnibus Catholicis singulatim promissa, t. 1, c. 11.
Spiritus Sancti assistentia quibusdam Catholicis singulariter data, ib.
Stylus Catholicorum in Theologia, quam vocant scholasticam, veritatis est optimus indagator, in prooemio.
Suffragia seu satisfactiones nituntur articulo communionis Sanctorum, t. 2, c. 15.
Synagoga universa fidem non perdidit Judaeis vitulum adorantibus, t. 1, c. 5.

T

Traditiones divinae etiam non scriptae ingrediuntur fidei Catholicae fundamentum, t. 1, c. 9.
Traditionum divina auctoritas probatur ex sacra Scriptura, ib.
Traditionum auctoritas rationibus et conjecturis asseritur, ib.
Traditionum auctoritas confirmatur Patrum auctoritate, ib.
Traditionum auctoritas exemplis defenditur, ib.
Tribus Israel ut dicantur duodecim, cum tredecim fuerint, t. 4, c. 9.
Tributorum genera duo, c. 18.
Tyrannus duplex; unus in titulo, alter in sola administratione, t. 6, c. 4.
Tyrannum in titulo cuilibet occidere licet, et quando, ac quomodo, ib.
Tyrannus in usu est, qui subditos a vera religione discedere compellit, ib.

Tyrannum vim actu inferentem, quando occidere liceat, etiam si sit verus dominus, ib.
Tyrannus in administratione, statim ac incidit in haeresim, quodammodo suo privatur dominio, quod vel confiscatur, vel transmittit ad successorem Catholicum, sed non ejicitur, nisi lata sententia ib.
Tyrannum privare per sententiam potest ipsa Respublica vel Romanus Pontifex. ib.
Tyrannum in administratione post sententiam in illum legitime datam, qui possit occidere, ib.
Tyrannus post latam privationis sententiam, vel declaratoriam ejus criminis, quod a jure mulctatur privatione, potest exui regno a sententiae latore, vel ejus ministro, qui tyrannum interficiat, si opus sit, vel si justa sententia hanc poenam importet, ib.
Tyrannus depositus per sententiam, non potest necari a quolibet homine, imo nec vi expelli, nisi jus, vel sententia det generalem quamdam facultatem. Quod si nulli mandetur executio sententiae, transibit regnum ad successorem, vel ad ipsam rempublicam, t. 6, c. 4.

U

Uncti in Scriptura qui nominentur, t. 3, c. 24, et t. 5, c. 1.

V

Vicarius quis dicatur, t. 1, c. 8.
Vicarius Christi. Vide Pontifex.
Virgo Deipara. Vide Maria.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM

HUJUS OPERIS

LIBER PRIMUS

TOMUS PRIMUS

Quantum Anglicana secta a fide catholica dissideat

Pag.

Caput primum.—De fidei catholicae progressu, et statu Anglicanae gentis a prima ejus conversione usque ad praesentia tempora. 25

Cap. II.—Sectam Anglicanam a fide vera discessisse. . 29

Cap. III. — Ecclesiam Christi non posse veram fidem amittere ostenditur, et ratio facta roboratur. . . 43

Cap. IV.—Non posse Catholicam Ecclesiam etiam per ignorantiam in rebus fidei errare.. 54

Cap. V.—Romanam Ecclesiam eamdem fidei stabili-

Pag.

tatem habere quam Catholica ostenditur, et adversariorum evasioni occurritur. 61
Cap. VI.—Stabilitas fidei et Ecclesiae Romanae, traditione ostenditur. 72
Cap. VII.—Excluditur tertia evasio haereticorum, quam per distinctionem Ecclesiae visibilis et invisibilis confingunt. 86
Cap. VIII.—Occurritur adversariorum objectionibus, et quo sensu Ecclesia visibilis sit, exponitur. . . . 101
Cap. IX.—Regem Angliae, cum nec Scripturam integram, nec verbum Dei non scriptum admittat, fidei vere christianae defensorem non esse ostenditur. . 115
Cap. X.—Ex fundamento et ratione credendi regis Angliae, ipsum non esse fidei vere christianae defensorem ostenditur. 132
Cap. XI. — Verae fidei christianae fundamentum non esse in privato spiritu ponendum. 140
Cap. XII. — Ex nomine (Catholicae) Anglicanam Sectam fidem catholicam non esse ostenditur. . . . 158
Cap. XIII.—Objectionibus contra doctrinam superioris cap. occurritur. 173
Cap. XIV.—Ex ratione catholici nominis, discursus capitis praecedentis confirmatur. 177
Cap. XV.—Catholicam dici Ecclesiam, quia per totum orbem diffusa est ostenditur, et haereticis occurritur. 187
Cap. XVI.—Quomodo verum sit Ecclesiam Catholicam per totum orbem diffusam 197
Cap. XVII.—In Anglicano schismate fidem apostolicam non esse. 215
Cap. XVIII. — Objectioni contra doctrinam superioris capitis occurritur. 227
Cap. XIX.—Sectam Anglicanam nullius antiqui Martyris sanguine decoratam, sed potius damnatam esse ostenditur. 236
Cap. XX.—Veros nostrorum temporum Martyres non

Pag.

Anglicanam sectam, sed Romanam fidem illustrasse.. 246
Cap. XXI.—Anglicanam sectam vel propter solam schismatis turpitudinem detestabilem esse.. . . . 254
Cap. XXII.—Anglicanum schisma in manifestam haeresim et apostaticam doctrinam transiisse.. . . 263
Cap. XXIII.—Anglicanum schisma pertinaciter sectantes, neque ab haeresi, neque ab haereticorum nota excusari posse. 275
Cap. XXIV.—Rationes quibus rex haeretici maculam fugere studet, refelluntur. 288
Cap. XXV.—Immerito Anglicanam sectam, fidem suam et Ecclesiae auctoritatem ad quingentesimum Christi annum limitare. 297
Summa et conclusio totius libri, cum apostrophe ad Angliae regem. 305

LIBER SECUNDUS

TOMUS SECUNDUS

De peculiaribus erroribus in materia fidei catholicae, quos rex Angliae profitetur

Caput primum.— De praesentia corporis et sanguinis Christi in sacrosancto Eucharistiae sacramento.. . 7
Cap. II.—Substantiam panis et vini sub speciebus consecratis non remanere. 23
Cap. III.—De Transsubstantiationis veritate. . . . 28

Pag.

Cap. IV.—Eucharistiam latriae adoratione convenienter adorari, et in hunc finem elevari et circumgestari. 31
Cap. V.—De laicorum sub una tantum specie communione. 39
Cap. VI.—De missis privatis. 56
Cap. VII.—De erroribus qui circa cultum et invocationem Beatae Virginis in regis Praefatione notantur. 64
Cap. VIII.—De iis quae circa cultum Sanctorum in regis Praefatione notantur. 77
Cap. IX.—De Sanctorum invocatione. 86
Cap. X.—De Sanctarum reliquiarum custodia et veneratione. 106
Cap. XI.—De vera imaginum Sanctorum veneratione, seu adoratione. 118
Cap. XII.—Objectionibus Regis contra imaginum venerationem satisfit. 134
Cap. XIII.—De imaginibus Dei, ut Deus est. . . . 144
Cap. XIV.—De Crucis Christi adoratione. 148
Cap. XV.—De errore circa Purgatorium. 154
Cap. XVI.—De erroribus circa Ecclesiae ritus et benedictiones. 172
Summa et totius libri conclusio, cum apostrophe ad Angliae regem. 180

LIBER TERTIUS

TOMUS TERTIUS

De Summi Pontificis supra temporales reges excelentia et potestate

Pag.

Caput primum. — Utrum principatus politicus legitimus et a Deo sit. 7
Cap. II.—Utrum principatus politicus immediate a Deo sit, seu ex divina institutione. 14
Cap. III.— Fundamentis et objectionibus regis Angliae contra doctrinam superioris capitis satisfit.. . . 30
Cap. IV.—Utrum inter Christianos sit legitima potestas civilis, cui Christiani parere teneantur. . . . 39
Cap. V.—Utrum reges Christiani in civilibus seu temporalibus supremam potestatem habeant, et quo jure. 57
Cap. VI.— Utrum sit in Ecclesia Christi spiritualis potestas jurisdictionis externae, et quasi politicae a temporali distincta. 73
Cap. VII.—Potestatem regendi Ecclesiam in rebus spiritualibus seu ecclesiasticis rebus, in temporalibus regibus seu Principibus non existere, auctoritate probatur. 89
Cap. VIII.—Eadem veritas rationibus confirmatur. . 102
Cap. IX.—Solvuntur aliquae objectiones contra veritatem in superioribus capitibus probatam. . . . 113
Cap. X.— Utrum Christus Dominus supremam Ecclesiae spiritualem potestatem Petro contulerit. . . 125

Pag.

Cap. XI.—Objectionibus contra doctrinam superioris capitis satisfit. 143
Cap. XII.—An primatus Petri perpetuo et per successionem in Ecclesia perseveret. 160
Cap. XIII.—Romanum Episcopum verum Petri successorem esse, et in eo Petri potestatem perseverare, ex divina Scriptura credendum esse ostenditur. . 168
Cap, XIV.—Romanum Pontificem successorem esse Petri testimoniis Sanctorum Patrum ostenditur. . 178
Cap. XV.—Pontificem Romanum in dignitate, et potestate, ac primatu Ecclesiae, successorem esse Petri, eorumdem Pontificum auctoritate comprobatur. 181
Cap. XVI.—Occurritur Protestantibus argumentum ex Pontificum traditione sumptum eludentibus, et auctoritate Conciliorum confirmatur. 197
Cap. XVII.—Eadem traditio Patrum auctoritate confirmatur. 206
Cap. XVIII.—Duabus objectionibus, contra primatum Pontificis ex Scriptura et Conciliis desumptis, satisfit. 218
Cap. XIX.—Explicantur quaedam loca Gregorii, quae rex objicit, et veri tituli Romani Episcopi defenduntur. 226
Cap. XX.—Aliis objectionibus ex factis imperatorum et conjecturis desumptis satisfit. 223
Cap. XXI.—Utrum personae principum seu regum temporalium spirituali potestati Summi Pontificis subjectae sint. 242
Cap. XXII.—Reges Christianos non solum quoad personas, sed etiam quoad regiam potestatem, id est, non solum ut homines, sed etiam ut reges christianos potestati Pontificis subjici. 257
Cap. XXIII.—Pontificem Summum potestate coerciva in reges uti posse usque ad depositionem a regno, si causa subsistat. 271
Cap. XXIV.—Objectionibus contra doctrinam superio-

Pag.
rum capitum ex Scriptura petitis occurritur. . . 288
Cap. XXV.—Alteri objectioni ex factis regum, quae in veteri Testamento narrantur, sumptae satisfit. . . 302
Cap. XXVI.—Argumento sumpto ex comparatione regis et Pontificis satisfit. 315
Cap. XXVII.—Aliis objectionibus ex Conciliis sumptis satisfit. 323
Cap. XXVIII.—Patrum testimoniis, quae rex objicit, satisfit. 330
Cap. XXIX.—Objectionibus ex rei novitate, et factis imperatorum regumque desumptis satisfit. . . . 337
Cap. XXX.—Objectionibus ex nonnullis rationibus desumptis satisfit. 349
Summa praecedentis libri cum apostrophe ad regem Angliae. 356

LIBER QUARTUS

TOMUS QUARTUS

De immunitate ecclesiastica, seu exemptione clericorum a jurisdictione temporalium principum

Caput primum.—Quid nominibus ecclesiasticae immunitatis, libertatis ac exemptionis significetur. . . 7
Cap. II.—Utrum clerici in spiritualibus et ecclesiasticis causis a potestate principum saecularium jure divino exempti sint. 17
Cap. III.—Utrum personae ecclesiasticae a jurisdictione principum, etiam in rebus et causis temporali-

Pag.

bus, eximi potuerint, et exemptae sint.. . . . 25
Cap. IV.—Utrum Summus Pontifex omni jure divino et humano ab omni jurisdictione saecularium principum exemptus sit. 43
Cap. V.—Expenditur locus Matthei: *Da eis pro me et te*, pro Summi Pontificis exemptione. 52
Cap. VI.—Objectionibus contra resolutionem superiorum capitum satisfit. 62
Cap. VII.—Sextae objectioni satisfit, et tractatur quaestio, an Papa possit se humano judicio sumittere. . 75
Cap. VIII.—Utrum clerici omnes sub Pontifice existentes a jurisdictione temporalium principum jure divino exempti sint; et tractantur duae contrariae opiniones. 84
Cap. IX.—Privilegium fori clericorum jure divino et humano esse fundatum, et quomodo id intelligendum sit. 97
Cap. X.—Quomodo singulis clericorum vel personarum ecclesiasticarum ordinibus exemptio ecclesiastica jure divino conveniat. 117
Cap. XI.—Utrum, secluso jure divino immediato, potuisset exemptio clericorum per jus canonicum sine adminiculo juris civilis introduci. 128
Cap. XII.—Utrum privilegium fori clericorum etiam jure civili fundatum sit. 141
Cap. XIII.—Difficultati, quae ex praecedenti capite oritur, occurritur, et quomodo Ecclesia diversis temporibus privilegio fori usa fuerit, explicatur. . . 149
Cap. XIV.—Qualis sit clericorum exemptio in causis civilibus. 164
Cap. XV.—Qualis sit exemptio clericorum in causis criminalibus.. 178
Cap. XVI.—An privilegium fori exemptionem a legibus civilibus includat, et qualis illa sit.. . . . 189
Cap. XVII.—Quale sit Ecclesiarum privilegium quoad suam suorumque bonorum exemptionem ab oneri-

Pag.

bus, et potestate saeculari. 205
Cap. XVIII.—An exemptio a tributis saecularibus conveniat Ecclesiis earumque bonis, quatenus Christi patrimonium sunt. 213
Cap. XIX.—An exemptio a tributis saecularibus conveniat Ecclesiae et rebus sacris ob earum specialem sanctitatem seu consecrationem.. 219
Cap. XX.—Utrum quaelibet bona, cum ecclesiastica fiunt, eo ipso sint ab omni tributo et onere civili illis inhaerente exempta. 225
Cap. XXI. — Aliquibus objectionibus occurritur, et quam sit antiqua haec bonorum ecclesiasticorum exemptio obiter explicatur. 248
Cap. XXII.—Qualis sit exemptio ecclesiastica quoad personalia onera clericorum.. 259
Cap. XXIII.—Utrum redditus ecclesiastici clericorum a tributis exempti sunt. 272
Cap. XXIV.— Utrum patrimonialia et in universum bona temporalia clericorum sub communibus legibus saecularium tributorum comprehendantur. . . 279
Cap. XXV.—An clerici teneantur ad onera realia solvenda, quae rebus immobilibus adhaerent. . . . 286
Cap. XXVI.—An clerici ad communes civium expensas contribuere teneantur. 291
Cap. XXVII. — Utrum omnes clerici, tam in sacris quam in minoribus constituti, et in statu clerici perseverantes, integre gaudeant ecclesiastica libertate. 305
Cap. XXVIII.—An clerici conjugati privilegio ecclesiasticae exemptionis gaudeant.. 321
Cap. XXIX.—Utrum aliae personae ecclesiasticae ordinem nullum habentes exemptione fori integre gaudeant.. 329
Cap. XXX.—An privilegium immunitatis clericorum ab aliquo homine revocari possit. 338
Cap. XXXI.—Utrum privilegium clericorum possit per renuntiationem amitti vel diminui. 354

Pag.

Cap. XXXII.—Utrum privilegium clericorum consuetudine amitti vel minui possit. 364
Cap. XXXIII.—Quibus modis possit immunitas ecclesiastica violari. 379
Cap. XXXIV.—Quibus modis actiones contra libertatem ecclesiasticam excusari soleant, et quid de illis judicandum sit. 388
Superioris libri summa. 422

LIBER QUINTUS

TOMUS QUINTUS

De Antichristo, cujus nomen, et personam per calumniam et injuriam, falso protestantes Pontifici attribuunt

Caput primum.—De Antichristi nomine, ejusque varia significatione.. 7
Cap. II.—Utrum Antichristus proprie dictus sit homo aliquis singularis, vel sedes aliqua seu imperium. . 12
Cap. III.—Duabus protestantium objectionibus ex Daniele et Paulo sumptis contra doctrinam superioris capitis satisfit. 20
Cap. IV.—Alteri objectioni ex capite 17 Apocalypsis sumptae contra eamdem resolutionem capitis secundi satisfit.. 26
Cap. V.—De tempore persecutionis et morte Antichristi. 39
Cap. VI.—Primae objectioni regis Angliae contra doc-

Pag.

trinam superioris capitis satisfit.. 52
Cap. VII.—Alteri objectioni regis Angliae ex capite 18 Apocalypsis desumptae satisfit. 61
Cap. VIII.—Tertiae objectioni regis Angliae ex variis novi Testamenti verbis desumptae satisfit. . . . 75
Cap. IX.—Alteri difficultati occurrendo, tempus regni Antichristi et initium ejus amplius declaratur. . . 100
Cap. X.—Aliis duobus argumentis satisfit et obiter nonnullae Catholicorum opiniones de tempore Antichristi refelluntur. 113
Cap. XI.—Antichristi tempore duos veros homines ad testimonium contra illum ferendum mittendos esse, ex capite 11 Apocalypsis contra duas falsas Protestantium expositiones ostenditur. 127
Cap. XII.—Eliam et Enoch esse testes illos, qui contra Antichristum mittendi sunt, ostenditur. . . . 142
Cap. XIII.—Joannem per duos testes, Enoh, et Eliam intellexisse, conjectura, et Patrum auctoritate ostenditur. 153
Cap. XIV.—Utrum ex aliis Scripturae locis ostendi possit, Eliam, et Enoch futuros esse secundi Christi adventus praecursores, et testes contra Antichristum. 162
Cap. XV.—Antichristi sedem et loco, et gradu longissime a Pontificis sede distare. 178
Cap. XVI.—Ubi futura sit Antichristi sedes. . . . 190
Cap. XVII.—Ex descriptione personae Antichristi, quam Paulus tradit 2 ad Thess., 2. illum Pontificis adversarium maximum, potius quam Papam esse futurum, evidenter ostenditur. 201
Cap. XVIII.—Quae ex visionibus cap. 6 et 9 Apocalypsis rex inducit, refelluntur. 215
Cap. XIX.—Idem ex cap. 13 ostenditur, et omnia, quae rex ex illo decerpit, refelluntur. 233
Cap. XX.—Quae circa 14, 15 et 16 caput Apocalypsis rex, notat discutiuntur. 256

Pag.

Cap. XXI.—Ex visione capitis 17 et sequentibus Apocalypsis novum de Antichristo errorem confutari pot us quam confirmari. 262
Cap. XXII.—Ex descriptione Antichristi a Daniele Prophetа tradita, fabula de Antichristianismo Romano evidenter refellitur. 280
Eorum, quae in hoc libro tractantur summa, cum apostrophe ad regem Angliae. 303

LIBER SEXTUS

TOMUS SEXTUS

De juramento fidelitatis regis Angliae

Caput primum.—Quis sit praesentis controversiae scopus et causae status, et quae ratio disputandi in ea servanda sit. 18
Cap. II.—Utrum in prima parte formulae juramenti, aliquid praeter obedientiam civilem et contra ecclesiasticam jurandum proponatur.. 24
Cap. III.—In secunda juramenti parte aliquid etiam ultra civilem obedientiam, et contra ecclesiasticam jurandum offerri.. 30
Cap. IV.—Utrum in tertia parte juramenti aliquid ultra civilem obedientiam contra doctrinam catholicam contineatur. 42
Cap. V.—De ultima parte juramenti. et erroribus in ea contentis. 61

Pag.

Cap. VI. — Rationes, quibus juramentum defenditur, expenduntur.. 66

Cap. VII. — Summum Pontificem non solum potuisse, sed etiam debuisse Catholicos Anglos a professione dicti juramenti sua monitione avertere.. . . . 87

Cap. VIII. — Possintne Angli, hoc juramentum admittentes, aliqua ratione aut modo a culpa excusari. . 96

Cap. IX. — Liceatne Catholicis Anglis templa haereticorum adire, et cum eis in ritibus communicare sine intentione cultus vel cooperationis cum illis, solum propter temporales poenas vitandas. 108

Cap. X.—An vexatio, quam in Anglia Catholici patiuntur, sit vera religionis christianae persecutio. . . 136

Cap. XI.—An qui propter Romanam religionem et obedientiam in Anglia morte mulctati sunt, inter veros Martyres sint annumerandi.. 155

Cap. XII.—Ad ea quae contra secundum Breve Pontificium, et contra Cardinalis Bellarmini Epistolam rex objicit, responsio. 173

Operis conclusio, et ad regem Angliae peroratio. . . 182

MENDA SIC EMENDA

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
53	1	niem	enim
85	14	peccatore	pectore
91	25	ille	illo
98	14	opinionem	opinionum
128	6	regumenta	argumenta
202	18	methaporam	methaphoram
217	3	ramissive	remissive

1908

208.8
Su13

Defensio Fidei Catholicae
/ F. Suarez

DATE	ISSUED TO
	12/80

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94708

1908